


85

Universidad	
Libro	A
Folio	21
Fecha	146

8



Universidad	
GRANADA	
Libro	
Folio	
Fecha	




1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29


58

Escuela Universitaria	
Asignatura	
Grado	A
Curso	2
Matrícula	146

8



Escuela Universitaria	
GRANADA	
Grado	
Curso	
Matrícula	



*Del Col. de la Com. de 1811. de Granada B.B.
R. 1250
B.B.*

D E
SACRAMENTIS
IN GENERE: ET IN SPECIE,


DE BAPTISMO, ET CONFIRMATIONE: *Composito et V. Pedro Le Montenegro*

Dubitationes Scholasticæ, & Morales:



SVPER TERTIAM PARTEM SVMMÆ DOCTORIS ANGE-
lici D. Thomæ à Quæstione 60. vsque 72.

*Authore R. P. M. Fr. Ioanne Martinez, de Prado, Vallis-Oletano,
Ordinis Prædicatorũ, S. Inquisitionis Qualificatore, Examinatore Sy-
nodali Archiepiscopatus Toletani, in Academia Cõplutēsi Cathe-
dra Vespertina Sacre Theologia Moderatore, & Insignis
Collegij Sancti Thomæ Aquinatis
Regente.*

Deiparæ Mariæ Virgini Dicitum;




Anno



CVM PRIVILEGIO

Compluti in Collegio S. Thomæ Fr. Didacus Garcia.



DEIGENITRI-

CI, SACRATISSIMÆ VIR-


GINI MARIÆ,

FRATRVM PRÆDICATORVM PISSIMÆ
MATRI,

CONFRATERNITATIS SANCTISSIMI ROSARIj
Patronæ, & Aduocatæ;

*VTRIVSQUE PROFESSIONIS, QVAM
quam indignus, Fr. Ioannes Martinez de Prado, hos de
Sacramentis Tractatus Offert, & Consecrat.*

Ræmonitus pio Melliflui Bernardi docu- Ser. de Nati. Virg. in fine.
mento (*quidquid illud est, quod offerre pa-
ras, Maria commendare memento, ut eodē
alveo ad largit orē gratiæ gratia redeat, quo
influxit*) tertio iam accedo, & ad tuos ter
sacrofanctos pedes humiliter prouolvor, non inde erigen-
dus nisi benedixeris mihi, & permittas vt *tollam librum is-* Deut. 31. v. 26.
tuum, & ponā in latere Arcæ Fœderis Domini Dei mei: vt
inde lucem, splendorem, perennitatem, & securitatem ha-
beat: qui ex me non nisi tenebras, obscuritatem, & vilitatē
haurire valet. Vt & totus Mundus agnoscat, quod si quid
in hoc Prato infructifero, in hac terra deserta, spinis, & tri-
bulis plenissima, apparuerit floridum, salutiferum, & ad ani-
marum salutem aptum, ex benignissima huius almi syde-
ris influentia est insertum, procreatum, & ad hanc, si quam
habet, perfectionem, perductum. Ideoque (prosequor cum
Bernardo) *modicum istud, quod offerre desidero, gratissimis
illis, & omnī acceptione dignissimis Maria manibus offerē
dum tradere curo, quia vereor sustinere repulsam. Nimirū*



candidissima quaedam lilia sunt; nec causabitur ille illorum amator inter lilia non inuentum, quidquid illud sit, quod inter Maria manus inuenit.

Ser. 4. de Assumptione.

2 Rectè fanè, non minus sapienter, quàm piè, obsequentissimus tuus Capellanus, vigilantissimus Archiepiscopus Toletanus, Sanctissimus Ildetonfus, ait, *Arca Sacramentorum Dei Virgo Maria fuit*, supra quàm fanè Propitiatorium, & Cherubin hinc inde obumbrantia figurantur. Huius nomenclaturæ, non vnâ, sed triplicem, si rectè perpendamus, inueniemus causam. *Habuit enim* (inquit) *panem illum, qui de caelo descendit. Habuit, & legem testamenti noui, quia Legislatorem genuit, in quo sunt omnes Thesauri sapientiæ, atque scientiæ.* Intus omnis custodia Legis, & Manna fuit, quod est mirabile sacramentum, ac propitiatio humanæ salutis. Idem alibi. *Ad quam concurrunt omnia eloquia Prophetarum: ad quam omnia enigmatim concurrunt Scripturarum.* Siue ergo Sacramenti nomine *sacrum secretum* accipiamus; siue ea voce *mysteria abscondita* indigemus; siue, ut iam in usu est Ecclesiæ, & Theologorum, præsius ad *sacra signa* à Deo in veteri designata, & in noua ab ipso Salvatore nostro, & Domino instituta, coarctemus; verissimè reperies assertum *Virginem Matrem esse sacerrimam Arcam Sacramentorum Dei.*

Ser. 1. de Assumptione.

Ser. 2. de Assumptione.

Ser. 11. de Annuntiatione.

Lib. 9. de Laudibus Mariæ.

Ser. 7. in prologo.

3 An non Arca Sacramentorum Dei; cum in illa reperiuntur recondita fere omnia, quæ de salute humani generis à sæculo latuerunt in Deo abscondita? *Deipara est declaratio occultorum diuine incomprehensibilitatis*, aiebat Andreas Cretensis. Quid tibi aliud videntur Patres docere, cùm ipsa Diuinitate affirmant habere non mediocre commercium in amanda, & exequenda humana salute? S. Petrus Damianus. *Statim de thesauro Diuinitatis Mariæ nomen euoluitur, & per ipsam, & in ipsa, & de ipsa, & cum ipsa totum hoc faciendum decernitur.* Richardus à S. Laurentio. *Quicquid beatitudinis ab illa infinita bonitate Dei Trinitatis ad genus humanum peruenit, totum per hanc venam refluxit.* Si vetera sacramenta promisserunt Saluatorem, Maria, ut noua, dat salutem, quia dedit salutis Authorem. Si per *sanctissimam nouæ legis sacramenta* (ut testatur Tridentina Synodus Sacrosancta) *omnis vera iustitia, vel incipit, vel capta augeatur, vel amissa reparatur.* Ideoq; verificatur significare, & con-

continere gratiam; de te Sacratissima Virgo cecinit Angelus, quod est gratia plena: *Hæc autem plenitudo* (exponente Richardo à S. Laurentio) consistit in duobus, in plenitudine dignitatis, & sanctitatis. Plenitudo dignitatis in hoc attenditur, quod ipsa est Mater Dei; idè se comparat Cedro, quæ altitudine omnes transcendit arbores; sic & ipsa omnes homines. *Plenitudo sanctitatis, in hoc quod non solum sancta est in se; sed & alios sanctificare potest, & à peccato sanare.* Et S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus. *Nul- lus est, qui saluus fiat, nisi per Te, o Sanctissima; nullus est, qui liberetur à malis, nisi per Te, o purissima; nemo est, cui donum concedatur, nisi per Te, o castissima; nemo est, cuius miseretur gratia, nisi per Te, o honestissima.* Vide ergo quot titulus, quàm mirabili proprietate; Virgo Maria, Arca Sacramentorum Dei, dicatur, & sit. Si ergo Dñs præcepit librum legis in latere Arcæ Fœderis Dñi collocare, apte librū de septem Sacramentis nouæ legis ad aras Arcæ Sacramentorum deuotus appendam.

4 Adumbrata legis septem sacramenta in septem illis lucernis Candelabri, in septem columnis, quas Sapientia excidit, in septem oculis super lapidem vnum constitutis, in septem stellis, quæ Filius Dei habere visus est in manu sua, in sigillis septem, quibus liber cælestis apparuit signat? Sed hæc, & his ampliora videbis clausa, & aperta in nostra mystica Sacramentorum Arca: quæ *ad hoc solum est effecta* (ut sapientissimus contemplatur Idiota) *ut templum esset Dei Altissimi.* Cuius vestitus Sol, cuius scabellum Luna, cuius Corona Stellæ perhibentur. *Dignum planè stellis coronari caput, quod & ipsis longe clarius micans, ornet eas, potius, quam ornetur ab eis. Quid ni coronent sidera, quam Sol vestit?* Sunt fanè sacramenta diuinæ gratiæ instrumenta: sed sine anima, & vita: sunt instrumenta; sed separata: sed Virgo Deipara, Dei animatum Coelum, ita Deo coniuncta: *Ut quantum sine personali unione creatura conditio patitur, lucilli inaccessibili, videatur immersa.* Sunt septem Sacramenta septem aquæ fontes, quos Propheta Euangelicus cū gaudio de Saluatoris vulneribus hauriendos à Christianis præuidit. Sed Maria est mare gratiarum, & donorū abyssus immensa. Bene ergo eminenter in hac sanctificationis Arca dicimus collectum, quidquid in singulis sacramentorum riuus reperitur sparsū: siquidē Saluator hominū *redemptur*

Li. 1. de Lau-
Mariæ c. 14.

Orat. de Zo-
na, & Fascijs
Deiparæ.

In contē. Dei
paræ c. 2.

S. Ber. ser. Sig-
num magnum.

S. Ber. ser. de
Aquaductu.

S. Leo ser. 4.
de Natiu. c. 3.
in fine. Et ser.
5. cap. 5.

humanum genus, pretium uniuersum contulit in Mariam, ut aiebat Bernardus. Præclare itē ad rem S. Leo. Cuius spiritalē originem in regeneratione quisque consequitur, & omni homini renascenti aqua Baptismalis instar est. uteri uirginalis, eodē Spiritu S. replente fontem, qui repleuit, & Virginitatem: ut peccatum, quod ibi euacuauit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio. Et alibi. Originem, quam sumpsit in utero Virginis, posuit in fonte Baptismatis; dedit aqua, quod dedit Matri: uirtus enim Altissimi, & obūbratio Spiritus S. quæ fecit, ut Maria pareret Saluatorem, eadē fecit, ut regeneraret unda credentem.

D. T. in 4. diff.
8. q. 1. ar. 2. q.
2. ad 4.

S. Th. à Villa
noua ser. 3. de
Natiu.

Ser. de Assūp
tione.

In speculo B.
Mariæ c. 3.

5 Vni Sacramentorum diuinissimo, nempe Sacro Sæctæ Eucharistiæ, hanc sacramentorum Arcam peculiariter dixerim comparandam: sicut enim de illo scripsit Dr. Angelicus, quod omnium Sacramentorum effectus huic sacramentum possunt adscribi, in quantum perfectio est omnis sacramenti, habens quasi in capitulo, & summa, quæ alia sacramenta continent sigillatim. Ita de ista alter Thomas Archiepiscopus Valentinus docet, quod sicut in creatione Mundi in homine collecta est omnis creatura, idē Microcosmus dicitur; sic in reformatione Mundi in B. Virgine collecta est omnis Ecclesia, & Sanctorum perfectio; unde Microcosmus Ecclesia dici potest. Præiuerat alius Eminentissimus purpura, sapientia, & sanctitate Petrus Damianus dicens. Reliquis gratia, ac uirtutes per partes fuerunt distributæ, at Deipara id omne, quod alteris dispersum fuit. Uniuersus, inquit Cantic. 3. ver. 6. puluis pigmentarius in Virginem coniectus est, quia in ea uirtutum conuentus reuerendū sibi thalamum consecrauit; & sic æteris per partes spiritus affuit; Mariæ tamentota plenitudo gratia superuenit. Demū Seraphicus Dr. etiā Cardinalis. Omnia flumina intrant in Mare, id est, omnia gratiarum genera intrant in Mariam. Sed quid mirum, si omnis gratia in Mariam confluit, per quam tantæ gratia ad omnes defluxit? Sicut igitur qualis Mater, talis Filius; ita quæ competunt Filio Dei sub sacramento, parili ratione sunt enuncianda de nostra mystica Sacramentorum Arca. Ad eā ergo connexionē doctrinæ, & sympatia quadam conuolūt nostri isti sacramentorum tractatus.

6 Expetunt rursus lucubrationes recenter natæ, libri de nouo in lucem editi, patronum à quo defendantur, refugium ad quod confugiant, & fulcimentum, cui innitantur,

mu-

murum cui adhæreant: quia vix lucem vident: cum obscurantur detrahentium linguis, inuidentium morsibus, cōtradicientium calumnijs, sciolorum dictis, criticorum scrupulis, & omnium exponuntur varijs, & sæpè prohibito, excogitatis, censuris. Cui ergo columnæ firmiori adhæreā; quā aliā advocatam requiram, sub cuius præsidium securus cōfugiam? Aptissime pro voto mihi respondet non semel sæctus Thomas à Villanoua. Sicut pulli (inquit) uolitantibus desuper miluis, ad galinæ alas accurrūt; ita nos sub uelamento alarum tuarum abscondimur. Nescimus aliud refugium, nisi Te: Tu sola es unica spes nostra, in qua confidimus. Tu sola Patrona, ad quam omnes aspiciunt. Nec minus deuote alibi idē Sæctus. Naturalis infantium mos est; quoties ab aliquo, aut leduntur, aut deterrantur, statim fugere ad suas matres; & sub earum pallio se abscondere, ab eis que fauorem, & præsidium implorare. Infantes sumus, & paruuli in hac uitā; omnia perturbant nos, omnia nos cōsternāt; & deterrant; & sæpius puerorum more formidamus timore, ubi non est timor. Si qua ergo tribulatio, si qua pressura, si qua perturbatio, aut pauor occurrit, statim ad Virgine sacra omnes refugimus; illa unicum præsidium nostrum; unicum refugium, & solatium nostrum.

7 Hæc est paterna hæreditas, in hoc sumus nutriti, & educati, sic in tuo Prædicatorum Ordine sumus assueti, experti continuo præsentanea auxilia; & innumera à tuis ter sacratis manibus collata in singulos beneficia; uere continuo demonstraui te esse matrem; & illud: Quoniam in me sperauit, liberabo eum. Tu ipsa dilectæ Sponsæ tui Filij SS. Brigittæ reuelare dignata est. Certe ipse Dominicus Filium meum habuit pro suo charissimo Dño; & me Matrem eius dilexit, plusquam cor suum. Cumque instaret tempus resolutionis eius, quod Filius meus in spiritu ostendit, tuit ad me Matrem eius, cum lachrymis dicens. O Maria, Regina Cœli, quā ipse Deus prælegit sibi in coniunctionem Deitatis, & humanitatis. Tu es illa singularis Virgo, & singulariter dignissima Mater. Tu es illa potentissima, de qua ipsa potestas prodijt: Audi me rogantem Te: quia enim scio Te potētissimā; ideo præsumo de Te: Suscipe Fratres meos, quos educaui, & fovi sub stricto scapulari meo; & defende eos sub lato mātello tuo. Rege eos, & refoue, ne hostis antiquus præualeat eis; & ne dissipet uineam nouellam, quam plantauit dexte-

Cōc. 3. de Na
tiu. B. Virg.

In Rogationi
bus pro expe
ditione aduer
sus Turcas.

S. Brigitta II.
3. c. 17.

Maluenda in
Analibus Præ
dicatorum fo
lio 371. Anno
1221. c. 40.

folio 1486.

3 p. histor. tit.
23. c. 3. col. 3.

Ser. de Præse-
ratione Virgi-
nis.

dextera Filij tui. Cui cœlorum Reginam respōdisse refert S. Brigitta. *O Domimice, amice dilecte, quia dilexisti me plusquam te, ego sub lato mantello meo defendam, & regā filiostuos: nec non, & omnes, qui in Regulatua perseverāt, saluabuntur.* Celebratissimus ille, & prudentissimus Legislator Licurgus in mortis confinio ad Deorū Matris asylum confugit, sub cuius tutela satagebat iudicibus fitti, rationē rerum à se gestarum exhibiturus. *Cū vero* (inquit Photius in sua Bibliotheca) *instare mors videretur, se in Matris Deorum delubrum, ad Senatum deferri iussit, cupiens rerū à se in Republica gestarum, rationem reddere; ubi cum ibi accusaret nemo, domū est relatus, ac mortuus.* Non ab homine Gentili, sed à Spiritu S. didicit magnus Patriarcha Dominicus, cum mors instaret, confugere ad templum, & sacranū Spiritus S. ad Matrem Filij Dei, in cuius *protectione*, quæ est *Dei Cœli*, securos, non modo ad iudiciū humanū, sed ad diuinum, speraret fittēdos. Nec spes sefellit, vt rei probauit euentus. Viderat idem SS. Patriarcha, Romæ raptus in spiritu, Virginem Matrem gloriosam amictā cappa coloris saphirini, & Filium Dei, & Virginis sibi dicentem audiuit. *Ordinem tuum Matri meæ commisi.* Et (vt testatur S. Antoninus) *sub hoc securitatis tegumento, in hoc pietatis gremio, vidit ille contemplator sublimium, & perspectior Dni secretorum, Dominicus, fratrum sui Ordinis innumeram multitudinem singularis protectionis custodia, & brachijs amoris peculiaris complexam.* Vtinam, & me indignum eiusdē Ordinis Fratrem in hac multitudine dignetur agnoscere: vt nūc, & in perpetuum gaudeam tali, & tam peculiari protectione; nam ad cōplexus amoris peculiaris, nec aspirare, nec cogitare, nec oculos ad cœlum leuare, nō tam humilitate, quam veritate cogente, vnquam audebo.

8 Nec præmittam indicare rationem aliā, quæ me impulit vt libroshofce meos de rebus ad salutem animarū per quā necessarijs, consecrandos optarē Reginæ Cœli, Dominae nostræ. Legi verba S. Georgij Nicomediēsis Matrē Virginem cum Prato cōparantem, & dicentem. *Virgo Dei genitrix est pratū, & pratorum maximè odori ferum, & varium, & incorruptione coronans eos, qui decerpunt.* Soli Angeli, vel Animæ beatorum, qui infinitam Filij eius dignitatem vident, agnoscunt qualiter gratiarum, & donorū omnium

num flores vernant, & odorant suaue olentes virtutes, & colligunt fructuum exuberantiam. Nobis in via nō est datum tot gratiarum varietatē perambulare, nec frequenter inuisere, nec flores carpere. Datum tamen est sacramenta suscipere, reliquiasque Passionis Christi (sic vocat D. Tho. sacramēta) venerari: quindecim humanæ restaurationis mysteria pijs meditationibus perconsere B. Virginis recitādo Rosariū: Cuius authorē fuisse S. Dominicū, Leo 10. Pius 5. Gregorius 13. & Sixtus 5. Apostolicis Diplomātibus profitentur. *Sicut enim* (vt meditatatur S. Regimius Præfatione in Psalmos) *centum quinquaginta diebus superinducto diluuiio, criminibus suis terra diluta est: sic Psalmorum spiritualis abyssus, peccatis inquinata corda mortaliū vsq; ad iudicij tēpus perpetua inundatione purificat.* Ita Sāctissimus Patriarcha Dominicus vt fletibus, & orationibus, & imbribus lachrimarū, Mundum purificaret, nouum Psalterium instituit, *velut singulare ad evertendas hareses, & vitia extinguenda presidium.* Nouoq; plantato Rosario, vitiorum spinas eradicaret, & terrā in Paradysum conuerteret.

Hinc pio ausu mihi visum haud difficile felici amicitiarū foedere copulare humana diuinis, ima summis: & pro vernantibus virtutum corollis, quas recipimus per sacramenta, & decerpimus ē Marianis virtutum floribus, & impetramus eius orationibus: nos vicissim eandem gloriæ Reginā nouis aureolis in dies coronare: nā vrcius Sponsus, vigilatissimus Rosarij instaurator, & feruidus Prædicator B. Alanus de Rupe nos docet: *Quodlibet Ave Maria coronam facit Virgini gloriosa contextam ex quindecim lapidibus pratio- 4. par. ser. 1. sis. Et ita erunt cœtum, & quinquaginta corona Regales in quolibet Psalterio, seu Rosario.*

Ideo etiam, quod olim Psalterium, nunc Rosarium dicitur, quia vt eruditissimus ille, ac pijsim^o Dr. Nauarrus Miscellaneō 23. de Orat. n. 17. ait. Sicut Rosariū continet multitudinem fructicum gignentium rosas suauiolentes, ac se traquantem consolantes, & lætificantes; ita præfatum Psalterium cōtinet multitudinem orationum Dominicanarum, & salutationum Angelicarum, quæ frequenter repetitæ miram suauiolentiam, suaueque lætitiā pariunt illis, qui eis sic repetitis Patrem misericordiarum, & Virginem Matrem, quasi præsentem, attentā, humili, & deuotamente, ablo-
quuntur.

quantur, salutant, & orant. Et B. Virginis gaudia accidentaliter augendo, possum ab ea audire, *gaudium meum, & corona mea: sic staret in Dño charissimi*, maiori Charitatis affectu, quam Philippensibus id predicauit sacer Paulus.

9 Videns ergo meum Pratum terrestre, terram inanem, & vacuam; spinas, & tribulos producentem, rosis ornare curavi, vt sic nuditas eius non appareat; foetor non causet abominationem, & orationibus Rosarij instando, optavi, vt detur mihi sēsus; & *inuocavi*, si forsan veniat in me Spiritus Sapientiae. Vt Pratum conuertam in hortum spiritualia germina proferentem, cucurri vt obtineā ad hortum, & fontem gratiarum omnium Virginem Deiparam, quam eius Filius in Canticis Hortum, & Fontem appellat. *Vnde hortus?* Inquiri, & respondet Abbas Rupertus. *Nā inde nominatur Hortus, quod sepe ibi aliquid oritur: quia cum alia terra semel in anno aliquid creet, hortus nunquā sine fructu est. Vnde ergo Hortus est Tu, o Dilecta Dilecti? Nisi quia ante natum est aliquid, quod nunquam decidit, & fructus tuus nunquam marcescit, aut deficit.* Iam agnosco cur Prædicatorū Familia post Quadringentos, & quinquaginta annos a sua primæua plantatione, non desinit Sanctitatis totius exempla producere, doctrinæ vberissimis fluentis Ecclesiam totam irrigare: quia Virgineis manibus plantata, eius cælesti imbre irrigata, & calore fecundata, non potest non in sua viriditate perennare, & semper indies verificari, quod Dñs Alexander Papa 4. in eius cōmédationē scripsit. *Cælestis ille Agricola, summus aut hor fidei, precipuusque protector, Sacrum Fratrum Prædicatorum Ordinem, quasi lignum fertile in Ecclesie Paradiso inseruit, vt delectaret amantate, ubertate satiaret, & fructuum suauitate mulceret. Hoc itaque speciosum, fecundū, ac dulce lignū, imbre superno irrigatum, pulchra plurima, ac dulcia poma profert; quorum odore, ac sapore confortantur, & conualescunt debiles, varijsque detenti languoribus liberantur.* Sed vnde dulcedo tanta huic arbori? Vnde salubritas tā perennis? Vnde pulchritudo tam delectabilis? Ipsa Angelorum Domina Spōso sibi charissimo beato Alano reuelauit. *Quandiu durauit hoc Psalterium in tali Ordine Sancto: tā diu scientia, sapientia, obseruantia, miraculis, fama, & gloria, apud Deum, & homines in immensum floruerunt.*

In

10 In nostri Sacri Ordinis typum Glossa in illud 3. Regū 4. ver. 27. *Regis præfecti necessaria mensa Regis Salomonis, cū ingenti cura præbebāt in tēpore suo: scripsisse videtur: Nequid desit in domo Regis, Ordo Prædicatorum describendo, & loquendo laborat, vt in mensa Dñi abundet, vnde nutriatur fideles.* Quia sæculo isto videtur impletū, illud Eiaï 2. *Repleta est terra scientia Dñi*, quia in voce, & scripto sacra doctrina, quæ ad mores, & pietatē attinet, vbiq; traditur, passim docetur: timeri posset an labor noster sit censendus superuacaneus, cum sine illo in mensa Dñi abundet, vnde nutriatur fideles? Possē cōtinē Recentiorū latibulū quærere, & non malè responderē; si dicerē; quod scientiarū profunditas est tāta, quod nequeat exhaustiri adhuc tot scriptoribus multiplicatis. Celebratur meritisimè; quod venerabilis, & sapientissimus Rupertus simili obiectioni respondet Proemio in Apocalipsim. *Sed dicat aliquis: iam, sat est, quod alij meliores, & sanctiores inuenerunt, & scripserunt; temerarium est adijcere quidpiam ad ea, quæ a nominatis, catholicisque Patribus dicta sunt. Sed quis recte indignetur, quod post unū, aut duos puteos, quos foderunt Patres præcedentes, plures fodeant labore filij succedentes. Isaac alios puteos fodit: ergo nobis quoque concedant, post illos tractatus, quos tractauerunt Patres nostri, & alios fodere puteos vomere ingenij: dummodo viuam, & nos aquam reperire possimus, quæ nulli noceat viuenti, nulli scandalum, vel errorem faciat legenti.* Hæc aptissimè quidem ad obstruenda ora calumniantium, & fastidientium librorum nouam editionē.

11 Sed adhuc adijciam, laborē nostrum pro fratribus Prædicatoribus, pro nobilissima schola Thomistarū, nō videri admodum superuacaneum: quia doctrina Angelici Doctoris est abyssus inexhaustibilis, circa eam nouæ in dies occurrunt difficultates, cōtra eam quotidie multiplicatur impugnationes: & doctrina Moralis à quibusdam superficialiter pertractatur; & alij, nec Scholas vnquam viderunt; alij recentiorū scripta euoluere non fatagunt, vel potius cōtemnunt; præcipue in istis quæstionibus, non tam frequenter in stadio scholastico ventilatis, paucissimi prodeunt libri Scholastica, & Moralia, ex professo iuxta mentē D. Th. disputantes: ideo vere possum de vltimis istis quæstionibus D. Th. scribere, quod in Proemio Commentariorū Primæ

Par.

Rupertus lib.
4. in Cantica

Parte 2. cap.
17.

Partis de sui seculi scriptoribus notauit Caietanus Cardina-
lis. *Et quonia quadoque minus perspicaces, ac impares opus
hoc sortitur interpretes; multosq; habuit impugnatores: &
sectatores multo plures, pareret, si perspicuu fieret: Necessa-
riu fore duxi, profecturis in Theologia exponere opus hoc:
Et non maiora; sed posteriora, & modernis minus nota appo-
nere, iuxta mei vires ingenij.*


12. Quae quia paruae sunt; & nullae erunt, si caelestibus
desituantur auxilijs; ideo iterum, atque iterum ope Deige-
nitricis illa implores; appropinquo pedibus tuis, vt a te illu-
miner; sub tuu praesidium cofugio, vt a Te defendar. In hoc
certamine literario non audeo solus in arenam descendere:
vnde sicut Dux ille Barach ad Prophetissam Deborah. *Si
venis mecum; vadam; si nolueris venire mecum, non pergam.*
*Qua dixit ad eum: Ibo quidem tecum; sed in hac vice victo-
ria non reputabitur tibi.* Vtinam intus merear audire (vt
in corde auditur) & in exercitio experiri: *Ibo quidem tecum;*
& sic melius nunc verificetur, quam olim de Debora scrip-
sit S. Ambrosi⁹. *Femina iudicauit, Femina disposuit, Fe-
mina prophetauit, Femina triumphauit; & preliarib⁹ in-
termixta copijs: imperio viros docuit, militare femineo.* Nec
hac vice, nec vnquam victoria reputetur mihi, sed nomini
tuo da gloriam: ad Tuam, & Filij tui perennem gloriam.

13. Nos vero cum S. Ioanne Damasceno iam tertio,
& millies. *Cum sacra reuerentia, trement manu, ac cupido
animo, viles ingenij nostri primitias, regia Matri, de vniuer-
sa natura benemerita, grato, candidoque animo, tanquam de-
bitum quoddam, persoluemus. Et pro omnibus his (de fine,
cui initiu debeo, tuus Bernardus epist. 3. 12. in fine) mercede
flagito, sequor retributionem. Quid mi sequar? Sive placeat,
sive non, mea non refert: quidquid habui, dedi. Ergo
merces mea, oratio tua, Deigenitrix
Virgo MARIA.*

Iudicum 4. v.
8.

Libro de Vi-
duis.

Orat. 1. de Af-
sumptione.



APPRO:



APPROBATIO DOCTORIS D. IOANNIS HER-
veros, & Xarava, Primarij Cathedralici Sacrae Bibliae in Vniuersitate
Complutensi, Canonici Sanctorum Iusti, & Pastoris, Olim
Collegae Maioris Collegij S. Ildephonsi, & Recto-
toris eiusdem Collegij, & Vni-
uersitatis, & c.



MAGNA Animi voluptate, & non minori intellectu, ex om-
ni diligentia praetiosum opus literarium, nemusque dispu-
tationum amenissimum; *De Sacramentis in genere, & spe-
cie,* a Doctissimo Reuerendissimoq; P. M. Doct. Fr. Ioanne
Martinez de Prado, Guzmane Praedicatorum Familie Reli-
giosissimo Professore: huius almae Vniuersitatis Vesperti-
nae Theologiae Cathedrae moderatore meritissimo S. In-
quisitionis Qualificatissimo Censore, hactenon praesignis
D. Tho. Aquinatis eiusdem Ordinis musaei Regente dignis-
simo, elaboratum; de mandato Illust. D. D. D. Ioseph de Be-
no de Rey, electi Episcopi Chalulensis, istius Curiae Archie-
piscopalae totiusque Toletanae dioeceseos Vicarij Generalis,


& Sacrae Sacroru Iusti, & Pastoris Martyrum Ecclesiae Magistralis Thesaurarij; euolui, semel
que, & iterum perlegi, a quali gaudio, ac vigilantia, qua tot opera eiusdemmet granissimi
Authoris ab hinc retro annis in lucem edita, tum in codicibus manuscripta, necnon in pro-
prio ore eluculentius animata, quasi a primo, vsque ad vltimum verbum, dulci ex labijs pu-
lans fluxu apes argumentosa libauit; & non solum, contra fidei nostrae dogmata, rectoru
morum documenta, desideratae veritatis vestigia nihil reperi; verum inter Aquinatis Che-
rubici commentatores verae disciplinae, non praecisse amatores, sed alumnos, quem in pu-
riori (vti a Christo Dño fulcira, & aprobata) doctrina Praeceptoris tanti nullus discipulus
excluit; de opere in opus in praesenti difficultatum catino, seu fragrantium paradyso qua-
stionum se ipsum exceluisse video. Vtilitate hinc pro moralibus metaphysicis publicis dis-
sertationibus omni generi scholasticorum, iudicatum ve iuuenum, doctentium ve lenio-
rum profitetur: argumentorum intricabilibus telis viam aperit solutionum solidam: in-
tanto moralium latitudinum pelago animis volutantibus, portu praeparat Theologus Ar-
gonauta: dum acuminis acu semitam demonstrat securam fidus academicu. Sed quid mi-
rum, si pectorini Solis Angelici Magistri stella micans seipsum hinc, & in illo omnium
scientiarum fontano pectore literas ebibit; sicut diuinus ille Ioannes olim ex sacro Do-
mini pectore arcana potauit: vt dici possit, cu radios Aquinateos de ore in os spargit studio-
fos, quod quomodo illius increati Doctoris manifestandi causa, fuit missus homo, te-
ste eodem patreue, Ioannes nomine; eadem euulgandi Angelici Doctoris scripta, fuit ho-
mo missus, cui nomen Ioannes. Quarebam sane quis pro vno antiquitus Caietano, & alte-
ro nostris temporibus S. Tho. Angelici scriptoris dignissimis interpretibus, Cathedrae sub-
stitueret, loco succederet; & iam iam tantorum virorum maximum vacuum, hunc eruditis-
simum conijcio repleuisse. Qui discere vult, istum legat authorem, hunc consulat Magistru,
studiosum, expertu, doctum. Pratum eruditionum fertilem: *Experto crede* (Inquit Bernard.)
*aliquid amplius inuenias in syluis, quam in libris, ligna, & lapides docebunt te; quod a Magistris
audire non possis.* Qui difficultatibus succumbens, clariorem intelligentia desiderat, & immer-
sus conscientiae scrupulis exonerare conscientiam oprat; hanc scrutetur adiutricem Miner-
uam, vt eum ab involucris confusionsum praesta resolutione, extrahat laborantijs, non qui
dubiunculis admirationum arreptus, illum in eisdem scrupulis, & difficultatibus; ipsam
suspensione demergat: vt notat August. in misero illo, qui cum in puteum incidisset, & aqua su-
focaret eum, accendens alius admirans, ait: quomodo huc cecidisti? Et tunc alter. *Obsecro; inquit; co-
gitat.*



gitat

gita, quomodo hinc me liberes, no quomodo huc ceciderim queras. Sed age iam, nollem me profecto suspectum habere, & leges censoris pro aecomis ad Magistrum discipulum commutare, quis tamen nimis scrupulose mirabitur, si suum fecerit natura officium, viceque præceptum limites iudicantis transgressa grata sobolis educatio: malle utique elogia debita decantare Magistro; quia tamen aliquibus in visum non sit, supportet affectum, impatiētem statuta proprii muneris regula; & ut pronunc, quod mihi est satisfaciam: Typis mandari hoc firmioris doctrinæ viridarium, non solum posse affirmo, verum debere dico, characteribusque aureis grauari, literisve marmoreis in æribus immortalibus sculpi. Prodeat igitur in lucem ad gloriam Complutensium, decusque, & asylum Aquinatium omnium. Sic sentio, in hoc D. Iulio, Vniuersitate Complutensi, Maiorum Maximo Hispaniarum Cardinalis mei Dni: Die 3. Octobris, Anno Dni 1659.

Dr. D. Ioannes à Herrerros,
& Xarava.



Licencia del Ordinario.

Nosel Dr. D. Ioseph Beno de Rey, Obispo electo de Cefalu, y Vicario general en la Audiencia, y Corte Arçobispal desta Villa de Alcalá de Henares, y en todo el Arçobispado de Toledo, &c. Por la presente por lo q̄ a Nos toca, damos licencia al R. P. M. Fr. Iuan Martinez de Prado, Cathedratico de Theologia en la Vniuersidad desta Villa, y Calificador del S. Oficio en el Colegio de S. Thomas del Orden de S. Domingo de ella, para que pueda imprimir vn libro intitulado *de Sacramentis in genere, & specie*, atento ha sido vsto, y examinado, y no ay cosa contra nuestra Santa Fe Catolica. Dada en Alcalá en seis dias del mes de Octubre de 1659. años.

Dr. D. Ioseph Beno de Rey.

Por sumandado.

El Maestro Francisco de Malagon,
Notario.

Facul



Facultas Ordinis.

FRater Franciscus Aragon, in Sacra Theologia Magister, in Primaria Cathedra Vniuersitatis Salmanticae emeritus, Regius Ecclesiarum, & Prior Prouincialis Prouinciae Hispaniae Ordinis Praedicatorum, facultatem concedo R. P. M. Fr. Ioanni Martinez de Prado Cathedratico Vniuersitatis Complutensis, & Regenti nostri Collegij S. Thomae, emittendi in lucem *Primum Tomum de Sacramentis in genere, & specie, &c.* quia grauiorum Patrum nostrae Prouinciae iudicio probatum constat. Datum Matriti in Conuentu Sancti Thomae, quinta Augusti 1659.

Fr. Franciscus Aragon.
P. Prouincialis.



Summa Præilegij Regis Catholici.

PHilippus Quartus Hispaniarum, & Indiarum Rex Catholicus diplomate suo sanxit, nequis *Primum Tomum de Sacramentis in genere, & specie*: R. P. M. Fr. Ioannis Martinez de Prado, intra decennium, præter eius voluntatem, vilo modo imprimat, aut alibi terrarum impressum intra sui Imperij ditionem importet, venalemve habeat: vtilius pateat in litteris datis Matriti, &c.



S V M M A T A X A E.

SVpremi Senatus Regij decreto sancitum est vt libri huius quælibet carta tantum quinque morauetinis venundetur. vt constat ex litteris datis Matriti, anno 1659.



ERRATA




Errata.

Folio 64. numero 16. linea 3. Sumptam. Lege. sumptum. Fol. 74. c. 2. n. 21. l. 11. ratio nes. l. nationes. fol. 105. n. 18. l. 1. valide. l. valde. fol. 124. n. 95. circa finem. 3. p. q. 84. l. 48. fol. 140. n. 84. l. 23. veræ. l. vera. l. 35. & ortas. l. exortis. ibi. peccatibus. l. peccati. fol. 141. l. 2. veritatem. l. varietatem. fol. 143. c. 2. l. 42. In explicatione. l. in spoliatione. fol. 145. c. 1. l. 7. salutem. l. saltem. 146. n. 2. l. 21. Raynario. l. Raynerio. fol. 157. c. 2. l. 26. præsentia. l. presentia. fol. 154. n. 27. suaderet. l. vi sua daret. fol. 149. c. 1. l. 32. gratiam. l. gratia. fol. 153. c. 1. l. 7. affectatoribus. l. affectatores. ibi. c. 2. l. 18. sensu. l. sensum. l. 27. tali. l. talem. ibi. conferant. l. conferant. fol. 155. c. 2. l. 17. illa. l. illam. fol. 160. l. 2. rigore planè. de le. plane. c. 2. n. 27. l. 14. tractari. adde. solet. l. 15. supponens. l. supponit. f. 161. n. 30. mēbro. l. mēbra. fol. 162. n. 32. Baptismum. l. Baptismi. fol. 165. c. 2. l. 6. sclopus. l. sclopus. fol. 167. c. 1. l. 13. quod habet. l. quod non habet. l. 15. leget. l. ligat. n. 52. in animam. l. in animam. fol. 168. n. 57. anima. l. animam. fol. 169. n. 65. filius eius. l. filij eius. fol. 172. c. 2. n. 76. pernici. l. penitius. fol. 173. n. 77. sagitatis. l. sagitis. fol. 174. n. 83. inrentione. l. inrentionem. fol. 177. n. 92. illam. l. illa. fol. 178. n. 96. sola. l. solam. fol. 185. l. 6. inferr. l. in fieri. n. 121. immutatū. l. immutatus. n. 124. quomodo. l. quando. fol. 186. c. 2. l. 13. negabimus. l. negauimus. fol. 189. n. 138. vt effectum physicum. l. vt instrumentum physicum. fol. 195. n. 7. Quam. l. Quæ. fol. 341. n. 56. l. 21. mortale. l. mortali. ibi. l. vi. celebrē. l. celebrē. fol. 309. n. 7. l. 12. morale simile. l. morali simile. fol. 333. col. 2. in finē. pronunciauarat. l. pronunciauerat. fol. 387. n. 52. l. 8. illud ordinandi. leg. illum ordinandi. fol. 397. n. 23. l. 14. oblationem. l. ablutionem. fol. 402. n. 11. l. 3. & nullis. l. & nullus. fol. 406. n. 5. l. 3. deest. & necessitate præcepti. fol. 435. n. 42. l. 14. defuit. l. deficiit. fol. 628. n. 10. l. 7. Leuetici. l. Leuitici.

Vidi hunc librum, cui titulus est: *De Sacramentis in genere, & in specie, &c.* Authore P. M. Fr. Joanne Martinez de Prado, &c. Et his demptis mendis, cætera suo respondent exemplari. Datum Compluti 4. No uembris 1659.

*Dr. D. Franciscus Ignatius de Porres,
Corrector Vniuersitatis.*

Index



INDEX DVBITATIONVM PRIMI TOMI DE SACRAMENTIS R. P. M. FR. IOANNIS MARTINEZ DE PRADO:

Prooemium Pagina primâ.
QUÆSTIO 60. D. Thomæ, de Sacramentis: 3.
 §. 1. Summa Textus. Ibi.
 §. 2. Diffinitio quid nominis. ibidem.
 Dubium 1. Vtrum sacramentum sit essentialiter in genere, signi? 5.
 §. 1. Cæta præmittuntur. Ibi.
 §. 2. Sententiæ extrinsecæ cum suis fundamentis. 7.
 §. 3. Dubij resolutio. 9.
 Dub. 2. Vtrum sacramenta sint signa ad placitum? 13.
 §. 1. De facto sunt signa ad placitum. Ibi.
 §. 2. An idem sit de possibili? 15.
 §. 3. An sit de essentia sacramenti, quod sit stabile? 17.
 §. 4. Vtrum significatio sacramenti sit quid reale, vel quid rationis? 19.
 Dub. 3. Vtrum omnia sacramenta sint essentialiter signa, & causæ veræ sanctitatis in ternæ? 22.
 §. 1. Duæ opiniones referuntur. Ibi.
 §. 2. Communis opinio præfertur. 24.
 §. 3. Exponitur discrimin inter sacramenta, & sacrificia. 26.
 §. 4. Gratiâ nō est formâ sacramentorum. 28.
 Dub. 4. Vtrum sacramentum dicatur vniuocæ de antiquis, & nouis? 29.
 §. 1. Opinio, quod vniuocatur. Ibi.
 §. 2. Solum analogice conueniunt: quamuis omnia sint vere, & proprie sacramenta. 30.
 Dubium 5. Vtrum sacramenta significant solum gratiam? 31.
 §. 1. Significat gratiam, & gloriam, & Christum. Ibi.
 §. 2. Est intrinsecum istis sacramentis. 33.
 §. 3. Qualiter conueniat omnibus? 34.
 §. 4. Principale significatū est gratia. Ibi.
 Dubium 6. Diffinitur sacramentum. 35.

Dubium 7. Vtrum sacramentum sit semper aliqua res sensibilis. 38.
 §. 1. Conclusio affirmatiua. Ibi.
 §. 2. Quid de possibili? 39.
 Dubium 8. Vtrum res sensibiles, quibus est vtendum in sacramentis, debeant esse determinatæ à Deo? 41.
 Dubium 9. Vtrū in significatione sacramentorum requirantur verba? 42.
 §. 1. De sacramentis antiquis. Ibi.
 §. 2. De sacramentis nouæ legis. 43.
 §. 3. An debeant excipi Pœnitentiâ, & Matrimonium? 44.
 §. 4. Vtrum Pœnitentiâ intrinsece constet rebus, & Eucharistiâ intrinsece constet verbis? 47.
 Dubium 10. Vtrum res in sacramentis habeant rationem materiæ, & verba rationem formæ? 49.
 §. 1. Conclusio affirmatiua, communis, & cæta. 50.
 §. 2. Vtrum sint de essentia sacramenti? 50.
 §. 3. Vtrum sit compositio physica vera, & propria? 52.
 §. 4. Vtrū verba solum sint formâ partialis? 56.
 §. 5. Vtrum formæ sacramentorum sint indiuilibiles? 57.
 Dubium 11. Quid in recto significet, & pro quo supponat sacramentum? 61.
 §. 1. Opinio, quod supponit pro toto composito.
 §. 2. Supponit absolute pro materia connotando formam. 63.
 §. 3. Significat compositum, & formam totalem. 64.
 Dubium 12. Vtrum in sacramentis requiratur determinata verba? 65.
 §. 1. Est de fide iure diuino esse determinata. Ibi.
 §. 2. Quam determinationem habeant? 66.

§. 3. Sunt verba consecratoria, & efficientia. 68.

Dubium 13. Vtrum Christus Dominus aliquorum sacramentorum materias, & formas Ecclesie determinandas reliquerit?

§. 1. Opinio affirmatiua refertur. Ibi.

§. 2. Prædictæ sententiæ refutatio ex M. Grana. 71.

§. 3. Partes essentielles sacramentorum non possunt ab Ecclesia variari. 74.

§. 4. Bene tamen partes substantialiter integrantes. 75.

§. 5. Miraculose possunt sacramenta variari: & dari eorum effectus sine illis. 77.

§. 6. Concordia Ecclesie Græcæ, & Latinæ in partibus essentialibus sacramenti Ordinis. 79.

Dubium 14. Vtrum liceat aliquid addere verbis, in quibus consistit forma sacramentorum? 81.

§. 1. Essentialis variatio impedit sacramentum; secus verò accidentalis. Ibi.

§. 2. Quando sit essentialis variatio? 82.

§. 3. De mutatione facta intentione introducendi nouum ritum? 83.

§. 4. De mutatione cum errore, dubio, vel opinione falsa. 85.

Dubium 15. Vtrum intentio ministri intret ad componendum intrinsece sacramentum? 86.

§. 1. Duæ nouellæ opiniones referuntur. Ibi.

§. 2. Probatür intentionem non esse partem intrinsecam sacramenti. 88.

§. 3. Argumenta soluntur, & retorquuntur. 90.

§. 4. Intentio non est intrinseca vnio partium sacramenti. 92.

Dubium 16. Vtrum in omnibus sacramentis sit sacramentum tantum, restantum; relique, & sacramentum simul. 92.

§. 1. Status dubitationis. Ibi.

§. 2. Ex D. Thoma. in omnibus assignatur res, & sacramentum simul. 94.

§. 3. Tres difficultates obijciuntur. 95.

§. 4. Probatür pacem, & consolationem internam non esse rem, & sacramentum Pœnitentiæ. 96.

§. 5. Pœnitentia interior res est, & sacramentum. 99.

§. 6. Aliæ difficultates soluntur. 100.



QVÆSTIO 61. de necessitate sacramentorum. 102.

Summa textus. Ibi.

Dubium 1. Vtrum sacramenta sint necessaria ad humanam salutem? 102.

§. 1. Sensus quaesiti; & rationes conclusionis. Ibi.

§. 2. De quo statu naturæ humanæ sit sermo? 104.

Dubium 2. Vtrum in statu innocentie fuerint homini necessaria sacramenta?

§. 1. Exponuntur diuersi sensus quaesiti. Ibi.

§. 2. De facto in statu innocentie nulla fuerunt Sacramenta. 108.

§. 3. Vtrum sacramenta conuenienter institui possint pro statu innocentie? 114.

§. 4. De statu innocentie Adamo non peccante. 119.

§. 5. Vtrum in statu innocentie futura essent sacrificia? 123.

Dubium 3. Vtrum in statu legis naturæ fuerint aliqua sacramenta? 125.

§. 1. Certa præmittuntur. 125.

§. 2. Opinio quod in lege naturæ sufficiebat interior actus fidei stabilitur. 127.

§. 3. Opinio quod fides non sufficeret, nisi applicaretur exteriori signo. 131.

§. 4. Iudicium de relatis opinionibus. 134.

§. 5. Quæ fides, & quorum requireretur in lege naturæ in remediū paruulorū. 136.

§. 6. De sacramentis pro adultis in lege naturæ. 138.

Dubium 4. Vtrum in lege scripta fuerint aliqua sacramenta? 142.

§. 1. Status dubitationis. Ibi.

§. 2. Fuerunt in veteri lege plura sacramenta. 143.

Dubium 5. Vtrum post Christum debuissent esse aliqua sacramenta? 146.

QVÆSTIO 62. De principali effectu sacramentorum, qui est gratia. 149.

Dubium primum. Vtrum sacramenta nouæ legis causent gratiam ex opere operato.

§. 1. Est de fide, quod sacramenta gratiam causant. Ibi.

§. 2. Causant ex opere operato. 152.

Dubium 2. qualiter sacramenta nouæ legis gratiam conferant? 155.

§. 1. Doctorum sententiæ. Ibi.

§. 2. Antiquorum quorundam sententiæ in veritate non saluant sacramenta vere causare gratiam. 158.

§. 3. Sacramenta nouæ legis non sunt proprie, & in rigore causæ morales gratiæ. 160.

§. 4. Sacramenta nouæ legis instrumentaliter physice causare, ex Patribus probatur. 167.

§. 5. De mente S. Thomæ circa causalitatem physice

physicam sacramentorum. 171.

§. 6. Ex dignitate sacramentorum nouæ legis probatur physice causare. 176.

§. 7. Non repugnat sacramenta esse physica instrumenta ad producendam gratiam. 179.

§. 8. Vtrum instrumentum possit agere indistans? 182.

§. 9. De sacramento præterito. 184.

§. 10. De actione præuia instrumenti. 188.

§. 11. De instrumento creationis, & de productione gratiæ. 191.

Dubium 3. Quādo sacramenta causent. 193.

§. 1. Ratiō dubitandi. Ibi.

§. 2. Doctorum sententiæ. 194.

§. 3. Solutio dubij. 197.

§. 4. Soluuntur argumenta. 203.

§. 5. Vtrum sacramentum in voto conferat gratiam ex opere operato? 208.

Dubium 4. Vtrum sacramenta indigeant Dei motione, vel qualitate supernaturali, seu virtute intrinseca gratiæ causatiua? 210.

§. 1. Quæ virtute eleuentur in actu primo? Ibi.

§. 2. Actualis eleuatio fit per virtutem intrinsecam. 216.

§. 3. Hæc virtus est motio virtuosa, quæ est qualitas transiens. 218.

§. 4. Est virtus essentialiter spiritualis. 222.

Dubium 5. Vtrum gratia sacramentalis aliquid addat supra gratiam virtutum, & doctorum? 224.

§. 1. Opinio, quod non addit aliquid intrinsecum. Ibi.

§. 2. Gratia sacramentalis addit gratiæ iustificanti nouam extensionem habitualiter permanentem. 225.

§. 3. Sententia affirmans est D. Thomæ, & vera. 227.

Dubium 6. Vtrum omnia sacramenta aliquando conferant primam gratiam? 231.

§. 1. Certa præmittuntur. Ibi.

§. 2. Vtrum omnibus sacramentis per se conueniat causare augmentum gratiæ? 232.

§. 3. Vtrum sacramenta viuorum secundum rationem genericam causent per se primam gratiam? 233.

§. 4. Præcipuo dubio respondetur. 236.

Dubium 7. Vtrum sacramenta veteris legis gratiam causarent? 240.

§. 1. Quorundam antiquorum sententiæ à D. Thoma impugnata. Ibi.

§. 2. Opinio negans in circumcissione datam gratiam iustificantem. 242.

§. 3. Opinio, quod in Circuncissione conferebatur gratia sanctificans. 245.

§. 4. Non sufficit recurrere ad institutionem secundariam, nec considerare Circuncissionem vt remedium legis naturæ. 248.

§. 5. Resolutio dubij. 252.



QVÆSTIO 63. De effectu sacramentorum, qui est character. 255.

Dubium primum. Vtrum sacramentum imprimat aliquem characterem in anima. Ibi.

§. 1. De fide est tria sacramenta imprimere characterem. Ibidem.

§. 2. Quamuis non sit expressa in Sacra Scriptura. 256.

§. 3. Expressum in Patribus ex Apostolorum traditione. 258.

§. 4. Ratio D. Thomæ exponitur. 260.

§. 5. Vtrum sacramenta antiqua impræsserint characterem? 263.

§. 6. Vtrum Inunctio Regum imprimat characterem? 264.

Dubium 2. Vtrum character sit spiritualis potestas? 265.

§. 1. Opiniones Doctorum. Ibi.

§. 2. Character est aliquid reale intrinsece inherens. 268.

§. 3. Character non est relatio, sed qualitas realiter a subiecto distincta. 270.

§. 4. Characterem non esse habitum, ratione D. Thomæ probatur. 273.

§. 5. Excluditur a tertia, & quarta specie qualitatis. 279.

§. 6. Character est spiritualis potestas, instrumentalis physica. 280.

§. 7. Argumenta soluntur. 283.

Dub. 3. Vtrum character sacramentalis sit character Christi? 290.

§. 1. Character est signum. Ibi.

§. 2. Specialiter, & proprie est signum Christi. Ibi.

§. 3. Vtrum sit signum naturale? 292.

§. 4. Characteris diffinitio. 293.

Dub. 4. Vtrum character sit in potentijs animæ sicut in subiecto? 294.

§. 1. Certa præmittuntur: & sententiæ referuntur. Ibi.

§. 2. Non est in essentia animæ immediate; neque in utraque potentia. 295.

§. 3. Sed in solo intellectu. 297.


Dub. 5. Vtrum character insit animæ indelebiter? 299.

Dub. 6. Vtrum per omnia sacramenta nouæ legis imprimatur character? 302.

§. 1. Duæ conclusiones certæ de fide. Ibi.

§. 2. Qualiter characteres distinguantur inter se? 304.

§.3. Vtrum detur prius character, quam gratia? 305.



QVÆSTIO 64. De causa sacramentorum. 308.

Summa Textus. Ibi.

Dubium primum. Vtrum solus Deus operetur interius ad effectum sacramenti? Ibi-dem.

§.1. Duæ conclusiones certæ secundum fidem. Ibi.

§.2. Qualiter ministri causent sacramenti effectum? 309.

§.3. Vtrum sit par ratio de omnibus ministris? 312.

§.4. Vtrum bonitas ministri conducatur ad meliorem effectum sacramenti? 314.

Dubium secundum. Vtrum sacramenta sint solum ex institutione diuina? 315.

§.1. Solus Deus principalis sacramentorum institutor. Ibi.

§.2. Et Christus in quantum Deus. 316.

§.3. Christus, in quantum homo, etiam sacramentorum institutor. 317.

§.4. Vtrum sit de fide, quod Christus immediate instituit omnia septem sacramenta?

Dubium 3. Vtrum Christus potestatem suam, quam habuit in sacramentis, potuerit ministris communicare? 322.

§.1. Varij modi defendendi partem negantem. Ibi.

§.2. Non omnis Christi potestas potuit ministris communicari. 323.

§.3. Potestas excellentiæ essentialiter potuit communicari creaturis. 325.

§.4. Purus homo potuit instituere sacramenta. 328.

Dubium 4. Vtrum per malos ministros sacramenta conferri possint? 330.

§.1. Existens in peccato mortali validum potest conferre sacramentum? Ibi.

§.2. Vtrum ministri consecrati peccent ministrando sacramenta, cum sunt in peccato mortali? 333.

§.3. Ex Sacra Scriptura, ex Iure Canonico, & ex Patribus Ecclesiæ probatur. 334.

§.4. Rationibus stabilitur sanctitatem ministri exigi administrandum debite. 339.

§.5. Tribus difficultatibus respondetur. 340.

§.6. Vtrum sit eadem ratio de ministris non consecratis? 341.

§.7. De alijs sacris actionibus. 345.

Dub. 5. Vtrum sit licitum recipere, aut petere sacramenta à malis ministris? 349.

§.1. Licet recipere à toleratis; secus vero à non toleratis. Ibi.

§.2. Quæ conditiones exigantur ut liceat à ministris malis toleratis sacramenta petere? 351.

Dubium 6. Vtrum Angeli possint sacramenta ministrare? 353.

§.1. Tres conclusiones ex D. Thoma. Ibi.

§.2. Vtrum de facto Angeli ministrauerint sacramenta? 355.

§.3. Vtrum Beati ex vi presentis institutionis possint sacramenta ministrare? 359.

Dubium 7. Vtrum intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti? 361.

§.1. Doctorum sententia. Ibi.

§.2. De fide est ad valorem sacramenti exigi intentionem ministri. 363.

§.3. Est mediate de fide exigenda intentionem internam. 365.

§.4. Argumenta soluuntur. 368.

§.5. De puero baptizante, & de Baptismo S. Genesij. 371.

§.6. De mente D. Thomæ; an requiratur mentalis intentio ministri ad valorem sacramenti? 374.

§.7. Vtrum Deus suppleat defectum intentionis. 376.

Dub. 8. De obiecto, & qualitate intentionis. 377.

§.1. Quid sit intendere facere, quod Ecclesiæ? 377.

§.2. Vtrum sufficiat virtualis intentio; & quando sit talis? 380.

§.3. Vtrum error circa personam irritet sacramentum defectu intentionis? 386.

Dubium 9. Vtrum fides ministri sit de necessitate sacramenti? 390.



QVÆSTIO 65. De numero Sacramentorum. 393.

Dubium primum. Vtrum sacramenta Ecclesiæ sint tantum septem? Ibi.

§.1. De fide est esse septem. Ibi-dem.

§.2. De fide est non esse plura. 396.

Dubium secundum. Vtrum sacramenta conuenienter ordinentur secundum ordinem prædictum? 398.

Dubium 3. De comparatione sacramentorum in perfectione. 400.

§.1. Eucharistia excellentissimum Sacramentorum, etiam in conferendo gratiam. Ibi.


§.2. Sex sacramenta comparantur in perfectione. 402.

§.3. Comparantur sex sacramenta in efficiëntia gratiæ. 403.

Dubium 4. Vtrum omnia sacramenta sint de necessitate salutis. 406.

Dubium

Dubium vltimum. De sacramentalibus. 407.



TRACTATVS Secundus De Baptismo.

QVÆSTIO 66. De pertinentibus ad sacramentum Baptismi. 409.

Dubium Primum, quid sit Baptismus? 410.

§.1. Cur Baptismus diffiniatur, non per aquam, sed per abluionem? Ibi.

§.2. Vtrum supponat pro abluione. 411.

§.3. Vtrum ablutio sit actio, vel passio, vel utrumque? 412.

§.4. De alijs diffinitionibus. 413.

Dubium 2. Quando Baptismus fuerit institutus? 414.

§.1. Fuit institutus ante Passionem. Ibi.

§.2. Quando Christus fuit baptizatus. 417.

§.3. Quando fuit præceptum Baptismi? 420.

Dubium 3. De materia Baptismi. 420.

§.1. De fide est requiri veram aquam. Ibi.

§.2. Vtrum requiratur aqua simplex? 422.

§.3. Applicatur doctrina ad casus speciales. 423.

Dubium 4. De forma sacramenti Baptismi. 427.

§.1. Contra errores hæreticorum veritas catholica stabilitur. Ibi.

§.2. De forma Baptismi Græcorum. 429.

§.3. De expressione ministri. 431.

§.4. De actu baptizandi an exprimi debeat in forma? 433.

§.5. De persona, quæ baptizatur. 435.

§.6. De inuocatione trium personarum. 436.

Dubium 5. Vtrum in nomine Christi possit dari Baptismus? 441.

§.1. Refertur sententia affirmans. Ibi.

§.2. Non est Baptismus, dicendo, *In nomine Trinitatis*. 442.

§.3. Modo non valet Baptismus in nomine Christi. 444.

§.4. Probabile est, quod numquam fuit validum. 445.

§.5. Validum fuit ex Dei dispensatione, & reuelatione speciali. 447.

§.6. Argumenta soluuntur. 448.

Dubium 6. Vtrum in casu necessitatis valeat Baptismus sine verbis. 450.

§.4. Vtrum sufficiat ablutio cuiuscumque minime partis. 456.

§.5. Vtrum immediate debeat caro abluere? 458.

Dubium 8. Vtrum Baptismus possit iterari? 460.

§.1. De fide est iterari non posse. Ibi.

§.2. Rationes D. Thomæ defenduntur. 462.

§.3. Qua ratione Baptismus sub conditione iterari possit? 464.

§.4. Qua ratione possit cognosci dubium? 468.

§.5. Vtrum baptizati in casu necessitatis à laicis, sint denuo baptizandi? 469.

§.6. De infantibus expolis. 471.

§.7. De Baptismo ab Infidelibus dato, an debeat iterari? 475.

Dubium 9. De Irregularitate in poenam re baptizantium. 476.

§.1. Cetera præmittuntur. Ibi.

§.2. Vtrum rebaptizatio debeat esse solemnis. Ibi-dem.

§.3. Vtrum debeat esse peccatum ut incurratur poena Irregularitatis? 477.

Dubium 10. Vtrum ritus, quo Ecclesia in baptizando vtitur, sit conueniens? 481.

§.1. Cæremoniæ utilitas. Ibi.

§.2. De tempore, & loco Baptismi. 483.

§.3. De solemnitatibus repetendis. 485.

§.4. De vactionibus, & veste candida. 486.

Dubium 11. De distinctione trium Baptismatum, & eorum comparatione. 488.

§.1. Distinguuntur tria Baptismata, cum sacramentum sit vnum. Ibi.

§.2. Baptismus sanguinis est excellentissimus. 490.

Dubium 12. Qua ratione Martyrium suppleat vicem Baptismi aquæ?

§.1. Martyrium supplet vicem Baptismi. 491.

§.2. Opinio, quod solum supplet in quantum est actus Charitatis. 492.

§.3. Supplet ex opere operato, & ex privilegio ut est realis imitatio passionis Christi. 494.

§.4. Diuersimodi explicandi nostram sententiam examinantur. 496.

§.5. Vtrum sine attritione mors pro Christo sufficiat ad salutem animæ? 498.

§.6. Quando detur gratia Martyrii? 500.

§.7. De infantibus pro Christo occisis. 504.

§.8. Argumenta soluuntur. 507.

QVÆSTIO 67. De ministris, per quos traditur Baptismi Sacramentum. 509.

Dubium

Dubium primum, Vtrum baptizare solemniter pertineat solum ad officium Presbyterorum? Ibi.

§. 1. De Diacono, & alijs Clericis. Ibidem.

§. 2. De Poena Irregularitatis. 511.

§. 3. De Sacerdotibus, & Monachis. 512.

§. 4. De ministro in casu necessitatis. 515.

§. 5. Quæ culpa sit ordinem mutare? 517.

§. 6. Vtrum non baptizatus possit baptizare? 518.

Dubium 2. Vtrum plures possint vnum baptizare? 520.

§. 1. Vtrum valeat Baptismus cum vnus abluat, & alter verba profert? Ibi.

§. 2. Vtrum cum plures vnum simul baptizant, sit ratum vnus numero Baptismus? 524.

§. 3. De Baptismo sub illa forma, *Nos te baptizamus.* 527.

§. 4. Vtrum vnus possit baptizare plures? 530.

Dubium 3. Vtrum in Baptismo requiratur aliquis, qui baptizatum leuet de sacro fonte? 531.

§. 1. Requiritur in Baptismo solemniter Patrius, qui in casu necessitatis, puerum instruat. Ibi.

§. 2. Quinam possint esse patres in Baptismo? 532.

QVÆSTIO 68. De suscipientibus Baptismum. 536.

Dubium primum, De necessitate suscipiendi Baptismum. Ibi.

Dubium 2. Vtrum sine Baptismo aliquis possit saluari? 539.

§. 1. Vtrum paruuli sine Baptismo re ipsa suscepto saluari possint? Ibi.

§. 2. Vtrum ex privilegio, & miraculo, possint paruuli sine Baptismo saluari? 543.

§. 3. Soluuntur Caietani argumenta. 545.

§. 4. Vtrum adulti possint sine Baptismo saluari? 548.

§. 5. Quale debeat esse votum Baptismi? 550.

Dubium 3. De Præcepto Baptismi. 552.

§. 1. Quam certum sit dari diuinum præceptum de susceptione Baptismi? Ibi.

§. 2. Quando obliget adultos? 553.

§. 3. Qualiter Ecclesia diuinum præceptum potuerit determinare? 556.

§. 4. De præcepto baptizandi paruulos. 558.

Dubium 4. Vtrum peccatores sint baptizandi? 560.

§. 1. Expositio articuli quarti. Ibi.

§. 2. Vtrum peccatoribus baptizatis sint im-

ponenda opera satisfactoria? 561.

§. 3. Vtrum peccatores ad Baptismum accedentes teneantur sua peccata confiteri? 563.

Dubium 5. De dispositione, quæ requiritur in adulto ad suscipiendum Baptismum. 565.

§. 1. Vtrum ex parte baptizati requiratur intentio? Ibi.

§. 2. Vtrum fides requiratur ex parte baptizati? 570.

§. 3. Vtrum ex parte baptizati requiratur contritio? Doctorum sententiæ. 571.

§. 4. Sufficit, & requiritur contritio supernaturalis, vt adultus iustificetur in Baptismo. 574.

Dubium 6. Vtrum pueri sint baptizandi? 579.

§. 1. Errores Hæreticorum. Ibi.

§. 2. Doctrina Catholica. 580.

§. 3. Expediit infantes baptizare, qui postea sunt cogendi ad seruandam fidem. 581.

Dubium 7. Vtrum pueri Iudeorum, vel aliorum infidelium sint inuitis parentibus baptizandi? 583.

§. 1. Certa præmittuntur. Ibi.

§. 2. Sententia affirmans. 585.

§. 3. Vera, & communis sententia rationibus D. Thomæ probatur. 586.

§. 4. Exceptiones communis doctrinæ. 588.

§. 5. Quando pueri habeant usum rationis? 589.

§. 6. De filijs infidelium seruorum, seu mancipiorum, an inuitis parentibus possint baptizari? 591.

Dubium 8. Vtrum aliqui sint incapaces Baptismi? 594.

§. 1. Qualiter monstrum debeat baptizari? Ibi.

§. 2. Vtrum ante natiuitatem aliquando valeat Baptismus? 595.

§. 3. De furiosis, amentibus, & dormientibus. 596.

QVÆSTIO 69. De effectibus Baptismi. 598.

Dubium 1. De effectibus Baptismi quantum ad remotionem malorum. Ibi.

§. 1. Hæreticorum errores. Ibidem.

§. 2. Doctrina Catholica. 599.

§. 3. Cur per Baptismum non auferantur peccata vitæ præsentis? 602.

Dubium 2. Vtrum per Baptismum conferatur homini gratia, & virtutes? 603.

§. 1. Quatuor assertiones certæ. Ibi.

§. 2. Duabus difficultatibus satisficit. 605.

Dubium 3. Vtrum Baptismus habeat in omnibus æqualem effectum? 606.

§. 1. Resolutio ex D. Thomæ. Ibi.

§. 2. Vtrum ex sola inæquali dispositione detur inæqualis gratia in Baptismo? 607.

§. 3. De quantitate gratiæ Baptismi. 609.

Dubium 4. Vtrum fictione recedente, Baptismus suum effectum consequatur? 611.

§. 1. Fictio impedit effectum Baptismi. Ibi.

§. 2. Ea ablata, dare suum effectum, probatur authoritate. Ibidem.

§. 3. Et duplici ratione D. Tho. 614.

§. 4. De gradu, & inæqualitate gratiæ, quæ confertur. 616.

Dubium quintum: Quæ peccata deleantur per Baptismum recedente fictione? 618.

§. 1. De remissione venialium. Ibi.

§. 2. De peccatis post Baptismum commissis. 620.

§. 3. De peccato fictionis, & de alijs, quæ sunt simul cum Baptismo. 621.

§. 4. Quæ dispositio requiratur vt Baptismus sicte susceptus habeat suum effectum? 622.

Dubium 6. Vtrum sit proprium Baptismi, quod conferat suum effectum recedente fictione; an vero id omnibus competat sacramentis nouæ legis? 623.

§. 1. Opinio id solum tribuens Baptismo. Ibi.

§. 2. Opiniones extendentes ad alia sacramenta. 624.

§. 3. Id conuenit omnibus excepto Eucharistia. 625.

QVÆSTIO 70. De Circumcisione, quæ præcessit Baptismum. 626.

§. 1. Notationes circa litteram. Ibi.

§. 2. Vtrum nunc liceat Circumcisio simul cum Baptismo? 627.

§. 3. De remedio pro foemina tempore Circumcisionis. 628.

QVÆSTIO 71. De Præparatorijs, quæ si mul concurrunt cum Baptismo? 629.

Dub. 1. De Catechismo. Ibi.

Dub. 2. De Exorcismis. 630.

Dub. 3. Vtrum ea, quæ aguntur in Exorcismo, aliquid efficiant? 631.

QVÆSTIO 72. De Sacramento Confirmationis. 634.

Dub. 1. Vtrum Confirmatio sit sacramentum? 635.

§. 1. De fide est Confirmationem esse sacramentum. Ibi.

§. 2. Vtrum id habeatur ex Sacra Scriptura? 636.

§. 3. Congruentiæ institutionis. 637.

§. 4. A quo, & quando fuerit institutum sacramentum Confirmationis? 638.

Dub. 2. De materia sacramenti Confirmationis. 641.

§. 1. Christa est materia Confirmationis. Ibi.

§. 2. Vtrum admixtio Balsami sit de essentia? 644.

§. 3. Quatuor rationes pro opinione probabiliore. 646.

§. 4. Soluuntur argumenta. 648.

Dub. 3. Vtrum sit de necessitate huius sacramenti, quod Christa fuerit prius per Episcopum consecratum? 650.

§. 1. Certum est consecrationem materiæ esse de necessitate sacramenti. Ibi.

§. 2. Ratio D. Thomæ. 651.

§. 3. Vtrum Papa possit tollere, vel variare benedictionem Confirmationis? 653.

§. 4. Vtrum solus Episcopus valeat Christa benedicere? 654.

Dub. 4. De vnctione, quæ est materia proxima confirmationis. 658.

§. 1. Est materia essentialis vnctio in forma. Ibi.

§. 2. Et quod fiat in fronte. 659.

§. 3. Debet fieri pollice Confirmantis. 660.

§. 4. Vtrum aliam manû impositionem distinctam ab vnctione essentialiter requiratur? 661.

§. 5. Sententia D. Thomæ communis, & veritas. 664.

Dub. 5. De forma sacramenti Confirmationis. 667.

§. 1. Opinio quod forma Neotheticorum Graecorum est sufficiens. Ibi.

§. 2. Communis sententia præfertur. 669.

§. 3. Vtrum omnia verba, quibus vtitur Ecclesia Romana, sint de essentia formæ? 672.

§. 4. In speciali exponitur quæ verba sint essentialia? 674.

Dub. 6. Vtrum sacramentum Confirmationis imprimat characterem? 677.

§. 1. De characteris indelebili. Ibi.

§. 2. Duabus difficultatibus respondetur. 679.

§. 3. Vtrum non baptizatus sit capax Confirmationis. 680.

§. 4. Vtrum non baptizatus sit capax effectus confirmationis? 683.


Dub. 7. Vtrum per sacramentum Confirmationis conferatur gratia gratum faciens? 686.

§. 1. De gratia sanctificante. Ibi.
 §. 2. De gratia Sacramentali. 687.
 Dub. 3. De diffinitionibus, & varijs nominibus sacramenti Confirmationis. 689.
 Dub. 9. Vtrum hoc sacramentum sit omnibus exhibendum. 690.
 §. 1. Omnes baptizati sunt capaces confirmationis. Ibi.
 §. 2. Vtrum sit præceptum recipiendi hoc sacramentum? 692.
 §. 3. Vtrum expediat, quod omnibus conferatur. 693.
 Dub. 10. Vtrum ille, qui confirmatur debeat teneri ab aliquo? 697.
 Dub. 11. Vtrum solus Episcopus hoc sacramentum conferre possit? 699.
 §. 1. Sententia Doctorum. Ibi.

§. 2. Solus Episcopus est minister Confirmationis ordinarius, & aliter nõ valet sacramentum. 701.
 §. 3. Ex commissione Papæ simplex Sacerdos licitè confirmat. 705.
 §. 4. Nec Papa Diacono; nec Episcopus Presbytero, potest committere vt validè confirmet. 707.
 §. 5. An Presbyteri Græci validè confirmet? 709.
 §. 6. Vtrum Religiosi in Indijs possint confirmare? 711.
 §. 7. Quid requiratur vt Episcopi licitè ministrent Confirmationem? 712.
 Dubium 12. Vtrum ritus huius sacramenti sit conueniens? 712.



DE SACRAMEN



DE SACRAMEN- TIS IN GENERE.

DUBITATIONES SCHOLASTICAE, ET MORALES:

Super Tertiam Partem Summæ Theologiæ S. Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici, à Quæstione sexagesima.

AVTHORE R. P. M. Fr. IOANNE MARTINEZ de Prado, Ordinis Prædicatorum.

P R O O E M I V M.

I OST Sacrosanctum Incarnationis Verbi Divini Mysterium, in quo vt ipse Dominus admonet Ioannis 3. ver. 16. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum unigenitum daret: inter innumera, & ineffabilia dona, quæ Deus per Christum humano generi contulit, præcipuum obtinent locum septem ab ipso Christo Domino immediate instituta Sacramenta. Ista enim sunt septem columnæ, quas Divina Sapiëntia incarnata excidit, vt super eas domum Ecclesiæ ædificaret, vt significat S. August. lib. 17. de Civitate Dei cap. 20. Sunt etiam vberissimi gratiæ fontes, quos Christus fons vitæ in Ecclesia perennes esse voluit, vt Christiani ex eis aquam vitæ haurirent: & sic implevit, quod promiserat Isaiæ 12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus salutatis. Nõ de fontibus fluminis Ægypti (vt ibi rectè S. Hieronymus) sed de fontibus Iesu, qui in Euangelio clamabat, qui sitit, veniat ad me, & flumina de ventre eius exibunt.

2 Sunt denique Sacramenta, vt docet Angelicus Doctor in Prologo libri 4. Sententia-

rum, ad Anibaldum, quæ ad diuinæ Incarnationis reliquias, de quibus Psal. 20. dicitur: In reliquijs tuis preparabis vultum eorum. Vnde dicitur Ecclesiast. 43. vers. 15. Propterea aperti sunt thesauri, & euolauerunt nebule sicut aues: latere enim Christi, in cruce pendens, aperto; in quo sunt omnes thesauri sapiëntiæ, & sciëntiæ absconditi, vt dicitur ad Colosenses 2. vers. 3. perfluxerunt Sacramenta, quibus Ecclesia constituitur, & per quæ in Cælum euolatur.

3 Ex quibus D. Thomæ verbis accipi potest ratio ordinis huius tractatus ad antecedentes, & subsequentes. Egit enim hucusque S. Thomas in tertia parte suæ Summæ Theologiæ à q. 1. de Verbi Dei Incarnatione, & de perfectionibus, & operationibus, de vita, & morte, & de Resurrectione, & Ascensione, & de iudicaria potestate Christi Domini nunc, & in æternum sedentis ad dexteram Dei Patris in excelsis, vnde iam conuenienter tractare incipit de reliquijs passionis eius, quæ pro salute degentium in Ecclesia militante, quasi vltima voluntate legauit, & reliquit. Et hæc sunt septem Ecclesiæ sacramenta ab ipso Verbo incarnato immediate instituta: in quibus Chri-

A stus

stus ipse, & valor operationū ipsius, & infinitum pretium sanguinis eius pro nobis effusi continetur, ut thesaurus pretiosus, infinitus, & inextinguibilis populi Christiani. Vnde S. Augustinus tom. 2. Epist. 118. cap. 1. quæ est ad Ianuarium, recte ait: *Christus Dominus sacramentis numero paucissimis, obseruatione facillimis, significatione prestantissimis, societatem noui populi colligauit*: videlicet Ecclesiam Christianam militantem, ut per hæc media, & instrumenta fideles dignificentur Christi promissionibus, quibus perueniunt ad Ecclesiam, quæ in Cælo est regnans. Idcirco tractatus de Sacramentis in genere, & in specie, recte sublequitur tractatus de Incarnatione, & de vita Christi, & præcedit vltimum, quem promittit S. Thomas initio huius Tertiæ Partis, videlicet, de fine immortalis vitæ, seu de nouissimis (quem morte felicissima præuictus non adiuuit) qui tractatus ex libris Sententiarum formatus habetur in Additionibus, seu Supplemento Tertiæ Partis. Et hunc doctrinæ ordinem ipse S. Tho. assignat initio huius quæstionis dicens. *Post considerationem eorum, quæ pertinent ad mysteria Verbi incarnati, considerandum est de Ecclesie Sacramentis, quæ ab ipso Verbo incarnato officium habent.*

4. Habetur etiam ex præmissa consideratione S. Thomæ, horum tractatum dignitas, & necessitas: Dignitas ex dignitate infinita languis Christi, cuius virtus in Sacramentis quasi in vasis comunicatur, satis elucet: Vnde Matæ 22. ver. 24. dicitur: *Et suspendet super eum omnem gloriam domus patris eius, visorum diuersa genera.* Quæ verba de Sacramentis exponit S. Tho. ad Hebræos 1. lec. 4. ad illa verba Apolloli: *Oleo exultationis, &c.* Necessitas satis euidens apparet: quia digna prouidentia statuit nemini conferre gratiam sine sacramentis in re, vel in voto susceptis. Ideoque dicitur in Concilio Tridentino ses. 7. in Decreto de Sacramentis, quod *per illa omnis vera iustitia, vel incipit, vel cepta augetur, vel amissa reparatur.* Vnde ad gratias pro tantis beneficijs, hæc maao generi contatis, Saluatori, & Redemptori nostro reddendas; & ad vitam nostram recte instituendam, & ad vitam proximorum in salutem dirigendam, valde necessaria est Sacramentorum consideratio. De quibus primis quinque quæstionibus disputat Sanctus Thomas in communi, seu in genere, ut postea de vnoquoque sacramentorum facilius sit consideratio in speciali.

5. Quamuis autem duobus tomis iam editis noua Theologiæ Moralis (qui correspondent Primæ Secundæ, & Secundæ Secundæ

S. Tho.) præcipue curauerim seligere quæstiones morales; & de scholasticis non tractauerim, nisi eas, sine quibus aliæ non valebāt recte determinari, ut sic magis profectui legentium deseruirem. Nunc eundem intendens finem, media placet variare, & simul dubitationes scholasticas, & morales ex professo disputare intendo. Tum quia in his tractatibus vix valent scholastica à moralibus separari, ut ex materia circa quæ, & ex praxi Doctorum constat. Tum quia cum non scribam summam, & compendio, & nudas conclusiones proponendo autoritate sola Doctorum firmatas; sed curem ratione corroborare, & contrariam diluere, hoc ipsum est scholasticè pertractare, quamuis materia moralis sit. Denique hæc viam aggredior: quia in eam coegerunt instantia vota discipulorum nostri Ordinis, & florentissimæ Complutensis scholæ, in cuius disputationibus publicis sic materia ista pertractantur, & è suggestu & Cathedra leguntur.

Conuenienter autem post quæstiones de Iustitia, tractatus de Sacramentis à nobis editur, quia (ut in proœmio libri quarti Sententiarum notat Soto, eandem scribendi rationem sequens) *sunt huiusmodi materiae adeo, tum germanæ, tum præcipue moribus populi componendis, informandis que accommodæ, ac perinde tam iuriconsultis, quam Theologis scitu, necessariae, ut non possint inter se diuidi, nec recte prætermitti ab eo, qui vtilia potius, quam subtilia vult docere.* Quamuis sacramentorum scholasticæ disputationes non minus sint vtilis quam iustitias. Quod si prolixæ videantur alicui, meminerit quod Sanctus Augustinus epist. 23. refert *Nebrium amicum suum, qui cum esset rerum obscurarum ad doctrinam pietatis maxime pertinentium diligentissimus, & accuratissimus inquisitor, valde oderat de quæstione magna responsionem breuem.*

6. Nolem autem (ut verbis vtar M. Cano, alibi ex parte insinuat, ex proœmio Relectionis de Sacramentis) viri grauissimi, no uas, à me res aliquas, de rebus antiquissimis disputaturo, hodierna die expectaretis. Nā & vbi que gentium fugienda Theologo doctrinæ nouitas, quæ cū semper periculosa est, tum fere, ut vetustati, ita quoque veritati contraria; & quam nunc disputationem de sacramentis instituiimus, maiori ex parte veterū traditione constat: & in hoc celeberrimo toto terrarum orbe gymnasio illud magno opere conandū est, ne nouitijs opinionibus, aut Theologiæ dignitas, aut maiorum auctoritas minuatur. Quo circa si in earum rerum assertionem, quas hic sum explicaturus, quorū

Gam

dam forte iuniorum placita refellero, idque suppressis etiam, tacitisque nominibus (vel etiam expressis propter rationem assignatā in proœmio priami tom. n. 7.) quæso ne arrogantia tribuat; quin potius existimate sedulo me in id incumbere, ut ne scholastica dogmata noua esse videantur, sed antiqua; & nostræ Religionis Authorum ingenio, atque eruditione commendata. Hæc ille, & ego.

7. Qui & cum M. Soto in Proœmio libri 4. Sententiarum finem huic Prologo impono: *Deus ergo Optimus Maximus, in quem vniuersæ cogitationum nostrarum iactamus*, ea nobis suggerat, quæ & à me, & ad Theologos, & de hac diuina Sapientia pro rei dignitate dicantur: nempe ut inter tam multos huius rei Authores, atque interpretes, labor noster non sit supervacaneus: ac subinde molestus potius onus, quam vtilis fructus. Quo vti que malo postquam chælographorum vltus percerebit, scientiarum omnium scholæ plurimum laborat (iam centum ab hinc annis scholæ prælis premi, & inde prælia noua concitari, & multitudinem librorum ad discerere præpediri, pij, & docti gemebat, & nos grauiora mala passi, non gemimus, sed gaudemus, & pro librorum multitudinem non nullos videmus vanegloriari, curates potius plurima, quæ vera; & vtilia scribere.) Nihil per hoc probatis Authoribus detrahi ibi subiungit Soto. Et infra prosequitur. Si vero aut quæ apud graues Authores suboleura extant, elucidando; siue quæ alij minoris notæ cōmōti sunt, rescendo, siue aliqua pro captu nostro adhibendo, locupletando, amplificando, & in ordinem dirigendo, quidplani emolumentum in gazophiliacium Domini mea diligentia, & labor improbus contulerit; ipsi luminis fonti, cuius Ecclesiæ cœnstruere asserta nostra submittimus, acceptum referatur. In cuius prouide laudē, & gloriam totum conferendum est.

QUAESTIO SEXAGESIMA De Sacramentis.

§. I.

Summa Textus.

Angelici Doctoris, nedum doctrinam, sed & doctrinæ ordinem per quæstiones, & articulos imitari cupientes, libenter textum, ut iacet in D. Thoma, imprimendum curarem, ut nostris cōmentarijs possemus exornare, & ut discipuli ad manū litterarū, & textū D. Th. haberent. Sed postquā D. Tho. opera in tanta sunt nobis copia impressa in te, & in suis Ex

positoribus, non apparet textus noua editio necessaria. Et quia plurimi articuli adeo clare, & manifeste a D. Tho. formantur, ut nostro non indigeant cōmentario, nec paraphrastica enarratione; ideo ut breuitati, & legentium profectui cōsulā, initio quæstionum solā summam cōclusionum singulorum articulorum breuissime referam: nam si quid in illis longiori indiget explanatione, in dubitationibus, quæstioni annexis, elucidabitur.

2. Quamuis quæstio de necessitate videatur pertinere ad quæstionem an est, & ideo præcedere quæstionem de rei diffinitione, & quid dicitur; tamē quia necessitas sacramentorum non poterat exacte intelligi, non agnita diffinitione sacramenti; ideo in hac prima quæstione intedit S. T. exponere quid sit sacramentum. Quia ut ait Cicero i. Officiorum: *Omnis, quæ oratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à diffinitione proficisci, ut intelligatur quid est, quod dicitur*. Cui octo respondet articulis.

3. In primo ut perspicuum statuit sacramenta, prout nunc de eis loquimur, poni in genere ligni: Addit in secundo, quod sacramentum est signum rei sacræ, in quantum est sanctificans homines: Subiungit in tertio, quod sacramentum est, & signum rememorationis eius; quod præcelsit, scilicet, passionis Christi, & demōstrationium eius, quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet, gratiæ; & prognosticum, id est, prænunciatum futuræ gloriæ.

4. Docet deinde art. 4. quod ad sacramenta requiruntur res sensibiles; ex diuina tamē institutione determinatæ; ut exponit in 5. Addit in 6. quod ad perfectionem significationis sacramentalis; necesse fuit, ut significatio rerum sensibilibus per aliqua verba determinaretur: Vnde requiritur in sacramentis determinata forma verborum, ut probat art. 7. Ideoque concludit art. 8. quod si diminuatur aliquid eorum, quæ sunt de substantia significationis formæ, non perficitur sacramentum. Similiter si addatur aliquid corruptiuum debiti sensus, tollitur veritas sacramenti. Secus vero si est mutatio, vel additio, quæ non auferat debitum sensum.

§. II.

Diffinitio quid nominis,

5. Antequam ad difficultates de re ipsa insurgentes perueniamus, oportet ut ipsius vocis notionem, & originem præmittamus. Origo vocis, & etimologia notissima est: dicitur enim à *iacro*. Sed significationes diuersæ sunt; & aliæ vsitate apud Gentiles Latinos; aliæ frequentes apud sacros Scriptores; & aliæ iam frequentes in vsu Patrū, & Cōciliorū, & Theologorū. Apud Priscos Latinos,

quædam pecunia deposita in loco sacro dicebatur sacramentum: ut constat ex Varrone lib. 4. de lingua latina, & ex Cicer. de Orat. & orat. Pro Mil. Secundo Sacramentum dicitur quidquid iurandi sacratione interposita geritur. Hinc dicit. Festus dici sacramentum militare, quo milites in verba Imperatoris sui iurabant. Vnde Vegetius li. 2. de re militari. Milites iurare solent; & ideo militiæ sacramenta dicuntur. Sacramento rogari, est iure iurando adigi: iuxta Quintil. lib. 12. c. 2. Et in hoc sensu dixit Horat. ode 1. lib. 2. *Se non perfidum dixisse sacramentum*, id est per iurum non fuisse.

6. Hæc secunda significatio frequentissima est apud Iuriscoñsultos, ut l. 2. C. *Si aduersus venditionem*, dicitur. *Sacramenta puberum spore facta*, & c. *inviolabiliter custodiuntur*. In iure etiã Canonico est frequens illius vsus, ut cap. *Qui sacramentis* 22. q. 4. & cap. *Paruuli* q. 5. Sicque accepit S. Cyprianus epist. 9. ad martyres, & confesores n. 2. libi. *Quam Dei oculis sacramentis, & militis eius donatione acceptum*. Ratione que nominis assignat S. Thomas art. 1. ad 3. dicens, quod etiam iuramentum habet quãdam habitudinem ad res sacras, in quantum scilicet est quædam contestatio facta per aliquid sacrum. Et secundum hoc dicitur iuramentum esse sacramentum: non eadem ratione, qua nunc loquimur de sacramentis. Non tamen æquiuoce, sumpto nomine sacramenti, sed analogice, scilicet, secundum diuersam habitudinem ad aliquid vnum, quod est res sacra. Eodem modo accipit vocem S. Hieronimus epist. 1. ad Heliodorum. Et Tertul. de corona mil. cap. 11.

7 Tertio in Sacra Scriptura sacramentum frequentissime accipitur pro mysterio: vnde omnia illa, quæ significantur voce *mysterium*, etiã significantur voce *Sacramentum*: & quia mysterium significat rem secretã, & signum rei secretæ, & rem sacratam, & initiantem; ideo hæc omnia significantur voce sacramentum, ut notat Laurentius Beyerlinch in Theatro vitæ humanæ to. 7. verbo *Sacramentum* fol. 16. Ideoq; aduertit Soto in 4. dist. 1. q. 1. ar. 1. §. *ad cuius vtrique*, quod sacramentum significat idẽ quod sacrum mysterium, in quo latet sanctitas. Quæ quidem vsurpatio celeberrima est in sacris Biblijs: non sic autem apud Cicer. alioque id genus prisconũ latinis: nã Tob. 12. vbi Græcè habetur: Mysterium Regis abscondere bonum est: in Vulgata latina habetur: Sacramentum Regis abscondere bonum est. Et ad Ephes. 1. Græcè est: *Ut natus faceret mysterium voluntatis sue*, & uolter Interpres traduxit: *Sacramentum*. Et ad Ephes. 5. *Qua sit dispensatio sa-*

cramenti absconditi. Et vtraque vox habetur simul ad Ephes. 3. illis verbis. *Secundum reuelationem notum factum mihi est sacramentum, sicut supra scripsi in breui, prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi*. Et Sap. 2. & Apoc. 1. & 17. similia habentur. S. etiã Dion. c. 1. Eccles. hier. docet, quod profanæ multitudini fas non est, vel ipsa mysteriorum signa contingere.

8 Hinc quarto Patres, Concilia, & Theologi accipiunt sacramentum pro ipso signo rei sacre. Vnde S. Aug. lib. 10. de Ciui. Dei c. 15. adductus à D. Th. ar. 1. ait. *Sacramentum visibile inuisibile sacrificij sacramentum, id est sacrum signum est*. Et sic nunc loquimur de sacramentis. Quo sensu vocẽ accipiunt S. Aug. epist. 118. c. 1. & 3. & lib. 1. de doct. chris. c. 19. & S. Cypri. ser. de ablutione pedum, & ser. de Baptismo, & libro 3. epist. 3. nunc epist. 43. col. 7. & epist. 72. & 76. Et S. Hier. Dial. contra Luciferianos, & Ezeq. 44. Itẽ Summi Potestates Victor Epist. 2. Anast. 2. in epist. ad Anast. Imperatorẽ c. 8. & Nicolaus primus in suis rescriptis tit. 1. c. 5. & Innocentius 3. & omnes alij subsequentes. Deinde frequentissimus eius vsus est in Concilijs, præcipue in Lateranensi, Constantinensi, & Florentino, & Tridẽtino. Et demum in scholis Theologorum, & in ipsa instructione doctrinæ Christianæ omnium Catholicorum,

9 Sed Lutherus, & alij multi hæretici, apud Bellarm. to. 3. lib. 1. de sacram. c. 7. opponunt Catholicis, quod cum significatio hæc in Sacra Scriptura non habeatur, ut noua, & prophana est reiicienda. Alij etiam, ut refert Soto in dicto ar. 1. §. *Tertia demum*, Latini nobis obganiunt, quod voce minus latina utamur. Quare nolent vocari nisi vel symbola, vel sacra, vel mystica signa.

10 Illis autem recte satisfacit idẽ Soto, quod non debet nobis vitio dari, quod nouis iuentis rebus, noua adaptemus nomina, ut lib. 1. Academ. quæst. 12. Cicer. Sicut nomen *Christianus, Trinitas, Incarnatio, Transsubstantiatio, Deipara*, & similia sũt vocabula à Christianis inuenta, quia antiqua non sufficiebant ad noua dona significanda. Quare Hieronymus, Augustinus, & Lactantius lib. 3. de vera sapientia cap. 26. & lib. 4. cap. 22. & vetustissimus Tertulianus lib. 1. aduersus Marcionem, non abhorret ab hoc nomine. *Sacramentum*, in hac nostra significatione: nã si dicitur symbola, hoc est, latentis gratiæ inditia, cur non & sacramenta? Sicut iuramentum, quia per sacrum fit, sacramentum dicitur.

11 Deinde vsus peritorum in arte dat vocibus proprietatem. Nec in hac parte translatio vocis est absque fundamento: imò nulla alia

alia vox aptior poterat occurrere: quia vox ista antequam significationem hæc ab Ecclesia acciperet, significat rem sacram, seu sacram, sacrum secretum in occulto latentẽ, & ipsũ signum rem occultã significatẽ. Quæ omnia noua significatio includit. Vnde per antonomasiam, id quod est sacrum, & sacras, & est secretum profanis non vulgandum, ut diximus cum S. Dionysio, merito dicitur sacramentum. Alios Patres, qui hac voce vtuntur, refert Vazq. disp. 127. c. 1. & S. Aug. epist. 43. col. 17. contra Donatistas, & similes hæreticos, ait. *Nobiscum estis in baptismo, in symbolo, in ceteris Dominicis sacramentis*. Et epist. 5. quæ est ad Marcellinum, inquit. *Signa, cum ad res diuinas transferuntur, sacramenta rite vocantur*.

DVBITATIO I.

Vtrum Sacramentum sit essentialiter in genere signi?

§. 1.

Certa præmittuntur.

1. **C**um definitio ex genere constet, & differentia, recte docent Philosophus 2. Poster. cap. 5. genus definitionis prius esse inquirendum, ut inde ad perferendas differentias descensus fiat. Vnde cum S. Thomas in hac questione intendat diffinire sacramentum: ideoque in titulo diuisio alij questionum hæc inscribit: *quid sit sacramentum*? Merito articulo primo inuestigat genus sacramenti, ut ab articulo secundo, & deinceps determinet, & assignet eius differentiam.

2 Non est autem idem formaliter inquirere an realiter, & physice sacramentum sit signum? Et an sit essentialiter in genere signi? Quia primum est extra controuersiam, & verincaretur si realiter, vel materialiter in illo genere reperiretur, quamuis formaliter esset in alio genere: secundum vero inquit conceptum essentialẽ, & quidditatum metaphysicum: vnde Soto ar. 1. sine, §. *Animaduertendum*, ait, quod hæc enunciatio: *Sacramentum est signum*, est essentialis prædicatio, & quidditativa, sicut hæc: *Homo est animal*. Et ad hoc denotandum in titulo addidimus *ly essentialiter*.

3 Igitur tria sunt certa, & extra controuersiam inter Theologos. Primum est, quod sacramentum reuera est signum. Quod colligitur ex illo ad Rom. 4. ver. 11. *Signum accepit circumcissionis, in signaculum iustitiæ fidei*. Et ex Concilio Tridẽtino ses. 7. can. 6. diffiniente, *sacramenta noue legis continere gratiam, quam significant*. Et ses. 13. cap. 3. docet, *commune esse Eucharistiæ cum reliquis sacramentis symbolum esse rei sacre, & inuisibilem partem formam visibilem*. Quod sumitur ex S. Aug. lib. 10. de Ciui. cap. 5. & Epist. 23. & S. Dion. de celest. hier. cap. 2. & 3. S. Ambrosi.

lib. 4. de sacramentis, & alijs Patribus. Quapropter S. Tho. ut admonent Caietanus, & Soto, non tam contendit conclusionem ratione constabilem, quam velut receptissimã ab August. & Patribus præsupponere, & ideo ratio quam subiungit, potius est conclusionis expositoria, quã demonstratoria. Quia ut ait Suarez in cõment. 1. art. significatio vocũ ex vsu tantum probari potest. Et quæstiones, quæ sunt de quidditate, vel essentiali rerũ, nec tractari, nec expediti à nobis possunt, nisi vocum significatio ex cõmuni modo loquendi supponatur. Et sic procedit ratio S. Thom.

4 Formatur ergo sic. Nunc specialiter loquimur de sacramentis, secundum quod important habitudinem signi, ut constat ex S. Augustino loco citato. Sed omnia, quæ habent ordinem ad vnum aliquid (licet diuersimode) ab illo denominari possunt. Sicut patet in nomine sanũ: de quo Philosophus 4. Metaph. textu 2. Sic igitur sacramentum potest aliquid dici, vel quia in se habet aliquam sanctitatem occultam (& secundum hoc, sacramentum idem est, quod sacrum secretum) vel quia habet aliquẽ ordinem ad hanc sanctitatem, vel causam, vel signi, vel secundum quacũque aliã habitudinẽ. Et secundum hoc sacramentum ponitur in genere signi: quia non loquimur de illo nunc in alijs significationibus, sed secundum quod importat habitudinẽ signi. Vnde S. August. epist. 5. ait. *Longu est cõuententer disputare de varietate signorum, quæ cum ad res sacras pertinet, sacramenta appellantur*. Idẽ habet lib. 2. de doctr. Christi. c. 3. & lib. 4. de catec. rud. c. 26. & lib. 19. contra Faust. c. 16. & epist. 118. c. 1. & S. Ber. ser. de cœna Domini, docet sacramentum esse *sacrum signum*.

5 Secundo est certum, quod hoc signum est sacrum, non solum quia significatio est rei sacre; sed quia est in re, vel in actione ad Dei cultum ordinata. Quod sumitur ex D. T. 1. 2. q. 10. ar. 4. vbi docet, quod sacramenta pertinent ad quandã cõsecrationẽ populi, vel ministrorum in ordine ad diuinũ cultum. Et q. 102. art. 5. ait: *Sacramenta proprie dicuntur illa, quæ adhibebantur Dei cultoribus ad quandã cõsecrationẽ per quã scilicet, deputabantur quodãmodo ad cultum Dei*. Idẽ probat Cano Relec. de Sacrament. p. 1. §. *Primum itaque fundamentum*, tribus rationibus. Primo, nã id sacramenti nomẽ præfert, quod à sacro deriuatũ, Varro de ling. Lat. author est. Sacrorum autẽ administratio ad Religionẽ, qua Deũ colimus, pertinet. Quare & sacramentum opus est religionis.

Secundo, in sacramentis profitemur nos salutem à Deo Salvatore querere: id verò ad pietatẽ, qua Deo cultum exhibemus, expectare manifestum est. Tertio: nã peccata, quæ in

sacramentorum, vel administratione, vel susceptione sunt, virtuti religionis aduersantur; sunt enim vel superstitiones, vel sacrilegia. Ergo recta ipsa sacramentorum, siue susceptio, seu administratio actus est religionis. Ideoque S. Augustinus relatus supra, & cap. *Sacrificium*, de Consec. dist. 2. dicit, quod sacramentum est *sacrum signum*.

6 Idem, cum alijs quos refert, late probat Suarez dist. 1. sec. 1. conc. 1. & Nuño art. 1. conc. 2. In primis inductione: nam omnia veteris legis sacramenta erant res sacre, vel ceremonie ad Dei cultum ordinatae: ut patet de circumcissione, qua initiabantur, & ad Dei populum consignabantur. Et consecratio Sacerdotum Et de Agno Paschali idem docet S. Th. illo art. 5. & Cano ad 4. In lege gratie Baptismus *lucrum regenerationis*, dicitur ad Titum 3. & est prima fidei Christiane professio, & uai ca ianua Ecclesie, & regni caelorum, ut patet Ioan. 3. & Math. ult. Ac de reliquis sacramentis idem modo verificatur: quia dant gratiam. Et de illis intelligitur illud 1. ad Corin. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysterium Dei*; id est, sacramentorum, ut exponit Author reputatus Ambrosius, & alij. Item S. Augustinus Epist. 23. dicit, *consecrari homines Deo per sacramenta*. Idem q. 84. in Leuiticum, & S. Cyprianus ser. de Baptismo Christi, & S. Ambrosius lib. de mysterijs, dicit initiari homines per sacramenta. Ratio est, quia diuina prouidentia hominum naturae se accommodas, ceremonijs sensibilibus uoluit nos eum colere, & in illis nostra salutem contineri. Et hæc esse sacramenta ex proprietate, & usu uocis constat.

7 Sed opponit Auerſa hic sect. 1. §. *Tertio, sacramentum*: quia sacrum dicitur eo quod sit ordinis diuini, & supernaturalis: quamuis autem sacramentum ex parte formæ, & significationis sit supernaturale: tamen necesse non est, ut actio ipsa sacramentalis sit ex se intrinsece sacra. Imò actio sensibilis est in se actio naturalis: ut olim circumcissio, & modo ablutio. Ergo licet sacramentum debeat esse sacrum ex eleuatione, sine, & significatione; non tamen debet esse sacrum ex parte rei, seu actionis significantis.

8 Respondetur certum esse, quod materia remota sacramentorum solet esse aliquid naturale: & quod res sensibiles non pertinent ad sacramenta nisi propter significationem sacram: quia ut ait S. Th. ar. 4. ad 2. *res sensibiles ut in sua natura considerantur, non pertinent ad cultum, uel regnum Dei* (iuxta illud ad Rom. 14. *Non est regnum Dei escæ, & potus*) sed solum secundum quod sunt signa spiritualium rerum, in quibus regnum Dei consistit. Nec actiones, quæ sunt

materia proxima, sunt semper supernaturales, ut patet in ablutione, unctione, & similibus. Nec huius oppositum asserunt Cano, Suarez, & alij. Sed solū dicit, quod actiones illæ, quæ proximè assumuntur ad significandam, & continentiam gratiam, ultra significationem habent etiã ratione sui esse opera religionis, siue sint solū materialiter, siue sint supernaturalia, ut quando fiunt habitu, uel auxilio supernaturali; siue sint supernaturalia solū extrinsece, & imperatiue: de quibus modo non disputatur.

9 Tertio certum est, quod sacramenta etiã sunt in genere causæ. Et quantum attinet ad sacramenta noue legis, id est certum secundum fidem ex Concilio Florentino decreto de sacramentis ses. ult. & ex Concilio Tridentino ses. 7. & can. 6. & late dicemus infra cum D. Thom. q. 62. a. 1. Sed de omnibus sacramentis probatur ex S. Isidoro 6. Ethim. cap. 8. & refertur cap. *Multi secularium* 1. q. 1. sic definiente sacramentum, est *per quod, sub tegumento rerum uisibilium, diuina uirtus secretius salutem operatur*.

10 Rursus id probat S. Th. hic art. 2. ad 1. quia quæuis creaturæ sensibiles significant aliquid sacrum, scilicet, sapientiam, & bonitatem diuinam; non tamen sunt sacramenta, quia significant ea in quantum sunt in se ipsi sacra: non autem in quantum nos per ea sacrificamur. Ergo ad rationem sacramenti, ultra significationem rei sacre, requiritur causalitas. Pariter docet ad 2. quod quæuis omnia, quæ in veteri lege fiebant, figurassent Christum, qui est Sanctus Sanctorum: iuxta illud 1. ad Cor. 10. *Omnia in figura circumgebant illis*. Et ad Colos. 2. *quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi*. Non tamen omnia erant veteris legis sacramenta, sed solū aliqua: quia quedam ad uetus testamentum pertinent, significabant sanctitatem Christi, secundum quod in se Sanctus. Et hæc non erant sacramenta, quia erant mera signa speculatiua. Quedam uero significabant sanctitatem eius, in quantum per ea nos sacrificamur: sicut immolatio agni Paschalis significabat immolationem Christi, qua sacrificati sumus. Et talia dicitur proprie veteris legis sacramenta. Quod & docet S. Th. 1. 2. q. 101. ar. 4. cor. & 102. a. 5. cor. Ergo ad rationem sacramenti non sufficit significatio, nisi simul importetur aliquid genus causalitatis.

11 Præterea id probat S. Thomas in 4. dist. 1. q. 1. ar. 1. quæstioncula 1. ex uocis proprietate: nam *sacramentum secundum proprietatem uocabuli, uidetur importare sanctitatem actiue, ut dicatur sacramentum quo aliquid sacrat; sicut ornamentum, quo aliquid ornatur*. Nec huius oppositum docet S. Thomas hic art. 1. ad 1. quia ibi solum docet sacramentum ex proprietate uocabuli non semper importare causalitatem efficientem; cum quo tamen stat quod importet causalitatem, sed causam formalem

Ita extrinseca, & finalis, ideo proprietate uocis non tollit quod sacramentum sit signum, quæuis sacret. Et ideo in 4. set. ad 5. ait quod est simul signum, & causa. Quod & docet hic q. 62. ar. 1. ad 1. & in 4. set. ad 3. hæc ratione docet, quod serpens æneus, & imago crucis non sunt sacramenta: quia ponuntur tantum ad representandum. Ergo ad completam rationem sacramenti aliquid aliud exigitur quam representatio.

12 Ratio à priori non est alia, nisi uoluntas Dei instituentis sacramenta pro communi utilitate, ut homines Deo sacrentur, & sanctitatem eis mediantibus obtineant. Qui fines non obtinentur posita in sacramentis sola significatione, & negata causalitate. Quod indicat Tridentinum illo can. 6. dicens. *Si quis dixerit sacramenta noue legis non continere gratiam, quam significant; aut gratiam ipsam non ponenti bus obicem non conferre; quasi signa tantum externa iam accepta per fidem gratie, uel iusticie. & nota quedam Christiane professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit*. Ergo ultra significationem, aliquid aliud later, & continetur in sacramentis. Quod optime exponit Soto art. 1. §. ad rei huius, docens in sacramentis duo esse consideranda. Primum quod sunt remedia, & medicamina nostra contra peccati morbum, deinde quod sunt religionis nostræ ceremonie sacre. Instituit enim illa Christus Dominus, ut simul essent, & officia, quibus Deum coleremus; & beneficia, quibus nobis ipse uicissim uitam spirituale impenderet. Quod sigillatim explanat in sacramentis nouæ, & antiquæ legis. Quod autem sacramenta veteris legis suo modo causent, item probatur, quia & promittebant Saluatorem, & cum effectu Deo sacrabant: quod esse quodam genus causæ, postea exponitur.

§. II.

Sententia extreme cum suis fundamentis.

13 Hæc cum certa sint, remanet dubium, in quo horum trium generum debeat formaliter, essentialiter, & quidditatiue, & absolute, & simpliciter collocari, & constitui sacramentum? Ratio dubitandi ex parte tangitur à D. Thom. q. 62. ar. 1. in 1. arg. & potest uic uergeri: nam iuxta regulam antepredicamentalem, *generum non subalternatum posteriorum non sunt eadem specie differentia*: quia eadem species non potest pertinere ad duo genera primo diuersa. Sed ceremonia est in genere actionis: & ideo Baptismus diffinitur, *quod sit ablutio*: & sic de alijs sacramentis. Signum est in genere relationis, & præcipue signa ad placitum sunt aliquid rationis. Causa est in

genere qualitatis, quia supra significationem addit uirtutem efficientiam, quæ est qualitas, uel ad qualitatis genus reducitur. Ergo sacramentum non potest esse simul ceremonia, signum, & causa. Deinde dato, quod omnia secundum distinctas rationes in sacramento adueniunt, non possunt illi conuenire omnia æquè quidditatiue, & formaliter. Unde restat assignanda, quæ ratio sit in illo prior, & formalior, & principalior. Unde non uideatur cur potius debeat collocari in genere signi, quam in genere causæ, quæ in utroque.

14 Huic dubio quantum ad eas prioris partem, recte respondent Soto in 4. dist. 1. q. 1. ar. 1. in fine, communiterque Thomistæ, sacramenta uniuersa, quatenus sacramenta sunt, hoc est ratione suæ formæ, quæ est significare gratuitos effectus, collocari in genere signi. Singula tamen secundum suas naturales substantias collocari in genere actionis, seu passionis. Quemadmodum statum ratione suæ naturalis substantiæ collocatur in genere substantiæ; est enim aut lignum, aut lapis: sed ratione artificiali formæ, est in genere qualitatis. De quo late Paludanus in 4. dist. 1. q. 2. ar. 4. ¶ Quæ doctrina est D. Thomæ in 4. dist. 3. q. 1. ar. 1. q. 1. ad 3. dicens, quod *sicut artificia non ponuntur in genere ex forma simpliciter, sed ex materia* (non enim dicimus, quod domus est in genere qualitatis, nisi in quantum artificiale figuratum: sed dicitur esse in genere substantiæ) ita etiã est de sacramentis: *baptismus enim simpliciter est in genere ablutionis: sed secundum quid, scilicet, in quantum est sacramentum, est in genere relationis*. Quamuis autem entia artificialia absolute supponant pro substantia, loquendo tamen cum præcisione, & aliqua distinctione, verificatur quod compositum secundum distinctas rationes, & est in genere substantiæ ex parte materiæ, & in genere accidentis ex parte formæ. Unde S. Thomas Quodlib. 11. art. 6. ad 3. docet quod *omnia artificialia ponuntur dupliciter in genere, uel specie, quia uel per materiam suam, uel per formam suam*. Cum ergo sacramentum sit ens artificiale, potest ex parte materiæ in genere actionis collocari, & ex parte formæ in alio genere.

15 Magis dissident Theologi in secunda parte dubij. Nam multi uidentur collocare sacramentum simul in genere causæ, & in genere signi. Ita S. Isidorus 6. Ethim. cap. 18. relatus cap. *Multi secularium* 1. q. 1. & Hugo de S. Victore lib. 1. de sacramentis parte 9. cap. 1. & in summa sententiarum tractatu 4. cap. 1. & Magister Sententiarum in 4. dist. 1. cap. 1. Quos uideretur expresse sequi S. Thomas ibi q. 1. ar. 1. In primis quæstioncula 1. docet sacramentum importare sanctitatem actiue.

Secundo in quæstionibus 3. ubi docet diffinitionem Magistri, in qua dicitur: *Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, ut imaginem gerat, & causa existat: completissimè rationem sacramenti designare, prout nunc de sacramentis loquimur.* Tertio in quæstionibus 5. ubi approbat diffinitionem Hugonis de S. Victore, videlicet: *Sacramentum est corpus reale, vel materiale elementum, extrinsecus oculis suppositum, ex institutione significans, & ex similitudine representans, & ex sanctificatione inuisibilem gratiam continens.* Quam diffinitionem dicit coincidere cum præcedente, hoc excepto, quod exprimit causam significationis, quæ est institutio, & causam efficientiæ, quæ est sanctificatio. Quarto idem probat ibi ad Anibaldum approbans diffinitionem, quam ex S. Augustino colligit Magister: *Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, cuius similitudinem gerit, & causa existit.* Quinto idem docet in hac quæst. nam in art. 1. dicit, sacramentum esse in genere signi: & in secundo simul collocat in genere causæ. Denique id expressit quæst. 62. art. 1. ad 1. docens, sacramenta nouæ legis habere perfectè rationem sacramenti, in quantum ordinantur ad aliquid sacrum, non solum per modum signi, sed etiam per modum causæ. Ergo completè, & adæquatè loquendo de sacramentis, debent simul collocari in genere signi, & in genere causæ. Ideoque in Cathedra Romano sacramentum diffinitur: *Est res subiecta sensibus, quæ Dei institutione, sanctificatione, & iustitia, tum significanda, tum efficienda vim habet.*

16 Idem videtur tenere S. Bonaventura, & Scotus, & alij antiqui, & moderni Theologi, quos vsque ad viginti, congerit, & sequitur Aueria hic sect. 3. vnde decem probans argumentis. Quorum plurima solè probant realiter sacramenta nouæ legis esse signa, & causas. Quod nullus Catholicus negat: nec amplius pures ex his, quos refert Authoribus, docent. Lugo tamen disp. 1. sect. 2. concl. 2. expressè constituit omne sacramentum simul in genere signi, & in genere causæ. Quod & docet sect. 3. n. 25. Subdit tamen n. 28. congruentias propter quas potius debeat poni sub genere signi, quam sub genere causæ. Per oppositum opinatur Bauni trac. 1. q. 4. quod si sacramentum sumatur totaliter, & completè, vt est ens morale, potior est in eo ratio causæ, quàm signi: quia à sacramento dicitur. Videturque fauere Suarez. lec. 1. ante 2. cõc. licet sec. 2. in fine, magis faueat Lugo, vel secundæ sententiæ.

17 Huic etiam sententiæ videtur subscribere Cano Relect. de sacram. p. 1. §. Tertium fundamentum, docens, sacramenta esse signa

sanctificationis practica, quæ scilicet ipso vsu adhibentur ad sanctificandum. Nam cum sit duplex signum sanctitatis, alterum specularium, vt nomen, sanctum, vel sanctificans: alterum practicum, quod non solum significat sanctificationem, verum & exhibet; vt baptismus exterior; sacramentum non signum specularium, sed practicum est. Probat ex cap. Multi. 1. q. 1. Item, quia nisi ita esset, plura in noua lege essent, quàm septem sacramenta: quando quidem sacrarum rerum signa specularia plura sunt. Præterea, in sensu, quo Scholastici disputant de sacramentis, spirituales, & sacras medicinas intelligere cogimur: quæ nisi signa practica, & sanctificatiua sint, intelligi nulla ratione possunt. Est igitur *sacramentum sacrum, & occultum signum ad sanctificandum institutum.* Cum ergo sacramentum sit practicum, in quantum causat, quod significat, iuxta hoc erit in genere signi, & causæ simul.

18 Nihilominus alij multi docent sacramenta essentia liter, & quidditatiuè solum esse in genere signi, & non in genere causæ: quia causalitas est proprietas, vel accidens proprii sacramenti nouæ legis. Tribuitur D. Thomæ hic art. 1. quatenus absolute collocat sacramentum in genere signi. Tenentque expressè Soto in 4. dist. 1. q. 1. art. 1. §. Ex his ergo. Nuño art. 1. concl. 1. & art. 2. dub. 2. ad 2. Cabrera disp. 1. & 2. & Araujo art. 1. dub. 1. concl. 3. dicens hoc esse certum certitudine conclusionis Theologicæ, quod & docet M. Gaspar Ruyz hic dub. 1. concl. 2. Quam sententiam nescio vnde desumpserunt; nec eam adhiberent, si quæ pro parte contraria adduximus, ponderassent, aut vidissent. Sententiam tamen tenet Serra art. 1. concl. 1. addens cõc. 3. non esse de ratione sacramenti esse signum practicum. Quia S. Tho. ad 1. ait, *non oportet quod sacramentum semper importet causalitatem.* Et quia sacramenta veteris legis non efficient, quod significabant. Tenet etiam principalem sententiam Suarez. disp. 1. sect. 2. fine, quem non bene pro se refert Aueria. Vazq. disp. 128. cap. 3. & 4. & 5. Alanus p. 2. de Sacramento. c. 2. & 3. Coninch in præsentiar. 1. ubi Matthæus Kellitonius, & Carragena disp. 1. diffic. 3. & Aug. Bernal hic disp. 2. sec. 1. n. 2. & n. 19. vsque 34. & alij.

19 Probari solet authoritatibus adductis. In primo præsupposito. Ratione arguit Soto, quia sacramenta sunt in hoc instituta, vt per ipsa, ceu per religionis professionem, beneficium salutis consequamur, quod nobis Deo sub illis impendit. Quod autem sacramenta causæ eiusdem nostræ salutis existant, ad necessariam confessionem fidei, & religionis mi-

nime pertinet: sed sub disputationem cadit: estque priuilegium sacramentorum nouæ legis. Ob idque sacramentum non ponitur in genere causæ. Genus enim est de substantia rei.

20 Secundo probat ex definitione, seu descriptione sacramenti, quæ refertur cap. Multi. 1. q. 1. ubi sacramenta ob id dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum diuina virtus secretius operatur salutem. Non ergo est de substantia sacramenti, quod sit causa: sed quod sit signum effectus, quem illic diuina virtus secretius operatur.

21 Tertia ratio sumitur ex eodem Soto, §. Animaduertendum ergo: quia genus vni uoce prædicatur, & essentialiter quidditatiuè de omnibus sub genere contentis. Sed sola ratio signi, & non ratio causæ prædicatur quidditatiuè, & vni uoce de omnibus sacramentis: ergo sacramenta essentialiter sunt in genere signi, & non in genere causæ. Probat minor: quia ratio sacramenti dicitur vni uoce de omnibus, quia vetera vere, & proprie erant sacramenta, & eorum religio erat vni uoce catholica cum nostra, & sacramentis in illa religione adunabantur. Similiter ratio signi sanctitatis est omnibus vni uoce: quo circa illa, tam proprie fuerunt sacramenta, quam nostra. Ratio tamen causæ proprie solum conuenit sacramentis nouæ legis, quorum est proprium causare gratiam, quæ significant. Ergo hæc enunciatio: *Sacramentum est signum*: essentialis prædicatio, & quidditatiua est: sicuti hæc: *Homo est animal*. Hæc vero, *Sacramentum est causa gratiæ*, est prædicatio indirecta, & accidentaria; sicut hæc: *Animal est risibile*. Sed si dicas, *Sacramentum Evangelicum est causa gratiæ*, est prædicatio propria: veluti si dicatur, *homo est risibilis*.

22 Quarto probant alij, quia forma sacramenti determinat materiam: sed solum determinat vt significatiua: nam vt causatiua solum respicit gratiam vt effectum, non materiam vt subiectum: ergo sacramentum essentialiter est signum. Deinde, quia ratio signi est prior, & in qua fundatur causalitas: ergo est genus.

23 Demum arguit Bernal sect. 1. §. 5. quia non est idem conuertibiliter proprie crare, & proprie sanctificare. Tempora enim, & aræ, & sacrificalia vasa, & sacerdotales vestes, & id genus alia proprie sacrantur, & non proprie sanctificantur. Sacramentum, nec est essentialiter sanctificatiuum subiecti, nec collatiuum gratiæ; bene tamen sacratium: quia sacrare non est veram dare sanctitatem: ergo quamuis sint ceremoniæ sacræ, non sunt in genere causæ, sed solum in genere signi.

24 Arguit etiam Lugo sec. 3. n. 28. quia sacramenta magis debent explicari in ordine ad illos, quibus applicantur, apud quos debent sibi maiorem auctoritatem conciliare. Sed sacramenta antiqua in illis, in quibus applicabantur, non causabant veram gratiam internam: sed solum inseruiebant illis tanquam signa, quibus possent intelligere gratiam futuram: ergo hinc prouenit, quod a potissimo munere, quod exercebant, magis estimantur signa, quam causæ. Et licet sacramenta noua omnia causent gratiam insuscipienti: quia tamen non omnia sacramenta noua, & vetera hoc habent; merito loquendo de sacramento in communi, prout comprehendit omnia sacramenta, potius constituitur in genere signi, quam in genere causæ. Sicut Eucharistia est cibus spiritualis, quia vt sic est nobis vtilior, quam sub genere alimenti materialis, & corporei.

§. III.

Dubij resolutio.

25 Cæterum in hoc dubio magna diffinitione terminorum: & ideo vt vocum proprietas, & res ipsæ explicatæ maneat, duæ voces analogam solum importantes conuenientiam, sunt distinguendæ; quia ex illis totius dubij decisio pender. Cum sacramentum dicatur à sacro, sicut sacrum dicitur multipliciter, sic sacramentum non vnã habet acceptionem. Dicitur enim sacrans formaliter ipsa forma sanctitatis, dicitur sacrans significatiuè, quia est sanctitatis signum, dicitur sacrans effectiuè, quia est instrumentum sanctitatis. Quod exemplo sani declarat S. Thom. hic art. 1. Cum etiam causarum diuersa sint genera, & respectu sacramentorum quædam verificetur proprie, & quædam improprie. Ideo distinguere oportet causam strictè, & proprie sumptam: quæ in præsentem est sola causa efficiens instrumentalis, per quem modum dicemus infra q. 62. art. 1. sacramenta nouæ legis esse causas gratiæ. Et causam late sumptam, quæ est causa moralis, vel promittens, vel sacrans formaliter: quia licet sacrans distinguatur à sanctificatione strictè, non multum differt à sanctificatione legali; & impropria. Has duas distinctiones præ oculis habendo, facilem iudico dubij decisionem, & antiquorum Doctorum concordiam.

26 Dico ergo primo, loquendo de causa strictè sumpta, pro causa efficiente instrumentali, sacramentum vt sic non est in genere causæ: sacramenta tamen nouæ legis essentialiter sunt in genere causæ. Prior pars videtur

tur expressa in Concilio Florentino sub Eugenio Quarto, post ultimam sessionem, §. Quinto Ecclesiasticorum, ubi assignatur differentia inter sacramenta antiquæ, & nouæ legis, quod illa non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant: hæc uero nostra, & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt. Vbi si sermo esset de causalitate moralis, uel impropria, ex nulla parte uera esset differentia: exponendo uero de causa strictè, clarissima est differentia. Et Tridentinum Concilium sess. 7. can. 2. damnat, qui dixerit, *Sacramenta nouæ legis non differre à sacramentis antiquæ.* Et Can. 6. definit sacramenta nouæ legis continere gratiam, quam significant; & illam non ponentibus obicem conferre. Ergo utraque pars assertionis conformis est duobus Concilijs.

27 Utramque expressit S. Tho. q. 62. art. 1. ad 1. dicens, *quod causa instrumentalis, si sit manifesta, potest dici signum effectus occultis; eo quod non solum est causa, sed etiam quodammodo effectus, in quantum mouetur à principali agente.* Et secundum hoc sacramenta nouæ legis simul sunt cause, & signa: & inde est, quod sicut communiter dicitur, efficiunt, quod figurant. Ex quo etiam patet, quod habent perfectè rationem sacramenti, in quantum ordinantur ad aliquid sacrum, non solum per modum signi, sed etiam per modum cause. ¶ Hic S. Tho. totam conclusionem docet, & eius rationem assignat ex propria notione sacramenti, & ex communi Theologorum illius temporis. Nam esse signa practicè efficiunt, quod figurant, est excellentia, quam Deus solus reseruauit sacramentis nouæ legis, & denegauit sacramentis antiquis. Sed id quod est essentialè uni speciei sub altera, non debet poni in ratione generica illi, & alijs communi, quia differentia sunt extra essentialiam generis. Ergo sacramentum in communi non collocatur in genere cause efficientis instrumentalis. Quod latius patebit q. 62. & hoc confirmant argumenta secundum sententiam. Nec contra uigent argumenta primæ, quia multæ ex illius definitionibus dantur de solis sacramentis nouæ legis.

28 Vnde Paludanus in 4. dist. 1. q. 2. art. 2. nu. 1. ait, quod illa definitio, *Sacramentum est inuisibilis gratia, uisibilis forma, ita ut imaginè gerat, & causa existat:* non conuenit sacramentis ueteris legis, sicut nec perfectè ratio sacramenti, ut Magister in littera inducit. Idem patet de definitione, que habetur in Catechismo Pij Quinti. Imo fauet modus loquendi Concilij Tridentini sess. 13. cap. 3. de solis sacramentis nouæ legis Magistri definitionem accipiens. Ideoque sola illa sunt simpliciter

in genere signi, & in genere cause propriè sumptæ.

29 Dico secundo, loquendo de causa late, pro causa morali promissua, & simul pro causa formali sacratiua, sacramentum in communi est simul in genere signi, & in genere cause; & sic quodammodo omnia sunt signa practica. Ita omnes adducti pro prima sententia, quorum fundamenta, in hoc sensu, prout iacent, admittuntur. Nec contra ea uigent argumenta secundæ sententiæ, quia solum vim habent sumendo causam strictè.

30 Prior pars colligitur ex Concilio Florentino dicente, quod uetera sacramenta gratiam per passionem Christi dandam figurabant. Et S. Aug. super Psal. 73. docet, quod illa promittunt Saluatorem, nostra dant salutem. Quod & docet super Psal. 39. & lib. 19. contra Faustum cap. 13. & 14. to. 6. Et adducitur à D. Thom. 3. p. q. 38. art. 6. ad 5. qui & uideatur 4. contragentes cap. 57. Ideoque D. Paulus ad Hebræos 8. uer. 6. & cap. 11. uer. 13. appellat re promissiones, quia per illa sacramenta, id quod Deus promiserat, continuo renouabat, re-promittendo quotidie; qua de causa dicitur *lex umbra futurorum* ad Hebræos 10. & 1. ad Corint. 10. quod omnia in figura contingebant illis. Patresque, & Theologi communiter dicunt illa sacramenta fuisse promissua.

Ex quo arguit Lugo sect. 2. n. 17. illa sacramenta non fuisse mere speculatiua gratiæ, sed practica, nam promissio rei non se habet mere speculatiue, sed practice: nam qui promittit, postea mouetur à sua promissione ad implendum, quod promissit; atque adeo promissio est etiam causa moralis rei promissæ: omnis enim promissio habet moralem vim ad mouendum eum, qui promissit ut impleat promissam. Cum ergo omnia sacramenta antiqua fuerint promissiones, seu signa, quibus Deus quasi in figuris promittebat Christum, & nostram salutem, consequens est illa fuisse signa practica, & causalitua gratiæ iustificatiuæ, quæ nobis datur.

31 Sed hæc doctrina nisi aliquid ei addatur, non uidetur sufficiens, quia diximus cum D. Thoma art. 2. ad 2. quod ceremoniæ, & sacrificia, & ipsa gesta Patrum antiquæ legis promittebant Christum; quia omnia illa erant umbra futurorum bonorum: & tamen non omnia erant sacramenta: ergo causalitas sacramentorum, non consistit in sola promissione.

32 Ideoque nos addimus secundam partem: quia docet S. Thomas 1. 2. q. 101. art. 4. sacramenta suscipientem consecrare, & q. 102. art. 5. ait. *Sacramenta propriè dicuntur illa, quæ adhibentur Dei cultoribus ad quandam con-*

secra

secrationem; per quam scilicet, deputatur quoddammodo ad cultum Dei. Et in hoc sensu docet S. Thomas in 4. dist. 1. q. 1. art. 1. q. 1. *Sacramentum importare sanctitatem actiuè.* Quod loquendo de causalitate effectiua, non semper est uerum; loquendo tamen de causa late pro causa formaliter sacratiua, de omnibus uerificatur, ut notat S. Tho. hic art. 1. ad 1.

33 Sed contra priorem partem opponit Bernal sect. 1. §. 4. n. 28. contra Lugo intendans probare ipsum non loqui consequenter; & quod uetera sacramenta non fuere promissiones gratiæ per noua dandæ: nam fuerunt signa prognostica, & supponebant gratiam illam futuram: ideo namque instituta fuerunt in signa futuræ gratiæ, quia gratia futura erat. Institutio autem rei in signum prognosticum, ualde differt ab institutione rei in signum promissiuum. Prior enim est: uolo ut posita Circumcisione, intelligant homines gratiam supernaturalem Baptismalem esse futuram: posterior autem est: uolo per hoc signum obligari ad gratiam Baptismalem tribuendam. Ite institutiones sunt ualde diuersæ, & independentes, & separabiles: ergo ex una non inferitur alia; quia signum prognosticum est signum speculatiuum, & non promissiuum. ¶ Præterea ut sacramenta uetera Christi, aut sacramentorum gratiam causarent moraliter, debebant esse priora illis in ratione promissionis. Sed non fuerunt priora, sed posteriora; uetera enim sacramenta, cum essent ordinis supernaturalis, & post peccatum, instituta fuerunt propter Christi meritum: ergo supponebant Christum futurum: ergo non illam causabant, aut causa fuerunt: ergo sacramenta uetera non fuere promissiones gratiæ per noua dandæ. Quod prolequitur à n. 32. usque 34.

34 Respondetur, quod causalitas promissua non est causalitas rigurose, sed late, & moraliter, & hoc modo aliquid potest causare antequam sit physice, quia causa finalis causat in apprehensione animæ. Et sic explicat S. Thomas 3. p. q. 6. art. 3. ad 3. antiquos per fidem Christi iustificatos, etiam antequam eius anima esset plena gratia, & ueritate. Et q. 62. art. 6. docet antiqua sacramenta non habuisse uirtutem physicam à Christo; bene impropria, & moraliter: Nam sacramenta ueteris legis, erant quædam illius fidei protestationes, in quantum significabant passionem Christi, & effectus eius. Et q. 68. art. 1. ad 1. late exponit, quod conuenienter antiquo tempore fidem in Christum protestabantur fideles, signo, seu sacramento Circumcisionis, quam nunc protestamur sacramento Baptismi: nam alio signo manifestatur fides rei iam presentis, quam de-

monstraretur quando erat futura: sicut etiam alijs uerbis significatur presens, præteritum, & futurum.

35 Quamuis autem non omne signum futurum sit practicum; tamen quando significatio est simul renouatio promissionis, est causalitas, non propria, & physica, sed impropria & moralis: unde coniungitur significatio cum promissione, & signum cum causalitate promissua. Sicut arcus est signum serenitatis, & simul est renouatio promissionis diuinæ. Non autem facimus vim in sola priori parte, quia promissio gratiæ non explicat aliquid peculiare sacramentorum, & distinctiuum eorum ab alijs ceremonijs.

36 Dico tertio, quærum attinet ad modum loquendi, sacramenta in communi rectè dicuntur esse in genere signi: quia hæc ratio est prior: & conueniens omnibus in proprietate, & rigore: ratio uero causa in rigore non conuenit omnibus; sed tantum sumpta improprie. Vnde S. Thomas loquendo de Sacramentis ueteris legis, & exponens qualiter sanctificarent, docet 3. p. q. 62. art. 6. ad 2. quod illa sanctificatio erat figuratiua: per hoc enim sanctificari dicebatur, quod applicabantur cultui diuino secundum ritum ueteris legis, qui uetus ordinabat ad figurandum passionem Christi. Loquendo autem de sacramentis ueteris legis, rectè dicuntur essentialiter, & quidditatiue, & esse in genere signi, & in genere cause. Et ut paucioribus uerbis id exprimerent; rectè dixerunt Caño, & alij esse signa practica gratiæ. Uetera uero fuerunt practica tecudum quid. Vnde in rigore, rectè negat Serra esse de ratione sacramenti esse signum practicum, quamuis nos ad æquiocationem uiradam, non nisi cum distinctione data negemus, uel concedamus; ut tandem etiam Serra in fine 3. conc. Soto tamen art. 2. §. ex hæc, soli Circumcisioni concedit fuisse practicum sacramentum, quia Deus in illa dabat gratiam: quod reliqua non habebant. Per quæ argumenta soluta manent.

37 Ad rationem dubitandi propositam n. 3. respondet Auersa sect. 3. in fine §. *Iam uero*, significationem in communi sumptam, abstrahendo à significatione faciendi, & cognoscendi, siue à significatione causalitua; & ostensua, se habere, tanquam genus quoddam superius sacramenti. Significationem autem causalitua, siue ad faciendum, esse differentiam essentialem determinatam Sacramenti, in ordine scilicet, ad sanctificationem hominis. Significationem demum ostensiuam se habere tanquam proprietatem consequentem ad essentialiam: ex eo enim, quod sacramentum facit hominem sanctum, facit con-

12

sequenter ut id cognoscatur.

38 Caterum hæc solutio videtur in sufficienti, nisi amplius explicetur: quia dum non explicat qualiter una species poni possit sub duobus generibus non subalternatim positus, nempe sub genere signi, quod est ratio, vel ens rationis, & sub genere causæ, quæ pertinet ad qualitatem, argumentum insolūtū reliquit. Quia nec genus qualitatis, aut species illius possunt esse differentie essentialiter contractive relationis, vel entis rationis. Quod tamen videtur admittere hæc solutio.

39 Quo circa Soto, §. Animadvertendum ergo, quem sequuntur Nuño, & Araujo dub. 1. n. 15. & n. 17. ad 2. nec ipsa sacramenta novæ legis admittit esse quidditativè, directè, & formaliter simul in genere signi, & in genere causæ: sed ait quod quidditativè sunt signa, & quod causare est proprietas: hanc autem non est inconueniens addere aliquod accidens ad diuersum genus pertinens. Sicut locus in communi est in genere quantitatis, quia est superficies, & tamen locus naturalis addit qualitates conservatiuas locati: iuxta ea, quæ diximus lib. 4. Phys. q. 1. n. 33. & q. 3. n. 16. & 17. Tandem Cabrera art. 1. disp. 2. §. 6. latè docet causalitatem non esse passionem, neque accidens commune: sed esse modum completiuum significationis sacramentalis. Quod & docet Ruyz dub. 1. conc. 7. & dub. 2. conc. 3. & 4.

In hac solutione nil displicet, nisi quod non reperio firmum argumentum, quo probetur sacramenta novæ legis non esse essentialiter causas: quia cum eorum essentia sit ex institutione Christi: & ille æquè primo voluerit esse signa practica efficientia, quod significant; ideò simul essentialiter voluit esse in genere signi, & in genere causæ.

40 Ad argumentum ergo respondetur cum D. Tho. q. 73. art. 2. docente cum Philosopho 5. Metaph. text. 9. quod vnum per se dicitur multis modis, vel quod est indiuisibile, vel quod est continuum, vel quod est perfectum, ad cuius integritatem plura concurrunt: siue sit totum naturale, siue sit totum artificiale, siue sit totum physicum, siue totum morale. In totis autem integralibus artificialibus moralibus concurrunt in esse physico res diuersorum generum; & tamen faciunt vnum per se, quia se habent ordine quadam. Et hac via exponit Sanctus Thomas hic art. 6. ad 2. quod ex rebus, & verbis, quæ sunt diuersorum generum, quantum pertinet ad naturam rei, seu in esse physico, fit vnum sacramentum, in quantum vnum se habet ut materia determinabilis, & aliud quasi for-

ma determinans.

41 Hoc quod dicitur de compositione sacramenti quasi physica, pariter suo modo procedit in compositione illius metaphysica, quia ex parte substracti materialiter præsuppositi ponitur ceremonia, & ex parte formæ genericæ, primo ponitur significatio; & ceremonia cum significatione ponitur substractum noui generis causæ. Et hæc omnia concurrunt ad integrum, & perfectum sacramentum. Quod totum completitur S. Thomas q. 62. art. 1. ad 1. illis verbis. *Ex quo etiam patet, quod habent perfectè ratione sacramenti, in quantum ordinantur ad aliquid sacramentum, non solum per modum signi, sed etiam per modum causæ.* Habemus aliquale exemplum in moneta, quæ constat physice ex materia, & forma æris, & totum hoc compositum est substractum formæ artis, seu sigilli regij: & moneta sigillata habet se de materiali respectu impositionis dantis valorem, & significationem ultimam, & moralem causalitatem: et si haberet causalitatem physicam instrumentalem, ut habet nostra sacramenta, etiam posset alias formas determinare: quia ad hæc composita artificialia componenda omnia hæc solent concurrere.

42 Sed obieciens auctoritatem S. Thomæ in 4. dist. 22. q. 2. art. 2. q. 2. dicentis, quod in sacramentis, in quibus est materia, & forma, significatio est ex parte materiae principaliter, sed efficacia ex parte formæ. Quod & indicat in 4. dist. 2. q. 2. art. 1. Sed efficacia sacramentorum conuenit ratione virtutis effectiua: ergo ratio causæ prior, & formalis est in sacramentis, quam ratio signi, quæ se tenet ex parte materiae. Respondet Bergomensis in Concord. dub. 1094. quod vtrumque habet à forma simpliciter, sed à materia secundum quid: quia dicit S. Tho. in 4. dist. 3. q. 1. ar. 1. q. 1. ad 3. quod *baptismus in quantum est sacramentum est in genere signi, vel causæ: & in hoc genere constituitur per formam verborum, à qua habet significationem, & efficaciam sacramentalem.* Hanc solutionem rejicit Araujo art. 2. dub. 2. in fine, quia cum significatio sit formalis ratio in sacramentis, non videtur congruum asserere, quod simpliciter sacramenta habeant illam à materia. Hæc tamen replicæ imponit Bergomensis solutionem è diametro oppositam illi, quam ipse tradit, & Araujo retulerat: nã expresse dicit Bergomensis, quod significatio, & efficacia simpliciter est à forma, & à materia solum secundum quid.

Urgentius contra eum potest obieci, quod non saluat relata verba S. Thomæ expresse dicentis, quod *significatio est ex parte materiae, & efficacia ex parte formæ.* prin-

principaliter: ergo est ex parte materiae simpliciter, & non secundum quid: quia non bene cohereret, quod sit ex parte materiae principaliter, si est ex parte illius solum secundum quid.

43 Aliter respondet ipse Araujo, quod si consideretur totum sacramentum ut substractum virtutis causatiuæ, sic significatio est ex parte materiae, causalitas vero ex parte formæ: & hoc voluit docere S. Thomas illa distinct. 22. At vero dist. 3. considerauit S. Thomas materiam sacramentorum ut substractam significationi ut formæ essentiali, & causalitati ut accidenti: & vtrumque est ex parte formæ: hæc enim ad sacramentum ut ad subiectum comparatur.

44 Sed aliter melius responderetur, & magis ad mentem D. Thomæ, quod ut ipse aduertit hac 3. p. q. 86. art. 6. omne sacramentum producit effectum suum, non solum virtute formæ, sed etiam virtute materiae, quia ex materia, & forma fit vnum sacramentum, ut declarat artic. 6. Sed tamen per quãdam appropriationem, significatio tribuitur materiae, quia proportionaliter ad illam est institutus conferendus effectus. Efficacia vero apponitur formæ, quia illi competit vis causatiua in quantum materia determinat per significationem formæ, dat Deus motionem, vel qualitatem trãeuntem causantem effectum instrumentaliter. Sola lectio S. Thomæ, absque alia ponderatione, sit manifestum hanc expositionem esse ad eius mentem.

45 Dubium hoc aliquanta prolixitate tractauit, quia video à multis magna æquiuocatione confundi: & est dicendorum in toto tractatu fundamentum: quod debet esse stabile, & firmum. Et principia nulla debent æquiuocatione confundi, & ad conclusiones deducendas inutilia reddi.

DVBIVM II.

Vtrum sacramenta sint signa ad placitum?

§. I.

De facto sunt signa ad placitum.

Dico primo, sacramenta sunt signa ad placitum significantia ex diuina institutione. Ita Hugo de S. Victore lib. 1. de sacramentis parte 9. cap. 2. quem refert, & sequitur S. Thomas q. 64. art. 2. ad 2. & hic q. 60. art. 5. Et Theologi communiter probant: quia sacramenta sunt signa sensibilia gratiæ; sed nulla res sensibilis ex natura sua signifi-

cat gratiam; siquidem est forma supernaturalis; ergo necesse est, quod hæc significatio illi superueniat ex Dei libera institutione.

Ab ista certa, & communi Theologorum sententia solum inuenio deuiare P. Augustinum Bernal disp. 1. de sacramentis sec. 1. nu. 50. vbi ait. Sacramentum pro formali non est signum sanctitatis ad placitum, sed naturale: Quia sacramentum pro formali dicit rationem signi pro formali: sed signum pro formali non est signum ad placitum, sed naturale: quia signum pro formali dicit formam representatiuam, quæ est impositio Reipublicæ, quæ ex se, & intrinsece representat naturaliter, nec alia impositione indiget: nec iste respectus est contingens, sed essentialiter, & naturaliter ei contentiens. Ergo sacramentum pro formali signum naturale est. Sed hæcenus in scholis inauditum, paradoxum, & interminis implicitorium est, quod signum ad placitum, formaliter in quantum tale, constituitur per formam speciei sibi oppositæ: est enim idem ac dicere, quod forma lucidi, ut lucidum est, sunt tenebræ, & quod forma alibi est nigredo, & forma rationalis est irrationale. Et tota æquiuocatio est, quia formam significare ad placitum, vel naturaliter, non sumitur ex habitudine ad rem significatam: quia sic omne signum essentialiter respicit signatum, sicut relationem suum terminum: sed sumitur ex habitudine formæ ad subiectum, & ex causa dante esse: nã si sit contingens, & libera, est signum ad placitum: si causa est necessaria, & similitudo est realis, est signum naturale. Ergo omnino dicendum sacramenta esse signa ad placitum, ut tandem fatetur n. 53.

2 Dices, hæc verba: *Ego te absoluo à peccatis tuis*: ex significatione humana seclusa, quæ in institutione diuina, significat veram solutionem à vinculo peccatorum: hoc enim concipiet quilibet latius ignarus diuinae institutionis: ergo sacramentorum significatio non est ex sola diuina institutione.

Responderetur, quod supposita significatione humana, institutio diuina determinat illa verba pro forma sacramenti Penitentia, & dedit eis vim effectiuam, & contulit habere veritatem practicam in non ponere obiectionem: quam veritatem, seclusa diuina institutione, non haberent: temeraria enim esset illa hominis vox: siquidem auctoritate propria, nemo potest dimittere peccata nisi solus Deus. Significatio ergo speculatiua, & popularis præcedit significationem sacramentalem à Deo institutã, & virtuosam effectam.

3 Potest item probari conclusio, quia Deus

Deus sicut instituit has res sensibiles pro forma sacramentorum, posset alias longe diuersas assumere: quia ablutio media aqua corporali facta, non habet connexionem cum emundatione ab originali peccato, quae fit per gratiam baptismi. Posset item Deus vel se absolute, quod istorum sacramentorum institutio cessaret: quamuis ex suppositione sua promissionis Ecclesiae factae, id iam sit impossibile. Sed absolute id posset, sicut de facto antiqua sacramenta cessarunt nouis superuenientibus: ergo sacramentorum significatio, & efficacia est ex libera institutione diuina.

4 Sed obijcies: nam res sensibiles naturaliter quaedam repraesentant: & assumuntur in sacramentis ille, quae magis aptantur ad proprios sacramenti effectus: vt in Baptismo aqua, quae abluit, & mundat, assumitur ad significandam spirituales ablutionem. Et in Eucharistia panis significat spirituales nutritionem, & sic de alijs: ergo sacramenta non significant mere ad placitum, sed naturaliter. Et ite Magister in definitione Sacramenti posuit, *vt imaginem gerat*: & Hugo Victorinus relati dub. 1. n. 15. apponit illam particulam: *ex similitudine repraesentans*. Quae omnia videtur tradere S. Augustinus Epist. 23. dicens. *Si sacramenta quaedam similitudinem carum rerum, quarum sacramenta sunt non haberent, omnino sacramenta non essent. Quod & docet de Cathec. rud. c. 26.* Ergo non ex solo beneplacito, & institutione Dei extrinseca, sed ex naturali similitudine sacramenta significant.

5 Ad argumentum respondet S. Thom. q. 64. art. 2. ad 2. quod res sensibiles aptitudinem quam habent ad significandos spirituales effectus ex sui natura: sed ista aptitudo determinatur ad specialem significationem ex institutione diuina. Et hoc est, quod Hugo de S. Victore dicit, quod sacramentum ex institutione significat. Prae elegit tamen Deus quasdam res alijs ad significationes sacramentales, non quia ad eas contrahatur eius effectus, sed vt sit conuenientior significatio. Haec ibi. Et in 4. dist. 1. q. 1. art. 1. q. 5. ad 4. ait. *Et si representatio, quae est ex similitudine naturalis proprietatis importet aptitudinem quaedam ad significandum: at tamen determinatio, & complementum significationis ex institutione est.* Quae doctrina S. Thomae communiter acceptatur a Theologis docentibus, quod significatio completa, & determinata sacramentorum est ad placitum ex diuina institutione. At vero ex natura rei praecedit quaedam aptitudo, & similitudo proportionalis, & analogae vt sic institutio sit conuenientior, & aptior, & magis accommodata signifi-

ficationi naturali.

6 Solus Lugo disp. 1. sect. 3. nu. 33. obijcit hanc doctrinam non esse vniuersaliter veram: nam ad significandam gratiam, quam coniuges accipiunt ad onera coniugij sustinenda, non habet maiorem proportionem matrimonium, aut materia, & forma, vel verba, quibus perficitur, quam reliquae omnes actiones, & contractus humani habeant ad significandam etiam gratiam necessariam ad illas actiones recte faciendas: neque enim materia, aut forma, seu verba, quibus matrimonium perficitur, indicant ex se villo modo illam gratiam, sed merum contractum humanum. Ergo in matrimonio non inuenitur similitudo aliqua cum effectu gratiae, quem causat.

7 Respondetur, quod ante institutionem non est similitudo vniuersa, & in actu, sed solum radicalis, & in potentia, & in aptitudine quadam vt congrue assumatur. Haec autem aequae reperitur in matrimonio ac in alijs sacramentis: sicut enim proportionem habet radicalem, vt significet unionem Christi cum Ecclesia, quia amor coniugum significat maximam Christi Charitatem cum Ecclesia sua sponsa: vnde Apostolus ad Eph. 5. ait. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & Ecclesia: quamuis ante Christi institutionem haec significatio non sit actualis, & eo modo quo exigitur ad sacramenta nouae legis.* Ita contractus naturalis matrimonialis ad indiuiduam vitae consuetudinem retinendam, habet aptitudinem vt Deus coniugibus det mutuum amorem Charitatis, & gratiae ad onera matrimonij sustinenda. Alij autem contractus de facto non sunt instituti, & eleuati a Deo ad rationem sacramenti, ideoque non significant, neque causant gratiam. Cum autem in matrimonio (vt ait D. Thomas in 4. dist. 26. q. 2. art. 3.) datur homini ex diuina institutione facultas vt edat suam uxorem ad procreationem prolis, datur etiam gratia, sine qua id conuenienter ex facere non posset. Et ad 1. recte ait, quod sicut aqua baptismi habet, quod corpus tangat, & cor abluat, ex tactu carnis Christi. Ita matrimonium hoc habet ex hoc, quod Christus sua Passione illud representauit; & non principaliter ex aliqua sanctificatione sacerdotis.

8 Quantum vero ad auctoritatem S. Augustini ex epist. 23. eum exponunt ex doctrina S. Thomae relata num. 5. fere communiter auctores; nempe Soto in 4. dist. 1. q. 1. articulo 1. §. *Tametsi*. Nuño, Cabrera, & Araujo art. 1. & Serra conc. 2. in fine. Bellarminus lib. 1. de Sacramentis cap. 9. Suar. hic disp. 1. sect. 3. post 2. conc. & alij frequenter; quia

quia licet Deus quaecumque rem sensibilem posset pro materia sacramenti assumere, & ei vim significandi, & causandi dare; vt tamen aptior, & conuenientior esset institutio, assumpserit res habentes similitudinem proportionalem cum sanctitate a sacramento significata, quam similitudinem si non haberent, non assumerentur de facto a Deo. Huc que sensum faciunt illa verba, quod si illa non haberent, omnino sacramenta non essent. Similitudo tamen proportionalis est causa analogae, & insufficientis ad actu significandum rem sacram: & ideo determinatio, & complementum significationis ex institutione est; vt dictum est ex D. Tho.

9 Alijs tamen, licet doctrina non displiceat, videtur esse magis ad mentem S. Augustini explicatio Vazquez disp. 1. 28. cap. 4. n. 38. quem sequitur, licet non referat, Lugo disp. 1. sect. 3. nu. 33. quod non loquitur Sanctus Augustinus de naturali proprietate praecedente institutionem, sed de ipsa significatione, propter quam signum, & signatum eodem vocabulo communi appellantur: sicut imago Caesaris Caesar dicitur: & sacramentum corporis, & sanguinis Christi corpus Christi dicitur: & Baptismus, in quo fides profitemur, fides dicitur: & dies qua colitur Natiuitas Domini Natiuitas dicitur. Et ab hac conuenientia signi, & signati sacramenta habent aliquando communem nomen cum resignata, non vero propter illam naturalem proprietatem. Hanc expositionem esse germanam, & priori praefendam, ex contextu antecessantium, & subsequantium verborum S. Augustini probari videtur, & non male. Ait namque. *Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt.* Sicut ergo secundum quendam modum Sacramentum corporis Christi corpus Christi est, Sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est, ita sacramentum fides fides est. Et infra. *Sicut de ipso Baptismo Apostolus ad Rom. 6. ver. 4. ait: Consepulti, inquit, sumus per baptismum in mortem. Non aut sepulturam significamus: sed prorsus ait. Consepulti sumus. Sacramentum ergo tantae rei non nisi eiusdem rei vocabulo nuncupauit.* Ergo loquitur S. Augustinus de Sacramento cum sua institutione, & significatione: de quo asserit signum, & signatum saepe eodem vocabulo nuncupari.

6. II.

An idem sit de possibili?

10 Sed videndum sequitur, an licet sacramenta de facto instituta sint signa ad placitum, possit dari aliquod sacramentum, quod sit signum naturale?

Respondet Lugo disp. 1. sect. 3. numero 29. quod loquendo de possibili non apparet repugnantia alicuius rei sensibilis, quae propter connexionem, quam ex natura sua haberet cum gratia, posset illam significare: nam sicut character baptismi, Confirmationis, aut Ordinis est qualitas quaedam ex natura sua, & entitate intrinseca ordinata ad significandam gratiam sacramentalem, vt infra; cur non posset dari aliqua etiam qualitas, aut res sensibilis, & materialis, quae per suam entitatem, & naturam intrinsecam haberet talem connexionem cum gratia, vt posset etiam illam significare praesentem, vel futuram? Non enim repugnaret ex eo, quod esset res materialis: na ubicatio corporis Christi in Eucharistia est materialis: & tamen est accidens supernaturalis: & in aliquorum sententia, quae sequitur Herice 1. disp. 48. num. 40. ex se dicitur ordinem ad gratiam sacramentalem, quam corpus Christi potest ibi causare, & ex illo ordine intrinseco ad gratiam accipit supernaturalitatem.

11 Item detes corporis gloriosi in patria sunt materiales, & tamen sunt etiam supernaturales, in sententia huius Authoris ibi nu. 34. propter ordinem intrinsecum, quae habent ex se ad visionem beatam; & percipiens ad gratiam habituales, quae est semen gloriae. Ergo similiter posset esse aliqua qualitas materialis ex natura sua significans gratiam praesentem, vel futuram. Quae si ab ipsa qualitate causaretur, saltem vt ab instrumento eleuato, vel vt causa morali, iam posset esse verum sacramentum, licet in ratione signi non esset signum ad placitum, sed naturale.

12 Neque opus esset vt perciperetur a sensibus conuexio intrinseca, quae illa qualitas haberet cum gratia. Quam tamen connexionem posset Deus, vel Angelus reuelare. Quae quidem reuelatio penderet ex placito diuino, non tamen ipsa intrinseca conuexio qualitatibus supernaturalibus ex natura sua significatis, vel causantis gratiam, prout ibi explicat n. 30. & 31.

13 Hanc sententiam impugnat Bernardus disp. 1. sect. 1. §. 6. ad nu. 46. vt que 49. docens sacramentum essentiale esse signum ad placitum: nec posse diuinitus dari sacramentum, quod sit signum naturale. Probat primo, quia qualitates corporum beatorum non sunt intrinsece supernaturales. Secundo, quia etiam si essent supernaturales, ideo tales forent, quia supra exigentiam omnis substantiae creatae, & creabilis, non vero quod ad intrinsecam sanctitatem intrinsecum dicerent ordinem: hic enim nec esset causa, nec effectus.

effectus, vt claret. Nec meri signi, quia hoc in solis reperitur qualitatibus intentionalibus. Tertio adhuc si illa qualitates sic respicerent gratiam, non essent sacramenta, quia non sunt signa accommodata modo humano ad sacrandum, & distinguendum ab alijs, ita vt & constitutio, & distinctio sensibus externis naturaliter nosci possit, etiam ab ijs, qui extra Ecclesiam sunt. Ergo si propter hanc rationem sacramenta sunt essentialiter signa sensibilia, vt ipse Lugo docet; pariter debent esse sensibilia naturaliter; & ita non sunt signa naturalia, sed ad placitum. Ergo sacramenta essentialiter sunt signa ad placitum.

14 Hæc secunda opinio est priori præferenda; sed quia aliqua eius probationes non vrgent; ideo vt ex proprijs procedamus.

Dico secundo, sacramenta sunt essentialiter signa ad placitum: vnde dari nequeunt sacramenta, quæ sint signa naturalia, & non ad placitum ex diuina institutione dante significationem, & causalitatem in gratiam. Posset probari primo ex Hug. de S. Viç. lib. 1. de Sacramentis p. 9. cap. 1. qui in definitione Sacramenti constituit, quod debeat significare ex institutione. Quam vt conditionem, seu requisitum essentialiter sacramenti, acceptant S. Thomas in 4. dist. 1. q. 1. art. 1. q. 5. & 3. p. q. 64. art. 2. ad 2. & Cathecismus Pij 5. Ea autem quæ sunt definitionis essentialia variari nequeunt eadem essentia manente. Item Theologi communiter, vt probent sacramenta esse signa ad placitum; non recurrunt ad aliquam legem Dei positiuam: sed probant ex ipsis rerum prædicatis essentialibus: eo quod res corporalis non habet ordinem ad spiritualem sanctificationem; nec res sensibilis potest esse signum naturale sanctitatis. Ita Durandus in 4. dist. 1. q. 1. n. 11. & alij, quos refert, & sequitur Vazq. c. 4. nu. 37. & passim alij.

Solis illis probationibus non innitor: quia S. Thomas, & Theologi loquuti sunt de sacramentis, quæ nunc sunt: & ista definire curarunt, relictis subtilitatibus de alijs sacramentis possibilibus: de quibus nec nos disputamus, nisi in vitium vitio coartaremur alie no.

15 Aliter ergo conclusio probatur, & retorquetur, & soluitur fundamentum contrarium: nã de facto qualitates corporis gloriosissimi sunt materiales, & supernaturales: vnde claritate corporis Beati esse alterius generis à claritate naturali; docet S. Thom. in 3. dist. 26. q. 2. art. 1. ad 3. & 4. Et que intrinsecè supernaturalem, docent Scotus in 4. dist. 49. q. 15. Suarez to. 2. in 3. p. disp. 32. lect. 1.

& disp. 48. lect. 2. & alij quinque Authores; quos refert, & sequitur Ripalda lib. 3. de Ente supernat. disp. 44. lect. 10. n. 61. Et quamuis supernaturalitas non consistat in connectione cum gratia, vt suo loco contra Ripaldam ostendimus: Tamen de facto claritas corporis gloriosi derivatur à gloria animæ, & ita est signum illius, sicut omnis effectus est signum naturale suæ causæ: & cum de facto omnes beati sint sanctificati per gratiam; iam qui videt claritatem corporis gloriosi, habet signum naturale gratiæ. Quod totum de facto videtur à beatis. Cum tamen in beatitudine nulla futura sint sacramenta, vt expresse docet S. Thomas q. 62. art. 4. ad 1. Ergo ad rationem sacramenti non sufficit significare gratiam naturaliter aliquam qualitatem supernaturalem; sed exigitur significatio ad placitum.

16 Præterea in opinione illorum, qui dicunt sacramenta posse à Deo institui in materia spiritali, de qua infra dub. 7. datur de facto signa spiritalia naturaliter significatiua gratiam: nam species impressæ, siue acquiruntur, siue infusa, naturaliter repræsentant sua obiecta; quia sunt illorum similitudines, & imagines: Angeli autem, & Beati de facto habent species repræsentantes gratiam. Cum tamen non sint sacramenta in Beatis. Deinde virtutes, & actus, qui dimanant à gratia, & qui ex natura sua fieri nequeunt sine illa, eam naturaliter repræsentant: sicut fumus naturaliter repræsentat ignem. Nemo autem dicit virtutes, & actiones supernaturales esse sacramenta gratiæ. Quia ad hoc exigitur vt ex diuina institutione significet gratiam vt in exercitio per eam sanctificamur, vel sacramur, iuxta ea, quæ diximus ex D. Thom. art. 2. ad 1. Non ergo ad rationem sacramenti sufficit significatio naturalis gratiæ, quamuis reperitur in specie intentionali, vel in qualitate supernaturali.

17 Dices, rationem signi esse rationem genericam in sacramentis: genus autem sine contractione per differentiam, non constituit speciem. Quare nec significatio ad placitum, nec significatio naturalis gratiæ sufficiet ad sacramentum: sed ulterius exigitur conceptus differentialis. Si ergo significatio nem naturalem, quæ speciei, vel alicui qualitati supernaturali gratiam repræsentanti conuenit, Deus eleuaret vt instrumentum physicum, vel vt causam moralem gratiæ, nil illi deesset ad completam essentialem rationem sacramenti: & tamen in ratione signi non esset signum ad placitum, sed naturale.

18 Facile dicitur, quod sicut Deus de facto

facto eleuat naturam aquæ, quæ est quid naturale; & vocem significatiuam significatione grammaticali, & dat illis nouam significationem sacramentalem, vel practicam, & sine ista non est sacramentum: ita posset assumere significationem naturalem speciei, vel qualitatis supernaturalis. Sed non haberet significationem sacramentalem, nisi ex noua significatione ad placitum ex eleuatione Dei: quia nulla creatura facta, aut factibilis, virtute natua valet cauare gratiam aut physicè, aut moraliter: vnde solū ex libera Dei assumptione, & institutione hanc tunc potest habere. Vnde non potest esse sacramentum nisi sit signum ad placitum ex libera eleuatione, & institutione diuina.

§. III.

An sit de essentia sacramenti quod sit stabile?

19 Dico tertio, sacramenta, quæ de facto sunt instituta, sunt stabilia, & semper duratura; & pro toto statu Ecclesiæ: Nullatenus tamē repugnat, quod si Deus vellet, institueret sacramentum extraordinarium pro vna vice, & pro vno homine iustificando. Prior pars est communis, & certa, ex doctrina S. Augustini 19. contra Faustum cap. 11. & de vera relig. cap. 17. S. Ioan. Chris. hom. 39. in Genesim, dicentibus, sacramenta esse designatas ceremonias, quibus populi adiunguntur in cultu externo Dei: sicut ergo Ecclesia est vna, & duratura vsque ad sæculi finem: ita, & sacramenta debent esse stabilia, quasi septem Ecclesiæ columnæ: de quo S. Tho. 1. 2. q. 106. ar. 4. Vnde in 4. Sæt. dist. 1. q. 1. ar. 2. q. 5. & dist. 17. q. 3. ar. 1. q. 2. ait. *Sacramenta sunt quedam precepta fidei: vnde sicut fides est vna, ita & Ecclesia debet perseverare eadē sacramenta.*

20 Indeque constat sacramenta non solum debere esse stabilia in duratione, & in vniuersalitate temporis: sed etiã quod directe ordinantur ad bonum commune, sicut leges scribuntur pro communi vtilitate. Quamuis enim non omnes debeant esse sacerdotes, nec omnes debeant esse coniugati, tamē alia quinque sacramenta, & sacramenta Ordinis, & Matrimonij ad commune Ecclesiæ vtilitatem ordinantur, licet non debeant omnia à singulis Ecclesiæ personis recipi.

21 Denique, quod antiqua sacramenta cessarint nouis superuenientibus, non fuit propter minorem stabilitatem institutionis: sed vt figura in veritate, lex in Euangelium verteretur: & vt ait S. Leo Papa ser. 7. de Passione: *Vt umbra cederent corpori, & cessarent imagines sub presentia veritatis, antiqua obseruantia nouo excluditur sacra-*

mento. Et etiam fuit propter perfectionem, & sacrationem significationem nostrorum sacramentorum: natura enim humana naturaliter incipit ab imperfectioribus: vnde congruum fuit vt illa imperfecta adumbrarent nostra: quæ significant statum gloriæ; vbi non sub velamine sacramentorum, sed facie ad faciem Deum videbimus.

22 Vltimam assertionis partem negant Suarez disp. 1. sec. 3. cõc. 3. Valeria, Coninch, Meratius, Layman, & Grandos, quos refert, & sequitur Bernal disp. 1. sec. 1. §. 7. n. 58. vsque 62. Suarez, & alij probant, quia aliqua sunt signa diuina, quæ non possunt conuenienter excludi à ratione sacramenti, nisi ob defectum huius conditionis, quia non sunt stabili lege instituta: ergo signa non stabilia sacramenti rationem non obtinent, etiam si à Deo sint instituta. Antecedens probatur: nã cum Christus Dominus Lucæ 7. Magdalenam dixit: *Remittuntur tibi peccata*: illa verba significabant internam sanctitatem, quæ Christus tunc illi contulit. Et Ioan. 20. cum Christus insufflauit dicens: *Accipite Spiritum Sanctum*: factum simul, & verbo significauit spirituale donum, quod Apostolis contulit. Et tamē ista non fuerunt sacramenta: alioquin in noua lege essent plura; quæ septem sacramenta. Ergo omnino requiritur quod sacramentum stabili lege institatur. Nam legem esse stabilem moraliter multum variat rationem significationis. Neque sufficit respondere cum Soto illam Christi actionem non habuisse significationem ex institutione, sed naturalem tantum: quia Christus per sensibile illud flatum significare voluit Spiritum Sancti afflatum: quæ significationem veram, & certam non habet similis flatum ex sola naturali proportionem: adfuit ergo significatio ad placitum, & sola defuit stabilis, & fixa institutio: & ideo non fuit sacramentum.

23 Ista & alij suorum expretis rationibus, arguit Bernal n. 60. quia Sacramentis populus Dei primo, & principaliter constituitur in se, & à non Dei populo distinguitur: Sunt enim præcipua capita diuini cultus; iustissima iura, legesque, & instituta sacre Reipublicæ, vt potest quæ sunt de substantia status Ecclesiæ. Sunt igitur essentialiter æque stabilia, ac ipse Ecclesiæ status.

24 Sed conclusionem nostram, contra Suarez, probat Lugo disp. 1. sec. 3. à n. 48. simul argumenta soluendo, quia non arguitur bene ab ijs, quæ de facto sunt, vt ex hoc solo negetur possibile aliud sacramentum

non stabile. Deinde n. 49. quia non minus debent conuenire fideles in modo, & ritu sacrificiorum, quam in sacramentis: nec minus Deus in lege Moyſis determinauit gênera, & ritus sacrificiorum, quam sacramenta, vt constat: Et tamē potest adhuc assumi aliquod sacrificium ad colendum Deum, non per legem permanentem, sed per institutionem quā transcuntem pro vna vice: sic enim in lege naturæ De⁹ præcepit Abraham immolationē filij Isaac ad cultū Dei: sic etiam in nouo testamento Christus Sacerdos ex præcepto Patris obtulit sacrificium cruentum in Cruce: quorum tamē neutrum trāsiit in exemplum, vt constat: neque stabilitum fuit per legē permanentem; sed tāquam ritus extraordinarius. Ergo similiter posset Deus instituire aliquod sacramentum extraordinarium pro vna vice, quod pertineret etiam ad cultum Dei.

25 Sed instat Bernal n. 62. nam sacrificium aliquod humanitus institui potest; sacramētū nisi diuinitus nō potest: ergo illud de substantia diuini populi nō est, istud est. Secundo: nam sacrificium, & sacerdotium diuinitus institutum, est de substantia Reipublicæ sacræ, seu Ecclesiæ: ac proinde est æque perpetuum, ac ipsa. Quod factis expressit Apostolus ad Heb. 7. ver. 12. dicens: *Translatio sacerdotio, necesse est vt legis translatio fiat. Quare si sacrificium institueretur ad tempus; post hoc tēpus iam esset alter Ecclesiæ status substantia liter. Et ideo Christus est Sacerdos in æternum.*

26 Prior tamē instantia retorquetur à fortiori: quia si ea, quæ sunt de institutione humana pro libito hominū possunt institui, vel stabilia, vel pro vna vice, multo melius ea, quæ dependent ab institutione diuina, quæ est magis libera. ¶ Secunda instantia nō vrget, quia sacrificium Abraham, & sacrificiū Crucis cruentum, prout sic, tantum pro vna vice fuerūt. Et quoad hoc solum arserunt illa exempla. Quod vero sacrificiū incruentū, & Eucharistia durent, est loqui de sacramentis de facto institutis: quæ esse stabilia nullus Catholicus negat: Ergo ratio relata satis manet probabilis.

27 Quāuis mihi magis placeat à priori probare: nā institutio sacramentorū est ad placitū ex libera voluntate Dei pro suo libito determinantis, quā vult materiā, & formā, & virtutē significatiuā, & causatiuā. Sed nulla est repugnantia, quod pro vno homine semel iustificādo, Deus velit sa-

cramentū aliquod, vel signū externū gratiæ cōferēdæ instituire. Imò tam eximia est Christi erga nos Charitas, vt paratus esset, vel pro vno solo redimēdo mortē Crucis sustinere. Vnde S. Chriſost. hom. 13. in Acta dicit: *Vnus dumtaxat anima tantā effectiua, vt ob eā filius Dei fieret homo: de quo ipse S. ad Galat. 2. in fine, ad illa verba Apostoli de Christo dicens: Quid dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Ergo pro vno solo posset sacramentum, vel sacramenta instituire: nā quod sit pro vno, vel pluribus, quod duret paruo, vel magno tēpore, sūt differentiæ accidentales ad rationē signi practici gratiæ, quæ est ratio essentialis sacramentorū nouæ legis: ergo posset à Deo institui sacramētū extraordinariū pro vna vice dūtaxat. Imò posset Deus pro homini cōmittere potestatem sacramenta instituedi, plura, vel pauciora pro suo libito: & ille vt velet, posset instituire, quod duraret pro vna, vel pluribus vicibus: licet de facto sibi soli, Christus Dñs hanc potestatem reseruarit, prout docet S. Th. q. 64. art. 4.

28 Ad priorē partē argumēti iam responderat Cano Relec. de sacram. p. 1. ad 5. verba Christi nō pertinuisse ad ritū aliquē religionis; sed tātū explicasse diuinā potestatem. Nā eadē loquendi forma Dñs dixit: *Surge, & ambula; ides tua te saluū fecit, & alia eiulmodi, quæ passim reperies apud Euāgelistas.* Imò vero nō existimauerim verba illa fuisse quasi instrumentū, quo Dñs ad sanctificationē vteretur: quod tamē esset necessariū, vt ibi esset sacramētū. Rursū & manifestā etiā habet significationē; nec gestū fuit ibi quidquā, quod sub rerū corporallium imagine occultum mysterium insinuaret. Quia propter nullum fuit eo loco sacramentum. Hæc ille, qui ex triplici capite excludit à ratione sacramenti: quia nec fuit institutio, nec verborum causalitas; nec significatio religiosa occulti mysterij.

29 Pariter Soto art. 2. in fine, §. *Pari ratione*, docet illa verba Christi ad Magdalenam nō fuisse formam sacramenti; quia non erant instituta ad religionis cultū. Et Núñez art. 2. ad 1. & Serra artic. 4. ad 2. & alij respondent, quod quamuis illa verba significarent gratiam, quæ tunc collata est Magdalene, quasi speculatiuē, & grammatice; non tamen sacramentaliter quasi signa instituta ad significandam gratiam conferendam in vsu illorum. ¶ Addo ex Diuo Thoma quæst. 64. artic. 3. & quæst. 86. ar. 2. quod Christus Dominus, inquitū Deus

§. III.

Vtrum significatio sacramenti sit quid reale, vel quid rationis?

32 Sed & de eadem significatione ad placitum sacramentorum, restat difficultas, metaphisica quidē, sed quæ à Theologo Scholastico præmitti nequit, cū fere ab omnibus pertractetur, nec eodē modo resoluarur. An videlicet significatio sacramentorū sit quid reale, vel quid rationis, vel aliquid mediū inter ens reale, & rationis? Agidius Coninch art. 2. dub. 2. n. 14. dicit hæc debere vocari entia moralia; quasi mediā inter ens reale, & rationis. ¶ Bernal disp. 1. sec. 1. §. 6. in fine dicit, quod sacramentalis forma, non aliud est quā ipse institutionis actus: quia significatio ad placitū nō est ens rationis formale; quoniam hoc est ficticiū, nō vero formale sacramenti. Secundo nō est ens rationis fundamētale: nā etiā isto impossibili, constat sacramētū. Tertio, nō est modūs, aut entitas, aut aliquid physicū physicē efficiens materiā, quæ assumitur ad significādū: quoniam omnne tale est planē superflū. Quarto nō est ens mediū inter physicū, & fictū; quia tale mediū est extremē chimericū, seu chimericorū extremum: & ante hæc omnia signū, & sacramētū intelligitur plene cōstitutū; nimirū per istū actū, *velo vt absolute; & hæc verba significant; & cōferat gratiā.* Ergo sacramentalis forma non est aliud quā ipse institutionis actus.

33 Præterea Suar. disp. 1. sec. 3. in sol. ad 2. cōtra 2. docet significationē ad placitū nō esse realē, quia impositio nihil reale intrinsecū ponit in re significatē. Sed nec esse relationē rationis, quia relatio rationis tandiu est quādiū ab intellectu cōcipitur, seu fingitur. Huiusmodi autē signū semel impositū nō pēdet ex operatione intellectus: nā ante illā exercet munus signi excitando mentē vt veniat in cognitionē signati. Erit ergo significatio denominatio extrinseca à reali actu proueniens, ex qua moraliter, & quasi humane modo loquendo relinquatur in se imposita habitas, seu aptitudo vt excitet intellectum: sicut à depuratione Regis manet iurisdicō in iudice. Idē sequitur Auerſa q. 60. sec. 1. in fine. Pasqualig. in Mor. Theol. disp. 64. sec. 3. n. 14.

34 Latē idē prosequitur Lugo disp. 1. sec. 3. à n. 36. vique ad 42. dicens hanc cōtrouersiam totam videri de vocibus: & in quæstione de nomine magis placet dicere has denominationes esse reales, cum non

Deus, authoritatiuē, & inquitū homo, potestate excellentiæ, contulit sacramenti effectum sine ipso sacramento, quamuis etiā posset instituire, & facere, quod pro illa sola vice esset sacramentum: & verba sua sacramentaliter significaret, & causarent gratiam.

30 Ad secundū exēplū argumēti respondet Lugo sec. 3. n. 52. dicens. De insufflatione verò, & illis verbis: *Accipite Spiritū Sanctū, &c.* Nō video cur neget P. Suar. fuisse sacramētū: per illud enim ordinariū sunt Apostoli Sacerdotes, seu cōpleta est eorū ordinatio, quoad potestatem absoluedi a peccatis, quā nondū acceperant, quando in vltima Coena acceperant potestatem cōsecrādi Eucharistiā, & offerendi Sacrificiū legis nouæ. (De quo in Cōc. Trid. sess. 14. c. 1.) Quāuis autē nūc Ecclesia nō vtatur insufflatione, quādo presbyteri ordinantur, nō refert: quia vt notauit P. Vazquez alijs to. 3. in 3. p. disp. 239. n. 33. in materijs, & formis sacramentorū aliquid fuit ab ipso institutū pro tēpore sequēti, aliud vero voluit à se, vel etiā ab Apostolis aliquādo vsurpari; cū enim esset auctor sacramentorū, potuit per potestatem excellētiā, quā habuit, aliqua materia ipse vti, aliā vero pro sequenti tempore præscribere. Quod multis exēplis probat idē Vazq. ibi. Quāuis ergo nūc insufflatio nō adhibeatur, adhibetur tamē loco illi manu impositio, cū eisdē verbis: *Accipe Spiritū Sanctū, quorum remisit peccata, &c.* Sicut etiā nūc ordinantur Sacerdotes per traditionē hostiæ, & calicis cū vino, & aqua non cōsecratis; licet Christus illā materiā Apostolis nō tradiderit, sed corpus, & sanguinē suū iā cōsecrātū. Hæc ibi.

31 Ad tertiuū facillē dicitur, quod sacramenta data Ecclesiæ, sunt de facto eius columinæ immobiles, & stabiles, & ad cōmunis bonū. Hæc tamen solū accidentaliter differunt ab eisdē sacramentis, si pro vniuerso tantū salute semel danda, instituerentur: quia signū, & causa essent eiudē rationis data vni homini, vel toti mūdo. Quod autē de facto instituatur sic, vel aliter, ex sola Dei libera volūtate depēdet: quia vt ex D. Aug. lib. 2. qq. ex nouo test. q. 83. circa princ. to. 4. docet S. Th. 3. p. q. 1. ar. 6. in potestate dantis est, quando, vel quāntū velit misereri. Et in potestate Saluatoris, & medici animarū, quod pro vno, vel pro toto mūdo medicinam instituat. Vnde sacramenta ordinaria sunt pro salute omnium, extraordinaria possent esse pro plurib⁹, vel pro vno tantum.

distinguantur re ipsa à formis realibus, ex quibus exurgunt. Interroganti enim quid sit reuera sacramentum; debemus respondere per id quod reuera, & ante ullam nostram fictionem continet: quod totum est reale. ¶ Deinde, non solum est re ipsa in dependens à ratione totum illud: sed potest etiam, & debere concipi, atque explicari à nobis absque vlllo ente rationis: quia concipimus illas denominationes, seu formas denominantes, non fingendo, sed prout reuera sūt in se ipsis, & extrinsece rebus denominatis. Siquidem Deus, & Angeli absque vlla fictione cognoscunt ablationem, v.g. institutam esse ad significandam gratiam: neque coguntur vt id cognoscant, sin gere in ablatione aliquam virtutē intrinsecam ad significandum, seu hanc institutionem esse ablationi intrinsecam. Et à nobis concipitur illa forma extrinseca realis, quæ reuera datur: Imò debet semper illa forma concipi extrinseca; quando cognoscitur sacramentum, vt verum sacramentū est. Nam ablutio, v.g. quæ fuit instituta ad significandam gratiam, per institutionē, & vim significatiuam intrinsecam, nō datur de facto; sed solum, quæ sit significatiua gratiæ per institutionem, & vim significatiuam extrinsecam: ergo dum cognoscitur ablutio cum potestate intrinseca ad significandum, non cognoscitur illud sacramentum, quod de facto datur, sed aliud, quod de facto non datur. Et concipere aliter non est concipere sacramentum. Vnde illud morale, quod remanet post institutionē, est physice institutio præterita, quæ æquiualeat potentiæ; & facultati intrinsece, quam nunc haberet in ordine ad hunc effectum nunc significandi.

35 Dico tamen quarto, significatio sacramentorum, formaliter, & cōpletiue sumpta, est relatio rationis: quamuis sacramenta simpliciter, & absolute sint, & dicantur esse entia realia. Est Theologorum cōmunis: nam eam tenent Scotus in 4. dist. 1. q. 2. §. De secundo, circa finem, versus Tertio dico. Et Scotistæ frequenter. Item Soto q. 1. ar. 1. in fine. Nuño hic art. 2. diffic. 1. ad 6. Araujo dub. 1. n. 16. & 17. Cabrera disp. 1. ad 2. & 3. Serra art. 1. ad 2. Ruyz dub. 1. conc. 2. & ad 1. Petrus Niger in clypeo Thomistarum, & Bruxel. super Prædicab. q. 1. art. 3. ad 2. & cōmuniter Thomistæ. Henriquez lib. 1. de sacramentis cap. 2. in textu n. 6. & in Glossa lit. x. Vazquez disp. 128. c. 4. n. 43. Ludou. Caspensis to. 2. tract. 2. 1. disp. 1. sec. 4. n. 27. & alij.

36 Prior pars probatur: nam significatio sacramentorū est significatio ad placitū: sed significatio ad placitū, formaliter sumpta, est ens rationis: ergo & significatio sacramentorū. Probatur minor; significatio ad placitū causatur ex impositione humana: sed hæc nil reale intrinsecū ponit in rebus denominatis: ergo solū ponit aliquid habēs esse tārū obiectiuē in intellectu: quod est ens rationis.

Cōfirmatur, & explicatur. Quia sacramentū denominatur formaliter significans ab aliqua forma intrinseca; quia significatio est quid intrinsecum sacramentū: sed nō a forma reali; quia impositio est quid extrinsecū, & ab illa nihil intrinsecū reale acquirit; id quod intrinsecē significat, & formaliter: ergo denominatur formaliter significans à forma intrinseca rationis.

37 Respondet Lugo n. 38. quod denominatio est duplex, formalis, & obiectiua: & nulla in præsentī est ens rationis. Prædicatio, seu denominatio formalis, est opus rationis, vt cōstat; nō est tamē ens rationis, quia nō est aliquid fictū à ratione: sed est verū ens reale, nempē actus intellectus, qui est qualitas vera, & positiua. Prædicatio vero; seu denominatio obiectiua in præsentī casu sūt vera entia realia, scilicet, institutio præterita ad significandum, quæ prædicatur de sacramentis: nā dicere: *Baptismus est signū gratiæ*; est idē ac dicere: *Baptismus institutus fuit à Deo ad significandā infallibiliter gratiā*: in qua prædicatione ex parte obiecti nihil prius significatur, quod nō sit reale.

38 Sed, ni fallor, in hoc latet tota æquiuocatio oppositæ sētētiæ, quod in ipsis denominationibus, obiectiuē sūptis, non distinguuntur duas denominationes, quarum vna est causa alterius, & pro eodē accipiunt institutionē, & significatiōē; cū tamen differant sicut causa, & effectus. Quod expressè docet S. Tho. in 4. Sent. dist. 1. q. 1. ar. 1. quæst. 5. docēs, quod definitio Hugonis de S. Victore, addit supra definitionē Magistri causam significatiōis, quæ est institutio. Et ratio est, quia voces idē significat; quia sūt impositæ, & institutæ ad significandum: sicut imagines artificiales idē repræsētāt, quia sic sūt figuratæ, vel depictæ. Vbi actio artificis scilicet habet causam liter, & forma, & figura sūt causæ formales representandi naturaliter. Pariter impositio est actio causans, & efficiēs significatiōem: hæc autem nominat formam intrinsecam rei, quæ significat.

Siml.

Similiter ergo institutio Dei est causa quasi efficiens, imponens, & faciens, quod baptismus significet gratiā: significatio vero importat formā intrinsecā rei significatiæ, à qua denominatur significare: & hæc est relatio rationis. Vnde S. Tho. in 4. dist. 1. q. 1. art. 3. ad 1. ait, quod *sacramentum est aliquid vni in genere signi, vel causæ; quorum vtrumque relationem importat.*

39 Præterea denominatio extrinseca, obiectiuē sumpta, vel potest accipi merè extrinsece, & casualiter: & sic non est aliquid realiter distinctum ab ipso actu instituentis: Sed tamen hæc non est formaliter significatio, sed solū casualiter, & formaliter est institutio. Vel potest denominatio extrinseca obiectiua accipi formaliter vt applicata, & quasi inhærens rei denominatæ. Et cū inexplicabile sit, quod à forma putè extrinseca proueniat aliquid intrinsecū reale (alioquin iam nō erit potè extrinseca) ex forma extrinseca; quæ est institutio, solū habetur fundamentū vt in re imposita ad significandū concipiatur relationem signi: quæ est relatio rationis: Vnde significatio formaliter, & completiuē sumpta est quid rationis.

40 Secundā cōclusionis partē docet S. Th. lib. 4. Sent. dist. 1. q. 1. ar. 1. quæst. 5. ad 1. dicens, quod sicut formæ artificiales sūt accidentales; tamen in artificialibus tota substantia est materia; & propter hoc prædicatur, vt dicatur: *Phiala est aurum*. Ita etiā cum in sacramentis forma nō det esse substantiale, sed accidentale, in genere causa, & signi; non est incoherens vt materia sacramenti de ipso prædicatur, & in eius definitione sicut gen^o ponatur. Hoc enim etiā in alijs accidentibus contingit, vt dicitur in 7. Metaph. tex. 4. vt dicitur: *Simum est nasus curuus*. Hæc ibi. Idem docet in 4. dist. 3. q. 1. ar. 1. q. 1. ad 3. dicens, quod baptismus, inquantū est sacramentū, est in genere signi; vel causæ: *Et in hoc genere constituitur per formam verborū; à qua habet significatiōē, & efficaciam sacramentalem.* Sicut autē artificialia nō ponuntur in genere ex forma simpliciter, sed ex materia, (nō enim dicimus, quod domus sit in genere qualitatis, nisi inquantū artificiale figuratū; sed dicitur esse in genere substantiæ) ita etiam est de sacramentis. Baptismus enim simpliciter est in genere ablationis; sed secundum quid, scilicet, inquantū est sacramentū, est in genere relationis. Hæc ibi. Quæ etiā retulim^o dub. 1. n. 14. Sic ergo artificialia, & sacramenta absolute nō suppo-

nunt pro forma, sed pro materia: quāuis significatio, quæ est forma sacramentorū, sit formaliter relatio rationis. Quia tamē materia sacramenti remota, & proxima sunt aliquid reale, absolute sacramentū dicitur quid reale: sicut dicimus, quod phiala est aurum, & quod cathedra est lignū, & substantia; quamuis forma sit accidēs.

41 Secūdo est specialis titulus cur sacramentū absolute dicatur esse in rebus ante operationē intellect^o: quia sūt quedā entia rationis, quæ dicuntur esse, quādo est ipso rū fundamentū: & hoc modo absolute concedimus vniuersalia esse in rebus; vt ostendimus lib. 1. Logicæ q. 1. n. 4. & 6. Quāuis vt ait S. Tho. in 1. dist. 19. q. 5. ar. 1. cōplemētū rationis eorū; quātū ad id quod est formale, sit per operationē animæ. Similiter priuatio per modum remotionis est formaliter in rebus; quāuis sumpta per modū entis: solum sit in intellectu formaliter, vt cū D. Tho. & Thomistæ grauiorib^o diximus i. Physicorū q. 13. n. 10. In casu præsentī, vt notat Soto in 4. dist. 1. q. 1. ar. 2. §. Contra hanc, ad 2. sacramentū nō est merens rationis; vt monstrū, quod fingitur: sed in rebus verè realibus cōsistit: tamen si significatio, quæ est eius ratio, sit ens rationis. Et Nuño art. 1. ad 6. ait: *Multa sunt entia rationis; quæ simpliciter loquendo dicuntur esse ante intellectus operationē: vt patet in priuationibus; & etiā in terminis; qui postquam semel impositi sunt ad significandum; simpliciter loquendo dicuntur esse sine alia intellectu operatione.* Similiter supposita Christi impositione, sine alia intellectu operatione, simpliciter loquendo dicuntur esse sacramenta. Hæc ibi. Et tamen art. 2. diffic. 1. ad 6. verè docet, quod sacramentū ratione formæ quidditatiuē, & formaliter est ens rationis: Videatur Cabrera art. 1. disp. 1. n. 33. & 34. & 35. & Ruyz dub. 1. ad 1.

Cum ergo fundamentum proximiū significatiōis sacramentorum sit institutio diuina præterita non retractata; habitualiter, seu moraliter permanens in fide Ecclesiæ; & totum hoc detur in rebus, absolute verificatur, etiā nullo intellectu considerante, quod sacramenta sunt in rebus: Licet ens rationis quoad esse formale non existat nisi dum actu cognoscatur iuxta ea quæ diximus lib. 1. Logicæ q. 7. §. 3. & q. 2. n. 32. & lib. 2. q. 24. §. 2. & 4. Et ex ibi dictis cessant argumētā primæ sententiæ.

42 Sed instabis: nam sacramenta formaliter vt signa eleuatur vt causent per virtutem realem physicam: sed virtus causatiua

B 3 fatiua

faciua formaliter conuenit sacramēto phy- sicè nullo intellectu considerante: ergo & significatio formaliter intrinsecè, & com- pletine est in sacramēto nullo intellectu considerate.

Respondet Araujo, & Serra ad 2. & 1. p. q. 19. art. 3. dub. unico ad 2. secundæ sen- tentiæ, relatione ratione rationis, quâuis nullus sit actiuitatis, posse esse modum in- trinsecū cause: vt patet in forma demon- strationis causantis scientiâ: pariter signifi- catio sacramentorum pēdet vt à conditio- ne velut a modo à forma rationis, quæ est significatio.

43 Sed magis videtur solidum, quod diximus lib. 1. Logicæ q. 2. n. 3. 2. quod cū entia artificialia supponant pro subiecto, illi tribuitur causalitas, licet vt fiat sub for- ma: sicut milites, vt ordinati, vincant, & sine ordine non vincerent; quamuis rela- tio non sit actiua: quia vt ait S. Tho. in 4. dist. 1. q. 1. ar. 2. q. 4. relatio non potest esse principium, nec terminus actionis. Quod à fortiori dicitur de relatione rationis. Si- cut ergo demonstrationi, sumptæ phylicæ pro actibus intellectu, tribuitur causalitas scientiæ, quamuis exigatur indispensabili- ter, quod actus illi sint ordinati in forma demonstrationis: quod fit à forma ratio- nis: ita sacramēto sumpto pro materia remota, & proxima reali, communicatur phylicè realis virtus causatiua: quâuis hæc virtus non communicaretur nisi materia esset formata significatione, vt ex D. Aug. tract. 8. q. in Ioan. docet S. Tho. ar. 7. ad 1.

44 Sed adhuc vltimo melius respon- detur, quod denominatio realis extrinse- ca, sumpta ab institutione Christi, quæ est fundamentum significationis, sumptæ for- maliter pro relatione, est ipsa ratio forma- lis vt ei conferatur virtus causatiua, quæ est realis: id enim quod est materiale, & fundamentum in vna consideratione, est ratio formalis in consideratione reali. Et iuxta hoc dicitur est causalitatem non conuenire sacramēto ratione formæ exi- stentis formaliter existentia propria entis rationis: sed vel propter existentiam vir- tualem, vel propter existentiam formale fundamenti. Et hoc modo priuatio est prin- cipium entis naturalis: & malum dicitur esse in rebus, iuxta S. Tho. 1. p. q. 48. art. 2. ad 2. Et hæc existentia nō est formalis entis vt diuiditur in decē predicamēta: sed est formalis entis vt fundat veritatē proposi- tionis: iuxta ea, quæ diximus lib. 1. Logicæ q. 3. n. 27. & 28. de quo iterū dub. 10. §. 5.

DVBIVM III.

Vtrū omnia sacramenta sint essentialiter signa, & causæ vere sãctitatis interne?

§. 1.

Dux opinionones referuntur.

EXpositis prædicatis genericis sacra- menti, accedimus ad inuestigandam differentiam: quia in signo, & causa sumi- tur ex re significata, & causata. Vt autem termini melius percipiantur, notandum ex D. August. serm. 14. de verbis Apost. & lib. 2. de peccatorum maritis cap. 26. to. 7. quod sanctificatio in Sacra Scriptura multis modis accipitur: quoad præsens at- tinet, reuocari possunt omnes modi ad duos: videlicet, quod alia sit sanctitas ex- terna, & legalis: quæ solum consistit in qua- dam depuratione religiosa, & sacra ad cul- tū diuinū: sicut consueuerunt res inanima- tæ, vt templū, vestes, & vasa sacra. Alia est sanctitas interior, & spiritalis, quæ fit co- rā Deo per verā animæ iustitiā, & gratiā sanctificatē. Vtriusque acceptionis memi- nit Apost. ad Hebr. 9. sanctitatē legalē vo- cans emundationē carnis, quia est externa: & sanctitatē animæ appellat emundationem conscientiæ, quia est sanctitas interior: de quo S. Thom. ad Hebr. 9. lec. 3. & 1. 2. q. 102. art. 5. ad 4. & q. 103. art. 2.

2. Iuxta hoc ergo procedūt diuersæ opinionones Theologorū. Duas simul pro- ponit Cano Relec. de Sacramentis parte quinta ad 1. dicēs. Respondeo, nō opus esse sacramētū quodeūque sic esse practicū sig- nū, vt verè efficiat sãctitatē: sed sat est, vt practica à nobis nūcupētur, quod Deus in illorū signorū applicatione, vsuque sãctifi- cat: id enim cōmune est omnibus sacramē- tis. Vel distinguenda est duplex sãctitas, al- tera legalis, altera spiritalis: vtriusque enim Apost. ad Hebr. 9. meminit. Omnia igitur sacramēta efficiūt aliquā sãctitatē, & mūditiā, vel legalē, vt vetera: vel spiri- tualem, vt noua: vt 1. 2. q. 103. art. 2. Hæc ibi. Quod & insinuat parte 1. ad 6.

3. Priorē opinionē, nempè quod de ratione sacramenti est significare internā animæ sãctitatē in ipsius exercitio colla- tā, siue ab ipso sacramento, siue à Deo in eius præsentia, tenēt Nuño ar. 2. dub. 1. & 2. ad 1. & ar. 3. dub. 1. cōnc. 2. Araujo ar. 2. dub. 2. referēs S. Th. & Caiet. de quorū mē- te ex dicēdis cōstabit. Sequitur Serra art. 2. cōc. 2. Valeria q. 1. pūct. 1. cū Alano, & alijs. Cabrera ar. 2. disp. vnica. §. 3. n. 27.

Probat Serra primo ex D. Tho. artic. 2. docente, quod *Sacramentum est signum rei sacre,*

sacre, in quam est sanctificans homines: nempè suscipientes sacramentum, vt colligitur ex sol. ad 2. nam ideo non sufficit signifi- ficare sãctitatē, qua Christus sãctus est.

Secundo, ex D. Tho. q. 62. art. 6. dicen- te. *Circumcisio, sicut & alia sacramenta vete- ris legis, erat solum signum fidei iustificantis. Et ideo in circumcisioe conferebatur gratia, in qua tum erat signum passionis Christi future.* Ergo sicut in actuali vsu Circumcisionis con- ferebatur gratia; huiusque in vsu conferē- dæ signum erat, idem erit de alijs sacramē- tis veteris legis. Cumque hoc non habeāt sacramenta nisi ex Dei institutione, intrin- secam erat eis esse signa gratiæ conferen- dæ in eorum vsu: nam quod habent sacra- menta ex Dei institutione, intrinsecū est illis.

4. Tertio, D. Thom. in 4. dist. 1. q. 1. art. 2. q. 1. ad 8. (debebat citare art. 1. q. 1. ad 3.) ait serpentem æneum non fuisse sa- cramentum, & rationem assignat dicens: *Quamuis serpens æneus esset signum rei sacre, sãctificantis, non tamen in quantum sacrans est ac- tu: quia non ad hoc adhibebatur, vt aliquis sãctificationis effectus perciperetur.* Ergo neq; alia veteris legis essent sacramenta, si non adhiberentur vt aliquis sãctificationis ef- fectus perciperetur in ipso vsu, & applica- tione eorum.

Quarto, nam si ad rationem sacramen- ti sufficeret significare gratiam, non quæ confertur in eius vsu, sed quæ conferendā erat per passionem Christi in lege Euan- gelica, sequerentur omnia sacrificia legis veteris fuisse sacramenta: significabant e- nim gratiam dandam per Christum, & e- ius passionem in lege Evangelica, vt do- cet D. August. lib. 3. contra Iulianum cap. 9. Sed hoc est falsum, vt colligitur ex D. Tho. 1. 2. q. 101. art. 4. Ergo de ratione sa- cramenti est significare perfectam sancti- tatem in actuali vsu datam suscipienti sa- cramentum. Idem argumentum fieri po- test de cæremonijs omnibus legis Mosay- cæ: omnes enim significabant Christum, & gratiam per eum dandam tāquam um- bræ futurorum. Idem de matrimonio tā in lege naturæ, quam Mosaycæ: significa- bat enim cōiunctionem Christi cum Ec- clesia, & consequenter gratiam per Chri- stum dandam: quod tamen non erat sacra- mentum propriè dictum.

5. Posteriorē opinionem M. Cano sequitur Bellarminus to. 3. lib. 1. de sacra- menti propositione 2. dicens: sacramen- ta veteris legis non ideo sacramenta sunt,

quia significant gratiam iustificantem; sed quia significant, & efficiunt gratiam lega- lem. Probat primo, quia ad sacramentum in genere magis requiritur sãctificare, quā significare: quia in Testamento veteri raro dicuntur significare; frequentissimè au- tē dicuntur consecrare, & sanctificare, seu initiare, vt patet Exodi 28. & Leuit. 8. In testamento etiā nouo Baptismus dicitur la- uacrum regenerationis, ad Titū 3. Et cer- tē regenerare magis efficere, quam signifi- care est. Et quia sacramentum à sacrandō dicitur, non à significandō. Ergo sacra- menta vetera, si vllō modo sacramenta erant, non solum significabant, sed etiam efficie- bant.

Secundo, quia significare gratiam alijs dandam, non est sacramenti, vt sacramen- tum est, sed vt figura, & typus rei futuræ: Nā sacramentum, vt sacramentum, dicit ordinē ad eum, qui sacramento initiatur, non ad alios, vt rectè docet S. Tho. 1. 2. q. 101. ar. 4. & q. 102. ar. 3. Figura autē dicit ordinē ad futura: Et cōfirmatur: quia sig- nificare gratiā dandam alijs, non erat pro- prium sacramentis veteribus; sed etiā sa- crificijs, alijsque obseruantijs Hebræorū, vt S. Aug. demonstrat lib. 19. contra Fau- stum cap. 8. 9. 10. & 11. Nec solum illa, sed etiam serpens æneus significabat curatio- nē a peccatis, quæ Christus allaturus erat, Ioan. 3. Manna dulcedine in Eucharistia. Et transitus maris rubri salutē per Baptismū. 1. ad Cor. 10. Et tamē nec serpens ille, nec Manna, nec Arca sacramenta erant Testa- menti veteris, aut noui.

6. Idē sequuntur Calsensis disp. 1. sect. 3. à n. 19. vsque 24. Et Aueria q. 60. sec. 2. ferè eisdem argumentis confirmans: quia sacramētū omnē propriè est signū prac- ticū respectu eius, qui suscipit sacramētū: vnde cum non conferrent gratiā internā, dicuntur sacramēta, quia cōferunt gratiā legalem. Secundo, quia omnes, ac solæ il- læ cæremoniæ, quæ conferebant gratiam legalē, erant sacramēta. Tertio: nā vetera sacrificia erant vtique vmbra, & figura no- stri sacrificij, erantque simul verè, & prop- riè sacrificia. At non penes hunc respectū figuratē, & representatiuum habebant formaliter sacrificij rationē; sed intrinse- cè, & per se: quia de presenti in suo gradu exhibebant alium Deo, protestando diuinā excellentiā, & supremum dominiū: quæ est essentialis ratio sacrificij. Eodemque prorsus modo sentiendū est de veteribus sacramentis quātū ad sãctificationem.

§. II.

Communis opinio præfertur.

7 Tertia opinio communior, & probabilior, tria docet. Primo non esse de ratione sacramenti significare gratiam internam in ipsius exercitio collatam. Secundo, non sufficere conferre sanctitatem legalem, ut aliquid habeat rationem sacramenti. Tertio dicit omnia sacramenta conferre quidem sanctitatem legalem, & significare sanctitatem internam, vel tunc collatam, vel in alio statu conferendam. Ita Soto in 4. dist. 1. q. 1. ar. 2. ibi Martinus Ledesma. Vazq. disp. 128. c. 5. nu. 5. Suarez disp. 1. sect. 2. & disp. 5. sec. 1. conc. 3. Granada de Sacramentis tract. 1. disp. 2. n. 10. Caragaña disp. 1. diffic. 4. Lugo disput. 1. sec. 2. Pasqualigus disput. 64. sec. 5. Bernal disput. 1. sec. 1. Licet in modo defendendi ab alijs differat: omnes enim isti concordant sacramentum esse essentialiter signum vere sanctitatis: & quod non omnia sacramenta eam actu conferunt, nec ad eorum præsentiam actu confertur: Tamen omnia actu conferunt sanctitatem legalem. Addit Soto, Suarez, & Lugo omnia sacramenta esse causas gratiæ in suo, vel alieno subiecto. Quod impugnat Bernal sec. 1. §. 3. & 4. probans sacramenta omnia non esse essentialiter sanctificatiua; nec essentialiter conferre gratiam: admittit tamen §. 5. sacramentum esse essentialiter consecratiuum. Quæ est differentia in modo loquendi: de quo partim dictum est dub. 1. & partim mox ad 1. dicitur. Illa tria, in quibus hæc opinio concordat, & alijs opponitur, sigillatim probantur.

8 Prior quidem pars duos potest habere sensus: alter quod non omnia sacramenta actuè physice conferunt gratiam internam: alter quod non in omnibus passivè datur gratia interior ad eorum præsentiam, & in eorum usu. Et in primo sensu certissimam eam iudicò ex Concilio Florentino in decreto Eugenij 4. §. Quinto Ecclesiastico vum, verbis relatis dub. 1. n. 26. & 27. vbi satis eam ostendimus. Nec esset differentia præcipua, & substantialis inter sacramenta vetera, & noua: si omnia actuè instrumentaliter conferrent gratiam. Quod non consonat Concilio Tridentino, nec D. Tho. & communi Theologorum, ut ibi ostensum est.

9 In secundo sensu non est tam certa: sed tamen videtur ad mentem S. Tho. 1. 2. q. 98. art. 1. ad 1. vbi exponit illud Ezeq.

20. de veteri lege, & sacramentis: *Dedit eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non veniunt, id est, per quæ vitam gratiæ obtinere non possunt.* Et ad 2. exponit illud ad Rom. 7. *Cum venisset mandatum, peccatum reuixit, & cap. 5. Lex subintravit, ut abundaret delictu, & ait S. Tho. quod lex dicitur occidisse, non quidem effectivè, sed occasionaliter ex sua imperfectione; in quantum gratiam non conferebat.* Quod & docet q. 100. ar. 12. & q. 103. art. 2. & 3. p. q. 62. q. 3. & in 4. dist. 1. q. 1. a. 5. q. 1. Sed hæc verificari non possent si in sacramentis antiquis conferretur gratia, quia quoad fructum recipientium, per accides est, quod detur à sacramentis, vel à Deo ad præsentiam sacramentorum: æque enim prodest gratia data à sola causa principali sine instrumento, vel collata illo mediâte.

10 Deinde S. Tho. 3. p. q. 62. art. 3. ad 2. loquens de sacramentis veteris legis, per quæ homines sanctificari dicuntur *Leuitici 8. ait, quod illa sanctificatio erat figurativa: per hæc enim sanctificari dicebantur, quod applicabantur cultui diuino secundum ritum veteris legis, qui totus ordinabatur ad figurandam passionem Christi.* Quod & docet 1. 2. q. 103. art. 2. ad 1. vbi & aduertit, quod etiam *Sanctuarium expiari dicitur, quod culpa subiectu esse non poterat.* Ergo sine gratia interna in usu passivè collata, cum sola sanctitate legali de præsentia, & sanctitate interna de futuro, verificat S. Tho. fuisse vera veteris legis sacramenta.

11 Tertio ad idem facit, quod S. Aug. 10. lib. 19. contra Faustum cap. 13. quem refert, & sequitur S. Tho. 3. p. q. 38. art. 6. ad 5. ait. *Sacramenta nostra sunt signa presentis gratiæ: sacramenta vero veteris legis fuerunt signa gratiæ futuræ.* Ipse etiã S. Aug. in Psal. 73. ait. *Sacramenta noui testamenti dant salutem: sacramenta veteris testamenti promiserunt salutem.* Idcirco S. Tho. in 4. dist. 1. q. 1. art. 1. q. 1. in cor. & ad 4. ait, quod *sacramenta veteris legis erant totaliter signa prognostica, id est, gratiæ futuræ.* Quod verum non esset, si significaret, quod de præsentia in usu eorum passivè conferretur gratia. Videatur S. Tho. lib. 4. contragentes cap. 57. & in præsentia art. 2. ad 2. & art. 1. ad 1. & q. 61. ar. 4. ad 2. & 3. concludit, quod *illa sacramenta fuerunt congrua gratiæ præfigurandæ: hæc autem sunt congrua gratiæ præsentialiter demonstrandæ.* Non ergo solum negat illa sacramenta actuè causasse gratiam: sed etiã docet, quod non significabant, quod ibi actu daretur, & per sacramentum præsentialiter significaretur.

Funda

12 Fundamentum præcipuum sumitur ex verbis Concilij Florentini, quod non solum indicat Sacramenta antiqua non contulisse gratiæ actuè, sed aperte innuit, quod tunc, nec passivè dabatur, sed totum reteruabatur in futurum, excepta gratia, quam ipsi ex opere operantis acquirebāt: ait namque. *Illam non causabant gratiam; sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant:* ergo nedum negat actuam vim sacramentis antiquis, sed negat significationem rei præsentis passivè tunc datæ, sed solum concedit significationem in futurum. Vnde & in Cathecismo Pij Quinti de Sacramentis in genere, non longè à fine, §. *Ex his igitur:* loquendo de sacramentis antiquis dicitur: *Ut signa tantum earum verum, quæ mysterijs nostris efficienda essent, instituta sunt.*

13 Quod vero ad rationem Sacramenti exigatur significatio sanctitatis internæ, probat S. Thomas art. 2. ad 3. quia hac ratione aspersio aquæ benedictæ, consecratio altaris, & similia non sunt sacramenta, eo quod *res denominatur à fine, & complemento; dispositio autem non est finis, neque perfectio.* Et ideo quæ significant dispositionem ad sanctitatem, non dicuntur sacramenta, sed solum ea quæ significant perfectionem sanctitatis humanæ. Et q. 65. art. 1. ad 6. ait S. Tho. quod *aqua benedicta, & aliæ consecrationes non dicuntur sacramenta, quia non perducunt ad sacramenti effectum, qui est gratiæ consecutio: sed sunt dispositiones quædam ad sacramenta, &c.* Ergo exigitur ad sacramentum, non solum quod sacret, & disponat, sed quod significet perfectam internam sanctitatem.

14 Et 3. p. q. 61. art. 3. & art. 4. ait. *Sunt autem sacramenta, quædam signa protestantia fidem, quæ homo iustificatur.* Et ad 3. dicit, quod *vetera congrua fuerunt gratiæ præfigurandæ: hæc autem sunt congrua gratiæ præsentialiter demonstrandæ.* Et S. August. q. 84. in Leuiticum dicit: *Totum fructum visibilium sacramentorum in invisibili gratia positum esse.* De quo videatur super Psal. 77. initio, & libro 19. contra Faustum cap. 16.

15 Probatque primo, quia ideo probat S. Tho. 3. p. q. 64. art. 2. quod sacramenta esse non possunt principaliter nisi ex institutione diuina (quod verificatur in lege veteri, & noua) quia solus principaliter causat gratiam, & instituit signa ad eam sacramentaliter significandam. Quæ ratio nullius roboris esset, si sufficeret conferre sanctitatem legalem. ¶ Secundo illa ratio S. Thomæ hic ad 3. valde vrget: quia ex

opposito sequitur sacramentalia veteris, & nouæ legis esse sacramenta.

16 Respondent non esse eandem rationem de sacramentis in lege veteri ac est in lege noua: nam ad rationem sacramenti in lege veteri sufficiebat significare, & conferre imperfectam sanctitatem; quia imperfectio erat propria illius status: at vero in noua lege, quæ est lex filiorum, sanctitas vera, & perfecta est propria huius status: vnde nunc ad rationem sacramenti non sufficit quod significet, & conferat sanctitatem imperfectam: qua de causa sacramentalia, quæ sunt in Ecclesia, licet significant, & conferant imperfectam sanctitatem, non sunt sacramenta.

17 Hanc solutionem quinque argumentis rejicit Serra conc. 1. rat. 3. sufficit primum, & vltimū. Impugnatur ergo primo: quia sicut modo Ecclesia potest instituire quædam sacramentalia, ita olim potuit Ecclesia, ut apertius disponderentur ad sacramenta à Deo instituta, & melius tollerentur impedimenta, & conferrent, & significarent aliquam sanctitatem, & mundiciam. Quam potestatem tunc aduulisse, probatur quia illa, quæ modo est, non est speciali concessione Christi (quia de illa non constat) sed quia conlequitur ad potestatem Reipublicæ in supernaturalibus bene gubernatæ. Et præcipue illo tempore hoc præcipi poterat potestate humana: nã de illis cæremonijs inquit Apostolus ad Hæbr. 9. ver. 10. *Solummodo in cibis, & potibus, & varijs baptismatibus, & institijs carnis.* Vnde vltra ea, quæ Moyse in lege determinauerat, poterant Reges, & Pontifices alia superaddere. Sed talia sacramentalia non essent sacramenta: quia solus Deus valet sacramenta instituire, ut probat S. Tho. q. 64. ar. 2. Ergo ad rationem sacramenti non sufficit significare, & dare imperfectam sanctitatem legalem.

18 Secundo impugnatur, quia illa ratio S. Tho. ad 3. quod *res denominatur à fine, & complemento, &c.* æqualiter procedit de sacramentis in quocumque statu: nam semper verificatur quod dispositio non est vltima forma. Vnde etiam si sacramentalia, quæ modo sunt in Ecclesia, instituta fuissent in veteri lege, vel ab Ecclesia, vel ab ipso Deo immediatè, cum eadem vi significandi, & efficiendi eisdem effectus, quos modò habent, non fuissent sacramenta: ergo ad rationem sacramenti non sufficit significare sanctitatem imperfectam, quæ est dispositio ad perfectam; sed requi-

requiritur ut sanctitatem perfectam, quæ est per gratiam, significet. Videatur etiã Suarez conc. 3.

19 Ratio à priori est: quia sacramentum essentialiter est signum: ergo essentialiter habet aliquid significatum: non aliud nisi gratiam: quod de sacramentis nouæ legis, declarat eorū diffinitiones, & Cœc. Trid. sess. 13. cap. 3. Et de omnibus id explicuit Concilium Florentinum, quod non constituit inter sacramenta discrimen ex parte rei significatæ: sed quia nostra sunt de iustitia de præsentia, aliã dant de futuro: & quia nostra causant, secus vetera illa. Et ratio est, quia sacramenta sūt fidei protestationes, & significationes sacræ: eadē autē est fides modernorum, & antiquorum, ut dicit S. August. tract. 45. in Ioã. & S. Tho. in 4. dist. 1. q. 1. art. 2. q. 3. Ergo eadē est gratia significata per antiqua, & noua sacramenta: licet diuersimode, quia diuersa sacramenta diuersis temporibus congruunt, ut ex S. Aug. 19. contra Faust. cap. 16. & 17. ait S. Tho. hic art. 3. ad 3.

20 Deinde, ut explicat S. Tho. art. 4. ad 2. res sensibiles, ut in sua natura considerantur, non pertinent ad cultum, vel ad regnum Dei iuxta illud ad Rom. 14. Non est regnum Dei cœca, & potus. Sed solum secundum quod sunt signa spiritualium rerum, in quibus regnum Dei consistit. Sed potissimè consistit in gratia, quæ dat participationem naturæ diuinæ, & confert ius ad vitam æternam. Alię vero cæremoniæ religiosæ non pertinent ad Dei cultum, nisi in quantum ordinantur ad gratiam, ut ad finem, in quantum remore disponunt, vel tollunt impedimenta: gratia ergo interna, vel data, vel danda est essentialiter significatum omnium sacramentorum: quia res denominatur à fine, & complemento, ut ait S. Tho. art. 2. ad 3.

21 Tertia pars communis sententiæ est D. Tho. 1. 2. q. 101. ar. 4. & q. 102. ar. 3. cuius verba retulimus dub. 1. n. 5. & 6. vbi satis confirmauimus. Et denuo confirmatur ex adductis pro secunda sententia, quæ probant quidem de sacramenti ratione esse sacrare, & deputare ad diuinum cultum, & quod sine his non sunt sacramenta. Sed tamen signatum præcipuum est gratia, & sic sacramentum est mysterium, & arcanum, & significat aliquid excellentius, quàm sensibilibiter deputare ad externum cultum: quia hoc se habet ut dispositio, gratia vero ut finis, & forma à qua fit denominatio.

§ III

Soluantur argumenta & exponitur discrimin inter sacramenta, & sacrificia.

22 Ad argumenta primæ sententiæ sigillatim respondendo, dicitur ad primum, quod vltra significationem gratiæ, exigitur quod gratia significetur ut sacrans, vel de præsentia, vel de futuro: & vltèrius quod cū effectu, & de facto sacrer, & deputet diuino cultui. Inde est vera vltima pars nostræ sententiæ, sed non opposita primæ: Quamuis autem hæc deputatio non sit sanctificatio in rigore, est sanctificatio latè: vnde & à D. Tho. relato n. 10. comparatur expiationi sanctorum, & consecrationi vasorum: quæ culpæ, & gratiæ internæ capacia non sunt.

23 Ad 2. posset in primis cum M. Soto art. 2. §. Ex hac, excipi Circumcisio, in qua est infallibile gratiam conferri non poenitentibus obicem: Vnde differt ab Baptismo, quod actiue confert gratiam, & à relliquis sacramentis antiquis, in quibus non erat infallibile ad eorum præsentiam gratiam dari. Sed quia hoc examinandum est infra q. 62. ar. 6. ad 3. & q. 70. art. 4.

24 Ideo secundo dicitur, quod in sacramentis antiquis, & erat fides actualis operantis per dilectionem, quæ fides respiciebat Christi gratiam: quam sacramenta illa significabant: & in nostris est ipsa gratia ex opere operato significata, & causata à sacramento. Quantum ad primum, comparat S. Tho. circumcisionem cum sacramentis antiquis, quantum ad secundum etiam circumcisio differt à sacramentis nostris. Sed quia quedam antiqua sacramenta externa poterant esse sine actuali fide, & merito operantis, tunc erant signa totaliter pronostica gratiæ internæ: & deputatio exterior, & cæremonia sacramenti fiebat.

25 Ad tertium dicitur Sanctum Thomam ibi excludere serpentem æneum à ratione sacramenti: quia non erat signum rei sacræ in quantum sacrans actu, quia nec conferebat sanctitatē legalem, ut quis deputaretur ad Dei cultum; nec dabat sanctificationem, nec ad eius præsentiam dabatur: sed solum effectus exterioris curationis, ut ibi ait S. Tho. Vnde non est eadem ratio de alijs sacramentis conferentibus legalem sanctitatem, & spiritualem significantes, in quantum est sacrans nos.

26 Ad 4. respondet Cano Rel. de sacramentis p. 1. ad 2. sacrificium fuisse duplex

plex in lege tam naturali, quam scripta. Alterum ad protestandum Deum rerum esse auctorem, ac dominum: & huiusmodi non erat sacramentum. Tamen illius, sacrificij signum erat, quo religio nostra Deum valde colit. Alterum vero in id factum est, ut Deus mortalium culpis infensus placaretur, quod erat vtiq; sacramentum. Videtur tamen sacrificium Abel prioris generis fuisse, quoniam munus solum fuisse perhibetur, sicut & oblatio Cain. Quare non fuerit sacramentum, quæ a generalibus sacrificijs Concilium Florentinum disceruit. Hæc ibi. ¶ Quem ipse Serra (qui hoc opposuerat art. 2.) sequitur art. 4. ad 3. dicens, legis veteris sacrificia, quæ significabant immolationem Christi, quæ sanctificationem illius legis sacramenta: de his enim, & præsertim de immolatione Agni Paschalis ait D. Tho. hic art. 2. ad 2. talia dicuntur proprie veteris legis sacramenta. Vnde & rationem sacrificij, & rationem sacramenti habebant: sicut & modo habet Eucharistia. Diuersimode tamen: nam ut instituta ad significandam gratiam, quæ in eorum usu conferebatur ex meritis passionis Christi futuræ, erant sacramenta; ut instituta vero ad Dei cultum, ut scilicet Deo per illa coleretur, erant sacrificia.

27 Idem sequitur Bernal sec. 1. n. 17. & latè Lugo disp. 1. sec. 2. à n. 10. usque ad 14. quia S. Tho. 1. 2. q. 102. ar. 5. sacrificia, quæ fiebant in consecratione alicuius ministri, comprehendit sub sacramentis veteris legis. Et ratio est, quia illis sacrificijs competeant omnes conditiones requisite ad rationem sacramenti: quia significabant gratiam dandam per Christum: & conferebant aliquam sanctitatem, & expiationem in suo usu legalem aliquando ijs, quibus applicabantur: quem effectum habebant infallibiliter ex diuina institutione.

Secundo, quia licet sacrificium ordinetur ad significandum cultum Dei; non tamen repugnat, quod ipsemet cultus Dei rursus assumatur ad significandam sacramentaliter sanctificationem ipsius: colentis Deum: sicut contritio est actus virtutis, & pars sacramenti Poenitentiæ: & forma extreme unctionis est oratio, & actus religionis. Sic ergo potuisset secundum se institui aliqua oblatio sacrificij, pro actione, & ritu celebrandi, & ordinandi sacerdotem; ita ut quando pro aliquo offerretur tale sacrificium, ille maneret ordinatus, & consecratus sacerdos: ac per consequens illud sacrifi-

cium esset tunc sacramentum ordinis. Negat tamen Lugo de facto Missæ sacrificium esse sacramentum, quia ut sacrificium non confert gratiam ex opere operato ei cui applicatur. Et quia sacramentum Eucharistiæ permanet in esse, & ratione sacramenti, peracto, & finito sacrificio.

28 Hæc tamen mihi non videtur vera, nec ad mentem S. Thomæ, & ex parte ea impugnat Suarez disp. 1. sect. 1. circa finem. Dico ergo, in primis in omni lege antiqua, & noua ratio formalis sacramenti, & ratio formalis sacrificij formaliter, & specificè differunt. Si enim teneatur cum Nuño q. 83. art. 1. diffin. 1. sacrificium formaliter esse in genere qualitatis: eo quod sacrificium formaliter videtur esse actus religionis, ut videtur indicare S. Thomas 2. 2. q. 85. art. 3. Argumentum potius est ad oppositum: nam sic manifestè differt à sacramento, quod solum materialiter est actus religionis, & formaliter est signum sacramenti.

29 Si vero teneatur cum Raphaelè Torre 2. 2. q. 85. art. 2. disp. 2. & art. 3. disputatione 2. n. 12. & Suarez de sacrificio Missæ disp. 73. sect. 2. sacrificium formaliter collocari in genere signi: Tunc respondendum cum Raphaelè ad 2. & Suarez hic sect. 1. in fine, & cum communi, quod sacrificium per se primo ordinatur ad profectendam Dei excellentiam: sacramentum vero per se ordinatur ad significandam, & dandam homini sanctitatē internam, vel de præsentia, vel de futuro, & legalem de præsentia ipsa cæremonia sacrandi, & deputando ad Dei cultum. Et sic patet formalis differentia sacramenti, & sacrificij.

30 Rursus assero, quod nullum esset inconueniens si Deus vellet, quod in lege veteri in eodem materiali coinciderent sacramentum, & sacrificium, ut sic melius figuraret Eucharistiã, in qua adunatur, quod sit sacramentum, & sacrificium: sacrificium in quantum offertur, & immolatur Christus: sacramentum in quantum est panis vitæ. Vnde S. Thomas q. 79. articulo 5. dicit, quod Eucharistia simul est sacrificium, & sacramentum. Sed rationem sacrificij habet in quantum offertur: rationem autem sacramenti in quantum sumitur. De quo latius infra q. 83. Et quod ita fieri posset in lege veteri, probat secunda ratio, quæ utitur Lugo.

31 Denique dico, quod de facto hæc excellentia, quod in vna re oblata, vel in vna

Vna ceremoniâ adunantur ratio sacramenti, & sacrificij, est referuatum legi Euangelicæ, & in lege antiqua id à Deo non fuit institutum. Probatür ex communi Theologo, qui cum Magistro in 4. dist. 1. distinguunt sacramenta à sacrificijs reali distinctione. Clarius S. Thomas 1. 2. q. 101. art. 4. ceremonias veteris legis diuidit in sacrificia, sacramenta, sacra, & obseruantias. Nominatimque nostram difficultatem tangens, eam diluit ad 2. dicēs, quod sacrificium nouæ legis, id est, Eucharistia, continet ipsum Christum, qui est sanctificationis author: sanctificauit enim per suum sanguinem populum, ut dicitur ad Hebræos ultimo. Et idē hoc sacrificium etiam sacramentū est. Sed sacrificia veteris legis non continebant Christum, sed ipsum figurabant; & idē non dicuntur sacramenta. Sed ad hoc designandum seorsum erant quedam sacramenta in veteri lege, quæ erant figura future consecrationis. Quamuis etiam quibusdam consecrationibus quedam sacrificia adiungeretur. Ecce quod clarissime docet S. Thomas in lege veteri leorsum quedam fuisse sacramenta distincta realiter à sacrificijs: quamuis in eadem die coniungerentur consecrationes, quæ erant sacramenta, & oblationes, quæ erant sacrificia: sicut apud nos sacrificium Missæ adiungitur ordinationi sacerdotum: quauis Missæ sacrificium realiter differat à sacramento ordinis. Nec S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 5. loquitur de sacrificijs, sed solum de sacramentis, ut legenti erit perspicuum. Vnde non bene refert Lugo. Pariterque hic ad 2. Nec sacrificia illa, ut sacrificia, sacrabant: & idē non habebant conditiones requisitas ad rationem sacramenti.

§. IV.

Gratia non est forma sacramentorum.

32 IN fine huius dubij annotare nō omitam (id quod Theologi ut per se notum supponunt, & quod absque apparientia à quodam Neotherico, mox referēdo in dubium vocatur) quod gratia nō est forma, nec pars intrinseca sacramentorum. Quod probatur primo: nam res significata non est forma intrinseca signi: quin potius signum aliud à se representat. Et S. August. lib. 2. de doctr. Christ. cap. 1. (quæ cū Magistro in 4. dist. 1. communiter sequitur Theologi, ibi, ut patet in D. Thom. artic. 1. quæst. 2. imò & Dialectici) definit, quod signum est, quod præter speciem, quam

ingerit sensibus, aliquid aliud ex se facit in cognitionem venire. Cum ergo sacramentū sit signum, & gratia sit signatum, gratia non est forma, nec pars sacramenti, sed aliquid ab ea distinctum. Secundo, nouæ legis sacramenta causant gratiam: sed effectus non est forma, nec pars intrinseca causæ: ergo gratia non est forma sacramentorū nouæ legis. Iniuriam facerem notissimæ veritati, si plus insumerem in eius probatione. Vnde S. Tho. in 4. dist. 1. q. 1. art. 1. quæstionculâ 3. in secundo argumento ait. Sacramenta non sunt forma intrinseca inuisibilis gratiæ, ut per se patet. Et art. 4. argumento secundo dicit. Si sunt causa gratiæ, oportet, quod sint secundum aliquod genus causæ: sed constat, quod nō sunt, neque materiales, neque formales, cum sint extra essentiam gratiæ.

33 Hæc tamen annotaui propter Stephanum Bauny, qui to. 1. Theologiæ Moralī tract. 1. q. 3. conc. 3. ita ait. Tertia assertio. Non in solo ergo externo signo, est vis integra, naturaque sacramenti posita, sed etiam rem significatam includit. Cyprianus Author in tractatu de Resurrectione Christi nu. 4. Ex diuersis (inquit) familijs vna fit domus, vna fit tribus, vnus est cibus, significatia, & res significata, res, & signa, virtus inuisibilis, & visibilia sacramenta, sic faciunt vnum corpus, sicut caro, & spiritus, & quod videtur, & nomine, & virtute, Christi corpus censetur. Sensus est, ex significantibus, & significatis, visibilibus sacramentis, & inuisibili virtute, seu gratia, sic fieri vnum corpus Christi, sicut ex carne, & spiritu. Quare ut membra destituta animo, ut caro spiritu vacua, truncus est, non homo: ita signa, ita visibilia sacramenta, absque rebus significatis, & inuisibili gratia, sacramenta sunt specie tenus ac nomine, re autem ipsa minime.

Secundo, est sacramentum signum visibile inuisibilis gratiæ: ergo cum re externa significante, internam quoque complectitur, quæ externa denotatur. Confirmatur, Eucharistiæ sacramentum est verum reale, substantiale atque integrum Christi corpus, cum sanguine, anima, & Diuinitate, sub vnaquaque contentum specie panis, & vini consecrati, quo fideles viuunt, aluntur, & ad gloriam æternam perueniunt. Non est ergo sacramentum solum bolum dumtaxat rei sacræ, & inuisibilis gratiæ, sed eam quoque comprehendit, ac continet. Trident. sess. 6. can. 6. Hæc ibi,

SI

Si hæc scriberet coniector loquens tropologicè, vel metaphoricè, possent vt cūque sustineri, vel pie exponi: sed Theologus Moralī, & Scholasticus scribens, quod ex sacramento, & gratia sit vnum sicut ex carne, & spiritu, dicit aliquid absurdum, & paradoxum: quia gratia non est forma sacramentorum, sed est in eis vt in signis, & in causis instrumentalibus, vt abundè exponit S. Thomas q. 62. art. 3. & 4. Vnde gratia non importatur in recto, & intrinsece, sed in obliquo, & extrinsece. Ideoque secundo fallum est, quod sacramenta sine gratia sunt sacramenta toto nomine: quia baptisimus est validū sacramentum, etiam in eo, qui accedit fictus, & ponit obiectionem gratiæ. Tertio est fallum, quod Eucharistiæ sacramentum sit corpus Christi: quia hoc est signatum, & contentum: sacramentum autem est signum visibile Christum continens. De quo iterum q. 73. S. Cyprianus loquitur de vniōne mystica signi, & signati: quia quamuis realiter differant, solent eodem vocabulo nuncupari, vt dicebamus ex D. Aug. dubio 2. numero 9. Quare ex eius verbis absque fundamento tot absurda colliguntur.

DVBIUM IV.

Vtrum sacramentum dicatur vniuocè de antiquis, & nouis?

§. I.

Opinio quod vniuocantur.

1 Rationem essentialē sacramenti vniuocè prædicari de antiquis, & nostris, expresse docet Soto in 4. dist. 1. q. 1. art. 1. §. Annaduertendum. Et art. 2. §. Igitur, in fine illius. Quare non videtur Sotum legisse Vazquez disp. 128. cap. 5. nu. 49. cum scripsit Sotum huius quæstionis nō meminisse, nec alium ex antiquis. Quod vtrumque est planè fallum: nā quæstionis expresse meminerunt S. Thomas, & omnes antiqui pro secunda opinione referendi: & hanc opinionem expresse tenet Soto vtroque loco relato. Sequitur Nuño art. 2. diff. 2. dicens esse sententiam ab omnibus communiter receptam. Et reuera est communis: nam eam tenent Martinus Ledesma cap. 4. q. 1. ar. 2. Araujo dub. 1. num. 10. in fine. Cabrera art. 1. disp. 3. dicens, quod modo est communis omnium Theologorum. Idem dicit Ruyz art. 2. du-

bio 4. Vazquez vbi supra, Suarez disp. 1. sec. 2. in prob. 1. conc. Bellarm. lib. 1. de sacram. cap. 12. propos. 3. Coninch, Cartagena, Granad. & Lugo, quos refert, & sequitur Bernal disp. 1. sect. 3. licet contendant ab eis non solide probari: & ipse duobus infirmioribus vtitur argumentis. Tenentque Sayrus lib. 3. cap. 3. q. 6. art. 2. Auera sect. 2. Bonacina puncto 3. n. 12. Palqualigus disp. 64. sect. 6. Trullench in praxi sacramentorum lib. 1. cap. 1. dub. 2. nu. 3. & alij plurimi.

2 Probant primo, quia Conciliū Florentinum sess. vlt. in decreto Eugenij 4. §. Quanto Ecclesiasticorum. Et Conciliū Trident. sess. 7. can. 2. absolutè, & verè, & proprie vocat ea sacramenta: licet sint nostris imperfectiora.

Secundo, quia in multorum sententijs sacramentum essentialiter solum est in genere signi, & non in genere causæ: ergo quamuis in causalitate non vniuocentur, possunt vniuocari in ratione sacramenti, quia signum gratiæ præsentis, vel future vniuocantur.

3 Tertio, quamuis alij admittant sacramenta esse in genere causæ, tamē ponunt solum causare moraliter: vnde quamuis causent effectus valdè diuersos, conueniunt cum veteris in modo cauandī. Vt enim aliquid respectu duorum sit vniuocè causa, sufficit quod vtrumque in eo conueniat, quod eodem modo cauatur. Apponit exemplum Coninch art. 4. dub. 2. nam et si ritus plantæ, & hominis sit analogicè ritus, vita tamen, quæ plantæ conuenit, vniuocè est vita: ergo vt sacramenta vniuocentur, sufficit, quod vniuocentur in modo significandi, & cauandī, quauis effectus causati sint diuersi.

Quarto, vt docet S. August. lib. 19. contra Faustum cap. 11. in fine tomo 6. quem refert, & sequitur S. Thomas q. 61. art. 1. Et in 4. dist. 1. q. 1. art. 2. q. 1. In nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum coaduna vt homines possunt, nisi aliquo signaculo, seu sacramentorum visibilitum consortio colligentur. Sed fides, religio antiquorum, & nostra vniuocatur: ergo & sacramenta. Sicut & sacrificia vetera, & noua vniuocantur. Quamuis nostra sint perfectiora. Ideoque ab Apostolo ad Galat. 4. comparantur iustitiam veteris, & nouæ legis sicut stat. pueri, & viri, quia accidentaliter differunt: & non sicut homo viuus, & pictus.

4 Hæc argumenta spernit, vt parum solida, Bernal, & sigillatim diluit, & ipse

vlt.

uitur illo antiquo argumento, quia Concilia utraque vocant sacramenta. Et nu. 89. arguit: quia omnia prædicata essentialia sacramento in communi sumpto, cõueniunt propriè, & essentialiter vtrisque: quia omnia sunt signa sensibilia sanctitatis, stabilia, & vniuersalia, à Deo instituta, & habilitata ad bonum Ecclesiæ proprium: ergo diuisio est vniuoca.

§. II.

Solum analogicè conueniunt; quamuis omnia sint verè, & propriè sacramenta.

5 Nilominus oppositam sententiã expresse docet S. Thomas in 4. dist. 1. q. 1. art. 1. quæstionculla 3. ad quintum, inquit, *dicendum, quod sacramentum non diuiditur per sacramenta veteris, & nouæ legis sicut genus per species, sed sicut analogum in suas partes, ut sanum in habens sanitatem, & signans eam. Sacramentum autem simpliciter est, quod causat sanctitatem: quod autem signat tantum, non est sacramentum nisi secundum quid: & ideo esse causam potest poni in definitione sacramenti, sicut habens sanitatem in definitione sani.* Hæc ibi.

6 Quod expresse docuerat ipse Magister Sententiarum illa dist. 1. Sic probans. Sacramentum propriè dicitur, quod ita signum est gratiæ Dei, & inuisibilis gratiæ forma, ut ipsius imaginem gerat, & causa existat. (Quod & habetur cap. *Sacrificii, de Consecrat.* dist. 2. Et approbatur in Concilio Trid. sess. 13. cap. 3.) Non ergo significandi tantum gratia sacramenta instituta sunt, sed etiam sanctificandi. Quæ enim significandi gratia tantum instituta sunt, solum signa sunt, & non sacramenta: sicut fuerunt sacrificia, carnalia, & obseruantia cæremoniales veteris legis, quæ nunquam poterant iustos facere offerentes. Quod latè probat, & concludit. Illa ergo signa erant, sed tamen sacramenta, licet minus propriè, in scripturis sæpè vocantur, quia signa erant rei sacræ, quam vtrique non præstabant. Hæc Magister. Quæ ibi sequuntur Beatus Albertus Magnus, S. Bonauentura, & Paludanus q. 2. art. 2. nu. 11. & aliqui antiqui. Et ex recentioribus in præsentia Petantius disp. 4. Chamerota c. 1. dub. 4. Ludouicus Caspenfis tract. 21. disp. 1. sect. 3. num. 24.

7 Et si consequenter loquerentur, deberent amplecti Bellarminus, & Auerſa, & alij, qui sacramentum collocant essen-

tialiter in genere signi, & in genere causæ: quia ostendemus q. 62. solum noua sacramenta causare simpliciter efficiendo instrumentaliter physicè, & dando gratiam ex opere operato: antiqua vero solum secundum quid significando, & promittendo. Dare vero sanctitatem legalem, & sacrare, & deputare ad cultum diuinum, non sufficit ad sacramentum, nisi per ordinem ad conferendam gratiam internam: unde cum in hac causanda non vniuentur, nec vniuocantur in ratione sacramenti. Habeturque hæc sententiã in Cathecismo Pij Quinti in titulo de Sacramentis; adiuncto titulo de matrimonio.

8 Nouissimè eandem sententiã sequitur, & rectè exponit M. Marcus Serra q. 60. ar. 1. ad 4. ita dicens. *Quamuis sacramenta nouæ, & veteris legis non conueniant vniuocè in ratione completa sacramenti, cõstare ex formalis, & materialis ratione: sicque rectè ibi ad 5. dicat S. Thomas: Sacramentum non diuiditur per sacramenta veteris, & nouæ legis, sicut genus per species, sed sicut analogum in suas partes.* Vniuocè tamen conueniunt in ratione sacramenti, quæ ei competit ratione formalis, qualis est significatio, secundum quam sacramentum ponitur in genere signi.

Huius rei exemplum esse potest, cathedra, in cuius ratione formali, scilicet, figuræ; vniuocè conueniunt cathedra lignea, & cathedra picta; non tamen in ratione completa, sed solum analogicè; cum cathedra picta solum habeat figuram, & accidentiã cathedræ, & solum secundum quid sit cathedra, lignea vero cathedra præter accidentiã substantiã cathedræ habeat, & simpliciter cathedra sit ad sessionem apta. ¶ Idem est de sacramentis: nam ut loco proximè citato subdit D. Thomas: *Sacramentum simpliciter est quod causat sanctitatem: quod autem signat tantum, non est sacramentum nisi secundum quid.* Unde cum sacramenta nouæ legis non solum significant, sed etiam causent gratiam, simpliciter sacramenta sunt. Sacramenta autem veteris legis solum erant signa gratiæ: sicq; solum secundum quid erant sacramenta. Propter quod ad Galatas 4. vers. 9. appellatur *infirma, & egena elementa.* Et ad Hebr. 10. vers. 1. de illis dicitur habuisse *umbra[m] futurorum.* Ac per consequens in ratione completa sacramenti solum analogicè cõueniebant cum sacramentis nouæ legis. Vniuocè tamen cum in his conueniebant in ratione formali sacramenti, quæ est gratiam signifi-

ficare; cum propriè, & simpliciter signa essent gratiæ per Christum conferendæ. Quia ergo hæc ratio intrinsece illis inerat, & propriè, secundum illam vniuocè conueniebant cum sacramentis nouæ legis. Et quia completa ratio Sacramenti non ita eis inerat, ea parte qua sacramentum est causa gratiæ, sed solum erat in eis ordo ad gratiam causandam à Christo, & eius Sacramenti, cum his solum analogicè conueniebant. Sicut quia vrinæ non est intrinsece ratio sanitatis, sed solum dicitur ordinem ad illam, solum secundum quid dicitur sana, in hocque cum animali solum analogicè conuenit. Hæc ibi, & satis aptè iuxta suam doctrinam.

9 Nos à fortiori huic opinioni debemus subscribere, quia ipsam rationem formalem sacramenti formaliter, & quidditatiuè colocamus, & in genere signi, & in genere causæ: & cum in hac ratione analogentur: quia sola sacramenta noua causant simpliciter, & alia solum secundum quid, adhuc loquendo de sola ratione formali sacramenti, simpliciter, & absolute dicenda est diuisio analogica. Quamuis si ipsam rationem formalem inaduatè consideremus, & solum attendamus significationem gratiæ, vel sacrationem, possint aliquantulum vniuocari.

10 Hanc sententiã expresse tenuit S. Tho. in 4. Sententiarum: quam in 3. p. Summa retractasse, impatièter audio ab eius discipulis affirmari; cum nec leuè vetustum, vel inditium retractationis nobis reliquerit, ut de solut. ad 1. art. 1. iam diximus dub. 1. n. 3. 2. Imò expresse totum videtur complexus 3. p. q. 62. art. 1. ad 1. dicens. *Sacramenta nouæ legis simul sunt causa, & signa: & inde est, quod sicut communiter dicitur, efficiunt, quod figurant: Ex quo etiam patet, quod habent perfectè rationem sacramenti, in quantum ordinantur ad aliquid sacrum, non solum per modum signi, sed etiam per modum causæ.* Vbi manifestè S. Thomas docet rationem analogam sacramenti esse ordinari ad aliquid sacrum: & hanc perfectè participari in sacramento, quod est causa, & signum. Et è contrario sacramentum, quod significat, & non causat, nisi secundum quid, non erit sacramentum simpliciter. Quamuis si sermo sit de præcisa ratione signi, vel sacratione legali, inter illa sit vniuocatio secundum quid: ut probant argumenta prioris sententiæ, quæ ex dictis facile dilui possunt.

11 Circa ea tamen est aduertendum,

quod etiam si teneatur, cum D. Thom. & Magistro, & alijs pro nobis relatis, rationem sacramenti non vniuocè, sed analogicè prædicari de antiquis, & nostris, non propterea illa sacramenta dici debent metaphorice, aut impropriè sacramenta: nam in analogis proportionalitatis ratio significata per nomen reperitur propriè, & intrinsece in vtroque; quamuis si admittatur attributio ad aliquid vnum, sit in illo principaliter, & in alijs per habitudinè ad illud primum: Sicut ratio entis dicta de Deo, & creaturis; reperitur per prius in Deo, quam in creaturis: quamuis creatura propriè, & intrinsece sit ens. Idemque dicitur de diuisione analogica entis in substantiam, & accidens, quamuis enim sola substantia sit ens simpliciter, & accidens sit ens secundum quid, & ens ens: tamen accidentia nouem generum vere, & propriè, & absque metaphorica locutione, sunt intrinsece entia realia. Per hoc ergo, quod ratio sacramenti per prius, & principaliter dicatur de sacramentis nouæ legis, non subinde infertur antiqua sacramenta non esse vere, & propriè sacramenta: & ita absque vlla metaphora in Sacra Scriptura, & Concilijs sacramenta nuncupantur: & illis vere, & propriè homines sacrabantur, & nostra salus significabatur ut lacrans. Licet enim comparatiuè ad nostra sint talia secundum quid, & symbola, & figuræ eorum; tamè in suo genere erant intrinsece vere, & propriè sacramenta. Videatur S. Thomas ad Galat. 4. lect. 1. ad illa verba: *Quanto tempore hæres paruulus est.*

DVBIUM V.

Vtrum sacramenta significant solum gratiam?

§. I.

Significant gratiam, & gloriam, & Christum.

1 Deo primo, omnia, & singula nouæ legis sacramenta tria significant, nempe gratiam, & gloriam, & Christum. Unde sacramentum, & est signum rememorative eius, quod præcessit, scilicet, passionis Christi, & demonstratiuum eius; quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet, gratiæ, & prognosticum, id est, prædictatiuum futuræ gloriæ. Hanc conclusionem, non tam demõ-

strat,

32

3. p. q. 60. de Sacramentis.

trat, quā declarat S. Th. art. 3. quia absque controuersia à Doctoribus accepta supponitur, vt ibi admonet Caiet. S. Thomæ declaratio est manifesta ex dictis: nam sacramentum proprie dicitur, quod ordinatur ad significandam nostram sanctificationem. In qua tria possunt considerari: videlicet, ipsa causa sanctificationis nostræ, quæ est passio Christi: secundum illud ad Hebr. ult. *Iesus vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Secundo potest considerari forma sanctificationis nostræ, quæ consistit in gratia, & virtutibus. Et denique, vltimæ sanctificationis nostræ finis, & fructus, qui est vita æterna: iuxta illud ad Rom. 6. *Et habetis fructum vestrum in sanctificatione, sine in vero vitam æternam.* Ergo sacramenta tria prædicta significabant.

2. Ratio à priori sumi debet ex diuina institutione. Quæ colligitur ex eo, quod sacramenta sunt medicinæ deriuatæ ad nos à Christo nostro Redemptore, & Glorificatore. Vnde vt magis resplicat sapientia instituentis, eodem signo exprimitur causa formalis sanctitatis, scilicet, gratia, & causa finalis ad quam perducit, scilicet, gloria, & causa meritoria, nempe passio Christi.

De Baptismo, quod hæc tria significet, docet Apostolus ad Rom. 6. Et de Eucharistia idem colligitur ex eodem 1. ad Cor. 11. & exprimit Ecclesia in Antiphona Festi corporis Christi in secundis Vesperis, quæ incipit: *O sacrum conuiuium.* De omnibus alijs sacramentis idem percipiet, qui materias, & formas sacramentorum attenderit, non præcisè secundum id quod apparet exterius, aut secundum sonum Grammaticæ, sed secundum proprium finem, & effectum.

3. Sed in contrarium solet obijci. Primo, nam substantiæ, & accidenti non potest dari aliquid commune vniuocum; cū pertineant ad genera primo diuersa: sed Christus Dominus est substantia: gratia, & gloria sunt accidentia: ergo non possunt vno signo vniuocè significari. Sacramenta autem debent esse signa vniuoca: si enim æquiuoca essent, occasionem præberent fallaciæ, & ambiguitatis: quod non decet signa protestatiua religionis Christianorum: quos admonet Apostolus ad Colof. 2. *Videte ne quis vos seducat per Philosophiam, & inuicem fallaciam.* Ergo sacramenta non possunt hæc tria significare.

4. Respondet Nuño art. 3. ad 1. quod maior est vera de his, quæ ponuntur dire-

ctè in prædicamento; secus verò de entibus rationis, & de his, quæ ponuntur reductiuè in prædicamento: quia obiectum vniuocè dicitur de obiecto reali, & rationis, & motus vniuocè prædicatur de actione, & passione. Vnde cum sacramentum pro formali importet aliquid rationis, & pro materiali instrumentum, & causalitatem, quæ reductiuè tantum sunt in prædicamento, vniuocè potest significare substantiam, & accidens.

5. Cæterum omnino deficit hæc euasio. In primis quia ea, de quibus procedit argumentum, constituuntur directe in prædicamento: & de substantia Christi Domini, id est per se ipsum. Et de gratia, & gloria; quia sunt qualitates perfectissimæ, & completæ: & quoad hoc parum refert, quod sint supernaturales, vt inter alios docet ipse Nuño infra q. 63. art. 2. diff. 2. quem nos retulimus, & sequitur sumus libro 2. Logica q. 6. n. 25. ostendentes id esse expressum D. Thomæ: Secundo, quia etiam si ponerentur reductiuè, quoad intentum præsens parum refferret: siquidē quoad hoc eadem procedit ratio de his, quæ directe, ac de his, quæ reductiuè sunt in genere: nam si quæ reductiuè sunt in genere, pertinent ad genera ad quæ reducuntur; si ea quæ sunt directe in prædicamento, non vniuocantur inter se; nec vniuocantur cum alijs, quæ reducuntur ad ea, quæ genere distant ab istis. ¶ Tertio, æquiuocatio in signis non oritur ex pluribus, quæ concurrunt ad integrandum signum, sed ex pluralitate significationum, quæ sumuntur à pluralitate rerum significatarum: ergo per accidens est, quod sacramentum constet ex pluribus, vel non. Denique, licet sacramentum pro formali importet significationem, absolute supponit pro aliquo sensibili: ex quacūque autem parte impeditur vniuocatio, verè esset signum æquiuocum: quia malum ex quocumque defectu.

6. His ergo omisissis, recurrendum ad solutionem D. Thomæ art. 3. ad 1. dicentis, quod sacramentum significat tria prædicta secundum quod ordine quodam sunt vnum: sicut autem vnitas sacramenti non est vt totius entis naturalis, sed vt entis artificialis: ita vnitas significatorum non debet accipi in genere naturæ, sed in esse significati. Et sufficit, quod gloria sit finis gratiæ, & Christus Dominus ipse sit causa, vt ordinem artificialem habeant, & sic adunari possint in vna significatione.

Secun-

7. Secundo obijcitur: nam Eucharistia significat corpus Christi: vt patet ex forma verborum, in quibus significatur corpus Christi, & non significatur gratia: ergo non omnia sacramenta habent hæc tria significata.

8. Propter hoc argumentum Scot. in 4. dist. 1. q. 2. §. De tertio, dicit, quod sacramentum debet significare Dei gratiam; vel effectum Dei gratuitum: quia vt probat dist. 8. q. 1. Eucharistia significat esse corporis Christi sub tali specie, qui est effectus Dei gratuitus, sicut est Incarnatio Verbi diuini; non tamen est gratia accidentalis.

9. Verum hæc doctrina non consonat modo loquendi Cōc. Trident. Sess. 7. can. 6. dicentis: *Siquis dixerit, sacramenta nouæ legis non continere gratiam, quæ significat, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, &c.* Quod & docuerat Conciliū Florentinum in decreto Eugenij 4. §. *Hoc docet Ecclesia.* Loquantur de omnibus nouæ legis sacramentis: de quibus docent eandem gratiam significare, quam conferunt: sed conferunt gratiam strictè sumptam: ergo eandem significant. Specialiter Conciliū Tridentinum sess. 13. cap. 3. videtur modum loquendi Scoti rejicere, dum ait. *Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cū cæteris sacramentis, symbolum esse rei sacræ, & inuisibilis gratiæ formam visibilem: accommodans definitionem sacramenti, quæ habetur cap. *Sacrificium, de Consec.* dist. 2. Cum ergo ibi sit sermo de gratia strictè sumpta: pariter dicendum Eucharistiam significare gratiam, quam conferunt in quantum est nouæ legis sacramentum.*

10. Respondetur ergo, quod Eucharistia significat Christum, non præcisè vt in se est, sed vt est panis vitæ, animam suam gratia cibans. Vnde admonet bene Soto dist. 1. q. 1. artic. 3. & Cathecismus Pij Quinti, quod solent sacramenta non vnā tantum rem præsentem, sed plures demonstrare, ac denotare. Ideoque sacramento Eucharistiæ significatur gratia veri corporis, & sanguinis Christi, & etiam gratia, quam percipiunt, qui dignè sacramenta suscipiunt.

§. II.

Est intrinsecum istis sacramentis.

11. Dico secundo, possent dari sacramenta, quæ hæc tria non significant: sed sacramentis nunc institutis intrinsecè conuenit quod significet gratiam datam

per Christum perducentem ad gloriam. Prior pars sumitur ex Diuo Thoma articulo 3. ad 3. & est cōmunis, & certa, quia posset Deus instituere aliquod sacramentum, quod solum significaret gratiam datam in vtu ipsius sacramenti immediate à Deo absque ordine ad passionem Christi, aut gloriam: quia accidentale est gratiæ, quod detur per Christum: & quod illa de facto perueniatur ad gloriam.

12. Secundam partem videtur negare Suarez in comment. 3. art. Sed eam bene probat ibi Serra cong. 1. Quia Sacramenta iam instituta significant illa tria ex diuina institutione: sed quod conuenit sacramentis ex propria institutione, qua instituta sunt à Deo, intrinsecum est illis: sicut & habere esse ex tali institutione: ergo intrinsecè, conuenit illis sacramentis hæc tria significare.

Secundo, quia cum sacramenta sint quædam cæremoniæ religiose pertinentes ad eandem legem, in qua sunt instituta, significatio illis intrinsecè debet esse proportionata illi legi: ergo cum lex vetus esset figura Christi venturi, illumque vt venturum profiteretur, lex vero noua profiteatur Christum iam passum; sacramenta veteris legis ex sua intrinsecè ratione significabant passionem Christi vt futuram; & sacramenta nouæ legis vt iam executioni mandatam, tamquam causam gratiæ, & consequenter gloriæ, cuius pignus est gratia.

13. Addit Serra hæc sacramenta, iuxta aliquos, specie differre ab illis, quæ solā significant gratiam: eo quod signa à signato specie habent. Iuxta alios, essent eiusdem speciei: quia licet significare passionem Christi, & gloriam, sit modus quidam intrinsecus, & conditio necessaria ex diuina institutione in sacramentis iam institutis: non tamen pertinet ad essentiam talium sacramentorum. Vnde sicut eiusdem speciei est contritio, quæ modo intrinsecè dicit ordinem ad sacramentum pœnitentiæ; cum contritione, quæ in lege naturæ, aut scripta non dicebat ordinem ad tale sacramentum: ita Baptismus modo institutus, qui significat gratiam in ordine ad passionem Christi, & gloriam, eiusdem speciei est cum baptismo, quem Deus potest instituere gratiam solam significat. Quamuis autem ad praxim parū referat vnum, vel alterum dicendi modum tenere; tamen hic secundus videtur probabilior.

C

§. 3.

§. III.

Qualiter conueniat omnibus

14 **D**ico tertio, habere hæc tria significata explicitè est proprium sacramentorum nouæ legis: quauis nõ æquè distinctè omnia sepe hæc tria significet. Implicitè tamè, & inuoluntè sacramenta antiqua etiã hæc tria significabãt. Ita Soto illo art. 3. §. Quod si quis. Et hæc distinctione ad concordiam reduci possunt oppositæ opiniones. Nam Suar. in cõm. art. 3. absolute negat sacramenta antiqua habere hæc tria significata: eo quod illa nec præsentè gratiã, nec futurã gloriã designabãt. At vero Serra art. 3. in initio, & Araujo art. 4. dub. 1. cõc. 2. & Cabrera art. 3. disp. 2. §. 2. indistinctè affirmant omnia sacramenta, nõ solum significare gratiã, sed etiã passionem Christi, & nostrã gloriã: quia antiqua sacramenta erãt umbra futurorum: omnia enim in figura cõpangebant illis: & diximus ex S. Aug. antiqua sacramenta promissile Saluatoris: & ita significabant auctorem gratiæ, & gloriã, ad quam nos introduxit.

15 Veritas tamè nostræ assertionis cõstat ex doctrina D. Th. q. 61. art. 4. & in 4. dist. 1. q. 1. ar. 2. q. 4. vbi docet, quod cõ sacramentorũ vltus fidei proportionaliter respondeat, oportuit quod secundũ diuersũ statũ fidei diuersimode sacramenta traderentur. Fides autè quãtũ ad articulos explicatiõne, semper magis, ac magis creuit secundũ propinquitatẽ tẽporis gratiæ: de quo S. Th. 2. 2. q. 1. ar. 7. & q. 2. art. 7. & 8. Ideoque oportuit in lege noua distinctè, & magis determinatè significari passionẽ Christi, & futurã gloriã. Sed hæc omnia antiqua sacramenta promittebãt; sed in cõremonijs, & verbis nõ exprimebant: nec cõmuniter in illo populo significatio horũ triũ erat explicite nota: ergo solũ implicitè, & inuoluntè hæc tria significabant: Ideoque illa tria explicitè significare propriũ est nostrorũ sacramentorũ. Vnde S. Th. in 4. dist. 1. q. 1. ad 3. hoc nostris appropriat: quia sacramenta veteris legis totaliter erãt signa prognostica nostræ gratiæ. Sed gloriã nõ significabãt explicitè: quia dicit S. Aug. lib. 19. cõtra Fauf. c. vlt. quod nũquã forte quispiã regnũ Cælorũ in veteribus libris, nisi obscure, inuenit. Et S. Chris. hom. 4. in Marcũ, nunquã regnũ Cælorũ audiuit, nisi in Euangelio. Aliorũ Patrum verba refert Martinez lib. 8. Hipot. c. 6. in princ.

§. III.

Principale significatum est gratia.

16 **D**ico quarto, principale significatũ sacramentorũ nouæ legis est gratia. Ita S. Th. ar. 3. ad 3. & clarius in 4. dist. 1. q. 1. ar. 1. q. 1. ad 4. vbi de sacramentis nouæ legis ait. *Itè significat effectũ sacrificatiõis, quẽ faciunt: & hæc significatio est eis principalis.* Probaturq; primo ratione D. Th. quia sacramenta nouæ legis efficiunt, quod figurãt: iuxta cõmune Theologorũ axioma approbatũ a D. Th. q. 62. a. 1. ad 1. & à Cõcilijs Florent. & Trid. supra relatis. Quod præcipuè verificatur de significato principali. Sed nõ efficiunt passionẽ Christi, nec immediatè causant instrumetaliter gloriã: ergo gratia est principale significatum sacramentorum nouæ legis.

17 Aliã rationẽ indicat in corpore huius art. 3. *Nã sacramentũ proprie dicitur: quod ordinatur ad significandã nostrã sanctificatiõnẽ: ergo quod fuerit formalis, & principalis in sanctificatiõne nostra, erit præcipuũ significatũ sacramenti.* Cõstat autè, quod forma nostræ sanctificatiõis est gratia: ergo hæc est principale significatũ sacramentorũ nouæ legis. Quod explicat Soto art. 3. §. *Dubium autè*, quia sacramenta alia duo nõ significãt absolute, & in esse rei secundũ gradus, quos in se habet; sed solũ ea significãt formaliter vt pertinet ad nostrã salutẽ: cõ ergo causa formalis nostræ salutis sit gratia, & Christi passio solũ significetur vt causa gratiæ instrumetalis, & meritoria, & gloriã solũ importetur vt finis gratiæ, manifestũ relinquitur gratiã principalius significari. Ideoq; respectu gratiæ sacramenta dicuntur à D. Th. ar. 3. signũ demonstratiuũ eius, quod in nobis efficitur per Christi passionem.

18 Limitat hæc cõclusionẽ Nuño art. 3. dub. 2. excipiẽs sacramentũ Eucharistiæ, in quo videtur, quod principale significatũ sit Christus Dñs, quia ibi realiter, substantia liter cõtinetur: & eum principalis exprimit verba formæ: *Hoc est corpus meũ.* In alijs verò sacramentis magis exprimitur gratia, quã passio Christi, vt eorũ materia, & formæ declarãt Similiter Suar. disp. 1. sec. 2. docet Eucharistiã solũ significare gratiam mediatè, quia ante vsũ non significat gratiã præsentè. Nisi velimus dicere cõ Scoto, & Ocham significare gratiam substantialem, quæ est Christus, quod parum refert, inquit Suarez, cum de re cõsuet.

19 Verum quia ille modus loquendi cum modo Concilij Tridentini non consonat, vt diximus n. 9. Ideò reliqui Doctores docent etiã Eucharistiã, in quantũ sacramen-

tamentũ, principalius significare gratiã, quã Christũ. De quo latè Cabr. art. 3. disp. 2. ad 2. à nu. 5. vsque ad 9. Ruyz ar. 3. dub. 1. Quod probant Araujo dub. 1. ad 1. & Serra ar. 3. in fine: quia corpus, & sanguis Christi in Eucharistiã est id quod est res, & sacramentũ simul, vt docet S. Th. 3. p. q. 73. ar. 1. ad 3. sicque vt tale significatur ab eo, quod est sacramentũ tantũ, & à verbis cõsecratiõis. Cũ autè res, & sacramentũ simul significetur propter id quod est res tantũ: nõ ad hoc significandum ordinatur: Ideò corpus, & sanguis Christi, licet immediatè, & expressè significantur per verba cõsecratiõis, nõ sũt illorũ principale significatũ, nisi fortè gramaticale. Sed significatũ sacramentale principalius est gratia ciuians, ac animã hominis reficiẽs, ad quã sicut ad rãtũ significandã ordinatur corpus & sanguis Christi, vt cõtinetur in Eucharistiã: Simile contingit in Sacramento Ordinis; licet enim si solũ cõsideremus significationẽ gramaticale verborũ formæ illius: *Accipe potestas;* & c. principale significatũ sit illa potestas: si tamè attendamus sanctificationẽ sacramentalẽ, nõ illa, sed gratia, quæ est restatũ illius sacramenti, est principalius significatum. Hæc ibi:

20 Quod clarius explicatur supponẽdo, quod Eucharistiã dupliciter repræsentat Christũ: vno modo vt memoriale passionis eius: alio modo vt Christus ipse est panis vitæ, quia eã dat animæ. Prima cõsideratio præcipua est in Eucharistiã inquantũ est sacrificiũ; secũda vero est præcipua inquantũ est sacramentũ: quia iã diximus cum D. Th. q. 79. ar. 5. quod Eucharistiã rationẽ sacrificij habet in quantũ offertur: rationẽ autè sacramenti in quantũ sumitur. Et quia sumitur vt animã nutriat, significatur vt sic Christũ vt cõferens gratiã: & ideò vnica significatione significat Christum, & gratiã: & hæc formalis, quia propter hanc cõferendã significat Christũ. Vnde S. Th. 3. p. q. 83. ar. 1. ad 1. *Sicut se habet virtus Spiritus Sancti ad aquã Baptismi: ita se habet Corpus Christi verũ ad species panis, & vini.* Vnde species panis, & vini non efficiunt aliquid nisi virtute Corporis Christi veri. De quo latius ibi.

DVBIUM VI.

Diffinitur Sacramentum.

1 **E**X dictis nõ erit difficile sacramenti diffinitionẽ elicere. Quod vna diffinitione possit diffiniri, aliqui non admittunt, quia Phyl. 7. Met. cap. 4. docet entia peraccidens vna diffinitione nõ posse dif-

finiri. Ideòque Richard. in 4. dist. 1. ar. 1. q. 2. docet sacramentũ posse diffiniri diffinitione vna peraccidens, quale est definitũ; nõ autè diffinitione vna per se. ¶ Ochã vero in 4. q. 1. in initio, & ibi Aliacẽsis art. 3. & Gabriel ar. 3. dub. 1. nõ posse diffiniri assentur vna diffinitione quid rei; bene tamè vna diffinitione exprimere quid nominis.

2 Per oppositũ Scotus in 4. dist. 1. q. 2. §. *Hic primo videtũ;* & §. *Ex his prædictis,* docet sacramenta, & accidẽtia nõ min⁹ diffiniri posse, quã substantiã; quia sacramentum est vnum per se: eo quod formale eius est ratio signi, quæ est forma rationis: cetera, quæ hæc rationẽ cõmitantur, sũt additamenta, & diffiniri per additamenta cõuenit accidẽtib⁹, & secũdis intẽtionibus.

3 Has sentẽtias latè refert Vazquez disp. 128. c. 2. à n. 11. vsq; ad 21. nimis prolixè textũ Phyl. expendens dicẽs eius mẽtẽ nõ quã hactenus sincerè explicatã. Et cõcludens sacramentum diffiniri posse, non quidẽ primariè, & eo modo, quo substantia, sed secundariè, sicut accidentia: & eadẽ proportione habere ipsũ quod quid erat esse. Quamuis enim Sacramentũ nõ sit vnum ens naturale; neque sit vnũ peraccidens cõstans ex subiecto, & forma accidentaria naturali, sicut homo albus. Tamen non est vnum sola cõtinuatione, aut colligatione: sed sicut ens artificiosum, cõstans pluribus rebus in eandem formã concurrentibus, vt domus. Quamuis sit differentia, quod forma artificialium est accidens reale: & forma sacramenti est significatio ex institutione Christi, quæ est forma rationis.

4 Placet doctrina, sed displicet, quod sibi tribuat, cũ iam diu esset tradita a M. Soto in 4. dist. 1. q. 1. ar. 2. §. *Contra hæc,* ad 1. dicẽte, quod vt 5. Met. tex. 7. ait Arist. contingit aliqua esse in vno genere plura, & in altero vnũ: vt domus, quæ in genere substantiæ est plura, nempe lapides, & ligna; in genere qualitatis est vnũ, propter vnã formã, quã nihil refert esse in vna, vel in pluribus rebus. Idẽque de statua, & de omnibus artificialibus sentiendũ. Et pariter sacramentũ, licet ex rebus, & verbis cõstet, vt Baptismus ex aqua, & forma verborũ, quæ sunt naturales diuersæ, tamen illæ in genere signi faciũt vnũ. Quod explicat, & cõcludit satis esse, quod forma sacramenti, & materia faciãt vnũ signum instar materiæ, & formæ in artificialibus, vt possint vna diffinitione diffiniri.

5 Tota hæc doctrina est Angelicæ Doctoris

toris hic art. 3. ad 1. & latius art. 6. ad 2. Pariterque illa explicatio Phylos. quod accidētia propriè diffiniri possint; licet per posterius, & secundario, est D. Tho. lib. 7. Met. lec. 4. & c. 7. de ente, & essentia: de quo iam egim⁹ lib. 1. Log. q. 18. §. 1. Vbi & §. 2. n. 12. diximus, quod concreta acci- dentalia possunt diffiniri dupliciter: vno modo diffinitione quāsi physica, explicante diffinitū per partes, ex quibus constituitur realiter. Secundo diffiniri valet cōcre- tū accidentale quāsi metaphisicè, assignā- do genus, & differentiā. Quā doctrinā mi- nor aliquos Dialecticos ibi reatos negare, cum frequēter videamus à Theologis hic praticari: quia istis primis articulis cum D. Tho. explicant genus, & differentiā Sa- cramenti: & ab art. 4. incipiunt inuestiga- re eius diffinitionē quāsi physica, eius ma- teriā, & formā assignando. Quos nos imi- tantes, diffinitionem quāsi metaphisicam sacramenti in cōmuni aūc inquirimus.

6. Et in primis nō potest nō mihi pla- cere diffinitio M. Sententiarū, cū eā ap- probent Canonēs, & Cōcilia: habetur e- nim in cap. *Sacrificium, de Cōsec.* dist. 2. & in Cōc. Trid. sess. 13. c. 3. & S. Th. in 4. dist. 1. q. 1. ar. 1. q. 3. ait, quod illa diffinitio Magi- stri cōpletissime rationē sacramēti desig- nat, prout nunc de sacramētis loquimur. Ponitur enim efficiētia sactitatis in hoc, quod dicitur, *ut causa existat*: Et modus cō- pētens homini quantū ad cognitionē, in hoc quod dicit *inuisibilis gratiæ visibilis for- ma*. Et modus significationis homini cō- naturalis, scilicet, ex similitudine sensibili- ū, in hoc quod dicit, *ut imaginē gerat*. Ad- uertit autē ad 1. quod dicitur *visibilis cō- munitè accipiēdo pro sensibili*: nā quia vltus est nobilior inter alios sensus, & plu- res differentias rerū ostēdit, ut dicitur in i- tio Metaph. Ideō ut S. Aug. lib. 10. Cōfess. c. 35. dicit, nomen vltus ad alios sensus ex- tenditur; & ad 2. notat, quod *forma sumi- tur hic communiter pro figura*, secundo quod est in quarta specie qualitatis: & fi- gura sic accepta, imago dicitur, ut notat ad 4. Rectè ergo diffinitur sacramētū di- cendo, quod est *inuisibilis gratiæ visibilis for- ma, ut imaginē gerat, & causa existat*.

7. Vna restat difficultas, quam sibi ob- iecit S. Th. quia in diffinitione generis nō debet poni differentia constitutiva alicuius specierū, in quas diuiditur genus: sed esse causam eius, quod figurat, est differen- tia sacramentorū nouæ legis, ut diximus ex D. Tho. q. 62. ar. 1. ad 1. ergo non debet

poni in definitione cōmuni sacramenti.

Respondet S. Tho. ad 5. quod sacra- mentum non diuiditur per sacramēta ve- teris, & nouæ legis, sicut genus per spe- cies; sed sicut analogum in suas partes, ut sanum in habens sanitatem, & signans eā. Sacramētū autem simpliciter est, quod causat sanctitatē: quod autē signat tantū, non est sacramētū nisi secundum quid: & ideō esse causam potest poni in diffinitio- ne sacramenti, sicut habens sanitatem in diffinitione sani.

8. Hæc S. Tho. doctrina in rigore est vera, ut patuit dub. 4. Sed quia, ut ibi retu- limus, non ab omnibus acceptatur: & adhuc quicam tenent, docent sacramēta antiqua esse verè, & propriè sacramenta, & quod inadæquatè cōsiderādo, est dabi- lis aliqua vna ratio cōmunis sacramentis antiquis, & nouis, inuestiganda restat vna diffinitio, quæ illam solam rationem cō- munem declaret.

9. Et quidem si solam communissimā rationē genericā quæreremus, facillimè responderemus, *Sacramētū esse sacræ rei sig- num*, ut dicit S. Tho. art. 1. cū M. Sentent. dist. 1. Quam diffinitionē esse Patribus re- ceptissimā, testatur nobilissimus Author Thomas Valdens. to. 2. de sacram. c. 20. & eū referens Soto q. 1. art. 2. §. *Satis ergo*. Sed quia illa visa est iusto breuior Hugoni de S. Vict. lib. 1. de sacram. p. 9. c. 2. quia non tam rē ipsam accuratè diffinire, quā nominis explicationē solā proponere vi- detur. Nec sola ratione generica res exac- tē diffinitur. Ideō Bellarm. lib. 1. de Sacra- ment. c. 11. ait, quod non rectè faciūt, qui pro hac diffinitione defendenda n̄m̄ium altercantur. Prefertim cum S. August. 10. de Ciuit. cap. 5. illis verbis *Sacrificium visi- bile inuisibilis sacrificij sacramētum, id est sa- crum signum est*; de sacramento loquatur tam ampla significatione, ut etiam sacri- ficium comprehendat.

10. Ad hanc nimiam breuitatē emē- dandā, aliæ lōgiores diffinitiones sunt ex- cogitatæ. Hugo de S. Vict. sic definit. *Sacra- mentum est corporale, vel materiale elementū, foris sensibiliter propositum, ex similitudine re- presentas, & ex institutione significas, ex sã- ctificatione cōtinens aliquā inuisibile, & spiri- tualem gratiā*. Quā diffinitionē esse eādē cum diffinitione Magistri docet S. Th. in 4. dist. 1. q. 1. ar. 1. q. 3. hoc excepto, quod addit causam significationis, quæ est insti- tutio, & causam efficiētis, quæ est sacri- ficatio. Sed quia hæc etiam simpliciter lo-

lis

vis cōuenit nouæ legis sacramentis, & an- tiquis solum secundum quid.

11. Hinc cœperunt Theologi defini- tionibus sacramenti longioribus uti, quā artificiosis. Sotus in 4. dist. 1. q. 2. dicit: *Sa- cramentum esse signum sensibile, gratiam Dei, vel eius effectum gratuitū, ex institutione di- uina efficaciter significans, ordinatum ad salu- tem hominis viatoris*. Sed adhuc istis nō cō- tenti recentiores nouas excogitarunt dif- finitiones, ita ut multiplicentur iuxta nu- merū diffinientium. Suar. disp. 1. sec. 4. *Sa- cra, & sensibilis cœremonia, homines aliquomo- do sanctificans, & verā animæ sanctitatem ex- inuitatione significans*. Aliā adhibet Bonac. n. 1. Diuersam format Auerſa sec. 3. in fi- ne, §. *Colligendū*. Bellarm. lib. 1. c. 12. in fi- ne. *Sacramētū est res sensibus subiecta, quæ ex Dei institutione consecrationis cuiuslibet, tū significandæ, tū efficiendæ vim habet*. Aliam proponit Pasqualig. disp. 64. sec. 6. n. 29. Gasp. Hurt. disp. 1. diff. 3. *Est signum sensi- bile sanctitatis*. Granada to. 4. in 3. p. con- trou. 3. de sacram. tract. 1. q. 2. n. 3. Leand. to. 1. tract. 1. disp. 1. q. 1. *Est signum sensibili- ter, stabili aliqua lege institutum, ut cōferat ali- quam sanctitatem externam, & significet inter- nam*. Lugo disp. 1. sec. 2. n. 23. *Est cœremonia sensibilis, quæ suo vsu sanctificando subiec- tum, significat gratiam internam, cuius est cau- sa*.

12. Tres istas suorum Authorū defi- nitiones improbat Bernal disp. 1. sec. 2. §. 1. & ipse putat exactam diffinitionem af- ferre §. 2. n. 74. sic sacramētum diffinien- do. *Signum sanctitatis sensibile, pro toto Ecce- lesiæ statu à Deo institutum, habitans hominē ad bonum Ecclesiæ proprium*. Excusationem autem adhibet necessitatis adinueniendi nouam diffinitionem, dum n. 73. præmis- serat. Cum sacramētum in Ecclesiā, & sacramenti tractatio in Theologia, tā ve- tus sit; mirabitur forrasse quispiam, quod nouā afferamus sacramenti diffinitionē. Sed mirari desinet, si attendat vetustiorē esse in rebus causā, & in Phylosophia cau- sã contemplationem; & tamen hoc tem- pore, relictis antiquioribus causæ diffini- tionibus, nouas idēdem efformari; sicut etiam ipsius Phylosophiæ. Et rationē pos- tea assignat, quia quidam diffinientes res scholasticè pertractare non curarunt. Qui accuratius examinant, inter se dissentiant in essentia declaranda: & consequentissi- mē diffiniant definitionibus, ut potè quas è suis quisque, seu principijs, seu doctrinalis diuersis necesse est diuersas inferat.

13. Cæterum iam diu sapientissimus M. Soto prudentissimè, & grauissimè cō- tra hanc licentiā nouas adinueniendi dif- finitiones sacramentorum scripserat in 4. dist. 1. q. 1. ar. 2. §. *igitur*: dicens. *De diffinitione autem huiusmodi artem definiendi nequaquam referunt*. Authore enim Ci- cer. lib. 4. Rhetor. definitio esse debet bre- uis, circūscriptaque quædam rei explicati- o. Quare Arist. 6. Topic. secundam eius labē notat, si superfluum quippiam cōri- neat, quod resecari possit. *Quandoquidem definitio communis debet esse animi conceptio omnibus disputantibus: ob idque nihil eorum, quæ sub iudice sunt, debet in ea poni*. Ferè au- tem omnes particule prædictarum defi- nitionum sub iudice sunt, ut vidimus, & videbimus. *Quare hæc non debent definitionē intrare*. Quibus ergo comatæ istæ definitiones placent, non possunt in eandem conuenire: quare vnus, quilibet suam cōmiserit. Quod cer- tius affirmasset, si nostro sæculo vixisset, in quo est tanta licentia diffinitiones anti- quas reiiciendi, & nouellas adinueniendi.

14. Quod affert Bernal de causæ diffi- nitionibus hoc sæculo adinuentis, est ma- læ causæ peius patrociniū, & vnum vi- tium alio velare: quia id reiecit in 2. p. Metaphis. 1. controu. & ex illo inconue- nienti Philosophico erumpunt istæ cōfu- siones in Theologia, quæ proueniunt ex eo quod vnus quilibet suam diffinitionē cōmiserit: & in disputationibus facillimè in æquiuoco, & cōfusione laboratur, quia non audit vnusquisque vocem proxi- mi sui propter diffinitionum cōfusione, & multitudinem.

15. Recurrendum ergo ad diffinitio- nem S. August. & S. Bern. in ser. de Cœna Dñi, & M. Sentent prout exponitur à D. Tho. art. 1. & 2. & acceptatur à Theolo- gis. *Sacramētum est signum rei sacræ, inquan- tum est sanctificans homines*. Quam, vltra cœ- teros, declarant Soto art. 2. & Serra art. 4. Vazq. disp. 128. c. 3. n. 26. Cartagena cō- put. 2. diff. 5. Sayr. lib. 1. c. 2. q. 2. ar. 2. Vi- llalob. to. 1. trac. 4. diff. 1. n. 1. Latissimè art. 2. disp. vnica per plures §. eam expo- nit Cabrera, & Ruyz dubio primo, & 2. Prior particula: nempe *signum*, explicat ra- tionem genericam: quamuis enim phy- sicè definiri possit per materiam; tamē me- taphisicè etiam cōueniēter definitur per proprium genus. Et quamuis etiā suo mo- do omnia sacramenta sint causa gratiæ; quia modus causalitatis cadit sub opinio- nibus, & ipsa causalitas sacramentorū an- tiquæ

tique legis non est sine controuersia inter Theologos, idè non fit mentio de causalitate in sacramenti definitione. Quod autem significatio sit ad placitum ex diuina institutione, satis iuxta subiectam materiam intelligitur. Nec est simpliciter necessarium explicite in definitione exprimere causam significationis, & causam efficiencie, ne definitiones sint nimis prolixæ, si omnes causæ in eis exponantur.

16. Aliæ duæ particule exponuntur à Soto §. Satis ergo dicente. Cum dicitur sacramentum esse signum rei sacræ non accipitur res sacræ pro re quomodocumque sacræ, hoc est, Deo dicata, videlicet, aut pro Sanctis, quos eorum imagines representant, veluti, & Crux representat Christum: aut pro sacris sensibus, quos litteræ sacræ significat. Sed pro gratia gratum faciente, cuiusque actione: ipsa enim Theologorum vtu simpliciter, & absolute nuncupatur res sacræ, utpote, quæ Deo, in quo summa cõfinitur felicitas, animas consecrat: ad quam perinde consecrationem vniuersa, quæ in Ecclesia consecratur; ut altaria, sacerdotes, & vasa, & reliqua, ordinantur, & referuntur.

17. Vltimam particulam, quam adiecit S. Tho. ad maiorem expositionem, nẽ per quantum est sanctificans homines: declarat idem Magister, dum subiungit: Quia propter neque sacramentum eandem gratiam quomodolibet significat; sed ut S. Tho. ar. 2. docet, quæ ratio est in actu faciendi, sanctificandique, & expurgandi nos à peccatis Ablutio enim illa baptismi est sacræ rei signum, quia significat nos tunc spiritualiter abluï, sicut abluïtur corpus: & susceptio Eucharistiæ est signum spiritualis cibationis, quæ tunc actu fit. Itaque Sacramentum est signum sacræ actionis, siue quæ tunc fit in anima, ut in nostris sacramentis, siue quæ futura est per Christum. Sacramenta enim legis veteris gratiam per Christum futuram præsignabant. Et quoniam sacramenta huiusmodi actiones, quæ per antonomasiam, sacræ dicuntur, designant, simplici er dicuntur res sacræ. Cũ enim sacrosanctam Eucharistiã consecramus, dicimus rem facere sacrã. Idẽque de cæteris sacramentis dicere possumus. Vnde & sacerdos, sacramentorum ministri, ut i. c. Eccles. Hier. ait Dion. sacri dicuntur, videlicet saceris ordinibus sacrati, & sacramentorum ministerio sacrautes.

Ex qua doctrina excludit à ratione sacramenti in solutionibus argumentorum, mul-

ta, quibus superficie tenus videtur conuenire definitioni, & reuera nõ conuenit. Quia id ex dictis iam est facile, omitto. Videatur Trullench. lib. 1. cap. 1. dub. 1. n. 9. vsque ad 16.

18. Aduertit autem Caietanus ar. 2. quod ly sanctificantis intelligitur in actu exercito, hoc est signum rei sacræ, ut actualiter exercet sanctificationem hominis: quia ad hoc adhibetur ut signum, ut sanctificetur homo per illius significatum. Si igitur sit signum prædicte effectiũ quod significat, & confert, nẽpè gratiam internam sanctificantem: solis cõperit sacramentis nouæ legis: de quibus præcipue intendit S. Tho. ut circa titulum 1. art. notat Caiet. & constat ex art. 3. & 6. Et q. 64. & 65. disputas de causa, & numero sacramentorum, explicans causam, & numerum sacramentorum nouæ legis, satisfecit S. Tho. quæsitio. Et in illo rigore definitio illa exponitur per eam, quæ habetur in Catechismo Pij Quinti. Sacramentum est res sensibilis, quæ ex diuina institutione, sanctitatis, & iusticie, & gratificandæ, effectum vim habet. Quæ ut pulcherrima, & breuissimè cõplectetẽ octo requisita ad sacramentum, cõmendat Bellarm. lib. 1. c. 11. in fine. Si vero significatio nõ sit in rãto rigore practica, nec sanctitas in exercitio collata sit interna, sed solũ legalis, & nostra figuretur, & promittatur, cõm antiqua definitio omni sacramento communis modo expõsito.

DVBIVM VII.

Vtrum Sacramentum sit semper aliqua res sensibilis?

§. I.

Conclusio affirmatiua.

Dico primo, ad sacramenta requiruntur res sensibiles. Probat S. Thom. ar. 4. ex 8. Dionys. 1. c. cælest. hier. & S. August. trac. 80. in Ioã. & ratione: nã sapietia diuina vnicuique rei prouidet secundum suum modum: & propter hoc dicitur Sapietia 8. quod suauiter disponit omnia. Est autem homini connaturale ut per sensibilia perueniat in cognitionem intelligibilem. Signum autem est per quod aliquis deuenit in cognitionem alterius. Imò (ut aduertit ad 1.) primo & principaliter dicuntur signa, quæ sensibus offeruntur: sicut S. August. dicit 2. de Doctr. Christ. initio, quod signum est, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. Vnde cum res sacræ, quæ per sacramenta significantur, sint quædam spiritualia, & intelligibilia bona, quibus homo sanctifi-

catur

carur: consequens est ut per aliquas res sensibiles significatio sacramenti impleatur. Quod etiam docet S. Iudorus relatus cap. Multi 1. q. 1.

2. Alias tres rationes congruentia huius diuina institutionis, optime exponit S. Th. lib. 4. Contrag. cap. 5. 6. & in 4. Sent. dist. 1. q. 1. ar. 2. q. 1. & ar. 3. aduertit, quod hoc est commune in omnibus sacramentis antiquæ, & nouæ legis, quod consistant in rebus sensibilibus inuisibilem gratiam significantibus. Alias rationes Patrum afferunt Alanus lib. 1. de sacram. c. 42. & Suarez disp. 1. sec. 3. Notanda sunt verba Origenis lib. 4. contra Gellum, qui exponens illud Deut. 1. ver. 31. Portauit te Dominus Deus tuus, ut sceler homo gestare parvulum filium suum: ait, quod quemadmodum nos, ubi cum pueris minoribus oborta est disceptatio, nõ nostras dicendi vires attēdimus; sed illorum inbecillitati nos ipsos accommodantes, nõ solum his consentanea fabulamur; sed eadem facimus, quæ pueros videntur emendat: ita nobis in his facere, & illis nõ parum condecet. Sic enim & Deus hominibus humanæ & sensibilia dedit signa, eorum attendens vilitati.

3. Aduertendum autem, quod duobus modis dici potest res aliqua sensibilis, vel quia sensibus percipi potest: & sic condidit rei spirituali, quæ solo percipitur intellectu. Vel secundo strictius accipitur sensibilis pro re corporali, ut res condiditur à verbis: & hoc modo res sensibilis dicitur aqua, oleum, vinum, panis. Et in hoc secundo sensu intelligunt loqui S. Th. Caiet. & Suar. in cõmentario art. 4. quia afferit auctoritatem S. August. trac. 80. in Ioãna. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Et loquitur ibi de elemento sensibilis, quod est aqua: & à verbis condidit. Et similiter condidit S. Th. art. 6. in fine corp. & ad 2. Qui autem vellet priori modo exponere, haberet fundamentum in ratione art. 4. & quia in 4. Sentent. dist. 1. q. 1. artic. 1. q. 3. ad 1. ait, quod in diffinitione Magistri de sacramento dicitur, quod est visibilis forma, visibilis ponitur pro sensibili cõmuniter. Distinctionem autem inter rem, & verba exponere, referuat S. Tho. sequentibus articulis.

4. Sed obijcies: nam character baptismalis est res, & sacramentum simul. Et similiter Corpus Christi verum existens in altari. Pariterque iuretor cõtritio est pars sacramenti Pœnitentiæ. Et tamen nihil istorum est aliquid sensibile: ergo ad sacra-

menta nõ requiruntur res sensibiles.

5. Respondetur primo cum Soto in 4. dist. 1. q. 1. artic. 6. Aliud autem, quod corpus Christi nõ dicitur sacramentum, nisi per synecdochẽ, quia nomen totius dicitur de parte: Est enim Corpus Christi, nõ tam Sacramentum, quam virtus sacramenti; nempe sensibilium specierum, quæ suscipientes recipiunt gratiam: ob idque respectu specierum est res, respectu vero gratiæ est sacramentum. Et idè sicut virtutem baptismi nõ opus est esse per se sensibilem, ita neque corpus Christi. Satis quippe est totum Sacramentum Eucharistiæ esse signum sensibile.

6. Seti vniuersalior est solutio D. Thomæ in 4. dist. 1. q. 1. art. 1. q. 3. ad 3. dicentis, quod Character baptismalis, & corpus Christi verum, nõ dicuntur sacramenta, nisi secundum quod continguntur signis sensibilibus. Et hic art. 4. ad 1. ait: Effectus autem intelligibiles non habent quod possint ducere in cognitionem alterius, nisi inquantum sunt per aliud manifestati: id est per aliqua sensibilia. Quod probat, & concludit: Et per hunc etiam modum quadam, quæ nõ sunt sensibilia, dicuntur quodammodo sacramenta, inquantum sunt significata per aliqua sensibilia, de quibus infra agatur: nempe q. 63. ar. 1. ad 2. ubi ait S. Th. quod Character animæ impressus, habet rationem signi, inquantum per sensibile sacramentum imprimitur: per hoc enim scitur aliquis esse baptismali Character insignitus, quod est abluus aqua sensibili. Idemque de contritione docet S. Tho. 3. p. q. 84. ar. 1. ad 3. & ad 1. notat, quod nomine corporaliũ rerũ intelliguntur largi etiam ipsi exteriores actus sensibiles: qui ita se habent in Pœnitentiã sicut aqua in baptismo; vel crisma in confirmatione. Pariterque ratione indissolubilis vniõ matrimonialis, quæ sacramentum est vniõis Christi, & Ecclesiæ, per verba exteriora sentitur. De quo Soto in fine art. 4. & suis locis singula hæc exponuntur amplius.

§. II.

Quid de possibili?

7. Sed inquires an Sacramentum essentia ster exigat, quod constet ex re sensibili, ita ut nec diuinitus sacramenta possint constare ex solis rebus, & signis spiritualibus? Affirmant Nũño art. 4. ad 1. & Cabrera ibi disp. vnic. n. 12. & Ruyz. Et Suar. disp. 1. sec. 3. in fine i. cõcl. Et Bellar. lib. 1. de sacram. c. 9. §. Secundũ est. Sayr. lib. 1. c. 2. q. 7. Bernal disp. 1. §. 7. n. 57. referens Coninch, Meratium, Layman, & Grana-

C 4

Pro-

tique legis non est sine controuersia inter Theologos, idè non fit mentio de causalitate in sacramenti diffinitione. Quod autem significatio sit ad placitum ex diuina institutione, satis iuxta subiectam materiam intelligitur. Nec est simpliciter necessarium explicite in diffinitione exprimere causam significationis, & causam efficiencie, ne diffinitiones sint nimis prolixæ, si omnes causæ in eis exponantur.

16 Aliæ duæ particule exponuntur à Soto §. Satis ergo dicente. Cum dicitur sacramentum esse signum rei sacræ non accipitur res sacræ pro re quomodocumque sacræ, hoc est, Deo dicata, videlicet, aut pro Sanctis, quos eorum imagines representant, veluti, & Crux representat Christum: aut pro sacris sensibus, quos litteræ sacræ significat. Sed pro gratia gratum faciente, cuiusque actione: ipsa enim Theologorum vsu simpliciter, & absolute nuncupatur res sacræ, vt ipse, quæ Deo, in quo summa cõsistit felicitas, animas consecrat: ad quam perinde consecrationem vniuersa, quæ in Ecclesia consecratur, vt altaria, sacerdotes, & vasa, & reliqua, ordinantur, & referuntur.

17 Vltimam particulam, quam adiecit S. Tho. ad maiorem expositionem, nẽpẽ in quantum est sanctificans homines: declarat idem Magister, dum subiungit: Quia propter neque sacramentum eandem gratiam quomodolibet significat; sed vt S. Tho. 4r. 2. docet, quæ ratio est in actu faciendi, sanctificandique, & expurgandi nos à peccatis Ablutio enim illa baptismi est sacre rei signum, quia significat nos tunc spiritualiter abluï, sicut abluïtur corpus: & susceptio Eucharistiæ est signum spiritualis cibationis, quæ tunc actu fit. Itaque Sacramentum est signum sacræ actionis, siue quæ tunc fit in anima, vt in nostris sacramentis, siue quæ futura est per Christum. Sacramenta enim legis veteris gratiam per Christum futuram præsignabãt. Et quoniam sacramenta huiusmodi actiones, quæ per antonomasiam, sacræ dicuntur, designant, simpliciter dicuntur res sacræ. Cũ enim sacrosanctam Eucharistiã consecramus, dicimus rem facere sacrã. Idẽque de ceteris sacramentis dicere possumus. Vnde & sacerdos res, sacramentorum ministri, vt i. c. Eccles. Hier. ait Dion. sacri dicuntur, videlicet saceris ordinibus sacrati, & sacramentorum ministerio sacrautes.

Ex qua doctrina excludit à ratione sacramenti in solutionibus argumentorum, mul-

ta, quibus superficie tenus videtur conuenire diffinitio, & reuera nõ cõuenit. Quia id ex dictis iam est facile, omitto. Videatur Trullẽch. lib. 1. cap. 1. dub. 1. n. 9. vsque ad 16.

18 Aduertit autẽ Caletanº ar. 2. quod ly sanctificantis intelligitur in actu exercito, hoc est signum rei sacræ, vt actualiter exercet sanctificationẽ hominis: quia ad hoc adhibetur vt signum, vt sanctificetur homo per illius significatũ. Si igitur sit signum prædicẽ effectũ quod significat, & confert, nẽpẽ gratiam internã sanctificantem: solis cõperit sacramentis nouę legis: de quibus præcipue intendit S. Tho. vt circa titulu 1. art. notat Calet. & constat ex art. 3. & 6. Et q. 64. & 65. disputas de causa, & numero sacramentorum, explicans causã, & numerũ sacramentorum nouę legis, satisfecit S. Tho. quæsitio. Et in illo rigore diffinitio illa exponitur per eã, qua habetur in Catechismo Plj Quinti. sacramentũ est res sensibus suscepta, quæ ex diuina institutione, sanctitas, & iusticia, & potestate, illi effectũ vniuersi habet. Quia vt pulcherrimã, & breuissimã cõplecterẽ cõto requisita ad sacramentũ, cõmendat Bellarm. lib. 1. c. 14. in fine. Si vero significatio nõ sit in rãto rigore practica, nec sanctitas in exercitio collata sit interna, sed solũ legalis, & nostra figuretur, & promittatur, cõtra antiquã diffinitio ordinis sacramentis communitis modo expõsito.

DVBIVM VII.

Vtrum Sacramentum sit semper aliqua res sensibilis?

§. I.

Conclusio affirmatiua.

1 Dico primo, ad sacramenta requiruntur res sensibiles. Probat S. Thom. ar. 4. ex 8. Dionys. 1. c. cælest. hier. & S. August. trac. 80. in Ioã. & ratione: nã sapiẽtia diuina vnicuique rei prouideret secũdũ suũ modũ: & propter hoc dicitur Sapiẽtiã 8. quod suauiter disponit omnia. Est autem homini connaturale vt per sensibilia perueniat in cognitionẽ intelligibiliũ. Signũ autẽ est per quod aliquis deuenit in cognitionem alterius. Imò (vt aduertit ad 1.) primo & principaliter dicuntur signa, quæ sensibus offeruntur: sicut S. August. dicit 2. de Doctr. Christ. initio, quod signum est, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. Vnde cum res sacræ, quæ per sacramenta significantur, sint quædam spiritualia, & intelligibilia bona, quibus homo sanctifi-

catur

carur: consequens est vt per aliquas res sensibiles significatio sacramenti impleatur. Quod etiam docet S. Isidorus relatus cap. Multi 1. q. 1.

2 Alias tres rationes congruentiæ huius diuinae institutionis, optime exponit S. Th. lib. 4. Contrag. cap. 56. & in 4. Sent. dist. 1. q. 1. ar. 2. q. 1. & ar. 3. aduertit, quod hoc est commune in omnibus sacramentis antiquæ, & nouæ legis, quod consistant in rebus sensibilibus inuisibilem gratiam signantibus; Alias rationes Patrum afferunt Alanus lib. 1. de sacram. c. 42. & Suarez disp. 1. sec. 3. Notanda sunt verba Origenis lib. 4. contra Gellum, qui exponens illud Deut. 1. ver. 31. Portauit te Dominus Deus tuus, vt solet homo gestare paruulum filium suũ: ait, quod quemadmodum nos, vbi cum pueris minoribus oborta est disceptatio, nõ nostras dicendi vires attẽdimus; sed illorum inbecillitati nos ipsos accomodantes, nõ solum his consentanea fabulamur; sed eadem facimus, quæ puerorum videntur emendationibus satisfacere; & illis nõ parum condicere: Sic item, & Deus hominibus humanis & sensibilia dedit signa, eorum attendens vtilitati.

3 Aduertendum autẽm, quod duobus modis dici potest res aliqua sensibilis, vel quia sensibus percipi potest: & sic condiditur rei spirituali, quæ solo percipitur intellectu. Vel secundo strictius accipitur sensibile pro re corporali, vt res condiditur à verbis: & hoc modo res sensibilis dicitur aqua, oleum, vinum, panis. Et in hoc secundo sensu intelligunt loqui S. Th. Caiet. & Suar. in cõmentario art. 4. quia afferit auctoritatem S. August. trac. 80. in Ioann. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Et loquitur ibi de elemento sensibili, quod est aqua: & à verbis condistinguit. Et similiter condistinguit S. Th. art. 6. in fine corp. & ad 2. Qui autem vellet priori modo exponere, haberet fundamentum in ratione art. 4. & quia in 4. Sentent. dist. 1. q. 1. artic. 1. q. 3. ad 1. ait, quod in diffinitione Magistri de sacramento dicitur, quod est visibilis forma, visibilis ponitur pro sensibili cõmuniter. Distinctionem autẽm inter rem, & verba exponere, referuat S. Tho. sequentibus articulis.

4 Sed obijcies: nam character baptismalis est res, & sacramentum simul. Et similiter Corpus Christi verum existens in altari. Pariterque interior contritio est pars sacramenti Pœnitentiæ. Et tamen nihil istorum est aliquid sensibile: ergo ad sacra-

menta non requiruntur res sensibiles.

5 Respondetur primo cum Soto in 4. dist. 1. q. 1. artic. 2. §. Aliud autem, quod corpus Christi non dicitur sacramentum, nisi per synecdochẽ; quia nomen totius dicitur de parte: Est enim Corpus Christi, nõ tam Sacramentum, quam virtus sacramenti; nẽpẽ sensibilem specierum, quæ suscipientes recipiunt gratiam: ob idque respectu specierum est res; respectu vero gratiæ est sacramentum. Et idẽ sicut virtutem baptismi non opus est esse per se sensibilem, ita neque corpus Christi. Satis quippe est totum Sacramentum Eucharistiæ esse signum sensibile.

6 Sed vniuersalior est solutio D. Thomæ in 4. dist. 1. q. 1. art. 1. q. 3. ad 3. dicentis, quod Character baptismalis, & corpus Christi verum, non dicuntur sacramenta, nisi secundum quod continguntur signis sensibilibus. Et hic art. 4. ad 1. ait: Effectus autem intelligibiles non habent, quod possint ducere in cognitionem alterius; nisi inquantum sunt per aliud manifestati; id est per aliqua sensibilia. Quod probat; & concludit: Et per hunc etiam modum quædam, quæ non sunt sensibilia, dicuntur quodammodo sacramenta, inquantum sunt significata per aliqua sensibilia; de quibus infra ageatur: nempe q. 63. ar. 1. ad 2. vbi ait S. Th. quod Character anime impressus, habet rationem signi inquantum per sensibile sacramentum imprimitur; per hoc enim scitur aliquis esse baptismali Characterẽ insignitus, quod est ablutus aqua sensibili. Idẽque de contritione docet S. Tho. 3. p. q. 84. ar. 1. ad 3. & ad 1. notat, quod nomine corporaliũ rerũ intelliguntur largẽ etiam ipsi exteriores actus sensibiles; qui ita se habent in Pœnitentiã sicut aqua in baptismo; vel crisma in confirmatione. Paritẽque ratione indissolubilis vnio matrimonialis, quæ sacramentum est vnionis Christi, & Ecclesiæ, per verba exteriora sentitur De quo Soto in fine art. 4. & suis locis singula hæc exponuntur amplius.

§. II.

Quid de possibili?

7 Sed inquires an Sacramentum essentialiter exigat, quod constet ex re sensibili, ita vt nec diuinitus sacramenta possint constare ex solis rebus, & signis spiritualibus? Affirmant Nũño art. 4. ad 1. & Cabrera ibi disp. vnic. n. 12. & Ruyz. Et Suar. disp. 1. sec. 3. in fine i. cõcl. Et Bellar. lib. 1. de sacram. c. 9. §. Secundũ est. Sayr. lib. 1. c. 2. q. 7. Bernal disp. 1. §. 7. n. 57. referens Coninch, Meratium, Layman, & Grana-

Probant ex Patribus: nempe S. Cypriano de baptismo, & ablutione pedum. S. August. 10. de Civ. cap. 5. & de Catec. rud. cap. 20. & epist. 66. S. Chris. hom. 83. in Matthæu ait. *Sicut incorporeus effes, nuda, & incorporea tibi dedisset (Deus) sed quoniam anima corpori conferta est, in sensibilibus intel ligibilia tibi præbet.*

8 Rationeque probatur, quia sacramenti nomine non intelligitur qualecumque gratiæ signum; sed accommodatum sacre Reipublicæ sensibili: & intelligenti dependenter à sensibus: Tale autem signum essentialiter est sensibile, ut per se claret: ergo & omne sacramentum.

Præterea, si Deus imponeret aliquid spirituale ad significandam, vel efficiendam gratiam, illud non esset humanum signum, sed potius Angelicum: Ergo tale signum non esset sacramentum, prout nunc de eis loquimur. Probatur consequentia, quia sacramenta humana, seu à Deo hominibus data, debent esse ceremoniæ sensibiles, ut eis uti possimus ad colendum Deum corpore, & anima. Sacramentis etiam populus sacer dicitur à profano coram hominibus in ordine ad humanos, & sensibiles usus.

9 Tertio, sacramentum essentialiter est in genere signi, ut dictum est dub. 1. Sed uera essentialiter sunt sensibilia: ut constat ex definitione signi tradita à Diuo Aug. lib. 2. de doct. Christ. initio, quam sequitur, & refert S. Tho. artic. 3. ad 1. docens, quod effectus intelligibiles non habent, quod possint ducere in cognitionem alterius, nisi in quantum sunt per aliud manifestati, id est, per aliqua sensibilia. Et inde est, quod primo, & principaliter dicuntur signa, quæ sensibus offeruntur, &c. Quia etiam ratione idem S. Tho. in 4. distict. 1. q. 1. a. 1. q. 2. ad 3. ait, quod in locutione Angelorum non possunt proprie dici signa, sed quasi presumptum. Ergo sacramentum essentialiter constat ex re sensibili.

10 Per aliud extremum fuerunt Theologi, qui absolute negarunt esse de intrinseca ratione sacramenti, quod sit signum sensibile: ideoque in definitione physica sacramenti non oportuisse ponere *visibilitatem, vel signum sensibile*. Ita Ocham in 4. q. 1. col. 1. & Gabriel q. 1. art. 1. not. 1. Nam si Deus spirituale aliquid remedium peccati institueret, illud esset verè sacramentum: ut si sanxisset per solam meditationem suæ passionis, aut per delictorum mentem detestationem, indulgentiam eorumdem fieri delictorum.

11 Nihilominus, Dico secundo, sacramentis nunc institutis per se, & intrinsece ex diuina institutione conuenit, quod consent rebus sensibilibus. Possent tamen Deus actum spirituale, vel signum aliud non sensibile instituire, ut significaret, & conferret gratiam: Quod quidem esset verum sacramentum; quamuis non omnino eiusdem rationis cum sacramentis de facto institutis. Priorem assertionis partem probant argumenta primæ sententiæ: & eam solam intendunt Patres, imò & aliqui ex Authoribus, qui pro ea referuntur. Secundam partem conuincit fundamentum secundæ opinionis. Vtramque paucis expressit Soto dicto art. 4. §. *Verumtamen*, ubi occurrens argumento Ochami, ita ait. *Ad hoc autem satis est respondere, definitionem non dicere quid Deus potuisset, sed quam reuera sacramentorum materiam instituerit: instituit autem eam in rebus sensibilibus. Idem sequuntur Araujo artic. 4. dub. 2. alios referens. Serra §. Prima particula. Henriq. lib. 1. c. 2. n. 3. & azq. disp. 128. c. 4. n. 35. Cartagena disp. 1. distict. 2. & alij.*

12 Quod denuo probatur primo à priori: quia institutio sacramentorum est ad placitum ex sola libera voluntate Dei: ergo sicut eleuauit materiam sensibilem ut significaret, & conferret gratiam, potuit eleuare operationem immanentem, vel aliud signum spirituale. Secundo, quænis de facto Deus Angelis dedit gratiam absque signis, & sacramentis; tamè non repugnat de potentia absoluta, quod sicut hominibus creditur sacramenta eis proportionata, sub tegumento visibili inuisibilem gratiam significantia, & continentia; ita daret signa, & causas instrumentales in actu exercito causantes in eis gratiam: huiusmodi autem signis, & causis nil essetiale sacramenti deficeret.

13 Tertio, de facto docet S. Tho. 2. 2. q. 178. art. 1. ad 1. Deum ad patranda miracula uti instrumentaliter interiori motu hominis. Ergo possent eandem operationem immanentem eleuare, ut instrumentaliter causaret gratiam eo genere causalitatis, quo nunc causant sacramenta: accedente autem diuina institutione, haberet omnia prædicata essentialiter requisita ad sacramentum.

14 Quarto, nulla est repugnancia, quod dentur signa spiritualia instrumentalia: quandoquidem de ipsis signis formalibus spiritualibus diximus lib. 1. Dialecticæ c. 2 q. 3. nu. 17. esse verè, & proprie signa, loquen-

loquendo de signo ut iam est in usu loquentium, quamuis secundum primam vocis impositionem, primo, & principaliter dicantur signa, quæ sensibus offeruntur, ut ait Sanctus Thomas art. 4. ad 1. Vbi non negat in spiritualibus esse vere, & proprie signa, sed quod in prima impositione, & in rigore vocis, ut apud nos primo fit imposita, primo, & principaliter signa dicuntur, quæ sensibus offeruntur. Ergo si entitati spirituali Deus daret significationem, & causalitatem instrumentalem; esset signum, & causa gratiæ, ut in actu exercito datur in sacramentis: ac proinde esset sacramentum.

15 Denique vltima pars probatur; quia sacramenta, quæ nunc sunt instituta, sunt composita ex rebus, & verbis, quibus competit significatio, & causalitas spiritualis: sacramenta autem illa constarent, etiam materia spirituali. Sed composita quæ integrantur ex partibus sensibilibus diuersæ rationis sunt ab illis, quæ integrantur ex materia, vel quali materia spirituali: ergo illa sacramenta non essent omnino eiusdem rationis. Quamuis discrimen inter illa potius teneat ex parte materiæ, quam ex parte generis, & differentie sacramenti. Vnde physice, & in esse naturæ maxime distarent: sed formaliter in esse signi, & causæ gratiæ, metaphysice vni uocarentur: quia diuersitas in esse naturæ se habet materialiter.

16 Sed instabis: quia non minus est de intrinseca ratione sacramentorum; quæ nunc sunt, quod consent rebus sensibilibus, quam quod sint signa ad placitum: ut patet ex dictis. Sed nec diuinitus fieri potest, quod dentur sacramenta, quæ sint signa naturalia gratiæ, ut ostendimus dubio 2. §. 2. Ergo nec miraculose fieri possunt sacramenta, quæ non consent rebus sensibilibus.

17 Respondetur negando consequentiam. Ratio discriminis est manifesta ex ibi dictis num. 18. quia nulla creatura factibilis valet significare, & natura sua in exercitio causare gratiam: quia ut ait Sanctus Thomas art. 5. ad 2. *res non ordinantur ad sanctificationem ex aliqua virtute sibi naturaliter indita: sed solum ex institutione diuina.* Vnde implicat in terminis esse sacramentum, & esse signum naturale. At verò materia sacramenti assumitur ad libitum instituentis: vnde sicut assumptis materiæ sensibilem, potuit assumere actus, vel signa spiritualia. Deinde additur ex D. Tho.

art. 6. ad 2. quod diuersitas in esse naturæ materiæ sacramenti, se habet præsuppositiue; & ideo potest variari salua significatione. At vero significatio ad placitum est forma pertinens ad conceptum essentialem metaphysicum sacramenti: ideoque variari nequit eadem essentia manente, iuxta doctrinam Sancti Tho. 1. p. q. 25. art. 6.

DVBIVM VIII.

Res sensibiles, quibus est vtendum in Sacramentis, debeant esse determinatæ à Deo.

1 Conclusio, in sacramentis nouæ legis oportet uti rebus ex diuina institutione determinatis. Probat S. Thom. art. 5. quia in usu sacramentorum duo possunt considerari, scilicet, cultus diuinus, & sanctificatio hominis. Quorum primum pertinet ad hominem per comparationem ad Deum, secundum autem è conuerso pertinet ad Deum per comparationem ad hominem. Non autem pertinet ad aliquem determinare illud, quod est in potestate alteri, sed solum id quod est in sua potestate. Quia ergo sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem sub iudicio assumere res, quibus sanctificetur; sed hoc debet esse ex diuina institutione determinatum. Et ideo in sacramentis nouæ legis, quibus homines sanctificantur (secundum illud 1. ad Corinth. 6. *Abluti estis, sanctificati estis*) oportet uti rebus ex diuina institutione determinatis.

2 Ratio S. Thom. procedit in sacramentis nouæ legis, de quibus expresse loquitur. Doctrina tamen conclusio nis verum habet in sacramentis legis antiquæ: quia sicut lex ipsa fuit à Deo data medijs Angelis, & a Moyse promulgata; ita ab ipso Deo fuerunt determinatæ res, quibus vtendum erat in sacramentis. Rationem assignat S. Thomas ad 3. dices. Post modum necesse fuit etiam exterius legem dari; tum propter obscuracionem legis naturæ, ex peccatis hominum. Tum etiam ad expressiorem significationem gratiæ Christi, per quam humanum genus sanctificatur. Et ideo etiam necesse fuit res determinari, quibus homines vtentur in sacramentis. Nec propter hoc artatur via salutis, quia res, quarum usus est necessarius in sacramentis, vel communiter habentur, vel paruo studio adhibito haberi possunt.

sunt. Quid autem speciale circa hoc sit dicendum de sacramentis, quæ erant ante legem scriptam, explicat S. Thomas ad 3. & quæstione 61. art. 3. ad 2. vbi id nos exponemus.

3. Circa titulum art. 5. notat Suarez, quod hec determinatio rerum, de quibus loquitur S. Thomas, dupliciter potest esse necessaria, vel antecedenter ad institutionem, vel postquam à Christo Domino sunt instituta. Hoc est, vel potest inquiri, an fuerit necessarium, quod Deus institueret res determinatas, quibus utendum esset in sacramentis: vel an homines post Dei institutionem, teneantur vti rebus à Deo determinatis? Et in hoc secundo sensu dicit Suarez quæstionem tractari, & determinari à D. Thoma in corpore articuli. In priori vero sensu in solutione argumentorum: & præcipue ad 1.

4. Cæterum solum in posteriori sensu quæstionem tractari, & determinari à D. Thoma in toto articulo, satis indicat Soto, & docet Vazquez in obseruatione circa articulum quintum; quia intentum S. Th. Thomæ est docere non posse homines pro suo arbitrio variare, aut determinare, quibus rebus utendum sit in sacramentis; sed id determinatum esse diuina institutione.

5. Quod declarat S. Thomas ad 1. dicens, *Deus est, qui nobis significat spiritualia per res sensibiles in sacramentis, & per verba similitudinaria in scripturis. Et ideo sicut iudicio Spiritus Sancti determinatum est, quibus similitudinibus in certis scripturæ locis res spirituales significantur: ita etiam debet esse diuina institutio determinatum, quæ res ad significandum assumantur in hoc, vel in illo sacramento.* Hæc S. Thomas. Qui & videndus 1. p. q. 1. ar. 10.

6. Circa quæ digna sunt vt transcribantur, quæ duo egregij Thomistæ pie, & grauitè admonent. Cardinalis Caietanus ita ait: *Aduerte, quam præsumptuosa, iniuriosa, ac sacrilega, sit eorum solertia, qui proprias, aut Poetarum similitudines, tãquam spiritualium simulachra interpretantur, scribunt, aut prædicant: usurpant enim officium Spiritus Sancti, cuius iudicio res aliquæ institutæ sunt in figuram aliorum, dicente Apostolo: omnia in figura contingebant illis. Viliificantque Sacramentum Scripturæ, dum ex tali fictione occasionem dant credendi, quod similiter humano Spiritu sunt in figuram ea, quæ sunt in sacris litteris, quemadmodum hæc, quæ*

audiunt humani dexteritate ingenij capta: & sic multum auctoritatis detrahitur Sacramentum Scripturæ figuris.

7. M. Soto q. 1. art. 5. §. *Hic ergo* (asserit) sancte admonendi sunt sacrorum Expositores, & concionatores, ne signis profanis temere vtantur ad sacros sensus exprimendos: in quo nonnulli plurimum oblectantur. Quamuis enim pictoribus, atque poetis comædijs vti liceat, & imaginibus ad mores hominum taxandos, vt in Sardanapalo lasciuium, & in Midâ auaritiã contempleris, & in Parmenone vafriaciã, nemini tamen in Sacris, ita liberè fas est profanis vti, sed illis, quæ Spiritus Sanctus secundum Ecclesiasticos interpretès reuelauit. Etenim qui propterea quod aduersarium nostrum diabolum leonem appellat Petrus, quem Christus deuicit, imagine Herculis leonem lacerantis Christum significaret: vel ob id quod eundem Satanam, qui animas in suam cavernam obtrudebat, superauit, effigie eiusdem Herculis Cæcum claua ridentis eum representaret, plus nimio esset profanus, ac fortasse blasphemus. Quia propter, qui in Rosa fragrante mysteria scripturæ Sacre sub profanissima imagine secularium, aulicorumque virorum, ac mulierum, profanare apud nos ceperant, maritissimo sunt prohibiti. Hæc ibi.

DE VBIUM IX.

Vtrum in significatione sacramentorum requirantur verba?

§. I.

De Sacramentis antiquis.

1. **D**ico primo. In Sacramentis veteris legis non erat necessarium, quod rebus verba adderentur. Ita Sanctus Thomas in 4. dist. 1. q. 1. art. 3. & ibi ad Anib. Et hic art. 6. ad 3. probat ex S. August. 10. 6. lib. 19. contra Faustum cap. 6. dicente, quod alia debent esse sacramenta rei presentis, & alia rei futuræ: rem enim presentem clarius manifestamus, quam futuram, Sacramenta autem veteris legis præsentia erant Christi venturi; & ideo non ita expresse significabatur Christum; sicut sacramenta nouæ legis. Ideoque illis non addebantur verba: quia vt docet S. August. 10. 3. lib. 2. de doctr. Christ. cap. 3. *verba inter homines obtinuerunt principatum significandi: quia*

§. II.

De Sacramentis nouæ legis.

5. **D**ico secundo, omnia sacramenta nouæ legis perficiuntur rebus, & verbis. Ita S. Thomas art. 4. & 6. & in 4. dist. 1. q. 1. art. 3. & dist. 13. q. 1. art. 2. q. 6. ad 2. Et q. 27. de Verit. artic. 4. ad 10. & Theologi communiter. Quoad aliqua sacramenta sumitur manifeste ex Sacramentum Scriptura. In primis de Baptismo inquit Apostolus ad Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ:* loquitur autem de Ecclesia, quam Christus mundauit aqua baptismatis, & verbis formæ, quæ ipse docuit Mathæi 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Sacramentum etiam Eucharistiæ perficitur rebus, & verbis, colligitur ex eius institutione, prout refertur facta à Christo Mathæi 26. & Lucæ 22. De Pœnitentiæ sacramento idem (quamuis non ita manifeste) sumitur ex facto Christi Ioan. 20. De sacramento Extremæ vntionis ex cap. 5. Iacobi habetur res, scilicet, vntio olei, & etiam requiri verba, quæ ibi vocantur: *Oratio fidei.*

6. De reliquis sacramentis, quamuis non habeamus scripturæ testimonia, habemus Ecclesiæ antiquam traditionem; quæ explicuit Eugenius 4. in Concilio Florentino, post lésionem vltimã, in §. *Quinto Ecclesiasticorum:* vbi numeratis septem Ecclesiæ sacramentis, de illis, ait. *Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri.* Quod autem loquatur de essentialiter requisitis ad substantiã sacramentorum, declarat, dum subdit. *Quorum si aliquid desit, non percipitur sacramentum.*

7. Ratio à priori non est aliqua alia, quã voluntas Dei, & Christi instituentis. Institutionis tres conuenientias assignat artic. 6. quia in sacramentis, & potest considerari causa sanctificationis, & hominis sanctificandi, & expressior sanctificationis significatio, quæ est propria sacramentorum nouæ legis; & ex omnibus, & singulis istis capitibus congruit sacramentis nouæ legis quod verba rebus sensibilibus adiungantur. Rationes has S. Thomæ truncatas proponit Bernal disp. 3. n. 8. & ipse nu. 9. reiecit rationibus D. Thomæ, nouam, vt propriam, & potissimam, quasi à se excogitatam proponit. Et tamè est ipsamet tertia ratio D. Thomæ; & aliq̄ reiectæ, non

quia verba diuersimodè formari possunt ad significandos diuersos conceptus mentis: & propter hoc per verba magis distinctè possumus exprimere, quod mente concipimus. Antiqui autem Patres nostræ fidei mysteria solum in vmbra cognoscebant: ac proinde vt inquit Soto in 4. dist. 1. q. 1. ar. 6. in fine, illic res mutæ quasi sub vna vmbra imitabant, quod nostra sacramenta expressis verbis adaperiunt.

2. Idem etiam colligitur ex eo, quod in Sacramentum veteris testamenti, quãdo fit mentio sacramentorum, non præscribuntur verba, quibus perficerentur: vt Genes. 17. cum tractatur de ritu Circumcisionis: & Exodi 12. cum præcipitur immolatio Agni: & Leuitici 8. cum mentio fit de ritu Ordinationis.

3. Neque obstat, quod in sacrificijs pro peccato (quæ respondebant nostro sacramento Pœnitentiæ, vt docet S. Th. 1. 2. q. 102. art. 1.) præcipitur vt oraret sacerdos, vt patet Leuitici 4. Quia illæ orationes non erant de substantia sacrificij, aut de forma sacramentorum, sed solum pertinebant ad ritum, & solemnitatem cultus diuini. Vnde S. Thomas hic artic. 6. ad 3. ait. Vtrentur tamen in veteri lege quibus verbis in his, quæ ad cultum Dei pertinent; tam sacerdotes, qui erant sacramentorum illorum ministri (secundum illud Numer. 6. *Sto benedicis Ihs Israel, & dicitur eis: Benedicatur tibi Dominus, &c.*) Quam etiam illi, qui in illis sacramentis utebantur: secundum illud Deuter. 26. *Profiteor hoc tibi coram Domino Deo tuo, &c.*

4. A generali hac antiquorum sacramentorum doctrina excipit Durandus in 4. dist. 1. q. 3. nu. 5. sacrificium zelotipiæ, quod consistere in rebus, & verbis, videtur haberi Numerorum 5. Cuius rationem assignat Durandus, quia non tantum fiebat ad figurandum futura, sed potius ad exhibendum aliqua præsentia: non quidem spiritualia, vt sacramenta nouæ legis; sed corporalia, quæ significabatur per verba ibidem expressa.

Hoc tamen nil ad rem facere annotauit Soto in fine articuli 6. quia cæremonia illa zelotipiæ non erat Sacramentum antiquæ legis; cum non esset institutum ad significandam sanctitatem, nec ad sacrandum legaliter, sed erat lex de modo quo inquireretur, & puniretur adulterium, vt etiam docet Bellarminus lib. 1. de Sacramentis cap. 18. propos.

1. in fine.

non habentur in littera, ut ab ipso impugnantur. Ideoque ne simili oscitantia, vel negligentia in Angelico Doctore videndo, alij laborent, oportet rationes, ut in textu habentur, integras referre.

8 Tripliciter (inquit D. Thomas) considerari possunt sacramenta, & quolibet modo congruit eis, quod verba rebus sensibilibus adiungantur. Primo enim possunt considerari ex parte causæ sanctificantis, quæ est Verbum incarnatū, cui sacramentum quodammodo conformatur, in hoc, quod rei sensibili verbum adhibetur: sicut in mysterio Incarnationis carni sensibili est Verbum Dei unitum. Secundo possunt considerari sacramenta ex parte hominis, qui sanctificatur, qui componitur ex anima, & corpore: cui proportionatur sacramentalis medicina, quæ per rem sensibilem corpus tangit, & per verbum ab anima creditur. Vnde S. August. tract. 80. in Ioannem. *Vnde est ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur?* Tertio possunt considerari ex parte ipsius significationis sacramentalis. Dicit enim August. lib. 2. de doct. Christi. cap. 3. quod *verba inter homines obtinuerunt principatum significandi, &c.* Et ideo ad perfectionem significationis sacramentalis necesse fuit, ut significatio rerum sensibilibus per aliqua verba determinaretur. Et in hoc excedunt sacramenta noua antiquorum significationem, ut exponit S. Tho. ad 3.

§. III.

An debeant excipi Pœnitentia, & Matrimonium?

9 **C**ontra hanc conclusionem tenet Durandus in 4. dist. 1. q. 3. n. 8. dicens non omnia sacramenta nouæ legis perfici rebus, & verbis: quia excipiuntur duo, nempe Sacramentum Pœnitentiæ, quod constat confessione pœnitentis, & absolutione sacerdotis: vnde consistit in solis verbis. Similiter Matrimonium solis verbis exprimentibus contentum, est verum sacramentum. Imò ut dixerat n. 7 Matrimonium potest vere contrahi sine verbis, ut per litteras inter absentes, vel per nutus, & signa inter muros, & verecundos: & cum adest interior consensus, quæ verè est sacramentū, sicut matrimoniū per verba contractum.

10 Si dicatur, quod in matrimonio

verba vnius coniugum tenent locum formæ, & verba alterius locum materiæ. Similiter in Pœnitentia verba confitentis tenent locum materiæ, & verba absolutis tenent locum formæ.

Contra est primo, quod quilibet coniugum de pari se habet ad matrimonium: & ita verba vnius censenda sunt sicut verba alterius: ac per consequens non est cur habeant rationem formæ.

Secundo, admissa hac doctrina, ex illa solum habetur sacramenta constare materia, & forma. Quod non negat Durandus, sed solum asserit prædicta duo sacramenta non constare rebus, & verbis. Quod se qui videtur ex relata solutione: nam res, & verba ad inuicem condistinguntur, ita quod nec verba accipi possunt pro rebus, nec res pro verbis: alioquin axioma nil significabit. Ergo quamuis in Matrimonio, & Pœnitentia sint verba, & verba, non est propter hoc dicendum, quod perficiantur rebus, & verbis.

11 Respondent Vazquez disp. 129. cap. 1. nu. 9. & Lugo disp. 2. sect. 1. & Auerfa sect. 4. §. Sed quædam, sacramentū Pœnitentiæ constare rebus, & verbis duplici de causa. Prima, quia materia remota sunt peccata, quæ de corde exeunt: & ita semper inuenitur ex parte materiæ aliquid præter verba. Pontifex autem in dicto decreto non loquitur de sola materia proxima, sed magis de materia remota: ut in Baptismo meminit aquæ; in Confirmatione loquitur de solo Chrismate; in Eucharistia de pane, & vino, in Extrema Vnctione, de oleo benedicto, & in Sacramento Ordinis de Calice, & Patena. Ergo pariter sufficit, quod in Pœnitentia materia remota sint res à verbis condistinguentur, ut verificetur illud Sacramentum perfici rebus, & verbis. Alia via idem potest verificari, nempe constare rebus, quia perficitur dolore, & satisfactione: quas esse partes materiales constat ex eodem Pontifice ibi §. *Quartum Sacramentum*, ubi dicit actus pœnitentis esse quasi materiam, videlicet, *cordis contritionem, oris confessionem, & operis satisfactionem*: Contritio autem, & satisfactio sunt res, ex quibus, & confessio ne, & absolutione perficitur sacramentum: & ideo verificatur Pœnitentiā perfici rebus, & verbis.

12 De Matrimonio id facilius verificatur, vel tenendo cum Paludano in 4. distinct. 1. q. 4. Vazquez, & alijs, ipsos contrahentes esse materiam sacramenti. Vel quia

quia licet iuxta communem sententiam, verba contrahentiam habeant rationem materiæ, & formæ, ubi distinguntur virtualiter, & traditio rei, quæ aliquando fit reali traditione corporis, vel carnali copula, quæ gerit munus materiæ, & verba gerent munus formæ: Aliquando vero possunt solum virtualiter distingui. Quod sufficit ut verificetur sacramenta omnia perfici rebus, & verbis, quia hæc duo perficiuntur aliquo gerente munus rei, & verbi.

13 Neutra tamen expositio alijs Doctoribus placet & merito: quia peccata sunt materia remota destruenda, non vero materia compositionis: ideoque ex illis non perficitur sacramentum. Pontifex autem dum loquitur in alijs de materia remota, loquitur de illa, quæ componit, & ex qua, & verbis fit sacramentum: quia Theologi, & Pontifices phrasim sumerunt ex S. August. tract. 80. in Ioan. dicente: *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Secundo ex alia definitione idem constat, siquidem peccata non possunt dici elementa sensibilia, quibus interna gratia significetur. Nec sunt res corporales sub quarum tegumento diuina virtus cretius operatur gratiam.

Tertio in alijs sacramentis materia proxima, & remota habeat eandem significationem, quia aqua abluendo est materia determinabilis à verbis. Peccata autem non significant, quod significat actus pœnitentis: ergo isti possunt componere, & perficere sacramentum, & significare gratiam, sed non peccata.

14 Constat etiam, quod actus interni rerum nomine hic non possunt accipi, quia illi non componunt sacramenta, nisi secundum quod continguntur signis sensibilibus, & per ea manifestantur, ut ait D. Thomas locis relatis dub. 7. n. 6. Cum autem Theologi dicunt sacramenta perfici rebus, & verbis, loquantur de sacramentis tantum, & de re, & signo sensibili: alioquin rationes, quibus id probant, & inductiones, quas faciunt, oppositum conuincerent.

Secundo, eo quod res sunt magis materiales, & sensibiles, docet S. Thomas opposere, quod earum significatio determinetur per verba. Quod verificari nequit si rerum nomine aliquid spirituale intelligatur.

Denique etiam diximus sacramentum, quod non constaret forma sensibili,

non futurum omnino eiusdem rationis cum nobis. Cum ergo certum sit aliqua quinque sacramenta habere pro materia aliquid sensibile, si alia duo haberent pro materia sacramenti tantum aliquid spirituale, non essent sacramenta eiusdem rationis cum alijs.

15 Distinctio autem illa virtualis hoc axioma non explicat, sed confundit; quia si omnia constaret verbis, & verbis, aut rebus, & rebus, illa virtualis distinctio posset reperiri. Quod addunt, ut verificetur Matrimonium constare rebus, in eptum esse affirmat Soto art. 6. §. *In matrimonio vero*: quoniam materia sacramenti pars eius essentialis esse debet: suscipiens autem non est pars, sed subiectum Sacramenti. Contentus autem non sunt per se sensibiles: & sunt causa efficiens matrimonij: non ergo sunt materia. His ergo omissis, pro explanatione conclusionis, & solutione argumentorum.

16 Dico tertio, ut axioma Theologorum, sacramenta perficiuntur rebus, & verbis, verificetur in Sacramento Pœnitentiæ, & Matrimonij; rerum nomine comprehenduntur actus sensibiles; & nominis verborum id quod apud homines verbis æquivaleret. Ita S. Thomas art. 6. ad 2. dicens. *Sub rebus autem comprehenduntur ipsi actus sensibiles, puta, ablutio, inunctio, & alia huiusmodi quæ in his est eadem ratio significandi, & in verbis.* Quod & latè exponit in 4. dist. 3. in expositione litteræ: quia materia remota ut determinata per materiam proximam, vnam rationem habent significandi: & tenet se ex parte materiæ, & est significatio minus expressa, & determinabilis per verba: ergo actus sensibiles habent rationem rerum ut ex eis, & verbis perficiatur sacramentum.

17 Nominatim loquendo de Sacramento Pœnitentiæ, priorem partem conclusionis docet S. Thomas 3. p. q. 84. art. 1. ad 1. dicens, quod nomine corporalium rerum intelliguntur larges: & ipsi exteriores actus sensibiles; quæ ita se habent in hoc Sacramento, sicut aqua in Baptismo, & Chrisma in Confirmatione. Et de Pœnitentia simul, & Matrimonio, ait S. Thomas in 4. dist. 26. q. 2. art. 1. ad 2. *Et ideo, sicut Pœnitentia non habet aliam materiam nisi ipsos actus sensus subiectos, qui sunt loco materialis elementis, ita est de Matrimonio.*

18 Huius egregiam rationem (qua explicatur convenientia diuina institutionis) assignat S. Thomas in 4. dist.

14. q. 1. art. 1. q. 1. ad 1. quia sicut in corporaliibus medicinis, quædam sunt quæ consistunt in sola passione, vel receptione curati; ut sectio vulneris, vel appositio emplastrum: quædam vero quæ consistunt in actu laborantis, sicut exercitationes, & huiusmodi. Ita etiam in Sacramentis quædam non requirunt materiam exterius appositam, quia ipsius hominis actus sunt loco materiæ, & medicinæ. Et sic est in Matrimonio, & Pœnitentiâ; in quibus actus exterius apparentes hoc idem faciunt, quod materia in alijs sacramentis. De quo S. Thomas iterum lib. 4. contrag. cap. 72. in fine, & 3. p. q. 84. art. 1. ad 1. ubi est proprius locus hæc amplius exponendi.

19 Secundam conclusionis partem expressit S. Thomas in 4. dist. 27. q. 1. art. 2. q. 2. ad 2. ubi dicit, quod quando mutui, vel diuersarum linguarum matrimonio iunguntur, nutus pro verbis habentur. Et ad 3. ait, quod aliquando verba parentum computantur, ac si essent verba puellæ, quia ex eo quod interrogata non contradicit, est signum sufficiens extremum eius consensus. Ac proinde licet regulariter, & ut in plurimum consensus matrimonialis exprimitur per verba, in aliquibus casibus est aliquid loco verborum, seu sunt verba æquiualeuter. Vnde Soto art. 6. §. At vero, ait. Quo circa non vique adeo strictè accipitur hic nomen rerum contra verba; sed res appellatur quicquid esse potest materia sacramenti, ut distinguitur a forma, licet sit etiam verbum, quod & docuerant Paludanus in 4. dist. 1. quæstione 4. Capreolus q. 1. art. 3. ad argum. contra secundam. Et dist. 26. q. 1. art. 3. ad arg. Durandi contra primam. Martinus Ledesma 1. p. 4. q. 1. art. 6. Nuño q. 60. art. 3. ad 2. & art. 6. diff. 1. ad 1. Araujo art. 8. dub. 2. conc. 2. Serra art. 6. dub. unico ad 3. Bellarminus infra citandus. Suarez disp. 2. sectione 1. ad 1. objectionem, & alij frequenter. Et in hoc sensu nullam vim habent argumenta Durandi.

20 Et hoc planè intendit Eugenius 4. in supra dicto decreto, §. Septimum Sacramentum, dicens: *Causa efficiens matrimonij regulariter est mutuus consensus per verba de presenti expressus. Quia videlicet regulariter videmus, quod qui contrahunt matrimonium, suum consensum per verba expriment: sed si in casibus extraordinarijs non explicarent per verba formaliter, sed solum æquiualeuter, nempe per litteras, vel nutus, vel alia signa, quæ æquiualent*

verbis, matrimonium esset validum.

21 Non me latet aliter verba Pontificis exponere. Vazquez n. 13. dicente, quod illis intendit ponere limitationem, & coarctationem axiomatis Theologorum, quod cum dicitur *sacramenta perfici rebus, & verbis*, intelligitur *regulariter*, si omnia comprehendantur: quia sex sacramenta verba necessario exigunt, & matrimonium communiter constat verbis: aliquando tamè solis nutibus celebratur.

22 Quod tamen rejicit Araujo dub. 2. nu. 36. dupliciter. Primo, quia aliquod ex sex sacramentis, nimirum Eucharistia in factum esse non constat ex verbis formaliter, & ex significatione, quæ vicem, & virtutem habet verborum: & tamen hoc sufficit ut absolute dicatur semper constare verbis: ergo sufficit constare aliquo supplete vicem verborum, licet regulariter verba interueniant. Secundo, quia de sacramento Pœnitentiæ absolute affirmamus constare ex confessione vocali: quæ tamen aliquando fit per nutus habentes vicem verborum. Ergo idem sufficiet ut absolute verificetur matrimonium ex verbis semper constare. Licet nõ temper, sed regulariter, interueniant verba expressa, & formalia, ut in prædictis verbis notat Pontifex. De priori tamen impugnatione, iterum redibit sermo §. 4.

23 Sed adhuc contra tertiam conclusionem instari potest. Primo: nam si rerum nomine comprehenduntur ipse operationes, quæ etiam possent esse verba, solis verbis distinguimur a sententia Durandi: nam cum ipse ponat materiam, & formam in sacramentis, non negat omnia constare rebus, & verbis, largè accipiendo nomine rerum ipsa verba, vel res; & nomine verborum, id quod verbum non est formaliter, sed æquiualeuter. Sed sententiam Durandi communiter Theologi rejiciunt, & videtur contraria modo loquendi Pontificis in prædicto decreto Concilij Florentini: ergo non rectè modo prædicto exponitur, quod sacramenta perficiantur rebus, & verbis.

Secundo, Concilium docet res esse quasi materiam, & verba formam: sed forma numquam potest esse materia; sed potius est pars illi omnino coniuuata: ergo verba numquam possunt habere rationem rerum: ergo potius deberet axioma Theologorum accipi ut sonat.

Tertio, ex prædicta doctrina sequitur Matrimonium, & Pœnitentiã non dici

§. IV.

Vtrum Pœnitentiã intrinsecè constet rebus; & Eucharistia intrinsecè constet verbis?

27 DVæ supersunt difficultates contra secundam principalem conclusionem, ambæ ad aliud intentum tractatæ à Scoto. Loquendo enim de Eucharistia in 4. dist. 8. q. 1. ad 3. ait, *patet quare istud sacramentum non habet aliqua verba pro forma: quia tunc non esset sacramentum permanente: cum verba non possint esse nisi in successione. Et infra ait. Etsi quæras, numquid est aliquid in hoc sacramento tanquam materia: aliud tanquam forma? Respondeo, quod non est hic aliud tanquam materia, & aliud tanquam forma, sicut est in alijs. Cuius ratio est, quia istud est permanente; & idè non possunt aliqua verba ad eius essentiam pertinere. Vbi absolute videtur negare axioma Theologorum, quod sacramenta perficiuntur rebus ut materia, & verbis ut forma, habere locum in Eucharistiæ Sacramento.*

28 Idem sequitur Vazquez to. 2. in 3. p. disp. 129. cap. 3. nu. 39. dicens Eucharistiã perfici materia, & forma, sed non constare illis ut partibus essentialibus. Idè quæ Pontifex non dixit omnia sacramenta constare rebus, & verbis, sed perfici: quæ diuersa sunt: nam extrinsecè essentialiter requisita perficiunt essentialiter sacramenta, & ex illis intrinsecè non componitur. Quod latius explanat to. 3. disp. 167. cap. 3. iuxta quam sententiam Bernal hic disp. 3. sect. 2. §. 2. docet, quod omnia sacramenta intrinsecè constent verbis; præter Eucharistiã, quæ cum sit sacramentum permanente, non constet intrinsecè verbis: alioquin verba comederentur, & exhiberentur. Et benè stat, quod Eucharistia indigeat verbis, quia verba consecrationis sunt quibus hoc conficitur sacramentum, ut ait Pontifex; & tamen non sint eius partes intrinsecæ.

29 Nihilominus verba consecrationis esse formam Sacramenti Eucharistiæ, eadem proprietate, qua verba in alijs Sacramentis sunt eorum forma, aperte docet S. Thomas in hac q. art. 8. & q. 78. in titulo, & art. 1. & 2. & q. 84. art. 3. & in 4. dist. 8. q. 2. artic. 1. q. 1. in cor. & ad 2. & q. 2. & q. 3. ad 2. dicit, *quod in consecratione consistit essentia sacramenti Eucharistiæ. Et ibi ad Anibaldum art. 3. & dist. 13. q. 1. art. 2. q. 6. in corp. & ad 2. Quare ita tenet com-*

ci vniuocè sacramenta: quia partes ex quibus constant, non conueniunt vniuocè cum partibus aliorum sacramentorum; siquidem materiale elementum, quæ est aqua, & est res in sacramento Baptismi, non vniuocè conuenit cum verbis contrahentium, quæ dicitur res in sacramento Matrimonij: nec cum actibus sensibilibus, quæ pœnitens ponit pro materia Sacramenti Pœnitentiæ. Sed post Concilium Tridentinum iustineri nequit Matrimonium, & Pœnitentiã esse analogicè solum nouæ legis sacramenta. Ergo aliter axioma Theologorum est exponendum.

24 Ad primum respondetur, quod ut notant Martinus Ledesma 1. p. 4. q. 1. art. 6. & Bellarminus lib. 1. de Sacramentis c. 18. propositione 4. in hac parte non est quæstio inter Durandum, & alios Theologos, nisi de nomine. Verum in rebus Theologicis non licet negare consuetos modos loquendi Theologorum. Præcipuè accedente approbatione Summi Pontificis in Decreto Concilij. Quamuis aliqualis sit excusatio, quod Durandus tempora Concilij Florentini antecessit; cum vixit tempore Ioãnis 22. circa annum 1320. ut eum Trithemio notat Fernandez in Scripturis Prædicatoriæ Familiæ.

25 Ad 2. respondet Capreolus, & Soto art. 6. §. Ad dubium ergo, verba, seu nutus, seu litteras, quibus consentus mutui exprimitur, sibi inuicem esse materiam, & formam: quia ad inuicem se habent ut determinantes, & determinabiles. *Quædam enim innumeris, quamuis vltima trium numerata unitas completæ ternarium: tamen quia quælibet in illa specie pendet ab alia, vna quælibet potest considerari ut forma, & reliqua ut materia. Quare formaliter loquendo, nunquam forma est materia, nec materia est forma: sed solum materialiter id quod in vna consideratione vltimo determinat, in alia consideratur ut determinabile. Videantur quæ diximus lib. 2. Logicæ q. 16. §. 6.*

26 Ad tertium respondetur, quod licet in esse naturæ elementum non dicatur vniuocè de aqua, & de actu sensibili; in esse tamen signi à Deo instituti ad significandam, & cauendam gratiam, est vniuocatio, & conuenientia in modo significandi, & causâ adi. De quo late Capreolus in 4. dist. 26. q. 1. art. 3. ad 2. Durandi contra primam, ubi & merito refert S. Thomam in 4. dist. 1. q. 1. art. 1. q. 5. in corp. & ad 2. & in simili idem docet S. Tho. hic art. 6. ad 2.

communiter Thomistæ. Item Marsilius, Valentia, Suarez, Pasqualigus, & Caspen sis hic, & Lugo disp. 1. de Euch. sect. 4. dicens nu. 47. esse communem Theologis aniquis. Et alij referēdi q. 73. vbi est proprius locus de hac difficultate disputandi.

30 Pro nunc solum dicimus argumētum instari in ipsa significatione ad placitum vocum: & in institutione Christi, quia impositio physicè transit; & nunc signa imposita ad significandum, permanent, dum impositio non retractatur. Secundo instatur in Baptismo, quia aqua, & ablutio non coniunguntur physicè cū verbis transcuntibus: & tamen ex eis fit vñ signum. Et cum consensus vnus coniugū expressus per verba tempore alia verba precedit, est verum sacramētum sine physica partium permanentia. Tertio instatur: nam ipsa significatio totalis, in sententiā Scoti, & Vazquez, est relatio rationis: quomodo ergo ipsi explicuerint, quod manet in speciebus consecratis significatio totalis, exponemus nos, quod manet significatio verborum, quæ est forma determinans significationem specierum panis, & vini.

31 Primo ergo respondet Araujo verbis iam relatis nu. 22. sacramentum Eucharistiæ quantum ad fieri constare, & perfici rebus, & verbis; sed tamen in facto esse non constat verbis, sed aliquo supplente vicem verborum, acmpè ipsorum significatione.

Sed quia ipsemet Araujo infra q. 73. artic. 1. dub. 2. a nu. 22. vsque 28. cum communi Thomistarum defendit verba consecrationis esse formam sacramenti Eucharistiæ intrinsecam in esse signi.

32 Ideo melius Serra hic artic. 6. dubio vnico in 2. solut. ad 2. cum alijs ait, etiam in facto esse sacramentum Eucharistiæ componi ex rebus, & verbis: nā quamuis formaliter non maneant nisi species panis, & vini; virtualiter tamen manent verba consecrationis, propter quæ tales species dicuntur consecratæ. Et hoc sufficit vt sacramentum ex illis componi dicatur: sicut vt mixtum dicatur componi ex elementis, sat est, vt hæc virtualiter maneant in mixto; vt nos latè lib. 1. de Gener. q. 33.

33 Sed quia ibi diximus in mixto formaliter manere qualitates primas, quæ sunt virtutes elementorum, & ratione quarum ipsa elementa dicuntur virtualiter in

mixto manere. Et in sacramentis quid simile formaliter manens non assignatur.

Melius respondetur, quod verba sup̄ta physicè, & in esse naturæ, transierunt, & non manent, nec formaliter, nec in aliqua virtute ab ipsis relicta, aut causata, verba vero sumpta in esse signi ad placitum, cum significatione sibi propria, & in esse signi sacramentali, significatione ex Christi institutione conueniente, in quantum vt sic determinant significationem specierum panis, cum quibus in fieri fecerunt vñum signum totale, permanent toto tempore quo manent species consecratæ: quia non significant ista sensibiliter sacramentaliter Christum, nisi sensibile panis determinetur sensibili prolatione, & significatione verborum. Quomodo autem huiusmodi relationes sint in rebus, cum non considerantur ab intellectu? Satis superq; explicuimus dub. 2. toto §. 4. Quæ solutio est ad mentem S. Thomæ hic art. 3. ad 1. & art. 6. ad 2. & q. 62. art. 4. ad 4. Et in 4. dist. 1. q. 1. art. 3. ad 1. quæres, & verba non adiuuantur, nec sunt vñum in genere naturæ, sed in genere signi, & causæ. Et inter recentiores Pasqualigus to. 2. disp. 65. sec. 3. n. 10. eodem modo videtur exponere. Ait namque. Constitutum intrinsecum sacramentorum, quod habetur à verbis, formaliter consistit in illa morali determinatione, qua res determinatur vt fiat sub tali significatione sacramentali. Probarur, verba concurrunt ad sacramenta in ratione formæ determinantis res, vt sint materia sacramenti: ergo per id concurrunt, quod est formale determinatum; formale autem determinatum est illa determinatio, quæ confurgit ex verbis, & coniungitur cum rebus. Hæc ibi. Licet conc. 3. modum loquendi Serræ imitetur.

34 Altera difficultas tangitur ab eodē Scoto in 4. dist. 16. q. 1. lit. e. dicente. De Pœnitentia sacramento dico, quod ista tria (nempe contritio, confessio, & satisfactio) nullo modo sunt partes eius: quia vt dictum est dist. 14. q. 4. Pœnitentia sacramentum est illa absolutio sacramentalis facta certis verbis, &c. Huius autē nulla pars est contritio; quæ est quodam spirituale in anima, neque confessio; quia nil est ipsius sententia sacerdotis, sed actus rei accusantis se: neque satisfactio, sed sequitur illā absolutionem sacramentalem. Hæc Scotus: iuxta quæ, Pœnitentia nō constat essentialiter rebus, & verbis, sed solum verbis. Quāuis differat ab hæresi Caluini: quia immediate subdit. Hæc tamē tria ad Sacramētū

Pœni-

Pœnitentiæ, ad hoc vt dignè recipiatur, requirantur, vel præuia, vel sequētia. Hæretici autem etiam præuie negabant requiri.

35 Idem sequuntur Angles de Sacram. Pœn. q. 1. Hugo Cabelus dicta dist. 16. referens Gabriellē, Maiorem, Balolim, Tartaretū, & Almain. Quos sequuntur Villalobos to. 1. trac. 9. diff. 2. nu. 1. Mart. à S. Ioseph de Pœnit. tract. 1. n. 5. Maldonatus, Vega, Iribarne, Angles, & Faber, quos refert, & sequitur Bernal disp. 3. de sacramētis in genere sec. 2. §. 1. docens Pœnitentiæ sacramentum rebus intrinsecè non constare: quia tota sacramentalis significatio in solis verbis apte intelligitur, quia sacramentum est institutum in forma iudicij: in quo verba iudicis apte significant, & efficiunt rei absolutionem, aut cōdemnationem.

36 Oppositam tamen sententiam docet Sanctus Thomas 3. part. quæst. 90. articulo 1. 2. & 3. & in 4. dist. 16. quæst. 1. art. 1. & ibi communiter Theologi. Inter quos Caietanus illo art. 1. docet doctrinā hanc S. Thomæ esse canonizatam ab vniuersa Synodo Florentina in decreto Eugenij 4. §. Quartum sacramentum. Et Soto in 4. dist. 14. q. 1. art. 1. ait, quod opposita à canonico loquendi more dissonat: nam expresse ait Synodus quod actus pœnitentis sunt quasi materia. Neque ait, quasi, insinuas non esse vere materiam, sed eo quod non sunt materia extrinsecus apposta, vt aqua in Baptismo, & Christina in Confirmatione. Et idem Mag. Soto distinctione 17. quæstione 1. artic. 2. §. Inter Catholicos, dicit, quod negare, quod tres istæ sint partes pœnitentiæ, est negare Magistrum, & vniuersam Theologorum scholam, & auctoritatem Sanctorum Patrum, vnde hic sermo deriuatus fuit: ac subinde generale sacerdotum idioma, qui ita in tota Ecclesia loquuntur.

37 Imo Concilium Tridētinum sess. 14. cap. 3. declarat formam, & materiam, & partes materiales sacramenti Pœnitentiæ: & concludit. Hæc de partibus sacramenti Sancta Synodus tradens, &c. Et in Bulla Leonis Decimi cum damnatur quintus articulus Lutheri, eodem modo loquitur Pontifex. Quod autem explicationes, quæ dantur ab Scotistis, difficilè aptentur Scoti verbis, notat Lugo de Pœnitentia disp. 1. 2. sect. 2. num. 20. solum dicēs, quod id consideranti patebit. Attendantur illa verba: Nullo modo sunt partes, &c. & cum hæc propositio: Aliquo modo sunt partes:

sit eius contradictoria: & habeatur in Decretis prædictis: quamuis differentia sit in modo loquēdi, nullatenus a modo loquēdi Conciliorum, & Theologorum est recedendum. Vnde concludit Soto. Post hos igitur sacros Canones non est fas negare tres esse partes Pœnitentiæ: sed veritas hæc tanquam orthodoxa est veneranter amplectenda.

38 Ratio in oppositum probat verba sacerdotis esse formam, & complere sacramenti significationem, & præcipuam causalitatem: quia inquit Concilium vñm Sacramēti Pœnitentiæ præcipua sita esse in verbis absolutionis: vt patet Sels. 14. cap. 3. Cū quo fiat, quod min⁹ principaliter materia significet, & causet: & ideo ait Soto ad 1. quod materia est signum ratione formæ, ac per inde causa. Quare actus pœnitentis clauibus Ecclesiæ subiecti causa sunt sacramentalis gratiæ. De quo dicitur tractatu de Pœnitentia.

DVBIVM X.

Vtrum res in Sacramentis habeant rationem materiæ, & verba rationem formæ?

§. I.

Conclusio affirmatiua, communis, & certa.

Dico primo, in sacramentis res habent rationem materiæ, & verba rationem formæ. Ita S. Thomas art. 6. ad 2. dicens. Ex verbis, & rebus fit quodammodo vñum in sacramentis, sicut ex forma, & materia, in quantum scilicet per verba perficitur significatio rerum, vt dictum est, in corp. artic. Sequuntur communiter omnes Theologi. Quorum loquendi modum approbavit Concilium Florentinum in Decreto Eugenij sæpè citato dicens. Omnia sacramenta perficiuntur rebus tanquam materia, verbis tanquam forma. Insinuatque Concilium Tridentinum Sels. 14. cap. 3. & can. 4.

Viderurque loquutio desumpta ex S. August. tract. 80. in Ioan. Accedit verbū ad elementum, & fit sacramentum: nam vnionem rerum, & verborū significat illo verbo: Accedit: quæ non est alia nisi artificialis. Formæque baptismi, licet non sub hac voce, meminit S. August. to. 7. lib. 3. cōtra Donatistas cap. 15. dicens. Quam ob rem, si Evangelicis verbis, in nomine Patris, & Filij,

D

E

Et Spiritus Sancti, Marcio baptismum consecrabat, integrum erat sacramentum. Et to. 6. lib. 19. contra Faustum cap. 16. Nisi syllabae illae celeviter sonantes proferantur, non consecratur homo.

Addit tamen Lugo disp. 2. sec. 2. n. 35. & 36. olim apud Patres nomine formae sacramenti intelligi formulam, seu ritum obferuari solitum in administratione. Probat ex S. August. lib. 1. de Pec. meritis cap. 34. & lib. 1. de nuptiis, & conc. c. 20. & epist. 103. ad Sixtum, ante finem. Et ex Concilio Mileitano, cui interfuit S. Aug. cap. 2. & refertur cap. Placuit. 153. de Consec. distinct. 4. & ex Conc. Trid. sess. 5. in decreto de peccato originali. Et ex Innocentio 4. Comentario in cap. Presbyter, de sacramentis non iterandis. Sed de his alibi.

2 Ratio S. Th. est facilis: nam cum materia sit ens in potentia, & forma sit actus, in quolibet composito illud, quod est potentiale, & determinabile per aliud, habet rationem materiae; illud vero quod actuatur, determinat, & perficit, habet rationem formae. Sed res sensibiles in sacramentis novae legis sunt determinabiles per verba, quia rerum significatio est magis confusa, & minus distincta, quam significatio verborum: & significatio rerum, quae est indifferens ad plura, determinatur, & specificatur per verba. Et ideo ad perfectionem significationis sacramentalis necesse fuit ut significatio rerum sensibilibus per aliqua verba determinaretur. Aqua enim significare potest, & abluionem, propter suam humiditatem; & refrigerium, propter suam frigiditatem. Sed cum dicitur: Ego te baptizo: manifestatur quod aqua utimur in Baptismo ad significandam emundationem spiritualem. Ergo aqua habet rationem materiae, & verba rationem formae: & quoad hoc par ratio est in omnibus sacramentis.

3 Explicat energiam, & radicem huius rationis Soto in 4. dist. 1. q. 1. ar. 6. quia primitiva significatio materiae, & formae ex re mechanica ortum duxit. Rude namque taxum, & lignum materia est arti subiecta, ex qua artifex suas statuas, aut res alias efformat. Inde Philosophi partes compositi naturalis materiae, & formam appellant: & Aristoteles 1. Physicorum, per analogiam ad artificialia materiam rimari docet in naturalibus. Et denique genus vocatur in distinctione materia, quia distincta subijcitur ad constituendam speciem. Licet ergo eodem nomine Theologi in re simillima eisdem nominibus uti. Propter informitatem,

& indeterminationem, & potentialitatem rerum; & propter formationem, determinationem, & actualitatem, & expressiorem significationem verborum.

§. II.

Vtrum sint de essentia sacramenti?

4 Sed hinc oritur prior difficultas an videlicet, sicut in naturalibus materia, & forma essentialiter, & intrinsece componuntur, ita sacramentum essentialiter, & intrinsece constet ex materia, & forma, ex rebus, & verbis? An vero quoad hoc non teneat paritas, sed aliquid horum se habeat mere extrinsece, deconnotato, antecederet, comitaretur, seu subsequenter?

Sunt qui dicant solam materiam esse sacramentum intrinsece, & essentialiter, formam vero requiri quidem essentialiter, sed extrinsece: ideo improprie dici sacramenta constare, & constitui ex materia, & forma; quamvis proprie dicatur ex illis perfici. Hanc sententiam quoad Sacramentum Eucharistiae, tenent Scotus, Vazquez, & alij iam reiecti dub. 9. Et quoad alia, tenent M. Petrus Ledesma de Matrim. q. 44. art. 3. dub. 2. conc. 3. & 4. & M. Petrus Cabrera hac q. 60. art. 6. disp. 2. in merito dicens communem Thomistarum, & omnium Theologorum, & M. Soto in 4. dist. 1. art. 1. quasi generaliter dicat formas non esse partes intrinsecas, & essentielles sacramentorum. Quod ego ibi non inuenio. Et sic cessant quae dicit Cabrera art. 2. disp. unica num. 35.

5 Sunt qui pro hac sententia referant Sotum quatenus in 4. dist. 3. q. unica art. 1. ad 3. ait, quod secundum D. Thomam, & veram Philosophiam, Baptismus non est velut compositum in genere substantiae; sed sicut res artificialia, cuius tota substantia est ipsa materia. Sed ipse clare se explicat, quod non negat ex utroque constare, & componi ut ex materia, & forma (quod clare affirmat dist. 1. q. 1. art. 6.) sed quod non supponit concretum accidentale pro aggregato ex subiecto, & forma, sed solum pro subiecto informato. Quod nos diximus supra, & postea opus erit repetere cum D. Thoma. Vnde immediate ait Soto. Statua enim non supponit pro aggregato ex aere, & forma, veluti homo, pro corpore, & anima: sed pro aere habente talem formam: sicuti albus non est compositum ex papyro, & albedine, sed corpus habens albedinem.

Funda-

6 Fundamenta huius sententiae sunt in primis, quia in Decreto Concilij Florantini consulto non dicitur, quod sacramenta constant rebus, & verbis; sed solum asseritur, quod sacramenta perficiuntur, & c. quo loquendi modo denotatur formam essentialiter perficere sacramentum: quod ex illa essentialiter non constat. Secundo nam hac de causa S. Th. 3. p. q. 84. art. 1. ad 2. formam sacramenti Poenitentiae appellat complementum sacramenti.

7 Tertio idem potissime probatur ex differentia, quae est inter totum compositum naturale, & compositum artificiale: nam in illo partes se habent ut potentia, & actus adunati simpliciter, & ideo ex illis fit unum ens per se. At vero in artificialibus est sola adunatio secundum quid, cum materia sit in genere substantiae completae, & forma sit in genere accidentis absoluti, vel relativi. Ergo in istis tota substantia, & tota essentia est materia, pro qua, & supponit, & forma solum importatur extrinsece, & in obliquo. Cum ergo sacramenta se habeant ut entia artificialia, & res, & verba solum sint quodammodo unum, tota essentia sacramenti consistit in materia, & forma requiritur essentialiter, sed extrinsece, sicut requiritur intentio ministri, & character in sacerdote ut valide consecret, ut docet S. Tho. in 4. dist. 13. q. 1. art. 2. q. 6.

8 Dico secundo, res, & verba sunt partes essentielles, & intrinsecae sacramentis, & eis constat, & componitur. Est expressa D. Tho. 3. p. q. 90. art. 2. ubi ait, quodlibet sacramentum distinguitur in materiam, & formam, sicut in partes essentiae: Vnde & supra dictum est, hac q. art. 6. quod sacramenta consistunt in rebus, & verbis. Sumitur etiam ex D. Tho. hic art. 6. ad 2. & q. 86. art. 6. dicens. Omne sacramentum producit effectum suum, non solum virtute formae, sed virtute materiae: ex utraque enim est unum sacramentum, ut supra habitum est. Ponit ergo S. Tho. utramque partem intrare ad constituendum sacramentum: in hoc enim sensu verificatur partes esse sacramentum. Videatur etiam q. 72. art. 4. & q. 84. ar. 3. & q. 27. de Verit. art. 4. ad 10. ait. In omnibus sacramentis verum est, quod virtus sacramenti non consistit in materia tantum; sed in materia, & forma simul, quae duo sunt unum sacramentum. Et in 4. dist. 8. q. 2. art. 1. q. 2. & q. 3. ad 2. ait, quod forma est de essentia sacramenti. Et in 4. dist. 1. q. 1. art. 3. in corpore. Et clarius ad 2. ait: Verba, & res sunt de essentia sacramenti: & ideo Ma-

gesten in his duobus dicit constare sacramenta. Magistrum, & S. Thomam sequuntur communiter Theologi. Habeturque in Catechismo Pij Quinti 2. p. cap. 1. §. In hoc autem, ubi dicitur. Haec igitur sunt partes, quae ad naturam, & substantiam sacramentorum pertinent: & ex quibus unumquodque sacramentum necessario constituitur.

9 Sequiturque ex prima conclusione, quia omne compositum essentialiter constat ex partibus, ex quibus componitur: alioquin non componeretur ex illis. Vnde S. Thom. 3. p. q. 13. art. 1. ait, quod omnis forma, vel est ipsa natura rei, ut in simplicibus, vel constituit naturam rei, ut in compositis: quia forma est actus dans speciem, & constituens rem: ergo si sacramenta perficiuntur ex rebus, & verbis ut ex forma, & materia, istae sunt eius partes quasi physicae, ex quibus integratur, & componitur, & ex quibus constat. Nec quoad hoc est differentia inter composita substantialem, & artificialia: quamvis enim sit differentia, quod rerum naturalium formae sunt substantia, & ideo faciunt unum per se cum materia, quae etiam est in genere substantiae; formae vero artificialium sunt accidentia, ut docet S. Thom. q. 66. artic. 4. & ideo solum faciunt unum secundum quid, & in genere entis. Tamen qui nominat compositum artificiale, non nominat solam substantiam, & materiam; sed compositum, quod resultat post introductam formam accidentalem: si enim haec formaliter non significatur, non esset compositum artificiale, sed merum ens naturale: ergo pariter sacramentum essentialiter componitur, & constat ex rebus, & verbis, & ipso quod istae ad illud requiruntur per modum materiae, & formae.

10 Praeterea, essentia sacramentorum novae legis consistit in ratione signi, & causae formae in actu exercito sacrae: ad quod ex divina institutione sunt elevatae res sensibiles, & verba. Sed de facto substractum significationis gratiae, & subiectum receptivum, & contentivum divinae causalitatis, nec sunt res, nec verba seorsum; sed compositum ex rebus, & verbis; quolibet enim eorum deficiente, vel non adinveniente, & se adinveniente determinantibus, non est integrum sacramentum: ergo ex utraque parte essentialiter sacramenta constent, & ex eis componuntur: & a significatione formae sacramenta constituuntur in specie, & inter se distinguuntur.

D 2

Deni-

11 Denique probatur: nam Ecclesia potest variare ea, quæ non sunt de substantia sacramentorum, ut clare sumitur ex Concilio Tridentino sess. 21. cap. 2. Constat autem quod Ecclesia non potest mutare formas sacramentorum, quæ sunt determinatæ iure diuino, ut docet S. Thom. art. 7. & postea exponitur: ergo formæ sacramentorum sūt de eorum essentia, & substantia.

12 Ad primum facile respondetur, Pontificem uti illo verbo *perficet*, quia loquebatur non de sola materia, & forma, de rebus, & verbis, sed etiam de persona, & intentione ministrum. *Manifestum est autem* (inquit Vazquez. disput. 129. cap. 3. num. 39. in fine.) *Sacramentum non constare intentione ministrum; siquidem intentio non est pars; & nihil aliquo constare dicitur, nisi si tamquam parte.* Hæc ibi. Quæ quamuis negat Lugo, in hoc tamē recedere à veritate, & à cōmuni Theologorū, ostendimus cū D. Thom. infra q. 64. art. 8.

13 Ad secundū dicitur quod illa Auctoritas nō obstat, sed potius confirmat intentū, quia loquitur S. Th. de cōplemētō, & perfectione substantiali, ut ipse S. Tho. exponit ibi art. 3. quia in qualibet re perfectio essentialis attribuitur formæ: quia ut dicit hac q. 60. art. 7. principalius requiritur ad esse rei determinata forma, quam determinata materia. Et q. 72. art. 4. docet, quod sicut forma rei naturalis dat ei speciem; ita forma sacramenti continere debet, quidquid pertinet ad speciem sacramenti.

14 Ad 3. respondet cum Soto ubi supra, Serra art. 6. §. *Nec haec*: quod non est idem substantia, & essentia rei: sicque licet in artificialis, & in sacramenti forma sit de essentia illorū; non tamē est de substantia illorū: ac per consequens nō sunt ex illa, & materia veluti cōpositū in genere substantia: nec supponunt pro tali cōposito; sicut homo supponit pro corpore, & anima. Sed tota substantia illorum pro qua supponunt, est materia habens talem formam. Quamuis autē ex materia, & forma illorū nō fiat vñū cōpositū substantiale; sit tamē vñū cōpositū artificiale: quod ens reale est, & aliquo modo vñum per se in genere artificialis, etiā si componentia sint diuersorum prædicamentorum. Hæc ibi.

§. III.

Utum sit cōpositio physica, & vera, & propria?

15 *Secūda difficultas est, an ista cōpositio ex rebus & verbis, sit cōpositio*

physica, & realis; an vero solum fiat per rationem? Et utrum in rigore, & proprietate res habeant rationem materiæ, & verba rationem formæ? An vero solum improprie, & per quādam accommodationē?

Bellarminus lib. 1. de sacramētis cap. 18. in fine ait. Ex quibus omnibus apertissime colligimus *veram, & formam in sacramenti largimur modo esse accipiendam.* Probat: nā panis, & vinum, & verba consecrationis non vñuntur ut materia, & forma in rebus naturalibus. Quare Concilium Florentinum, nō dicit verba Eucharistiæ esse formam sacramenti, sed formam consecrationis. In sacramento Pœnitentiæ materia sunt verba, quæ gerunt vicem rerum. Et potest fieri ut vno die fiat confessio, & altero die detur absolutio: ac proinde tunc non sunt simul materia, & forma: quod in nullo cōposito vere physico reperitur. Quo circa tum Concilium Florentinum in instructione Armenorum: Tum etiam Tridentinum sess. 14. Can. 4. dicunt, in sacramento Confessionis esse quasi materiā: nec audent absolute dicere esse materiam.

16 Similiter Suarez disp. 2. sec. 1. ad 2. diffie. in 1. sol. concludit. Ratio est, quia cōpositio materiæ, & formæ non tribuitur his rebus proprie, sed secundum quādam habitudinem, & accommodationē: & ideo iuxta varios respectus, & habitudines, potest eadem res recipere has denominationes respectu diuersorū. Hæc ibi.

17 Pariter Lugo disp. 2. sec. 2. nu. 50. ait: sicut diximus in Matrimonio nō semper interuenire res, & verba formaliter, sed solum æquiualeuter, sic dicendum est, aliquando non inueniri cōpositionem realem ex materia, & forma, sed solum cōpositionem virtualiter, seu æquiualeuter. Quare Eugenius nomine materiæ, & formæ, nō intēdit, aut intelligit propriam, & rigorosam materiam, & formam; sed propriam, vel impropriam: ipse enim loquens postea de sacramento Pœnitentiæ indicat in illo non inueniri propriam materiam: ideoque dixit in illo actus pœnitentis esse *quasi materiam*: non ergo voluit rigorosè loqui de materia, & forma, quæ realiter componerent semper sacramentum; sed de cōpositione reali, vel virtuali, propria, vel impropria. Hactenus Lugo. Et Rayz artic. 6. dub. 1. concl. 3. dicit, quod est communior, & verior sententia, quod res in sacramentis nō se habent proprie, & in rigore, ut materia, neque verba

le

se habent proprie, & in rigore, ut forma. Et in fine ait, quod hæc cōpositio non est proprie loquendo physica; imò neque realis; sed tantum moralis, & artificiosa.

18 Per oppositū Nuño ar. 6. diffie. 2. latè docet, quod ista cōpositio verè, & proprie est physica, & realis. Itaque in sacramento est duplex cōpositio: prima physica, qua cōponitur ex rebus tamquam ex materia, & ex verbis tamquam ex forma. Altera metaphisica, in qua totum hoc, quod resultat ex prima cōpositione, est materia, & significatio est forma: & ideo cōpositio prima est realis, quia componentia sunt realia. Hæc vero secūda est cōpositio rationalis, quia alterum cōponēs est ens rationalis; sicut cōpositio illa, qua signum componitur ex voce, & significatione. Probat conclusio primo. Verba Conciliorum, & cōmunia inter Scholasticos, cum proprietate verificanda sūt: sed Concilia, & Theologi absolute affirmant, ut vidimus 1. conclusione, quod sacramenta nouæ legis perficiuntur, & constant ex rebus tamquam ex materia, & ex verbis tamquam ex forma: ergo cum proprietate verificanda sunt. ¶ Secundo, ut diximus in secunda conclusione, res, & verba sunt de essentia sacramenti: sed nō sufficienter explicatur quomodo sint de essentia, nisi ex illis verè, & proprie componatur ipsum sacramentum: ergo ex illis verè, & proprie cōponitur. ¶ Tertio, quoniam sacramentum est vnicum instrumentum gratiæ, vnicum lignum illius: ergo debet habere vnicum subiectum simpliciter loquendo: quod tamen non erit verum, nisi ex rebus, & verbis aliquomodo fiat vñum.

19 Ut argumenta dissoluat, & conclusionē explicet, distinguit quinque gradus cōpositionis physice: nempe cōpositionē ex materia, & forma substantiali; cōpositionē mixti ex elementis; cōpositionē subiecti, & accidentis; cōpositionē arte facti ex substantia, & figura inducta ab arte: & denique cōpositionē numeri ex vñitate. Et subdit §. *Nostri aigitur*, quod cōpositio ex rebus, & verbis in sacramento est artificiosa physica per realem contiguationē, per hoc quod verba ipsa determinando res, producunt in illis aliquem modum realem, ex quo & ipsa re resultat vñū tertium. Adit, quod iste modus solū realiter formaliter differt ab ipsa ablutione. Neque oportet inquirere, quæ entitas est ille modus? Est enim determinatio quæ-

dā realis manens in ablutione; propterea quod realiter tangitur, & percutitur à verbis: tactus enim ipse aliquid reale producit; siquidē realiter modificat, & determinat passum, & facit quod realiter aliter se habeat quam antea.

20 Possunt pro ista opinione referri Theologi, qui requirunt similitudinem temporis inter aliquā saltem partē formæ, & aliquā partē materiæ, ita ut non prius perficiatur forma, quā existat aliquid materie; nec prius existat integra materia, quā incipiant verba proferri. Ita loquendo de sacramento Ordinis, & Baptismi, docet Caiet. to. 1. Opusc. tract. 26. & loquendo de Baptismo Syluel. v. *Baptismus* 5. §. 2. v. *Vñū cō. §. 7.* Armill. v. *Baptismus*. n. 27. per errorem Typographi est 37. Et Scot. in 4. dist. 6. q. 1. §. *Dico ergo*. Gabr. q. 1. ar. 2. conc. 8. Nauarr. c. 22. n. 8. quia ad veritatē verborū necessariū est ea quoad aliquā partem proferri cum applicatur materia.

21 Quare Caiet. ubi supra ait. *Nō opinatiue, sed assertiue dicendum est, quod contactus corporalis necessarius est in sacramento Ordinis.* Imò S. Th. in 4. dist. 24. q. 1. ar. 1. q. 1. ad 3. ait, quod ipsa verba formæ videntur ostendere; quod tactus materiæ sit de essentia sacramenti, quia dicitur: *Accipe hoc, vel illud.* Quod & habetur in Addit. ad 3. p. q. 34. art. 5. ad 3. Tenentque Palud. Sylu. Ledel. Valent. & ut probabilem, Soto, Victoria, & Henricus quos refert, & sequitur Granad. Controu. 9. de Sacram. Ord. tract. 1. dist. 6. n. 6. & 7. & probabiliorē, & securiorē vocat Grauiña de Sacram. Ord. disp. 2. dub. 3. nu. 12. Coninch, Fillutius, Henricus Bonac. & Villalob. quos refert, & sequitur Tull. in praxilib. 6. c. vñico dub. 2. n. 5. dicens cōmuniore, & probabiliorē, & veriorē, & omnino tenendā. Eo quod in Pontificali ita fieri præcipiatur.

22 Generaliterque quod in consecratione sacramenti cuiuscūque, materia, & forma debeāt esse simul tempore secūdū aliquam sui partē, docent Nuño q. 60. art. 6. diffie. 2. ad 2. & Zábran. de casibus occur. temp. mortis cap. 1. dub. 2. Viualdus de Sacram. c. 3. n. 15. Molfes. trac. 4. Sūm. c. 4. n. 48. & alij. Qui contactus physicus, & temporis simultas nulla ratione vrgētī probari possunt, nisi teneatur quod cōpositio, & vñū ex rebus, & verbis est physica, & realis.

23 Dico tamen tertio, ab vtroque extremo declinando, & mediā via incedendo, quod cōpositio ex rebus, & verbis in sacramento, non est in rigore cōpositio physica.

D 3

physi.

physica; est tamén vera, & propria cōpositio artificialis, & ex eis fit vnū per se in ratione vni signi, & causæ gratiæ. Ita aperte indicant Soto in 4. dist. 1. q. 1. ar. 2. §. *Cōtra hanc*. Et art. 6. ad 2. Serra q. 60. art. 6. in secunda ratione, & §. *Nec huic*. Araujo art. 8. dub. 3. ad 3. Vazquez disp. 28. cap. 2. n. 11. Granados controu. 3. de sacramentis in genere tract. 1. disp. 4. & alij. Quamuis ingenue fateor nullum ita expresse, & distincte vtramque conclusionis partem proposuisse.

24 Pro cuius explanatione aduertendum, sæpè aliquid in vno genere denominari proprie tale, quamuis in comparatione ad denominationem similem, quæ est in alio genere, dicatur solum improprie tale. Verbi gratia, Angeli vere, & proprie sunt in loco corporali, quia creati sunt in Cælo Empyreo, & ad nos mittuntur, & in Ecclesijs habitant, vt dicitur in Completorio: & tamén comparative ad modū, quo corpora loco circumscribuntur, docet S. Tho. 1. p. q. 52. art. 1. & Quodlib. 1. art. 4. & in 1. dist. 37. q. 3. art. 1. & 2. quod *Angelis conuenit equiuocè esse in loco*. Ita cōpositio hæc comparata cum cōpositione per informationem, vel inhærentiam, est minus propria, & ideo non est dicenda cōpositio physica, quia nec est per informationem substantialem, neque per inhærentiam, nec per continuationē. Est tamén in genere artis vera, & propria cōpositio abiq; vlla metaphora, & improprietas: quia vt ait Granados n. 1. certum est requiri aliquam vnionem inter materiam, & formam sacramenti, quia cum sacramentum sit quoddam cōpositum, necesse est partes illius aliquomodo copulari: alioquin nullo modo in cōpositionem venire possunt, quia cōpositio est vnio rerum se non includentium. Rursus hæc vnio non potest esse aliquis realis modus connectens verba cum re sensibilis: sicut materia, & forma cōpositi substantialis, accidens, & subiecta copulantur. Solum ergo consistere potest prædicta vnio in aliqua coniunctione secundum tempus, & locū, ex qua proueniat materiam sensibilem de terminari à verbis, vt significet gratiam habitualement, conferatque aliquam sanctitatem, ac proinde constituatur inragenus sacramenti.

25 Prior ergo pars cōiunctur argumentis primæ sententiæ. Vltimusque probatur: nā cōpositio est iuxta naturā cōpositi, quod ex ea resultat: sed sacramentum,

quod ex cōpositione rerū, & verborū resultat, non est ens physicū, sed artificiale: quia solū est vnū signū, & vna causa gratiæ; ex diuina institutione: ergo eius cōpositio nō est physica: Vnde S. Th. ar. 6. ad 2. optime docet res, & verba esse in diuerso genere quātū ad naturā rei, & in esse physico non fieri ex eis aliquid vnū.

26 Secūdo cōpositio physica, vel est substantialis, vel accidentalis: hic neutra interuenit, quia aqua, & verba, vel panis, & verba nec vnūtur substantialiter, nec accidentaliter, vt patet: ergo non est vnio physica.

27 Nec sufficit recurrere ad illū modū. Primo, quia ille modus ab alijs Theologis antiquis, aut modernis nō agnoscitur: & ita ea facilitate qua adstruitur, rejicitur. De quo Cabrera art. 6. disp. 2. n. 37. Secundo, adhuc si poneretur, non vniret physicè verba, quæ nō sunt cū aqua, quæ solū est in termino illo. Ipsaque verba inter se vniri nō possunt: quia vt ad simile in tētū motat S. Th. in 4. dist. 3. q. 1. ar. 2. q. 4. ad 2. *oratio est quātitas discreta*. Tertio, quia est ponere sæpè miracula nō necessaria: nā cōmuniter verba nō pertingūt ad physicè tagēdā materiā: miraculosū autē est, quod verba physicè tagāt aliquid distās.

Quarto in matrimonio inter absentes, & in absolutione peccatorū ante horā cōfessorū, nō est iste physicus contactus.

28 Quinto, est iniicere scrupulū sine fundamento, asserere, quod oportet adhibere diligentia, vt in aliquibus sacramentis verba physicè tagāt formā: quia licet sit probabilissimū, quod in Baptismo, & in Ordine requiritur cōtactus physicus materię, est respectu subiecti: & hoc propter verificāda verba, & modū significādi formæ: non tamén Theologi iniecerant hoc scrupulū, quod verba ipsa debeāt in omnibus sacramentis tagere materiā. In Matrimonio enim, & Poenitētia tātū abest vt id requiratur, quod potius expedit, quod cōtrariū eueniat: quia cū materia sit vocalis accūlatio, & forma sit sēnsibilis, & vocalis absolutio: & decētia iudicij sit, quod nō loquātur simul reus, & iudex, sed potius quod finita accūlatione, proferatur sētētia; cū entia successiua nō sint simul: nec istæ loquutiones regulariter se tagāt; nullatenus iste physicus tactus requiritur. Idē patet in mutua expressione cōsensuū. Nec in aliquo aliorum sacramentorū verba formæ significant exigi, quod ipsa tangant materiam, etiam si in aliquibus significetur,

ficetur, quod materia tangat subiectum, vel ab eo accipiatur: ergo ille contractus physicus rerum, & verborum, & modus vnionis inter illa, omnino eliminandus est.

29 Denique nō video cur modus iste dicatur solum formaliter distingui ab abluitione, cum ab illa realiter separaretur (in casu quo daretur) tamquam aliquid conueniens ex institutione, & causalitate libera Dei supra naturam operantis: realis autem separatio est euidentis signum realis distinctionis.

30 Secundam assertionis partem probant argumēta secundæ sententiæ. In qua in primis falsum est, quod cōpositio sacramenti ex rebus, & verbis, vt ista sunt substractum significationis, sit cōpositio metaphysica; quia potius assimilatur cōpositioni physicæ, vt in homine humanitas, & anima: & sola cōpositio ex genere, & differentia à Dialecticis, & Metaphysicis dicitur cōpositio metaphysica: physica vero ea, quæ est ex forma, siue partiali, siue totali. Secundo, quamuis componentia sint realia, non sequitur quod cōpositio sit realis, si realiter nō adunantur. Vnde ratio illa nil valet.

31 Tertio retorquentur argumenta, & ex illis nostra probatur conclusio. Verba Conciliorum, & Theologorum sunt intelligenda in rigore, & proprietate, quæ cōgruat materia, de qua est sermo. Sed vt in rigore, & proprietate, iuxta subiectam materiam, verificetur sacramenta perfici, & componi ex rebus, & verbis, ita vt adunentur ad constituendum vnicum sacramentum, sufficit, & requiritur, quod ex eis fiat vnū ens artificiale, & vnū signum, & vna causa gratiæ. Ad quod non exigitur, quod fiant vnū in esse physico, nec sufficit adunatio largo modo, & improprie: sed exigitur, & sufficit, quod realiter sint vnū ordine quodam vt in eis fundetur relatio sigal, & communicetur virtus causatiua. Quod plane docet S. Tho. art. 6. ad 2. & q. 62. art. 4. ad 2. ibi. *Prout sunt quoddam ordine vnū*. Et latius in 4. dist. 1. q. 1. art. 3. ad 1. vbi ait, quod *sacramentum est aliquid vnū in genere signi, vel causæ: quorum virtūque relationem importat. Non est autem inconueniens, vt quæ sunt in se distincta, vniantur in relatione ad aliquid vnū; sicut accidit de multis trahentibus nauim, qui sunt vna causa tractus nauis: & sicut pater, & mater sunt vnū in generatione. Sic etiam verba, & res sūt vnū in causando, & significando: & per consequens*

*efficiunt vnū sacramentum. Et quia virtus causandi est in rebus, ex verbis significantibus, vt dictum est: ideo verba sunt formalia, & res materiales, per modum quo omne completiuum forma dicitur. Idem docet art. 4. q. 2. ad 5. & in 4. Sent. ad Anibaldum dist. 1. art. 3. ad 1. ait S. Tho. quod *quamuis non possit ex separatis fieri vnū vnitate absoluta in essendo; potest tamen secundum quid fieri vnū vnitate relatiua per cōparatiuē ad aliquid vnū, scilicet, in causando, vel significando; sicut pater, & mater sunt vnū principium cōpletum generationis: sacramentū vero vnū dicitur, non vnitate absoluta, sed relatiua in significando vnū, & causando*. Hæc S. Tho. Ergo est vnio vera, & propria relatiua, & rigurose artificialis: quāuis solum secundū quid cōparatiue ad absolutā, physicā, & naturālē. Nec vnitas relatiua exigit productionē modi, sed habitudine vnus ad aliud vt determinās, & cōplens eius significationē in ordine ad vnū signatum, & effectum. Et sic patet ad fundamenta secundæ sententiæ.*

32 Nec Authores à nobis relatiui. 20. ei fauent: Tum quia diximus nu. 28. quod ille est diuersus casus à nostro. Tum quia Soto in 4. dist. 3. q. vñca artic. 8. §. *Quando autem*, docet non debere vsque ad eō strictim hoc simul intelligi, sed *moraliter modo*; hoc est, vt humanus habet vsus. Qui enim phialam ori adiuuens, ait; *ego bibo*, & continuo bibit; simul cenletur id dicere, & facere: & pariter si dicat, *Crucē osculor*, & statim osculū porrigit. Pari ergo ratione, si quis prius dicat; *Ego te baptizo*: vel, *ego te orisimo*, & protinus mergat, vel chrismate vngat, stat est. *Illud enim proximum tempus cōfetur humano more præsens*. Idem docent Victoria in Summā nu. 39. & num. 230. Vega, Saa, Henriquez, Suarez, & Toletus, quos refert, & late sequitur Granados hic tract. 1. disp. 4. per totam. Laymā, Villalobos, Bonacina, & Heredia, & alij quos referunt, & sequuntur Diana parte 2. tract. 16. rel. 3. & parte 3. tract. 4. resol. 185. Leander to. 1. tract. 1. disp. 1. q. 16. male pro se citans Nuño, cū oppositum, loco ab ipso relato, ex professo doceat. Sequuntur hac quæst. 60. Auerla sect. 4. §. *Quarto tandem*. Araujo artic. 8. dub. 1. in fine, & alij.

33 Quam doctrinam, dicit Serra art. 6. ad 1. esse communem inter Theologos, & quod iuxta eam asserendum est, non in omnibus, quæ componuntur ex materia, & forma, requiri vt eodem modo materia, & forma sint simul. Nam in cōpositis

eis substantialibus materiam, & formam substantialem omnino simul esse oportet: in alijs vero, præsertim in successiuis, & artificialibus, non omnimoda simultas requiritur. Propositio enim componitur ex subiecto, & prædicato tanquam ex materia, & forma; quæ tamen non sunt simul, ita ut eodem temporis momento proferrantur; sed quia immediatè post subiectum sequitur prædicatum in propositione. In numero etiam quatuor annorum, quartus annus, ut potè, ultima unitas illius quaternarii, habet rationem formæ, ex qua tanquam ex forma, & ex alijs unitatibus, seu a. n. s. tanquam ex materia, numerus ille componitur: & tamen solum dicitur esse simul, quia una succedit alteri. Ita ergo in sacramentis, inter materiam, & formam, ex quibus componuntur, sat est ut sit moralis simultas, coniunctio, & propinquitas; sic adeo ut secundum modum loquendi communem sufficiat ad veritatem formæ, & secundam moralem estimationem ceteris formæ cadere super materiam, & cum illa coniungi ad faciendum quodammodo unum. Cauenda tamen est nimia interpolatio: nam ut ait M. Soto ubi supra: Si tantum temporis intervallum interciperetur, ut secundum usum humanum forma, & actio non essent simul, tunc nullum perficeretur sacramentum. Mastdonus ubi.

34 Illa opinio relata n. 21. est probabilior, & sic vocatur a D. Tho. qui reputat probabilem oppositam opinionem B. Alberti Mag. ni: pro cuius probabilitate multos Auctores citat Diana 2. p. tract. 16. resol. 3. & par. 3. tract. 4. resol. 185. & parte 6. tract. 3. resol. 9. & parte 8. tract. 1. resol. 40. & parte 10. tract. 13. resol. 20. Maior tamen probabilitas opinionis D. Thom. non videtur in eo, quod compositio sacramenti sit physica: sed in speciali nititur in verbis formæ sacramenti ordinis: & quia sic describitur in Pontificali Romano: & Gregorius, 9. in cap. Presbyter, de Sacramentis non iterandis, ait. Manus impositionem tacitu corporali recipiunt. Et infra. Impositio manuum debet fieri cum oratio super caput effunditur ordinandi. Et quia cum aliter factum est, præcepit Clemens O. S. a. u. s. sacramentum iterari. De quo in tractatu de Sacramento Ordinis. Illud quod asserunt Auctores relati n. 22. impugnatum est n. 27. & 28.

35 Rationes etiam primæ sententiæ ex dictis solutæ manent: probant enim ex rebus, & verbis non fieri unum in esse phy-

sico absoluto. Quod concedimus, & est verum. Non tamen ostendunt, quod non variantur, & sint quodam ordine unum in esse signi, & causæ: sicut manus, calamus, & atramentum ununtur ad scribendum prout sunt quodam ordine unum. Et bene stat, quod comparatiuè ad naturalia physice composita, res sunt quasi materiae, & verba forma. Sed tamen in genere relationo, artificiali, significatiuo, & causatiuo vere, & proprie sit compositio, & aliquid determinabile, & aliquid determinans, complens, & formans, per modum quo unum completum forma dicitur, ut ex D. Tho. dictum est. Videantur verba D. Tho. quæ retulimus lib. 2. Logica q. 16. n. 30. ex lib. 7. Metaph. lec. 17. lit. f. ubi docet S. Tho. quod compositum quandoque sortitur speciem ab aliquo uno, quod est vel forma, ut patet in corpore mixto; vel compositio, ut patet in domino; vel ordo, ut patet in syllaba, & numero: & tunc oportet quod totum compositum sit unum simpliciter. Erit ergo totum sacramentum constans ex rebus, & verbis, unum signum, & una causa simpliciter, quamuis partes solam habeant unitatem ordinis.

§. III.

Utrum verba solum sint forma partialis?

36 **C**ontra primam conclusionem est tertia difficultas: nam unius rei vnicam tantum est forma, quæ complet naturam, & speciem constituit. Sed forma sacramenti est significatio, eo quod sacramentum essentialiter est signum; & forma signi est significatio; sicut lux est forma lucidi, & forma albi est albedo: ergo verba non habent rationem formæ in sacramentis.

37 Respondetur, quod sicut in entibus naturalibus dantur duæ formæ, videlicet, forma totius, & forma partis, ut docet S. Thom. in 4. dist. 44. q. 1. art. 1. q. 2. ad 2. & Quodlib. 2. art. 4. ut in homine humanitas, & anima; & respectu animæ, subiectum est materia prima; respectu vero humanitatis, subiectum est corpus animatum. Ita pariter in entibus artificialibus ens naturale solet esse subiectum unius formæ; & postea subiectum sic formatum per artem, habet rationem subiecti alterius vitimæ formæ: ut æs formatur sua forma naturali, & figuratur sigillo Regis, quæ est forma inducta per artem; & sic sigillatum suscipit ultimam formam ab institutione.

positione. Hanc autem esse distinctam à præcedente forma, constat: nam inuariato are, & sigillo, potest, & solet mutari valor proueniens ab impositione, vel usu, aut consuetudine. Similiter in sacramentis verba sunt formæ partiales, quia verba significatiua ad placitum determinat imperfectam significationem rerum; & super compositum ex rebus, & verbis, fundatur significatio, quæ est ultima forma sacramenti: quæ conuenit ex Christi institutione, quæ non conuenit rebus sine verbis, nec è contra: quia illud coniunctum ex rebus, & verbis cum sua humana significatione, eleuauit Christus dando significationem, & causalitatem sacramentallem. Et ita docet Caietanus art. 6. ad 2. & ibi communiter Thomistæ. Et specialiter Araujo art. 8. dub. 3. conc. 3. Et Serra ad 5. art. 6. & Ruyz art. 6. dub. 1. conc. 4. Item Suarez, Vazquez, Coninch, Merati, Lugo, quos refert, & latissimè sequitur Bernal disp. 2. sect. 4. §. 1. Frullench lib. 1. c. 2. dub. 1. n. 6. dicens communem inter Doctores. Vnde Lugo disp. 2. sect. 2. nu. 39. dicit in sacramentis reperiri duplicem compositionem; alteram ex sacramento, & sacramentalitate (ut ita dicam) seu vi ad significandum; alteram priorem in ipso Sacramento, quod se habet ut subiectum significationis.

38 Sed instabis primo: nam res, & verba sine significatione sacramentali non sunt sacramentum: sicut non est homo, nisi habens humanitatem: ergo non verificatur, quod sacramentum componitur ex rebus, & verbis, ut ex materia, & forma: & ita potius deberet dici, quod subiectum sacramenti consistet materia, & forma, quæ quod sacramentum consistet materia, & forma.

Respondetur argumentum mera nihil æquiuocatione, quia cum homo dicitur consistere corpore, & anima, non supponitur homo aut partes, sed ex illis constat: & eas includit, & earum adunatione confurgit humanitas, quæ est forma totius. Ita pariter in sacramentis: in quibus clarior apparet duplex compositio: una ex rebus, & verbis cum sua significatione, quæ ad inuicem ordinantur, & verba determinant significationem rerum: altera compositio est in qua totum hoc aggregatum ordinatum se habeat ut materia, quæ eleuatur, & à Christo recipit significationem supernaturalem, & sacramentalem infalibilem ex Christi institutione.

39 Instabis secundo: forma totalis est potior, quam forma partialis: sed Concilium Florentinum in suo decreto non alias designat sacramentis materias nisi res; nec alias formas, nisi verba: ergo res sunt materia totalis, & verba sunt forma totalis: alioquin Concilium cum Pontifice, aut falsam, aut diminutam doctrinam tradidisset.

Respondet Bernal nu. 28. nihil istorum rectè inferri. Pontifex enim loquutus fuit de sacramentis prout habent aliquid sensibile à nobis adhibendum; quo pacto solæ res sunt materia, & solæ verba sunt forma. At si sit sermo de sacramentis adæquate sumptis, & includentibus significationem sacramentalem à Christo superadditam, sola hæc assera fuisset adæquata forma sacramentaliter significatiua, coniunctum autem rerum, & verborum dictum fuisset adæquata materia. Quod exprimere non erat necessarium ad rectè sentiendum de sacramentis: & à Pontifice non negatur, sed potius ex his, quæ tradit optime, & facile inferitur.

40 Secundo respondetur, quod sicut S. Thomas 1. p. q. 2. art. 1. dicit, quedam esse per se nota sapientibus, quæ non sunt omnibus per se nota. Et forinæ sacramentorum in primitiua Ecclesia occultè proponebantur, ne ab infidelibus irriderentur, ut docent S. Dion. cap. 7. Eccles. hier. p. 3. & S. Tho. 3. p. q. 78. art. 3. ad 9. & alij Sancti Patres, quos refert Grauina de Sacramento ordinis disp. 2. dub. 2. §. 2. nu. 9. usque ad 15. à folio 170. usque 173. Ita postea clariora debent proponi omnibus credenda, & occultiora relinqui Theologis explicanda. Compositio ex rebus, & verbis facile percipitur ab omnibus Christianis; & ideo de illa in Concilio Florentino instruntur Armeni, & omnes Catholici. Compositio ex composito, & significatione, non facile intelligitur nisi à Theologis; & ideo de illa solum faciunt mentionem explicitam Theologi Scholastici.

§. V.

Utrum formæ Sacramentorum sint indiuisibiles?

41 **Q**uarta difficultas circa idem occurrit, utrum formæ sacramentorum sint simplices, & indiuisibiles; an vero sint diuisæ, & extensæ, & constantes ex pluribus significationibus partialibus? Sacramenti significationem non esse unam

vnam simplicem, sed duas partiales, ex quibus vna totalis componitur, arbitrantur Bellarminus lib. 1. de Sacramentis capite 18. propol. 3. rat. 2. & Suarez disp. 2. sect. 1. in fine. Probat Bellarminus. Primo, quia antequam fiat coniunctio elementum, & verbi, vtrumque habet suam significationem: sed ex coniunctione non perit vlla signifikatio: siquidem signifikatio verborum à Republica non mutatur; & signifikatio rei est naturalis, quæ non tollitur, sed determinatur per verba. Manet igitur vtraque signifikatio, & ex duabus partialibus fit vna totalis. Secundo: nam signifikatio rei, quæ naturalis est, nõ communitur verbo, cuius signifikatio est ad placitum. Duæ igitur sunt significationes partiales.

42 Suarez vero id probat exemplo rerum artificialium: nam partes componentes domum per suas partiales figuras concurrunt ad totam figuram domus componendam, & similiter tam ablutio, quàm verba Baptismi partialiter significent animæ abluionem, qui est eius effectus. Et eadem est ratio de cæteris sacramentis: nã verba Eucharistiæ significant præsentiam Christi; species vero significant animæ nutritionem, & vnionem fidelium inter se, & cum Christo: ergo partes sacramenti in ipso sacramento habent suas significationes partiales. Quod videtur docere S. Th. art. 6. dicens, quod ad perfectionem significationis sacramentalis, necesse fuit, vt signifikatio rerum sensibilium per aliqua verba determinaretur. Ergo simul est signifikatio rerum, & signifikatio verborum, & signifikatio sacramentalis, quæ ex eis integratur, & perficitur.

43 Opposita sententia est communis, & vera, cum qua asserendum, quod signifikatio, quæ est vltima forma sacramenti, est formaliter simplex, & indiuisibilis: fundatur tamen in signifikatione partiali rerum, & verborum, quæ per suas partiales signifikationen eã fundat. Ita Caiet. q. 60. art. 6. ad 2. & q. 73. art. 2. & q. 78. art. 4. in fine, & eisdem locis frequenter Thomistæ. Item Scotus in 4. dist. 3. q. 1. Vazquez disp. 1. 29. cap. 2. a nu. 20. Maratius disp. 2. sect. 2. Coninch ar. 6. dub. vnico nu. 36. & alij. ¶ Aliqualiter in simili idem docet S. Thomas q. 78. art. 4. ad 3. & in 4. dist. 8. q. 2. art. 3. ad 6. & 7. Et ibi ad Anibald. art. 5. ad 2. loquendo enim de virtute collata verbis consecrationis, docet, quod quamuis oratio sit ens successiuum,

in ea fundatur signifikatio simplex. Oratio (inquit) quamuis secundum voces sit successiva, tamen secundum sui signifikationem simplex est, & c. ¶ Ex quo à simili probatur: nam quauis hæc oratio: *Hoc est corpus meum*: constet ex dictionibus habentibus suas partiales signifikationen, quas retinent, & exercent in ipsa consecratione: tamen signifikatio totius orationis est simplex, & indiuisibilis, & non correspondet pars effectus signifikati, & causati parti orationis, sed totus est indiuisibiliter à tota: vnde nõ causat vsque dum tota perficiatur: Vnde ait S. Thomas. *Et in vltimo sui complemento perficitur: vnde tunc virtus instrumentalis à Deo datur.* Ergo pariter quamuis signifikationen partiales rerum, & verborum adueniunt ad componendum vnum sacramentum, vltima signifikatio formaliter est simplex.

44 Ratio Caietani est à priori: quia vnum sacramentum est vnum signum vnus gratiæ. Nec contulit Christus vim signifikandi, & causandi sacramentaliter, rebus independenter à verbis, nec verbis independenter à rebus. Nec eleuauit seorsum materiam, & seorsum formam: sed totum coniunctum, vt esset vnicum signum, & vnicum instrumentum gratiæ. Ergo omnis compositio, extensio, & diuisibilitas se habent præsuppositiue: & ideo formaliter signifikatio sacramentalis est simplex.

45 Præterea, sæpè dictum ex D. Th. quod signifikatio est relatio: sed hæc potest esse simplex, quamuis fundetur in re diuisibili: quia extensio, & diuisibilitas fundamenti potest se habere præsuppositiue, in alio genere. Sicut contingit in præsentia, quia signifikatio, & causalitas non est collata à Christo, cuiuslibet parti vt agat, & significet sacramentaliter independenter ab alia; ideoque vna deficiente; nihil est signifikationis sacramentalis: quæ est illa, quæ data est à Christo: quauis maneat signifikatio naturalis, & signifikatio ad placitum vnum non mutetur. Ergo signifikatio sacramentalis, formaliter sumpta, est indiuisibilis.

46 Quæ in contrarium obijciuntur, probant in compositione quasi physica sacramenti interuenire signifikationen partiales, quarum vna determinatur per aliam, & manent. Quod concedimus. Cum quo tamen stat, quod istæ signifikationen se habeant materialiter, & præsuppositiue ad signifikationem totalem indiuisibilem vltimam sacramentalem, quia per modum vnus

vnus coniunctum ex vtroque Christus eleuauit ad signifikandum, & causandum gratiam.

47 Huic secundæ sententiæ faretur Lugo disp. 2. lect. 2. nu. 42 se magis assentiri; sed tamen aliquid esse concedendum primæ sententiæ. Pro quo supponit nunc esse sermonem de signifikatione sacramentali, quæ habetur post diuinam institutionem: nam signifikatio antecedens, & radicalis composita est. Secundo supponit nomine signifikationis intelligi posse, vel signifikationem in actu secundo, hoc est, ipsum actum signifikandi; vel signifikationem in actu primo, hoc est vim, & potestatem signifikandi. Et quidem, si sermo sit de signifikatione in actu secundo, certum videtur, eam non esse compositam, & diuisibilem, ita vt pars ipsius proueniat à rebus, & pars à verbis; sed esse simplicem, & indiuisibiliter prouenientem ab vtriusque. Quia aliquando signum, licet componatur ex multis partibus: singulæ tamen nõ significant, sed omnes simul concurrunt ad eandem signifikationem. Verbi gratia, in hac voce, *quadragenta*, sunt quatuor syllabæ, & omnes significant: non tamen ita vt singulis correspondeat quarta pars numeri signifikati: nam prima syllaba, *qua*, non significat decem, nec secunda, aut alia ex sequentibus, sed omnes indiuisibiliter significat totum illum numerum quadragenarium. Sic ergo se habent partes componentes sacramentum: nam in Baptismo, v.g. ablutio secundum se non significat partialiter partialitate rei signata; ita vt pars correspondeat abluioni, & pars verbis; sed totum quod significatur, correspondet abluioni, & verbis simul sumptis, vt constat. Hæc Lugo nu. 43. omnino consonè ad communem sententiã, quæ ingeniosè confirmat adducto exemplo.

48 Loquendo vero de signifikatione in actu primo, hoc est, de vi, & potestate signifikandi, quæ videtur recipi, saltem moraliter, in sacramento, & per se sequens esse diuisibilis, iuxta diuisibilitatem ipsius subiecti, in quo recipitur: docet nu. 44. illam potestatem ad signifikandum gratiam componi ex ipsa entitate rerum, & verborum, & ex institutione diuina: atque ita esse partim intrinsecam, partim extrinsecam, realiter, & physice loquendo. Sed tamen loquendo moraliter, potestas signifikandi est aliquid morale intrinsecum, æquiualens enti physico: quia ratione fundamenti sacramentum nõ minus operatur,

& conducit ad signifikandum, quam si haberet intrinsecè vim physicam signifikandi gratiam.

49 Ex his colligit nu. 46. quod si realiter, & physice loquamur, forma constituens vltimo sacramentum in ratione signi, non potest esse duplex, aut composita ex materia, & forma; cum enim sit institutio diuina; & hæc sit vna, & eadem indiuisibiliter terminata ad signifikationem verborum, & rerum; consequens est, vt forma ipsa signi, vt signi, sit vnica, & simplex realiter, prout volebat P. Vazquez. Si vero loquamur ratione nostra, seu de signifikatione prout est aliquid rationis, sic facile conceditur esse etiam composita, & duplex ratione nostra, pro diuisibilitate subiecti, cui concipitur inherens, & intrinseca. Similiter si loquamur de eadem signifikatione, prout est aliquid ens morale, possumus etiam concedere, esse eodem modo moraliter duplicem, & compositam, quia sicut est æquiualeter intrinseca, sic etiam est æquiualeter duplex, & inherens pars in rebus, & pars in verbis: nã per inde concurrunt ad signifikandam gratiam res, & verba, ac si singulis inesset vis, & potestas intrinseca, & propria ad illum effectum; quare æquiualeter, seu moraliter, illa potestas est duplex partialis: licet physice, & verè sit vnica, & simplex. Denique moraliter sacramentum componitur ex rebus cum sua signifikatione partiali, & ex verbis cum sua signifikatione: realiter tamen, & physice non datur talis compositio, cum illæ duæ signifikationen realiter, & physice non distinguantur.

50 Plura tamen displicent in secunda parte huius sententiæ. Primo displicet, quod diuerso modo loquatur de signifikatione in actu primo, ac de eadem in actu secundo, cum actus secundus sit exercitiũ actus primi. Apparetque in exemplis ab ipso adductis, quod quæ in actu secundo habent signifikationem simplicem, etiã in actu primo, vt in illa voce, *quadragenta*, apparet. Et vocum signifikatio, quæ considerata est simplex, etiam scripta, & in libro clauso est simplex. Et è contra vocum signifikatio, quæ in actu secundo est composita, etiam in actu primo talis cõfetur. Ipse apponit exemplum nu. 43. in hac oratione: *Petrus, & Paulus currunt*: in qua singulæ partes aliquid significat etiam in actu secundo, & ex ijs omnibus signifikationibus partialibus, resultat signifikatio totalis, & completa. Quod eodem proportio-

portionali modo verificatur in actu secundo, & in actu primo. Ergo si, ut ipse recte docet, significatio sacramentorum in actu secundo est simplex, & indiuisibilis; etiā actus primus, seu vis proxima ad significandum erit simplex, & indiuisibilis.

51 Secundo instatur eius fundamentum, quia si significatio esset aliquod accidens intrinsecum, & vere in ipsis sacramentis inherens; non esset dubium, quin esset diuisibile, & multiplex, cum non possit vnum, & idem accidens recipi in diuersis subiectis, & separatis: & quia ens morale, & ens rationis concipitur intrinsecum in diuersis subiectis, ideo est multiplex, & diuisibile. Hęc, inquā, ratio instatur in eius doctrina, quia æquē militat de significatione in actu secundo, ac de illa in actu primo; quia melius in actu secundo concipitur ut in diuersis. Deinde vim haberet, si sacramentum esset aliquid absolutum, vel aliquid vnum in genere naturæ: sed quia est in genere signi, & res, & verba sunt vnum ordine quodam: & duorum est vnus ordo: ideo diuersitas se habet materialiter, & significatio est simplex.

52 Tertio duplicet, quod institutionem diuinam dicat formam significationis, cum sit eius causa efficiens, ut ostensum est dub. 2. §. 4. ¶ Quarto videtur Lugominus consequenter procedere: quia disp. 1. sect. 3. nu. 40. non solum negat formam significationem esse ens rationis; sed negat posse cognosci vere ad modum formæ intrinsecæ, quando cognoscitur sacramentum, ut verum sacramentum est: & probat, quod concipere aliter, non est concipere sacramentum. Quia licet virtus extrinsecā cognoscatur ad modum virtutis intrinsecæ; non tamen cognoscitur intrinsecā, aut fingitur, ut latè illo nu. 41. Modo vero disp. 2. sect. 2. num. 45. latè explicat, quod potestas significandi in sacramento est aliquid morale intrinsecum. Et nu. 46. etiam agnoscit intrinsecum esse ens rationis, quod quia est in diuersis subiectis: dicit significationem non esse simplicem. Nō videntur autem hęc duo coherere, quod significatio nō cognoscatur, nec valeat fingi intrinsecā; & tamen potestas significandi sit aliquid morale, & aliquid rationis intrinsecum.

53 Vltimo ipsius distinctio non potest deferuire ad concordandum in hoc puncto Vazquez, qui expresse nobiscum tenet significationem esse ens rationis: vn-de contra expressam eius mentem est asse-

rere, quod significatio indiuisibilis, quæ in sacramentis ab ipso simplex asseritur, sit ipsa diuina institutio; cum hęc apud ipsū, & veritatem, nō sit forma significationis, sed causa efficiens.

54 Alia via in hoc puncto incedit Bernal disp. 3. sect. 4. §. 3. nam nu. 97. truncate refert, & ineffaciter impugnat Lugū. Deinde nu. 100. nobiscum docet, quod sacramentum constans rebus, & verbis non habet duas partiales significationes sacramentales. Sed tamen nu. 107. ait, quod in sacramentis diuersas habentibus partes, & per illas significantibus, & conferentibus diuersas gratias, diuersæ sunt significationes sacramentales. Nam hostia consecrata significat gratiam animæ refectiuā ad modum cibi; & calix consecratus significat gratiam animæ refectiuam ad modum potus. Et quidem hostia gratiam suam significat independentem à calice, & calix suā independentem ab hostia: si enim sola hostia sumatur, ut à laicis sumitur, aut sola consecraretur, ut reuera posset, signum esset gratiæ reficiētis animam per modum cibi: & similiter si solus calix sumeretur, aut etiam solus consecraretur, signum esset gratiæ reficiētis animam per modum potus. Ergo hostia significationem vnā habet propriam suam, & calix alterā propriam suam. Idem cernitur in ordinatione presbyteri, constante scilicet, duabus partibus realiter distinctis, vna significante gratiam consecrandi, & altera gratiam abluendi. Idem etiam in Extremæunctione, cuius vna vnctio cū suis verbis significat gratiam remissionem venialium commissorum per oculos, altera per aures, &c.

55 Hęc doctrina simpliciter est vera, & iam diu tradita à D. Thoma, & Thomis; sed per hoc in nullo receditur à cōmuni sententia ut malè Author iste existimat. Vtrumque constat ex D. Thoma, qui in 4. dist. 8. q. 1. artic. 1. q. 2. ad 2. ait, quod *cibatio spiritualis non significatur perfecte, neque per panem tantum, neque per vinum tantum sumptionem; sed per vtrumque simul, sicut est in significatione nominum compositorum.* Idem dicit ad 3. Et tamen quamuis istis locis agnoscat diuersas significationes partiales sacramentales, tamen in corpore articuli probauerat totius sacramenti esse vnā significationem, quia omnes istæ ex diuina institutione ordinantur ad vnā cibationem integram. Quod magis expressit S. Tho. 3. p. q. 73. art. 2. dicens, quod

quod *Eucharistia est multa materialiter, sed vnum formaliter, & perfectum.* Et ad 3. ait, quod duplex consecratio, cū duplici materia, & duplici forma, solū probat, quod Eucharistia materialiter est multa. Quod alia via verificari nequit, nisi quia istæ significationes partiales sacramentales se habent materialiter ad vnā totalem significationem sacramenti. Quod optime expressit Caeteranus ibi dicens. *Aduerte sacramentū Eucharistiæ dici multa materialiter; non ea ratione, quod multitudo in eo sit purè materialis (quoniam partes eius habent suas proprias formas, & suas proprias materias, ut patet de hostia, & calice; sunt enim velut partes heterogeneæ) sed quia huiusmodi multa se habent ut integratia vnum, quod est refectio spiritualis, a cuius formali vnitate, vnum sacramentum dicitur Eucharistia significans, & corpus, & sanguinem Christi sub specie cibi, & potus.* Hęc ille. De quo latius ibidem.

56 De ordinatione sacerdotis fortè est diuersa ratio, quia caracter imprimitur in ipsa calicis porrectione: & tunc est substantialiter sacramentum: quando vero datur potestas ligandi est collatio potestatis solum *quantum ad actum secundarium*, ut docet S. Thomas in 4. dist. 24. q. 1. artic. 3. ad 2. & ideo ex vtraque ordinatione nō tam sit vnum sacramentum, sicut ex cibo, & potu vnum sit conuiuium: sed potius videtur in prima fieri sacramentum, & in secunda dari eius extensionem ad actum secundarium. De quo suo loco.

57 De vnitate autem sacramenti Extremæunctionis eodem modo sentiendū est ac de vnitate Sacramenti Eucharistiæ, ut expresse docet S. Thomas in 4. dist. 23. q. 1. ar. 1. q. 2. dicens. *Quando autem perfecta significatio non potest esse, nisi per plures actiones, tunc plures actiones sunt de perfectione sacramenti. Sicut patet de Eucharistia, quia refectio corporalis, iuxta significat spirituale, non potest esse nisi per cibum, & potum. Et similiter est in hoc Sacramento, quia curatio interiorum vulnerum non potest perfecte significari nisi per appositionem medicinæ ad diuersas vulnerum radices: & ideo plures actiones sunt de perfectione huius sacramenti.* Hęc ibi. Quibus ergo ibi fiat plures materiæ, & plures formæ, & plures significationes sacramentales partiales, ut in Eucharistia; tamen vniuuntur in vna forma, & significatione totali ad quam aliæ se habent materialiter. Vnde est vnum sacramentum ab vna forma sacramentali. Ideoque ad 1. ait S. Th.

quod *vnitas totius perfecta non tollitur propter diuersitatem materiæ, aut formæ, quæ est in partibus totius: sicut constat, quod non eadem materia est carnis, & ossis, ex quibus constituitur vnus homo; nec eadem forma. Et similiter etiam in sacramento Eucharistiæ, & in hoc sacramento Extremæunctionis pluralitas materiæ, & formæ vnitatem sacramenti non tollit.* Vnum autem sacramentum vna forma sacramentali constat: quam esse formaliter simplicem iam diximus, licet præsuppositiue hęc duo sacramenta includant plures partiales formas, & materias sacramentales: cum alia sacramenta solam habeant diuersitatem rerum, & verborum; & composito ex rebus, & verbis aduenit sacramentalis simplex significatio.

DVBIUM XI.

Quid in recto significet, & pro quo supponat sacramentum?

1 **A**D perfectè inuestigandam quiddam singulorum vnitatem, vel multitudinē, necessaria est huius dubij decisio, quia sæpè ex diuersa vocabulorum acceptione, contingit in quæstionibus de rebus magis momenti æquiuocatione magna laborare. Et in ipsa huius dubij decisione diuerso vsu vocum ortæ sunt diuersæ sententiæ, non tam in re ipsa, quam in loquendi modo discrepantes, ut in eius solutione videbitur.

2 Et in primis non est confundenda hęc difficultas cū illa, quæ est pertractata dub. 10. §. 2. quia adhuc supposito, quod ambæ partes sint de essentia sacramenti, ut ibi diximus, remanet inuestigandum vtrumque, quod in titulo inquirimus. Quod quia Suarez non satis distinctè: ideo nihil fideliter, sententias retulit.

§. I.

Opinio quod supponit pro toto composito.

3 **P**Rior sententia affirmat Sacramentum in recto significare compositum ex rebus, & verbis, & supponere pro composito ex illis ut subest formæ totali. Ita Suarez disp. 2. sect. 2. cuius duo sunt præcipua fundamenta. Primum, omne compositum essentialiter constans ex materia, & forma, importat in recto vtramque partem, & pro-aggregato ex illis supponit

nit vt substat formæ totius, vt inductione constat in compositis substantialibus, & accidentalibus: & quia vtramque partem, ex qua constat, significat: ac per consequens pro ea supponit: cum suppositio sit acceptio termini pro suo significato. Sed ostensum est, sacramenta essentialiter, & intrinsicè componi tanquam ex partibus ex rebus, & verbis: ergo significat in recto vtramque partem, & pro aggregato ex illis supponit.

4 Secundo, quia ex illa regula Dialecticorum: *In artificialibus materia est tota substantia rei, & nomina res artificiales significantia, supponunt pro materia*, non inferitur, quod sacramentum supponat pro rebus, & non pro verbis: quia illa regula intelligitur de materia totali, quæ subest formæ totius, & non pro vna parte materiæ vt substat alteri: domus enim non supponit pro fundamento vt subest parietis, vel tecto; sed pro his omnibus, vt in eis resultat vna figura: ita signum ad placitum supponit pro tota, & adæquata materia significationis, quæ imposita est ad significandum, & non pro aliqua parte eius, quæ ad alteram, vt materia ad formam comparatur: quia in huiusmodi signo veluti vltima forma est significatio, & reliqua omnia sunt veluti substantia, seu supposita talis formæ. Sic igitur sacramentum, quod in vltimo consistit, non supponit pro sola materia, aut pro sola forma, sed pro composito ex vtraque, quod est quasi subiectum adæquatam talis significationis.

5 Idem tenet Vazquez disp. 129. c. 3. n. 36. nam significatio rei sacræ sanctificantis nos, quæ est ipsa relatio denominans sacramentum, neque solè materiæ, neque solè formæ, sed vtrique conuenit: ita vt vtrique simul rem sacram ex diuina institutione significat.

Deinde nu. 40. contra Scotum arguit: quia falsum est, quod nomina artificiosa supponant pro materia: nam vel nomen statum non supponitur pro ære tantum, neque pro forma illius, & figura solè, sed pro vtroque; simul: vel certe potius pro forma, quam pro materia supponitur: sicut nomen imago; & ita si in eadem materia essent variæ similitudines depictæ, vel variæ sculpturæ, dicerentur plures simpliciter imagines, vel statuæ, quia plures essent formæ; licet non essent plures materiæ.

6 Arguit rursus nu. 42. quia ista nomina statua, imago, domus, & similia non

sunt nomina adiectiua accidentium, sed sunt nomina formæ, & figuræ, & formæ, quæ est species qualitatis. Quis autem dicat nomè figuræ, & formæ substantiuum supponi pro materia directè, & pro forma indirectè? Nomina autem sacramenti, & signi potius sequuntur normam nominum adiectiuorum, vt supponantur non pro ipsa significatione, sed pro re ipsa, & subiecto, cui conuenit ipsa significatio: cū autè id, cui conuenit significatio sacramentalis, sit compositum ex rebus, & verbis, illud importat directè, & pro illo supponit sacramentum.

7 Ad idem arguit Lugo disp. 2. sect. 3. n. 66. nam fortasse non omnia nomina entis artificialis habent illum modum significandi: nam calix v. g. non est aurum, sed ex auro: nec vestimentum est lana, sed ex lana, & sic de alijs: quia hæc nomina forsitam non supponunt in recto pro sola materia, sed etiam pro forma.

Secundo vtitur ratione secunda Suarez, & Vazquez. Quam confirmat n. 67. quia hoc est proprium partium integran- tum, vt omnes debeant importari quæ in recto per nomen totius. Sicut oratio importat in recto omnes syllabas, & partes integrantes ex quibus componitur. Cū ergo subiectum significationis sit compositum ex rebus, & verbis, sacramentum illud importat in recto: licet forte de connotato importet significationem, quia sacramentum est tale subiectum habens significationem. Sequitur Caspensis disp. 1. sectione 3. n. 46. Coninch, & Fillutius, quos refert, & sequitur Bonacina disp. 1. q. 2. puncto 1. n. 1.

8 Eadem fuit sententia Scoti in 4. dist. 3. q. 1. in fine, & dist. 8. q. 1. & 2. & dist. 14. q. 4. docentis quinque sacramenta importare in recto coniunctum ex rebus, & verbis. Ceterum de Pœnitentia asserit, quod solam absolutiuenem importat in recto: & quod Eucharistia solas importat species consecratas, seu coniunctum è Christo, & speciebus. Et quoad Eucharistiã eū sequuntur Vazquez num. 39. & Marati disp. 2. sect. 8. & 9. Et quoad Pœnitentiã, & Eucharistiã, Scotum sequitur Bernal disp. 4. sect. 2. & 3. Quamuis Vazquez à numero 31. vsque 35. contendat a-

liam esse mentem Scoti, vt Suarez impugnet.

§. 2.

§. II.

Supponit absolute pro materia connotando formam.

9 Nihilominus asserunt alij sacramenta supponere pro materia, formam vero importari in obliquo, seu de connotato; quamuis essentialiter requiratur ad sacramentum componendum, seu constituendum. Ita Paludanus in 4. dist. 1. q. 2. articulo 4. Soto dist. 1. q. 1. articulo 1. in fine, & articulo 6. & dist. 3. q. vnica articulo 1. ad 3. & dist. 14. q. 1. articulo 1. §. 1. igitur congruentius. Et dist. 8. q. vnica articulo 1. in fine. Nuño q. 60. articulo 2. dubio 1. conc. 1. & ad 4. & articulo 6. diff. 2. Araujo articulo 8. dub. 3. ad 3. Serra articulo 1. ad 1. & ad 4. & articulo 6. dubio vnico rat. 2. Ruyz articulo 6. dub. 2. ad 1. Granados controu. 3. de Sacramentis in genere tract. 1. disp. 6. per totam. Fuitque sententia Richardi in 4. dist. 1. articulo 1. quæst. 4. ad 1. & dist. 3. articulo 1. q. 1. ad 2. Imo, & Hugonis de S. Victore libro 2. de Sacramentis par. 6. cap. 2. & Magistri in 4. dist. 3. Estque expressa S. Th. in 4. dist. 3. q. 1. articulo 1. q. 1. ad 3. & dist. 1. q. 1. articulo 1. q. 5. ad 1. verbis relatis dub. 1. n. 14. & dub. 2. n. 40.

10 Probaturque primo, nam communis modus formandi veras propositiones de sacramentis satis indicat sacramenta conuulter supponere pro materia. Non enim alio sensu hæc est vera, & propria predicatio: *Baptismus est ablutio facta sub forma verborum prescripta*. Est enim definitio Baptismi tradita à Magistro, & à Theologis recepta, in 4. dist. 3. Similiter dicitur, quod *Communiatio est vnctio: & Eucharistia sunt species consecratæ, &c.* Quæ predicationes essent falsæ, si sequerentur regulas partium compositi substantialis: hæc enim est falsæ: *Homo est anima*: eo quod anima non dicit totam quidditatem hominis, qui constat corpore, & anima. Ergo ideo prædictæ loquutiones sunt veræ, quia sacramenta conuulter supponunt pro materia proxima. Vnde S. Aug. tract. 15. in Ioan. dicit, quod Baptismus est tinctio in aqua.

11 Altera ratio S. Th. est: nam artificialia ponuntur in genere simpliciter ex materia: domus enim absolute est in genere substantiæ. Quia in eis tota substantia est materia; vnde dicimus, quod *pinna est aurum*; & ita dicitur æs, vel lignum: sed sacramentorum compositio assimilatur compositioni entium artificialium: ergo supponunt pro materia, & connotat formam;

iuxta communem Regulam Dialecticorum, quam ex Petro Hispano tradit Soto lib. 1. Dialect. c. 7.

12 Tertia ratio etiam D. Tho. est: nã sacramentum est nomen concretum: concreta autem accidentium supponere pro materia connotando formam, constat ex eo, quod materia ponitur loco generis; vnde Philoloph. 7. metaph. textu 4. ait: *Quod simum est nasus curuus*: de quo S. Th. ibi lect. 1. & 4. & de sensu, & sensato lect. 6. & 1. 2. q. 5. 2. articulo 2. ad 3. & alijs locis relatis lib. 1. Logica q. 18. nu. 5. Ergo & Sacramenta pro materia supponunt; ideoque rectè per illam diffiniuntur ponendo eam loco generis.

13 Quarto, exempla in contrarium allata contra ipsos retorquentur: quia vna imago dicitur, quæ vna tabula, & materia constat, quamuis in ea sint sculptæ, vel depictæ plures personæ; sicut si in tabula pingatur vnus exercitus, dicitur vna imago; & cum pingitur historia ad quam necesse est pingere diueras personas, est vna imago: sicut cū pingitur historia delatæ imaginis S. Dominici in Soriano, quamuis pingatur Coelorum Regina imaginem deferens, & Sanctissima Magdalena, & Sancta Catherina virgo, & Martyr eam comitantes, & S. Pater Dominicus, à quo imaginis sumitur denominatio, imago dicitur vna: ergo ex materia sumitur vnitas, & pro ea ita supponitur quæ nomen. Propriissime etiam dicimus, quod calix est aurum, vel argentum, vt notat S. Th. & ex vltimo modo loquendi constat.

14 Denique, compositio ex rebus, & verbis est notior, quam compositio ex toto coniuncto, & forma totali: quia hæc compositio non nisi à Theologis, & longo discursu colligitur: illa vero vt facilius, & se sibiior omnibus fidelibus credenda proponitur à Pontifice in vniuersali Concilio. Ergo si contrarij admittunt, quod in artificialibus suppositio sit pro materia, cū materia totalis non facile agnoscatur vt fundans formam totalem, absoluta, & vltimior suppositio est pro materia quæ est substantia primæ compositionis. Quamuis autem verba non adiaceant rebus in se physico; adiacent tamèn in esse signi determinando rerum significationem; & ita connotantur vt quo, & non vt quod, & vt pro quo fit suppositio.

§. 3.

§. III.

Significat compositum, & formam
totalem.

15 **H**æc secunda sententia mihi videtur, & expressa S. Thomæ, & omnino vera. Cæterum argumenta primæ aliquid videntur probare, quod simul potest esse verum cum nostra sententia. Pro quo supponendum cum Soto in Logica quæst. de genere art. 1. conc. 2. quod concreta significant formam, supponunt pro subiecto. Quod nos late ibi explicuimus lib. 1. q. 18. §. 4. Vnde in concretis non est idem formale, & directe significatum, ac illud pro quo supponitur. Ideoque Granados hic disp. 6. n. 4. ait, quod non accipitur hic suppositionis nomen prout præcisè dicit acceptatione termini pro suo significato: sed prout dicit id, cuius habetur præcipua ratio in modis loquendi, & in prædicatis, quæ de re aliqua dicuntur. Vnde licet aliquid significet albedinè, dicitur supponi pro subiecto, quatenus illud est, cuius habetur præcipua ratio, & cui attribuntur pleraque prædicata; licet ratione albedinis non coequantur. Ita ergo licet sacramentum dicat materiam, & formam, supponitur pro materia.

16 Concedimus ergo sacramentum significare materiam, & formam. Imò formaliter, & reduplicatiuè sumptâ, importare formaliter relationem, seu significationem; & quod formaliter res non intrat compositionem sacramenti, nisi ut determinantur per verba, seu formam, & ita hanc formaliter significari. Quod ultra fundamenta primæ sententiæ, ulterius probatur. In primis ex D. Thoma in 4. dist. 3. q. 1. art. 1. q. 1. ad 3. docente, quod baptismus in quantum sacramentum est in genere relationis. Quod falsum esset, si sacramentum formaliter non importaret relationem.

17 Deinde Quodlib. 1. ar. 6. ad 3. expresse docet, quod omnia artificialia ponuntur dupliciter in genere, vel specie, quia vel per materiam suam, vel per formam suam. Et hac via concordat quandam doctrinam Philosophi, quæ videtur contraria D. August. qui docet, quod si statua reficiatur ex eodem ære, quod sit eadem numero: & tamè Philosophus dixerat esse diuersam numero. Et S. Thom. distinctione prædicta concordat, subiungens, Dico ergo, quod si consideratur statua, prout ponitur in genere, vel specie per materiam suam, sic reficitur eadè sta-

tua. Si verò consideretur prout ponitur in genere, vel specie per formam: sic dico, quod non reficitur eadem, sed alia: quia alia est forma huius, & alia illius. Stat ergo, quod artificialia ponantur in genere per formam, & quod ut sic significantur. Sic autem significata, non possunt non pro formali importare suum genus, & differentiam: ac per consequens directe significant formas, quibus species constituitur.

18 Tertio probatur: nam si loquamur de re formaliter significata, concreta eadem formam significant, ac eorum abstracta: iuxta illud Philos. cap. 1. de Prædic. Nomen albi, nisi qualitatem, nihil significat. Quæ esse doctrinam S. Thomæ, Doctorum communem, & veram, ostendimus lib. 1. Logica q. 15. nu. 14. Sed abstractè considerando, non est essentialiter completum sacramentum sine verbis: nec est constitutum vltimate sacramentum sine forma totali, quam sacramentalitatem vocant: ergo etiam concrete significando, istæ formæ formaliter significantur. Quamuis modò significandi in concreto exigat, quod suppositio sit pro subiecto formæ vtriusque.

19 Denique probatur, quia ostendimus lib. 1. Logica q. 18. §. 2. quod concretum accidentale potest diffiniri dupliciter: & diffinitione physica, in qua subiectum, seu materia collocetur ut genus: & diffinitione metaphysica assignando rationem genericam, & differentialem. Quæ doctrinam communiter Theologi ad præxim reducunt in sacramentis, aliquando ea diffinientes diffinitione quasi physica, constituendo materiam loco generis, & aliquando diffinendo diffinitione quasi metaphysica constituendo verum genus, & veram differentiam, ut iam notatum est dub. 6. nu. 5. diffinendo sacramentum in communi: & magis patebit ex diffinitione singulorum in particulari. De quo Soto in 4. dist. 3. q. unica art. 1. ad 4. & Serra q. 66. art. 1. ad 1. Sed diffinitio explicat directum, & formale significatum vocum, quia explicat quidditatem rerum, ad quas significandas proprijs nominibus utimur: ergo cum in diffinitione metaphysica sacramenti intret relatio signi, quæ est forma significationis, negari nequit, quod forma formaliter significetur, & quod loquendo reduplicatiuè, quandoque pro illo supponat.

20 Quod autem per hanc doctrinam nihil minuatur veritatis, & proprietatis vlti-

§. I.

Est de fide esse iure diuino determinata.

1 **I**n hoc puncto, & antiqui, & recentiores hæretici errarunt; licet diuersimode. Nam Lutherus in lib. de captiuitate babilonica, cap. de baptismo, asseruit Baptismum validum esse quocumque modo tradatur; dummodo non in nomine hominis, sed in nomine Domini fiat. Imo etiam si minister non baptizet in nomine Domini, dummodo baptizatus in nomine Domini recipiat, concedit valere baptismi sacramentum. Idem sequuti sunt Brentius, & Zuiniglius. De Luthero autem refertur istum errorem retraxisse in hom. de baptismo.

2 Quidam antiqui hæretici dicti Pauliciani docuerunt Eucharistiam in solis verbis consistere; & Christum Dominum non determinasse panem, & vinum consecrandum. Idèque dicebatur de baptismo, quod ad illum res determinata non exigebatur. Alia sacramenta, vel non admittebant, vel forte ad illa res determinatas non exigebant. Quod sumitur ex Euthimio in Pauplia parte 2. tit. 2. in principio.

3 Denique alij hæretici contendunt verba sacramentorum non esse consecratoria, sed concionatoria. Ita Calvinus libro quarto Institut. capite 14. §. 4. & alij, quos late confutat Bellarminus tomo. 3. lib. 1. de sacramentis à cap. 19. vsque ad 21. Valentia hic disput. 3. q. 1. puncto 2. Lugo disp. 2. sec. 4. & alij.

4 Dico primo, in sacramentis iure diuino requiritur determinata forma verborum. Vt notat Soto in 4. dist. 1. q. 1. art. 7. conclusio de fide catholica est tenenda: colligitur enim ex Sacra pagina: & in Concilio Florentino tanquam sacra veritas proponitur. Probat S. Thomas art. 7. nam Dominus determinata verba protulit in consecratione sacramenti Eucharistiæ, dicens Mathæi 26. Hoc est corpus meum. Similiter etiam mandauit discipulis, ut sub determinata forma verborum baptizarent, dicens Mathæi vltimo. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Ergo de iure diuino est, quod requiritur determinata forma verborum.

5 Dices ex his auctoritatibus solum haberi iure diuino esse determinatam formam Eucharistiæ, & Baptismi; non vero ex his auctoritatibus deduci eodem iure diuino esse determinatas formas aliorum sacramentorum.

E Respon

vltimæ sententiæ, quam diximus esse D. Tho. probarur, & explicatur primo ex dictis, quia suppositio non tam attendit re significatam, sed præcipuè dicit id, cuius habetur præcipua ratio in modis loquendi, & ratione cuius prædicata verificatur. Cum autem concreta accidentium re vera consent ex materia de genere substantiæ, & forma de genere accidentis: cum substantia sit ens simpliciter, & accidens sit ens secundum quid, præcipua ratio, & simpliciter suppositio est pro substantia. Vnde dicitur, quod album est substantia, & componitur ex materia, & forma, & dicimus, quod album est calidum: quæ propositiones non verificantur ratione formæ accidentalis. Quod à fortiori verificatur in formis artificialibus, quæ nil aliud sunt quam compositio, ordo, & figura, ut ex Philosopho primo Physicorum docet Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 96. artic. 2. ad secundum; & nos explicuimus secundum Physicorum quæst. 4. num. 21. & num. 23. diximus supponere pro subiecto connotando formas. Pariter ergo de sacramentis est dicendum.

21 Denique probatur: nam in suppositione, & verificatione rigorosa propositionum potius attenditur ad modum significandi, quam ad rem significatam, quia ex diuerso modo significandi propositiones variantur. Sed ut cum Diuo Thoma, Caietano, & alijs diximus lib. 1. Logica q. 18. n. 25. concreta attento modo significandi important in recto subiectum, & in obliquo formam; ideoque quamuis genus apud Logicos sit formaliter secunda intentio, tamen supponit pro natura, & diffinitur; genus est id, quod prædicatur. Cum ergo in compositione quasi physica sensibili notiori nobis, materia, seu res sunt subiectum, cum sacramentum diffinitur, materia proxima ex modo significandi importatur in recto, & forma in obliquo. Quamuis attenda re significata, & considerando quod materia, & forma tam partialis, quæ totalis sunt de essentia sacramenti, in pluribus propositionibus sacramentum in recto importet, vel vtramque partem, vel formaliter formam: & sic argumenta cessant.

DVBIUM XII.

Vtrum in sacramentis requirantur determinata verba?

6 Respondet Soto art. 7. concl. 2. quod non omnium sacramentorum forma eodem gradu explicita sunt à Christo. Imo in triplici sunt ordine. Quædam enim sunt in Euangelio expresse, ut forma baptismi, & forma consecrationis. Aliæ vero sunt, quæ ex Euangelio facile depromuntur, & per Apostolorum traditionem Ecclesia habet tanquam de fide receptissimas: ut patet de forma Sacramenti Poenitentia: *Ego te absoluo*, quæ colligitur ex illo Math. 16. *Quodcumque salueris super terram, erit solutum & in cælis*. Extant enim in Ecclesia Christi documenta complura verbotenus ab Apostolis edocta secundum illud 2. ad Thim. 2. *Servate traditiones, quas accepistis, siue per epistolas, siue per sermonem*, hoc est, citra scripturam. Et 1. ad Cor. 1. *Cetera, cùm venero, disponam*. Quæ tamen dispositio nusquam in sacris Biblijs legitur. Formæ autem sacramentorum non sunt ab Apostolis instituta, sed ab ore Christi accepta, & Ecclesiæ promulgata, ut de extrema unctione docet Concilium Trid. sess. 14. c. 1. *A Christo Domino nostro apud Marcum cap. 6. unguentum, per Iacobum fratrem Apostolum, ac Domini Fratrem, Fidelibus commendatum, ac promulgatum*, Iacobi 5. *Quod & diffinit can. 1. Idemque est de forma Confirmationis, & Ordinis. In tertio ordine est forma sacramenti matrimonij. Haud enim explicitiorem Christus tradidit, quam quæ iuxta naturæ conjugalem assensum exprimitur sufficit, quibuscumque id verbis, aut ritibus fiat. Ratione congruentiæ Soto assignat, quia Baptismus, Eucharistia, & Poenitentia omni populo simpliciter sunt necessaria, & Poenitentia peccatoribus. Quare illorum formæ ipsissimis verbis explicatae sunt à Christo. At quoniam Confirmatio, & Ordo, & Extrema unctio non sunt sacramenta usque adeo necessaria, non existunt eorum formæ tam perspicue ab ore Christi in Euangelio prolatae. Apollonius nihilominus ab illo audientes, illas docuerunt Ecclesiam.*

7 Ratio S. Thomæ sumitur ex dictis art. 5. quæ nos explicuimus dub. 8. nam in sacramentis requiruntur res sensibiles, quæ se habent in sacramentis sicut materia. Quam determinare solum pertinet ad Deum sacramentorum institutorem (de quo verberius quæst. 64. art. 2. & 4.) Ergo multo magis requiritur in eis determinata forma verborum. Probatur consequentia, quia principaliter requiritur ad esse rei determinata forma, quam determinata ma-

teria: materia enim determinata requiritur, ut sit proportionata determinatæ formæ. Quia in omnibus compositis ex materia, & forma principium determinationis est ex parte formæ, quæ est quodammodo finis, & terminus materiæ. Sed sæpe dictum est, quod in sacramentis verba se habent per modum formæ, res autem sensibiles per modum materiæ: ergo multo magis requiritur in eis determinata forma verborum, quam exigatur determinata materia.

§. II.

Quam determinationem habent?

8 **A**duertit autem S. Thomas ad 1. quod non requiruntur determinata verba determinatione materiali, & secundum exteriorem sonum vocis: alioquin non essent valida sacramenta, quæ perficerentur verbis illius linguæ, qua Christus ea instituit. Sed exiguntur determinata formaliter quoad sensum verborum, qui fide tenetur. Et hic quidem sensus est idem apud omnes, licet non eadem voces sint quantum ad sonum. Et ideo cuiuscumque linguæ verbis proferatur talis sensus, perficitur sacramentum.

9 Dices, ergo licitum erit perficere sacramenta lingua vulgari, vel partim in vna lingua, partim in alia. Quod tamen est contra Ecclesiæ consuetudinem. Respondetur, quod absque dubio si verba in sensu æquivalent, sacramentum est validum. Sed tamen in administratione sacramentorum tenentur seruare leges, & consuetudinem Ecclesiæ, & ideo ex hac parte incurritur peccatum proferendo formam in vulgari lingua. Vnde S. Thomas in 4. dist. 3. q. 1. art. 2. q. 2. ait. *Si aliquis pertinet ad formam ex determinatione Ecclesiæ, si illud mutatur, nihilominus est sacramentum, sed culpa incurritur*. Et Caiet. art. 7. ad 2. inter alia ait. *Sed sunt voces illæ, quibus Ecclesia utitur, de necessitate præcepti Ecclesiæ: ideo peccaret quisquis aduertieter uteretur alijs vocibus ab illis, quibus Ecclesia consuevit uti*. Quia ergo Ecclesia consuevit apud Latinos non ministrare sacramenta in lingua vulgari, absque dubio ex genere suo grauius, imò & moraliter peccaret, qui in lingua vulgari formam proferret, ut frequenter Authores docent.

10 Duos casus excipit cum alijs Serrator. 7. §. *Hinc sequitur, nempe excepto Matrimonio*

erimonio, quod verbis linguæ propriæ in qualibet Prouincia conficitur, quia contractantes, qui illud cōficiunt, regulariter linguam latinam ignorant. Excepto etiam Sacramento Baptismi, quando urgente necessitate conficitur à femina, aut viro laico nesciente loqui nisi lingua vulgari.

11 Possit etiam excipi in Hispania sacramentum Poenitentia: nam absolutio à peccatis reseruat, quæ confertur virtute Bullæ Cruciatæ, solet conferri lingua vulgari, quia sic habetur in sumuario Bullæ: & consuetudo hoc licitum facit, & propter eam cessat etiã scandalum, quod esset, si publice alia sacramenta administrarentur lingua vulgari: cum tamen nec Bibliam sacram in linguam transferri vulgarem Ecclesiæ leges permittant: de quibus Bellarmius lib. 2. de verbo Dei cap. 15. & 16. Lorca lib. 1. de locis disp. 12. & Soto in 4. dist. 15. q. 1. art. 2. §. *Non ergo*. Et eruditissime Grauius to. 2. lib. 4. Cathol. Prælerip. controu. 11. à fol. 407. vlt. q. 4. 18.

12 Sed obijcies: nam verba requiruntur in sacramentis in quantum sunt principaliter significatiua, ut sæpe dictum est. Sed contingit per diuersa verba idem significari: ergo non requiruntur determinata verba in sacramentis: sed sufficiunt æquivalentia in sensu quæcumque sint illa.

Respondet S. Thomas art. 7. ad 2. quod licet in qualibet lingua contingat diuersis vocibus idem significari, semper tamen aliqua illarum vocum est quæ principaliter, & communius homines illius linguæ utuntur ad hoc significandum, & talis vox assumi debet in significatione sacramenti. Sicut etiam inter res sensibiles illa assumitur ad significationem sacramenti, cuius usus est communior ad actum, per quem sacramenti effectus significatur: Sicut aqua communius utuntur homines ad ablutionem corporalem, per quam spiritualis ablutio significatur: ideo aqua assumitur ut materia in baptismo.

13 Sed instabis: Nam in forma baptismi dicitur: *Ego te baptizo*: Sed baptizare latina lingua, neque principaliter, neque communiter significat abluere: vnde si quis diceret alteri, baptiza hoc ludariolū, aut non, aut vix intelligeretur: ergo non debent assumi in formis sacramentorum illa verba, quibus principaliter, & communius homines illius linguæ utuntur ad hoc significandum.

Secundo nam in forma consecrationis sanguinis Christi, qua utitur Ecclesia Latina, dicitur: *Hic est calix sanguinis*. Vbi aut

metaphorice sumitur calix, aut ponitur continens pro contento: iuxta S. Thomam q. 78. art. 3. ad 1. Ac per hoc ex vi verborum sectando propriam significationem, non significatur conuersio vini in sanguinem, sed in calicem: quod est ridiculum: ergo non oportet in sacramentis uti vocibus in communi, & propria significatione.

Tertio, nec videtur paritas de materia baptismi, quæ explicat S. Thomas determinationem requisitam in verbis, esse apta ad intentum; quia nimium videtur probare: siquidem aqua non solum est necessaria, quia præcepta, sed quia sine illa non est validum sacramentum; quia aqua communiter utuntur homines ad ablutionem corporalem. Vnde nec in aqua rosea, nec in vino valet, quamuis illis possit fieri ablutio corporalis aliquando. Et similiter quamuis aliqui comedant panes ordeaceos, non est valida consecratio nisi in pane triticeo; quia iste communiter est cibus humanus. Ergo si arguere licet ex determinatione materiæ ad determinationem formæ, eo ipso quod in sacramentis non utamur vocibus communibus, invalidum erit sacramentum; quamuis verba æquivalentia quoad sensum verborum apponantur.

14 Ad primum respondet Caietanus art. 7. ad 2. quod ex parte debiti usus verborum, necesse est ad tantum mysterium non nisi principalia, communioraque assumere verba. Et ex hac parte proculdubio dicere deberemus: *Ego te abluo*. Cum hac tamen doctrina stat, quod oppositum fiat vel ex accommodatione vltus, vel quia sacramenti forma non urget ad hoc. Quia igitur accommodauit Ecclesiæ Latina vltus vocabulum hoc baptizo, ad significandum actum abluendi, qui in sacramento fit, illo utendum est. Vnde & mulieres in vulgari baptizantes, dicunt: *Yo te baptizo*. Prouidentia enim diuina hinc Ecclesiam suam doctam esse voluit, quod quocumque verbo accommodato ab usu ad significandum, illud utamur (etiã si alterius sit idiomatis) sacramentum perficitur. Ita quod nec mixtio idiomatum in eadem numero forma sacramenti, tollit perfectionem sacramenti. Ex quo infert posse quæ absoluendo Episcopum, vel Principem honoris consueti gratia dicere: *absoluo vos*: vel *absoluo dominationem vestram*. Pro regula enim generali habendum est, quod quando oratio habet perfectam significationem ex accommodatione vltus in cæteris locutionibus, sufficit ad sacramenti

perfectiōnem similis oratio applicata ad materiam sacramenti. Et ratio est, quia operatio spiritualis in sacramentis sequitur significationem perfectam orationis sacramentalis: ac per hoc ubi oratio habet suam significationem perfectam, sacramentum perficitur. Constat autem, quod oratio, quæ in qualibet materia communiter habet suam significationem perfectam, nō perdit perfectiōnem suam significationis ex hoc quod applicatur ad materiam sacramentalem. Igitur sicut sufficit oratio illa perfecta in alijs, ita & in sacramentis. Hæc Caietanus.

15 Cuius solutionem nimis acriter impugnat Soto: Sed festinanter Caietanum legit, in quo ego non reperio id quod Soto ei tribuit, quod censeret Ecclesiam vsum, aut quod dicat consultius fuisse non introducere verba Græca sacramentorum in Ecclesiam Latinam. Id enim nullum verbū Caietani insinuat. Sed solum supposito, quod verbum *baptizo*, ex se non sit Latinum; quod verisimum est; & supposito, quod non sit verbum, quo communius videntur Latini: quod etiam verisimum est, & experientia constat: docuit quomodo id non opponatur doctrinæ S. Tho. ad 2. quia accommodatio vsus dat vocibus proprietatem.

16 Placent tamen rationes, quas assignat Soto art. 7. ad 2. propter quas Ecclesia Latina verbum retinuit Græcum in forma baptismi: eo quod primum Biblia in Græcum, quod vniuersalius idioma tunc erat, traducta sunt. Imo Apostoli eodem vsu censentur. Postulabat namque maiestas sacramenti Baptismi, quo professio fit, re generatioque in Christo, vt eodem verbo nationes omnes Christianæ vterentur, vt vel per hoc vnitas fidei in Christiana vniuersitate splenderet. Alias duas subiungit congruentias. Et aduertit quod ipsum verbum *Baptizo* seruauit Interpres Vulgatus Iud. 12. *Baptizabat se in fonte.* Et Eccles. 34. *Qui baptizatur à mortuo; quid proficit eius lauatio?* Et in nouo testamento frequētissima est huius vocis vsurpatio.

17 Addit Soto art. 8. §. *Percontetur*, quod si quis apud se ipsum imponeret nomina idem significantia, quod forma Ecclesie, vt si consecraret per cistras H. E. C. M. substantiam eneruaret sacramenti. Haud enim satis est verba ipsi ministro significare; sed habere debet toleminem significatiū vlti lingue apud omnes. Quare, si ille apud plebem posset imponere voces idem sig-

nificantes quod: *Ego te baptizo*, &c. Verè baptizaret per illa.

18 Ad secundum respondet Caietanus quod quia sacramenti forma non vrgit ad principaliter, & communiter consueta verba, si quis ex huiusmodi libertate vteretur alijs verbis (puta dicendo, *Ego te abluo in nomine Patris*, &c. Aut in sacramento Eucharistie: *Isud est corpus*, &c.) perfecta essent sacramenta: non enim de necessitate sacramenti sunt illæ voces, quibus communiter Ecclesia vtitur; sed illæ, vel aliæ loco illarum, idem significantes quod illæ. Sic enim intelligendum est determinatam exigere formam ad sacramenta. Quamuis (vt diximus n. 9.) sint illæ voces quibus Ecclesia vtitur, de necessitate præcepti Ecclesie: ideoque peccaret quisquis aduertenter vteretur alijs vocibus ab illis quibus Ecclesia sua consuevit vti in sacramentis.

19 Ad tertium responderetur, quod vt obseruat Nuño art. 8. §. *Quarto notandum*, intercedit differentia inter res, & verba: nam res sūt eadem apud omnes nationes eadem aqua, idem panis: & sola est variatio individualis, & accidentalis: ideoque res magis sūt determinatæ à Christo, quàm sint determinata verba. Nā ista quoad solum non sunt eadem apud omnes nationes, nisi ratione significationis: quæ est significatio ad placitum: & ideo determinatio verborum quoad impositionem significationis pendet à Republica, vel à consuetudine, quæ habet vim legis: qua determinatione supposita, Ecclesia, vel præcepto scripto, vel legitima consuetudine obligat vti verbis formaliter à Christo institutis, materialiter verò ab ipsa determinatis quoad accidentalia huius, vel illius idiomatis.

§. III.

Sunt verba consecratoria, & efficientia.

20 Dico secundo, verba concionatoria præexigi solent ad baptismum adultorum per modum instructionis, seu catechismi; & commitari solent vsus aliorum sacramentorum vt deuotius recipiantur: illa tamen verba, quæ sunt de substantia sacramentorum, seu eorum formæ, sunt consecratoria, seu virtute diuina facientia, quod significant.

Prior pars probatur in primis ex illo Math. vlt. *Docete omnes gentes, baptizantes eos.* Vt enim debito modo conferatur baptismus, prius oportet catechizare, & instruere

fituere baptizandum. Et ita exponit ibi S. Hieronimus. Quod autem non loquatur Christus de instructione, quæ sit forma baptismi, patet ex illis verbis: *Docentes eos seruare omnia quaecumque mandauit vobis*: alioquin vt validum esset sacramentum deberet præmitti concio de explicatione omnium præceptorum. Solum ergo exigitur quod de omnibus suo tēpore instruantur.

21 Præterea idem constat, quia concione admonentur fideles de mysterijs sacramentorum, & de debita præparatione ad ea recipienda. Conciliumque Tridentinum sel. 22. cap. 8. præcipit, quod *Missæ mysteria populo interpretentur, ne oves Christi esuriant, neque paruuli panem petant, & non sit qui frangat eis.*

22 Secunda & præcipua pars probatur. Primo ex illo 1. ad Cor. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus* (idest, inquit S. Thomas lec. 4. quem nos sacerdotes consecramus) *nonne communicatio sanguinis Christi est?* Faciens nos vnū cum ipso. Ideoque S. August. lib. 20. contra Faust. cap. 13. ait: *Noster panis, & calix certa consecratione mysticus fit nobis.* Aliorum Patrum verba referunt Anthores relati n. 3. ¶ Secundo probatur: nam infantibus confertur baptismus, qui concionem non intelligunt. Et in casu necessitatis baptizat mulier, quæ idonea non est ad concionandum, præcipiente Apostolo, quod *mulier in Ecclesia taceat.*

23 Præterea, si nomine verbi concionatorij solum intelligunt, quod verba formarum debent habere suas significationes mysterijs plenas, quas oporteret exponi omnibus capacibus mysteria percipiendi, solum in verbis à Catholicis distinguuntur, qui dicunt verba operari in sacramentis, non secundum exteriorē sonum vocis, sed secundum sensum. Et sic autoritatē S. August. quam obijciunt hæretici, exponit S. Thomas hoc art. 7. ad 1. Ideoque sacramentis à Deo nō confertur actualis virtus vsque dum significatio verborum sit completa, & perfecta.

Si vero intendant hæretici integram concionem ita esse necessariam ad sacramentum, quod sine illa non confertur valide; in primis iam sibi non constant; quia retorqueri potest contra illos suum argumentum: nam videtur species Magiæ, & superstitionis dari infallibilem effectum gratiæ ad humanæ invocationis, vel doctrine præsentiam. Oporteretque vt ostenderent vnde sibi constaret Deum hoc ita instituisse. Rursus, si Deus potuit conferre

illam virtutem concioni, etiam potuit conferre paucissimis verbis: siquidem verba non virtute sibi natia, sed virtute diuinitus specialiter comunicata operantur: & ex beneplacito Dei libero est vti isto, vel illo instrumento. ¶ Si denique dicant nulla verba esse de necessitate sacramentorum; quamuis ex decencia concurrant ad plebē instruendam: hoc est reiectum conclusionē prima, vt contrarium Scripturæ, concilij, & Patribus, & perpetuæ Ecclesie traditioni.

24 Autoritatem S. Augustini ex trac. 80. in Ioan. declarat S. Thom. ad 1. & latius Bellarm. & Lugo n. 77. & 78. Constat enim S. Augustinum docuisse sola verba formæ, quibus baptizamus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, esse essentialia, & illis consecrari baptismum, vt patet lib. 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 13. & lib. 19. contra Faustum cap. 16. vt retulimus dub. 10. n. 1. Baptismumque ab infideli collatum docet posse esse validum epist. 23. ad Bonifacium: vnde non requiritur essentialiter concio fidelis vt valeat baptismus. Docet etiam paruulos valide baptizari, & actum fidei non exercere, neque vsus rationis exercere pro tunc; alioquin baptismum non recusarent, vt arguit epist. 57. Illo ergo trac. 80. intendens explicare efficaciam verbi diuini ad purificandum, & mundandum hominem, id probat ex efficacia verborum sacramentalium, & ex virtute concionis, seu exhortationis. Ex quo non inferitur, quod eodem modo efficacia insit vtrique: nā verbis sacramentalibus inest efficacia ex opere operato: verbis autem exhortatorijs tantum inest efficacia moralis, & ex opere operantis excitans fidem, & deuotionem.

DVBIVM XIII.

Vtrum Christus Dominus aliquorum sacramentorum materias, & formas Ecclesie determinandas reliquerit?

§. I.

Opinio affirmatiua refertur.

1 Sententiæ affirmatiuæ multi fauent, sicut nō vna via id defendat. Et quia questio grauissima est, oportet præcipuos dicendi modos fideliter, & diligenter referre. In primis hoc necessario tenentur affirmare, qui dixerunt aliqua sacramenta non esse immediata à Christo instituta.

Ita Magister, Altiſiodorēſis, & Alenſis, & S. Bonauentura, referendū infra quæſt. 64. dub. 2. Et quod mirum eſt, adhuc poſt Cōcilium Tridentinum, id eſſe probabile dicunt, Decanus Louaniēſis Ruardus Tapper art. 1. §. Potuiſſe tamen. Et Guillelmus Eſtius in 4. diſt. 1. §. 16. ver. *Hiſ aſſentiri.*

2 Secundo fauent Innocentius 4. in cap. *Presbyter*, de ſacramentis non iterandis: vbi dicit tempore Apoſtolorum non fuiſſe aliam formam in ordinatione miniſtrorum, niſi manuum impoſitionem: & ſubdit. *Vnde credimus, quod niſi eſſent formæ poſtea inuenta, ſufficeret ordinatori dicere: Siſ Sacerdos, vel alia equipollentia verba: ſed ſubſequentibus temporibus formas, quæ ſeruantur, Eccleſia ordinauit.* Hæc ibi. Et Hoſtienſis, Abbas, & Ioannes Andreas, & alij ibidē. Foelinus in cap. *Quæ in Eccleſiarum*. n. 26. Rebufus in Praxi beneficiorum p. 1. tit. de Clericis, à quibus creantur. n. 9. Iacobatius libro 4. de Cōcilijs q. 4. & alij, quos refert, & ſequitur Gigas de Penſionibus q. 8. n. 3. & alij docentes formam Baptiſmi Græcorum non ſufficere ad validum ſacramentū Latinorum; nec è contra. Et ſimiliter panem azimū ita eſſe neceſſarium Latinis, quod ſi in fermentato velint conſecrare, vt Græci conſecrant, nil faciunt.

3 Tertio fauent Bellarminus to. 2. de Sacramento Ordinis cap. 9. in fine, dicens. *Credibile autem eſt Dominum inſtituiſſe iſtas omnes materias ordinum, non quidem in particulari, ſed generatim monēdo Apoſtolos, vt Ordines conſerrent per ceremoniam inſtrumentorum, quibus ſignificaretur eorū poteſtas.* Quod & ſequuntur Coninch de Sacram. Ordinis diſp. 20. dub. 7. n. 65. Laymā cap. 5. aſſert. 3. Bonacina de Ordine q. vnica punc. 3. n. 4. Caſtrus Palaus to. 4. trac. 27. diſp. vnica pūcto 4. n. 11. Bernal de Sacramētis diſp. 3. ſec. 2. §. 1. n. 43. & diſp. 47. ſec. 1. n. 2. Fauctque Trullench lib. 6. praxis cap. vnico dub. 2. n. 9.

4 Quarto magis explicite ſententiā affirmatiuam tenent, qui docent Chriſtū Dominum nō determinariſſe in indiuiduo materiam, & formam ſacramenti ordinis materialiter ſumptas; ſed ſolum voluiſſe, quod conferretur ordo per aliquod ſignū ſenſibile ſignificatiuum poteſtatis, quæ traditur, & per verba hoc iplum exprimentia. Vidētur aliqui moderni gloriari, quod ipſi hanc ſententiā inuenerint; cum tamen iam diu fuerit tradita à Decano Louaniēſi Ruardo Tapper art. 17. cōtra Lutherum. Et à noſtro Venerabili Magiſtro

Fr. Petro de Soto (quem ſic appellat Hoſius: & Grauiſina infra referendus, vocat in ſignem Magiſtrum, ac fere ſecundum Angliæ Auguſtinum, vt patet fol. 157.) in inſtitut. Sacerdotum, de ſacramento Ordinis ſec. 4. fol. 398. dicendo. *Vbi de modo tradendi hanc poteſtatem ordinum non eſt certum aliquod inſtitutum à Chriſto, poteſt Eccleſia conſtituere, quibus vel verbis, vel actibus, vel ſignis alijs in euſmodi traditione vtēdū ſit. Quod alia ratione non eſt opus nunc probare; cum ſit hoc à Chriſto cōmiſſum Eccleſiæ.* De quo egerat de ſacramentis in genere ſec. 6. & 7. Quos ſequuntur Petrus Arcudius de Concordia Eccleſiæ occidentalis lib. 6. cap. 4. §. *Eſt autem duplex.* Lugo diſp. 2. de Sacramētis ſec. 5. à n. 85. vique 103. Quia ſic facile conciliantur ritus conſecrandi miniſtros Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ. Diana p. 6. trac. 8. reſolut. 18. referens Ioannem Præpoſitum, & Fornarium. Parte octaua tractatu primo reſolutione 42. referens Amicum, Petrum à Sancto Joſeph, & Fræciſcum Lugo. Et iterum Diana parte decima tract. 11. reſol. 65. refert Ioannem Dicaftillo, & Leandrum, & Martinum à S. Joſeph, & Nicolaum Yſambert, & alios iam relatos: & concludit. *Vnde patet hodie inter Theologos recentiores hanc ſententiā eſſe communem.* Tenent etiam Marchinus tract. 2. de Ordine part. 7. cap. 2. nu. 9. & p. 1. c. 1. Auerſa quæſt. 2. de ordine ſec. 1. Bernal de Sacramētis in genere diſp. 3. ſec. 3. nu. 43. & 44. & 45. & diſp. 47. ſec. 1. num. 2. Antonius Eſcobar & Mendoza lib. 8. Theologiæ Moraliſ ſec. 2. cap. 10. problemate 15. nu. 122. Denique Diana parte 12. tract. de Cōſecr. Epife. reſol. 78. citans Bernal, Franciſcum Lugo, Martinon, & Ioannem Pontium. Tenetque Angelus Maria Vericelli alios referens.

5 Fundamentum eſt, quod cum alijs proponit Lugo num. 85. Nam nunc in Eccleſia Græca, non ſolum Epifcopi Schiſmatici; ſed Catholici etiam, & qui Romæ degunt, dum Græcos Presbyteros ordinant, ſciente, & conſentiente Summo Pontifice (me præſente) non per Calicis, & Patenæ porrectionem id faciunt; ſed per manus impoſitionem ſuper caput ordinandi, dicente Epifcopo: *Diuina gratia, quæ ſemper infirma ſanat, & quæ deſunt ſupplet; creat, ſeu promouet. N. venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo.* &c.

Quem ritum ordinandi nemo iure dānare poterit; aut verifiſimiliter de illius valore

lore dubitare. Et tamen Eccleſia Latina eundem Ordinem confert per exhibitionē panis, & vini cum alijs verbis: in qua actione, & in quibus verbis creditur imprimi character, prout habetur in decreto Eugeniij Quarti ſc. citato ad Armenos, vbi aſſignatur hæc materia, & forma ordinationis Presbyteri: ergo fatendum eſt fuiſſe factam, vel fieri poſſe aliquam variationem circa materiam, & formam ſacramentorū.

6 Quod argumentum etiam fieri poteſt in ordinatione Diaconi, qui olim per ſolam manū impoſitionē ordinabatur; & nunc apud Græcos, etiam Catholicos, ita ordinatur; apud Latinos vero per traditionem libri Euangeliorum cum forma illi correfpondente, vt habetur in dicto decreto Eugeniij. Et tamen certum videtur non poſuiſſe illam Euangeliorum traditionem eſſe materiam antequam Euangelia ſcriberentur; quo tempore iam ordinabantur Diaconi, vt cōſtat de S. Stephano, & alijs.

7 Confirmatur primo, ex Gregorio 9. in cap. *Presbyter* de ſacramentis non iterandis; vbi Pontifex expreſſe dicit, *manus impoſitionem, qua ſacerdotes ordinantur, eſſe ritum ab Apoſtolis inductum:* ergo non fuit illud ſignum eſſentialiter, ſed indeterminate requiritum à Chriſto, ſed indeterminate illud, vel aliud æquiualeſ. Aliunde autem habemus nec porrectionē panis, & vini determinate requiri ex diuina inſtitutione; cum Græci abique illa porrectione ordinentur: Ergo fatendum eſt Chriſtū ſolum voluiſſe pro materia aliquod ſignū proportionatum, hoc, vel illud.

8 Confirmatur ſecundo, quia non poteſt non eſſe validus ritus ille ordinandi, quem publica Bulla Summi Pontifex approbat: at qui Summus Pontifex peculiari Bulla approbat ritum ordinandi Græcorum: ergo non poteſt ille nō eſſe validus. Minorem probat Amicus tom. 7. diſp. 2. ſec. 4. n. 3. ex Clemente Octauo, qui peculiari Bulla edita anno 1595. die 3. Auguſti, quæ incipit: *Sanctiſſimus Dominus noſter Clemens Papa Octauus*, in fine, ex ſententiā Congregationis ſuper reformatione Græcorum (verba ſūt Bullæ) *decernit, declarat, mandat, conſtituit Romæ habendum eſſe Epifcopū Græcum Catholicum, qui Græcos Epifcopis Latinis Italiæ, & Inſularum adiacentium ſubiectos, ab Epifcopo Græco ordinari volentes, cū illum dimiſſorijs, ad id tantum concedentis, ritu Græco ordinet.* Quibus verbis ſimul declarat Ordinem ritu Græco collatum eſſe

validum: alioquin tale mandatum eſſet in animarum perniciem. Sed ritus ordinandi Græcorum eſt quoad materiam, & formam diuerſus à ritu ordinandi Latinorū, vt dictū eſt; & ſe vidiffe teſtatur Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo. Ergo neuter ritus eſt per ſe determinate neceſſarius ad validitatem ſacramenti; ſed poterit ſub altero collatus eſſe validus, ſecundum quod Eccleſia determinauerit.

9 Ex quo deducit Amicus, & cum eo Diana p. 8. trac. 1. reſol. 42. Potuiſſe Eccleſiam pro varijs temporibus varias adhibere materias Sacramenti Ordinis, irritando priorem, & nouam ſtatuendo. Quod probant primo à patitate ſacramenti Matrimonij, in quo antea adhibebat quemcumque cōtractum, etiam clandestinum; poſt Concilium vero Tridentinum non adhibet, niſi publicum, clandestino irritato. Secundo id euidenter deducitur ex iactō principio: etenim, ſi penes Eccleſiam eſt materiam huius ſacramēti aſſignare, aſſumendo illam, vt ſignum expreſſiuum poteſtatis, poterit pro vno tēpore aſſignare vnam materiam pro ſigno expreſſiuo poteſtatis, pro alio vero aliam, priorem irritando. Nam cum illa in ratione ſignij formaliter ſignificantiſ pendeat ab Eccleſia, poterit pro vno tempore ſtatuere vñ ſignum expreſſiuum poteſtatis euſdem: Si cū poteſt Reſpublica pro aliquo tempore aliumere certam vocem ad ſignificandum certam rem, pro alio vero aliā, prioris voce abrogata.

§. II.

Predicta ſententiæ reſutatio ex Magiſtro Grauiſina.

10 **V**erū in re tam ardua, & difficili (verba ſunt eruditiffimi M. Fr. Domini Grauiſinæ, in Vindictijs orthodoxis pro Sacramento Ordinis aduerſus Archiepoſtaram Marcum Antonium de Dominis, diſp. 2. cap. 2. dub. 1. §. 5. (& quia quæſtio eſt grauiſſima, & diligentiffimè a tanto Magiſtro diſputata, & codices rariffimi, & pretioſiffimi ſunt, & vix in Hiſpania reperiuntur, fere omnia hoc §. tradenda ex illo tranſcribam) in materia præſertim ſacramentorum, magiſtentius Eccleſiæ præ oculis habendus eſt, quam proprium iudicium ſequendum. Debet eſſe quiſquis Orthodoxus Doctor (vt ſcripſit Tertullianus lib. de reſurrectione carnis cap. 3.) *discendi magis aſſentis, quam præſumentis, & credendi diligentior, quam contendendi, & diuina potius ſapientie religioſus, quam ſua libidinis.*

Quare ad linéas Conciliorum, & decretorum Ecclesiæ quæstiones omnes reuocanda sunt, per quas expeditius res deciduntur, quam per placita propria. Adducitque insigni loco Tertuliani lib. de anima cap. 1. concludit. *Porro non amplius inuenire licet, quam quod à Deo, & ab Ecclesia, discitur. Quod autem à Deo discitur, & ab Ecclesia, totum est.* Didicimus autem ab Ecclesia in Tridentina Synodo ses. 21. c. 2. nihil posse eam statuere circa substantiam sacramentorum, solumque ad sacramentalia se extendere: ergo ex indefinita locutione Concilij, non est faciendæ exceptio de qualitatibus, de modis, de designatione in specie: omnes enim hæc viæ, & dicendi modi in vnum compitum recidunt. Hæc ibi. Sed vt clarius procedamus, sequentibus assertionibus ad dubium respondemus.

11. Dico primo, Christus Dominus materias, & formas omnium septem sacramentorum per se ipsum immediate formaliter determinauit, nec Ecclesiæ determinandas reliquit. Probat Grauius dicta disp. 2. c. 2. dub. 1. §. 2. In primis ex communi Theologorum sententia, & Ecclesiæ sententia docentibus in sacramentis requiri res, & verba determinata. Hancque determinationem esse iuris diuini, esse de fide, diximus dub. 12. conc. 1.

12. Secundo probat ex Doctore S. (cuius doctrinam, in materia sacramentorum præcipue, Concilium Florentinum, & Tridentinum venerata sunt.) Qui hanc conclusionem docet 1. 2. (non q. 105. vt in curia transcribentium, habetur apud Grauium) q. 108. ar. 2. in cor. & ad 2. Clarius libro 4. contra Gentiles cap. 74. ait. *Quia ergo hæc spiritualis potestas, nempe Ordinis, à Christo in ministros Ecclesiæ deriuatur; & spirituales effectus in nos deriuati, sub quibusdam sensibilibus signis explentur, vt ex supra dictis patet, oportuit etiam quod hæc spiritualis potestas sub quibusdam sensibilibus signis hominibus traderetur.* Et mox. *Huiusmodi autem sunt certæ verborum formæ, determinati actus, puta impositio manuum, & porrectio libri, vel calicis, aut alicuius huiusmodi, quod ad executionem spiritualis pertinet potestatis.* Apertissime ergo docet determinatos istos actus à Christo esse præscriptos, à quo sub illis actibus determinatis potestas illa spiritualis dimanat: vnde & superius præmiserat, quod sacramentorum institutio, & virtus à Christo initium habeat.

In hac etiam q. ar. 5. ad 1. ait, quod sicut

iudicio Spiritus Sancti determinatum est, quibus similitudinibus, in certis Scripturæ locis res spirituales significantur, ita etiam debet esse diuina institutione determinatum, quæ res ad significandum assumantur in hoc, vel illo sacramento.

13. Præterea ibi ad 3. ait, quod in lege veteri necesse fuit res determinari, quibus homines uterentur in sacramentis. Quamuis, vt etiam dicit ibi, & q. 61. art. 3. ad 2. ante legem non fuerit determinate præfixum homini, quibus sacramentis uteretur. Quod & docet in 4. dist. 2. q. 1. art. 6. q. 3. & art. 4. quæstionula 4. vbi ad 2. ait, quod *Sacramenta illa legis naturæ non habebant aliquam efficaciam ex opere operato, sed solum ex fide: & ideo determinatio eorum ab homine puro habere fidem fieri poterat: non ita de sacramentis nouæ legis, quæ ex opere operato gratiam conferunt.* Sed omnis auctoritas Ecclesiæ non est nisi puri hominis, quamuis mediate sit auctoritas Christi, & Dei: ergo solū immediata Christi institutione in sacramentis nouæ legis sunt determinatæ materiæ, & formæ sacramentorum, quæ ex opere operato gratiam conferunt.

14. Confirmatur: nam expressiorem significationem, & determinationem rerum ad significandum exposcebant figurata, quam figuræ, hoc est, sacramenta noua, quam vetera. Sed vt dictum est ex D. Thoma, etiam in specie determinatæ sunt res illorum sacramentorum, & ab ipso Domino præscriptæ, & à Moyse traditæ: ergo multo magis à Christo Domino nostra sacramenta antiquis umbris obumbrata, in specie in suis verbis, & rebus sunt determinata, per quæ sanctificemur, & initemur. Quare sicut spatio quadraginta dierum Moyses de rituum administratione edoctus est, ita & in nouo testamento plenius, & clarius Apostoli edocti sunt: præcipue circa ritus, & sacramenta, quæ pertinebant ad fundamenta fidei, vt bases super quas Ecclesia nititur. Vnde Actorum 1. dicitur, quod Christus Dominus erat *apparens* discipulis, & loquens de regno Dei: hoc est, de dispositione militantis Ecclesiæ. Quem locum ponderans S. Leo ser. 2. de Ascensione dixit. *Hi dies, qui inter Resurrectionem Domini, Ascensionemque fluxerunt, non otioso transiere decursu, sed magna in eis confirmata sunt sacramenta, magna sunt reuelata mysteria.*

15. Tertiam principalem rationem sumit ex auctoritate Concilij Tridentini, in cuius Ses. 7. can. 1. sic dicitur. *Siquis dixerit sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à*

lesu

Iesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit. Et quamuis in isto canone non addatur particula *immediate*; nihilominus ex alijs adiunctis ex doctrina eiusdem Concilij mens eius percipitur: quia sessione 14. c. 1. tractas de Sacramento Extremæ vnctionis (de quo erat antiquitus quæstio apud aliquos Scholasticos, quod esset ab Apostolis institutum) definit id esse quidē à Dño institutum; per Iacobum autem Apostolum promulgatum. Nullus autem de institutione mediata dubitat: vnde frustra canon ille de institutione formatus esset, nisi de immediata Concilium verba fecisset. Quare communiter Theologi (excepto Suarez, & vno, vel altero) dicunt esse immediate de fide Christum instituisse omnia septem sacramenta instituisse. De quo infra quæstione 64.

16. Tunc sic arguitur. Idem est instituerē sacramentum aliquod, quod omnes partes eius intrinsecè pertinentes ad sacramentum, assumere ad causandum effectum sacramenti. Ergo in omnibus sacramentis omnes partes intrinsecè constituentes sacramentum, materia scilicet, & forma, instituta sunt, & assumptæ ad causandum gratiam. Non ergo relictu est Ecclesiæ arbitrio aliquid assumere, vel determinare circa Sacramentum Ordinis, circa materiam, vel formam eiusdem sacramenti: sed ab institutore Christo totū determinatum est in genere, & specie, quibus signis, verbisque determinatè eius ministeri vti debeant.

17. Confirmatur, & euasiones præcluduntur, quia in definitionibus dogmaticis Conciliorum verba accipienda sunt in strictissima, & propriissima significatione. At non propriè dicitur aliquis aliquid constituere, quod generali potestate a Principe accepta constituit, neque etiam si illa potestas specialiter data sit ad aliquid institutum. Vnde leges Ecclesiasticæ, quæ iunt de iure politico, nullo modo sunt ac iure diuino; etiam si Ecclesiæ sit data potestas legislatiua. Sicut nec sunt de iure diuino politica, vel ciuiles leges; quamuis ex illo fonte profluant, de quo scriptum est. *Prouer. 8. Per me Reges regnant, & legum conditores iustia decernunt.* Quin quod hac via necessario oporteret dicere etiā Christum Dominum sacramentalia instituisse, cum dicat S. Tho. 1. 2. q. 108. ar. 2. ad 2. quod *in sacramentalibus non datur aliqua gratia, puta in consecratione templi, vel altaris; aut etiam in ipsa celebritate solemnium: & ideo, quia*

talia secundum se ipsa non pertinent ad necessitatem gratiæ, Dominus Fidelibus, id est Ecclesiæ, instituenda reliquit pro suo arbitrio. Et nullus inficiari potest omnia hæc mediare à Christo promanare, à quo talis facultas originariè processit. Cui ergo sit sacramentorum immediatus institutor, eorum materias, & formas formaliter ipse determinauit, nec Ecclesiæ determinanda reliquit, sicut reliquit sacramentalia.

18. Vltimo conclusionem probō, & explico: quia commissio facta Ecclesiæ vt determinet materiam, & formam Sacramenti Ordinis, tripliciter tantum, quoad præsens attinet, valet intelligi. Primo, quod acceperit potestatem à Christo instituendi materiam, & formam, quæ sibi placuerit: ita vt Christus solum ostendat finem, ad quem ordinatur sacramentū, & declarauerit effectum ad quem causandū dabit potestatem: & ipsa Ecclesia determinaret compositum ex rebus, & verbis, cui per attributam sibi virtutem, conferret vim significandi, & causandi gratiam. Et sic reuera solum mediate institutio esset à Christo: quia species, & constitutio rei est ab illo, qui dat partes essentielles, nē pe materiam, & formam: Nec quoad hoc esset distinctio inter sacramenta, & sacramentalia.

19. Secundo potest esse hæc commissio, ita vt Christus immediate per se ipsū ex nunc pro tunc det significationem prædicam, & causalitatem rebus, & verbis in futurum ab Ecclesia designandis. Et in primis otiosa fuisset hæc expectatio in futurum, cum nedum in genere, sed in specie poterat fieri designatio omnium ceremoniarum, & modorum substantialium, vt factum est in veteri lege. Et de facto in sacramentis nouæ legis nihil est quodcūque, & qualitercūque dicatur essentialis: quia immediate à Christo fuerit institutum, & designatum: & nihil est, quod essentialis rei nomen habeat, & sit ab Ecclesiæ institutione. Denique vt aduertit Grauius dub. 1. §. 8. quamuis si tali modo facta esset illa eleuatio futuræ designationis, ex nunc pro tunc diuinæ institutionis, fortassis immediata institutio quoque ex hac via saluaretur. Verum, ne Sectarij portentosam obijciant præsumptionem diuinantem, quæ nec ex traditione certo colligi potest: melius est doctæ ignorantia silere, quam temeraria præcipitatione incerta promulgare. Quis enim dicebat Tertulianus lib. de anima cap. 1. *Audeat reuelare, quod Deus texit,*

c. 6.

Et c. Vnde, & ignorare tutissimum est, præstat per Deum nescire, quia non reuelauerit, quam per homines scire, quia ipse præsumpsit.

20 Restat ergo, quod hæc indeterminatio materiæ, & formæ sacramenti Ordinis relicta Ecclesiæ determinanda, sit in determinatio materialis, non varians essentialiter, & formaliter partes essentielles sacramenti: & sic verum asseritur, pro quanto dicitur hoc reperiri in hoc Sacramento: falso autem additur, cum subiungitur hoc esse peculiare illius: quia diximus dub. 12. nu. 8. cum D. Thomæ art. 7. ad 1. id reperiri in verbis formarum omnium sacramentorum. Et peculiariter de Matrimonio id notat S. Thomas in 4. dist. 34. q. 1. ar. 1. ad 4. & latè exponit Petrus Ledesma de Matrimonio q. 45. art. 5. dub. 2. Et Nuño de Sacramentis q. 60. art. 5. ad 2. quia cum contractus naturalis sit eleuatus ad rationem Sacramenti: & legitimum esse contractum determinetur lege communi, Ecclesiæ declarans aliquas personas esse illegitimas, vt valide contrahant, solum variat materiã, & formam materialiter: non vero formaliter immutat, quæ à Christo sunt instituta. Quæ doctrina est communis, & vt facilem explicat, & sequitur ipse Lugo disput. 2. sect. 5. n. 84. Vnde cum sentiat postea magnam difficultatem in designatione materiæ, & formæ sacramenti Ordinis, & aliquid peculiare ei concedat, absque dubio non loquitur de hac indeterminatione materiali. Vnde sine causa Amic⁹, & alij hanc doctrinam de Matrimonio, certam, & ab omnibus admittam, confundunt cum opinione, quam impugnamus. Pariterque in Sacramento Eucharistiæ fortè datur tritici specie diuersi: & vina omnino esse eiusdem speciei, aliqui ex diuersissimis accidentibus, quæ in illis experimur, colligunt. In balsamo etiam solet notari magna diuersitas, vt aduertit Suarez disputatione 2. sect. 3. §. Quæres. Et sectione 4. Non ergo indeterminatio materialis materiæ, & formæ à Christo institutæ, est peculiaris Sacramento Ordinis.

§. III.

Partes essentielles Sacramentorum non possunt ab Ecclesiâ variari.

21 **D**ico secundo, materiæ, & formæ, quibus validum conficitur Sacramen-

tum in vna Ecclesiâ, etiam valent in alia: nec ab Ecclesiâ vniuersali, & Papa possunt pro varijs temporibus, aut locis variæ materiæ, aut formæ, aut de nouo statui, aut statuta vllatenus in essentialibus variari. Ita Adrianus de Baptismo q. 3. 2. p. illius, & Theologi communiter, vt notat Suarez disput. 2. sect. 6. Vnde Soto in 4. dist. 3. q. vn. art. 5. §. Multa, dicit oppositum nullam habere probabilitatem: quoniam Ecclesiâ nequit formas apud diuersas rationes variare quantum ad suam essentiam: ac proinde quantum ad hoc, quod teneant in vno loco, & non in alio. Oppositamque sententiam relatam nu. 2. & 9. vulgo explodi, & exhiberi, dixit Vazquez disp. 129. cap. 5. n. 74. & 75. Hancque esse Theologorum communem, & certissimam, dicit Leander tract. 1. disp. 1. q. 12. & 13. Quam verò consequenter ad ea, quæ ex ipso retulimus nu. 4. ipse videat. Vt communem, & certam, tenent nostram conclusionem Henriquez, Coninch, & Bonacina, quos refert, & sequitur Trullench lib. 1. praxis c. 2. dub. 2. n. 3. & passim alij.

22 Probaturq; primo testimonio Concilij Tridentini Sess. 21. c. 2. dicentis. *Præterea declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesiâ fuisse, vt in Sacramentorum dispensatione, salua illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipiendi vtilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire iudicaret.* Istis verbis Concilium expresse fatetur Ecclesiæ potestatem non se extendere ad substantiam sacramentorum alterandam: & solum pro rerum, temporum, & locorum varietate, posse disponere de vltu, & de sacramentalibus: ergo stante quarumcumque rerum, temporum, & locorum varietate, nequit materias, & formas, quæ sunt de essentia, & substantia sacramentorum, variare.

23 Præterea probatur ex D. Thomæ 3. p. q. 64. art. 2. ad 1. dicente, quod illa, quæ aguntur in Sacramentis per homines instituta, non sunt de necessitate Sacramenti. Et ad 3. ait, quod Apostoli, & eorum successores sunt Vicarij Dei, quantum ad regimen Ecclesiæ constituta per fidem, & Sacramenta fidei. Vnde sicut non licet eis constituere aliam Ecclesiâ, ita non licet eis tradere aliam fidem, neque instituire alia Sacramenta. Ac percõsequens nec materias, aut formas abrogare, aut essentialiter mutare. Et q. 83. artic. 3. ad 8. exponens illa verba Apostoli 1. ad Cor. 4. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi,*

Et dispensatores mysteriorum Dei. Dicit Doctor S. quod dispensatio Sacramentorum pertinet ad ministros Ecclesiæ: sed consecratio eorum est ab ipso Deo. Et idèo ministri Ecclesiæ non habent aliquid statuere circa formam consecrationis, sed circa usum Sacramenti, & modum celebrandi. Quæ ratio æquè militat in omnibus Sacramentis, quia omnia consecratur à Deo: & respectu omnium ipsi Apostoli solum se agnoscunt ministri, & dispensatores; non autem institutores: & idèo nec alterare ea possunt in essentialibus.

24 Sed adhuc expressius in 4. dist. 3. q. 1. art. 2. quæst. 2. in cor. dicens, quod quia Sacramenta efficaciam habent ex institutione diuina; & principalis est in Sacramentis forma; quam etiam materia: idèo sicut nulli licet mutare Sacramentum, vel aliquid nouum institueret; ita nulli licet mutare formam Sacramenti; quantum ad id quod est de essentia formæ; absque speciali consilio Spiritus Sancti, qui virtutem suam illis verbis non alligauit. Et si mutatur, nihil agitur; & præter hoc culpa incurritur. Si autem aliquid pertinet ad formam ex determinatione Ecclesiæ; si illud mutatur, nihilominus est Sacramentum, sed culpa incurritur. Idem dicit dist. 13. q. 1. ar. 2. quæst. 6. ad 1. & 3. Et dist. 17. q. 3. art. 1. q. 5. corp. ait. *Et quia Ecclesiâ fundatur in fide; & Sacramentis: idèo ad ministros Ecclesiæ, nec nouos articulos fidei edere, aut editos remouere, aut noua Sacramenta instituire, aut instituta remouere pertinet; sed hoc est potestatis excellentiæ, quæ soli detur Christo, qui est Ecclesiæ fundamentum.* Et in 4. ad Anib. dist. 13. ar. 2.

25 Ratio à priori est, quam tetigit S. Thomas, quia variare formas Sacramentorum pertinet ad potestatem excellentiæ, quam habet Christus Dominus: quam licet potuerit Apostolis, & Summis Pontificibus communicare; de facto tamen non communicauit, propter fidelium vtilitatē; vt ait S. Thomas 3. p. q. 64. ar. 4. ad 1. *ne in homine spēs parerent; & ne essent diuersa Sacramenta.* Ex quibus diuisio in Ecclesiâ oritur: sicut apud illos, qui dicebāt: Ego sum Pauli, ego autē Apollo, ego vero Cepha: vt dicitur 1. ad Cor. 1. De quo videatur etiam ad 3. Non comunicata autem potestate excellentiæ, non potest Ecclesiâ variare essentielles materias, & formas sacramentorum: quia sunt hæc Ecclesiæ fundamenta, quæ stabilia esse debent.

26 Ipsaque Ecclesiâ numquam agnouit sibi datam talem potestatem: quin potius cum esset controuersia de forma baptizandi Latinorum, & Græcorum, quæ

diuersæ videntur, non dirimitur in Concilio Florentino hac via (quæ facillimè esset, si reuera haberet potestatem instituendi, & remouendi pro temporibus, & locorum varietate) sed alia certissima, nempe explicando quod ambæ formæ non differunt essentialiter. Vnde Eugenius 4. in sæpè citato decreto §. *Primum omnium Sacramentorum, probat ritum baptizandi Græcorum verum perfici baptisma: quoniam cum principalis causa, ex qua baptismus virtutem habet, sit Sancta Trinitas; instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius Sacramentum; si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur minister, cum Sanctæ Trinitatis inuocatione, perficitur Sacramentum.* Si autem aliquid essentialiū omitteretur, non perficeretur: quia vt dicit S. Thomas ibi ar. 2. ad 1. ea, quæ sunt de necessitate Sacramenti, ab ipso Christo instituta sunt; qui est Deus, & homo. Et ista variari nequeunt hominum potestate.

§. IV.

Bene tamen partes substantialiter integrantes.

27 **D**ico tertio, probabile est, Ecclesiâ posse variare, & statuere partes substantialiter integrantes materias, & formas sacramentorum; dummodo saluæ maneat partes essentielles Sacramenti. Vt probetur, supponendum, quod vt docet S. Thomas 3. p. q. 90. art. 2. partes essentielles naturaliter, seu physice loquendo, sunt materia, & forma; loquendo autem logicè, seu metaphysicè, partes sunt genus, & differentia. Vterius autem distinguuntur partes integrantes. Ideoque Caietan⁹ ibi circa ad 2. ait, quod pars est duplex; nempe pars essentialis, & pars integralis. Et si ne partē quidem essentiali Sacramentum nullum est; sicut nec homo est, si desit anima, aut corpus. Sed sine vna parte integrali Sacramentum quidem verum quidè; sed imperfectum esse potest: sicut homo sine manu est verus homo, sed mancus. Satisfactio autem non ponitur pars essentialis Sacramenti Penitentia, sed integralis; est enim pars actuum penitentis, qui sunt vt materia, seu pars essentialis Sacramenti; sicut manus est pars corporis humani, quod est materia, & pars essentialis hominis. Ex hac doctrina, Theologorum communi, constat, quod in Sacramentis habet locum distinctio partium essentialium, & integralium.

Hæc

28 Hac de causa Soto in 4. dist. 11. q. 1. art. 3. §. Sed tamen, distinguit inter essentialiam, & substantiam sacramenti: ita ut id dicatur de essentia sine quo nullatenus fieret, sed de substantia erit, quod est de integritate. Et §. Nihilominus, ait. Neque mirandum, aliquid esse de substantia, puta, de integritate, quod non sit de essentia; digitus enim, & manus substantia hominis sunt, ceu partes, quas aiunt, integrales: & tamen non eatenus sunt de essentia, quomodo sine illis possit homo vivere. Et hac via explicat Soto, quod omnia verba, quibus utitur Ecclesia Romana in consecratione calicis sunt de substantia forme: quamvis non omnia sint essentialia. Quod & sequuntur Martinus Ledesma, & Petrus Ledesma, Nuño, & Serra, & Ioannes à S. Th. & Salmeron, Deza, & Thomas Hurtado, & alij referendi, & examinandi infra q. 78. Pariter in forma Baptismi ly ego ab aliquibus ponitur esse de integritate, & non de essentia. Et melius in forma absolutionis ly à peccatis tuis: integrat formam, & sine illa valet sacramentum. ¶ Extat aliud exemplum, inquit Soto, ubi enim baptismus celebratur sub trina immersione, reuera omnes sunt de integritate, & concurrunt ad effectum baptismatis, qui quidem effectus non existit usque ad postremam: & tamen non sunt omnes de essentia: nam si quis vnica baptizare intenderet, sacramentum utique perficeret. De quo Palud. in 4. dist. 24. q. 1. nu. 24. distinguens, quod partes integrales sacramentorum sunt in quadruplici differentia.

29 Igitur quod Ecclesie sit commissa potestas variandi partes integrales sacramentorum, salua eorum substantia (sumpta substantia pro essentia) & videtur probari argumentis primæ sententiæ. Vtriusque constat ex praxi, & traditione Ecclesie: nam fere in omnibus sacramentis partes integrales sunt diuersæ in Ecclesia Græca, & in Ecclesia Latina; ut de materia, & forma sacramenti Ordinis iam diximus. Et de verbis consecrationis q. 78. ex professo dicemus. Et de forma Sacramenti Baptismi etiam constat: quia Latini dicunt: *Ego te baptizo, &c.* Græci autem dicunt: *Baptizetur seruus Christi N. in nomine, &c.* Ut testatur S. Tho. q. 60. ar. 8. & q. 66. art. 5. ad 1.

30 Vbi obiter aduertendum, quod Lugo disp. 2. sect. 6. n. 109. ait, quod Græci dicunt *Baptizatur, &c.* non vero *Baptizetur seruus Christi*, ut aliqui communiter eis im-

ponunt. ¶ Sed quod S. Thomas, & alij communiter non hoc imponant. Græcis, constat ex tomo 4. Conciliorum in Concilio Florentino sess. vlt. in Decreto Eugenij, §. *Primum omnium*, folio mihi 911. iuxta editionem Venetijs factam anno 1585, ubi dicitur. *Non tamen negamus, quin & per illa verba: Baptizetur talis seruus Christi, in nomine, &c. Vel baptizatur manibus meis talis, &c. verum perficiatur baptisma.* Quod debuisse Lugo aduertere, antequam scriberet communiter Theologos (imò inter eos Sanctum Thomam) hoc Græcis imponere.

31 Similiter, sicut explicat S. Thom. q. 73. art. 2. ad integritatem sacramenti Eucharistie concurrunt spiritualis cibus, & spiritualis potus: secundum illud Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Et tamen prouide in Ecclesia Romana obseruatur, ut populo sanguis sumendus non detur, ut probat S. Thom. q. 80. art. 12. & diffinit Tridentinum sess. 21. cap. 2. hoc posse Ecclesiam rectè facere: ergo est in Ecclesia potestas variandi ea, quæ sunt de integritate sacramenti.

32 Quod a fortiori admittent, qui docent Papam posse dispensare, ut sub vna tantum specie consecratio fiat: de quo Adrianus in 4. q. 6. de Eucharistia. Maior in 4. dist. 9. q. 3. Amicus, Castrus Palauis, & Fagundez, quos refert, & sequitur Diana parte 8. tract. 1. resol. 23. Imò fuit sententia B. Alberti Magni, cuius verba refert, & sequitur S. Antoninus 3. p. tit. 13. cap. 6. §. 1. circa finem. Tabiena, Armilla, & Turrecremata. Alensis, Gabriel, & Angelus, quos citat, & sequitur Thomas Hurtado to. 2. tract. 12. cap. 1. §. 15. diffic. 1. conc. 1. nu. 858. fol. 300. De qua dicemus tractatu de sacrificio Missæ.

33 Præterea: nam quod panis sit azimatus, vel fermentatus non potest non pertinere ad perfectionem plulquam accidentalem sacramenti: & tamen Græci conferant in fermentato: imò & Ecclesia Romana iustis de causis aliquando celebravit in fermentato: nunc vero in azimo: quod est conuenientius, quia in azimo instituit Christus Dominus; ut docet S. Thomas quæst. 74. artic. 4. ubi latius exponitur.

34 Denique, cum Baptismus conferatur trina immersione, singulae integrantes substantialiter Sacramentum, nec gratia datur, aut character imprimitur usque ad ultimam immersionem, cum etiam ultima

te proferuntur verba formæ: & eodem modo perficeretur essentialiter, si vna immersione fieret. Ideoque docet S. Gregor. Papa, quem refert, & sequitur S. Thom. q. 66. art. 8. quod *diuersis ex causis secundum ordinationem Ecclesie, quâdoque institutus est vnus modus quandoque alius*: ergo Christus Dominus reliquit Ecclesie potestatem variandi partes integrales sacramentorum: dummodo maneat essentia, quæ substantia dicitur septem Sacramentorum, quæ ipse Christus immediate instituit, & eorum partes essentialiter formaliter, & specificè determinauit.

35 Bene video hæc argumenta eundi posse dicendo has differentias esse accidentales: quia S. Thomas dicto art. 8. ait, quod *modus ablytionis per accidens se habet ad Sacramentum.* Et eadem q. art. 5. ad 1. in fine ait, quod *autem additur, Ego, in forma non solum non est de substantia formæ, sed ponitur ad maiorem expressionem intentionis.* Non ergo est variatio partium integralium substantialium, sed solum variatio accidentalis. ¶ Deinde S. Thomas Ecclesie potestatem circa sacramenta solum extendit ad usum, & solemnitatem variandam, vel addendam, non vero extendit ad partes substantialiter integrantes. Vnde 3. p. q. 64. art. 2. ad 1. ait, quod *illa, quæ aguntur in sacramentis per homines instituta, non sunt de necessitate sacramenti; sed ad quandam solemnitatem, quæ adhibetur sacramentis ad excitandam deuotionem, & reuerentiam in his, qui sacramenta suscipiunt.*

Denique Concilium Trid. sess. 21. cap. 2. potestatem Ecclesie circa sacramenta agnoscit, salua illorum substantia: & non dicit: *salua illorum essentia*: quasi indicans ne dum partes essentialiter, sed etiã partes integrantes substantialiter sacramenta debere manere immutatas.

36 Propter hæc, & similia, quæ possunt obijci, non proposui conclusionem vt certam, sed solum vt probabilem. Sed quia in multis exemplis allatis difficile verificatur mutationem esse mere accidentalem, vt inductione constat in varietate rituum Ecclesie Græcæ, & Latinæ; ideò in doctrina conclusionis persistendo, ad primū dicitur, quod aliquid potest esse per accidens in ordine ad essentiam metaphysicè consideratam, & potest esse per se physice ad integritatem huius individui: vnde licet trina immersio non sit de essentia baptismi (siquidem validè confertur vnica immersio) tamen cum de facto confertur tri-

na immersione, & non causat usque ad ultimam, omnes tres integrantes substantialiter hoc Sacramentum, & ex eis integrit fit.

37 Ad 2. dicitur, quod vt ex Philol. 5. Metaph. textu 15. docet S. Thomas 1. p. q. 29. art. 2. Substantia est nomen analogum: & quandoque sumitur pro essentia, & quandoque pro indiuidua persona. Vnde cum vox transfertur ad entia artificialia, quandoque accipitur pro essentia, quandoque pro omnibus partibus integrantes. Et ibi S. Thomas solum intendit, quod ly, *ego* non sit de essentia formæ baptismi, quia valet si non exprimitur: non tamen dicit, quod cum exprimitur, non integret substantialiter orationem: ideò ibi substantiam accipit pro essentia.

38 Qualiter etiam accipit Concilium Tridentinum, cum ambæ species sint de integritate substantiali sacramenti: & hæc variat Ecclesia in exercitio, & vsu, præcipièdo quod à laicis sub vna tantum specie sumatur: Denique verisimum est illud, quod asserit S. Thomas, quod *illa, quæ aguntur in sacramentis per homines instituta, non sunt de necessitate sacramenti: qui à solum essentialia sunt de sacramenti necessitate; quamuis aliqua alia possint esse de eius substantiali integritate.*

§. V.

Miraculosè possunt sacramenta variari: & dari eorum effectus sine illis.

39 Dico quarto, ex speciali Dei dispensatione aliquoties in Ecclesia sunt variatæ essentialiter formæ, vel materiæ sacramentorum: & dati effectus sacramentorum sine ipsis sacramentis. Patebit in speciali agèdo de singulis. Et q. 64. dub. 6. Pro nunc, prior pars probatur ex D. Th. q. 66. art. 6. docente, quod explicita inuocatio trium Personarum est de essentia Baptismi. Et tamen ad 1. ait, quod *ex speciali Christi reuelatione Apostoli in primitiua Ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi (quod erat odiosum Iudæis, & Gentilibus) honorabile redderetur, per hoc quod ad eius inuocationem Spiritus Sanctus dabatur in Baptismo.* De quo ibi.

40 Deinde loquendo de Sacramento Confirmationis, docet S. Thomas q. 72. art. 2. ad 1. quod ad impositionem manus Apostolorum, & etiam ad eorum prædicationem

cautione, descendebat plenitudo Spiritus Sancti super fideles sub visibilibus signis. Et idcirco non erat necessaria sensibilis forma Sacramentalis, ubi sensibilia signa miraculose exhibebatur diuinitus. Rationemque assignat art. 4. ad 1. quia Deus potest effectum Sacramento- rum sine Sacramento conferre. Et tunc non erat necessaria, nec materia, nec forma huius Sacramenti. Et sic probatur secunda pars.

41 Quam praeterea probat S. Thom. q. 64. art. 7. docens de lege ordinaria solos homines esse ministros sacramentorum: sed miraculose etiam Angelos, quia Deus virtutem suam non alligauit sacramentis, quin possit sine sacramentis effectum sacramentorum conferre: nec alligauit Ecclesiae ministris. De quo videatur Nizephorus lib. 11. hist. cap. 20. de S. Amphilocho, S. Antonianus 3. p. tit. 24. cap. 13. & S. Thom. in 4. dist. 5. q. 2. art. 3. q. 2. ubi refert, quod templum S. Michaelis, quod per Angelos consecratum est, iudicatum est non oportere per hominem consecrari, ut legitur in historia Dedicationis S. Michaelis.

42 Afferunt aliqui ad priorem partem comprobendam, exemplum de Ordine Diaconatus: nam ut habetur in Concilio Florentino, confertur per libri Euangeliorum dedicationem, cum verbis formae. Et tamen cum Euangelia non erant scripta, plures Theologi docent interuenisse speciale Dei dispensationem, ad hoc ut sine libro Euangeliorum validum conferretur Sacramentum. Ita Nuño in additionibus ad 3. p. q. 37. ar. 5. §. *Dubitatur*, in sol. ad 2. & 3. Vazquez 10. 3. in 3. p. disp. 238. nu. 43. & alij, quos refert, & sequitur Trullench lib. 6. praxis sacram. cap. vnico dub. 2. n. 9. Hoc tamen est incertum, & suo loco examinandum.

43 Sed contra priorem partem est argumentum: nam variata materia, aut forma essentiali alicuius rei, non manet eiusdem speciei: quia totum ex partibus esse realiter constat, & eis variatis, non est idem essentialiter: nam species sunt sicut numeri, ut dicitur 8. Meraph. textu 8. cuius vna unitate variata, consurgit noua species numeri. Sed est certum secundum eandem sacramenta esse tantum septem, ut diffinitur in Concilio Tridentino sel. 7. can. 1. ergo eorum formae numquam sunt variatae essentialiter.

Confirmatur ex dictis dub. 2. §. 3. neque, quod si Dei potentiam attendamus, non est necessarium ad sacramenti rationem, quod stabili lege sit institutum: nam potuit a

Deo institui pro vna vice tantum: ergo si de facto formae sunt diuinitus essentialiter variatae, sacramenta sunt; vel fuerunt plura quam septem: quia sacramentum collatum in nomine Christi, & collatum in nomine trium personarum, habet formas species distinctas.

44 Respondetur in istis eventibus variari materias, vel formas distinctione quasi specifica in esse rei; non tamen formaliter in esse signi: quia ad significandam hanc eandem gratiam nostrorum sacramentorum per accidens fuit quod assumerentur istae res sensibiles, & haec verba. Vnde ad aliud intentum docet Nuño q. 72. art. 3. diff. 1. in fine, folio 382. quod si Christus Dominus permutasset materias, & formas sacramentorum, ita ut baptismus perficeretur, vel vino, vel oleo, & alijs verbis, esset idem sacramentum formaliter, quia esset signum institutum, & eleuatum, & haberet eandem significationem, & causalitatem respectu eiusdem effectus sacramentalis.

45 Sed instabis: nam diximus nu. 20. quod quando variatio materiae, & formae sacramentorum est omnino materialis, est relicta determinationi Ecclesiae, & valet sacramentum vno, vel altero modo: ergo si Baptismus in nomine Christi, & Baptismus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, non distinguuntur formaliter, & specificè, sed solum materialiter, & in esse rei, etiam rebus ut nunc, valebit sacramentum in nomine Christi: cuius contrarium docet S. Tho. q. 66. ar. 6.

46 Respondetur, quod cum ut iam diximus ex Hugone de S. Victore lib. 1. de Sacram. par. 9. cap. 2. *Sacramenta ex institutione significant*: si vna res est instituta ad significandum, & a Deo eleuata ad causandum erit ut pars sacramenti, specie distincta ab alia re, qua non est instituta, & eleuata, nec habet relationem signi, & causae. Cum ergo Ecclesia non habeat potestatem excellentiae, quam habet Christus, si in sacramentis assumat res, vel verba non instituta, non facit sacramenta, quae nunc sunt; & ita nulla facit: quia non habet potestatem noua faciendi, nec horum partes essentialiter immutandi. At vero Christus, vel Deus eo ipso quod nouam formam, vel materiam assumant, dant ei institutionem; & eleuationem: vnde si assumant ad eandem significationem, & ad eundem finem, non variant sacramenta specificè.

47 Praeterquam quod, ut dicit S. Thomas

mas in 4. dist. 17. ad Anib. q. 3. art. 1. ad 2. *privilegia specialia non faciunt legem communem*. Numerus sacramentorum, & quod effectus sacramenti non dentur sine Sacramento, sunt de lege communi diuina ad gubernationem Ecclesiae, & sanctificandos homines: Deus autem non alligauit virtutem suam sacramentis istis, vel ministris: ideoque miraculose potest dare alijs signis, & alijs ministris; vel per se ipsum sine Sacramento, & ministro.

§. VI.

Concordia Ecclesiae Graecae, & Latinae in partibus essentialibus sacramenti Ordinis.

48 Dico vltimo, quamuis Deus Ecclesiae non reliquerit potestatem in specie determinandi materias, & formas Sacramentorum: multis modis valet concordari ritus Ecclesiae Graecae in collatione Sacramenti Ordinis cum ritu eiusdem Ecclesiae Latinae. Tres concordiae modos doctissime proponit Mag. eruditissimus Grauius in Vinditijs Orthodoxis pro Sacramento Ordinis disp. 2. cap. 2. dubio 3. §. 3. eos summamim proponam, remittendo lectorem ut in proprio fonte aqua sapientiae salutaris bibat: quia non est iste locus de singulis Sacramentis in particulari disputandi: quia id tuo loco, Deo dante, praestabimus.

49 Primus modus, supposita illa sententia, quam S. Thomas, ut probabilè supponit; & mordicus defendit Erius in 4. dist. 24. & alij reati dub. 10. n. 34: quod scilicet in ordinatione non sit necessarius tactus instrumentorum; sed sola eorumdem exhibitio, vel ostensio, dum traditur potestas consecrandi: ut verbi gratia, si non traditur physice calix in Ecclesia Graeca, ostendatur tamen; & dum haec sit accidentaliter, non substantialis diuersitas, non est difficile vtramque Ecclesiam conciliare in ritu ordinationis. Supponit ex D. Tho. 1. 2. q. 102. art. 5. ad 3. quod *consecrationi Pontificis, & Sacerdotum, respondet in noua lege Sacramentum Ordinis*. Et ad 8. explicat caeremonias veteris sacerdotij. Et Abulensis in cap. 29. Exodi ait illam manus impetrationem Sacerdotum, cum dabatur eis, quod offerendum erat, fuisse omnino caeremoniam accidentalem.

50 Sic ergo probatur intentum: nam impositio illa manuum, quae fit ab Ecclesia Graeca cum prece mystica, iam in Alta

ri existente hostia sacrificanda, aperte innuat tunc initiandum aptari ad praecipuum munus sacerdotale, nempe offerendi sacrificium, & victimam in altari preparatam, ut consecrandam connotat, respicit, designat, non secus ac traditio instrumentorum eandem materiam respicit in Ecclesia Latina. Eadem ergo materia vtrique Latinae, & Graeco traditur: hoc solo excepto (quod pertinet ad situs positionem) quod victima offerenda est in altari in ritu Graecorum; in Latinorum vero initiatione est in manibus iniciandorum. Sed haec applicatio, aut diuersa locatio accidentalis: assignatio vero, vel designatio materiae, quae hic manus impositione victimam in Altari respiciente: ibi porrectione eiusdem in manibus existente, interuenit essentialis est. In substantia ergo satis, superque conueniant, & in accidentali differunt. Vnde S. Cyrillus lib. de ador. cap. 13. ait. *Presbyteris conceditur esse altare, & quae intra velum continentur*. Et Theodor. de vitis Sanctorum c. 13. & 15.

51 Secundus dicendi modus procedit supposita opinione S. Thomae (quae tenetur, & probabilior, & communior est, ut diximus dub. 10. n. 21. & 34.) quod contactus physicus materiae requiratur: nam etiam si initiandus non tangat physice materiam, seu instrumenta, tangit tamen altare, ubi sunt instrumenta cum hostijs: dum enim sacerdos flexis genibus altar ante altare, iuxta S. Dionysium Eccles. hier. cap. 5. hoc ipso simul altare contingere dicitur, quod illi concreat, ex S. Cyrillo, & Theodoro, quasi possessionem eius accipiens, ut in eo circa instrumenta sacrificaturus suam exerceat potestatem in hostias offerendo, quae illic sunt preparatae. Satis autem est ad possessionem, etiam physica, & realiter, si ponendo pedem in fundo, etiam si manu non tangat territorium, nec omnes glebas pede percurrat, quis inuestitura recipiat. Quin quod expresse, ut dicitur in Euchologio Graeco, dum manus Sacerdoti iniciando imponitur, tactus altaris interuenit. Sic enim dicitur. *Qui vero ordinatur, fronte incumbens sacrae ars, vtrumque genua fleuit. Diacono vero elata voce dicente: attendamus: Statim Pontifex imposita manu vna cum pallio, clara voce enunciat: Diuina gratia, quae semper infirma curat, & quae defunctis supplet, promouet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum, &c.*

52 Nec insolens videri debet, si tactus ille sit circa altare, non circa instrumenta:

ta: nam cum affinia, & connexa sint mensa sacra, & instrumenta, bene cõssit; quod tactus ille, qui est immediatus circa altare, sic mediatus circa instrumenta. Et sicut si daretur calus in Latina Ecclesia, quod poneret Episcopus instrumenta super altare portatile, seu paruam aram, eamque sic exiberet iniuriando, reuera sacraretur quis sacerdos, dummodo aram tangeret, quia tactu mediato tangeret instrumenta: non secus ac tangens pedem calicis, nec tangens patenam, patenam quoque, quæ superponitur calici, tetigisse dicitur: imò & vinum, tangendo calicem (quod docent Soto in 4. dist. 24. q. 1. art. 2. §. *Vnum autem*, in fine. Victoria, Armilla, & Ledesma, & alij, quos refert, & sequitur Diara par. 2. tract. 16. seu 2. miscellaneo resol. 3. & alijs locis relatis dub. 10. nu. 34.) Ita tangente Græco magnam aram, ubi instrumenta posita sunt, instrumenta quoque physice eum tangere intrepide asserendum est. Et sic saluatur S. Thomæ doctrina, cuius lumini attribuo (inquit Graulina) si quid in hoc pũcto assecutus sum meditando, cuius in doctrina legendo loco citato ex 1. 2. q. 102. art. 3. (non primo vt aliqui codices mendose citant) ad 8. saltem motiuum suppetitauit, & alijs vt dicat t meliora.

53 Tertium dicendi modum proponit n. 17. dicens. Sacramentum Ordinis a Christo forte sic institui potuit, vt per vnam actionem, nẽpẽ impositionem manuum cum prece mystica, & per alteram, puta per extensionem manuum cum instrumentorum traditione cõferri illud possit. Et tunc quod efficiunt Græci in sola manus impositione, informant eam sacramentum forma, efficiunt Latini per illam actionem extensionis manuum cum porrectione instrumenti. Explicat exẽplo Sacramenti baptismi, quod iuxta S. Thom. 3. p. q. 66. art. 8. potest perfici vna immersione, aut tribus. Cũ hoc discrimine, quod vnica, vel trina immersio ordinationi Ecclesie est relicta. At in Ordine vterque modus (vt saluemus immediatam Christi institutionem) à Domino designatus est determinatè, vt vno symbolo, vel altero, vna actione, aut pluribus actionibus Ordinis Sacramentum perficeretur. Id colligit à posteriori ex diuersarum Ecclesiarum diuerso ritu. Et deduci aliquantulum potest ex Christi factis, & Apostolica traditione. Ex factis, dum Saluator sub symbolis sacris Apostolos ordinauit: & ex Apostolica traditione de mandato Christi, & manuum

impositione præscribente: nec enim id sibi vindicare poterant, vt remouerent Apostoli visibilia signa ad causandam gratiam.

54 Ex nostris assertionibus duo alij modi concordie eliciuntur. Ex quarta quidem posset dici, id quod respondet Capreolus in 4. dist. 8. q. 1. ad 3. Durandi contra 6. folio 90. loquendo de consecratione Calicis, quod si Græci vere conficiunt, hoc est ex speciali consilio, & virtute, seu dispensatione Spiritus Sancti: sicut Apostoli aliquando baptizabant in nomine Christi. Quod & tenet ibi Deza Hispalensis: & Thomas Hurtado to. 2. tract. vlt. resol. 8. §. 4. n. 393. Potestque fundari hæc dispensatio in perpetua traditione illius Ecclesie, in qua floruerunt Sanctissimi, & doctissimi viri: & de S. Basilio refertur, quod Liturgiam Missæ Angelo reuelante scripsit. Formæ autem Sacramentorum potissimè innotescunt Ecclesie ex Apostolica traditione. Vnde S. Thomas q. 64. ar. 2. ad 1. loquendo de formis Sacramentorum, ait. *Et licet non sint omnia tradita in Scripturis: habet tamen ea Ecclesia ex familiari Apostolorum traditione: sicut Apostolus dicit 1. ad Corint. 11. Cetera, cũ venero, disponam.* Et q. 78. art. 3. ad 9. Sicut et no Latini à D. Petro, ita Græci, à D. Mattheo, & D. Marco suam formam didicerunt.

55 Sed quia Soto in 4. dist. 11. q. 1. artic. 3. §. *Secundo ad idem*, ait, quod hoc profecto est ad libitum loqui: de quo iterum infra q. 78. Ideo melius est recurrere ad doctrinam tertie conclusionis, iuxta quam Ecclesia potest variare partes substantialiter integrantes sacramenta, dummodo manent saluæ partes essentielles. Cui ergo difficile visum fuerit, quod differentia inter ritus Græcos, & Latinos est mere accidentalis, concedat esse differentiam substantialem; dum tamen neget esse differentiam essentialem: alioquin non essent vbi que eadem sacramenta: cum tamen vna sit fides, vnum baptisma, & sic de reliquis sacramentis. Et sic habebit quatuor (si vltimus nõ distinguitur ab alijs) vel quinque modos, quibus obstruat ora hereticorum, quin concedat potestatem excellẽtiæ circa sacramenta, alij de facto competere, quam Christo Domino.



DVB.

DVBIUM XIV.

Vtrum liceat aliquid addere verbis, in quibus consistit forma sacramentorum?

§. I.

Essentialis variatio impedit sacramentum; secus vero accidentalis.

1 **D**ico primo, quælibet additio, vel diminutio in formis sacramentorum, quæ ipsarum essentiam variat, tollit valorem sacramenti; secus vero illa, quæ solum est accidentalis. Prior pars sumitur ex Cõcilio Nizæno 1. can. 19. iubente Paulianistas, si ad Ecclesiam reddeant, iterum baptizari, quia mutabant essentialiter formam baptismi, vt docet Innocentius 1. epist. 22. c. 5. Secunda vero pars sumitur ex Conc. Florent. relato dub. 13. n. 30. nã hac ratio- nem declarat validum baptismum cõferri in Ecclesia Græca, quia forma non differt essentialiter à forma Latinorum. Similia docent Zacharias Papa cap. *Retulerunt, de Consecr.* dist. 4. & S. Aug. lib. 6. de Baptismo. c. 25.

2 Vtraque pars colligitur ex sæpè dictis, quia sicut res naturales consistere nequeunt sine forma; ita nec res artificiales eedẽ perseverant, si amittant formam, qua cõstituitur in genere artis: sed forma sacramentorum sunt formaliter determinatæ iure diuino: ergo si illæ omittantur, non cõstitit validum sacramentum. Sicut autem in naturalibus, & in artificialibus, salua essentia rerum, variari possunt accidentia; vel quæ ad integritatẽ, vel quæ ad decorem, aut ad ornatum pertinent: ita pariter in sacramentis potest esse (invariata essentialiter materia, & forma à Christo Domino instituta) aliqua variatio, quæ nõ noceat, nec destruat essentiam sacramenti.

3 Sed obijcies: nam qui variat addendo, vel minuendo in materia, vel forma sacramenti, aut vtitur forma à Christo instituta; aut non? Sed alia ab ipso inuenta, vel ab Ecclesia particulari. Si vtitur forma à Christo instituta, nec substantialiter, nec accidentaliter mutat materiam, & formam sacramenti: quia iam diximus hanc determinationem, non esse materialem, & physicam; sed formalem, & quæ non est eiusdem rationis in omnibus sacramentis. Si vero vtitur forma, aut materia, quæ formaliter non continentur sub institutis à Christo, variatio erit essentialis: ergo nõ quam dabitur casus, in quo verificetur, quod sit additio, vel diminutio materiae, aut formæ à Christo institutæ, & sit variatio accidentalis.

4 Respondet Lugo disp. 2. sec. 6. n. 105. quod quando dicimus aliquando mutari formam, vel materiam solum accidentaliter, debet intelligi facta comparatione ad vsum, vel ritum communem nostræ Ecclesie, cui se accidentaliter opponeret, qui omitteret. v. g. particulam, *enim*, vel particulam, *ego*; in forma absolutionis, vel aliud simile. At vero respectu Christi vix inuenitur aliquid, ab ipso determinate institutum ex parte materiae, vel formæ sacramentorum, quod non pertineat ad valorem, & substantiam sacramenti: nam Christus pariter instituit panem fermentatum, vel azimum; alioquin peccarent, qui omitterent: & ipse non præcepit vt apponeremus particulam *enim*, & sic de alijs.

5 Sed contra hoc est: nam q. 74. ar. 4. docet S. Thomas Christum instituisse Eucharistia sacramentum in pane azimo: & tamen illa variatio non est essentialis. Deinde ibi art. 6. docet S. D. Christum instituisse idem sacramentum in vino aqua per mixto. Quod approbatur in Cõcilio Tridentino sess. 22. cap. 7. ex Patrum communis sententia. Et tamen artic. 7. ostendit S. Thomas, quod appositio aquæ non est de necessitate sacramenti: quod Concilium pariter docet: ergo in materia à Christo instituta habet locum variatio accidentalis.

6 Tertio, Christus instituit pro materia essentiali Eucharistia panem triticum: ideoque non valet consecrari panis ordeæ: quia materia mutatur essentialiter, si communiter amittit rationem, & nomen eius rei; quam Christus instituit vt essentialem, vt docent Suarez disp. 2. sec. 4. §. *vt vero*, & recentiores communiter. Si vero panis triticeo admisceantur pauca grana ordeæ, vel alterius speciei, quæ non soluant, nec multum corrumpant panem triticum, est mutatio accidentalis. ¶ Pariter Christus pro materia Calicis instituit vinum vitis; cui essentialiter opponitur acetum, vel quod speciem variat: at vero multum opponitur accidentaliter, & non essentialiter: alioquin in casu necessitatis non liceret mustum consecrare: cuius contrarium docet Iulius Papa, vt refert, & sequitur S. Thomas q. 74. art. 3. ad 3.

Quinto, id clarius cernitur in formis sacramentorum à Christo institutis, quia possunt variari essentialiter peruertendo sensum; vel accidentaliter miscendo extranea, aut impertinentia, aut interrumpendo,

F vel

vel variando vnam, vel alteram syllabā, quæ sensum non tollat, vt patet ex D. Th. art. 8.

7 Sexto est ratio à priori, quia sacramentum à Christo institutum, sicut & omnia composita ex materia, & forma, & habet prædicata essentialia, & habet partes integrantes, & habet accidentia, & circumstantias, quæ pertinent ad integritatem, decorem, & perfectionem accidentalem: & quamuis institutio, & determinatio primaria, & principaliter cadat super substantialia: tamē secundario, & ex consequenti etiam secundum quid extenditur ad accidentia pertinentia ad decorem sacramenti, cum ista entia artificialia, sicut & naturalia, non sint penitus in statu accidentali immutabili.

8 Argumenta contraria probāt, quod concedimus, & verum est, quod in sacramentis sunt aliqua accidentalia, quæ Christus non instituit, nec ex eius institutione habentur; vt illa particula enim, & ly ego in abolutione: & alia, de quibus ait S. Tho. q. 64. ar. 2. ad 1. quid illa, quæ aguntur in sacramentis per homines instituta, non sunt de necessitate sacramentis sed ad quandam solemnitatem, quæ adhibetur sacramentis ad excitandā deuotionem, & reuerentiam in his, qui sacramentum suscipiunt: Vnde mutationes accidentales non omnes opponuntur cum institutione Christi; nec omnes, quæ cum illa opponuntur, sunt essentialia. Ideoque recte nobiscum docet Bernal disp. 6. sec. 2. §. 1. à n. 6. vsque ad 13. illam mutationē essentialē esse, quæ versatur circa illud quod sacramento essentialiter conuenit, vt omnes admittūt: illam vero esse accidentalem, quæ versatur circa id quod sacramento accidentaliter debetur. Siue enim ex Christi, siue ex Ecclesiæ institutione debeat, vere, & re ipsa debetur; eiusque omisio, vel alteratio mutationem affert accidentalem. Iam etiam diximus dub. 13. §. 4. dari posse mutationem substantialem, quæ maior est quam pure accidentalis, sed non est essentialis, siue respectu institutionis Christi, siue respectu eorum, quæ Ecclesia determinauit.

§. II.

Quando sit essentialis variatio?

9 Dico secundo, cognoscetur mutationē esse essentialē, quando corrumpitur significatio formæ: si vero seruetur eadem significatio, quamuis nō ita expressa, nec ordinata, erit mutatio accidentalis. Hæc est regula S. Thomæ ar. 8. & in 4. dist.

3. q. 1. ar. 2. q. 2. & 3. communiter recepta à Theologis. Probaturque ratione S. August. & S. Tho. nam sacramenta sunt fidei protestationes: fidem autem non protestamur per voces, nisi ratione significationis: & quia hæc est eadem apud omnes, valida sunt sacramenta in quacumque lingua proferantur: alioquin solum essent valida in lingua Hebræa, vel Siriaca, in qua Christus loquutus est. Ergo variatio sensus, est variatio essentialis: variatio vero linguæ, vel integritatis verborum, vel ordinis, vel aliorum in quibus discordatur à praxi recepta Ecclesiæ, erit accidentalis, quia non tollit veritatem sacramenti.

10 Est tamē hæc variatio illicita, quia contra decorem, & decentiam sacramentorum: & contra mandatum, vel consuetudinem Ecclesiæ. Imo quandoque potest esse peccatū mortale pro dignitate sacramenti, & pro maiori, vel minore in ordinatione, quæ reperitur in variatione accidentali. Quæ maior in ordinatione non est attendenda ex rebus, & verbis materialiter sumptis; sed vt magis, vel minus conducit ad mysterium representandum. Vnde de paucissimæ aque admixtio in sacramento, seu sacrificio Missæ, obligat sub mortali, vt latius q. 74. In particulari autem determinare, quando sit mortale, vel veniale, iudicio potius prudētum arbitrandum, quam certa regula constituenda, dixit Soto in 4. dist. 1. q. 1. ar. 8. §. Si autē scisciteris. De quo Nuño ar. 8. difficul. 3. Addit Soto quod cōtemptus ratione tenuitatis materiæ, potest esse venialis. Quod & docet Caietanus in Summa ver. Cōceptus, & alij quos refert, & sequitur Diana 3. p. trac. 6. resol. 72. & Cabrera ar. 8. disp. 2. n. 2. apponens exemplū in illo, qui omitteret illā particulam, enim, in cōsecratione calicis. Sed id examanabitur infra q. 78.

11 Præterea exemplis fit manifesta cōclusionis doctrina. Siquis enim baptizaret: In nomine Patris maioris, & filij minoris, &c. nō perficeret sacramentum, vt dicit S. Th. ar. 8. nā filius minor in substantia, & Patris nō cōsubstantialis non est verus Filius Dei; sed cōfictus ab Arrianis. Si autē adderet: In nomine Patris, qui misit filium, & in nomine Spiritus Sancti: valeret Baptismus, quia exprimitur explicitæ tres personæ Sanctissimæ Trinitatis. Et clarius est, quod valeret in alio S. Th. exemplo: Ego te baptizo in nomine Dei Patris omnipotentis, & filij eius unigeniti, & Spiritus Sancti Paracliti.

12 Quamuis autē, vt notat D. Th. nō referat

referat vtrū talis additio fiat in principio, vel in medio, vel in fine: nā omnibus istis modis aliquādo destruitur, & aliquādo seruetur idem sensus formæ. Tamē vt additio, quæ est in fine, destruat sensum, oportet vt sit determinatio præcedētis propositionis, faciēs vnū prædicatū cum prædicato illius: nā si totaliter sit noua propositio, posset hæresim cōtinere, retenta veritate prioris propositionis: & tūc nō oblatet veritati sacramenti. Vt patet in exemplo D. Th. de illo qui in forma baptismi addit B. Virginæ: nā si addat vt vnā diuinarum personarū, nō perficitur sacramentū. Secus si solum addat Sacratissimæ Mariæ invocationē, vt baptizatus eius precibus iueatur. E contra, si quis diceret: Hoc est corpus meū pharasticum: nō valeret sacramentum: eo quod tota propositio est falsa; nisi ex intentione proferētis propositionē finiret in ly mei: nā determinatio adueniēs non valeret impedire veritatē propositionis, nec tollere cōsecrationē iam factā: sicut etiam esset valida dicendo: Hoc est corpus meū, quod est pharasticum: quia sunt duæ categoricæ, & veritatē primæ nō valet impedire falsitas secundæ: nisi proferēs pervertat intentionē, & sumat per modū vnus, & ad hoc alliger suam intentionem.

13 Similia exēpla mutationis accidentalis habemus in detractione, quādo non bene pronūciantur vltimæ syllabæ: vt si loco de ly meum, dicatur meū: vel loco de ly calix, dicatur calis: valet enim cōsecratio. Imo aliquādo sine omni peccato potest hæc variatio cōtingere: quia Hispani ægre proferimus m, in fine, & t, post, vt admonet Soto. Et alij vix possunt, x, proferre. Pro his & similibus exat celebris decisio Zachariæ Papæ cap. Retulerunt, de Cōsecratione, dist. 4. vbi de quodā ignaro linguæ Latine, baptizate in nomine Patria, & filia, & Spiritu Sancti: Respondit Pōtifer nō debere ab illo baptizari, nec posse denuo baptizari: Non possumus (inquit) consentire vt denuo baptizetur. Et tamen si nomina absolute sumerentur, esset variatio essentialis: nā Patria, nō Patriem; sed nomē loci natiuitatis significat: & tamen, quia prout pars illius loquutionis corrupta, accipitur pro Patre æterno; ideo validum fuit sacramentū. Et hoc (vt inquit Caietanus art. 7. in fine) valde notādū est pro casibus occurrētibus in corruptione formarū sacramentorū, vel ex festinatione, vel ex balbutiente lingua, vel ex aliquo alio accidere. Imo idē cōset Soto ar. 8. §. Sed ro

gas, Etiā si de industria quis corrupte proferret formā: nisi veller significare Deum habere filiā feminā: quia exprimēs, & intendens inducere hæresim, validū nō perficit sacramentū, vt ibi Summus Pōtifer Zacharias docet illis verbis: Sille, qui baptizauit, non errorem introducens, aut hæresim.

14 Dico tertio, quod dictū est de additione, vel diminutione, pariter procedit de interruptione, vel transpositione verborū: nā sola illa, quæ retinet sensum verborū, & intentionē, nō tollunt veritatē sacramenti. Quāuis vt plurimū nonstant istæ variationes sine peccato mortali, vel veniali. Licet in aliquo euentu repētino sine omni peccato fieri possint. Sumitur ex D. Th. ad 3. & Caietano, & Soto ibidē. Interpositio aliquādo fit sine vllis verbis, sed solo silērio intermedio: aliquādo vero miscendo extranea verba, vel tusim, vel aliter quid huiusmodi, vt notat S. Th. in 4. dist. 3. q. 1. ar. 2. q. 4. ad 1. & 2. & quæ rationibus, & exēpiis allatis, vel similibus facile cōstat conclusio, non oportet in ea comprobanda immorari.

§. III.

De mutatione facta intentione introducendū nouum ritum.

15 Dico 3. Mutatio formæ retinēs sensū substantialē, quāuis fiat intentione introducēdi nouū ritū, nō oblatet veritati sacramenti: licet peccet minister habēs talē intentionē. Ita Paludanus in 4. dist. 3. q. 1. n. 13. Durandus q. 2. n. 4. Martinus Ledelma 1. p. 4. q. 1. ar. 7. Soto q. 1. ar. 8. Nuño q. 60. ar. 8. diffic. 2. Aranjō dub. 4. pūcto 3. Cabrera disp. 1. n. 7. Serra, & alij. Vazquez disp. 129. cap. 6. & 7. Lugo disp. 2. sec. 6. n. 116. Suarez disp. 2. sec. 3. Bernal disp. 6. sec. 3. §. 2. Trullenchi. lib. 1. cap. 2. dub. 3. n. 10. & alij cōmuniter. Quāuis autē pro sententiā cōtraria cōtinet Vazq. n. 83. S. Antoninū, Ricardū, Aliacēsē, Adrianū, Gabrielē, & Marsiliū: Tamen omnes isti imitati sūt modum loquēdi Zachariæ Papæ, & S. Th. quos ostēdemus à nobis non dissentire; & ideo assertio est cōmunis recentiorum, & antiquorum.

Probaturque primo, quoties ponuntur omnia essentialiter requisita ad sacramentum, validum est, cum nil essentialē desit, & sine accidentalibus valeat reperiri. Sed eū intentione introducēdi nouū ritū, possunt poni omnia essentialia sacramenti: si quidē Conciliū Florentinū in decreto Eugenij Papa, solum docet quod sacramenta tribus perficiuntur, videlicet; rebus tāquā

materia, & verbis tanquā forma, & persona ministrī cōferentis sacramētū, cum intentione faciēdi, quod facit Ecclesia. Quæ intētio adesse potest simul cū intentione introducēdi nouū ritum; quia istæ duæ intentiones non pugnant ex obiectis. Ergo praua illa volūtas variandi ritū suæ Ecclesiæ non destruet valorem sacramenti.

16 Præterea probatur inductione: nā Græci mutant nostrā formā Baptismi, & Eucharistiæ, & Ordinis: & eorū plures arbitrat̄ur nos invalide baptizare; nec vere consecrare; nec rite sacerdotes ordinare: quod est intendere in suis sacramētis nouū ritum substantialem inducere: & tamē non ideo eorū sacramēta cēsētur invalida in Ecclesia Latina. Nec de hoc reprehendūtur, aut admonētur in Concilio Florētino in decreto vnionis: ergo præcisē ex vi intentionis introducēdi nouū ritum, non invalidatur sacramentum.

17 Inter ipsos etiam Catholicos, etiā Latinos, sunt plures opiniones circa verba sacramentorū, quæ nā sunt de essentia, vel de substantiali integritate sacramēti. Et quāuis verba apponet, quæ in re nō sūt necessaria, existimans esse necessaria, & intendens introducere suā falsam existimationē, quod talia verba sūt de necessitate sacramenti; nō ideo dubitatur de eius valore: Ergo valori sacramenti nō obstat intentio introducēdi nouum ritum, si cætera requisita adsint.

18 Sed contra hanc assertionem videntur esse verba D. Th. qui in principio ar. 8. vniuersaliter asseruit in isto casu non perfici sacramētū defectu debitæ intentionis: quia introducens nouū ritū nō seruat legitimam Ecclesiæ intentionem.

Respondetur cū Soto in 4. dist. 1. q. 1. ar. 8. §. Ad hoc, & §. Sed tunc, quod S. Th. tam art. 8. quā art. 7. ad 3. & in 4. Sent. dist. 3. q. 1. art. 2. nō negat simpliciter, & absolute perfici sacramētū: sed adhibuit moderatē dicēdo, quod *non videtur*, id est, non præsumitur quantū est ex vi illius volūtat̄is, quod habeat intētionē. Vnde nisi aliū de conitaret de intentione, arguitur satis vehemēti præsumptione, quod vt plurimū nō perficit sacramētū. Absolute tamen potest retinere intētionē substantialem, adhuc cū vult errorē in ritu inducere; quia supposita ignorātia, illæ voluntates simul possunt esse in eodem. Imō etiā ex certa scientia quis potest habere rectā intētionē faciēdi, quod facit Ecclesia, & prauā voluntatē introducēdi nouū ritū;

quia vtriusq; volūtat̄is obiecta sunt distincta, & nō incōpatibilia: primæ enim intētionis obiectū est verū perficere sacramētū iuxta Christi institutionē, quæcūque sit illa: secūda verò intēdit ex parte sua adijcere, vel introducere nouum ritum.

19 Secūdo opponi potest decretū relatū Zachariæ Papæ, cap. *Retulerunt*, de *Consec.* dist. 4. ibi enim ideo definit valere baptismū in nomine patris, & filii, & c. quia baptizans noluit introducere errorē, aut heresim; sed fuit ex ignorātia Latinæ linguæ: Ergo a cōtrario, si scienter ex intentione peruersa introducēdi errorē, vel nouū ritum illo modo variaret formā, esset invalidum sacramētū iuxta Pōtificis decisionē. ¶ Propter hanc Papæ autoritatē, Soto vbi supra, & Serra art. 8. §. *Aduertendū*, & alij limitāt cōclusionē docētes procedere eius doctrinā quādo ritus permittitur ab Ecclesia nostra, quia tū cōseruatur intētio Catholicæ Ecclesiæ. Si verò nostra Ecclesia illos ritus execraretur, eodem naretque, profecto Græci non verè perficerent sacramenta; quia illos ritus inducētes intētionē Ecclesiæ aduersarentur.

20 Si hoc adduceretur vt signū ad præsumēdū de intētionē ministrī, verū diceretur. Sed tamē in rei veritate, etiā si ritus nō tollerētur à nostra Ecclesia, militāt rationes factæ. Vnde etiā si ritus improbenatur ab Ecclesia, si essētialia materiæ, & formæ, cū debita intētionē apponātur, validū perficitur sacramētū. Sicut validū esse Baptismū ab Arriano collatū, docet Siricius Papa epist. 1. c. 1. Deinde prohibitio, vel permissio Ecclesiæ, aut est ex institutione Christi circa essentialia sacramēti? In quo casu nō loquimur, quia supponimus, quod sine materia, & forma à Christo instituta, & sine intētionē nō valet sacramētū. Aut prohibitio, vel permissio est solū circa integralia, vel accidentalia, quæ nō sūt de essentia, & necessitate sacramenti? Et ille est casus nostræ cōclusionis. Sed tamen prohibitio solū faciet, quod sit peccatum velle opponi statuto Ecclesiæ; nō tamen faciet quod non valeat sacramentum, cū Ecclesiæ à Christo non sit commissum essentiam sacramentorum variare.

21 Aliter distinguit Bellarm. lib. 1. de Sacramētis cap. 21. prop. 2. notab. 5. dicens, quod si minister intendat inducere nouum ritum essentialē comparatione totius Ecclesiæ Christi, non conficit verū sacramentum. Bene tamen si solum inducat errorē respectu alicuius particularis Eccle-

Ecclesiæ, quam ipse putat non esse Ecclesiam Christi.

Hanc doctrinam (Authoris suppresso nomine) impugnant Vazq. disp. 129. c. 6. n. 93. & Bernal disp. 6. n. 54. quia si adest intētio faciēdi, quod facit Ecclesia Christi, & forma essentialis profertur super debitam, seu à Christo institutam materiam, semper variatio est accidentalis; & verum perficitur sacramentum; quidquid ipse erret, aut intendat introducere. Ergo quod Ecclesiæ ritus sit istius, vel illius Ecclesiæ est differentia accidentalis ad intentum.

22 Duobus alijs modis respōderi potest. Primo cum Nuño ar. 8. dist. 1. conc. 4. & ad 1. Cabrera disp. 1. nūm. 10. Suarez disp. 2. sec. 5. conc. 2. Trullench. n. 10. & alijs, quod quando mutatio formæ reddit ambiguum significationem; tunc maxime ex intētionē ministrī determinādū; quid velit significare, & si velle inducere errorē, non perficitur sacramentum, vt distat Summus Pōtiffex, quia adiuncta illa intētio verbis ambiguis destruit sensū essentialē formæ. Nec obstat; quod in casu Pontifici proposito apud audientes non esset ambiguitas, quia id erat per accidens, sumpta occasione ex communiter contingentibus in consueta forma baptismi; nam voces illæ ex se ambiguae erant; & satis expressiue erroris; & sic cum illa intētionē non perficerent sacramētum: illud tamē perficiunt Arriani, si in forma, qua vtiuntur errorē non expriment.

23 Secundo respondet Petrus Ledemato. 1. Summæ trac. 1. cap. 1. post. 10. cōclusionē, in illo casu sacramētū futurū in validū, nō defectu intētionis, sed defectu formæ, quia illa verba hac intētionē prolata satis expriment errorē contra significationē essentialē. Idē sequitur Vazquez cap. 7. n. 101. dicēs sacramētū fore nullū, quia parua intētio ministrī est contra substantiā formæ, hoc ipso quod illud vult per illas voces denotare, & hanc intētionem aliquo modo vocibus ipsijs exprimit: & ideo etiā pugnat cū intētionē Ecclesiæ essentiali, & cū forma, in qua ex intētionē Ecclesiæ, nō filia (quæ in Deo nō est) sed filius Dei verus esset invocandus.

Apponit exemplum Lugo disp. 2. sec. 6. n. 14. Nam si consecrans hostiam diceret: *Hic est corpus meum*; significans per illud *Hic*, adverbialiter sumptū, merā præsentia localē, destrueret verū sensum formæ significantis transubstantiationē; &

per consequens nō cōsecraret. Si vero illud *Hic*, ponat tanquā pronomen ignorātia, mutado genus neutrū in masculinū, verè consecrat, quia non procedit ex errore destruyente verum sensum formæ. Rectè ergo iuxta subiectam materiā respondit Pōtiffex, quia intētio introducēdi errorē exprimendo aliquid contra sensum essentialē formæ, tollit valorem sacramenti: ex quo non licet colligere propositionē vniuersalē; nec leuiter à Pōtiffice insinuatam, quod mutatio, vel additio cū intentione introducēdi errorē quæcūque, impediat valorem essentialē sacramenti.

§. III.

De mutatione cum errore, dubio, vel opinione falsa.

24 Dico quarto; quādo minister errat, vel opinatur falso aliquid esse de essentia formæ, quod reuera nō est; vel nō esse, quod reuera est: vel errat circa significationē vocum, aut circa personā, cui cōfert sacramētū, potest esse validū, si minister ad hoc nō coarctet, nec alligat suam intētionē. Imō si aliud ipse nō determinat, censendus est nō voluisse coarctare, validū que perfecisse sacramētū, in re que appouisse ea, quæ apponi debēt iure diuino. Tota assertio videtur cōmunis Theologorum: quamuis enim in contrariū citentur Scotus in 4. dist. 3. q. 2. Durandus, Adrianus, & alij. Tamen intelligendi sunt iuxta secundam partem assertionis, quia quādo minister coarctat intētionē ad vnam opinionē, casu quō illa sit falsa, non adest intētio faciēdi, quod facit Ecclesia. Quod autem hac intētio ita limitata non debeat præsumi de Catholicis, cōstat, quia nec in hæreticis communiter talis restricta intētio reperitur.

25 Prior vero pars assertionis probatur rationibus tertie conclusionis. Deinde, quia totaliter ignorans significationes vocum potest valide conficere sacramenta: ac proinde scientia, vel error priuatus non tollit generalem intētionem. Præterea, opiniones multæ sūt circa materias, & formas sacramentorum: & tamen de eorum valore non dubitamus, dum essentialia à Christo instituta adsint. Denique, valide consecrantur formulæ, de quibus actu non cogitat sacerdos; dum habeat intētionem consecrandi materiam præsentem: ergo pariter in alijs casibus priuatus error, vel existimatio non tollit generalē intētionem faciēdi, quod ex Christi in-

stitutione facit Ecclesia: & ideo valet sacramentum.

26 Dico quinto, quâdo est dubium rationale de invaliditate formæ, debet iterum proferri super materiam, non quidem absolute, sed sub conditione. Ita disponit Alexander 3. cap. 2. de Baptismo, & eius effectum, dicens. De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: si baptizatus es, non te baptizo: sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c. Et ratio est clara, quia sic occurritur incôuenienti, ne anima careat fructu sacramenti, si reuera non receperat sacramentum: & ne iteretur sacramentum non iterabile, si reuera iam erat perfectum. Non est autem necessarium conditionem exprimere, nisi quando dubium adstantibus est notum, quia sic vitatur scandalum, ne arbitrentur ministrum iterare sacramenta non iterabilia; vel super eandem materiã bis formam proferre. Quando autem dubium non est adstantibus notum, sufficit conditionem mente retinere.

27 Admonet tamen Soto art. 8. §. Circa hæc, quod in Sacramentis non iterabilibus (vt in Baptismo) periculosius est propter tenue scrupulum sacramentum iterare: in alijs vero (vt in Pœnitentia, & Eucharistia) minus dubium sufficit, vt forma iterari possit, quia ista sacramenta de se iterabilia sunt.

28 Verum nec ratio est solida; quia nullius sacramenti forma est iterabilis super eandem materiã: & ita ex hac parte omnium est par ratio. Nec doctrina alijs Thomistis placet, quin potius Nuño art. 8. diff. 2. & Petrus Ledesma cap. 10. post. 13. conclusionem, & alij communiter censent cum minori dubio posse, & debere iterari baptismum, quia est sacramentum necessitatis, & aliorum sacramentorum ianua: & sequuntur maxima inconuenientia, si illo caruit à principio. Et similiter sacramentum ordinis propter quocumque rationale dubium debet sub conditione iterari; quia reuera, si non est sacerdos, nec consecrabit hostiam, nec à peccatis absoluet: quæ inconuenientia non vrgent in alijs sacramentis: nam sæpè repetuntur; & qui vno die effectum sacramenti non suscepit, alio die suscipiet. Cõcordat huic doctrinæ S. Leo Papa epist. 35. cap. 1. dicens. In primis itaque providere debemus, ne dum speciem quandam cautionis tenemus, damnum regenerandarum incidamus animarum. Et infra docet in hoc non esse formidandum,

quoniam non potest in iterationis crimen devenire, quod factum esse omnino nescitur.

29 Vtrum in sacramentis liceat sequi opiniones probabiles? Disputatum est c. 1. Theologiæ Moralitatis q. 6. De quo etiam Serra hic art. 7. ad 2. & Araujo art. 8. dub. 4. 1. p. illius, & Ioãnes à S. Thoma to. 1. in 1. 2. disp. 12. art. 6. à folio 771. vique 775.

DVBIVM XV.

Vtrum intentio ministri intret ad componendum intrinsece sacramentum?

§. I.

Duæ novellæ opiniones referuntur.

Proponitur hoc dubium, vt examinemus duas recentes opiniones, recedentes à communi modo loquendi Theologorum. Priorem docet Cardinalis de Lugo disp. 2. de sacramentis sec. 7. per totam, asserens sex sacramenta, quæ consistunt in usu, includere intrinsece intentionem ministri. Sacramentum vero Eucharistia, quod non consistit in usu, sed in speciebus consecratis, non esse necesse quod intentio ministri includatur intrinsece in ipso sacramento. Quod clarius affirmat disp. 1. de Euchar. sec. 5. n. 89. ¶ Priorem partem probat illa sec. 7. ratione, quam n. 128. vocat gravissimam. Illud enim debet esse intrinsecum alicui composito, quo ablato, & manentibus omnibus alijs, non maneret compositum: sed posita materia, & forma baptismi, & omnibus alijs, præter intentionem ministri, non datur sacramentum: ergo illud, quod deerat, nempe intentio, erat aliquid intrinsece componens sacramentum: alioquin nihil deesset intrinsecum: & per consequens deficiente intentione, daretur totum esse intrinsecum sacramenti: atque adeo daretur sacramentum: quod nihil aliud est, nisi totum suum esse intrinsecum.

2 Secundo, in sacramento Matrimonij consensus internus contrahentium est pars intrinseca sacramenti; quia materia eius est contractus legitimus: nihil autem magis intrinsecum, & essenziale contractui, quam consensus contrahentium: quâdo enim consensus deest, non datur verus contractus, sed fictus, vel apparens. Ergo idem est dicendum de consensu interno, seu de intentione in baptismo, & confirmatione: cum eodẽ modo posset Christus

tus

instituire sola signa externa in Matrimonio, sicut in alijs: & consensus in Matrimonio sit quædam intentio faciendi verum, & legitimum contractum; sicut baptizans habet intentionem faciendi verum, & legitimum baptismum.

3 Confirmatur primo, quia non minus requiritur consensus internus in Episcopo conferente potestatem Ordinis, quam in coniuge dante potestatem supra corpus suum alteri coniugi. Nec minus intrinsecus debet esse ille consensus in vno casu ac in alio: nam vtraque est collatio potestatis, & iuris. Collatio autem, vt collatio est, est actio humana, & voluntaria includens omnino intrinsece voluntatem conferendi talem potestatem: Ergo sicut consensus internus est pars intrinseca Matrimonij, ita Ordinatio includit voluntatem internam Episcopi, quæ sane est intentio conferendi verum sacramentum Ordinis, vt constat. ¶ Quod argumentum fieri potest in sacramento Pœnitentiæ, quod includit veram absolutionem, & condonationem à Sacerdote positam; & ideo necesse est, quod includat intentionem remittendi, quam intrinsece includit omnis condonatio, & remissio, vt talis est.

4 Confirmatur secundo ex eodem sacramento Pœnitentiæ, in quo omnes factentur includi intrinsece ex parte materiæ, non solum confessionem, sed etiã dolorem internum de peccatis. Et tamen potuisset aliquis dicere, requiri quidem dolorem essentialiter ad valorem illius sacramenti; non tamen vt partem intrinsecam, sed vt requisitum extrinsecum. Ergo pariter intentio non solum est extrinsecum requisitum essenziale, sed est pars intrinseca sacramenti, sicut est dolor internus in sacramento Pœnitentiæ.

5 Denique ratio à priori est, quia minister in sacramentis novæ legis operatur nomine ipsius Christi, vt ab ipso delegatus ad absolvendum, consecrandum, &c. nomine ipsius: iuxta illud 1. ad Corinth. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi; & dispensatores mysteriorum Dei. Vbi vtrumque minus coniunxit, & ministri Christi, & dispensatoris. Vtrumque autem exigit intentionem in operante. Nam operari aliquem vt ministrum alterius, est operari ex autoritate ab illo accepta, & nomine ipsius. Ad quod exigitur, quod autoritatem acceptet, & velit operari ipsius nomine. Dispensatio etiam est actus humanus, exigens voluntatem dandi, trans-

ferendi, condonandi, &c. Ergo intentio ministri est aliquid integrans operationem illam in ratione dispensationis, & actionis ministri Christi.

6 Quod aliter etiã declarat n. 134. nã actio sacramentalis solum habet vim, & efficaciam, quatenus est moraliter actio Christi, operantis per hunc tanquam per suum ministrum. Ergo per illud per quod formaliter constituitur in ratione operationis Christi, per id etiam constituitur in ratione actionis sacramentalis. Sed ab intentione formaliter habet operari nomine Christi: ergo ab intentione habet denominationem operationis sacramentalis.

7 Secundam partem probat n. 136. quia intentio non causat partialiter gratiam sacramenti Eucharistia, nisi mediate, quæ reus causat continentiam Corporis Christi, à quo, & speciebus, vel ab ipso solo causatur immediate gratia. Neque etiam intentio intret partialiter ad constituendum sacramentum in ratione signi sensibilis: cū ipsa intentio non sit sensibilis, sed debeat sentiri per verba. Ergo ex nullo capite requiritur quod intret intentio ad constituendum intrinsece sacramentum Eucharistia: Eodẽ modo id probat disp. 1. de Euchar. sec. 5. n. 89.

8 Eidem sententiæ ex parte alia via subscribit Bernal disp. 3. sect. 6. Quamvis enim num. 149. fateatur omnes Doctores (excepto Lugo) aut tradere, aut vt exploratum supponere intentionem nulli esse sacramento intrinsecam. Tamen ipse §. 3. docet intentionem ministri intrinsecam esse sacramentis transeuntibus: quia includunt essentialiter unionem materiæ cum sacramentali forma: quæ unio intrinseca est compositio, seu sacramentum. In sacramentis autem ista unio non est aliud quam ipsa ministri intentio, nempe actus, quo vult ea verba proferte secundum Christi institutionem: & idem significare per verba sacramentalia, quod Christus voluit per ista significari. Quod facit profereudo sonos, & eis adiungendo significationem à Christo institutam. Cum autem extrema ista existere queant moraliter, quin moraliter sint unita, egret nexu medio ab ambobus distincto, quo moraliter uniantur. Eo autem ipso, quod velit illa duo coniungere minister, de facto coniungit non produciendo aliquid in illis, nec extra illa, distinctum à tali volitione: Ergo per ipsam volitionem illa duo extrema formaliter coniungent.

9. Addit n. 170. quod intentio subiecti non est cur dicatur intrinseca sacramento (quidquid dicat Lugo) quia nec est materia, nec forma, nec unio: quia omnia hæc à ministro fiunt. Deinde §. 4. probat Lugum non procedere consequenter in secunda parte suæ sententiæ, cū alioqui doceat verba consecrationis esse de intrinseca ratione sacramenti. Quo instantur omnes eius rationes. Ipse vero Bernal à n. 174. docet intentionem non esse intrinsecam Eucharistiæ; quia nec est materia, nec forma, nec unio: nam verba, seu locutio consecratiua, non sunt sacramento intrinseca: sacramentum enim permanens non est ministri locutio; eo quod Eucharistia in consecratione, non est sermo, quem sacerdos labijs suis loquitur.

§. II.

Probatur intentionem non esse partem intrinsecam sacramenti.

10. **A**mbæ istæ sententiæ laborant in æqui uocō, falsæque sunt, & cōtra cōmunem Theologorum. Pro quo aduertendum, quod distinctæ quæstiones sunt inquirere an intentio ministri essentialiter requiratur ad sacramentum, ita ut sine illa sit inualidum? Et inquirere an intentio ministri sit intrinseca sacramēto, ut pars, vel unio? Constat enim, quod causa efficiēs, & aliquæ conditiones extrinsecæ essentialiter exiguntur, ita ut sine illis non fiat effectus; & tamen causa efficiens, & conditiones extrinsecæ non sunt intrinsecæ effectui, nec ut partes, nec ut illarum unio. Igitur Authores duo distinctè asserunt, & quod intentio est necessaria, ita ut sine illa non valeat sacramentum; imò & quod est essentialis sacramēto: & simul negant esse quid intrinsecum sacramēto. Lugo autem suis argumētis solum probat primū, quod omnes concedunt; & inde male putat inferri secundum: quod omnes negāt. Et quia ne prematur cōmuni Doctorū autoritate, præmittit nu. 128. quod de hoc puncto non videntur Authores agere: id euidenter esse falsum, Doctorū verbis relatis, erit perspicuum.

11. S. Thomas priorem propositionē expressè probat 3. p. q. 64. art. 8. & alijs locis ibi referēdis. Sed præcipuè in 4. dist. 30. q. 1. art. 3. ad 3. ait, quod *intentio Ecclesiæ, quæ intendit tradere sacramentum, est de necessitate cuiuslibet sacramenti, ita quod ea*

*non obseruata, nil in sacramentis agitur. Quod communiter Theologi sequuntur, propter autoritatem Concilij Florentini in Decreto Eugenij, ubi inter tria essentialiter requisita ad valorem sacramenti, numerat personam ministri conferentis sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit. Imò S. Thomas non solum docet intentionem esse de necessitate sacramenti, ita ut sine ea non valeat: sed ulterius addit, quod est essentialis sacramēto. Vnde in 4. dist. 11. q. 2. art. 1. q. 3. ait. *Quod in sacramentis est duplex intentio: una quæ ordinatur ad perfectionem sacramenti: & hæc est essentialis sacramēto: unde ea præmissa, non est sacramentum. Quo loquendi modo etiam vtuntur Soto in 4. dist. 1. q. 5. ar. 8. §. Conclusio. Et Suarez q. 64. art. 8. in principio cōmentarij, & alij frequenter. Et hoc probant argumenta §. 1. proposita: & nos ostendemus quæst. 64. ubi est locus de his disputandi.**

12. Quod autem inde non inferatur secunda propositio, constat ex D. Thom. in 4. Sent. illa dist. 30. nam q. 1. art. 1. ad 3. ait, quod *character baptismalis non causatur ex intentione baptizantis directe; sed ex elemento materiali exterius adhibito. Intentio autem operatur solum ut dirigens elementum materiale ad effectum proprium; sed vinculum coniugale ex ipso consensu causatur directe; & ideo non est simile. Vbi S. Thom. materiam, & formam docet esse causam directam, quia sunt partes intrinsecæ sacramenti: quod est causa characteris: at vero characterē docet causari solum indirectè ab intentione, quia est aliquid extrinsecum, quod solum causat ut dirigens: & sic dicit non esse partem sacramenti, sicut est cōsensus: in quo è diametro opponitur priori sententiæ cōtendenti quoad hoc esse simile de consensu, & intentione: cum tamen S. Thomas non dicat non esse simile.*

13. Deinde Scotus in 4. dist. 6. q. 5. in fine corporis, ver. *Ad secundum dico*, ita ait, quod *ad baptismum pertinent aliqua tanquā intrinseca; & aliqua ut extrinseca: & concedo quod nil intrinsece pertinet ad ipsum, vel ad fundamentum eius, nisi sensibile. Tamen sicut causa efficiens requiritur necessario ad ipsum tanquam causa extrinseca: ita illud quod est quasi principium agendi tali causæ effectiuæ. Principium autem vltimum determinans agens intellectu*

le

le ad agendum, est intentio, quia tale agens per imperium voluntatis est causa actiua motiua aliarum potentiarum, quæ subiacent imperio voluntatis. Quando ergo dicitur, quod nihil pertinet ad sacramentū, nisi sit aliquid sacramenti, vel res eius, verum est de eo, quod est intrinsecum ipsius fundamenti, vel signati ipsius sacramenti. Sed *intentio neutro modo est intrinsecum: requiritur tamen ex parte agentis.* Ecce quod Scotus vtramque assertionem clarè docuit, ita ut nulla indigeat ponderatione.

14. Præterea clarissimè idem expriment alij Theologi: nam Vazquez disp. 129. cap. 3. n. 39. in fine aduertens Eugenium 4. in decreto fidei non dixisse omnia sacramenta constitui rebus, & verbis, sed perfici, ut probet quod diuersa sunt perfici, & cōstitui, ait. Hæc duo differre, patet, ex eo, quod Eugenius Quartus in decreto fidei, §. *Quinto Ecclesiasticorum*, inquit, omnia sacramenta perfici tribus, nempe materia, & forma, & intentione ministri: *Manifestum est autem sacramentum non cōstare in intentione ministri: siquidem intentio non est pars: & nihil aliquo constare dicitur, nisi tamquam parte.* Quod & docent Suarez disp. 2. lect. 2. in prob. 1. conc. Petrus Ledesma de Matrimonio q. 44. art. 3. dub. 2. conclus. 3. §. *Confirmatur primo.* Nuño q. 60. ar. 6. dist. 2. ad 5. ibi Cabrera disp. 2. Et Araujo dub. 3. ad 1. & passim alij. Vnde merito docet Raphael Aperia q. 64. lect. 3. cōc. 5. quod communiter Theologi docent, quod intentio non est pars intrinseca sacramenti.

15. Ratione impugnatur primo à priori: quia causa efficiens, applicans, vel dirigens est causa essentialiter requisita: sed tamen non est causa intrinseca: ut patet ex 2. Physicorum: quia in hoc distinguuntur causa efficiens, & finalis, à causa materiali, & formali, quod illæ sunt extrinsecæ, at vero materia, & forma sunt ex quibus res constituitur, & intrinsecè componitur. Quod clarius cernitur in artificialibus us: nā causa efficiens, vel ars non est pars intrinseca operis, vel artefacti. Sed intentio se tenet ex parte efficientis, & concurrat ut determinans, applicans, & dirigens. Ergo non est pars intrinseca sacramenti: seu conditio essentialiter requisita ex parte efficientis. Hæc est ratio S. Th. & Scoti.

16. Deinde probatur ratione Vazq. & aliorum: quia nihil aliquo constare dicitur intrinsecè, nisi sit eius pars (de unione

postea dicemus.) Sed intentio ministri non est pars sacramenti: ergo intentio ministri non est aliquid intrinsecum sacramēto. Maior constat inductione. Et quia totum solum intrinsecè constat ex suis partibus simul sumptis, & unitis. Minor vero probatur: quia intentio non est pars materialis, siquidem hæc est determinabilis per verba, si sit materia partialis: vel per significationem sacramentalem, si sit materia totalis. Intentio autem non determinatur per verba, nec per significationem sacramentalem, ut est per se notum. Simili ratione probatur intentionem non esse partem formalem, quia forma partialis est quæ determinat solam materiam; ut verba determinant aquæ abluionem: ministri autem intentio non determinat solam verborum formam. Forma autem totalis est sacramentalis significatio: est autem per se notum, quod intentio non est sacramentalis significatio: ergo intentio non est forma, nec pars sacramenti: ergo non est intrinseca sacramēto.

17. Tertio ut validum sit sacramentū, non minus requiritur intentio suscipientis, quā intentio conferentis: vnde adultus baptizatus esset inualidus, si suscipientis non adesset intentio, ut docet S. Thomas 3. p. q. 68. art. 7. ad 2. Et tamen intentio suscipientis non est pars intrinseca sacramenti; ergo quamuis intentio baptizantis essentialiter requiratur ad sacramenti valorem, non erit intrinseca sacramēto.

18. Responderet Lugo lect. 7. ad 3. in fine nu. 141. intentionem adulti comprehendendi posse sub nomine materiæ: nam ablutio v. g. in Baptismo, est actio, quæ exercetur circa tale subiectum, humanum, volens, &c. Quare sicut requiritur essentialiter ad valorem baptismi, quod corpus illud sit actu animatum: & per consequens animatio subiecti intrat partialiter ad denominandam abluionem in ratione materiæ validæ. Ita intentio adulti suscipientis sacramenti. Et sicut animatio videtur comprehensa nomine materiæ, dum requiritur pro materia ablutio corporis animati: sic intentio includitur ibi, quia materia est ablutio hominis volentis baptizari, si adultus est, &c. Sic indicat Suarez in simili disputatione 14. sec. 2. §. *Atq; ex his.* Hæc ibi.

19. Hanc solutionem impugnat Bernal nu. 148. Tum argumento facto, quia intentio suscipientis non est materia, nec forma; & ideo perperam subiecti intentio dicitur

dicitur sacramento intrinseca. Tum etiã, quia inde fiet, vt subiectum sacramenti sit causa efficiens sacramenti, saltem inadæquati: nam est causa efficiens suæ intentionis: hæc est intrinseca sacramento, & aliquid sacramenti: ergo istius subiectum est causa efficiens eiusdem, saltem partialiter. Deinde nu. 170. id probat, quia intentio subiecti non est vnio partium sacramenti, quia hæc fit à solo ministro. Et nu. 171. quia locutio sacramentalis fit vnione materię cum forma, quæ fit à ministro, qui per ipsam proximè loquitur. Subiectum autem per sacramentum, aut per eius verba non loquitur: ergo subiecti intentio non est intrinseca sacramento, sed sola conditio.

20 Sed quicquid sit de his argumentis, de quibus postea, vrgentius reijcitur solutio; quia ex ipsa vires sumit argumentum, quia corpus animatum nõ est materia, aut pars intrinseca sacramenti: sed illius subiectum sic dispositum: & tamen illo deficiente nullum est sacramentum; vt patet, si moreretur ante prolationem formæ: ergo ex parte materię, & ex parte agentis possunt esse conditiones essentielles, quæ nõ sunt partes intrinsecè componentes sacramentum. Sicut Concilium Florentinum definit ad valorem sacramenti essentialiter requiri personam ministri, quia sine ministro Christi nullum est sacramentum: & tamen persona non est pars intrinseca sacramenti: ergo nec eius intentio.

21 Nec bene illa solutio tribuitur Suarez, qui ibi solum ait. *Adde in sacramentis, quæ consistunt in usu, suscipientem quodammodo includi in materia, quatenus hæc consistit in passione aliqua, quæ circa suscipientem exercetur.* Vbi non loqui de materia intrinsecè componente, manifestum est ex illa limitatione quodammodo. Et quia loquitur de materia circa quam, & de subiecto suscipiente sacramentum: quod quid distinctum est à materia sacramento intrinseca. Et denique, quia illa ratio solum probat, quod sicut ex parte agentis sunt conditiones essentialiter requisitæ; ita ex parte suscipientis requiratur intentio: ex quo non infertur esse intrinsecam

vniam, aut aliam.



§. III.

Argumenta solvantur, & retorquentur.

22 Denique probatur, non solum ex facili argumentorum solutione: sed quia clarissimè valent in arguente retorqueri, vt patet singula percurrendo. Nam ratio illa grauissima apertissima laborat æquiocatione: nam maior, vel est aperte falsa. Vel claritatis gratia distinguenda, & concedenda de manentibus in facto esse: & sic materia, & forma, & vnio sunt intrinseca composito, quia quolibet deficiente, non manet. Neganda vero de requisitis in fieri, quia destructa causa efficiente, manet eius effectus; & tamen efficiens essentialiter requiritur vt res fiant: quamuis factum intrinsecè non componat.

23 Secundo instatur; nam ex vi presentis institutionis, si non adesset substantia panis, quæ est terminus à quo conuersionis in corpus Christi, non posset validum perfici sacramentum, quia non esset consecratio; nec transubstantiatio, quæ essentialiter requirit transitum vnus substantiæ in aliam: & tamen Eucharistia non componitur intrinsecè ex termino à quo, seu ex substantia panis, quæ definit esse: ergo bene compatitur aliquid essentialiter requiri ad aliquod compositum; & tamè, quod hoc intrinsecè ex illo non componatur. Sicut Philosophus 1. Physicorum numerat priuationem inter principia essentialia entis naturalis in fieri, quæ tamen illud non componit intrinsecè in facto esse.

24 Tertio ipse Lugo disp. 8. sect. 1. late docet cum Vazquez, quod ex vi presentis institutionis homines beati non possunt validè sacramenta ministrare. Quod licet nos non approbemus, vt potè nõ conforme doctrinæ S. Thomæ q. 64. art. 7. ad 2. Soto, Nuño, Suarez, & alijs ibi referendis. Tamen vt ad hominem argumentemur, id nunc supponamus. Et sic formatur instantia. Per te, status viatoris in ministro conferente est essentialiter, rebus vt nunc, requisitus ad valorem sacramenti. Et tamen status viatoris non componit intrinsecè sacramentum: ergo stat, quod aliquid sit ita essentialiter, quod sine illo non valeat sacramentum; & tamen illud intrinsecè nõ componat.

25 Quarto, in omnium sententia, si iam esset baptizatus, quamuis esset secunda ablutio cum intentione faciendi, quod facit

facit Ecclesia, & cum verbis formæ, nullum esset sacramentum: quia ex Christi institutione sacramenta imprimuntur characterem non valent iterari. Et tamen carentia alterius baptismi non est pars intrinseca huic sacramento: ergo ratio illa nil valet. Item deficiente Baptismo, qui est ianua sacramentorum, reliqua sunt inualida. Et tamen vnus sacramentum non est alijs intrinsecum; sed mera conditio, vel dispositio essentialiter requisita ad ipsorum valorem: ergo idem dici potest de intentione. Mitto plura, ne in re manifesta probanda nimium immoremur.

26 Ambæ etiam confirmationes, & secundum argumentum, retorqueri possunt contra arguentem. In primis, si dicatur, quod consensus internus non est pars intrinseca sacramenti matrimonij, sed aliquid essentialiter requisitum extrinsecè: eo quod S. Thomas in 4. dist. 27. q. 1. ar. 2. q. 1. & communiter Theologi dicunt, quod consensus est causa efficiens matrimonij. Ideoque cum causa efficiens sit extrinseca, non erit consensus pars intrinseca sacramenti matrimonij. Vnde S. Thomas in 4. dist. 26. q. 2. art. 1. ad 5. docet, quod in Sacramento Matrimonij Sacramentum tantum sunt actus exterioris apparentes. Pari- ter loquitur de Sacramento Pœnitentiæ 3. p. q. 84. art. 1. ad 3. Qua propter non de- sunt Theologi, qui dicant contritionem esse partem integram; magis essentialiter requisitam, quam satisfactionem: non tamen esse partem essentialiter componentem sacramentum tantum. Ita Cornelio de Eucharistia q. 73. disp. 2. dubio 5. eo quod arbitratur, quod sacramentum tantum debet esse adequatè res per se sensibilis. Quod si hoc admittatur, illa omnia argumenta potius sunt pro nobis, quia iam minus concurrunt in Matrimonio consensus; & in Pœnitentia contritio, quam in omnibus sacramentis exigatur intentio ministri.

27 Sed quicquid sit de hoc, admittimus quod in Matrimonio consensus internus est pars intrinseca sacramenti; & quod in Pœnitentia dolor internus eleuatur vt sit pars sacramenti: & negamus in alijs sacramentis actus internos esse partes intrinsecas sacramentorum; & a fortiori negamus in vilo sacramento intentionem ministri dantis, aut personæ recipientis sacramentum esse eius partem intrinsecam. A priori ratio differentiæ sumenda est ex diuina institutione, quæ colligitur

ex eo, quod Deus eleuauit ipsum contractum naturalem, vt esset sacramentum; & ipsam pœnitentiam virtutem, vt eius actus eleuati conferrent gratiam ex opere operato: quod non fecit in alijs sacramentis. Aptissimam rationem huius diuinae institutionis assignat S. Thomas 3. p. q. 84. art. 1. ad 1. in fine: & latius in 4. dist. 14. q. 1. artic. 1. q. 1. ad 1. quia sicut in corporalibus medicinis quædam ab extrinseco apponuntur: aliæ vero consistunt in actione, vel passione infirmi. Ita etiam in Sacramentis quædam non requirunt actum eius, qui sanctificatur, quantum ad substantiam sacramenti: nisi per accidens sicut remouens prohibens: sicut patet in Baptismo, & Confirmatione, & huiusmodi. Quædam autem requirunt essentialiter, & per se actum eius, qui Sacramentum recipit, ad essentiam sacramenti: sicut patet in Pœnitentia, & Matrimonio. Hæc S. Thomas. Sicut ergo de facto in alijs Sacramentis aliæ dispositiones requisitæ non sunt eleuatae à Christo vt sint partes intrinseca sacramenti: sicut in Pœnitentia, & Matrimonio: ita dicendum de intentione, cum hæc se teneat ex parte efficientis, & concurrat vt dirigens extrinsecè, & non vt intrinsecè componens.

Sed instabis: nam potuit Deus instituire, quod intentio; quæ in esse entis est extrinseca, & tenens se ex parte efficientis; sit intrinseca in esse digni, & artificiali. Sicut de facto instituit, quod verba consecrationis simul habeant vim effectiuam consecrationis, & simul sunt forma intrinseca sacramenti. Ergo non est cur dicamus non sic esse de facto institutum; cum intentio requiratur essentialiter ex diuina institutione.

Respondetur transeat antecedens, & nego consequentiam, quia de facto nõ instituit Christus, quod intentio sit sacramentum; nec quod sit forma determinans, nec materia determinabilis: & ideo sicut est extrinseca in esse efficientis, sic etiam in esse digni, & sacramenti.

28 Ratio illa a priori est S. Thomæ q. 64. art. 5. & art. 8. ad 1. & art. 9. qua probat necessario requiri intentionem ministri, quæ se subijciat principali agenti, qui est Christus, Deus homo: Et ideo minister in Sacramentis non agit virtute propria, sed virtute Christi. Ex quo ad summum infertur, quod sine illa intentione non valet sacramentum. Amò vterius diximus cum D. Thoma essentialiter requiri ad sacramentum. Iam tamen sæpè diximus inde non inferri esse illi

illi quid intrinsecum: quia causæ extrinsecæ, & earum essentielles conditiones sūt quid essentialiter requisitum; sed nō quid intrinsecum.

29 Vnde defectum illius rationis ad primam sententiæ intentum, notat Bernal h. 144. quia licet in sacramentis exigatur, quod conferens operetur vt minister Christi: & ad hoc exigatur intentio, & voluntas vtendi potestate ab illo accepta, in de non inferitur intentionem esse sacramēto intrinsecam: quia hæc voluntas illud nō constituit formaliter; quia nec id probatur: neque necessarium est: sed solum exigitur præsuppositiue; vt causæ efficientis conditio.

30 Addit nu. 145. ad idem confirmandum, quia cum minister volens operari vt minister, vult efficere totum sacramentū: ergo illa voluntas habet pro obiecto totū sacramentum. Non habet pro obiecto totali, vel partiali se ipsam. Ergo nec ipsa est totum sacramentum, nec aliquid sacramenti. Non igitur est sacramentum intrinsecum. Hæc ille. Nos de obiecto intentionis dicemus q. 64.

§. IV.

Intentio non est intrinseca vnio partium sacramenti.

31 **N**ec solidiori nititur fundamento sententia ipsius Bernal, sed magis aperta laborat æquiocatione, pro eodem accipiens actionem vniendi, quæ dicitur *vnio*, & ipsam *unionem* causatam, quæ vere dicitur *vnio*. Quamuis autem *vnio* sit intrinseca composito, cuius partes sunt *vnitæ vnione* (sive sit distincta ab extremis, sive non: sive sit relatio; sive modus: de quo 1. Physicorum, & 2. par. Metaphysicæ, latè egimus.) Tamen *vnio*, quæ est actio vniendi, est composito extrinseca: sicut & causæ efficiens, & actio vniens actiue. Vnde antequam tomus Bernal eaderetur, iam eius æquiocationem abstuleram 2. p. Metaphysicæ controu. 4. nu. 9. cum D. Thoma, & Caietano aduertens, quod licet vulgari loquutione, *vnio* soleat vocari *vnio*: hoc ideo est, quia vox, *vnio*, vt notat Caietanus 3. p. q. 2. art. 8. dupliciter sumitur: vno modo prout est nomen, quod declinatur, *vnio*, *vnionis*: alio modo vt est verbum, quod declinatur, *vnio*, *vnis*, & significat actionem vniendi in actu exercito.

32 Et quamuis adhuc de vnione sup-

ta pro significato nominis, *vnio*, non desint Scotistæ, qui dicant ad mentem sui Doctoris, quod solum est conditio ad totum constituendum. Tamen nos. 1. Physic. q. 4. nu. 40. non solum diximus esse quid intrinsecum, sed esse essentialiter composito, loquendo de modo vnionis, seu de fundamento relationis vnionis.

33 Verumtamen ex hac doctrina, potius inferitur, quod intentio ministri nō sit sacramentum intrinsecum, quia nō est vnio vt est idem ac nexus partium sacramenti vt est significatum nominis *vnio*: nec enim res, & verba ligantur aliquo actu interno, qui sit intrinsecus nexus eorum. Sed ad sūmum est *vnio*, vt est actio, seu vt est significatum verbi, *vnio*, *vnis*: ideoque est actiue à ministro. Vnde ex hac actione nihil intrinsecum rebus, & verbis superadditum resultare, ipse arguens expresse affirmat. Cum igitur *vnio*, quæ est actio vniens, sit rei vnitæ extrinseca: vt inductione patet: adhuc concessio, quod intentio ministri sit actio vnitiua partium sacramenti, non sequitur, quod sit intrinseca: sed potius probatur esse extrinsecam.

34 Dixi: *Adhuc concessio*, &c. quia in rei veritate actio vnitiua partium sacramenti non differt à voluntate, & actione ipsas producente: nec enim partes vniuntur aliquo modo, aut nexu intrinseco: sed solam habent vnitatem ordinis in esse signi, vt diximus dub. 10. n. 24. & 31. Intentio autem se habet vt dirigens, & vt determinans efficientem materiam, & formam, & vnionem in ratione vnus signi, & sacramenti. Vndique ergo apparet vnionem essentialiter, & necessario requiri ad valorem sacramenti: sed tamen non esse sacramentum intrinsecum, nec vt partem, nec vt vnionem, sed esse conditionem essentialem causæ efficientis extrinsecæ.

D V B I V M XVI.

Vtrum in omnibus Sacramentis sit sacramentum tantum, res tantum, resque, & sacramentum simul?

§. I.

Status dubitationis.

1 **Q**uod in omnibus sacramentis distinguendum debeat *Sacramentum tantum, & res tantum*, nullus Catholicus, qui vocum significationem agnouerit, potest negare.

negare: quia cum sit de fide, quod sacramenta nouæ legis conferunt gratiam, quæ significant, iam habemus sacramentum tantum, quod est signum sacrum à Christo institutum ad causandam, & significandam gratiam. Et cum res tantum accipiatur pro re significata, & causata à sacramento: & hæc sit gratia sacramentalis, iam habemus quod diuisio quoad duo mēbra negari nō possit. Sed quia ostendimus dubio 3. §. 4. quod gratia non est forma, nec de essentialia sacramentorum. Ideo optimè notat S. Thomas 4. dist. 24. q. 1. artic. 1. q. 2. ad 1. quod diuisio sacramenti in illa tria nō est in partes integrales, proprie loquendo, quia illud, quod est res tantum non est de essentia sacramenti.

2 Quod autem Theologi in sacramentis appellant *rem tantum*, Patres solent appellare *virtutem sacramenti*, vt constat ex S. Augustino tract. 26. in Ioannem non semel dicente: *Sed aliud est sacramentum, aliud est virtus sacramenti*. Et eodem modo loquitur S. Gregorius lib. 4. in lib. 4. Regum cap. 5. initio. Et Hugo de S. Victore to. 3. de sacram. par. 9. cap. 2. ait. *Quod foris est visibile, & materia est, sacramentum est: quod intus est invisibile spirituale, res, sive virtus sacramenti est*. Idemque dixerat S. Cyprianus de Resurrect. Christi nu. 4. verbis relatis dub. 3. nu. 3. Probat etiam Bernal disp. 5. sect. 1. nu. 12. ex illo verbo Christi Domini Luc. 8. ver. 46. *Noui virtutem de me exisse*, id est, effectum virtutis. Et ex illo eiusdem Euāgelistæ Lucæ 6. ver. 19. *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes*. Sed reuera istæ autoritates non multum vrgent, quia potius debent accipi vt sonant de virtute causatiua miraculorum, quæ à Christo exibat, & ea mediante miracula operabatur. Sicque accipiuntur à D. Cyrillo relato in Catena auctore D. Thomæ Lucæ 6. ver. 19. ad illa verba: *Virtus de illo exibat*: dicente: *Neque enim alienam virtutem accipiebat Christus: sed cum naturaliter esset Deus, propriam virtutem super infirmos emittens, sanabat omnes*. Quod autem gratia in phrasi S. Augustini, possit vocari res tantum, colligitur ex illo tract. 26. in Ioannem illis verbis: *Sed magis tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducatur, & bibit*. Vbi condistinguit sacramentum à signato sacramenti, quod vocat *re*, & est res tantum, quia significatur, & non significat.

3 Difficultas maior est de tertio mēbro diuisionis, nempe de *re*, & sacramentum simul. Illud expresse tradit Hugo de S.

Victore to. 3. in lib. Sententiarum tract. 6. cap. 3. vbi de Eucharistia loquens, ait. *Nunc videndum est in hoc Sacramento, quid sacramentum, quid res sacramenti? 1. a hoc considerare oportet: vnum quod est sacramentum, & res tantum; alterum, quod est sacramentum, & res sacramenti; tertium quod est res sacramenti*. Capite autem 15. eiusdem tractatus loquendo de extrema vnctione solum duo membra diuisionis expressit dicens: *Sicut in alijs sacramentis, ita & in isto, aliud est sacramentum, aliud res sacramenti*. Eodemque to. 3. tract. eruditionis Christianæ fidei de sacramentis par. 9. cap. 2. solum proposuit diuisionem bimembrem, adiugens. *Quod foris est visibile, & materiale, sacramentum est: quod intus est invisibile, spirituale, res, sive virtus sacramenti est*.

4 Præterea Innocentius Tertius in capite. Cum Martine, de celebratione Missarum, §. distinguendum est a rem, loquendo de Eucharistia, tria illa expresse distinguit, ait namque. *Distinguendum est tamen subtiliter inter tria, quæ sunt in hoc Sacramento discreta; videlicet, formam visibilem, veritatem corporis, & virtutem spiritualementem*. Formam est panis, & vini; veritas carnis, & sanguinis: virtus vnitatis, & charitatis. Primum est sacramentum, & non res; secundum est sacramentum, & res: tertium est res, & non sacramentum. Sed primum est sacramentum genuinæ rei, secundum est vnus sacramentum, & alterius res existit: tertium est res gemini sacramenti. Ergo Authore Innocentio Papa, in Eucharistia sacramentum tantum sunt species consecratæ; res & sacramentum simul est corpus, & sanguis Christi Domini: res tantum est gratia, seu virtus vnitatis, & Charitatis. Idem docet Magister Sententiarum dist. 8. cap. 4. loquendo etiam de Eucharistia. Et loquendo de Pœnit. dist. 22. cap. ultimo, quamuis enim ibi videatur aliorum restitisse sententiam; quia tamen nec eam impugnat, nec aliam proponit, eam tacite videtur approbare.

5 Dubitant nunc recentiores, vtrū teneamur diuisionem trimembrem in omni sacramentum admittere? Quia nec in Concilio, neque in Patribus talis diuisio reperitur. Specialiterque D. Augustinum, Patres, aut Concilia non docuisse, quod in singulis sacramentis hæc tria reperiantur, probat Vazquez de Pœnitentia q. 84. ar. 1. dub. 3. à n. 2. vsque ad 8. quamuis admitat traditam à Mag. Sententiarum, & ab alijs Scholasticis.

6 Bernal vero disp. 5. de Sacramentis

ris sect. 1. n. 7. & 8. probat falso dici eam diuisionem trimembrem pro omnibus Sacramentis à Magistro Sententiarum fuisse traditam. Et num. 9. & 10. ait. Quod attinet ad Scholasticos Doctores, fateor plurimos in ea fuisse: non vero S. Thomam, vel in ea fuisse, vel saltem perstitisse. Nā in libro quarto Sententiarum ad summam diuisionem, quam aliqui renebant, permisit: vt videre est dist. 23. q. 1. ar. 2. in fine: & dist. 26. q. 2. art. 4. in fine. Distinctionem autem illam S. Thomas in Summa, nec permittere quidem videtur, quia solum in Pœnitentiā id admisit 3. p. q. 84. art. 1. ad 3. dicitur forte, si Summam absoluit, non illam locum habere in aliquo sequenti in Sacramentorum. Et sane (inquit Bernal) multi Doctores hodie iure cōsent, nullam esse obligationem eius diuisionem in omni Sacramento admittendæ. Qui autem sint isti multi Doctores, ipse non dicit, nec ego noui, quia nullum, præter ipsum, legi, id affirmantem. Sed est opinio antiquata, iam diu relata, & reiecta à Paludano in 4. dist. 14. q. 1. art. 2. n. 14. dicente. Dicit ergo quidam quod sola sacramenta, quæ imprimunt characterem, habent in suscipiente illud medium inter rem, & Sacramentum, scilicet ipsum characterem: alia vero omnia non habent aliquid tale, vt Pœnitentiā, Matrimonium, & Extremam vñtionem. Hæc Paludanus refert, & impugnat. Nec ipse Bernal audet à cœtu omnium Doctorum pœnitentis aberrare: quāuis enim lect. 4. nu. 43. dicat. Animus fere erat in hac disputatione nō vltetio pro gredi: & Pœnitentiæ, Vñtionis, & Matrimonii Rem, & sacramentum non assignare. Tamen, quia nu. 45. subiungit, quod ratione inconsummā adhibita, cōperit posse rem, & sacramentum simul tribus prædictis sacramentis, tum facillimè, & solidissimè, tum ad communem sentiendi modum consonantissimè, & consequentissimè tribui. Ideo non est cur eum à cōmuni Doctorum recessisse dicamus.

§. II.

Ex D. Thomā in omnibus assignatur res, & Sacramentum simul.

7 **Q**uāntum vero attinet ad Angelicum Doctorem, non possunt nō egre ferre, quod ea, quæ de facto docuit, nolit sincere legere, intelligere, & admittere: & fingat obiecta sciētiae mediæ (quæ nec Deus habet) quæ dicitur forte esset, si Summam absoluisset, &c. quia cit relinque

re certa, & proliro de conditionalibus, somniatis, & cōfictis diuinare. Ex indubitatis S. Thomæ scriptis manifestissimè habemus hanc diuisionem trimembrem in omnibus, & singulis sacramentis ab ipso fuisse traditam. Vnde ab omnibus eius discipulis, imò & ab omnibus alijs Theologis, id fuit vsque modo absque contradictione admissum.

8 Vt autem melius de mente Diuini Thomæ lectores valeant certificari, placuit omnia illius testimonia verbatim transcribere: quia simul habebimus ad eius mentem expressum, quid in vnoquoque sacramento sit sacramentum tantum, quid sit res tantum, quid res, & sacramentum simul. Loquendo de Baptismo 3. p. q. 66. art. 1. ad 1. ait, quod id quod est Sacramentum, tantum in Baptismo, transit: permanet autem, & id quod est sacramentum, & res, scilicet character: & id quod est res tantum, scilicet, interior iustificatio. Ponit in Baptismo Sacramentum tantum esse abluionem corporis externam sub præscripta forma verborum. & hanc docet transire: characterem vero esse rem, & sacramentum, quia & significat, & significatur, & indelebiliter permanet: interiorem vero regenerationem, seu illuminationem, seu iustificationem permanere, sed amissibiliter, ideoque esse rem tantum. Vnde in corpore illius articuli dixerat S. Thomas. *Idea Magister in 4. dist. 3. dicit, quod baptismus est ablutio corporis exterior, facta sub forma præscripta verborum. Res autem & sacramentum est Character baptismalis, qui est res significata per exteriorem abluionem: & est signum sacramentale interioris iustificationis: quæ est res tantum huius Sacramenti, scilicet significata, & nō significans.* Hæc S. Thomas. Vbi & rationem diuisionis assignat, quia in omni sacramento, præcipue in tribus imprimētibus Characterem, & est aliquid quod significat, & non significatur, & aliquid quod significatur, & non significat: primum est sacramentum tantum: secundum res, & sacramentum simul: tertium res tantum.

9 Loquendo autem de Sacramento Cōfirmationis in 4. dist. 7. q. 1. art. 3. q. 2. in corpore exponens diffinitionem, & formam Cōfirmationis, ait. *Secundo ponitur ipse sacramentalis actus cum sua materia, & effectu, vt sic tangatur, & id quod est sacramentum tantum, in hoc, quod dicitur, Cōfirmate: & id quod est, & Sacramentum, in hoc, quod dicitur, Cōfirmo, id est sacramentum*

Con-

Cōfirmationis præbeo: & id quod est res, & non sacramentum, in hoc, quod dicit, Salutis. Et in titulo quæstionis secundæ, ait. *Deinde quæritur de effectu Cōfirmationis. Et circa hoc quæritur duo. Primo, de effectu, qui est res, & Sacramentum, scilicet, character. Secundo, de effectu, qui est res tantum, scilicet, gratia.* Idem sumitur ex D. Thomā 3. p. q. 72. art. 4. in corpore: quia Cōfirmatio sub præscripta forma, est sacramentum tantum: character est res, & sacramentum, & gratia est res tantum.

10 De Eucharistia autem ipse S. Thomas 3. p. q. 73. art. 1. ad 3. ait. *In Sacramento Eucharistia, id, quod est res, & Sacramentum, est in ipsa materia: id autem quod est res tantum, est in suscipiente, scilicet, gratia, quæ confertur: in baptismo autem vtrumque est in suscipiente, scilicet, & character, qui est res, & sacramentum, & gratia remissionis peccatorum, quæ est res tantum: & eadem est ratio de alijs Sacramentis.* In istis vltimis verbis clarè docet, quod in omnibus sacramentis hæc triadistingui debent: licet in sola Eucharistia res, & sacramentum simul sit in ipsa materia: quia sacramentum tantum in ipse cibus consecratur: res, & sacramentum simul est corpus, & sanguis Christi contenti sub Sacramento: res tantum est gratia.

11 Loquendo autem de Pœnitentiā S. Thomas 3. p. q. 84. art. 1. ad 3. ait, quod etiam in Pœnitentiā est aliquid, quod est sacramentum tantum, scilicet, actus exterior exercitus, tam per peccatorem pœnitentem, quam etiam per Sacerdotem ab oluente: res autem, & sacramentum, est pœnitentiā interior peccatoris: res autem tantum, & non Sacramentum, est remissio peccati. Quorum primum totum simul sumptum est causa secundæ: primum autem, & secundum sunt quodam modo causa tertij. Ecce S. Thomam docentem in sacramento non imprimente characterem, nec in se continente Christum, dari rem, & sacramentum simul: & simul notare, quod non eo rigore quod causat sacramentum tantum, debet causalitè id quod est res, & sacramentum simul, vt patet ex illa particula, quodam modo, quamuis rei, & sacramento simul, vt coniungitur cū sacramento tantum, causalitas conueniat respectu illius, quod est res tantum.

12 Pariter de Extremavñctione ait S. Thomas in 4. dist. 23. q. 1. art. 2. q. 3. ad 2. quod in hoc sacramento res, & sacramentum non est character, sed quædam interior devotio, quæ est spiritualis vñctio.

13 Quod in sacramento ordinis sit aliquid quod sit res, & sacramentum simul, nullam habet difficultatem, cum characterem imprimat. Imò S. Thomas in 4. dist. 24. q. 1. art. 1. q. 2. ad 1. ait, quod de vñctio sacramenti in illa tria, non est in parres integritas, proprie loquendo, quia illud, quod est res tantum, non est de essentia sacramenti: quod est etiam sacramentum tantum transit, & sacramentum manere dicitur. Vnde relinquitur, quod ipse character interior sit essentialiter, & principaliter ipsum sacramentum Ordinis. Ergo in Ordine negari nequit quod character sit res, & sacramentum simul.

14 Vt autem nullum sacramentum à D. Thomā sit prætermisum, loquendo de Sacramento Matrimonij in 4. dist. 26. q. 2. ad 5. ait. *Quod etiam in hoc sacramento sicut illa tria, quia sacramentum tantum sunt actus exterioris apparentes: sed res, & sacramentum est obligatio, quæ inuascitur vni ad mulierem ex talibus actibus: sed res vltimo contenta est effectus huius sacramenti: non contenta autem res, quam Magister determinat. Hæc S. Thomas.*

Denique de omnibus Sacramentis ipse S. Thomas in 4. dist. 4. q. 1. art. 4. q. 2. ad 1. ait, quod quamuis illud, qui est res, & sacramentum in baptismo, sit character: non tamen oportet, quod sit character in omnibus sacramentis, in quibus est res, & sacramentum. Quid autem sit res, & sacramentum in singulis, postea sigillatim ostenditur: nempe locis iam relatis. Ne autem quis fingat hoc retractatum: attendat eisdem verbis à D. Thomā assertum 3. p. q. 63. ar. 6. ad 3. vbi ait, quod licet character sit res, & sacramentum: non tamen oportet omne id, quod est res, & sacramentum, esse characterem. Quid autem sit res, & sacramentum in alijs sacramentis, infra dicitur: nempe in materia cuiusque in specialibus.

§. III.

Tres difficultates obijciuntur.

15 **D**octrina hæc S. Thomæ, & communis, facilis est, quoad tria Sacramenta imprimētia characterem: nec negari valet quoad Eucharistiam, quia de illa expresse loquitur Innocentius Tertius, Hugo Victorinus, & Magister: & prænotata doctrina, & differentia à D. Thomā assignata, facillimè percipitur. Quoad reliqua vero sacramenta Neotherici vrgēt antiquas difficultates.

Arguitur ergo ad probandum, quod Pœni-

Poenitentia interior peccatoris non potest esse res, & sacramentum simul in sacramento Poenitentiae. Tum, quia res, & sacramentum simul non est causa sacramenti tantum, sed potius causatur ab ipso Sacramento: sicut Baptismus causat characterem, & ab ipso non causatur. Sed Poenitentia interior est prior externa confessione, & ipsam causat, & ab ea non causatur. Ergo poenitentia interior nequit esse in hoc sacramento res, & sacramentum simul. Tum, quia id quod in sacramento est res, & sacramentum simul, id habet non ex natura rei, sed ex diuina institutione libera: quia ut inquit Hugo de S. Victore libro 1. de Sacramentis parte 9. cap. 2. Sacramenta significant ex institutione diuina. Sed exterior poenitentia significat interiorem naturaliter. Ergo poenitentia interior non est res, & sacramentum simul in sacramento Poenitentiae.

16 Quod vero interior deuotio, seu spiritualis unctio non sit res, & sacramentum simul in Extrema unctio, probatur: Tum, quia id quod est res, & sacramentum simul, non solum debet significari, & causari a sacramento: sed etiam significare, & causare sacramentum. Vnde res, & sacramentum simul ita diffinitur: *Est id, quod ex Christi institutione rem sacram significat, & producit: & ab altera re sacra significatur, atque producitur.* Sicut patet in characteris baptismali, & similibus. Sed deuotio interior non causat id quod est res tantum in extrema unctio, quia non causat gratiam, & sanitatem: ergo non est res, & sacramentum illa spiritualis unctio. Tum quia illa interior deuotio non semper causatur ab extrema unctio. Et si autem aliquando causaretur, etiam causatur a Baptismo, Poenitentia, & multo magis ab Eucharistia, de quo sacramento inquit S. Th. Opusc. 57. quod in illo mens omnium charismatum abundantia impinguatur. Nec tamen in alijs sacramentis docet Theologi, quod deuotio interior sit res, & sacramentum simul. Ergo nec in Extrema unctio spiritualis unctio est res, & sacramentum. Praecipue, cum quaelibet gratia Spiritus Sancti dicatur spiritualis unctio, ut de Spiritu Sancto, eam causante, canit Ecclesia.

17 Denique, quod in Matrimonio obligatio, quae inascribitur viri ad mulierem, non sit sacramentum tantum, probatur in primis, quia haec obligatio non est causa gratiae, ut patet: Res autem, & Sacramentum debet esse signum, & causa

rei tantum: sicut sacramentum tantum est causa vtriusque. Deinde, quia illa obligatio nascitur ex natura contractus: quia diximus cap. 26. Theologiae Moralis q. 2. num. 1. quod obligatio est vinculum, quo contrahentes adstringuntur, ad aliquid faciendum, vel omittendum, ut dicitur l. 1. de Pactis. Rursus, quamuis matrimonium ut sacramentum nouae legis habeat maiorem indissolubilitatem, quam alij contractus, & quam idem Matrimonium apud Gentiles, vel apud Iudaeos, tamen inde non sequitur, quod illa obligatio perpetua, aut indissolubilitas sit res, & sacramentum simul: quia id non habet causatum a sacramento tantum: sed habet vel ex Dei voluntate, quam explicuit Christus dicens: *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* Vel habet Inquatum est signum unionis Hypostaticae: vel etiam unionis per gratiam habitalem inter Christum, & Ecclesiam. Quas uniones potest matrimonialis coniunctio significare, etiam si illa obligatio non ponatur esse res, & sacramentum simul. Ergo inconuenienter tribus sacramentis praedictis assignatur res, & sacramentum simul.

§. IV.

Probatum pacem, & consolationem internam non esse rem, & sacramentum in Poenitentia.

18 Quamuis haec argumenta non possint complete dissolui usque dum de singulis sacramentis sigillatim disseramus: tamen ut nonnulla, quae hic a Recentioribus obijciuntur, dissoluamus, non potuimus ea omnino ad proprias materias remittere, ne difficultates fugere videamur.

Ad primam Lugo disp. 2. sect. 8. a 147. usque 165. refert, & impugnat lex dicendi modos: & ut proprium statuat, praemittit num. 166. verba Concilij Tridentini Sess. 14. cap. 3. ubi de re sacramenti Poenitentiae licet ait. *Sane vero res, & effectus huius Sacramenti, quantum ad eius vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo: quae interdum in viris pijs, & cum deuotione hoc sacramentum suscipientibus, conscientiae pax, ac serenitas, cum vehementi spiritus consolatione consequi solet.* Ex quo loco probat pacem illam internam esse rem, & sacramentum in Sacramento Poenitentiae, in hac forma arguens. In praedictis verbis videtur Concilium eodem modo loqui de hac

con-

conscientiae pace in ordine ad hoc sacramentum, sicut postea agendo de Extrema unctio in eadem sess. c. 2. dixit sanitatem corporis esse illius effectum, & rem: Nam sicut ibi, cum expedit, consequitur salus corporalis, ita hic in viris pijs sequitur conscientiae pax, & spiritus consolatio. Sicut enim est proprium cibi delectare palatum; & ideo Eucharistia affert saepe dulcedinem spirituale, quae est secundarius eius effectus, ut colligitur ex decreto Eugenij 4. Sic est proprium reconciliationis factae pacem, & tranquillitatem causare. Sicut ergo ex multorum lenitentia, sanitas corporis est res, & sacramentum in Extrema unctio, quia significat, & significatur: sic eodem fundamento dicere possumus, in sacramento Poenitentiae pacem illam internam esse rem, & sacramentum: quia & significat, & significatur: significat quippe pacem restitutam cum Deo per gratiam, & remissionem peccati: significatur autem per partes huius sacramenti, nempe per materiam, & formam. Haec ibi.

19 Adeo varia sunt hominum ingenia, quod si ego vellere haec cogitationem impugnam, radicatusque euellere, non inuenire te simoniam efficacius, neque exempla aptiora, neque rationem validiorē contra eum, quam haec, quae retulimus pro se afferre. Sed manifestissimum videtur haec omnia contra eum militare. In primis vim infert verbis Concilij, quod expresse loquitur de eo quod est restitutum: & ipse cōtorquet ad id quod est res, & sacramentum simul. Retorquetur ergo in hac forma. Id quod in facta materia est restitutum, non est res, & sacramentum simul. Quod constat ex vocum proprietate. Et inductione in omnibus sacramentis. Et quia res, & sacramentum significatur, & significatur: res restituta non significat, sed significatur. Sed Concilium Tridentinum illam pacem, & serenitatem cum vehemēti spiritus consolatione, ponit ex parte rei restituta. Ergo non est res, & sacramentum simul ex mente Concilij.

Secundo, res & sacramentum simul praecedat re restituta, quam significat, & saepe causat. Sed illa pax subsequitur re restituta in Poenitentia, ex verbis Concilij. Ergo ex illis potius infertur, quod non sit res, & sacramentum simul.

20 Tertio, exemplum de Extrema unctio idem conuincit, quia S. Thom. ut retulimus n. 12. non ponit sanitatem corporis esse ibi rem, & sacramentum, sed potius interiorem unctioem. Quam sententiam ut communem refert, & appro-

bat Henriquez lib. 3. de extrema unctio cap. 9. §. 2. Nec impugnat Lugo in unctio 146. Imo ut Theologorum communem, videtur approbare n. 169. Ergo si Concilium parificat quoad hoc Poenitentiam, & Extrema unctioem, inde potius infertur, quod non sit illa pax in Poenitentia res, & sacramentum simul. Denique exemplum de Eucharistia etiam est ad oppositum, quia neque ab ipso Lugo, nec ab vilo Theologo asseritur, quod illa delectatio sit res, & sacramentum: sed est effectus secundarius: & ita se tenet ex parte rei tantum: ergo pariter deberet affirmare in sacramento Poenitentiae.

21 Accedunt etiam quinque impugnationes, quas contra Lugum, proponit Bernal disp. 5. sec. 3. n. 36. & 37. dicens. *Miror tamen rebus tam afflictis tam debile subsidium afferri.* Primo namque Tridentinum, cum amicitiae reconciliationem appellet rem huius sacramenti, pacem tamen, & consolationem istam neque appellat rem, neque sacramentum. Quod autem ait, eam interdum consequi ad rem huius sacramenti; sicut sanitas corporis ad rem unctioem, probat quidem eos, qui dicunt sanitatem corporis esse unctioem rem, & sacramentum, consequenter dicunt, consolationem istam respectu Poenitentiae esse vtriusque. Ceterum illud neque a Lugo, neque ab alijs rite pronunciarum n. seq. demonstrabitur.

Secundo, quod affertur de oblectatione palati, contra suos Authores est: nam ille gustus non est Eucharistiae res, & sacramentum. Tertio, Baptismus in adulto plerumque sequitur ingens animi tranquillitas, & consolatio. Nec tamen haec respectu Baptismi est res, & sacramentum: ergo neque illa respectu Poenitentiae. Quarto, criminis confessio, quia naturaliter significat dolorem; ideo Authore Lugo, non est sacramentum illius: At qui pax, & consolatio ex amicitiae reconciliatione resultans, naturaliter eam significat: ergo inconsequenter asseritur sacramentum eius.

22 Quinto demum, & potissimum, quia a priori. Quod eniam est simul res, & sacramentum, debet efficienter causari ab aliquo claro signo: hac enim conditione constituitur res sacramenti: & debet efficienter sacramentum aliquam rem inducere; nam ista conditione constituitur sacramentum rei. At qui pax, & consolatio dicta, licet concedatur significari, & causari ab aliqua parte,

G

te,

re, vel à toto sacramento Poenitentiae, ac proinde esse res sacramenti: tamen dici non potest efficienter inducere sacram ali quam rem, vt per se constat. Ergo manifestum est dici non posse sacramentum rei: quod est apertissime deficere ab essentia rei, & sacramenti simul. Miror autem, quod P. Lugum difficultas hæc, aut præterierit, aut non mouerit: quippe quem hæc sola compulerit ad negandum contritionem esse rem, & sacramentum simul, vt patet n. 164. & 165. Hæc Bernal Lugum notās inconsequentia.

23 Ipse verò tota sect. 4. dicit *facillime, & solidissime, & ad communem sentiendum modum consonantissime*, difficultatem totā expediri, negando quorundam definitionem eius, quod est res, & sacramentum simul: requirunt enim, quod efficienter causetur à sacramento, & quod ipsam rem sacram efficienter inducat. Cū tamen neutrum illorum sit essentiale rei, & sacramentum: sed solum vt à re sacra significetur, & sacram alteram significet. Quod probat primo, quia apud Doctores in hac diuisione non accipitur sacramentum strictè, sed latè pro signo rei sacrae. Deinde, quia in Extremam actione id, quod ponitur res, & sacramentum, non est productiuum rei tantum: & pariter in Matrimonio. Et quamuis in aliquibus reperitur significatio, & causalitas, non conuenit ex ratione communi, sed ex ratione differentiali: sicut aliqua causalitas conuenit sacramentis noue legis, quæ non conuenit sacramentis vt sic, nec sacramentis antiquis. Vnde vera distinctio rei, & sacramenti simul erit, quod in sacramentis, & signo sacro significatur, & re sacram significat.

24 Et eadem n. 55. Poenitentia in re, & sacramentum simul decernit vehementer illam consolationem ex pacis, & amicitiae reconciliatione interdum oriri solita, quam ex Tridentino retulimus. Nam, & est effectus sacramenti; atque adeo res, & externo aliquo actu facta sensibilis, & est signum tenibile gratiae, atque adeo sacramentum. Neque obstat, quod etiam in Baptismo aduitorum par consolatione interdum sentiatur: siquidem ei sacramento multa possunt competere, quorum vnū quodque sit res, & sacramentum simul: quia possunt in vno sacramento plures res inueniri quarum quælibet sit, & sacrum signum, & sacro signo significetur: sicut si in Eucharistia, & in quibusdam alijs concurrat plura ex parte sacramenti tantum, non est cur non possint concurrere plura ex parte

rei, & sacramenti simul. Quò circa Baptismo pro re, & sacramento simul erit, & proprius character, & eiusmodi consolatio.

25 In hac solutione vnum solum placet, & plura displicent. Placet quod in aliquibus sacramentis in eo quod est res, & sacramentum simul, solū requiratur, quod significet, & significetur, & quod non exigatur rigorosa efficientia respectu illius, quod est res tantum: quia sic facilius omnibus sacramentis assignatur res, & sacramentum simul. Et quia sic insinuat S. Th. 3. p. q. 66. art. 1. in fine cor. & q. 84. art. 1. ad 3. in illa particula *quodammodo*. Et in 4. dist. 26. q. 2. a. 3. ad 3. loquendo de illo, quod est res, & sacramentum simul in Matrimonio, solū ait, quod *huiusmodi nexus ex virtute diuina institutionis dispositiue operatur ad gratiam*. Vnde non requirit rigorosam efficientiam.

26 Displicet vero primo, quod tam prolixè hoc proponat quasi à se excogitatum: cum tamen potuisset legere Suarez de Poenitentia disp. 18. sec. 5. n. 5. eandem opinionem referentem, & attribuentem Magistro, S. Bonauenturae, & Alensi. Quos etiam pro eadem sententia refert Araujo 3. p. q. 84. art. 1. dub. 5. Quamuis reuera Magister in 4. dist. 22. cap. ultimo eam opinionem referat, sed non approbet.

Secundo displicet, quod in sacramento Poenitentiae omnem prorsus causalitatem excludat in eo, quod est res, & sacramentum, respectu illius, quod est res tantum: cum tamen Magister illa distinctione 22. in fine, referat, & tacite approbet, quod *interior Poenitentia, & res est sacramenti, id est, exterioris Poenitentia, & sacramentum remissionis peccati, quam & signat, & facit*. Quod & approbat S. Th. ibi, & 3. p. q. 84. art. 1. ad 3. & eisdem locis communiter Theologi.

27 Tertio displicet, quod in sacramento Poenitentiae assignet pro re, & sacramento illam consolationem; cum tamen Concilium Tridentinum eam ponat ex parte rei tantum: & militat contra hoc, quæ obicimus contra Lugo n. 19. & 20. quem cum Bernal impugnauerit, non solum propter inconsequentiam doctrinae, sed etiam propter alia quatuor motiua; nunc minus consequenter eius amplectitur opinionem. Quarto displicet, quod contra omnes Doctores, & absque solido fundamento, assignet Baptismo pro re, & sacramento simul illam consolationem, quæ nec significatur à sacramento externo, neque significat re sacramenti: ideoque nullam habet conditionem requisitam vt sit sacramentum, & res.

f. 5.

f. V.

Poenitentia interior res est, & Sacramentum.

28 **A**liter ergo ad primam difficultatem dicimus, quod eam quoad vtramque partem sibi obiecerat S. Thomas, qui respondet in 4. dist. 22. q. 2. art. 1. q. 2. ad 1. quod Poenitentia interior potest considerari prout est quidam actus virtutis: & sic interior Poenitentia est omnino causa exterioris: sicut etiam in alijs virtutibus actus interiores sunt causae exteriorum. Alio modo prout est actus operans ad sanationem peccati: & sic pertinet ad Poenitentiae sacramentum. Et ita interior Poenitentia non est causa exterioris, sed effectus, vel signatum ipsius: Non enim habet efficaciam operandi contra morbum peccati, nisi ex suppositione propositi exterioris Poenitentiae, & absolutionis desiderio: quamuis Poenitentia interior, contra morbum peccati operans, præcedat tempore exteriorem poenitentiam: sicut iustificatio à peccato interdum præcedit sacramentum Baptismi, propter ipsius propositum. Hæc S. Thomas. Qui ad 2. probationem respondet ibi ad 2. quod quamuis poenitentia interior, vt est actus quidam virtutis, naturaliter significetur per exteriorem: tamen in quantum est sanatio morbi, sic ex institutione habet per hæc signa causari, & significari.

29 Sed contra arguit Suarez illa sect. 5. n. 12. & Lugo sec. 8. n. 131. Primo, quia hac ratione posset etiam dici confessionem esse re sacramenti, quia confessio ab absolutione etiam accipit efficaciam causandi gratiam, quam secundum se non haberet. Imò ipsa absolutio posset dici res sacramenti, quia ipsa etiam à coniunctione cum confessione, & dolore habet efficaciam causandi gratiam, quam non haberet secundum se. Secundo, quia hoc ipsum dici posset in alijs sacramentis: in Baptismo, v. g. posset dici, attritionem esse rem sacramenti, quia prout coniuncta cum Baptismo, est iustificans dispositio ad gratiam: quod secundum se non habebat. Tertio, & à priori, quia illud non est propriè contritionem causari à sacramento: sed solum ex coniunctione aliarum partium accipere denominationem partis actualis: ac proinde magis est fieri sacramentum, quam rem sacramenti.

30 Vt hæc diluatur, aduertendum, quod non eodem modo Thomistæ exponunt qualem poenitentia interior, vt est res, & sa-

cramentum simul, operetur ad remissionem peccati: nam Ferrara lib. 1. Contr. c. 72. in editione Romana fol. 509. §. *Istis præmissis*, docet hanc efficaciam illi conuenire, non per modum efficientis, sed per modum dispositionis materialis: quia sic insinuat S. Th. q. 28. de Verit. art. 8. ad 2. Et in 4. dist. 22. q. 2. art. 1. q. 2. in 2. rar. ad oppositum, docet quod poenitentia interior est, quæ immediate causat remissionem peccatorum, quæ est vltima res huius sacramenti: & apponit exemplum de character. Constat autem quod character non causat immediate gratiam per modum efficientis, sed tantum per modum dispositionis: quia nec est immediate inanima, sed in intellectu: ergo nec poenitentia interior causat remissionem peccati efficienter, sed solum dispositiue.

31 Quare eam causare moraliter, docet Nuño 3. p. q. 84. art. 1. dub. 6. ad 3. & 4. & Araujo dub. 5. à n. 42. vsque 45. in fine, late exponens, quod poenitentia interior secundum distinctas formalitates est pars Sacramenti, & est res, & sacramentum simul: est pars vt actus virtutis poenitentiae, & vt per confessionem externam exprimitur, & cū absolutione coniungitur: at vero est res, & sacramentum simul prout est dispositio ad gratiam, siue sit physice intensior, siue moraliter dignior, & congruè dispositio ad gratiam modalem, & propria Sacramenti Poenitentiae.

32 Soto vero in 4. dist. 14. q. 1. art. 1. in fine ait, quod actus interior potest dupliciter considerari: vno modo vt est prior natura, quam gratia: & sic non est contritio, sed dispositio naturalis, quæ non habet rationem meriti, alias (vt ait Paulus) gratia Dei non esset gratia. Alio modo, vt est posterior natura, quam gratia per quam informatur: & tunc habet rationem contritionis. Et hac ratione est effectus confessionis, & absolutionis, & causa remissionis peccatorum. Quare eadem contritio vt est effectus sacramenti, est res; sed vt est causa remissionis, est sacramentum.

33 Alij dicunt actus exteriores esse causam interioris contritionis, quia sunt instituti, & eleuati à Deo, vt per se loquendo faciunt ex attrito contritum: quia cum sit sacramentum dās primam gratiam remissionem mortaliū post baptismum; per se habet supponere, quod subiectum non sit in gratia: vnde actus externi eleuatur à Deo, qui per illos excitat cor hominis, vel ad mutandum obiectum actus interioris, qui prius erat propter penas

inferni, vt fiat propter Deum: vel ad hoc quod maiori conatu; & feruore homo coneratur. Vnde iam est sufficiens distinctio inter partes sacramenti; & inter res, & sacramentum simul. Ita Caietanus 3. p. q. 84. art. 1. §. *Et si modum queris*, vbi ait: *Cōcurrit Deus ex parte sacramenti ordinando sacramentales actus exteriores ad interiorē poenitentiam; dum vtitur sacramento ipso ad excitandum, & perficiendum interiorē actum poenitentis: sic enim excitando, & perficiendo, facit de attrito contritum, dum mediante Sacramento, vtitur etiam interiori actu poenitentis ad remissionem peccatorum: per hoc enim fit interior poenitentis actus res, & sacramentum. Et per hoc apparet, quod sacramentum significat, & causat interiorē rem poenitentiam; & interior poenitentia sic causata, significat, & causat remissionē peccatorum; sunt enim hæc instrumenta subordinata principali agenti, Deo; scilicet, sicut baculus, quo moueo lapidē, est instrumentum subordinatū alteri instrumento, puta manui, qua moueo vaculū: Hæc Caietanus, & Petrus Soto de Cōfessione 7. in fine. Et olim Richardus in 4. dist. 22. art. 2. q. 1.*

34. Fauetque S. Th. in 4. dist. 22. q. 2. art. 1. q. 3. dicens: *Remissio peccatorum utroque modo, (scilicet, quoad poenam, & culpam) est res ipsius poenitentia sacramenti. Quæ aliquando tempore precedit Sacramento exteriorius; aliquando autem in ipso Sacramento efficitur; quia quando aliquis accedit ad confessionem attritus, non plene contritus; si obicem non ponat, in ipsa confessione, & absolutione sibi gratia, & remissio peccatorum datur. Vnde dicit Glossa super illud Psalmi 95. Cōfessio, & pulchritudo in conspectu eius: Si amas pulchritudinem, confitere vt sis pulcher; id est, rectus. Et ad 3. ait, quod aliquando remissio peccatorum in ipsa confessione, & absolutione fit, vt dictum est: & tunc non precedit res sacramentum. Et in 4. ad Anibald. dist. 22. q. unica ar. 3. cum in secundo argum. obiecit ad probandum, quod interior poenitentia non sit res, & sacramentum: Quia res non est causa signi, sed e conuerso. Responder ad 2. quod quæuis ita sit in Sacramentis, quæ consistunt in materia exteriori, tamen in Sacramentis, quæ consistunt in actu hominis, conueniunt aliter: quia actus hominis interior est causa exterioris; sed interior, & exterior sunt causa remissionis interioris peccatorum.*

35. Ex his dicendi modis primus est facillior: sed vltim⁹ est subtilior, & verior

quia Deus pro materia sacramenti insufficit ipsos actus humanos: & quamuis accidat hominem contritum confiteri, per se ordinatur sacramentū ad remittēda moralia: & tunc realiter differt actus, qui est causa, ab eo, qui causatur. Quando vero accidit contritus, si obicem non ponat, feruentius conteretur, & dimitteretur amplius poena, & gratia augetur, & sic iam habet aliquid de nouo vt sit res, & sacramentum.

36. Ad primā replicā dicitur, quod cōfessio significat, sed non significatur: & ideo est pars sacramenti tantum, sed non est res, & sacramentū simul. Et eade in ratione excluditur absolutio à re sacramenti. ¶ Ad 2. iam diximus ex D. Tho. 3. p. q. 84. ar. 1. ad 1. in fine: & in 4. dist. 14. quod solū in poenitentia, & matrimonio instituit Deus, quod ipsi actus nostri sint partes Sacramenti. Vnde in Baptismo attritio est sola dispositio, nec à Deo eleuatur vt gratiam causet sacramentaliter: sicut in Poenitentia contingit.

37. Ad tertium dicitur illud procedere ex sinistra intelligentia doctrinæ S. T. qui non docet poenitentiam interiorē esse rem sacramenti præcisè vt coniungitur cum alijs partibus sacramenti tantum: quia potius sacramentum tantum insinuat S. Th. quoad omnem suam partem debere esse sensibilem; vt patet 3. p. q. 84. art. 1. ad 3. Sed vel eandem interiorē poenitentiam sub noua formalitate; vt exponeret prior dicendi modus: Vel actum realiter diuersū, vt dicebamus iuxta Caiet.

§. VI.

Alia difficultates solvuntur.

38. Ad priorem partem secundæ difficultatis posset in primis negari maior, iuxta dicta n. 25. quia probabile est quod licet sacramentū tantū causet instrumentaliter, imò & efficiētē physicē: quia id colligitur ex Concilijs, & Patribus, & ex differentia sacramentorum nouæ legis, & veteris, vt ponderabitur q. 62. Tamen id quod est res, & sacramentum simul nō sēper habet hoc genus causalitatis respectu illius quod est res tantum: quia hic cessat motiua tribuendi causalitatem efficiētē: quia sufficit quod sit significatū, & significās. Vnde quæuis deuotio interior nō causet, id quod est restatū in Extremavntione, potest esse res, & sacramentū simul: quia spiritualis vntio significat sanitatē animæ primario, & corporis secundario, si expedierit.

Secun-

39. Secundo respondetur ex dictis numero 30. & 31. admittendo, quod id quod est res, & sacramentum simul, debet quodammodo causare id quod est res tantū, vt sic strictius verificetur esse res, & sacramentum: sed tamē sufficit, quod hæc causalitas sit moralis, secundum aliquos, vel dispositiua. Et sic deuotio interior, quæ est spiritualis vntio, disponit ad animæ robur contra luctam extremam, & ad cōsequendam corporis sanitatem, cum animæ expedit.

40. Iste autem dispositiones humane contingentes, & liberæ, quamuis supernaturales, cōueniunt humano modo: & ideo multis modis impediri possunt, vel impedimento sensuum, vel distractione, vel libertate voluntatis, vel obicem ponendo peccati. Quamuis autem deuotio in alijs sacramentis causetur, neque significatur signo externo; nec directè intenditur ad finem peculiarem sacramenti: sicut accidit in Extremavntione; & ideo in hoc solo Sacramento spiritualis vntio est res, & sacramentum simul. Et de illo docet Sanctus Thomas in 4. dist. 23. q. 2. art. 2. q. 4. quod hoc sacramentum exigit actualem deuotionem in suscipiente, sicut & Eucharistia: Vnde sicut Eucharistia non debet dari pueris, ita nec hoc sacramentum. Indeque perspicies abusum esse exterminandum, quod aliqui nolunt Extremavntionem ministrare nisi moribundis vsu sentuum, & intellectus destitutis. Per quæ cessat secunda probatio.

41. Ad tertiam fatemur gratiam quæ libet Spiritus Sancti dici vntionem spirituales, iuxta phrasim Scripturæ in multis locis, quæ affert S. Thomas super Psalm. 44. lit. e. ad illa verba: *Vnxit te Deus*. Sed tamen quia in veteri lege non solum vngentur Reges, & Sacerdotes: sed etiam orientales tempore lætitiæ vngentur oleo: iuxta illud Elia 61. *Oleum gaudij pro luctu*. Et fortes athletæ ad luctam vngentur quasi pugiles ad pugandum. Quod colligit S. Thom. Elia 61. ad illa verba: *Vnxit me: ex illo 2. Regum 1. Quomodo abiecit est clypeus fortium, clypeus Saul, & Ionathæ, quasi non sit vntus oleo?* Ideo speciali titulo ad significandam spirituales deuotionem, & lætitiā, & dispositionem ad vltimam pugnam, res, & Sacramentū Extremavntionis dicitur interior deuotio, quæ est spiritualis vntio.

42. Ad vltimam difficultatem responderet, quod quamuis inseparabilitas ma-

trimonij sit de lege nature, vt docet S. Th. in 4. dist. 33. q. 2. artic. 1. ex illo Matth. 19. *Ab initio autem non fuit sic*: quia in statu innocentiæ matrimonium erat perpetuum, & indissolubile, vt constat ex cap. vnico de voto in 6. & ex Concilio Trid. sess. 24. de Matrim. initio; & ita frequenter docent Doctores (quidquid aliqui pauci reclamant.) Tamen in quantum sacramentum habet maiorem indissolubilitatem, vt constat ex D. Aug. lib. 10. de Nuptijs; & conc. cap. 10. dicente: *Huius proculdubio sacramenti res est; vt mas, & femina coniugio copulati quandiu viuunt, inseparabiliter perseuerent*. Et lib. de bono cōiugali. c. 7. ait, *quid si bi velit tāta firmitas vinculi coniugalis, quod nequaquā puto tātū valere potuisse, nisi alicuius rei maioris quoddam sacramentū adhiberetur*. Et cum ex aliā parte hæc inseparabilitas non sit res causata à Sacramento externo solum, quia in quantum sacramentum cōfert gratiā, iam erit significata externa cōiunctione, & significās gratiam; & ita erit res, & sacramentum simul. Videatur Sanchez lib. 2. de Matrimonio disp. 13. n. 7. multa adducens. Quamuis eorum aliqua merito impugnet Bañlius lib. 1. de Matrimonio cap. 13. & 14. in quo explicat quosensu matrimonium dicatur indissolubile ratione sacramenti: De quo tractatu de Matrimonio.

43. Ad priorem impugnationem iam respondimus n. 38. & 39. & illam secundā solutionem in casu præsentis adhibuit S. Thomas dum in 4. dist. 26. q. 2. art. 3. ad 3. de eo quod est res, & sacramentum simul in Matrimonio, ait, quod *huiusmodi nexum ex virtute diuinæ inuentionis dispositiue operatur ad gratiam*. Vnde vel non est de ratione rei, & sacramenti simul, quod semper causet id quod est res tantum: Vel sufficit quod causet dispositiue: quod cōpetit nō xui matrimonij instituentis quod significet, & disponat ad gratiā: quod illi cōtulit, cum eleuauit vt esset sacramentum.

44. Ad secundam probationem dicitur, quod obligatio naturalis nascitur ex contractu naturali; sed quod hæc sit dispositio ad gratiam, & quod sit res, & sacramentum simul, habet ex diuina institutione. Vnde indissolubilitas matrimonij, quæ est de lege nature, accipit nouā rationem ex Deo sacramenta institutē. Ideoque S. Th. lib. 3. Contragent. cap. 123. in fine ait. *Lex autem diuina supernaturalem quandam rationem apponit ex significatione inseparabilis coniunctionis Christi, & Ecclesiæ: quæ est vna vni⁹*.

45 Ad tertiam dicitur, quod cum esse rem, & sacramentum, rebus conueniat ex sola diuina institutione, id quod matrimonium haberet ut officium naturæ, vel ut ciuilis contractus, non sufficeret, ut quæuis esset indissolubile, nec significaret ac-

tu cōiunctionem Christi, & Ecclesiæ, nec disponderet ad gratiam: & ideo vtrumque accepit ex diuina institutione: & ex ea colligimus cum D. Tho. quod ille nexus est res, & sacramentum simul.

QVAESTIO LXI. DE NECESSITATE SACRA- MENTORVM.

Summa Textus.

Explicata sacramentorum quidditate, institutionis eorum necessitate quatuor huius quæstionis articulis exponit D. Tho. Probat in primo, quod sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem triplici ratione. Ostendit in secundo, quod in statu innocentiæ homo sacramentis non indigebat; non solum in quantum sacramenta ordinantur ad remedium peccati; sed etiam in quantum ipsa ordinantur ad animæ perfectionem. Statuit in tertio articulo, quod ante Christi aduentum necessitas fuit quædam sacramenta institui. Tandemque in quarto docet oportere quædam alia sacramenta esse in noua lege, quibus significetur ea, quæ concesserunt in Christo, præter sacramenta veteris legis, quibus prænucciabatur futura

DVBIVM PRIMVM.

Vtrum Sacramenta sint necessaria ad humanam salutem?

§. I.

Sensus quæstionis, & rationes conclusionis.

Hoc idem inquit S. Tho. articulo primo, qui distinguitur ab articulo quarto quæstionis 65. nã in isto tractatur de necessitate instituendi sacramenta; in illo vero supposita institutione, inquiruntur sacramentorum susceptio, & vtrum vltus eorum sit necessarius ad salutem: & de singulis sacramentis sigillatim exponitur quanta necessitate teneantur fideles ea suscipere.

2 Aduertunt etiam Caietanus, & Soto, & reliqui expositores communiter, quod in præsenti non est sermo de necessa-

rio simpliciter: constat enim quod posset Deus, id quod præstat medijs sacramentis sine illis conferre; cum potentiam suam sacramentis non alligauerit. Loquitur ergo D. Thomas de necessitate ad melius esse, seu de necessitate cōuenientiæ, ut se exponit in prima, & secunda ratione. Et clarius in 4. dist. 1. q. 1. art. 2. q. 1. dicens. *Sacramenta nõ erant necessaria necessitate absoluta; sicut necessarium est Deum esse; cum ex sola diuina bonitate instituta sint; sed necessitate, quæ est ex suppositione finis. Non ita tamen, quod si ne his Deus hominem sanare non posset, quia sacramentis virtutem suam non alligauit; sicut cibis necessarius est ad vitam humanam. Sed quia per sacramenta magis congrue fit hominis reparatio; sicut equus dicitur necessarius ad iter, quia in equo facilius homo vadit.*

3 Quæ tituli explicatio notanda est propter Gabrielem Biel, qui in 4. dist. 1. q. 2. putat nulla prorsus necessitate, aut ex parte Dei, aut ex parte finis, sacramenta esse instituta: sed solum necessitate consequentiæ, scilicet, si Deus res sic ordinauit, necesse est sic fieri. Quæ profecto Theologia (inquit Soto in 4. dist. 1. q. 2. ar. 1.) ut bona venia dixerim, deridicula est. Haud enim potest in dubium verti, quin quod Deus prædestinauit, id sit subinde futurum. Theologi autem est in huiusmodi Dei institutis rationes præscrutari diuinæ voluntatis; cur scilicet id prædestinauerit: nam nisi sic fore expediret, nunquã id prædestinauerit: siquidẽ ut dicitur Sap. 8. *Attigit à sine vsq; ad finẽ fortiter, & disponit omnia suauiter: ea in suos proprios fines referens.*

Afferi

4 Afferimus ergo sacramenta esse necessaria ad humanam salutem. Probat S. Thomas primo ex illo celebri testimonio S. Augustini lib. 19. contra Faustum capite 11. dicens: *In nullum nomen religionis, siue verum, siue falsum coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, seu sacramentorum visibilibus consortio colligentur.*

5 Deinde probat triplici ratione, quas, ut testatur Soto, eloquentissimè simul, ac locupletissimè tradiderat venerabilis Hugo de S. Victore lib. 1. de sacramentis parte 9. cap. 3. Quarum prima sumenda est ex conditione humanæ naturæ: cuius proprium est ut per corporalia, & sensibilia, in spiritualia, & intelligibilia deducatur. Pertinet autem ad diuinam prouidentiam, ut unicuique rei prouideat secundum modum suæ conditionis. Et ideo conuenienter diuina sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus, & sensibilibus signis, quæ sacramenta dicuntur.

Quam rationem expendit S. Chrysostomus hom. 83. in Matthæum, & hom. 60. ad populum. Et ea in simili vitur Concilium Tridentinum ad probandum necessarios esse ritus externos, & ceremonias sensibiles, quæ in Missa adhibentur. *Cum natura (inquit) hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum diuinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia, &c.*

6 Secunda ratio sumenda est ex statu hominis, qui peccando se subdidit per affectum corporalibus rebus: ubi autem debet medicinale remedium homini adhiberi, ubi patitur morbum. Et ideo conueniens fuit, ut Deus per quædam corporalia signa homini spirituales medicinam adhiberet: nam si spiritualia nuda ei proponerentur, eius animus applicari non posset, corporalibus deditus.

Hanc rationem in simili proponit Ecclesia, cum canit de Deo, quod salutem humani generis in ligno Crucis constituit, *ut vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret; & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur per Christum Dominum nostrum.* Pariter oportebat, ut homo, qui per affectum ad se sensibilia peccauerat, & corruerat, per vsum eorundem sensibilibus sanctificationum per Christum sanaretur, *ut medelam ferret inde, hostis vnde laserat.*

7 Tertia ratio sumenda est ex studio rationis humanæ, quæ præcipue circa cor-

poralia versatur. Ne ergo esset homini durum, si totaliter à corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia in sacramentis, quibus salubriter exerceatur, ad euitanda superstitiosa exercitia, quæ consistunt in cultu dæmonum; vel qualitercumque noxia, quæ consistunt in actibus peccatorum. Ergo ut preseruetur homo anoxijs actionibus per salubria exercitia sacramentorum, necessaria fuit sacramentorum institutio.

8 Expendit egregie rationem hanc Soto q. 2. art. 1. ratione 3. dicens. Dum homo in statu innocentie persistebat, sola diuina contemplatione fruebatur; adhuc autem ima per peccatum demissus, rerum varietate gaudet. Id quod Christus in illis fororibus nos admonuit, quarum actiuosa Martha erga plurima se sollicitante, contemplatrici Mariæ dixit: *Vnum est necessarium.* Si ergo puris spiritualibus homo iuueretur vacare, esset à sua natura violentè abstractus: quod certe egerrime ferret. Morem ergo Deus nobis gessit, ut sacramentorum varietate oblectati, ad nostram comparandam salutem essemus propensiores. Delectat enim nos nunc basilicas extruere, mox sacrificia celebrare, deinde orare, & non nunquam hymnos, cantusque intonare diuinos. Alijs incumbit sacramenta ministrare; atque alios expedire suscipere, per quæ quidem virtutum munera à cunctis idolorum seruitutibus distrahimur. Id quod in illis Neophitis noui Orbis experimẽto cõperitur. Mirum enim in modum in istius modi ceremonijs exhilarantur, per quas à tua idololatria sa mouentur.

9 Accedit alia ratio ab eodem Magistro proposita: nempe ut per sensibilia signa, non solum magis alliceremur ad inquirendam salutem, verum & certiores effici- ceremur illam fuisse consequutos. Sic enim patent plures viæ ad inquirendam gratiam. Et dum sacramentorum præceptis incitamus, sollicitiores sumus in opere, instantiusque ad sacramentales gratias anhelamus. Ad hæc, & certiores euadimus adeptos eas fuisse. Nam cum animi motus nos lateant, certe quam rarissime tuti essemus, an contritio, vel deuotio vsque ad gratiam consequutionem pertingeret. Dum vero sacramentum suscipimus: ubi certo credimus, nisi per nos steterit, ex pacto diuino nobis cõferri gratiam, multo certiores reddimur nostræ salutis. Eo præsertim, quod sæpe

numero per sacramentum cum attritione beneficium gratiæ adipiscimur, cuius attritio non esset efficax. Hæc contra hæreticos nostræ tempestatis libuit paulo latius meditari, sane qui dum religionem Christianam, istis sacramentis, sensibilibusque exercitijs de medio sublatis, ad solos animi affectus reuocare cõtendunt otiosa, ac desidè, inique torpētē efficiunt. Hæc M. Soto. Alias rationes adducunt Alanus de sacramētis in genere cap. 24. & Sayrus lib. 3. cap. 1. ar. 2. & post eos alij. Et Catechismus Pij quinti, titulo de Sacramētis in genere quinque rationes assignat.

10 Sed obijciēs: neque ante sacramēta suscepta, neque post receptionem sacramentorū, potest homo esse certus se habere gratiam; quod est certum secundum fidem ex illo Ecclesi. 9. *Nemo scit utrum sit dignus odio, vel amore*: ergo falso asserit Soto, quod per sacramenta multo certiores reddimur nostræ salutis.

11 Propter hoc argumentum refert Nuño art. 1. quod hæc verba M. Soto reprehenduntur ab aliquibus; quasi illis significetur, quod homo sine reuelatione speciali possit cognoscere e se esse in gratia. Sed tamen ipse Magister explicat suam sententiam, post pauca dicens: *Nisi per nos scierit. Et in alia impressione addidit. Si sacramēta nobis dignè suscipiantur*. Itaque hæc est fidei doctrina, quod sacramenta habent ex se virtutem iustificandi; non tamen est certum, quod suscipiens sacramentum de facto iustificetur, quia non constat accessibile ad sacramentum cū sufficiente dispositione; neque de hoc posset esse moralis certitudo.

12 Secundo dicitur, quod quamuis seclusa diuina reuelatione, rectè doceat Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 9. in fine *Cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum*. Ideoque ante docuerat, quod *sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum se ipsum, suamque propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest*. Vnde nec ante, nec post suscepta sacramenta possumus esse certi certitudine infallibili, quod sumus in gratia; nisi Deus ex speciali priuilegio id alicui reuelerit. Tamen etiā rectè docet Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 1. 2. art. 5. quod coniecturaliter per aliqua signa potest aliquis cognoscere se habere gratiam, in quantum licet

licet percipit se delectari in Deo, & contemnere res mundanas; & in quantum homo non est conscius sibi alicuius peccati mortalis. Igitur inter hæc signa numeratur, quod homo non agnoscit se ponere obicem sacramento: & cum credat quod ex parte sua sacramenta conferunt gratiam, maximam concipit fiduciam de sua gratia. Ad quod satis est, vt etiam notat Suarez disp. 6. sect. 1. concl. 1. ratione 6. fides quædam quasi conditionalis, quod sacramenta, quantum in se est propria virtute carere non possunt, vt S. Cyprianus dixit serm. de Cœna Domini: & ideo si homo non ponat obicem, infallibiliter habebit effectum. Vnde oritur moralis quædam certitudo, quæ Scotus dicit in 1. quæst. 3. articulo 1. vocari certitudinem vt in plurimum, quia si homo non sit valde negligens, sed bona fide, quod in se est faciat, non priuabitur fructu sanctitatis: quod est magnum spei solatiū ex sacramentis.

Hanc etiam rationē alijs verbis proponit Catechismus Pij Quinti ratione secunda concludens: *Quemadmodum igitur in veteri testamento Deus fecerat vt magni alicuius promissi cōstantiam signis testificaretur: ita etiam in noua lege Christus Saluator noster, cum nobis peccatorum veniam, cœlestē gratiā, Spiritu Sancti communicationē pollicitus est, quædam signa oculis, & sensibus subiecta instituit, quibus eum quasi pignoribus obligatum habemus: atque ita fidelem in promissis futurum, dubitare nunquam possemus.*

§. II.

De quo statu naturæ humanæ sit sermo?

13 Sed vt melius sensus conclusionis nostræ, & D. Thomæ percipiatur, merito circa eam inquiri solet, de quo statu humanæ naturæ loquatur D. Thomas, cū dicit sacramenta esse necessaria ad humanam salutem; an videlicet sermo sit de natura lapsa in peccatum; an vero de omni statu naturæ; aut de natura secundum se?

Vazquez in Commentario primi articuli arbitratur S. Thomam loqui art. 1. de statu in quo homo re ipsa fuit per peccatum. Quod constat ex secunda ratione relata nu. 6. in qua pro causâ necessitatis institutionis Sacramentorum, assignat peccatum: quia illo ablata fuit iustitia originalis, qua moderabatur inclinationes, & passio-

passiones humanæ: Deinde in titulo secundi articuli inquit: *Vtrum etiam ante peccatum fuerint homini necessaria sacramenta?* Quo inquirendi modo satis declarat S. Thomas se in illo articulo loqui de homine in eodem statu, ac in primo articulo loquutus fuerat: vt patet ex illa particula; *etiam*; vnde cum ibi loquatur de homine post peccatum, eodem modo videtur de eo loqui articulo primo. Denique in tertio articulo inquit de necessitate sacramentorum ante aduentum Christi: & articulo quarto de tempore post Christum. Ergo ne dicamus in nullo articulo tractasse de institutione Sacramentorum pro homine in statu peccati, dicendum est D. Thomam artic. 1. non egisse de necessitate Sacramentorum pro omni statu naturæ, nec de natura secundum se; sed de natura lapsa in peccatum, de qua sola eius rationes probant, & de illa loqui articulorum contextus suadet.

14 Per oppositum Suarez commentario primi articuli existimat mentem D. Thomæ ibi fuisse loqui de homine absolute considerata eius natura, non tantum vt lapsa, neque vt euecta ad perfectionē status innocentie; sed secundum se ex vi naturalis conditionis eius: & hoc modo responderi indigere subsidio sacramentorum. An vero constitui possit in aliquo altiori statu, in quo illis non indigeat, hoc inquit art. 2.

15 Neutra tamen explicatio attingit S. Thomæ mentem: nam hæc secunda, præterquam quod non accipit verba S. Thomæ in secunda ratione in sua propria significatione (quia Suarez exponit de effectu relicto ex culpa, qui est affectus, & nimia propensio ad res corporales: cū tamen S. Thomas de statu hominis, qui peccato se subdidit, &c. loquatur. Hoc etiā habet difficile, quod homo in pura natura, & secundum se non est eleuatus ad finem supernaturalē: sacramenta autem ordinantur solum ad significandam, & causandam gratiam supernaturalem: quare non possent esse in statu puræ naturæ.

Prior vero expositio incidit in magnū inconueniens, quod quæ situm sit vniuersale; & responsio sit diminuta solum de homine post lapsum.

16 Quare facilius dicunt alij D. Thomam artic. 1. indefinite, quæsisse de necessitate sacramentorum: & respondisse assignando radices necessitatis. Determinare vero qualiter hæc necessitas locum

habeat in hoc, vel illo statu, reliquit disputandum sequentibus articulis. Et quia rationes quædam primi articuli videbantur procedere in omni statu, quantum ad alia solum procedant de homine in natura lapsa; ideo ex illis formantur rationes dubitandi articuli secundi. Nec omisit S. Thomas determinare de hominis natura lapsa, quia in tertio, & quarto articulo de natura lapsa, pro ut reparata, vel reparanda per Christum Redemptorem, & medicum nostrarum infirmitatum loquitur. Et ly, *etiam*, in titulo secundi articuli, non denotat; quod in primo determinatè loquitur sit de statu peccati: sed eius planus sensus est inquirere, an præcisa causâ necessitatis sit peccatum; an vero etiam ante illud fuerint necessaria Sacramenta?

17 Huic expositioni subscribit Lugo disp. 3. in. 2. in fine dicens. Asseritio vero S. Thomæ procedit de genere humano de facto producto, incensulo, & indefinito. Postea vero in articulis sequentibus descendit ad quærendum de singulis partibus, & statibus huius mundi. Sic uti si aliquis quærat in genere: vtrum sacramentum Pœnitentiæ sit necessarium in Ecclesia? Et respondeat affirmatiuè: nam pro peccatoribus est necessarium. Postea vero quærat in speciali, pro quibus sit, vel non sit necessarium? Sic S. Thomas prius asserit in genere fuisse necessaria sacramenta hominibus, quia saltem post peccatum sunt necessaria; postea vero quærit in speciali, quando fuerint necessaria? Hæc Lugo conformiter ad nostram doctrinam.

18 Sed duo validè in eo miror. Primo, quod expositionem Suarez, quæ improbat, non tribuit suo Authori (quia eū, nec nominat, qui solus eam docet.) Sed tribuit aliquibus Thomistis apud Vazquez n. 114. Qui autem sint isti Thomistæ; nec ipsi referunt, nec ego noui. Secundo miror quod Lugo numero 1. omnia argumenta quæ proponit numero primo pro ratione dubitandi, desumpsit ex Vazquez. Et tamen omisit referre, quod Vazquez eis conuincitur ad contrarium tenendum, vt nos retulimus numero 13.



DVBIVM II.

Utrum in statu innocentiae fuerint homini necessaria sacramenta?

§. I.

Exponuntur diuersi sensus quæstionis.

1 DVplex difficultas sub isto titulo continetur: alia absoluta, & de facto, de illo statu innocentiae, in quo primi parentes fuerunt: alia conditionalis de statu innocentiae in Adæ posteris futuro, si ipse non peccaret.

2 Dissident Expositores in exponendo de quo statu loquatur S. Thomas? Nā Caietanus, Vazquez, & Lugo disp. 3. n. 3. & alij exponunt S. Thomam in priori sensu. Probat Caietanus, quia S. Thomas solutione ad 2. docet, quod in statu innocentiae homini necesse non erat quantum ad superiorem partem accipere aliquid à corporalibus rebus ad sui perfectionem. Quæ doctrina in solo Adamo verificatur, quia in solo illo fuit status innocentiae sine dependentia superiorum ab inferioribus quoad scientiam, quia illi fuit infusa; at vero filij eius adhuc in statu iustitiae originalis eam acquisissent, ut docet Sanctus Thomas 1. p. q. 101.

Præterea, quia S. Thomas non querit absolute de statu innocentiae; sed de homine ante peccatum, hoc est, de homine secundum tempus illud antequam peccaret: illa particula ante significat prioritatem respectu futuri euentus: & non posset conuenire statui innocentiae, qui fuisset, si homo non peccasset: ille enim status non fuisset ante peccatum, sed sine peccato: cum *ly ante* significet prioritatem respectu illius, quod postea consequitur: ergo loquitur manifeste de statu solum, qui de facto præcessit ante peccatum, non de illo, qui fuisset sine peccato subsequenti.

Vazquez vero solum nititur, & probat ex titulo, & ex responsione D. Thomæ *ly fuerint*, non solum conditionatum, sed absolutum denotant.

3 At vero Soto in 4. dist. 1. q. 2. art. 2. §. *Miror autem*. Et Martinus Ledesma 1. p. 4. q. 2. art. 2. in fine. Nuño dub. 1. ad 1. & Suarez in commentario 2. art. & alij dicunt, S. Thomam loqui de statu innocentiae, qui fuit in Adamo, & etiam de illo, qui futurus erat, si Adam non peccasset,

Probant, quia diminutè processisset, si in hoc secundo sensu dubium in tota hac quæstione non tangeret. Secundo, quia ratio articuli procedit de communi perfectione illius status. Idemque indicat sol. ad 1. Et in 4. dist. 1. q. 1. art. 2. q. 2. in corp. Et in hoc articulo ad 2. non docet, quod in statu innocentiae esset imperfectio respicere sensibilia ut obiecta: sed solum intendit, quod subijci illis ad fructum capiendum, derogat perfectioni illius status.

4 Ut autem efficaciam rationis D. Thomæ exponat Soto, notat, quod scientiarum perfectio, alia est naturalis: atque alia supernaturalis. Hic autem non loquitur D. Thomas de priori, sed de posteriori. Hæc enim nobis peculiariter per Sacramenta donatur; ut infusio fidei, donumque intellectualium. Igitur cum ait illo statu indignum fuisse mentem perficere per inferiora, non loquitur de naturali perfectione: nam & de Adam 1. p. q. 94. art. 3. concedit, quod quantum ad modum scientiae anima eius experimentis proficit. Sed loquitur de perfectione, hoc est, de supernaturali diuinorum notione: quæ simpliciter perfectionis nomine censetur: quam nos per sacramenta recipimus, & docemur. In illo autem statu absque illis per infusionem in ipsa cōceptione reciperetur, & facillimo parentum negotio perficeretur. Hæc ibi. Quamuis igitur in scientia rerum naturalium esset differentia inter Adamum, & filios eius in statu innocentiae, ut sumitur ex D. Thomæ 1. p. q. 94. art. 3. ad 2. & q. 101. art. 1. ad 1. quia pueri non nascebantur perfecti in scientia, sicut ipse Adam erat. Tamen in modo acquirendi perfectiones supernaturales, de quibus modo loquimur, par ratio erat de Adamo, ac de filiis eius, si ille status in filiis duraret.

5 Ut autem, quæ pro priori expositione adducuntur soluantur, sequendo hæc, quæ probabilior est, aduertendum cū Grano tract. 2. de Sacramentis disp. 1. sect. 1. in fine, S. Thomam directè egisse de innocentiae statu, qui reuera fuit: sicut in reliquis articulis agit de alijs statibus, in quibus re ipsa humana natura reperta est. Indirectè tamen, secundario, & ex cōsequenti tractauit quæstionem conditionalem, quia ratio conclusionis procedit etiam in illo statu, dato quod Adam non peccaret.

6 Vtriusque autem difficultatis ad huc possunt duo alij sensus distingui. Nā circa

circa primam, notat Suarez disp. 3. sect. 3. §. *In hac quæstione*, quod potest inquiri primum, an in statu innocentiae fuerit sufficiens congruentia ad instituenda sacramenta, an vero talis institutio oppositionem aliquam, vel repugnantiam habeat cum perfectione illius status. Secundum, an instituta fuerint sacramenta in eo statu eo breui tempore, quod durauit? Nā licet demus potuisse hanc institutionem habere conuenientem rationem pro illo statu: non statim sequitur factam esse; quia non semper facit Deus quidquid videtur congruenti ratione fieri posse.

7 Secundæ autem difficultatis conditionalis possunt plures sensus distingui: nā vel potest procedere supposita opinione D. Thomæ, fere communi Theologorum, quod si Adam non peccaret, Verbum carnem non assumeret: de qua 3. p. q. 1. artic. 3. Vel ex hypothese opinionis Alexandri, Scoti, & Suarez, quod adhuc non stante peccato, Verbum carnem assumeret. Et in utroque euentu duplex inuoluitur dubium, alterum, quid tunc faceret Deus cessantibus quidem motiuis; quæ nunc sunt ad instituenda sacramenta, in remedium peccati, & ad eruditionem nostram: sed stantibus (prout reuera stant) alijs motiuis independentibus à peccato ad ea instituenda. Aliud est, quid tunc fieret ex vi præsentis decreti, quo sacramenta volita sunt, an debuissent etiam esse, licet status innocentiae perseuerasset, & Adamus non peccasset.

8 Ut autem notatum est in simili 3. p. q. 1. ar. 3. impossibile est quod istæ quæstiones conditionales procedant ex vi præsentis decreti adæquate sumpti: quia cū sit de fide Christum de facto venisse peccatores saluos facere, & sacramenta de facto instituta sint ut agrorum medicinæ, & quædam in remedium originalis, & alia in remedium actualium peccatorum, ut patet in Baptismo, & Poenitentia: cum non stante peccato, nec originali, nec actualibus, hæc motiua cessarent, non potest esse idem numero decretum adæquate sumptum. Est ergo sermo de motiuis principali, vel an ex modo volendi nunc reuelato, vel agnito ex Sacris Scripturis, & Patribus, colligatur futura sacramenta, vel non? Et hoc notant Theologi, quos ibi retuli, & Lugo de Incarnatione disp. 7. sect. 5. n. 60. & de Sacram. disp. 3. sect. 1. n. 10.

9 Denique notandum, quod non est

set idem iudiciū de istis conditionalibus, si vera esset opinio D. Anselmi lib. 1. *Cur Deus homo* cap. 18. dicentis, quod si primi parentes non peccassent: Ita confirmarentur cum omni propagine sua ut ultra peccare non possent. Vel si vera esset opinio, quæ tenent Cabrera hic art. 2. disp. 2. n. 22. & indicat Soto in 4. dist. 1. q. 2. art. 2. dicens, quod tunc nulli fuissent peccata. Et clarius Ruys a. 2. dub. 1. ad 3. & Serra 1. p. q. 100. art. 2. in fine, & 3. p. q. 61. art. 2. quod si Adam non peccasset, & status innocentiae permanisset, omnes homines saluos fore, & nullum peccaturum: non quia in gratia, in qua nascerentur, confirmandi essent: sed ut ait D. Thomas 1. p. q. 100. ar. 2. ad 1. *propter diuinam providentiam, per quam à peccato conseruarentur immunes*. Vel si vera esset opinio Scoti 2. dist. 20. q. 2. dicentis in statu innocentiae solos electos nascituros, & eisdem numero, qui nunc: quamuis eorum parentes forent diuersi.

10 Sed quia hoc vltimum rejicit S. Thomas Quodlib. 8. art. 5. & Capreolus in 2. dist. 20. q. vnica conc. 3. & ad argumenta contra illam; & alia omnia, vel falsa, vel incerta sunt. Imò M. Ioannes Vincencius in Relectione de gratia Christi q. 6. folio 724. late docet, quod in statu innocentiae perseuerante multo plures perissent homines, quæ nunc pereunt: multoque plures sufficientibus Dei abuterentur auxilijs, quam nunc abutuntur: quia licet in illo statu inferior hominis portio nullo esset ei ad bene operandum impedimento: ex parte portionis superioris vnum insurgeret impedimentum, quod esset virtute, & fecunditate multiplex. Illud autem esset ingens superbiæ, & elationis appetitus, qui omnium est malorum fertilissima radix.

11 Et Suarez hic disp. 3. sect. 2. §. *Ad primam*, dicit non solum incertum, sed etiam minus probabile asserere, quod si Adam non peccasset, nulla fuissent hominum peccata: nam per iustitiam originale non magis confirmaretur homines in gratia, quam Adam ipse fuit in sua creatione, & prima iustificatione confirmatus. Sicut ergo ille peccauit, potuissent alij peccare; etiam si ipse non fuisset lapsus: neque in illo tota natura corruisset.

12 Nec S. Thomas illa q. 100. affirmat adesse de facto promissionem diuinæ providentiæ, quod filij Adæ conferrentur sine peccato: quin potius illo art. 2.

art. 2. allatis verbis S. Augustini i 4. de Ciuit. cap. 10. docet S. Thomas, quod illis datur intelligi, quod etiam si primi homines non peccassent, aliqui ex eorum stirpe potuissent iniquitatem committere. Sed solum conditionaliter ait, quod in casu, quod non peccarent, hoc non haberet ex natura, nec ex confirmatione in gratia: sed propter diuinam prouidentiam. Dato ergo casu, quod peccarent, melius habent locum dubitationes propositæ, quâuis in omni casu aliquid sit dicendum, ut plenius dubijs satisfiat.

§. II.

De facto in statu innocentie nulla fuerunt Sacramenta.

13 **A**lexander Alësis 3. p. q. 1. membro 2. art. 1. defendit esse probabile in statu innocentie fuisse aliqua sacramenta. In ea tamen sententia non persistit: nam post solutionem ad 4. cõcludit. *Ex Scripturis tamen sacris non plene est istud manifestum: unde illi parti magis adhaere, quod Sacramenta statum naturæ lapsæ respiciunt.*

14 Durandus etiam in 4. dist. 1. q. 2. nu. 9. ita ait. *Si sacramenta vocentur, quæcunque sacra signa protestantia fidem Deo Saluatore, & remuneratore, conferente in presenti sanctitatem, & in futuro salutem; sic Sacramenta fuerunt homini expedientia pro omni tempore, tam innocentie, quam naturæ lapsæ: sicut sufficienter declaratum est per duas prædictas rationes (nempe, ad protestandam fidem exterius, & ut homo dirigatur in Deum, ut explicuerat nu. 7. & 8.) Si autem Sacramenta solum vocentur sacra signa curatio-nis spiritualis: sic homo non indiget sacramentis in statu innocentie: quia ubi non est timendum de morbo, non est opus medicamento, &c. Vbi clarè docet in statu innocentie fuisse sacramenta, non ratione medicine, sed ratione eruditionis, & quoad alias utilitates. Vnde malè Vazquez disp. 130. cap. 2. nu. 14. contendit Durandum nihil sententiæ affirmanti fauere: cum eam doceat verbis prædictis, ut iam diu notaauerat Soto in 4. dist. 1. q. 2. art. 2. §. De necessitate. Et Suarez disp. 3. sect. 3. Licet iste non bene pro eadem sententia referat Scotum, cum oppositam teneat, ut probat Vazq. illo nu. 14. Sententiã tamen Durandi plusquam probabilem dicit Alanus Cop^o de Sacram. c. 27.*

15 Tenentque omnes, qui dicunt ma-

trimonium in statu innocentie fuisse Sacramentum, quia erat sacræ rei signum, nempe coniunctionis Christi, & Ecclesiæ. Ita videtur docere Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacram. parte 8. cap. 12. & 13. Tenentque Petrus de Soto, de Matrimonio lect. 2. §. *Primo de institutione.* Castro lib. 11. contra hæreses verbo *Nuptiæ*, hæresi 3. dicens esse *sententiam omnium.* Ambrosius Catharinus lib. 5. contra Caietanum, de Matrimonio q. 3. & Henricus Rex Angliæ, cum esset Catholicus, in assertionem septem Sacramentorum: & Rossensis in eius operis defensione. Albertus Pighius cõtrou. 10. Ferdinandus Rebellus lib. 2. de Matrim. q. 3. n. 13. Archangelus in 4. dist. 1. p. 1. Probabilemque esse innuunt Becanus de Sacram. in genere c. 1. Filliutius tract. 1. c. 3. q. 3. n. 38. & alij.

16 Dico primo, de facto in statu innocentie, qui fuit in Adamo, & Eua, nullum fuisse sacramentum propriè sumptum. Ita S. Thomas art. 2. dicens, quod in statu innocentie ante peccatum sacramenta necessaria non fuerunt. Et in 4. dist. 1. q. 1. art. 2. q. 2. cum Magistro docet, quod in illo statu homo sacramentis non indigebat, nec ad curacionem, neque ad eruditionem. Est Theologorum communis: licet recentiores in eius ratione inuenienda laborerent. Suares disp. 3. sect. 3. conc. 2. sic ait. Hæc assertio non potest certo fundamento ostendi, quia non est reuelata in Scriptura, vel traditione hæc pars qua negatur fuisse Sacramenta in eo statu. Fit autem verisimilis ex eo, quod nullibi sit mentio talium Sacramentorum. Et cum aliunde tempus, quo ille status durauit, fuerit breuissimum, ita ut vix potuerit esse locus talis vsui Sacramentorum. Cumque Deus præscisset instantem lapsum hominum, & amissionem illius status, non erat cur ipse pro tã breui tempore institueret sacramenta. Neque etiam Adam potuit ea instituire, aut definire, etiam si hoc illius arbitrio fuisset commissum. Hæc ibi. Quem sequitur Ludgo disp. 3. sect. 1. n. 5.

17 Similiter Vazquez disp. 130. c. 4. nu. 30. id probat, quia nihil de hac re scriptum legimus, neque de Sacramentis, neque de sacrificijs: cū tamè statim possent naturam lapsam legamus sacrificium Abel, & Cain. Secundo, quia in statu innocentie nihil illis fuit concessum meritis Christi, ut dixerat to. 1. disp. 12. cap. 2. Et quâuis gratia esset illis concessa per Christum, ut aliqui opinantur. Tamen nullus dixit

dixit hætenus aliquid fuisse illis concessum ex meritis passionis Christi futuræ. Omnia autem sacramenta hætenus instituta, etiam ante aduentum Christi, ex meritis passionis illius instituta sunt, ut omnes fatentur. Idem docet Auersa quæstione 61. sect. 2.

18 Denique Bernal disp. 2. sect. 2. §. 2. a nu. 34. vsque ad 41. id probat, quia sacramentum est signum gratiæ sensibile, pro toto Ecclesiæ statu à Deo institutum: habilitans ad bonum Ecclesiæ proprium. Sed nil esset in illo statu, cui competeret cunctæ istæ sacramenti conditiones essentialis: quia non essent instituta stabiliter, seu pro diuturno tempore: nec pro toto aliquo magno hominum numero. Neque Adam coniugium: aut lignum vitæ, aut aliquid aliud fuit consecrans, seu habilitans ad bonum Ecclesiæ proprium: Ergo in statu innocentie de facto, & re ipsa nulla fuerunt sacramenta.

19 Verum rationes istæ debilissimæ sunt: nec eis mouerentur tam vnanimè Theologi, ut tam cõstanter assertionem defenderent, si illius non reperissent firmissimum fundamentum: Prima namque manifestè instatur: nam certum est, quod Adam post peccatum sacramenta suscepit, & sacrificia obtulit: & ratiõnem id non referunt sacræ litteræ. Sicut neque legitur, quod illæ sacrificium obtulerit: Quorum rationes congruentiæ assignat S. Thomas 2. 2. q. 85. art. 1. ad 2. dicens: *Non tamè de omnibus istorum sacrificijs sit mētio in scriptura, sed solum de illis circa quæ aliquid speciale accidit. Potest tamen esse ratio quare Adam non legitur sacrificium obtulisse, nec quia in ipso notatur origo peccati, simul etiam, in eo sanctificationis origo significaretur, Isaac vero significauit Christum, in quantum ipse oblatu est in sacrificium; unde nõ oportebat ut significaretur quasi sacrificium offerens.* Propter similes ergo congruentias, dato casu, quod fuissent sacramenta in statu innocentie, omisisset Scriptura ea referre. Præterea etiã ante legem scriptam Theologi agnoscunt sacramenta pro remittendis peccatis, & pro ordinandis Sacerdotibus; & tamen illorum sacramentorum non est mentio in Sacra Scriptura: non enim illius pars eorum, quæ antiquo tempore ante Diluuium acciderunt, scripta sunt: si tunc nec nouimus quanto tempore durauerit innocentie status. Vnde Canon in Relect. de Sacramentis parte 3. ad 3. ait: *Gravis error eorum est, qui de Sacramentis nil*

discerni posse credunt, nisi quod sacris litteris traditur. Multa enim verba tenent, & in noua, & in antiqua lege tradita sunt, quæ scripto non fuerunt mandata.

20 Præterquam quod alij dicent ex Sacra Scriptura constare Matrimonium inter Adam, & Eua, & quod illud fuit sacramentum. Imò, quod magis est, post legem Euangelicam, est de fide septem esse Ecclesiæ sacramenta, à Christo Salvatore instituta: & aliquorum institutio nõ est expressa in Sacra Scriptura; sed habetur traditione diuina: & quod non sūt plura quam septem. Ergo non est quærendus semper locus Sacra Scripturæ, ut de aliqua veritate certificemur. Præcipue, quãdo non contendimus ei veritati cõciliare certitudinẽ veritatis immediatè à Deo reuelatæ.

21 Secundæ etiam rationis inefficacia constat à simili, quia illis non obstantibus creauit Deus Paradysum pro illo breuissimo tempore: Et de illo respondet S. Thomas 1. p. q. 102. art. 2. ad 3. quod non propter hoc locus est frustra, quia nõ est ibi hominum habitatio post peccatum; sicut etiã non frustra fuit homini attributa immortalitas quædam; quam conseruaturus nõ erat. Per huiusmodi enim ostenditur benignitas Dei ad hominem; & quid homo peccando amiserit. Videatur S. Thomas 2. 2. q. 164. art. 2. ad 4. & Theodoretus q. 24. in Genesim, & Thomas Maldenda libro de Paradiso c. 86. Propter easdem ergo rationes dicent alij fuisse pro breuissimo tempore status innocentie instituta sacramenta.

22 Tertia ratio, quæ est secunda Vazquez, facillimè enadi posset à Durando; dicendo, quod transeat Maior: & quod Minor est distinguenda; quia certum est quod sacramenta hætenus instituta in remedium naturæ lapsæ, habent virtutem ex meritis passionis Christi Redemptoris: qui verò ponerent sacramenta in statu innocentie, quæ non essent medicine, consequenter dicerent illa nõ habere virtutem à Christo Redemptore: sicut enim fides, & gratia, & Charitas illius status ducebant ad gloriã, quæ pro tunc non erat danda per mortem Christi; ita sacramenta, quæ essent protestationes fidei illius status, non haberent virtutem à Passione Christi. Sicut dicitur de gratia collata Angelis viatoribus.

23 Quarta ratio assumit Maiorẽ falsam, ut iam ostendimus q. 60. dub. 6. nu. 12 & 13. & 14. & dub. 2. §. 3. Et secundo cõ-

cessa Maiori, posset negari Minor, quia ea, quae pertinebant ad statum innocentiae, de se erant stabilia, & toti generi humano communia: quia tamen pendebant vtriusque a conditione ab obedientia Adami, eius peccato per accidens fuit, quod parum durarent. Sicut de facto ex parte Dei fuit Adamo collata quaedam immortalitas sibi, & suis filiis: quam tamen nec sibi, nec alijs seruauit.

24 His ergo & alijs omiſſis, recurrēdū ad rationē S. Th. in hac forma. In statu innocentiae nihil de facto fuit, quod nō fuerit illi statui conueniens, & consentaneū. Qua ratione probat S. Thomas 1. p. q. 95. ar. 1. quod primus homo fuerit creatus in gratia, quia hoc videtur requirere ipsa re: & ratio primi status, in qua Deus hominē fecit: secundum illud Eccles. 7. *Deus fecit hominem rectum.* Sed conueniens, & consentaneum non fuit pro statu innocentiae Sacramenta instituti, vt postea ostendemus rationibus D. Thomae, quia sacramentorum institutio, derogaret perfectioni conuenienti pro illo statu: ergo de facto pro statu innocentiae nulla fuerunt sacramenta. Adeo connexam hanc conclusionem cum sequenti existimat S. Thomas, quod hanc subintellexerit, & nō expresserit, & secundam solum probando, & exprimendo, vtramque iudicet assertam, & firmiter. Vnde, qui sequentem conclusionem negant, adeo laborant, vt vidimus, in hac probanda: nobis vero probationes sequētis pro vtraque sufficiunt: quia de causa ab antiquis seorsum non proponebantur.

25 Obijciēs tamē primo: nam vt docet S. Thomas hic art. 1. ad 2. Deus dat hominibus gratiam secundum modū eis conuenientem: *Et ideo necessaria sunt hominibus Sacramenta, quae gratiam consequuntur:* vt per corporalia, & sensibilia, in spiritualia, & interiora, & sensibilia deducatur. Sed etiam in statu innocentiae homo indigebat gratia, vt probat S. Thomas 1. p. q. 95. art. 4. ad 1. & homo erat compositus ex corpore, & anima. Ergo etiam in illo statu erāt necessaria sacramenta.

Respondetur cum D. Thoma art. 2. ad 1. & 2. quod homo in statu innocentiae gratia indigebat: *Non tamen vt eam consequeretur per aliqua sensibilia signa: sed spiritualiter, & insensibilibus.* Quia licet natura humana esset eadem quae nunc, non tamen est idē naturae status. Nam post peccatum anima etiam quantum ad superiorem partē

indiget accipere aliquid a corporalibus rebus ad sui perfectionem: quod in illo statu homini necesse non erat: quantum ad perfectiones supernaturales, vt num. 4. dictum est, & amplius in sequentibus exponetur.

26 Secundo obijciēs: nam Matrimonium est quoddam Sacramentum, secundum illud Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Sed matrimonium fuit institutum ante peccatum, vt dicitur Genes. 2. ergo de facto fuerunt sacramenta ante peccatum.

Confirmatur ex S. Leone Papa 1. epistol. 92. cap. 4. dicente. *Cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt praeter se xuum coniunctionem, haberet in se Christi, & Ecclesiae Sacramentum.* Loquitur specialiter de Matrimonio Abrahāe. Sed cum alludat ad illud Christi Mathaei 19. vers. 8. de coniugio primorum parentum: *Ab initio autem nō fuit sic:* etiam loquitur de prima institutione matrimonij facta in Paradiso in statu innocentiae. Ergo de facto tunc fuit sacramentum.

27 Ad hoc argumentum sunt, qui dicant non posse tuto defendi Matrimonium primorum parentum fuisse Sacramentum. Ita Bellarminus lib. 1. de Matrimonio cap. 5. §. *Sed profecto.* Et Vazquez de Matrim. disp. 2. cap. 3. dicit oppositū esse ab Ecclesia expresse damnatum. Et hic disp. 130. n. 4. dicit à nemine id fuisse concessum. Quod & ait Lugo disp. 3. sectione 1. n. 5. Et Basilius Pontius lib. 1. de Matrimonio cap. 5. n. 1. ait. Sententiā Doctorum, qui sacramentū Matrimonij fuisse se dicunt ante Christi institutionem, *paruum tutam* existimamus. Primum, quia Florentinum in Decreto fidei definit esse septem nouae legis Sacramenta: & inter ea Matrimonium enumerat: cum ait *nouae legis*, planē denotat post aduentum Christi fuisse institutum. Addit praeterea haec Sacramenta nouae legis differre multū à Sacramentis veteris legis, quia illa non causabant gratiam, sed significabant; haec vero efficiunt. Quod si etiam in antiqua lege Matrimonium vere sacramentum fuisset, & gratiam contulisset, non rectē id diceretur proprium sacramentorum nouae legis.

Eadem veritas constat ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. vnico, vbi inquit Matrimonium in lege Euangelica veteribus connubijs praestare gratiam: & ideo inter Sacramenta nouae legis computandum. Quod

Quod si iam olim sacramentum fuisset, non praestitisset gratiam veteribus connubijs. Et can. 1. expresse damnatur, qui dixerint non esse sacramentum à Christo institutum, aut non esse nouae legis sacramentum: ergo non erat ante sacramentum. Et sess. 7. can. 1. damnatur, qui dixerint Sacramenta nouae legis non fuisse omnia à Christo instituta: id est, primo, & nouiter. Haec Basilius.

28 In has censuras acriter inuehitur Bernal hic disp. 1. sect. 2. §. 1. dicens sine fundamento damnari priorem sententiā, & non posse notam illi citra iniuriam in vti. Primo, quia grauissimos habet patronos post Concilium Florentinum, & Tridentinum; vt retulimus n. 13. Quis autē, nisi per summam iniuriam asserat, tot, ac tam catholicos, ac perspicaces viros contra expressam Ecclesiae definitionem scripsisse? Secundo, quia fundamenta, quibus aduersarij nituntur, debilitissima sunt. Praefertim, si cum ipsis, & vera sententia supponamus non esse de ratione sacramenti (vt abstrahit ab antiquis; & nouis) esse collatiuum gratiae. Nam et si Matrimonium sit vnum è septem nouis, potuit olim esse sacramentum: Baptismus enim, & Ordo in lege noua est sacramentum, & vnum è septem proprijs nouae legis; & tamen ante istam fuit multiplex Baptismus, referēte Paulo: & ad sacerdotes initiandos fuit Ordo: & vterque fuit vere, & proprie Sacramentum: diuersa tamen ratione à Baptismo, & Ordine nouae legis: ergo de Matrimonio tantumdem intelligi potest.

29 Tertio, etiam si Matrimonium ante Christi institutionem non daret gratiam, non fit inde tunc non fuisse Sacramentum; cū de istius ratione non sit esse gratiae collatiuum: vt contrarij admittunt in alijs sacramentis. Praeterquam quod etiam si sacramenta legis scriptae non darent gratiam, qui id concederet Matrimonio in statu innocentiae, non opponeretur Eugenio Quarto. Imò patronum aduocarem: Catechismus Pij Quinti, cuius Author non habet pro vero sacramento illud, quod gratiam non tribuit, vt patet ex titulo de Sacramentis, §. *Verum praeter.* Et tamen potius putat Matrimonium in statu innocentiae fuisse verum Sacramentum: quia titulo de Matrimonio, §. *Cum enim:* loquitur de Sacramentis legis Mosaycae, leu scriptae; & ea dicit non fuisse sacramenta, & inter alias rationes id probat, quia multum à prima institutione delinuerant. At qui

prima institutio fuit in statu innocentiae: ergo planissime supponit: Cathelicimus Matrimonium in eo statu fuisse sacramentum extitisse. Ita Bernal n. 25.

30 Addit n. 26. vsque 28. sequi ex doctrina Vazquez, & Lugi Matrimonium in statu innocentiae fuisse verē, & proprie sacramentum: quia Vazquez, & alij plurimi docent ad rationem sacramenti sufficere vt sit gratiae signū sensibile, & à Deo vniuersaliter institutum. Sed in statu innocentiae totum id habuit Matrimonium, fuit enim sensibile, vt per se constat. Significauit Christi cum Ecclesia coniunctionem, ac proinde fuit signum gratiae. Fuit etiam ab ipso Deo institutum: quia significationem illā à solo Deo instituyente habuit. Denique fuit institutum vniuersaliter, seu pro toto Ecclesiae statu: nam Adamus sub illo sui coniugij symbolo, Incarnationem praedixit, non sibi, & uxori solis, sed etiam posteris. Neque obstat symbolum hoc non fuisse tunc institutum ad longum tempus, sed ad breue: quia saltem sequitur esse sacramentum in sententia Lugi asserentis posse sacramentum, ad breue tempus institui. Vnde ipse Bernal §. 2. probat non fuisse sacramentum, quia non fuit institutum stabiliter, seu pro diuturno tempore, vt patet n. 35. nec pro toto aliquo magno hominum numero, vt n. 36: nec fuit consecrans ad bonū Ecclesiae proprium.

31 In tota hac doctrina vnum tantū placet, & reliqua, vt omnino, falsa, displicent. Placet, quod contemnat rigidā censurā Bellarmini, Vazquez, & Basilij: quia reuera est sine fundamento, & cum iniuriā Doctorum illius opinionis. Maxime tamē displicet, & falsum omnino est, quod eam sententiam doceat Catechismus Pij Quinti, cum expresse doceat contrariam titulo de Matrimonio, §. *Sed quibus.* Fol. m. hi. 326. in fine, cum ait: *Quemadmodum enim Matrimonium, vt naturalis contractio ad propagandum humanum genus ab initio institutum est: ita deinde, vt populus ad veri Dei, & Saluatoris nostri cultum, & religionem praecrearetur, atque educeretur, sacramenti dignitas illi tributa est. Cū enim Christus Dominus, & c.* Docet ergo aperte Matrimonium ante legem Euangelicam non fuisse sacramentum. Idemque docet de Matrimonio. Gētilium col. 328. & de Matrimonij antiquorum concludit: *Sed illa quoque coniunctiones vera sacramenti ratione caruerunt.*

32 Nec ad hoc probandum adducit illam

Illam rationem, quam Bernal calumniatur, sed ad probandum, quod polygamia non est de iure naturæ, nec conueniebat Matrimonio in statu innocentie. Damus integra verba, & Catechismi mens, vel nullo interpretante erit manifesta. *Huc accedit* (inquit) *quod siue natura post peccatū, siue Moysi legem expectemus, facile animaduertimus, Matrimonium à primortus sui decore, & honestate decidisse. Dū enim natura lex uigebat, multos ex Antiquis Patribus fuisse comperim⁹, qui plures simul uxores duceret. Deinde uero in lege Moysi permissum erat, dāro repudiij libello, si causa fuisset, diuortium cū uxore facere: quorum utrumque ab Evangelica lege sublatum, Matrimoniumque in pristinum statum restitutum est. Nam quod polygamia à Matrimonij natura aliena esset, Christus Dominus ostendit illis uerbis: Matth. 19. Propter hoc dimittet homo, &c. Ecce, quod Matrimonium dicit in pristinum statum restitutum, quoad hoc, quod sit indissolubile, & unius cū uia: nō uero quoad hoc, quod in primo statu esset sacramentum sicut modo est: quod nec leuiter ibi indicatur. Ratio uero ista à Catholicis nequit calumniari: quia est ipsius Christi illis uerbis: *Ab initio non fuit sic.**

33 Præterea falsum est, quod ad defendendum Matrimonij status innocentie nō fuisse sacramentum, necesse sit recurrere ad illas sententias Bernal: quia illas esse falsas, q. 60. ostendimus. Denique falsum est, quod ex illa sententia Vazquez, & Luigi id sequatur: quia eas ostēdimus esse ueras, & D. Thomæ: & ipse expresse negat Matrimonium in illo statu fuisse sacramentum, ut iam ex ipso pergimus explicare.

34 Respondetur ergo cum D. Thoma art. 2. ad 3. quod Matrimonium fuit institutum in statu innocentie, non secundum, quod est sacramentum, sed secundum, quod est in officium naturæ. Ex consequenti tamen aliquid significabat futurum circa Christum, & Ecclesiam: sicut & omnia alia, quæ in figura Christi præcesserunt.

Idem magis explicat S. Thomas in 4. dist. 1. q. 1. ar. 2. q. 2. ad 3. dicens, quod Matrimonium non fuisse in statu innocentie in remedium, sed in officium. Et quia Sacramenta remedia sunt; idēd proprie loquendo non fuisse sacramentum: nisi forte in quantum rem sacram significabat. Et non quidem ut illius sacræ rei, scilicet, coniunctionis Christi, & Ecclesie per huius-

modi Matrimonium homo in statu illo cognitionem accepisset, sed magis è conuerso, ex cognitione prædictæ coniunctionis conuenientiam, & sanctitatem Matrimonij cognouisset.

35 Rationem radicalem tangit idēd D. Thomas in 4. dist. 26. quæstione 2. art. 2. dicens, quod natura inclinatur ad Matrimonij intendens aliquid bonum: quod quidē variatur secundum diuersos hominum status: & idēd oportet, quod secundum illud bonum diuersimodē in diuersis hominum statibus instituat. Et idēd Matrimonium secundum quod ordinatur ad procreationem prolis, quæ erat necessaria etiam peccato non existente, institutum fuit ante peccatum. Secundum autem, quod remedium præbet contra uulnus peccati, institutum fuit post peccatum tempore legis naturæ. Secundum autem determinationem personarum, institutionem habuit in lege Moyfi. Sed secundum quod repræsentat coniunctionē Christi, & Ecclesie, institutionē habuit in noua lege. Et secundum hoc est sacramentū nouæ legis. Hæc D. Thomas. Defectus ergo diuinæ institutionis Matrimonij status innocentie non fuit sacramentū proprie, sed solum improprie, & communiter, sumendo large sacramentum pro quo libet sacræ rei signo. In quo etiam sensu S. August. lib. 13. de Ciuit. Dei cap. 20. & libro 1. contra aduers. legis, & Proph. capite 20. etiam lignum uitæ appellat sacramentum. Ratio autem cur non adfuit diuina institutio, fuit duplex: & quia pro illo statu satis erat instituere in officij naturæ, & non ut sacramentum: & quia perfectioni illius status non cōgruebat, quod homo gratiam consequeretur, per aliqua uisibilia signa, sed spiritualiter, & inuisibiliter.

36 Sed instabis: nam discursus iste solum conuincit, quod in statu innocentie Matrimonium non esset Sacramentum eiusdem rationis cum sacramētis nouæ legis: cum quo tamen stat fuisse uere, & proprie sacramentum: sicut q. 60. dub. 4. diximus sacramenta legis scriptæ fuisse uere, & proprie sacramenta, licet non uniuocum nostris: quia non causabant actum gratiam internam, licet eam significarent dādam per Christum. Pariter ergo, quamuis Matrimonium status innocentie non conferret actum gratiam, nec ad hoc à Deo accepisset uirtutem causatiuam; si tamen de facto significabat Incarnatio-

nem,

nem, ut docet S. August. lib. 1. de nuptijs cap. 21. ex qua hominibus prouenit salus, est de facto uerum sacramentum, licet diuersæ rationis à sacramentis nouæ legis.

37 Respondetur in primis cum Grano contro. de sacramentis in genere tract. 2. disp. 1. ad ultimum, quod si in illo statu fuissent instituta sacramenta, ab illo subito cōferret actum gratiam; Tum quia status ille erat ualde perfectus: Tum quia ex se non ordinabatur ad alium, ad differētiā antiquæ legis, & sacramentorum eius, quæ erant nouæ legis gratia pronostica.

38 Secundo respondetur, quod si sicut adfuit diuina institutio pro sacramentis antiquis, adesset pro matrimonio status innocentie, probaret argumentum. Sed tamen institutionem in ratione sacramenti pro illo primo statu adfuisse negamus: quoniam, ut notat Soto art. 2. ad 3. non fuit institutum quasi actus religionis ad id significandum; sed in officium dumtaxat multiplicandæ naturæ, ut patet Genes. 1. & 2. Verum tamen ex consequenti, ut ait D. Thomas, hoc est, ex sua ipsius coniunctionis natura, significabat unionem Christi cum Ecclesia, sicuti unūquodque suum simile. Quare ubi ait Paulus sacramentum fuisse Christi, & Ecclesie, sacramentum accipit pro eo, quod est mysterium. Adde cum Durando loco citato, quod neque illam Christi coniunctionem significasset, nisi hominum lapsus fuisset futurus: quoniam si nullum extitisset peccatum, Christus nō fuisset carne indutus, in qua sibi desponsaret Ecclesiam: quare & ipsa eius significatio ad statum peccati refertur. Sed prior solutio per se satis est solida. Hæc Soto. De illa autem auctoritate S. Augustini iam diximus 3. p. q. 1. artic. 3.

39 Ultimo obijcies. Deus propensior est in misericordiam, quam in iustitiam: præsciens autem humanorum scelerū prouidit ante peccatum Adæ infernorum ignem: ergo æquiori ratione debuisset tūc prouidere sacramenta. Eo uel maxime quod salutaris herbas, & quæ corporeis ægritudinibus medicandis erant necessaria, antequam morbi essent, creauit. Adde quod prouidentissimus quisque medicus non modo præsentaneis ægritudinibus medetur, uerum & ab illis, quæ timetur, sanos præseruat: debuit ergo statim illū Deus sacramentis exornare, ut homo ab illa culpa, quam postea contraxit, præser-

uaretur.

Quæ rationes in simili traduntur à D. Thoma 1. p. quæst. 95. artic. 3. ad probandum, quod perfectioni status innocentie repugnabat actus poenitentiae de peccato commisso, & misericordie, quæ est dolor de miseria aliena: quia perfectioni primi status repugnat tam dolor, quam culpa, & miseria. Quo non obitante, docet Deum illi infudisse habitus harum uirtutum. Rationemque subiungit dicens. *Vnde huiusmodi uirtutes erant in primo homine secundum habitum, non secundum actum. Erat enim primus homo sic dispositus, ut si peccatum præcessisset, doleret: & similiter, si miseriam in alio uideret, eam pro posse repelleret. Ergo pariter debuit diuinitus prouideri medicina spiritualis, quandoquidem morbi erant possibiles.*

40 Respondet egregie Soto ad 4. dicens, quod etiam propensior sit Deus ad clementiam; nihilominus debet suauiter omnia secundum rerum naturas, & indigentias disponere. Ignis autem inferni fuit elementalis: atque adeo ad opus creationis pertinens. Aut eam debuisset illum locum tunc creare vacuum; aut si alia eū substantia oppluisset, debuisset illam post peccatum corrumpere, ut infernum illum illic accenderet ignem: quod creandi sapientie non congruit. Vnde ut habetur Eccles. 18. *Qui uiuit in æternum, creauit omnia simul.* Idēd de Purgatorio, quod uetus est sinus inferni: & de naturalibus herbis, & alijs medicaminibus respondendum est, nempe, quod omnia pertinent ad creationis opus.

41 Præterquam quod per horrendus ille ignis Sathanæ, & Angelis eius destinatus fuit: quorum quidem peccatum ante statum innocentie præcesserat. Vnde Christus Matthæi 25. *Ite, inquit, in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* Illi enim quoniam per poenitentiam retrocari in gratiam nequuerant, statim post culpam illuc obstruunt: hominibus autem, qui per resipiscentiam, & errorum poenitentiam euadere tormēta illa possunt, non est paratus nisi ad terrorem, ut eum caueamus; nisi nostra impenitentia similes demonibus efficeret. Hæc Soto.

42 Sed instabis: nam cū Angelo peccate paratus est locus suæ poenæ, quia peccat irremediabiliter: ergo quia homo peccat remediabiliter, debuit cū ipso institui medicina.

H

Ref.

Respondet optime S. Thomas in 4. ad Anibaldum dist. 2. ar. 1. ad 1. quod non est simile, quia facilius permittit se cadere, qui videt medicinam preparatam ante morbum. Poena autem a culpa detinet: ideo bonum fuit tunc insinueret poenam: non tamen medicinam.

43 Præterquæ quod non esset cõpletum opus vniuersi, si Deus non creasset Cœlum Empyreum, vt esset locus destinatus pro procemio bonorum; & infernum, vt esset paratus locus pro punitione malefactorum: sicut enim in magna domo sunt vasa quædam in honorem; & quædam in cõsumeliam, vt dicit Apostolus 2. ad Timotheum 2. ver. 29. Ita in magna Ciuitate, & Regno debent esse carceres pro reis, & Palatia, & Plateæ, & loca alia destinata, vt honorentur boni Ideo productio Inferni ad opus vniuersi pertinebat. Quia vt habetur lib. 1. de mirabilibus Sacræ Scripturæ cap. 2. Infernus preparatus est in perfectione civitatum omnium. Hoc est, in prima cõditione, addit Richardus in 4. dist. 44. artic. 2. q. 3. Sed vtrum hoc fuit in prima die, qua Angeli fuerunt creati, aut sexta die, qua creatus est homo? Apud aliquos dubium est. Probabilius tamen videtur, & magis authoritati consonum, quod hoc fuit sexta die. Hæc ibi. Melius S. Thomas Opusc. 1. art. 24. ait, quod preparatio inferni ab initio mundi fuit secundum illud Isaia 30. Preparata est enim ab heri Topeth, a rege preparata, profunda, & dilatata. Nutrimenta eius ignis, & ligna multa: status Domini sicut torrens sulphuris succedens eâ. Loquitur de inferno secundum expositionem Glossæ. Incertum autem dicit S. Thomas vbi sit. Quod & dicit ar. 25. Et opusc. 10. art. 2. 1. addit, quod superfluum est de talibus sollicitari asserendo, vel improbando. Sacramenta autem (vt prosequitur Soto) non sunt res naturales; sed supernaturaliter instituta in remedium peccati. In illo autem statu per iustitiam originalem congruentissimè illis, ac sufficientissimè prospectum erat, vt illo durante statu, nec peccatum homines facerent, neque metuerent: quia nec ignorantia, nec corruptis affectionibus laborabant. Quare nec alia præseruatiua opus habebant medicina: sanè quæ non applicatur, nisi illis, quibus morbus timetur. Præsertim cum vsus sacramentorum illic locum non habuisset, superuacanea fuisset eorum institutio, etiam ad præseruandum. Sed iustitia originalis cõmodissimè id illis præ-

stabat. At cum liberum arbitrium non habuissent confirmatum in gratia, cadere ab illa potuerunt: ac subinde ceciderunt. Hæc ibi. Quo cessant omnes probationes obiectæ.

§. III.

Vtrum sacramenta conuenienter institui possint pro statu innocentia?

44 Circa secundum sensum primi quaestio, admittunt omnes de possibili, & in alio rerum ordine, potuisse a Deo institui sacramenta pro statu innocentia. Quod si Deus faceret, ipse daret conuenientiam; iuxta doctrinam Sancti Thomæ 1. par. quaest. 25. artic. 5. & 6. Solu ergo est dubium iuxta præsentem prouidentiam, & rebus vt nunc, an conuenienter pro statu innocentia sacramenta instituerentur?

45 Affirmant Suarez disp. 3. sectione 3. conclus. 1. Lugo disputatione 3. sectione 1. numero 9. Bernal disputatione 2. sectione 1. numero 2. citans Vazquez disputatione 30. numero 8. & Coninch art. 2. Sed vtrumque male: quia Coninch de hoc ibi non agit. Et Vazquez non disput. 30. sed 130. & illo numero 8. refert, non suam; sed Suarez sententiam: quam impugnat capite 2. & 3. & postea cap. 4. numero 3. 1. vbi ex propria mente hoc primum tangit, solum ait, quod de hoc non est nimum contendendum: nisi in illo statu Deus aliqua sacramenta condidisset; non deessent rationes congruentia, & decentia, &c. Quæ si procedant in alio rerum ordine, a nemine negantur: ex vi vero præsentis prouidentia ita esse, ab ipso non probatur. Refert pro hac parte Aueria sectione 2. Alanum de sacram. cap. 28. & Zechium cap. 3. conc. 2. & ipse sequitur: & Bonac. disp. 1. q. 1. punct. 3. n. 4.

46 Probat Suarez seorsum de Sacramentis vt sunt signa, & vt sunt causæ gratia. Nam sunt signa non solum ad acquirendam cognitionem, sed ad alias utilitates. Prima, ad exprimendam, & profitendam interiorem fidem. Secunda, ad excitandam memoriam, & affectum. Tertia, ad quandam representationem supernaturalium mysteriorum, & facillorem eorum apprehensionem. Quarta, ad confessionem, & vnitatem hominum eiusdem religionis in exteriori cultu Dei.

Sed has omnes utilitates possent habere

re

re sacramenta in statu innocentia sine aliqua imperfectione contraria recto ordinis illius status. Quod probat primo, quia in eo statu seruaretur naturalis modus humanae cognitionis, cum dependentia ab obiectis sensibilibus, & phantasmatibus. Secundo, filijs Adæ scientia non infunderentur, sed eas acquirerent. Tertio quauis infunderentur habitus supernaturales, sicut nunc in Baptismo: non tamen infunderentur species, & phantasmata rerum fidei: Neque fierent omnibus ac singulis hominibus interiores reuelationes rerum omnium credendarum: ergo instruerentur de rebus fidei per voces, & scripturas, & signa sensibilia. Quarto, verisimile est tunc futuris fuisse imagines ad significandas res absentes: & ad honorem, & venerationem personarum, & in signum amoris: & ad excitandam memoriam adminiculo sensibilium signorum: ergo pariter ad eosdem fines congruerent sacramenta. Quinto, quia tunc futurus erat cultus externus Dei: & nulla est indecentia, sed maxima utilitas, quod Deus illum cultum eleuaret ad significandam rem sacram.

47 De sacramentis vt sunt causa gratia, probat, quia considerata maxima spiritali utilitate, quæ est in obtinenda gratia, seu augmento eius ex vi operis exterioris, vltra omnem meritum operantis, est hæc perfectio tanti momenti, vt si Deus vellet eam conferre hominibus in statu innocentia, ex hoc solo capite est maior cõgruitas in institutione sacramentorum, quam sit in omnibus alijs coniecturis, quæ in contrarium afferri possunt.

Confirmatur: nam propter utilitatem obedientia decuit vt in illo statu homo arceretur ab usu ligni scientia boni & mali, quæ erat quædam arbor sensibilis: ergo conuenienter, & congruenter potuit in eo statu præcipi homini in eo statu vltus alicuius rei sensibilis, quo & Deum coleret, & ipse magis sanctificaretur.

Tandem, quia conferre gratiam per res sensibiles, est vnum ex maximis operibus sapientia, potentia, & bonitatis diuinæ: ergo huiusmodi opus, non solum propter utilitatem hominum, sed per se propter manifestationem diuinæ virtutis, poterat in statu innocentia sufficientem congruentiam habere.

48 Easdem probationes vsurpat Bernal: & solum addit, quod in statu innocentia non fuit vnum signum sensibile gratia;

sed multiplex: nam S. August. lib. 3. de Ciuitate cap. 20. lignum vitæ dicit fuisse sacramentum. Et S. Thomas 3. p. q. 1. art. 3. dicit formationem Eua ex costa Adæ fuisse signum vniõnis Verbi cum humanitate: & pariter eorum sensibile matrimonium vocat Paulus magnum sacramentum in Christo, & Ecclesia. ¶ Deus etiam cum attulit animam ad Adam, vt videret quid vocaret ea, agebat cum illo, vt cum Abrahamo, vel Moyse, nempe in corpore aliquo per Angelum assumpto: quod erat signum Dei. Tunc sic arguitur. Non fuit inconueniens illi statui, quod homo Deum quasi per laruam corpoream cognosceret, & ab eo mandata capesseret: Nec dedecuit vt Dæmonem agnosceret, & alloqueretur per speciem serpentis corpoream: Ergo nec dedecuit, aut inconueniens fuit, vt per corporeum signum, & ex diuino placito insinuito, gratiam agnosceret. Et cum sacramenta essent actommodatissima ad gratiam augendam; imò etiam ad cõseruandam, vel simpliciter, vel multo facilius, sacramenta illi statui essent conuenientissima vt signa sensibilia, & vt causæ gratia.

49 Dico secundo, ex vi præsentis prouidentia institutio sacramentorum non esset conueniens statui innocentia. Ita S. Thomas hic art. 2. dicens, quod in statu innocentia ante peccatum sacramenta necessaria non fuerunt. Respondet Bernal num. 12: quod S. Thomas solum ait, quod in illo statu sacramenta necessaria non fuerunt: Ipsi vero non dicunt necessaria fuisse: sed potuisse esse conuenientia: qua propter assertionem S. Doctoris nec per somnium aduersatur.

30 Sed hæc euasio nullus est soliditatis: & quamuis specie tenus videatur reuerentia Doctoris Sancti eum exponendum assumere; tamen est vt eum simulatè impugnet: nam num. 13. & 14. affirmat, quod esto D. Angelicus videatur probare non esse conuenientis; sed tamen re ipsa non id probat. Quod igitur expositio opponatur expresse Doctori Sancto, sic demonstratur: nam secundum Caietanum, Vazquez, & omnes Expositores, vt diximus dub. 1. loquitur S. Thomas de necessitate ad melius esse: sed hæc est necessitas conuenientia, vt omnes dicunt: & ex vsu, & proprietate terminorum constat: ergo loquitur de conuenientia institutionis. Deinde iam diximus, quod disputare de necessario vsu sacramen-

cramentorum, postquam instituta sunt, referuat S. Thomas ad q. 64. art. 5. ergo cum hic loquatur de necessitate ut instituantur: cum hæc non sit necessitas simpliciter, est necessitas conuenientie. Tertio id est manifestius in 4. dist. 1. q. 1. art. 2. cum quæstiu cula prima notaret sacramenta non esse necessaria necessitate absoluta; sed solum quia per sacramenta fit *magis congrue* hominibus reparatio, cum huius *congruitatis causas* assignasset: postea eadem phrasi utitur in quæstio huius dubij q. 2. pro eodem accipiens utilitatem, & necessitatem: ergo est luce meridiana manifestius, quod S. Thomas negat conuenientiam institutionis sacramentorum pro statu innocentie.

51 Pariter Sotus in 4. dist. 1. q. 3. §. de tertio articulo, ait. *Pro statu etiam innocentie non fuit congruum institui sacramentum, sicut post lapsum; quia etsi tunc homo non potuit, nisi ex sensibilibus cognoscere intelligibilia; tamen nullum sensibile fuit necessarium, tanquam conferens ad salutem, remouendo aliquod impedimentum salutis, ut scilicet, passio diet medicinalia.* Quia supponebat non conuenire sacramenta non medicinalia. Eadem est sententia omnium Thomistarum. Imo communis Theologorum, ut relato S. Bonaventura, & Gabriele, Matore, Paludano, Altisiodorensi, Caietano, & Soto, probat Nuño art. 2. dub. 1. Araujo dub. 3. Ruyz dub. 1. Cabrera disp. 2. §. 3. Gran. cōtrou. 3. tract. 2. disp. 1. sec. 1. & 2. & 3. Cartag. disp. 2. dis. scilicet. 1. Calpensis trac. 21. disput. 2. sectio ne 2.

52 Probat S. Thomas illa quæstiu cula 2. in primis, quia Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacram. cap. 3. & 4. par. 9. dicit, quod sacramenta sunt *vasa medicinalia*: ergo non erant conuenientia in statu innocentie, cum morbus non erat: siquidem dicitur Math. 9. *Non opus est sanis medicos, nec etiam medicina.* Secundo, quia sacramenta virtutem fortiantur ex passione Christi: unde & de latere ipsius in Cruce pendens fluxisse dicuntur. Sed si homo non peccasset, Christi passio non fuisset: ergo nec sacramenta.

53 Sed quia hæc argumenta solam vanam partem conclusionis ostendunt, nempe, quod non essent conuenientia eadem sacramenta, quæ modo sunt, ut probet S. Thomas distinctius, quod nulla sacramenta tunc essent necessaria, vtilia, aut conuenientia, sic distinguit in corpore. Dicendum quod utilitas sacramentorum est erudi-

tio, & curatio. Quantum autem ad curationem, omnibus patet, quod non erant necessaria sacramenta in statu innocentie; cum tunc morbus non esset. Sed quidam dicunt, quod erant necessaria quantum ad eruditionem: quia homo in statu etiam illo sensibilibus utebatur; & ita ex sensibilibus ei spiritualia signari cōgruebat. (Ecce quod non solum refert opinionem, quam postea fuit sequutus Suarez: sed etiam eius fundamentum. Quod impugnans, subiungit.) Sed hoc non videtur conueniens, quia significatio fit ad acquirendam cognitionem de eo quod significatur. Quamuis autem in primo statu sensibilia cognosceret, & in eis etiam spiritualium similitudines inspiceret: Non tamen ex sensibilibus spiritualium cognitionem accepit; sed magis ex influentia diuini luminis: & ideo sacramentis ad eruditionem non indigebat.

54 Et ut contrarium diluat argumentum, dicit ad 2. quod in statu innocentie superiores partes hominis omnino inferioribus dominabantur. Et ideo quamuis homo haberet sensus, & materialis esset; non tamen intellectus ex sensibilibus cognitionem accipiebat, sed ex influentia diuini luminis habebat. Sed quia experientia etiam eorum, quæ prius sciebamus, delectabilis est; ideo operabatur ad experiendum naturæ vires; non ut ex hoc habitum scientiæ acciperet; sed ut ex visione experimentalium eorum, quæ sciebat, delectaretur.

55 Eandem rationem quoad primam partem de sacramentis ut sunt medicinalia, proponit hic art. 2. in arg. sed contra. Et quoad secundam, & præcipuam, in corpore art. dicens. Cuius ratio accipi potest ex re similitudine status illius, in quo superiora inferioribus dominabantur, & nullo modo dependebant ab eis. Sicut enim mens suberat Deo; ita menti suberant inferiores animæ vires, & ipsa animæ corpus. Contra hunc autem ordinem esset, si anima perficeretur, vel quantum ad scientiam, vel quantum ad gratiam, per aliquid corporale: quod fit in sacramentis. Et ideo in statu innocentie homo sacramentis non indigebat; non solum in quantum sacramenta ordinantur in remedium peccati; sed etiam in quantum ipsa ordinantur ad animæ perfectionem. Quod in solutione ad secundum explicat ut in 4. Sent. ad secundum.

56 Respondet Bernal sec. 1. num. 14. quod sensus illius maioris: Inferiora erant

omni-

omnino subiecta superioribus; & hæc Deo duplex tantum esse potest: Prior, ita fuisse subiecta, ut superiora non perficerentur interuentu inferiorum; sed à Deo immediate illustrarentur. Et in hoc sensu propositio esset falsa; & inconsequens: nam in statu innocentie multa percipiebat humanus intellectus per species sensibus haustas, ut ait ipse S. Thomas 1. p. q. 101. art. 1. & 2. Deinde licet esset propositio vera, vim non haberet: quia si quam indecentiam præferret, intellectum perfici medijs sensibus per sacramenta, sufficienter compensaretur, & auferretur per abundantem gratiam ex opere operato comparatam. Posterior sensus esse potest, inferiori hominis fuisse omnino subiecta superioribus, ita ut rationem non præueniret. Et hoc non probat indecentiam sacramentorum in illo statu; sed minorem indigentiam.

57 Respondetur utroque modo propositionem esse veram, & aptam ad intentionem: sed in priori sensu præcipue accipitur à D. Thoma. Replicæ iam diu erant solutæ à Thomistis, licet diuersimode, iuxta diuersas expositiones literæ D. Thomæ. Caietanus enim illis conuincitur ut probet S. Thomam loqui de solo statu innocentie prout fuit de facto in Adamo, ut retulimus num. 1. & de illo ait, quod intellectus Adæ, quia ex speciebus non acquisitis ex sensibus, sed infusus à Deo procedebat, non dependebat à phantasmatibus; sed utebatur phantasmatibus ut inferioribus; sicut anima utebatur corpore subiecto.

58 Soto vero, & alij, qui S. Thomam exponunt de statu innocentie prout in primis parentibus, & filijs, si in eodem permanerent statu, exponunt S. Thomam de dependentia quoad perfectionem supernaturalis acquisitionem, ut iam diximus n. 4. Illa autem compensatio non probat, quod Deus non debeat disponere omnia suauiter, & instituire in vnoquoque statu, quod gratia acquiratur iuxta modum conuenientem statui illius, qui eam acquirit.

Præterquam quod commodum, & uti sitatem, quam nos habemus per sacramenta, & augmentum, & gratiæ conseruatio, iustitia originali commodissime illis præstabitur, ut si vellent, possent cum minori difficultate in sanctitate perseuerare, & erescere. Vnde docet S. Thomas 1. p. q. 95. art. 4. quod efficaciora fuissent hominis opera ad merendum in statu innocentie, quam post peccatum, si attendatur quantitas meriti ex

parte gratiæ, quæ tunc copiosior fuisset, nullo obstaculo in natura humana inuenio. Et ad 3. ait, quod in primo statu nihil erat interius impellens ad malum, sicut modo. Unde compensatione opus non erat, quando per intrinsecè recepta dona a deo cumulate esset homini prouisum.

59 Denique etiam in posteriori sensu rationem accipit Cabrera, dum n. 17. sic assertionem probat. Homo in illo statu secundum partem superiorem subieci batur Deo auctori gratiæ: ergo nullam habebat dependentiam ex parte sensitiua, ac proinde immediate perficeretur spirituali perfectione à Deo sine dependentia ab aliquo sensibili. Patet consequentia, quia ordo illius status erat, ut homo secundum partem superiorem dominaretur omnibus rebus; & illis non subiceretur, quando ipse subiectus esset Deo. Ergo durante illa subiectione perfecta hominis ad Deum non esset ipse subieciendus sacramentis sensibilibus, ut per ea gratiam, vel cognitionem supernaturalem compararet.

Confirmatur, quia tam ex parte intellectus, quam voluntatis homo in illo statu erat sufficienter dispositus ad suscipiendam immediate à Deo perfectionem supernaturalem: ergo superuacanea essent sensibilia sacramenta, quibus homo ad suscipiendam spirituales perfectionem subieci batur: esset enim ordo præposterus, & sine vlla necessitate commutatus, ut res nobilior ab inferioribus perficeretur. Hæc ibi.

60 Quod amplius declarat §. 4. n. 26. notas, quod cum docet D. Th. partem hominis superiorem in eo statu innocentie dependentiam non habuisse a parte sensitiua inferiori, non loquitur de illa dependentia naturali, secundum quam intellectus dependet à ministerio sensuum colligentium species à rebus sensibilibus: sed tantum loquitur de illa dependentia: secundum quam pars sensitiua impedit partem superiorem à suis operationibus, & perfectionibus, aut ipsam aliquomodo retardat. Probat, quia D. Th. solum loquebatur de illa subiectione, quæ ad imperfectionem naturæ rationalis expectat. Huiusmodi enim subiectio statui innocentie non iudebat, qui valde erat perfectus. At illa sola subiectio inferre in natura rationali imperfectionem quæ est impeditiva operationis, & perfectionis partis superioris ordinis: ergo de illa sola loquitur D. Thomas.

Cumque signa sensibilia ex eo solum sint necessaria ad cognitionem rerum su-

pernaturalium, quatenus appetitus sensitivus, & pars sensitiva impedire, aut retardare potest intellectum circa harum rerum cognitionem: eo quod supernaturalis cognitio per se loquendo non oritur à sensibus, sed descendit ad cor hominis ex superiori revelatione. Cum ergo in illo statu ad receptionem supernaturalium nullum esset impedimentum, non erant convenientia sacramenta sensibilia quoad acquirendam perfectionem supernaturalem: nam hanc recepit homo in eo statu per divini luminis infusionem, seu inspirationem ut inquit Hugo Victor. lib. 1. de Sacram. p. 6. cap. 14.

61 Sed certè verba D. Thomæ prioris sensu magis indicant: licet ex consequenti etiam in posteriori verificentur, quem ad aliud intentum, expressit S. Th. 1. p. q. 95. verbis relatis. Nec adæquata causa indigentia sensibilibus est retardatio partis sensitivæ, quia etiam hac parte moderata per habitus, & virtutes, & ligationem fomitibus, sunt aliæ causæ indigentia sensibilibus ex modo operandi connaturali hominis. Quare licet probaret nunc nos magis indigere sacramentis, non tamen totaliter excluderent convenientiam; nisi recurrendo ad priorem sensum; quem admittit, vel supponit ipse Cabrera n. 24. & n. 32. & 35.

62 Ad primum argumentum Suárez, in primis responderetur, quod si quid probaret, ostenderet sacramenta de facto fuisse instituta pro statu innocentia; quia cum non sit revelatum de facto Deum aliter fecisse: & in prima institutione Deus fecerit hominem rectum, & ornatum gratia, & virtutibus; & adeo providere disposuerit omnia, quæ pertinent ad naturalia, & supernaturalia; si tot congruentia suppetunt pro institutione sacramentorum, gratis negant de facto fuisse instituta pro illo statu.

63 Secundo bene responderet Cabrera n. 37. quod illa argumenta solum probant potuisse à Deo institui sacramenta in eo statu, quia talis institutio nullam implicat contradictionem: & si Deus in alio rerum ordine id faceret, essent illæ, vel aliæ congruentia. Tamen illa sacramenta essent alterius rationis à nostris sacramentis, quæ faciunt instituta per Christum, & in remedium peccati. Sed non probant illa argumenta talia sacramenta decessisse statum innocentia, esseque contentanea debito or-

dini, & perfectioni illius status secundum præsentem providentiam; iuxta quam contra perfectionem illius status est, ut homo aut quoad gratiam, aut quoad supernaturalem de Deo perfectionem comparandam, à rebus sensibilibus, cuiusmodi sunt sacramenta, dependeret.

64 Tertio est responsio D. Thomæ relata n. 54. iuxta quam concedendum est signa sensibilia in illo statu fuisse vtilia, & pro aliquorum naturalium cognitione, necessaria. Cæterum non essent necessaria ad accipiendam cognitionem supernaturalem, quia Deus altiori modo providit ut acciperet ex divini luminis influenza, & infusione: & ideo nec erant necessaria ad acquirendam gratiam, quam à principio habebat: nec ad eam conservandam, quia per intrinsicæ dona facile possent conservare propter præstantiam donorum status innocentia. Prohibito autem, & subijciendo sibi sensibilia, bene possent signis sensibilibus uti: quia experientia eorum, quæ prius sciebamus, delectabilis est. Et quoad hoc, eadem est ratio de Adamo in statu innocentia; ac de Christo viatore, & de animabus Beatorum, de quibus inquit S. Thomas 3. p. q. 1. art. 2. quod possunt intelligere absque conversione ad phantasmata: licet differant ab Angelis, qui nec prohibito sic possunt intelligere. Quævis enim Adamus ad hoc non pertingeret quoad cognosceret sine conversione ad phantasmata, nec ut possent Angelos percipientiam videre, ut probat S. Thomas 1. p. q. 94. ar. 2. Tamen quia corpus erat totaliter animæ subditum, & in nullo eam impediens: ideo dicit S. Thomas ibi art. 1. quod hæc fuit reconditio hominis divinitus instituti, ut inferiora superioribus subderentur; & superiora ab inferioribus non impedirentur. Unde homo primus non impediatur per res exteriores à clara, & firma contemplatione intelligibilium effectuum; quos ex irradiatione primæ veritatis percipiebat, siue naturali cognitione, siue gratuita. Unde dicit S. August. lib. 1. super Genes. ad lit. cap. 33. quod fortassis primis hominibus antea loquebatur, sicut cum Angelis loquitur ipsa incommutabili veritate illustrans mentes eorum. Ac proinde in tam sublimi statu non erant convenientia sacramenta: quia non decebat, quod indigeret consequi per aliqua sensibilia signa, ea dona, quæ consequeretur spiritualiter, & intelligibilit-

Ad

65 Ad secundum argumentum dicitur, quod sicut illa compensatio non facit, quod Deus instituerit sacramenta, nec pro sanctificandis Angelis viatoribus, nec pro sanctificando Christo, ita nec dat congruentiam ut Deus rerum ordinem inverterat, & pro homine in statu innocentia, in quo ad animæ perfectionem supernaturalem non indigebat accipere aliquid à sensibilibus sacramentis, institueret sacramenta. Sed sicut Angelis viatoribus (ut notat Cabrera numero 18.) nulla data fuerunt signa spiritualia, per quæ ex opere operato sanctificarentur, ultra meritum operantis, aut quibus iuarentur ad cognitionem rerum supernaturalem. Ita pariter dicendum de hominibus status innocentia, qui non impediatur sensibilibus à firma contemplatione intelligibilium: & qui ex irradiatione primæ veritatis supernaturalia cognoscebant, & in gratia proficiebant; signis corporalibus non indigebant. Quamvis in alijs multis homines illius status ab Angelis differrent, ut explicat ad textum n. 34.

66 Ad argumentum Bernal patet ex dictis: & in primis iuxta verba Sancti Augustini modo relata, possent negari illam locutionem Dei cum Adamo fuisse medio signo sensibili. Favetque S. Gregor. lib. 4. Dialogorum cap. 1. dicens. *In Paradiso assueverat homo verbis Dei, & beatorum Angelorum spiritibus, cordis munditia, ac celsitudine visionis interesse.* Sed quia Filium Dei in humana forma ab Adamo in Paradiso visum, docet S. Theophilus Antiochenus Episcopus lib. 2. adversus Autolyicum, & Tertullianus adversus Praxeam, quorum verba refert Thomas Maluenda de Paradiso cap. 76. in fine. Et ipse S. Augustinus verbis relatis dubitatio loquitur, & postea determinat Deum Adamo loquutum per Angelos. Ait namque. *Fortassis etiam illo, qui sit per creaturam, siue in extrahi spiritus corporalibus imaginibus, siue ipsi sensibus corporis aliqua specie presentata, vel ad videndum, vel ad audiendum, sicut in Angelis suis solet videri Deus, vel sonare per nubem.* Nunc tamen quod audierunt vocem Dei ambulantis in Paradiso ad vesperam, non nisi per creaturam visibiliter factum est. Pariter S. Gregor. lib. 28. Moral. ad illa verba: *Respondens autem Dominus Iob: inter alia ait. Aliquando per Angelos verbis simul, & rebus loquitur Deus, cum quibusdam motibus insinuat hoc quod sermonibus narrat. Neque enim Adam post culpam in Divinitatis substan-*

tia videre Dominum potuit, sed increpationis verba per Angelum audivit: de quo scriptum est Genes. 3. *Cum audisset vocem Domini Dei ambulantis in Paradiso, &c.* Ex horum Patrum verbis simul collatis possent quis accipere, quod Adamo ante peccatum, ut viro spirituali, Deus per semetipsum, & per Angelos spiritualiter loquebatur: post peccatum vero non nisi in corporibus assumptis. Unde ex horum Patrum doctrina potius firmatur nostra, quam impugnetur.

67 Sed admittendo quod in Paradiso ante peccatum non solum per internas inspirationes, sed etiam per externa signa Deus primis parentibus fuerit loquutus; sicut contrarij saluant, quod hoc non obstat de facto non instituit pro illo statu sacramenta; ita nos saluamus, quod non fuerint convenientia: quia signa corporea non erant necessitatis; nec decens erat, quod pro tunc teneretur sensibilibus subijci ad acquirendam perfectionem animæ. Quamvis ad maiorem convenientiam, & velle delectabilibus cognosceret notitia experimentalis, non incongruum esset notitijs sensibilibus uti.

§. III.

De statu innocentia Adamo non peccante

68 Sequitur iam ut de questione in sensu conditionali disputemus. Suárez disp. 3. sec. 3. conc. 3. dicit incertum esse, si status innocentia absque peccato durasset, an in illo futura fuissent sacramenta: quia id pendet ex voluntate divina nobis ignota. Cæterum si quis sentiat, non existente peccato Deum non fuisse futurum hominem, probabilius existimabit, nulla tunc futura sacramenta sensibilia: quia omnia sunt medicina, vel subsidia adversus peccatum. At vero si supponamus hominem non peccante Christum fuisse venturum, dicendum ulterius est, credibilis esse, nullum tunc fuisse instituendum sacramentum, antequam ipse in carne veniret. Quia sacramenta sunt instrumenta humanitatis Christi, & ut signis sensibilibus egenis, ac vacuis, est imperfectio quædam veteris legis: quæ imperfectio non esset in illo perfectissimo statu. Post incarnationem tamen forent sacramenta Eucharistia, & Ordinis: pro remedio tamen peccatorum non esset Poenitentia, sed sufficeret contritio.

H 4

Hanc

69 Hanc sententiam acriter impugnat Vazquez disp. 130. cap. 1. dicens. Nō nulli recentiores parum attendentes vim conditionalium propositionum, de quibus quæstio posita est, multa ex suo cerebro facile pronunciant, quasi ipsorum iudicio tantum res in eo statu componendæ, & constituendæ essent. Ipse vero Vazquez cap. 2. rectè asserit, quod si Adamus non peccaret, nulla tunc essent futura sacramenta, ut communis, & vera sententia Scholasticorum tenet. Addit tamen cap. 4. nu. 28. quod cum nulla est connexio unius cum alio, propositio conditionalis falsa est. Vnde cum quæritur, utrum si Adamus non peccaret, & posterius nascereatur in iustitia originali, aliqui eorum peccarent, an non? Dicimus affirmari non posse, aut negari aliquos esse peccaturos; sed utrumvis dicatur, esse falsum: quia nulla est connexio consequentia: ac proinde neque veritas propositionis inter illa duo, ut unum ex alio sub conditione dicatur, aut negetur. Vtraque igitur illa conditionalis propositio erit falsa, & solum contradictoria vera, quæ sit præposita negatione. Nam quod Adamus non peccaret, non esset futura causa, vel occasio, ut posterius peccarent: imò nec posset esse. *Quis hoc non videat?*

Addit num. 30. Idem dicendum de illo, quod quæritur, an si Adam non peccaret, & posterius peccarent, Deus institueret aliquod sacramentum pro lapsu? Eodem modo utraque propositio est falsa, tam quæ affirmat aliqua instituta tunc fore sacramenta, quam quæ negat: quia in neutra connexionem habet in quod dicitur, aut negatur, cum ipsa suppositione, ut constat.

70 Cæterum hæc doctrina, tanta assertionatione à Vazquez tradita, quod putat a nemine negandam, à nullo etiam ex Socijs, quos ego viderim, approbatur. Lugo disp. 3. sec. 1. n. 7. ait. Hæc doctrina nullo modo placet. Primo, quia ut alibi dixi, verius existimo, propositiones etiam illas, quarum conditio non est causa, nec occasio consequentis, adhuc posse habere aliquam veritatem, si non præferantur in sensu casuali, sed significant solam concomitantiam. Deinde, quidquid sit de hoc, propositiones adductæ sunt veræ etiam in sensu casuali: nam illa propositio: *Si Adamus non peccaret, sacramenta essent*: non est sicut illa: *Si Turca cras dormierit, Petrus dabit michi librum*: nam somnus Turcæ disparatè se habet ad librum michi dandum, vel

non dandum: at vero negatio peccati Adæ non se habet disparatè ad sacramenta; sed ut aliquid à quo possit impediri sacramentorum institutio: quia negatio peccati cōtureret tanquam aliquid remouens causam instituendi sacramenta. Manet ergo locus præsentis difficultati.

71 Pariter Coninch q. 61. ar. 2. n. 12. nam perseverantia posterorum in gratia habuit magnam coniunctionem cum perseverantia Adami, & si forte non necessariam: tamen maiorem, quam habet occasio cum euentu ex ea contingenter sequuto. Quod sufficit ad alterutrius veritatem. Et Adami non peccante, proclivius fuisset posterius non peccare, quam peccare.

72 Ex professo etiam Vazquez impugnat Bernal disp. 2. sec. 2. §. 3. à n. 4. 2. v. que 48. prædictis hanc adijciens rationem: quia quæstio hæc non est conditionata, sed absoluta; nempe an Deus actu decreverit, ut si status innocentia perseverasset, essent sacramenta. Sicut actu decrevit, ut si Adamus perseverasset, posterius in gratia conciperentur. Quia vere status innocentia potuit persistere in omnibus hominibus, vel in aliquibus tantum, pro utroque euentu decidenda est quæstio, tum de sacramentis actu institutis, tum de alijs. Hæc ibi.

73 Si Bernal nobiscum cum D. Augustino, & D. Tho. & communiori Theologorum, rejiceret sententiam Molinæ de scientia Dei media futurorum conditionatorum, non innixa decreto actu existente in Deo, facile concederem quæstionem esse de decreto actu existente in Deo; quia cum futura conditionata non necessaria non habeant veritatem actualem secluso decreto actuali Dei, eo ipso quod est quæstio de veritate futuri conditionati, ex consequenti est quæstio de decreto actu existente in Deo. Sed quia id ipse negat; cum conditionis à quibus veritas harum propositionum pendet, non sint purificatæ; non potest non esse quæstio conditionata; sed expedit eas examinare, eo sensu, & utilitate qua omnes Theologi disputant cum Patribus, & D. Thoma, utrum si Adæ non peccaret, Verbum carnem assumeret? His præmissis, de statu difficultatis conditionatæ, ut illi satisfiat.

74 Dico tertio: si status iustitiæ originalis perseverasset in posteris, sicut fuit in primis parentibus, nec de facto essent pro illis instituta sacramenta, nec convenienter, quantum colligi potest ex vi præsentis providentiæ, instituerentur. Hæc est D.

D. Thomæ, ut vidimus. Et communis Theologorum, ut multis relatis probat Vazq. illo cap. 2. & Bonacina disp. 11. q. 1. punct. 3. n. 3. & Leander tract. 1. de Sacramentis disp. 2. q. 2. referens Authores viginti quatuor. Quibus adde Cabreram artic. 2. disp. 2. & 3. Araujo dub. 3. Serra artic. 2. Ruyz dub. 1. & 2. Aversa lect. 2. Calpensè lect. 2. Cartagenam disp. 2. diffic. 1. Escobar, & Mendoza lib. 8. Theologiæ Moral. lect. 2. problem. 4. & alios.

75 Rationes D. Thomæ etiam probare in hoc casu, iam ostensum est cum M. Soto, & alijs. Insuper probat Caietanus ar. 2. §. *Et si quæritur*, quod non fuissent eis necessaria sacramenta: quia principalis perfectio hominis per sacramenta est per gratiam: homines autem fuissent geniti cum gratia (ut in 1. p. q. 101. art. 1. D. Thomas dixit.) Non indignissent igitur ex conditione sui status sacramentis perfectiuis hominis quantum ad gratiam. Et quia gratiam committantur dona intellectus perfectiua, consequens ut neque quoad perfectionem scientiæ de supernaturalibus, indignissent sacramentis: eodem enim modo diuina sapientia prouidit de principali, & accessorio: ut patet ex opposito nostro statu, in quo perfectionem scientiæ supernaturalis ex sacramentis accipimus: quia per illa tantum gratiam à Deo habemus. Hæc Caietanus.

76 Sed hæc ratio tribus argumentis impugnatur à Vazquez cap. 4. Sed quia primum non est contra hanc rationem; sed tangit id in quo Caietanus discrepat à nostra expositione, quam cum Soto & alijs supra tradidimus; ideo illo omisso, oportet, quod alia duo referamus, & diluamus. Obijcit ergo nu. 33. Nam licet posterius Adæ non indigerent Sacramentis ad primam ipsorum iustificationem, quia nascerentur cum iustitia; & ita non esset illis opus Baptismo: tamen indigere poterant alijs, ut lapsi repararentur; & ut confirmarentur, & nutrirentur in gratia, & fide. Et ita habere possent sacramentum Eucharistiæ; ac proinde etiam sacramentum Ordinis: ut & lapsi indigerent Sacramento Penitentia. Deinde arguit nu. 34. quia non decissent illis sacramenta, si vellet: & ratione congruentiæ, necessaria diceretur eorum institutio, sicut nunc etiam dicitur.

77 Ad hæc tamen facile respondetur, quod ea iam prægenerat Caietanus;

& eis respondet illis verbis: *Eodem enim modo diuina sapientia prouidit de principali, & accessorio.* Quod probat ex his quæ de facto contingunt in statu naturæ lapsæ, quod per eadem instrumenta, & prima gratia confertur, & nutritur, & perficitur. Et etiam quia accessorium sequitur naturam principalis; sicut ergo dicit S. Anselm. de conceptu virginali c. 10. quod in illo statu simul cum rationalem haberent animam, iustitiam, quos generaret homo, si non peccaret. Et S. Thomas 1. p. q. 100. art. 1. id probat; quia iustitia originalis est donum supernaturalis à Deo datum pro tota natura: sicut peccatum originale, quod opponitur illi iustitiæ; dicitur esse peccatum naturæ. Ita pariter gratia conseruatio, & cætera dona darentur à Deo immediate sine Sacramentis corporalibus, quæ non congruenter perfectioni illius status. Cum etiam de illorum Matrimonio fateatur Vazquez non fuisse sacramentum; nec Penitentia; quæ fuit ante Christi aduentum habuerit hanc excellentiam: non est vnde colligamus ex vi præsentis providentiæ pro illa statu illa, vel alia sacramenta esse instituenda. Ad secundum iam respondimus nu. 45.

78 Accedit quod S. Thomas 1. p. q. 101. art. 1. ad 3. docet, quod pueri status in innocentia habuissent sufficientem scientiam ad dirigendos eos in operibus iustitiæ. Ergo licet quoad naturalia Adami fuerit per accidens infusa scientia, quam filij proprijs exercitijs actum acquirerent; quoad supernaturalia idem modus providentiæ seruatur in Adami, & filijs eius, tamen quoad primam iustificationem, quam quoad conseruationem, & augmentum gratiæ, & donum intellectus, & voluntatis. Vnde nec necessaria, nec congruentia perfectioni illius status essent sacramenta.

79 Quod autem Suarez inconsequenter primam conclusionem admittat, & neget hanc, facile probatur: nam si perseverassent in filijs Adæ innocentia sui parentis, idem modus providentiæ Dei esset circa totum genus humanum, ac fuit circa primum parentem (excepta dignitate capituli) quia accepit dona supernaturalia nature pro se, & pro sua posteritate: ideo quasi inobediens non esset diuinis mandatis, continuarentur in filijs Dei beneficia sibi præstita: & filij nascerentur cum gratia, & immortalitate, & sine miserijs. Sed de facto pro Adami in statu innocentia fatetur non fuisse sacramenta: ergo nec instituerentur

ex vi praesentis providentiae, si filij in illo statu perseverarent: cum illorum stat^{us} esset continuatio status Adam: alioquin minus esset prouisum pro capite, & radice, quam pro membris, & ramis.

80 Dico quarto, si status innocentiae in quibusdam perseverasset, & alij plures, vel pauciores peccarent, incertum est an pro illis, vel pro omnibus essent sacramenta instituerda, nec ex vi praesentis providentiae, nec ex vi alterius nobis ignotae. Circa hanc conclusionem non est eadem Auctoritatum, qui de ea agunt, sententia. Nam Suarez disp. 3. sect. 3. in fine dicit verissimi- lius videri remedium amoris, & co[m]muni- nis futurum fuisse sufficiens absque aliquo sacramento: quia (quatum credi potest) pauci essent homines, qui in eo felici sta- tu peccarent: atque illi facile possent ad penitentiam, & contritionem moueri; ip- so saltem experimento propriae miserie, & felicissimi status per peccatum amil- si: sicut Adam contigisse legimus, quae Sa- pientia eduxit a delicto suo, ut dicitur Sa- pientiae 10.

81 Suarez tamen notat Vazquez c. 3. nu. 2. in consequentia doctrinae, quia si concedit in eo statu futuram Eucharistia: cur etiam non concedat idem Sacramen- to Vnctionis, & Penitentiae, cum concedat aliquos tunc peccaturos?

82 Cabrera vero q. 61. art. 2. disp. 2. §. 3. nu. 22. & 23. Suarez sequitur & duas adijcit rationes ad probandum, quod pec- cantibus aliquibus non essent sacramen- ta instituenda. Tum, quia in eo statu pec- catum mortale omnino peraccidens, & pure contingenter accideret, eo quod nul- la esset occasio peccandi, sed ex mera li- bertate peccatum contingeret; & ita in pau- cissimis reperiretur peccatum. Ea autem, quae sunt omnino ex accidenti, & contin- gentia, & quae in paucissimis accidunt, spe- cialem Dei providentiam circa institutio- nem remedij non exposulant. Tum etiam, quia peccatum in illo statu non procede- ret ex infirmitate, & ignorantia, sed sola peccantis malitia. Ideo ratio ex parte di- uinae misericordiae non exigebat, ut essent instituta remedia, & medicamenta, qui- bus peccantes reparari facile possent; sicut est in natura lapsa, & infirma. Sed satis es- set, si Deus priuato quodam auxilio illis subueniret per modos sibi placitos. Idem docet Ruyz ar. 2. dub. 2.

83 Per oppositum Nuño art. 2. dub. 1. & Serra ibi dicunt, quod si futura essent

peccata in posteris, Adam non peccate, necessarium, seu conueniens videtur tunc sacramenta à Deo institui: illis enim ho- mines indigerent ad remedium peccato- rum. Et non esset inconueniens animam quantum ad gratiam per illa perfici: nā amissa iustitia originali per peccatum, non maneret ordo, quē ex rectitudine status colligit D. Tho.

84 Idem probat Granadus controu. 3. de Sacram. tract. 2. disp. 1. sect. 2. nu. 9. quia dixerat tract. 3. de Incarnat. disp. 2. quod licet Adamus non peccaret, si tamē plura peccata mortalia ab eius posteris committerentur: adhuc fore Mysteriū In- carnationis, etiam ex vi praesentis decre- ti. Et eadem ratione forent tunc sacramē- ta, quia ratio instituendi non forent illi; qui iustitiam originalem conseruarent: sed alij multi, qui peccarent, ac proin- de in statu innocentiae non permanerēt.

85 Addit Nuño, §. Respondetur, quod iusti, qui manerent in iustitia originali nō vterentur sacramentis, quae secundū pro- priam rationem specificam ordinarētur ad delendum peccatum: quia illorum Sa- cramentorum forma in illis non verifica- rentur, atque adeo nec illa sacramēta ha- berent effectum. Vterentur tamen Sacra- mentis, quae ordinarētur ad augendam gratiam, ut Eucharistia, & Confirmatio- ne, quia essent eorum formae verae, & Sa- cramenta maximae utilitatis: sicut caesus cepit Deatissima Virgo, quae nullum com- misit peccatum, confirmata in die Pen- thecostes, & frequenter communicas. Idē vt nimis probabile defendit Ruyz art. 2. dub. 2. conc. 3.

86 Haec tamen ratio nimium vide- tur probare, quod sacramentorum in sta- tu innocentiae utilitas praeponderaret in- decentiae, quae esset contra perfectionem illius status: cuius oppositum supra dixi- mus. Et mirum esset, quod iusti hac utili- tate priuarentur, si plures essent: & ea ha- berent, si multi peccarent.

87 Nec alias rationes vrgere probat Lugo disp. 3. sect. 1. nu. 15. quia de facto Christus venit vt repararetur genus hu- manum, quod totaliter fuerat perditum; si autem vna pars sola periisset: non fuisset idem motiuū: quare ex eo, quod nunc miserit Deus Christum, non potest argui, quod tunc etiam mitteret eum, vt dixe- rat disp. 7. de Incarnat. sect. 5. Addit nunc, quod licet tunc Deus daret aliquod reme- dium lapsis; non sequeretur, quod daret il- lis

§. V.

Vtrum in statu innocentiae futura essent sacrificia?

90 **O**ccasione eorum, quae de Sa- cramentis status innocentiae hoc loco oportune sunt disputata, solet in- quiri, vtrum par ratio sit de sacrificijs? Nā quod tunc futurus esset Dei cultus inter- nus, & externus nemo est, qui iure ambi- gat: nam fides sine operibus mortua est, & homines corpore, & anima constātes, non possent nō aliquo externo cultu Deū colere, & laudare.

In illo autem felicissimo statu non esse futura sacrificia, & oblationes, opinā- tur Soto in 4. dist. 1. q. 2. ar. 2. quem sequi- tur Iosephus Angles, & Palacios ibidem disp. 2. Agidius Coninē hic art. 2. nu. 8. Probat Soto in hęc verba. Quatuor enim, quinque vè, aut sex de causis nobis sunt eiusmodi sacrificia congruentia. Primum vt per hęc pro peccatis nostris satisfaciamus: Tunc autem nulla fuissent peccata: Secundo vt per ea dignoscatur religio no- stra ab exteris lectis: non enim vniuersus orbis eiusdem est religionis. Hęc autē cau- sa illic cessasset: essent quippe omnes ve- luti in Caelo eiusdem religionis: eodem- que ore adorantes vnum Deū. Tertio sunt nobis in hunc vsū, vt nobis mutuo constet eandem religionem colere. Ete- nim quauis totus mundus eandem profi- teretur: tamen eo quod corporei sumus, fieri nisi per illa sacrificia nō possēt vt no- bis inter nos constaret vna religio: qualis eadem Deus adoratur, talia sacrificia insti- tuantur. Nunc autem omnibus constaret, nos esse in gratia Dei; in eiusque serui- tio, & obedientia, sicuti in caelesti patria viuere. Quarto sunt nobis opere pretiū vt per ea teruemus memoriam beneficio- rum Dei: sicuti per sacrificium Missae me- moriam perpetuamus Passionis Christi, quae seruati sumus; docemurque quantum illi debemus: illic autem quid opus eru- ditione supernaturalium: Nam simul eū gratia imbuerentur donis necessarijs. Pre- terea parentes facillimo negotio erudiret- natos: quare huiusmodi exteris elemen- tis nihil opus haberent: sed sicut Angeli Dei in Paradyso semper omnes Deū lau- dibus colerent.

91 Sed ais: saltē eorum vltus oppor- tunus fuisset ad reddendum Deo gratias, videlicet; vt de receptis ab ipso partem

lis: aliquod sacramentum. Imò retorque- tur argumentum: nam de facto in toto te- pore legis antiquae, hominibus peccanti- bus actualiter post dimissum sibi origina- le, non erat aliquod remedium sacramen- ti, sed sola contritio: ergo in illo alio sta- tu, in quo non essent merita Christi ven- turl, multo minus debuisset institui sacra- mentum: aliquod in remedium eorum, qui peccassent. Quod prosequitur idē Lū- gon. 19.

88 Propter argumenta, quae vtrinque formari possunt, cenfer Ludouicus Cal- penfis tract. 3. 1. disp. 2. sect. 2. n. 22. & 23. quod et si prima sententia sit probabilis: quia sacramenta sunt signa, & remedia cō- munita instituta pro tota republica, & nō pro vno, vel altero singulari: & in illo e- uentu non indigeret remedijs. tota cōmu- nitas, & respublica hominum: sed illi, vel illi: de quib^{us} difficile potest explicari, quā ratione adunarentur, & quomodo de eis esset prouisum. Tamen oppositā pars vi- detur aequē probabilis, quia pius, & ve- rissimile videtur, quod Deus illis homini- bus, remedia praepararet: sicut nunc sunt re- media non solum pro peccato totius na- turae, sed etiam pro peccatis actualib^{us} sin- gulorum. Concludit igitur non posse ab- solute, & simpliciter alteri parti adhære- re, sed rem esse pendentem ex sola libera voluntate Dei nobis ignota.

89 Similiter Bernal disp. 2. sect. 2. §. 3. nu. 49. ait, quod siue status innocentiae perseverasset in omnibus, siue tantū in a- liquibus, non fuissent haec sacramēta, quae nunc habemus: quia sunt à Christo, & per Christum, ad quem in verbis formarū in- cluditur respectum. Et à n. 50. & 53. pro- bat ignotum esse an essent futura alia sa- cramenta diuersa, gratiam confetētia, vel non conferentia: quia pendet ex Dei be- neplacito libero nobis non reuelato, nec in Scriptura, nec Traditionibus, aut cōsen- su Doctorū, aut firmis congruentijs. Quā doctrinam nos approbam^{us}, exceptis his, in quibus opponitur assertioni praecedenti, quia pro illa firmā extant cōiecturae: Quid etiam fieret in alio rerum ordine; non possumus nisi cōnectando diuinare; & ideō non audeamus determinare:

*Quis enim cognouit sensum Do-
mini? Aut quis consi-
liarius eius
fuit?*

✱✱✱

ei rependerent: secundum illud 1. Paralip. 29. *Tua sunt omnia, & de ijs, quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* ¶ Sed in contrarium facit, quod causa ista vana esset in nobis, nisi ea, quæ Deo offeruntur, in usum templorum, ac ministrorum cederent. Tunc autem cum non essent sacramenta, non essent ministri, neque vero templa, quia nec aeris inclementia tectis egeret: sed simplici corde, & ore laudum encomia Deo diceret. Facere autem sacrificia, quæ tempore Moysi, nempe, litare pecudes, & pecora, nisi ratione significationis, quæ tunc non fuisset necessaria, vanum, futileque censetur.

92 His demum accedit, quod tunc omnia fuissent communia: quare nullus posset de proprio quidquam offerre: neque alius indigeret, ut ab alio sibi quippiam suppeditaretur: atque adeo tunc eiusmodi oblationes nullius essent emolumentum: neque idcirco ullius vel meriti, vel laudis. Hæc ibi.

93 Opposita tamen opinio est communior, & probabilior: quam late defendunt Nuño art. 2. dub. 2. Ruyz dub. 3. Araujo diff. 2. Cabrera disp. 3. qui & n. 4. dicit esse omnium Theologorum. Suarez disp. 3. sect. 1. & 2. Valeria, & Henriquez, quos refert, & sequitur Granado tract. 2. disp. 1. sect. 3. nu. 12. & alij.

Probaturque primo: nam S. Thomas 2. 2. q. 85. art. 1. probat, quod offerre Deo sacrificium est de iure naturali, quia in qualibet ætate, & apud quaslibet hominum nationes semper fuit aliqua sacrificiorum oblatio. Quod autem est apud omnes, videtur naturale esse. Et quia ex naturali ratione procedit, quod homo quibusdam rebus sensibilibus utatur, offerens eas Deo in signum debitæ subiectionis, & honoris: secundum similitudinem eorum, qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominij. Hoc autem pertinet ad rationem sacrificij. Et ideo oblatio sacrificij pertinet ad ius naturale. Hanc D. Thomæ doctrinam esse ab omnibus receptam, testatur, & sequitur Casus Palaus to. 2. tract. 8. disput. 2. puncto unico. Et mirifice exponit, & pluribus exornat ipse M. Soto lib. 9. de iust. & iure q. 1. art. 1. & ea utitur Suar. hic to. 3. in 3. p. disp. 3. sect. 2. Quare inconsequenter in fine illius sect. 2. & eodem tomo disp. 73. sect. 5. conc. 3. affirmat, quod offerre Deo sacrificium, proprie, & in rigore, non est ex vi solius legis naturæ preceptum. Quod & asserit to. 1. de Religio-

ne lib. 1. de diuino cultu cap. 3. nn. 3. Sed quia eum rectè impugnat Raphael Torro. 1. in 2. 2. q. 85. art. 1. disp. 2. n. 9. & 10. ubi est locus proprius de his differendi: ideo in hoc non expedit immorari. Sed recognitio supremi dominij Dei, & hoc titulo cum sacrificijs honorare, non procedit ex miseria peccati, ut per se patet: Ergo in statu innocentiae essent externa sacrificia.

94 Quod confirmat Suarez illa sect. 2. quia homo non tantum accipit à Deo corpus, & animam, sed etiam res externas, quibus ad animi profectum, oblectationem, vel exercitium, & ad corporis sustentationem, & conseruationem utitur: ergo non solum corpore, & animo debet Deum colere: sed etiam rebus externis, quarum oblatione, consumptione, aut alio simili usu, protestetur Deum esse omnium dominum, ei que gratias agat: iuxta verba 1. Paral. 29. iam relata.

95 Deinde probatur, quia sacramenta solum denegantur conuenientiae statui innocentiae, quia est contra rectitudinem illius status, quod anima subderetur corporalibus signis pro acquirenda perfectione supernaturali, quam habebat excellentiori modo spirituali, & immediatè à Deo. Sed de sacrificijs est diuersissima ratio, quia nulla est indecentia, & imperfectio, sed maximè condecens in omni statu, quod homo constans corpore, & anima, externis sacrificijs Deum colat, & honoret: ergo hoc reperiretur in statu innocentiae. Vnde & Christus semetipsum obrulit oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis, ut dicitur ad Eph. 5. & explicat S. Thomas 3. p. q. 84. art. 3. Quamuis illud sacrificium fuerit ad placandum Deum offensum peccatis hominum, quod non esset in statu innocentiae.

96 Ad primum in contrarium in primis est fallum, vel incertum, quod tunc nulla fuissent peccata, iuxta dicta nu. 10. & 12. Quod si superbia primorum parètum eos in tantam adduxit miseriam, potuit eorum filios simili veneno inficere: & in casu quo in filijs Adami innocentis multiplicarentur peccata, clarum est omnes rationes contrarias cessare. Sed quia nostra assertio etiam procedit in casu, quod omnes homines conseruarentur sine peccato, vel confirmati in gratia, vel specialiter Dei protectione: ideo dicimus, quod adhuc omnino cessante peccato, congruum esset, & condecens, quod homo constans

cor-

corpore, & anima offerret externa sacrificia ad colendum Deum, & gratias agendum, & supremum Dei dominium recognoscendum.

97 Ad reliqua respondet Suarez illa esse accidentaria, & extrinseca ad sacrificia, ut in lege gratiae, si solum sacrificium nude ac per se spectetur, oblatio, quæ in eo fit, non cedit in usum templorum, vel ministrorum. Imò si tales essent homines ut nulla re indigerent, purius, ac sinceriù illud sacrificium offerre possent. Et in sacrificio Mithæ offerendo fere nihil ex temporalibus bonis contumitur: & æquè religiosè fieri posset ex bonis communibus, sicut ex priuatis. Ergo propter has causas extrinsecas non est negandum sacrificium in statu innocentiae: cum per se, & intrinseca ratio eius cum perfectione illius status non repugnet, sed maximè habeat congruentiam.

98 Addunt Nuño conc. 2. & Cabrera nu. 5. quod sacrificia externa illius status essent publica nomine totius Ecclesie: quia homo naturaliter est animal sociale, & politicum. Non tamen pro illo statu præfigurarent Christi Passionem, quia venturus non esset, iuxta Patres, & D. 1. h. Si tamen multi peccaret, & Verbum pro illis carnem assumeret, sacrificia essent propitiatoria pro illis peccatis.

99 Denique addit Cabrera num. 13. quod probabilius videtur, quod in statu innocentiae fuissent sacerdotes Deo peculiariter sacriati ad offerenda huiusmodi sacrificia: nam sacrificium, & sacerdotium sunt correlatiua: iuxta Apostolum ad Hebræos 5. Item addit probabile esse, quod in eo statu fuissent loca specialiter designata, quæ appellarentur templa ad cultum Dei. Quæ & alia huiusmodi, quæ de illo statu cogitantur, nec firma ratione nituntur: & ideo vniuersis in suo sensu abui dare permittitur.

D V B I V M III.

Utrum in statu legis naturæ fuerint aliqua sacramenta?

S. I.

Certa præmittuntur.

1 **P**ost peccatum Adami vsque ad finem mundi considerant Theologi, cu-

D. Augustino Epist. 119. naturæ humanæ tres status, ante legem scriptam, sub lege, sub gratia: qui alijs vocibus communiter dicuntur lex naturæ, lex Moysi, lex gratiæ, vel Christi. Primus status vocatur lex naturæ, quia diuinitus nullum erat datum signum distinctiuum, quo ascereretur fideles ab infidelibus: Nec erat Dei mandatum scripta aliqua lex, qua regerentur. Non tamen dicitur lex naturæ, quia non essent homines eleuati ad finem supernaturalem: nec quia possent iustificari sine actibus supernaturalibus virtutum Theologalium; quia omni tempore est verum, quod ait Apostolus ad Hebr. 2. quod *sine fide impossibile est placere Deo: & hæc sine operibus mortua est: & sine Charitate nihil prodest ad salutem*, ut dicitur 1. ad Cor. 13. Nec dicitur lex naturæ, quia sine gratia mediatoris, & Redemptoris possent saluari: quia *nemo venit ad Patrem, nisi per Christum, nec est aliud nomen datum sub Cælo, in quo oportet nos saluos fieri*. De quo in præsentia tunc disputant Soto in 4. dist. 1. q. 2. ar. 3. & latius Cano Relectione de Sacramentis in genere parte secunda per totam. Sed quia directe pertinet ad tractatus de fide, & de gratia, ideo non oportet in his nunc detineri.

2 Antequam lex scripta daretur Moysi, fuit quasi quidam status medius inter legem naturæ, & legem scriptam: quia Abraham præcepta est Circuncisio, quæ erat signum distinctiuum populi fidelis ab infidelibus. Ideoque S. Thomas in 4. dist. 1. q. 2. artic. 1. q. 2. ad 1. ait, quod *circumcisio erat quodammodo legis naturæ, in quantum tempore legis naturæ data fuit: & quodammodo legis scriptæ, in quantum ad ipsam præparabat dispositiones autem distinctionem habent potestates ad quæ disponunt*. Vnde tempus medium inter Abraham, & Moysen, fuit quasi quodam vtriusque status, & legis naturæ, & legis scriptæ confinium: sicut de Ioanne Baptista docet S. T. 3. p. q. 38. art. 1. ad 2. quod *fuit terminus legis, & initium Euangelij*. Et ad 1. dixerat, quod *aliqua modo pertinebat ad legem Christi, non autem ad legem Moysi*. Quia propter S. Petrus Chrisologus ser. 91. dicit, quod S. Ioannes proprie loquendo fuit legis, & gratia pbulas: *Hic pane, lahe nulla conque se preude el vestido, y se junta vno con otro*.

3 Alter status humanæ naturæ fuit cum lex Moyti data est, in qua sunt determinata sacramenta, & sacrificia, quæ durarunt

rarunt vsque ad Christum: quia lex per Moysem data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est, ut dicitur Ioan. 1. ver. 17. ideo que ille dicitur status legis, & iste status gratiæ. Diciturque illa lex vetus; hæc lex noua; illa lex seruitutis; hæc lex libertatis; illa lex veteris testamenti, nostra lex noui testamenti: iuxta Apostolum ad Galatas 4. ver. 24. *Hæc sunt duo testamenta: & iuxta illud Christi Domini. Mathæi 26. ver. 28. Hic est sanguis meus noui testamenti.* De his statibus, quoad necessitatē sacramentorum, agit S. Thomas articulo 3. quia omnes conueniebant in prænunciando Christo venturo, ad distinctionem sacramentorum nouæ legis, de quibus agit articulo 4. & summatim scribenti satis fuit de eis vt conueniunt tractare. Propter insurgentes tamē dubitationes, opportunum est visum seorsum de necessitate sacramentorum legis naturæ disputare.

4. Dubitationem auget mirum silentium Sacre Scripture de sacramentis illius temporis, cum tamen in illa habeatur expressa mentio de illorum temporum sacrificijs: vt de sacrificio Abel, & Cain Genes. 4. De sacrificio Noe Genes. 8. & de oblatione Melchisedech Genes. 14. Vnde non potest facile determinari, vtrum in illo tempore fuerint instituta sacramenta pro paruulis; aut pro adultis; vel pro omnibus? Et si fuerint; quænam illa fuerint? Tangitur hoc S. August. lib. 15. de Ciuitate cap. 16. in fine, dicens. *Vtrum autem aliquod fuerit; vel si fuit, quale fuerit, corporale, atque visibile regenerationis signum antediluuium; sicut Abrahæ Circuncisio postea est imitata, sacra historia tacet. Sacrificasse tamen Deo, etiam illos antiquissimos homines, non taceret.* Idem docet lib. 2. de gratia Christi, & peccato orig. c. 30. De necessitate sacrificiorum legis naturæ, latè disputat Cabrera art. 3. disp. 1. Sed quia directè solum attinent ad hanc quæstionem sacramenta; de illorum necessitate solum agemus.

5. Tria videntur in hac parte certa, & ab omnibus admittenda. Primum, quod in statu legis naturæ fuit aliquod remediū pro liberandis paruulis ab originali peccato. Ita S. Augustinus to. 7. lib. 5. contra Iulianum; non cap. 9. aut 21. vt male solet referri; sed capite vndecimo, verbis infra referendis; & alij Patres, quos citabimus. Et communiter Theologi. Rationē proponit S. Thomas in 4. dist. 1. q. 2. ar. 6. q. 1. dicens. *Fides mediatoris semper fuit efficax ad curandum ab originali; in illis quidem, qui vsu liberi*

arbitrij habebant, propria; in alijs vero aliena; vt necesse omnino deesse. diuinum remedium. Similiter Scotus arguit in 4. dist. 1. q. 7. dicens. *Nullo tempore dimisit Deus cultores suos sine remedio necessario ad salutem. Sed omni tempore post lapsum, fuit necessaria ad salutem delictio originalis: ergo quocumque tempore aliquod remedium efficax erat ad hoc. Et si potuit deleri in adultis per motum bonum intrinsecum; tamen in paruulis, in quibus talis motus fuit impossibilis, non potuit deleri per actum suum proprium: ergo per actum aliquem aliorum circa ipsos, vel ad ipsos relatum.*

6. In simili ratio hæc tradita fuerat ab Innocentio Tertio in cap. *Maiores, de Baptismo*: ad probandum enim Baptismum nunc prodesse paruulis, sicut antiquis proderat circuncisio, ita ait: *Abstinet enim vt vniversi paruuli pereant; quorum quotidie tanta multitudo moritur; quin & ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procurauerit ad salutem. Que ratio probat de pueris in statu naturæ, & ante datam Circuncisionem: Licet enim in vindictam peccati originalis iuste posset Deus eis negare remedium; sicut aliquibus, etiam filiis Christianorum, defecto negat, cum moriuntur sine baptismo: Tamen omnibus pueris denegare, non est iuxta suauem ordinem diuinæ providentiæ, quod tantam puerorum multitudinē sine remedio reliquerit, cum Dei nomine Scripturæ clament, quod omnium vult salutem.* Videantur Suarez disp. 4. sec. 1. & Vazquez disp. 165. cap. 1. qui, & verba Patrum referunt; & rationes latius prolequuntur.

7. Secundo est certum, quod hoc remedium efficaciam habebat in virtute meritum Christi venturi, & applicabatur media fide habente pro obiecto ipsi Christum. Quod docet S. Augustinus loco citato. Et S. Gregorius lib. 4. Dial. cap. 2. relatus à Magistro in 4. dist. 1. & à D. Thoma ibi, qui & q. 2. art. 6. rationem assignat dicens. *Quod peccatum originale est peccatum naturæ. Natura autem reparari non poterat nisi per Christum: & ideo nunquam poterat remitti peccatum originale alicuius, nisi facta relatione, & quadam continuatione illius, qui curari debebat, ad Christum: quod per fidem fiebat: & ideo fides Mediatoris semper fuit efficax ad curandum ab originali; in illis quidem, qui vsu liberi arbitrij habebant, propria; in alijs vero aliena; vt nec eis omnino deesset diuinum remedium. Aliam quoque ad*

adiecèrat rationem in argumento *Sed contra*: nam peccatum, quod ex altero contrahitur, ex altero potest habere medicinam: sed peccatum originale paruuli ex altero contrahebatur: ergo poterat ex fide aliena ab ipso mundari.

8. Tertio facile omnes admittent, quod regulariter hæc fides in Christum, parvulo applicabatur, & alijs manifestabatur, mediò aliquo signo externo: iuxta illud ad Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et ita docet S. August. to. 7. lib. 5. contra Iulianum cap. 11. loquens nominatim de paruulis legis naturæ. Generaliterque ipse S. August. to. 6. lib. 19. contra Faustum cap. 11. ait, quod *in nullum nomen religionis, siue verum, siue falsum poterant homines sine aliquo signo visibili aduenire.* Sed per illud, quod peccatum originale debebatur, homines in religionem veræ fidei adiuuabantur: quia erat remedium intrantum, & hinc signo visibili vnus alij non innotesceret in vera Ecclesia visibili: ergo oportebat, quod fieret aliquo visibili signo. Quod expressit S. Thomas 3. p. q. 70. art. 4. ad 2. dicens. *Probabile tamen est, quod parentes fideles pro paruulis natis, & maxime in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent; vel aliquam benedictionem eis adhiberent: quod erat signum quoddam fidei: sicut adulti pro se ipsis preces, & sacrificia offerebant.* Et pariformiter iuxta modum, quo curabant de salute propria spiritali, curarent de salute paruulorum, & maxime cum in periculo existerent. Ex his quæ certa videntur, oriuntur non pauca difficultates inter Doctores controuersæ.

§. II.

Opinio quod in lege naturæ sufficiebat interior actus fidei stabilis.

9. Prima est, vtrum cæremônia externa, fidei protestatiua, fuerit necessaria ad infantium salutem; an vero sola fides interna, nullo signo externo manifestata sufficeret ad infantium salutem? Sicut duæ celebres opiniones. Prior affirmat totam fidem internam parentum sine aliquo signo externo fuisse sufficientem ad infantium salutem. Ita Magister in 4. dist. 1. ibi S. Bonauentura 2. p. dist. art. 1. q. 2. Richard. ar. 5. q. 3. dicens. *Alia est opinio communior, & dicitur S. Gregorij consona, scilicet, quod sufficiebat interior motus fidei, per*

intentionem directus ad salutem paruuli. sine aliquo exteriori signo: cum non inueniatur ad purgationem originalis peccati præceptum fuisse aliquod signum exterius adhiberi. Abulenſis in cap. 25. Mathæi q. 677. Vazquez 3. p. q. 61. art. 3. à nu. 36. vsque 42. & q. 70. disput. 165. cap. 3. & tomo 2. in 1. 2. disput. 134. cap. 3. & 4. Dionys. Carthus. in 4. dist. 1. q. 9. Ochagauia de Sacramentis in genere q. 8. n. 9. Carolus Franciscus de Abra, de Raconis in 3. p. tract. 2. disp. 1. sect. 2. q. 1. pag. 3. Archangelus in 4. dist. 1. pag. 10. col. 1. Meratius disp. 5. sect. 4. & 6. Bernal disp. 14. sect. 4. & disp. 2. sect. 3. n. 56. Ex Thomistis Herueus in 4. dist. 1. q. 7. fine. Latè Soto in 4. dist. 2. q. 1. art. 4. §. *Alterum vero dubium.* Martinus Ledesma 1. p. 4. q. 2. art. 3. Citanturque Victoria, & Penna.

10. Videturque expressa Angelici Doctoris in 4. dist. 1. q. 2. art. 6. nam, cum quæstionem 2. dubium mouisset in proprijs terminis, respondet, quod circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod non sufficiebat fides sine protestatione fidei facta per aliquod exterius signum. Et illa explicata subiungit. Sed quia hoc non videtur consonare cum verbis Gregorij in littera positus: *Ideo alij probabiliter dicunt, quod paruulis sufficiebat sola fides sine omni exteriori signo.* Idem reperit in 4. ad Anibaldum dist. 1. q. 2. art. 2. dicens. *Ideo alij probabiliter dicunt, quod cum ad remediū originalis nulla signa, vel sacramenta forent adhuc instituta, sufficiebat professio fidei directæ ad salutem paruuli in solo motu interiori sine omni exteriori.* Quæ verba adeò clara sunt; vt nulla indigeant ponderatione: nec vllam admittant expositionem.

11. Solum remanet effugium euadendi, dicendo S. Thomam hoc art. 3. corrigisse, vel limitasse, quod in 4. Sententiæ cum Magistro, & communi tunc temporis opinione scripserat. Hoc tamen effugium facile præcluditur. Primo, quia nulla in contrarium adducuntur verba, quæ mutationem, vel limitationem sententiæ sonent, & ita oportet stare alibi dictis, qui eius opinionem vult tenere. Secundo, tantum abest, quod hæc 3. p. sententiā corrigat; quod potius eam corroboret, & clarissime exprimat 3. p. q. 70. art. 4. ad 2. dicens, quod *icut ante institutionem Circuncisionis sola fides Christi futuri iustificabat tam paruulos; quam adultos: ita etiam, & circuncisione data: sed antea non requirebatur aliquod signum protestatiuum huius fidei, quia*

nondum homines fideles ab infidelibus ceperant adunari ad cultum unius Dei. Ecce S. Tho. propositione indefinita negatiua (quæ æquivaleret vniuersali) excludit necessitatē cuiuslibet externi signi, siue determinati à Deo, siue ab hominibus. Cum autem postea admittit signa externa adhiberi solita; solum dicit id quod regulariter contingebat: quia connaturale est homini fidem internam exterius profiteri: non tamen dicit id fuisse necessarium: cum oppositū paulo ante affirmasset, & probasset.

12 Hæc autem esse simul vera; constat ex eodem D. Thomâ in 4. illò art. 6. q. 2. nam cum in corpore dixisset esse probabile, quod paruulis sufficiebat sola fides sine omni exteriori signo. Immediatè in solutione ad 1. vt exponeret auctoritatem S. August. ex lib. 19. contra Faustum, ait, quod illud per quod homines tempore legis naturæ in veram religionem congregabantur, non habebat virtutem, nisi ex fide; & idò non erat necessitatis, sed pro voto celebrabatur vt vnus alij innotesceret. Pro quo reuertitur Hugonè de S. Victore lib. 1. de Sacramentis parte 11. cap. 3. & 4. & 5. Bene ergo compatitur fuisse signa externa voluntarie adhibita; sed non instituta, nec eleuata ad rationem sacramenti; neque à Deo præcepta in ordine ad illum finem salutis paruulorum.

13 Duplex fuit fundamentum D. Thomæ ad hanc opinionem: & auctoritas S. Gregorij; & defectus diuinæ institutionis. Auctoritas S. Gregorij, allata à Gratiano de Consecratione dist. 4. cap. Quod apud nos: & à Magistro in 4. dist. 1. est desumpta ex lib. 4. Moralium cap. 3. aliàs 2. videtur expressa: ait namque. Quod vero apud nos valet aqua Baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides; vel pro maioribus virtus sacrificij; vel pro ijs, qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium Circumcisionis.

14 Respondet Scotus q. 7. ad 1. quod Gregorius non intelligit solam fidem pro solo habitu; nec forte tantum pro actu interiori: sed pro actu exteriori sensibili protestante fidem: ille autem actus sufficienter potuit habere rationem sacramenti. Et sic distinguitur fides sola, id est, fides solitaria sine sacrificijs; contra fidem protestantem in sacrificio: & primum posuit ipse sufficere pro paruulis (forte autè ista protestatio fiebat in verbo aliquo invocandi Deum; vel offerendi paruulum) secundum autem, scilicet, fidem cum sacrificijs, pro adultis fuisse necessariam posuit.

15 Sed hæc Glossa Scoti (inquit Soto §. His tamen) manifestè aduersatur textui: quoniam tunc non esset differentia secundum Gregorium inter paruulos, & adultos; cum tamen Gregorius dicat, pro paruulis sola fides, pro maioribus autem virtus sacrificij. Quia propter Durandus, cuius ingenium est libere loqui, ingenue fatetur Gregorium non posse in alium sensum glossari.

Præterquam quod, sicut modo, etiã tunc pro paruulis sacrificia offerebantur. Nec vllum est fundamentum cur pro adultis exigat S. Gregorius determinate sacrificia, & pro adultis alia exteriora signa. Nec huius alia ratio assignabilis est nisi recurrendo ad valorem fidei in Christum.

16 Respondet Cano in Relec. de sacramentis in genere parte 3. ad 1. & Suarez disp. 4. sec. 2. ad 1. quod S. Gregorius distinguit fidem à sacrificio asserens sacrificium pro adultorum peccatis fuisse necessarium, vt videlicet, actualis culpa peculiaris sacramento aboleretur: sed pro generali peccato erat etiam generale remediū, nempe fidei quæcumque professio: quia confessio fidei fides dicitur à S. Aust. Epist. 23. Eademque loquendi forma est de Sponsalibus, cap. Cum apud. Et cap. Tuæ fraternitati 27. q. 2. cum dicitur, quod sufficit ad matrimonium solus consensus, scilicet, quibuslibet signis expressus. Distinguitur ergo ibi consensus, non interior contra exteriorem: sed generaliter expressus contra expressum per verba.

17 Semper tamen vrget ponderatio D. Tho. in 4. sent. illo art. 6. in arg. Sed contra, quia secundum hoc non esset differentia inter paruulos, & adultos: quam tamè S. Greg. assignat. Deinde, etiam pro paruulis tunc offerebantur sacrificia: sicut pro eis nunc Missæ dicuntur. Rursus, non est vnde colligere posset S. Gregorius, quod ex eo quod peccata actualia essent specialia pro eis magis debeant requiri sacrificia externa, quàm pro peccato originali. Quia potius videmus nunc ad delenda mortalia sufficere contritionem internam, quando nequit confiteri. Præterea, licet dictio exclusiua non excludat committantia; tamen iuxta subiectam materiam excludit: quia illa contrapositio inter remedia paruulorum, & adultorum hoc exigit.

18 Et in eodem sensu idem dicunt S. Beda lib. 1. in Lucam cap. 8. ad illa verba: Postquam consummati sunt dies octo, &c. Dicens, quod antiqui fideles ante tempora Cir-

Circumcisionis sine victimis hostiarum se, suosque ab originali peccato, seu certe sola fide saluabant. Quod & dicit hom. de Circumcisione, inter hyemales de Sanctis in tom. 7. & S. Bernardus epist. 77. ait. In nationibus vero quæ quor inuenti fideles sunt, adultos quidem, & fide, & sacrificijs credimus expiatis; paruulis autem etiam solam fidem profuisse; modo sufficere credimus. Quæ propositio, toties à Patribus repetita, sola fides sufficit ad salutem puerorum, quando non sufficiebat ad salutem adultorum, omnino intentum conditio. Præcipue, cum de exteriori professione fidei, vel de villo actu religionis ex interiori fide profecto, prædicti Patres nullam omnino mentionem fecerint.

19 Rationem etiam proponit S. Thomas illo art. 6. in argumento sed contra. Omnia sacramenta illius temporis habebant totam efficaciam suam ex fide. Ergo tantum faciebat fides sine exteriori signo; quantum cum eo: & ita exteriora signa non requirebantur; vt videtur. Quæ ratio, supposito, quod de signo externo adhibendo, non erat diuina institutio, quia de ea non constat, efficax est.

20 Eiusque efficaciam varie elucidat Soto ar. 4. dicens. Illa quæ expressa auctoritate Ecclesiæ, vel Scripture non constat, maxime si supernaturalia sunt, non debent nisi ratione certa constitui: cum ergo in lege naturæ nullibi legatur eiusmodi sacramenti institutio, recurrendum est ad eius necessitatem: quæ certè nulla est: nam cum fides tantundem deberet paruulo apud Deum applicari, cui soli peccatorum culpas remittere competeat, sit vt per actum interiorum tam commode applicaretur, quam per exteriorum: nam illa applicatio non erat nisi paruulū illum Deo offerre: quod actu mentis commodissime fieri poterat. Item, quia Circumcisio ob id instituta fuit, vt significaret Messiam descensurum ex semine Abrahæ, cui data, iustaque fuit: quæ quidem necessitas antea non habebat locum. Tertiò necessitas Circumcisionis, & sacramentorum visibilibus erat, vt homines possent coadunari: tunc autem nulli mortalium erant coadunati in veram religionem Dei.

21 Quarto & potissime arguit. Nam illud signum exterius, aut erat ex institutione humana, aut diuina: non ex humana, vt auctores contrariæ opinionis plane continentur: quia tunc non haberet illam certitudinem, quod illo posito conferretur gratia. Imò essent apud diuersas nationes diuersissima: quod non congruit sacra-

mentis, in quibus præter meritum conferretur gratia. Si autem esset institutum à Deo, vt ipsi contendunt, illud profecto deberet esse vsum in toto orbe; sicut in lege scripta fuit vnum in populo Israël; & apud nos vnus Baptismus. Cum enim esset supernaturalis, & ad applicandam fidem supernaturalem, nulla erat ratio cur Deus aliud institueret in vna natione, arque aliud in alia. Eddetque sub artificio præcepto vniuerso orbi propositum: nam sacramentum ad salutem necessarium, semper habet annexum præceptum, vt de Circumcisione patet, & nostro Baptismo. Quod præceptum non posset in vniuersum euulgari nisi scripto. Quod esse falsum, inde patet, quod tunc illa lex non diceretur naturæ, sed scripta, sicut lex Moysi. Præterea, vel in aliqua Ethnicorum historia memoriæ id proditum fuisset: vel saltem Moyses, qui Deum omnia ab orbe condito scripsit, illud euulgare non prætermisisset, &c.

22 Ad hæc tandem accedit, quod interrogati illi deophyti ex Iudæis, qui in Hispania morabantur: Imò & illi ipsi, qui in eadè caligine perseverant, quos ego (inquit Soto) Venerijs, & Romæ, & in Germania vidi; vtrum aliquod signum ad modum sacramenti legis naturæ applicent suis fratribus; ridentes respondent, numquam talem ritum inter eos fuisse auditum; sed tantum eas offerunt Deo nullo signo certo seruato. Et tamen si in aliqua natione signum illud debuisset durare, erat in illa vnde Abraham genus duxit. Imò vero si tale fuisset illud vtque sacramentum, quando Circumcisionem Deus illi indixit, eam pariter admonuisset, vt in semellis idem legis naturæ sacramentum perpetuo obseruaret. Quod cum non admonuit, coniectura fit nullum fuisse. Hæc omnia Soto.

23 Vnde Strabonis cõmentum est, Iudæos legem accepisse, quam cum viri, tum mulieres iubentur circumcidi. Quamuis auctor sit idem Strabo lib. 16. Creaphagos in Arabia Circumcisionem retinere à maioribus acceptam, etiam circa mulieres ipsas. Et Persarum Rex Mahumetanus, Turcas hereticos appellat, quoniam ipsorum vxores circumcisæ non sunt: ea de causa illis templa ingredi licet, quod Turcis non conceditur. Ita refert Petrus Bellonius lib. 3. obseruat. cap. 28. & in Theatro vitæ humanæ tom. 5. ver. Mahumetani folio. 185. lit. B.

24 Solet his argumentis responderi probare in lege naturæ non esse determinatum diuina institutione quo signo esset utendum ad sensibilibus protestandam fidem: sed interiori instinctu id determinandum relinquebatur. Ex quo non sequitur tunc non fuisse sacramentum: sed solum inferitur non fuisse æque perfectum, ac in lege scripta, aut in lege noua. Quod videtur docere S. Thomas hic art. 3. ad 2. nam loquendo de sacramentis veteris legis, ait. *Quæ quidem comparantur ad sacramenta, quæ fuerunt ante legem sicut determinatum ad indeterminate præfixum homini, quibus sacramentis uteretur, sicut fuit per legem.*

25 Hoc autem sufficere ut illa essent proprie sacramenta, potest explicari. Primo cum Caño illa 3. p. Relec. ad vltimū, dicente non pertinere ad generalem rationem sacramenti ut sit signum institutum à Deo. Neque qui id affirmat, idoneo probant argumento: Secundo, ex eodem ibidem, & ad 3. dici potest ad fuisse Dei institutionem, & reuelationem: quia sine illa nec cognouissent peccatum originale: neque Deum sacrificijs illis placari. Præterquamquod, cum fuerit tunc sacerdotium, ex consequenti fuerunt sacramenta, sine quibus nec religio, nec sacerdotium est.

26 Tertio addit Serra art. 3. Nec est mirum Deum cum hac indeterminatione legis naturæ sacramenta instituisse: nam etiam in lege Euangelica sacramentum Matrimonij instituit cum quodammodo simili indeterminatione. Sua namque institutione voluit, ut consisteret in consensu expresso a legitimis personis: qua tamen diuina institutione determinatum non est consensu debere exprimi verbis, aut nutibus, vel litteris: nec quamnam sint legitimæ personæ, sed h. c. determinandum reliquit Christus Ecclesiæ:

27 Quarto dici potest cum Lugo disp. 3. sec. 2. num. 33. quod ad rationem sacramenti parum refert, quod institutio sit circa aliquod signum determinatum, vel circa disiunctum ex multis. Sic enim supra vidimus sacramentum Ordinis non habere ex institutione Christi omnino determinatam materiam; sed hanc, vel illam; dum modo sit apta ad significandam traditionem potestatis, &c. Et quidem satis verisimile est, non fuisse in illo statu determinatum à Deo aliquod signum exterius; sed hoc fuisse relictum arbitrio singulorum; ut late probat Suarez sec. 3. Vnde fortasse ema-

nauit vsus in nationes gentium aliquod signum religiosum exhibendi circa infantes ad eorum sanctificationem: sic enim refert Festus Romanis morem fuisse octauo die maribus, & nono feminis nomen imponendi cum lustratione, & emundatione; quem diem lustricum appellabant: Athenienses etiam, teste Suida, decima nocte solebant inuitare cognatos, & notos ad epulas, ut adessent sacrificijs, quæ Deo offerebant pro infante; & tunc etiam nomen illi imponebant: quod etiam de alijs gentibus facile posset obseruari. Unde credibile est aliquod vestigium apud illas mansisse illius primæ institutionis, ex qua ex diuina ordinatione infantes aliqua externa actione purgabatur, & dicebantur Deo per fidem vnus mediatoris.

28 Cæterum si istæ solutiones diligenter expendantur, non videntur euadere vim rationum: quia ex eis expositum manet apud antiquos vsitata fuisse sacrificia externa pro paruulis: & illa fuisse sacramenta late sumpta, pro quolibet signo sacro; non tamen fuisse sacramenta strictè pro signo ex diuina institutione deputato ad significandam, vel dandam gratiam. In primis ad sacramenta strictè sumpta requiri diuinam institutionem, satis monstratum est quæst. 60. dub. 2. Hic non ad fuisse diuinam institutionem, rationes factæ late conuincunt: Sacrificare vero est de lege naturæ. Et quamuis ex fide supernaturali dirigatur ad placandum Deum, non erit sacramentum; si ab ipso Deo, vel alio eius vicem gerente, ad hoc non eleuetur, vel instituatur: quia institutione seclusa, res sensibilis non est connexa cum gratia. Illa indeterminatio materiæ; & formæ matrimonij est pure materialis; in isto autem casu pro diuersitate Prouinciarum, & Populorum, imò & familiarum, sacramenta formaliter variarentur: Illud exemplum de sacramento Ordinis non admissimus quæst. 60. dub. 13. Præterquamquod restat probare, quod Deus illo modo sacramentum pro paruulis legis naturæ de facto sic instituerit: & explicare modum, quo sine lege scripta illa institutio intimata sit nationibus totius orbis.

29 Denique illa esse solum sacramenta improprie, declarat S. Thomas in 4. dist. 1. q. 2. art. 6. q. 3. dicens, quod illa sacramenta legis naturæ non erant ex præcepto diuino obligantia; sed ex voto celebrabantur, secū dum quod vniciuique dictabat sua mens: ut fidem suam alijs exteriori signo profiteretur

recit ad honorem Dei, secundum quod habitus Charitatis inclinabat ad exteriores actus. Et 1. 2. q. 103. art. 1. docet S. Thomas, quod ante latam legem scriptam erant quædam ceremonie, non quidem ex auctoritate alicuius legis determinatæ, sed solum secundum voluntatem, & deuotionem hominum Deum colentium. Sed quia etiam ante legem fuerunt quidam viri præcipui, prophetico spiritu pollentes, credendum est quod ex instinctu diuino, quasi ex quadam priuata lege, inducerentur ad aliquem certum modum colendi Deum; qui & conueniens esset interiori cultui; & etiam congrueret ad significandum Christi mysteria, quæ figurabantur etiam per alia eorū gesta: secundum illud 1. ad Corint. 10. Omnia in figura contingebant illis. Fuerunt igitur ante legem quædam ceremonie, non tamen ceremonie legis, quia non erant per aliquam legislationem institutæ. Ac per consequens nec erant ante legem sacramenta proprie sumpta. Quod iterum declarat ad 1. dicens, quod nulli modi oblationes, & sacrificia, & holocausta, offerebant antiqui ante legem ex quadam deuotione propria voluntatis, secundum quod eis videbatur conueniens, ut in rebus, quas à Deo acceperant, quas in reuerentiâ diuinam offerrent, protestarentur se colere Deum, qui est omnium principium, & finis. Idem dicit de sacris templis in sol. ad 2.

30 Et in sol. ad 3. ait, quod sacerdotium erat ante legem apud colentes Deum secundum humanam determinationem, qui hanc dignitatem primogenitis attribuebant. Ergo tunc ordinatio sacerdotum non erat sacramentum strictè sumptum ex diuina ordinatione, sicut fuit in lege veteri, & est modo in lege gratiæ. Quod & docuit Anacletus Papa Epist. 2. decretali de ordinatione Episcoporum, dicens Sacerdotiū initiū sumpsisse ab Aaron, quia licet aliqui prius legantur sacrificium obtulisse, ut Melchisedech, & Abraham; hi tamen spontanea voluntate, non tamen sacerdotali auctoritate hoc fecerunt. Quod & docet S. Isidorus, & ex ipso Concilium Aquisgranense 1. cap. 11. Quamuis enim Melchisedech dicatur in Scriptura Dei sacerdos, eius Sacerdotium non erat ex diuina ordinatione; sed vel electione populi, vel ex hereditaria successione, vel iure primogenituræ: atque à Deo non erat sacramentum, cum fieret iure humano. Par autem ratio est de remedio paruulorum.

31 Sed obijcies: quia in lege naturæ fides non erat efficacior, quam modo sit post Christum, qui venit ut vitam habeamus, & abundantius habeamus: sed mo-

do non valet fides ad salutem paruuli sine sacramento Baptismi: ergo nec tunc valebat. Alioquin peioris conditionis essent paruuli, qui modo inter Christianos nascuntur, & saluari non possunt sine baptismo, quam essent paruuli, qui nascerentur in lege naturæ.

32 Respondetur in primis hoc argumentum instari: nam in contraria opinione etiam, per se loquendo, salus puerorū esset facilius, quam modo: siquidem in lege naturæ fides cum quibuslibet verbis, vel externa ceremonie sufficeret ad salutem pueri: nunc autem requiruntur determinata materia, & determinata forma, & debita intentio ministri: & quolibet horū deficiente, non perficitur sacramentum.

33 Respondetur ergo cum D. Thomas in 4. Sent. art. 6. quæstiuncula 2. ad 3. quod iudei efficacia non est diminuta, cum omnia sacramenta ex fide efficaciam habeant; sed est ei aliquid adiunctum, quod necesse est obseruari. Sicut non est minoris efficacie lex moris in Religioso, quam in seculari: quamuis præcepta moralia sufficiant ad salutem in seculari; sed in religioso requiruntur consilia, ad quæ se ex voto obligant. Addit D. Thomas in 4. ad Anib. dist. 1. q. 2. art. 2. ad 2. quod peioris conditionis sunt nunc, quam tunc, dicendum, quod verum est quantum ad aliquid; quia illi tunc facilius curabantur. Sed simpliciter melioris conditionis sunt nunc; quia in Baptismo multo maior datur gratia; quam tunc: & est modo maior certitudo salutis.

34 Præterquamquod nunc facilius est credere, quia repleta est terra scientia Domini: & in toto orbe fulget lux Euangelij: cum tamen tunc vbique vigeret idolatria. Et quod ad plura teneri, cæteris paribus, melius sit, exponit S. Thomas 1. 2. q. 98. art. 5. ad 2. Et quod per hoc quod in sacramentis nouæ legis requirantur formæ, & materiæ determinatæ, non artetur via salutis, declarat S. Thomas 3. p. q. 60. art. 5. ad 3. quia res, quarum vsus est necessarius in sacramentis, vel communiter habentur, vel paruo studio adhibito, haberi possunt.

§. III.

Opinio quod fides non sufficeret, nisi applicaretur exteriori signo.

35 Nihilominus opposita sententia communior est inter Theologos, tam antiquos, quam modernos. Ex Antiqui-

docuerunt Alexand. Alenf. 4. p. q. 2. mēb. 5. art. 1. & 2. Scotus in 4. dist. 1. q. 7. Durā- dus ibi q. 8. Gabriel q. 2. art. 3. Maior q. 4. Adrianus in 4. q. ult. de Baptismo, ad 3. Ex Recentioribus docent Suar. disp. 4. sec. 2. Granad. trac. 2. disp. 2. Lugo c. disp. 3. sec. 2. Bernal disp. 2. sec. 3. I. cander to. 1. disp. 2. q. 6. & 8. Bonacina disp. 1. q. 1. punct. 3. n. 7. Sayrus lib. 3. c. 3. q. 3. ar. 2. Auersa sec. 2. Calpens tract. 21. disp. 2. sec. 1. Ex Thomis Paludanus in 4. dist. 1. q. 5. Cano Relect. de sacram. in genere p. 3. per totam, sed præcipue ad 1. Nuño q. 61. art. 3. Araujo, & Serra, & Ruyz dub. 1. ibidem. Cabrera disp. 2. & 3. & communiter alij docentes fidem parentū solum prodesse parvulis, si aliquo signo exteriori applicaretur.

36 Est tamen differentia, quod Scotus illa q. 7. expressè ait, quod tempore illius legis naturæ erat à Deo institutum aliquod remedium, vel signum certum, & efficax deletionis originalis peccati. Et hoc dicit fuisse sacramentum legis naturæ contra originale peccatum à Deo institutum. Alexander vero, & alij dicunt institutas fuisse oblationes, & sacrificia, quæ Deo pro parvulis oblata ad remedium originalis, essent sacramenta. Quod videtur docuisse Hugo de S. Vic. lib. 1. de sacram. parte 11. cap. 6. & parte 12. cap. 2. post medium.

37 Paludanus vero, Cano, Suarez, & alij communiter dicunt in illo statu non esse à Deo determinatum signum, quo exterior fides esset protestanda, quamvis sine exteriori aliquo signo fides interior non valeret ad salutem parvuli. Imò inde intulerunt Durandus, Paludanus, Adrianus, & Gabriel, & Paludanus in 4. dist. 1. q. 2. illud signum non fuisse sacramentum, quia non erat à Deo determinatè institutum. Reliqui vero communiter dicunt id non obesse ad veram, & propriam rationem sacramenti illius status.

38 Id tamen in quo conveniunt, probant. Primo ex D. Augustino lib. 2. de nuptijs, & concupiscentia cap. 11. ubi ait. *Sed superioribus temporibus omnino latuit sacramentum iustificationis ex fide: eadem tamen fides mediatoris saluos iustos faciebat antiquos puillos cum magnis; non vetus testamentum, quod in servitutem generat; non lex, quæ non sic est data, quæ posset vivificare.* Sicut ergo adultis ad salutem erat necessaria exterior fidei protestatio; ita & parvulis. Et cum virtus fidei non fuerit latens tunc; loquitur de signo externo, de quo in Scriptura

non sumus instructi. Clarius to. 7. lib. 5. cōtra Iulianum cap. 11. sic dicens. *Nec idèo tamen credendum est ante datam circumcissionem famulos Dei, quandoquidem illis inerat media toris fides in carne venturi, nullo sacramento eius opitulatos fuisse parvulis suis; quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa Sacra Scriptura latere voluerit: nam & sacrificia eorum legimus, quibus utriusque sanguis ille figura batur, qui solus tollit peccata mundi.* Ergo agnoscit S. August. parvulos legis naturæ iustificatos aliquo visibili signo: & de illo asserit fuisse sacramentū: & quod illo protestabantur suam internam fidem; sicut & sacrificijs significabant Christi passionē. Idem docet S. Cyprianus, vel qui est Author libri de Cardinalibus Christi operibus, in sermone de ratione Circūcisionis, post medium.

39 Respondet Vazquez cap. 5. n. 47. S. Augustinum per sacramentum fidei, quo antiqui iustificabantur, non intellexisse S. Augustinum signum externum iustitiæ, quod institutum aliquo modo esset pro sacramento: sed intellexisse mysterium absconditum, & secretum fidei, hoc est, virtutem, & energiam illius ad iustificandum: hæc enim virtus non fuit ita nota, sicut hoc tempore: tamen per illam adulti, & parvuli re ipsa iustificarentur.

40 Hæc tamen solutio non satisfacit. Primo quia verba non accipit in proprio sensu. Secundo, quia obstat expositio ni literæ contextus: nam S. Augustinus respondet Iuliano arguenti non esse necessarium sacramentum Baptismi pro remissione peccati originalis, quia Sancti Patres signebant filios sine peccato originali: & idèo non indigebant sacramento, eo quod baptisma, quo nunc adoptamur, nondum fuerat institutum. Vnde in solutione S. Augustini; ne æquivocatio accidat, debet esse sermo de sacramento proprie sumpto: admittit enim S. Augustinus Iulianum verum dicere; quod tunc non erat baptisimus: falsum tamen asserere, quia negabat tunc fuisse sacramenta pro remissione peccati originalis.

41 Secundo probatur ex D. Thoma hic art. 3. nam loquendo de toto tempore, quod fuit post peccatum Adam ante Christi adventum (quod comprehendit statum legis naturæ, & tempus Circūcisionis præceptæ Abrahamo, & tempus legis Moyli) ait, quod *necessè fuit quædam sacramenta institui.* Et ratio eius æquè procedit in statu legis naturæ. Ratio enim est: nam sacra

sacramenta necessaria sunt ad humanam salutem, in quantum sunt quædam sensibilia signa invisibilium rerum, quibus homo sanctificatur. Nullus autem sanctificari potest post peccatū, nisi per Christum, quem proposuit Deus propitiatorum per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, ut sit ipse iustus, & iustificans eū, qui ex fide est Iesu Christi (ut dicit Apost. ad Rom. 3. ver. 25. & 26.). Et idèo oportebat ante Christi adventum esse quædam signa visibilia, quibus homo fidem suam protestaretur de futuro Salvatoris adventu. *Et huiusmodi signa dicuntur sacramenta.* Quæ ratio manifeste procedit in statu legis naturæ, quādo erat peccatum originale: à quo pueri non poterant liberari, nisi per gratiā Christi: & hæc non dabatur nisi visibili signo protestate fidem: quod signum erat sacramentum. Et in sol. ad 2. expresse meminit S. Thomas sacramentorum, quæ fuerunt ante legem. Et ad 3. dicit, quod *Sacramentū Meichisedech fuit ante legem, &c.* Et q. 60. art. 5. ad 3. ait, quod sicut dicit S. August. 19. contra Faustum cap. 16. & 17. tom. 6. *diversa sacramenta diversis temporibus congruit, &c.* Et idèo sicut in statu legis naturæ homines nulla lege exterius data, sed solo interiori instinctu movebantur ad Deum colendum; ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum reverentur. Ergo agnoscit tunc sacramenta; licet minus determinata quam in lege scripta.

42 Quod magis videtur expressisse q. 70. artic. 4. ad 2. exponens S. Gregorij auctoritatem, declarat loqui de fide manifestata signis externis: ait namque. *Probabile est, quod parentes fideles pro parvulis natis, & maxime in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent (quod erat quoddam signaculum fidei) sicut adulti pro se ipsis preces, & sacrificia offerebant.* Ergo tam externa sacramenta agnoscit S. Thomas pro remedio parvulorum, quam externa fuerunt sacrificia pro salute adultorum. Et iuxta hæc ultimo scripta videntur glossandæ, vel limitandæ, aut corrigendæ omnes auctoritates incontrarium. Similia dicit 1. 2. q. 103. art. 1.

43 Ratione simili arguit Scotus illa q. 7. Quia non poterat esse certum, quod actus alterius relatus ad parvulum sufficeret tibi, nisi hoc esset institutum à Deo: nullus enim potest esse certus, quod per aliquid attingat ad salutem, nisi sit certus, quod Deus acceptavit illud tanquam sufficiens

ad talem finem. Cum ergo non solum adultis cultoribus tuis providit Deus de remedio necessario ad salutem, sed etiā parvulis eorum, & hoc de remedio, de quo parvuli possunt esse certi pro parvulis; sequitur quod tempore illius legis naturæ erat à Deo institutum aliquod remedium, vel signum certum: & efficax deletionis originalis peccati. Et magis probabile est per aliquod signum sensibile, quia per aliquod signum intelligibile tantum: quia pro toto statu naturæ lapsæ congruunt hominibus signa sensibilia respectu ipsius spiritualium.

44 Addit ad 2. quod potest dici uno modo, quod potuit Deus tunc sacramentū revelasse alicui patri, cum quo tunc frequentius loquebatur. Licet cui, & quando Scriptura non dicat: quia ab Adam usque ad Abraham satis succinte pertransit. Vel secundo quod in Scriptura fit mentio de sacrificijs Deo acceptis. *Impossibile autem est, quod aliquod determinatum sacrificium foret sacramentum: non est enim contra rationem sacrificij, quod ipsum, vel oblatio eius sit sacramentum.* Et tunc, licet indistincte, habetur de tali sacramento in diversis locis Scripturæ, quod sit institutum à Deo in lege naturæ.

45 Durādus illa q. 8. n. 8. sic arguit. Fides aliena non sufficit ad iustificationem, nisi ut est fides Ecclesiæ. Sed nullus gerit personam Ecclesiæ, ut sic, per solum actum interiorem, nisi concomiteretur actus exterior: ut patet etiam nunc: sacerdos enim quicumque vrens mentali oratione solum, nullo signo exteriori ahibito factis, vel dictis non gerit vicem ministri Ecclesiæ: vnde tales orationes sunt eius ut personæ privata est, & non ut publica. Ergo oportebat, quod fidei interiori adhiberetur aliquis motus exterior factus, vel dictus.

46 Paludanus q. 5. art. 5. conc. 2. nu. 53. arguit. Nam plus valet homini fides propria, quam parvulo aliena: sicut plus potest peccare per se, quam per alium contrahere. Vnde fides Baptismi per se sufficit in necessitate, non autem fides Ecclesiæ parvulo: sicut nunc, ita & tunc. Quia non est peccati actualis remissio sine actuali sacramento: de cuius ratione, & essentia est in materia, & forma sensibilis. Vnde quovis parvulo, & pro parvulo exhibita esset benedictio, vel oblatio, aut aliquid huiusmodi (quod tunc fiebat, sed non habemus scriptum) non erat mūdatus ab originali. Sed sicut lex Moyli traxit Circūcisionem ex patribus: ita forte traxit oblationem, quæ fiebat post partum.

47 Quatuor etiam argumentis arguit Cano illa 3. p. ad 1. dicēs. Videmus enim Sacramenta minus esse adultis, quam paruulis necessaria; cum sine sacramentis actu suscipis, solo sacramentorum voto adulti saluentur; paruuli uero saluentur. Quare si paruulis in lege naturæ non essent necessaria sacramenta; non uideo equidem cur essent adultis necessaria. Cum tamen esse retro à nobis fuerit demonstratum. Id quod etiam D. Gregorius in præscripto testimonio fatetur.

Item, cum in lege ueteri pro foeminis legis naturalis remedia durauerint, contra quos fieret, apud Iudæos puellas sine sacramento saluari; pueros non saluari nisi suscepto sacramento. Quod non uideo quare ratione cohereat.

Præterea, cum peccatū originale carnis propagatione contractum esset, non erat consentaneum, nisi ut corporali quoque remedio, ac medicina sanaretur.

Præterea, cum paruuli in lege gratiæ, & Scripturæ sine sacramentorum ope salutem minime consequantur, non est cur eos in lege naturæ sine sacramentorum auxilio saluamus. Hæc ibi.

48 Suarez; & Granado, & alij contragentias, & rationes, quæ formari solent ut probentur in lege antiqua, & noua debere institui sacramenta, ut homines conferrentur, & aduentur in Ecclesia uisibili: quia hic modus est homini accommodatus, qui constat corpore, & anima: dicunt etiam procedere pro illo statu, sicut pro adultis, ita & pro paruulis. Et de adultis quinque argumentis id ostenderat Cano illa 3. p. Releci.

49 Denique arguit Lugo disp. 3. sectione 2. num. 30. nam si sufficeret fides interna pro remittendo peccato originali paruulorum, posset applicari paruulis absentibus. Et unus homo posset applicare suam fidem pro paruulis totius orbis; & eos iustificare. Imò proderet existentibus in utero matris: quia licet in esse physico non reputetur habere distinctū esse à matre: tamen actiones intentionales, quæ non requirunt actionem externam sensibilem, bene possunt applicari pueris nondum natis: sicut possumus pro illis orare. Et ita pro illis posset applicari interna fides. Ac per consequens illis conceditur, quod pueris nunc decedentibus in matris uteris negatur. Quod est manifestum inconueniens.

§. III.

Judicium de relictis opinionibus.

50 IN hac difficultate duo certa reputo. Primum, quod adhuc iuxta præsentem prouidentiam, & iuxta id quod ex sacra Scriptura colligi potest, potuerunt res status legis naturæ disponi utroque modo, ut sententiæ oppositæ seorsum super tæ declarant: uel ita ut sola fides sufficeret ad salutem, & sacrificia externa solum ex voto, uel instinctu particulari celebrarentur; non uero ex aliqua institutione diuina siue disiuncta, siue determinata: & ita defectu institutionis illa signa externa non essent sacramenta, proprie, & in rigore sumpta. Uel potuerunt res disponi in omnibus, & per omnia ut discutit 2. sent.

51 Secundo reputo certum, non nisi diuinando affirmari (Id quod affirmat Scotus, contra omnes alios Theologos) in statu legis naturæ fuisse aliquam determinatam ceremoniam à Deo institutam in remedium paruulorum. Quod probatur primo ratione D. Thoma q. 70. art. 4. ad 2. quia illo tempore totius orbis homines non erant adunati in una fide: hoc enim fuit tempore Abrahæ, qui pro se, & filiis accepit lignum Circumcisionis, ut segregarentur ab infidelibus. Si autem uno initiarentur sacramento, illo fideles adunarentur. Secundo, ante datam legem, non erat determinata diuinitus sacrificia, ut docet S. Thomas q. 80. art. 3. ad 3. Nec enim illa determinatio posset promulgari omnibus, nisi lege scripta omnibus. Magis autem exigunt Dei institutionem sacramenta, quam sacrificia: cum ista sint de lege naturæ: illa autem solum ex speciali institutione habent vim significandi, uel dandi gratiam. ¶ Demum: talis sacramenti certi, & determinati; institutio, nec ex sacra Scriptura, nec Patrum traditione constat: nec historijs, aut praxi Iudæorum, aut Gentilium comprobari potest: ergo absque fundamento adstruitur. Quamuis enim Deus potuerit sic instituere, & reuelare; non inde habetur; quod de facto sic fecit. Et cum ad hoc quod sacrificia sint sacramenta, requiratur specialis Dei institutio; dum illa non probatur, sine fundamento adstruitur.

52 Hæc cum certa sint, incertum omnino manet quid Deus de facto uoluit, & fecit: & ideo ambæ opiniones sunt ualde probabiles. Et prima mihi uidetur melioribus innixa argumentis, & à D. Thoma iudicata probabilior: & talis semper mihi uisa fuit, & nunc quoque uideatur. Et argu-
menta

menta secundæ solum probant illo tempore fuisse in usu Patrum suam fidem pro se, & pro paruulis manifestare exterioribus signis, sicut & solebant offerre externa sacrificia. Sed sicut illa sacrificia non fuerunt ex speciali institutione diuina, sed ex fide, & charitate, religione, & deuotione singulorum: ita & sacramenta celebrabantur ex voto, & non ex præcepto, aut diuina institutione: & ideo erant sacramenta solum improprie, & secundum quid, & non erant necessitatis, nec debita, aut instituta à Deo. Alioquin si sacrificia, quæ fiebant ex voto uniuscuique essent sacramenta, etiam illa, quæ fiebant ab illis qui nihil audierant de Messia uenturo, essent sacramenta. Et sic pueri Romanorum saluarentur, quia octauo die nomina imponebant pueris, & non puellis, & prius iustrabant sacrificijs, & illos uocabant dies iustros: de quo Macrobius lib. 1. Saturnalium cap. 16. & Tertullianus lib. de idolatria cap. 16. uocat illa festa nominalia; eo quod nomina imponerentur illis festiuis sacrificijs. Et apud Turcas & alios, qui illa sacrificia offerunt Deo uero, magis urget argumentum: & tamen sine fide Iesu Christi nulli est salus.

53 Singula argumenta diluunt Soto, & Vazquez: ea non percurramus sigillatim, quia ex dictis ea soluere uidetur facillimum. Ad ultimum, quo mouetur Lugo, iam responderat S. Thomas in 4. illo art. 6. q. 2. ad 2. quod *puer ad huc in utero matris existens, quantum ad humanam cognitionem pertinet, non habet esse distinctum à matre: ideo per actum hominis consequi non potest: nec nunc ut mudetur ab originali, per baptismum; nec tunc ut mundaretur per fidem parentum. Sed diuinitus, mundari potest; sicut de sanctificatis in utero apparet.* Idem docet in 4. ad Anib. ad 3. de quo infra q. 68. art. 1. ¶ Aliiter respondet Ricardus in 4. dist. 1. art. 3. q. 3. ad 1. dicens. Et ideo alij dicunt, quod aut per fidem parentum poterant regenerari in utero matris. Aut si non dicunt, quod huius ratio est: quia Deus non ordinauit ut per parentum fidem in utero matris regenerarentur. Quod fuit congruum propter imperfectionem status legis naturæ: quem non decebat tantæ efficacitæ, & perfectionis remedium. Hæc ibi.

54 Quia tamen secunda opinio multum uariuit apud antiquos, & modernos: & Theologorum auctoritati multum deferri debet, ideo nolo illi uilium inferre præiudicium; sed impliciter affirmare et-

se ualde probabilem; & hoc problema pro scholæ exercitio permittere: unde quandoque una, quandoque alia utemur opinione. & iuxta hanc secundam, quam fatemur communioem, asserendum est remedium illud quod fuit in statu naturæ pro remittendo peccato originali paruulorum, fuisse uere, & proprie illius status sacramentum. Nam remedium sensibile ordinatum ad culpam delendam, & gratiā significandam, est uerum sacramentum. Sed pro illo statu fuit remedium sensibile ad culpam originalem delendam, & ad gratiam tunc collatam significandam: ergo fuit uerum sacramentum. Deinde quia illi remedio in lege scripta successit circumcisio, & in lege noua baptismus: ergo sicut ista sunt sacramenta uere, & proprie; ita & illud, cum nihil illi desit remedio ut sit illius legis sacramentum.

55 Dices, deficere diuinam institutionem; quæ essentialiter exigitur ad rationem sacramenti: cum ista sint signa ad placitum, quia res sensibilis naturaliter non significat gratiam. Talis autem institutio sacramentorum pro statu legis naturæ non extat, cum nullibi legatur: nec traditione, aut firma ratione probetur.

Sed hæc euasio iam est impugnata ex D. Tho. q. 60. art. 3. ad 3. cum D. Augustino lib. 19. contra Faustum, docete, quod diuersa sacramenta diuersis temporibus congruant. Sicut ergo in illo tempore sacrificia non erant à Deo determinata, sed interiori instinctu determinabantur: ita etiam ex interiori instinctu determinabantur eis, quibus rebus sensibilibus ad sacramenta, sicut & ad Dei cultum uterentur. Diuinitus autem erat determinatum, quod saluarentur per fidem Mediatoris humano modo signis sensibilibus expressam. Hæc autem Dei institutio constat ex dictis, quia non est credendum de diuina pietate, omnes homines illius status reliquisse sine remedio contra peccatum contractum aliena uoluntate. Connaturale autem est hominibus sensibilibus uti signis, ut in simili S. Tho. q. 60. art. 3. & nos ibi, & hic dub. 1.

56 Hanc autem institutionem in genere, quæ determinanda relinquitur arbitrio hominum, uel Reipublicæ, sufficere ad rationem sacramenti, uidetur planum: quia sic est possibile. Et quod de facto fiat, pendet ex uoluntate Dei. Sapere autem contingit, quod aliquid instituitur in genere, & relinquitur alteri determinandum. ut

in testamētis quotidie experimur. Sicque de facto euenisse in institutione sacramēti Ordinis, adhuc in noua lege, plures docēt. Quod quamuis falsum esse, iam sit demonstratum quæst. 60. dub. 13. propter perfectionē sacramētōrū nouæ legis: quorum immediatus institutor, est solus Christus. Tamen illis priscis temporibus ita euenisse, colligitur: Tum ex imperfectiōne illius status: Tum à simili ex sacrificijs, quæ in lege scripta, & Euangelica à Deo sunt determinata: in illo uero statu interiori instinctu, vel Reipublicæ lege determinabantur.

57 Vnde Nuño conc. 5. dicit esse nimis probabile Reipublicam bene institutam tunc determinasse hæc signa: & teneantur homines illis signis uti: sicut omnes gentes subduntur legibus, & ritibus suæ religionis. Vel determinarentur spiritu Prophetarum illius temporis, sicut ait S. Thomas 1. 2. q. 103. art. 1. ex quo quasi ex quadam priuata lege inducerentur ad aliquem certum modum colendi Deum, qui & conueniens interiori cultui, & etiam congrueret ad significandum Christi mysteria. Quod ad ritum etiam sacramentorum, & ad externa signa fidem protestantia, applicat Serra art. 3. conc. 2. Quo signo, aut ritu omnes à prædictis uiris instructi uti tenebantur in sacramentis. Quod colligit Cabrera disp. 2. n. 33. ex illis uerbis, quæ Deus ad Abraham loquutus est Gen. 18. Scio enim quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, ut custodiant uiam Domini. Et institutionis modum latè explicat usque ad num. 39. & usque ad num. 52.

§. V.

Quæ fides, & quorum, requiretur in lege naturæ in remedium paruulorum?

58 Secunda difficultas est, quæ fides exigetur, & sufficeret ad infantium salutem?

Durandus in 4. dist. 1. q. 8. n. 7. dicit requiri fidem formatam Ecclesiæ: quia fides illa non ualebat per modum sacramenti; quia nondum erant instituta. Sed ualebat per modum suffragij, vel meriti. Hoc autem non poterat fides aliena per se, quia frequenter erat informis: fides autem informis unius non meretur aliquid alteri, nec decondigno, nec de congruo. Ergo oportebat, quod fides illa mereretur paruulo iustificationem, ut erat fides Ecclesiæ, quæ semper est formata.

59 Vazquez disp. 165. c. 4. n. 36. dicit sententiæ S. Augustini magis consentaneum esse infantem eo tempore non nisi fide iustorum ipsis applicata fuisse iustificatos: quia lib. 5. contra Iulianum cap. 11. hoc priuilegium saluandi paruulos solum concedit fidei famulorum Dei: per famulos autem Dei planè intelligit amicos Dei, & iustos apud ipsum. Nam peccatores non famuli, sed inimici Dei dicuntur. Et horum ratio uidetur esse, quia fides non magis iuat alium quam habentem: cum ergo fides informis non sufficiat ad salutem habentis, nec uidetur sufficere ad salutem paruuli.

60 Dicunt alij ad salutem paruulorum non requiri charitatem, seu fidem formatam offerentium; exigunt tamen fidem, saltem informem, ita ut si offerentur à parente infideli, quamuis cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, nil prodesset paruulo ad salutem. Ita Vazquez illo c. 4. n. 30. usque ad 33. quia modus ille iustificandi paruulos non erat ex opere operato, sicut conuenit ministris sacramentorum, sed ex opere operantis, & merito aliquo offerentis. Verosimile autem non est infideles fide illa solum humana ita Deo placuisse, ut infantibus suis iustificationem impetrarent, eisque ita offerentibus, sine cunctatione promissam esse. Secundo, quia S. Augustinus, S. Beda, & S. Bernardus, & Hugo, & S. Thomas, & Theologi Scholastici locis relatis dixerunt paruulos iustificatos fide parentum: ergo in parentibus exigunt actualem fidem: imò fidem unius mediatoris.

61 Idem probat Lugo disp. 3. sec. 2. n. 40. autoritatibus adductis à Vazquez. Et n. 41. arguit ratione, quia si sola illa intentio generalis absque ulla fide sufficeret. Certe multo liberaliorem se Deus exhibisset cum paruulis illius temporis, quam cum nostris in lege gratiæ: nam tunc nulla cæremonia externa determinate requirebatur. Non est autem credibile, tempore illo, quo ea solum, quæ necessaria erant, data intelliguntur à Deo illimitatum fuisse, & facile remedium paruulorum. Et aliunde magis expeditus uidebatur ad afficiendos homines erga mediatorem venturum, & ad conseruandam eius fidem, & ipem, ut in ipso sacramento paruulorum interueniret fides Christi, cuius protestatio fieret aliqua actione externa. ¶ Sequitur Leander 10. 1. trac. 1. disp. 2. q. 4. dicens se re certissimum. Cum tamē ultra primam probationem

bationem Vazquez (quam solum proponit) solum addat, quod sic tenent Villalobos, & Archangelus: quasi isti soli rem faciant certissimam, contra D. Thomam, & grauiorum Doctorum autoritatem, & eorum rationem, in re valde perplexa, & nullo modo reuelata.

62 Respondetur ergo, nec tunc fuisse requisitam fidem formatam, nec fidem actualem parentum; sed sufficere fidem Ecclesiæ, qua offerens puerum Deo intendebat circa illum applicare remedium, quod applicabat uera Ecclesia, quæ unum expectabat mediatorem. Vtraque pars est D. Thomæ in 4. dist. 1. q. 2. art. 6. q. 1. ad 2. dicentis, quod fides aliena non iuuabat in quantum erat actus personæ: sed ex parte illa qua respiciebat obiectum suum, scilicet, Christum; quod erat medicina totius naturæ. In quo habebat quandam similitudinem cum sacramentis nostris, in quantum iustificabat ex obiecto, quasi ex opere operato, non autem ex opere operante. Et per hoc patet solutio ad 3. quia formatio, & informitas fidei sunt conditiones eius ex parte operantis; non autem ex parte obiecti: & ideo informitas fidei in parente non impediēbat effectum salutis in filio. Impediēbat autem in ipso, quia in formitas illa proueniebat ex aliquo quod erat contrarium salutis, scilicet, ex peccato mortali. Hæc S. Thomas.

63 Idem docet Richardus ibi art. 5. q. 2. utens eadem ratione: & aliam adiiciens. Quia certa contra peccatum debent esse remedia: sed nullus est certus utrum formatam fidem habeat: quia ut dicitur Eccles. 9. Nemo scit utrum amore, vel odio dignus sit. Ergo ad delendum originale peccatum in paruulis non requirebatur in parentibus fides formata.

64 Priorem uero partem probat Paludanus ibi q. 5. art. 5. n. 52. in fine dicens. Quando enim sacramentum exhibetur intentione faciendi illud, quod Christus instituit, & Ecclesia Catholica seruat, uel seruare debet, per hoc in fide actu implicita, licet non explicita saluat. Nec uidetur fides aliter requiri ad efficaciam sacramenti, nisi quod exhibetur intentione tali: & ipsa intentio est fides.

65 Similiter arguit Soto dist. 2. q. 1. art. 4. §. secunda conclusio. Nam sicut modo infidelis baptizans uerum confert sacramentum, ita & tunc, qui applicabat fidem. Par enim militat ratio. Eandem probat illic D. Thomas egregie, quoniam fides tunc

erat medicina totius naturæ; & ideo non iustificabat, qua ratione erat actus personæ; sed ratione obiecti, quia scilicet, erat fides Christi. Sequitur Cabrera q. 61. art. 3. disp. 4. conc. 1. & magis piam, & probabiliorem, dixerat Canō in Relec. de sacramentis parte quinta; in quinto discrimine inter noua, & uetera sacramenta. Et Ruyzar. 3. dub. 3. conc. 1. Docuit idem Alexander Aletis 4. p. q. 5. memb. 3. & q. 7. membro 5. art. 1. & 2. Colligitur ex Scoto in 4. dist. 1. q. 6. §. de potentia. uerbu. Tertio propter. Et q. 7. Tenetque Suarez disp. 10. sec. 1. conc. 2. probans quinque argumentis. Ad quæ tamen respondet Lugo à n. 42. usque 54. Nec uacat argumenta expendere, nec solutiones examinare: quia argumenta D. Thomæ, & antiquorum satis uidentur uirgere.

66 Vnde ad primam rationem Vazquez responderetur fidem paratum nec profuisse filiis per modum meriti decondigno; quia sic solum Christus meruit alijs primam gratiam. Nec per modum meriti de congruo, quia ille respectu alterius exigit in merente gratiam: & semper rederetur dubius valor remedij; quia non possemus certificari adfuisse meritum. Nec conferretur ex opere operantis cum tanta infallibilitate, & plenitudine, quantum habent nostra sacramenta; cum illa essent imperfectissima, Sed quodammodo requirebatur fides ex opere operato, quia non habebat fructum ex parte personæ, sed ex parte obiecti: respiciebat enim Christum, qui erat medicina totius naturæ: & actus applicantis se habebat per modum conditionis.

67 Ad secundum dicitur Sanctos Patres esse intelligēdos de fide explicita, uel implicita: quia ut ait S. Thomas 2. 2. q. 2. art. 7. ad 3. Siqui saluati fuerunt, quibus reuelatio non fuit facta, non fuerunt saluati absque fide mediatoris: quia & si non habuerunt fidem explicitam; habuerunt tamen fidem implicitam in diuina prouidentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos. Additque Soto, quod si infidelis in uera fide infantulum Deo offerret; quamuis nullis esset fidelibus parentibus ortus, ualere oblatio. Et in fine tertiæ conclusionis ait. Quare dum suas proles sub hac fide Deo dicabant, iatis erat ad delendam originalem maculam: tametsi illam non expresse nouissent. ¶ Ad tertium patet solutio ex uerbis D. Thomæ adductis num. 33. & 34.

68 Ad autem omnes res, quas adducit Vazquez illo n. 6. respondet Lugo n. 54. non cogere: Tum quia apud Ecclesiasticos Auctores, imò & ab ipsa Ecclesia in multis orationibus, peccatores etiam quibus peccatur venia peccatorum, appellantur *famuli Dei*. Tum etiam quia licet S. Augustinus agat de fide honesta, non tamen negat fidem etiam informem aut actionem vitiatam aliqua circumstantia fuisse satis ad iustificandos paruulos. Quod cum admittat Lugo, non video quam consequenter neget intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, quæ est fides Ecclesiæ, implicita quidem ex parte operantis, quavis ex parte eius vitiatam, sufficere ex meritis Christi ad paruuli salutem.

69 Tertia difficultas est, an fides sola parentum valeret paruulis, vel etiam fides extraneorum?

Vazquez illa disp. 165. cap. 4. in fine n. 46. dicit, quod de hac re solus tractat Alexander 4. p. q. 3. membro 5. art. 1. §. Si autem queratur, & respondet, primario debuisse esse parentum, & propinquorum: in eorum tamen defectum urgente necessitate aliorum fide potuisse illis subueniri. Idem sequitur Suarez disp. 4. sect. 2. Ochagavia de Sacramentis in genere q. 8. n. 11. Ego tamè non video (inquit Vazquez) (quo fundamento, aut ratione hic ordo inter parentes, consanguineos, & cæteros assignetur, ut alij in defectum aliorum subrogandi essent. Ideoque existimo remediū illud ad omnes indiscriminatim pertinuisse; multo magis, quam nunc baptismus pertinet: siquidem non urgente necessitate ex præcepto, solus sacerdos sine peccato baptizare potest: tunc autem quouis tempore quilibet posset paruulum Deo offerre.

70 Lugo vero disp. 3. sect. 2. nu. 36. & 57. Leander disp. 2. q. 9. & 10. Scobar, & Mendoza lib. 8. Theol. Mor. sect. 2. probl. 11. & 12. distinguunt: aut enim est sermo de actione valida; aut de licita. Si de valore loquamur, valida fuisset oblatio à quocumque fieret: quia quoad hoc non est discrimen inter baptismum, & illud remediū; & baptismus valet à quocumque conferatur, etiam inuitis parentibus. Si vero queratur, an licite fieret à quocumque: sicut baptismus nunc conferri non potest licite inuitis parentibus, quia extrahitur à cura parentum: ita nec tunc illud remediū, per quod paruulus susceperet veram religionem, posset à quouis licite fieri.

71 Hæc sententia est valde probabi-

lis. Et quoad primam partem sumitur ex D. Tho. in 4. dist. 1. q. 2. ar. 6. q. 2. dicente. Alij probabilius dicunt, quod paruulis sufficiebat sola fides sine omni exteriori signo: non autem habitus fidei solus: sed motus eius relatus ad salutem pueri in vicium profersionis interioris fidei, quicunque esset ille, qui quoquo modo profersionem fidei suæ ad puerum suum refferret. Magis tamè pertinebat hoc ad parentes, qui pueri curam habere debebant, & per quos originale contraxerant. Vbi satis clarè vtramque partem insinuat. Et Soto illo att. 4. §. Secunda conclusio, in fine ait. Nihilominus si infidelis in vera fide infantulum Deo offerret, quamvis nullius esset parentibus ortus, valeret oblatio, siue suus ille filius esset, siue alienus. Soto satis clarè priorem asserit partem. Et sic constat minus diligenter Vazquez Auctores legisse, cum scripsit à solo Alexandro de hac re tractari.

§. VI.

De Sacramentis pro adultis in lege naturæ.

72 **Q**uarta difficultas est, vtrum pro adultis legis naturæ fuerint aliqua sacramenta?

Non solum, qui dissentiunt circa remedium paruulorum in lege naturæ, sed etiam inter eos, qui admittunt illud fuisse sacramentum, est diuersitas opinionum, an tunc fuerint sacramenta pro adultis?

Affirmant expresse B. Albertus Magnus, & Innocentius Quintus, seu Tarantasia, & Altfiodorus, quorum verba refert Dionysius in 4. dist. 1. q. 2. Richardus dist. 1. art. 2. q. 2. & art. 5. q. 4. Paludanus q. 5. artic. 5. num. 51. & 52. Cano Relect. de sacramentis parte 3. Nuño q. 61. art. 3. cõc. 3. & 4. Ruyz dub. 1. cõc. 2. & dub. 2. conc. 2. & 3. Cabrera disp. 4. nu. 7. Granada controu. 3. de sacram. tract. 2. disp. 2. n. 13. & Valentia puncto 2. Escobar, & Mendoza lib. 8. sect. 2. problemate 13. Bernal disp. 2. sect. 3. §. 2. Leander tomo 1. tract. 1. disput. 2. q. 11. cum Bonacina, & Ludouico de S. Ioanne.

73 In numero autem sacramentorum assignando, non conueniunt. Richardus enim illa q. 4. dicit, quod si sacramenta dicantur sensibilia signa, à Deo tempore legis naturæ, & non ante instituta ad significandum rem sacram, per homines ministranda, & ab eis frequentanda; sic in lege naturæ non fuerunt nisi tria sacramenta,

sci-

scilicet, decimæ sacrificia, & oblationes. Quæ tãgit Hugo lib. 1. de Sacramentis parte 11. cap. 3. Si autem extendatur nomen sacramenti ad omne signum rei sacræ generaliter; sic in lege naturæ plura fuerunt sacramenta, quam illa tria.

74 Nuño agnoscit pro tunc sacramentum Pœnitentiæ; vt liberarentur à peccatis actualibus; & aliud sacramentum, vt perseverarent in gratia.

75 Bernal nu. 72. docet, quod fuit in lege naturali Sacramentum Ordinis. Et n. 74. quod fuit etiam sacramentum panis; & vini à sacerdotibus illius legis oblatum. Et nu. 77. dicit fuisse tunc sacrificium agni edentium, & agnum fuisse propriè sacramentum præfigurans Christum, & gratiam: Propterea enim dicitur Apocalip. 13. vers. 8. Christus *Agnus occisus ab origine mundi*: quia voluit Deus semper Ecclesiæ iam iudari per Christi mediatoris confessionem; iam minus, iam magis expressam.

76 Specialiter quod oblatio Melchisedech fuerit sacramentum legis naturæ, vt probabile admisit Soto in 4. dist. 1. q. 2. art. 3. in fine, & Suarez disp. 4. sect. 4. & Granados n. 18. Lugo disp. 3. sect. 2. n. 62. & alij: quia S. August. torn. 2. epist. 95. panem oblatum à Melchisedech, appellat Sacramentum mentis Dominicæ. Qualiter etiam appellat S. Thomas hic artic. 3. ad 3.

77 Matrimonium fuisse sacramentum illius status, opinatur Alexander Aletis 4. p. q. 2. membro 1. art. 1.

78 Alij quæ, & quot fuerint sacramenta non determinant. Ideoque Cabrera disput. 4. nu. 7. ait. Quot vero fuerint Sacramenta legis naturæ, non constat inter Doctores; quia cum non fuerint in particulari determinata, sed pro vtentis arbitrio electa, certo numero comprehendendi non possunt. Et infra ait. Hæc autem sacramenta non erant eadem apud omnes: sed vnaqueque Respublica, iuxta Spiritus Sancti suggestionem, suis regebatur institutis, quæ sub obligatione ad mortale eos obligabat. Neque oportuit in lege naturæ apud omnes recitantes veram Dei religionem fuisse contentionem in huiusmodi Sacramentis, & signis externis: quia diuino iure non erant determinatè instituta, & præcepta, sicut nunc.

79 Nihilominus alij nulla agnoscunt sacramenta, propriè sumpta pro adultis legis naturæ; quia nullæ erant signa practi-

ca gratiæ à Deo instituta. Admittunt tamen fuisse sacramenta in latiori significatione: quamuis istorum numerus sit incertus. Ita tenent ex Thomistis Soto in 4. distinct. 1. q. 2. ar. 3. post quintam conclusionem, & in fine articuli, & dist. 2. q. 1. art. 4. §. Præterea solutiones, & §. Ex eadem prima. Martinus Ledesma t. p. 4. q. 2. art. 3. Araujo q. 61. art. 4. dub. 1. a nu. 23. vique 26. Ex alijs tenent Durandus in 4. dist. 1. q. 2. n. 9. & 11. Ochagavia de Sacramentis in genere q. 9. nu. 3. Aueria q. 61. sect. 1. Vazquez art. 3. & disp. 165. cap. 3. nu. 24. Suarez disp. 4. sect. 4. Lugo disp. 3. sect. 2. à nu. 60. & 68. Licet Suarez, & Lugo excipiant oblationem Melchisedech, quæ dicitur fuisse veteris, & propriè sacramentum legis naturæ.

80 Secunda sententia mihi videtur vera, & ad mentem D. Tho. Sed quia in prima difficultate sententias oppositas dixi probabiles, vt videatur, quæ inconsequenter aliqui nunc opinentur; & vt agnoscat quid debeat alteri iuxta linguas opinionones, duabus conclusionibus huic difficultati respondeo. Prima est, qui pro paruulis agnoscent fuisse verum sacramentum in statu legis naturæ; etiam pro adultis debent admittere fuisse sacramenta; quamuis illorum numerus non possit omnimoda certitudine determinari. Idcirco valde probabile est in statu legis naturæ fuisse pro adultis sacramenta. Hęc conclusio est contra Suarez, & Lugo. Aueria, & Araujo, qui absolutè admittunt sacramenta pro paruulis; & negant fuisse pro adultis. Quod tamen minus consequenter loquantur, probatur: nam vnum ex argumentis, quibus probant remediū paruulorum legis naturæ fuisse sacramentum, est; quia sic vocatur à D. Th. sed ille non loquitur de illo solo sacramento: sed de pluribus alijs, vt patet auctoritates relatas nu. 41. & 42. ponderanti; & clarissime hic ad 2. & ad 3. vbi loquitur de *sacramento Melchisedech, quod fuit ante legem*: & absque vilo fundamento explicaretur, quod de vno sacramento loqueretur propriè, & de alio impropriè.

81 Præterea, sacramento legis naturæ successit Circumcisio: de qua inquit Apostolus ad Galat. cap. 5. ver. 3. *Testis cor omni homini circumcedenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ*. Cuius rationem assignat Doctor Angelicus ibi lect. 1. Nam quicumque profiretur in aliqua religione, facile debitor omnium, quæ ad obseruan-

seruantiam illius religionis pertinent. Et sicut dicit S. Augustinus, nunquam fuit aliqua religio sine aliquo visibili signo, ad quod obligarentur, qui in ipsa religione viuunt. Sicut in religione Christiana, signum visibile est Baptisma: ad quod omnes Christiani tenentur quoad cultum. Obligantur etiam ad omnia, quæ ad cultum Christianæ religionis pertinent. Signum autem legis Moysæ fuit Circumcisio. Qui cumque ergo circumcidebat se, obligabatur ad omnia legalia seruanda, ac implenda. Hæc S. Thomas. Ergo pariter sacramentum legis naturæ erat professio religionis illius legis. Sed nulla est religio, quæ solū habeat remedia, pro paruulis, & non habeat pro adultis: ut patet inductione in religionibus veris, & falsis: ergo si semel admittitur in illa lege sacramentum pro paruulis, & debent admitti aliqua sacramenta pro adultis.

82 Deinde, tres rationes indicantur in his articulis D. Thom. ut tunc esset aliquod sacramentum, ut illo homines aduenirent sub vna religione: & ut habeat medicinam contra morbum peccati: & ut actione externa protestetur fidem Christi. Sed totum hoc procedit melius in adultis quàm in paruulis, ut facile patet. Ergo pro omnibus in illo statu fuerunt sacramenta.

Accedit S. Thomas in 4. dist. 1. q. 1. art. 2. q. 3. afferens Hugonem de S. Victore lib. 1. de sacramentis parte 8. cap. 12. dicentem. *Quandocumque fuit morbus, fuit, & medicina morbi: sed in statu legis naturæ erat morbus peccati: ergo & necessaria erat sacramentorum medicina. Et ratione assignat in corpore. In statu legis naturæ non sufficiebat ad salutem sola naturalis cognitio, sed exigebatur fides aliquorum, quæ supra rationem sunt. Et post lapsam exigebatur fides de reparatore, per quem erat medicina morbi. Et ideo in statu illo non tantum erant necessaria opera, quæ sunt de dictamine legis naturalis, sed etiam alia, quæ essent protestationes, & signa eorum, quæ ad reparationem pertinebant. Et hæc erant illius temporis sacramenta: sicut sacrificia, decimæ, oblationes, & huiusmodi. Verum est, quod illa non conferrent gratiam, sicut nostra: nec essent a Deo instituta in speciali (& hoc solū probat, quæ obijcit Suarez conc. 2.) Sed hæc non requirit ad rationem sacramenti illius legis, illi qui pro paruulis tunc admittunt sacramenta: de quorum determinata institutione non constat; consequenter fateri tenentur.*

83 Denique probatur: nam Suarez conc. 3. & Lugo nu. 62. admittunt obligationem Melchisedech fuisse sacramentum quia figura nostri sacrificij, & Sacramenti Eucharistiæ: ergo pariter cum ille dicatur Sacerdos Dei, eius ordinatio esset sacramentum Ordinis. Quia tunc sufficiebat institutio indeterminata. Et q. 60. diximus posse pro vna vice, & pro vna sola familia institui sacramentum: quamuis eius institutio, & significatio non sit omnibus manifesta: sicut sacrificium Abrahæ fuit pro vna vice, & eius significatio non fuit omnibus nota.

84 Obijcies sequi ex prædicta doctrina innumera tunc fuisse sacramenta pro varietate populorum, & inclinationum, & signorum; quibus diuersi homines suam fidem protestarentur: hoc autem videtur absurdum, & magna confusio, & contempus rerum sacrarum, ita facile eas multiplicari: ergo vela Deo debebāt in particulari institui, vel non erāt veræ legis illius sacramenta.

85 Respondet Granada nu. 17. non sequi magnam multitudinem sacramentorum; quia ex diuina institutione non ita frequenter utebantur rebus sensibilibus; sed quando necessitas aliqua urgebat.

Sed contra est, quod nec semper sacramenta erant contra necessitates urgentes. Et adhuc si ad hoc solum deferuissent sacramenta: cum post peccatum Adami natura humana innumeris subiaceat necessitatibus, & ortas ex peccatis vulneribus, innumera videtur in illo statu fuisse sacramenta, si cuiuscunque arbitrio reliquebatur signa externa determinare.

86 Si autem, ut admittit Cabrera relatu. 77. sacramenta erant diuersa in diuersis Republicis, erunt innumera, sicut sunt Ciuitates totius Orbis. Quod statim apparet satis absurdum: quod sacramenta, quæ sunt signa visibilia ut fideles populi in protestationem vnius fidei aduenirent, iuxta numerum populorum diuersificentur: sicut diuersificabantur Dij, & ritus Gentilium vigente Idolatria.

87 Aliter ergo responderetur, quod si sermo sit de multis signis materialiter differentibus; imò distinctis specie physice, inesse rei non reputamus inconueniens concedere multitudinem sacramentorum, sicut & oblationum, & sacrificiorum. Si vero loquamur de multitudine signorum distinctorum formaliter inesse signi, cum necessitates spirituales determinatis medici-

cinis in noua lege sanentur, & pariter in antiqua; non erit difficile veritatem signorum reducere ad certum genus sacramentorum, adhuc in lege naturæ. Ideoque S. Thomas in 4. Sententiarum, ubi supra ad 2. ait, quod ante legem scriptam erant quedam sacramenta necessitatis: sicut illud fidei sacramentum; quod ordinabatur ad deletionem originalis peccati. Et similiter Pœnitentiæ, quæ ordinabatur ad deletionem actualis. Et similiter Matrimonium, quod ordinabatur ad multiplicationem humani generis. Sed sacrificia, & oblationes, & huiusmodi erant voluntatis, & necessitatis in communi, ut scilicet aliquid facerent in protestationem fidei suæ, quæ Deo per latræ Religionem subiecti erant: sed in speciali erant voluntatis, utrum scilicet, deberent sacrificia exhibere, vel oblationes, vel aliquid huiusmodi. Agnoscit ergo S. Thomas pro tunc plura sacramenta; sed quæ possunt ad quatuor, vel quinque species reduci. Quod autem quodammodo Matrimonium, tunc fuerit sacramentum in medicinam contra morbum concupiscentiæ, etiam docet S. Thomas in 4. dist. 26. q. 1. art. 2. Pariformiterque loquitur de Pœnitentiæ in 4. distinctione 17. q. 3. art. 1. q. 2. ad 2. Et 3. p. q. 84. art. 7. ad 2.

88 Secunda Assertio. Probabilius est in lege naturæ, sicut nec pro paruulis, ita nec pro adultis fuisse sacramenta strictè accepta, pro signo instituto à Deo ad sacramentum. Si tamen sacramentum accipiatur communiter, pro cæremonia sensibili protestatiua fidei, & religionis, etiam si specialem à Deo non habeat institutionem; fuerunt in lege naturæ quatuor, vel quinque species sacramentorum pro paruulis, & adultis. Sequitur ex dictis §. 2. Sumiturque ex D. Thoma 1. 2. q. 102. art. 5. ad 3. & in 4. dist. 26. q. 2. art. 2. & hic art. 2. ubi negat matrimonium ante Christi aduentum fuisse sacramentum coniunctionis Christi, & Ecclesiæ. Et 3. p. q. 84. artic. 7. ad 2. ponit Pœnitentiæ fuisse in lege naturæ, & diuersimodè accepisse determinationem in antiqua, ac in noua lege: secundum quod congruit imperfectioni veteris legis, & perfectione nouæ legis. Cumque in veteri lege solum fuerit sacramentum Pœnitentiæ analogice cum conueniens nostro; quauis propriè fuerit sacramentum, antea in lege naturæ cum adhuc erat imperfectius, quam in veteri lege, solum erat sacramentum communiter, & minus propriè.

89 Unde & S. Thomas in ipso loco, ubi ea vocat sacramenta, loquitur de sa-

cramentis in hac lata acceptatione. Ait namque in 4. dist. 1. q. 1. art. 2. q. 3. *Et hæc erant illius temporis sacramenta, sicut sacrificia, decimæ, & oblationes, & huiusmodi.* Et de eisdem loquens eadem dist. q. 2. art. 6. q. 3. & exponens illa verba Hugonis lib. 1. de Sacramentis parte vna. cap. 3. & 4. & 5. quod nullus obligabatur ad sacramenta illius temporis: *Sed voto celebrabantur:* ait S. Thom. quod illa sacramenta legis naturæ non erant ex præcepto diuino obligantia, sed ex voto celebrabantur, secundum quod unicuique dictabat sua mens, &c. Et quod loquitur de Sacramentis etiam pro adultis, ex contextu constat; concludit namque. *Ita etiam quantum ad adultos in lege naturæ sufficiebat sola fides: cum etiam modo sufficiat ei, qui non ex cõtempu sacramenta dimittit. Sed ipsa fides, quædo tempus habebatur, instigabat ut se aliquibus signis exterioribus demonstraret. Quando autem illa signa adhibebantur, non erant officia remissionis culpæ ex illis exterioribus, sed ex interiori fide: & sic sunt intelligenda verba S. Greg. lib. 4. Moral. c. 2. Sed constat, quod sacrificia, decimæ, & oblationes, adhuc in lege scripta, non fuerunt sacramenta propriè dicta. Et semper sacramenta, quæ sunt propriè dicta, exigunt diuinam institutionem, & præceptum pro tota Ecclesia, licet non pro singulis: ergo solum erant sacramenta communiter, & minus propriè.*

90 Quod totum docet S. Thom. 1. 2. q. 103. art. 1. ad 1. dicens (loquendo de sacrificijs legis naturæ, quæ obtulerunt Abel, Noe, & Abraham) quod huiusmodi oblationes, & sacrificia, & holocausta efferebant antiqui ante legem ex quadam deuotione propriæ voluntatis, secundum quod eis videbatur conueniens, ut in rebus, quas à Deo acceperat, quas in reuerentiam diuinam offerret, protestarentur se colere Deum, qui est omnium principium, & finis. Ex quo infert ad 3. quod ante legem ordinatio sacerdotum non erat propriè sacramentum. *Sacerdotum* (inquit) *etiam erat ante legem apud colentes Deum, secundum humanam determinationem, qui hæc dignitatem primogenitis attribuebant. Quod docuisse Anacletum Papam, & S. Iuacorum, iam retulimus n. 30.*

91 Ratio à D. Thoma indicata, est præcipuum assertionis fundamentum. Quia sacramenta propriè sumpta sunt signa ad placitum à Deo instituta ad significandam, & conferendam animæ sanctitatem, vel de præfenti, vel de futuro. Sed non constat Deum instituisse ante Circumcisionem, &

datam legem, nec in cōmuni, nec in particulari aliquod signum externum ad sanctificandum, vel significandam gratiā cōferendam per Christum: sed omnia illa signa erant ab hominibus determinata, & instituta, & ita nullum illorum erat mediū necessarium ad salutē, nec à Deo præceptum, ut sacramentum (est aliquando posset cadere sub præcepto virtutum super naturalium, quarum erant protestationes.) Ergo non erant in statu legis naturæ vere, & rigorose sacramenta, nec pro parvulis, nec pro adultis.

92 Confirmatur, & explicatur: nam ut præmissimus §. 4. nu. 5. i. communiter Theologi non admittunt pro illo statu sacramenta pro parvulis, aut pro adultis, cū tanta determinatione signorum, quantā habuerunt in lege veteri; & multo minus cum tanta, quantā modo habet per Christum. Et hoc dupliciter probant. Primo, quia de tali determinatione non constat; & ideo eadem facilitate, qua dicitur, rejicitur. Et secundo, quia id exigit imperfectio illius status: & diuersa sacramenta diuersis temporibus congruunt. Sed ambæ rationes, vel nihil probant, vel ostēdūt solum fuisse tunc sacramenta late sumpta: ergo sola illa pro statu legis naturæ sunt admittenda. Probatur minor, quia sicut non constat de institutione signorū in particulari; & ideo non admittuntur; sic non constat de diuina institutione communi in ratione sacramenti; licet constet de illis in ratione exercitij virtutum supernaturalium: ergo nec admitti debent in ratione sacramentorum diuinorum. Et imperfectio illius status etiam probat, quod tunc solum erant exercitia virtutum supernaturalium: vsque dum fuit conueniēs legem dari: ideoque erant sacramenta indeterminata, & minus propriè sumptæ.

93 Sed obijcies, sæpè propositā auctoritatem S. Aug. lib. 19. contra Faustū cap. 11. sine dicentis: *In nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum, coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, seu sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Sed in statu legis naturæ fuit vera religio, & cultus externus Dei, & protestatio fidei Mediatoris. Ergo fuerunt sacramēta propriè dicta.

94 Respondetur S. Augustinū loqui de sacramento pro cæremonia externa protestatiua fidei, & religionis, siue à Deo instituta, siue ab hominibus determinata: & sic comprehendit sacrificia, & oblationes,

& alia, quæ non sunt sacramenta strictè sumpta. Et hæc esse eius mentē, constat: nā falsa religio non habet vera sacramenta à Deo instituta: sed habet sacrificia aliquādo ipsi, qui non sunt Dei, immolata. Et est phrasī S. Augustini sacramentum accipere in hac generalitate, ut constat ex lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 15. & lib. 13. cap. 20. & lib. 2. contra aduersarium legis, & Prophetarum cap. 20. Et S. Thomas q. 60. artic. 5. ad 3. ait, *quod sicut in statu legis naturæ homines nulla lege exterius data, sed solo interiori instinctu, mouebantur ad Deum colēdū; ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum virentur.* Idem docet hic art. 3. ad 2.

DVBIVM IV.

Vtrum in lege scripta fuerint aliqua sacramenta?

§. I.
Status dubitationis:

1 **N**ondum legi Theologum, qui vniuersaliter sententiam negatiuam amplectatur: quamuis in eā, ut probabile, inclinet Bernal disp. 2. sect. 4. cōc. 1. cū enim dixisset in lege veteri fuisse vera sacramenta: subiungit: *Conclusionem hanc vocat Granados tract. 2. disp. 2. nu. 19. indubitatam. Sed immerito, negatur enim à pluribus, grauibusque Doctoribus; & inter alios ab authoribus Cathedismī Romani, requirentibus ad propriam Sacramenti rationem, ut sit sui subiecti sanctificatiuum per gratiæ productionē; quæ certum est non fuisse legis veteris sacramēta: proinde satis est assertionem istam vocare veram, vel multo probabiliorē.* Hæc Bernal.

2 Sed nō est cur dicat immerito Granados illā doctrinā vocare *indubitatam*: cum Suarez, & Araujo eā dicant esse *de fide*. Suarez namque disp. 5. sect. 1. conc. 3. ait. *Prima pars eius est certa de fide, scilicet Circuncisionem fuisse verum sacramentum.* Nam licet non sub his verbis expressis; tamen sub æquivalentibus, & diffinitionem sacramenti continentibus, habetur ad Rom. 4. *Et signum accepit Circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei: vbi genus sacramenti illi tribuitur, scilicet esse signum.* Quod autem fuerit signum gratiæ, ac iustitiæ, constat ex sequenti verbo: *Signaculum iustitiæ: non enim poterat esse sigillum iustitiæ,*

riæ, nisi illam significaret. Quamquā probabile sit, solum respectu Abraham fuisse signaculum iustitiæ: quia ut Chrysost. & Theophi. dicunt ei data est in testimoniū iustitiæ, & peculiaris dilectionis, qua Deo gratus erat. Quod autem fuerit signū Circuncisionis spiritualis, satis significauit Paulus ad Colof. 2. Hæc Suarez, & Araujo artic. 4. dub. 2. n. 30. in fine.

3 Cabrera artic. 3. disp. 5. n. 1. ait. *Et quidem in eo statu fuisse sacramenta, est ad eod certum, & indubitatum; ut nulla indigeat probatione.* Et nu. 4. id dicit esse certissimū. Idem docet Villalobos 1. to. tract. 4. diff. cult. 5. nu. 4. asserens valde certum, referensque S. Thomam, & Soto, & Canisū, sit. de sacramentis cap. 6. Bellarm. libro 2. de Sacramentis cap. 15. Henriquez de Sacramentis in genere c. 6. n. 2. Et ut de conclusione constanti, & communi Patrum, loquitur Lugo disp. 3. sect. 2. nu. 69. & alij, quos refert Leander disp. 2. q. 12.

4 Illi autem plures, grauesque Doctores, qui à Bernal incontrarium citantur, deberent ab ipso nominari: quia quinam illi sint; nemo nouit: siquidem qui scripta typis mandarunt, concorditer oppositum docent. Nec videtur legisse Cathecismum (ne dicamus scienter fallum ei imposuisse) siquidem titulo *de Sacramentis; §. Principio igitur*; in fine illius, folio mihi 135. ita ait: *Atque hæc de Sacramenti nomine dicta sint: quod quidem veteris etiam legis Sacramentis conuenit: de quibus nihil opus est Pastoribus præcepta tradere, cum ea Evangelij lege, & gratia sublata sunt.* Vbi expressè dicitur, & nomen, ac proinde rationē significatam per nomen, sacramentum, conuenire antiquis. Sed quod ad instruendos populos Christianos, sufficit diffinire sacramenta nouæ legis, quia ista sola Parochi ministrare; & fideles Christiani suscipere debent.

5 Vtrum autem præter Circuncisionem, fuerint in lege veteri alia sacramenta strictè accepta? Non ita concordant Doctores. Scotus namque in 4. dist. 1. q. 3. art. 3. & 4. & q. 6. §. *De potētia vero.* Versu. *Tertio propter.* Docet, quod Circuncisio fuit propriè sacramentum, quia contulit gratiam ex virtute operis operati. Alia verò erant sacramenta impropriè: nempe purgationes ab immunditijs contractis secundum legem: oblationes hostiarum, & sacrificia, quæ dicebantur cæremoniæ, & impropriè sacramenta. Quare Ioannes Bafolus in 4. dist. 1. q. 3. ar. 3. asserit in lege ve-

teri fuisse vnicum sacramentum propriè dictum, scilicet Circuncisionem. Idem tenet Carolus Franciscus Abra, de Raconis tract. 2. disp. 1. sect. 2. q. 1.

6 Refert præterea Cabrera disp. 5. n. 3. quod Soto in veteri lege duo tantum sacramenta agnouerit: nempe Circuncisionem, & elum Agni Paschalis: quia horum tantum meminit in 4. dist. 1. q. 1. art. 2. & q. 2. art. 3. dicit in illa lege nullum fuisse sacramentum pro expiandis peccatis actibus: neque consecrationē sacerdotis fuisse sacramentum.

Sed Sotum agnouisse plura antiquæ legis sacramenta, constat ex ipso dist. 1. q. 1. art. 2. §. *Concinit*; vbi distinguit inter facta, sacrificia, & sacramenta. Et dicit, *sacramenta fuisse illa, quæ per modum religionis, & cultus Evangelicam gratiam præsignabant.* Hæc autem fuisse plura, ipse docet q. 2. art. 3. initio, & fine: & art. 4. initio, & q. 3. art. 6. & dist. 2. q. 1. art. 4. §. *ex eadem.* Et lib. 2. de iustitia q. 5. ar. 1. concia.

§. II.
Fuerunt in veteri lege plura sacramenta.

7 **D**ico secundo, certissimum est Circuncisionem fuisse vere, & propriè sacramentum: quamuis non sit de fide, nec immediatè, nec mediatè. Prima pars constat ex communi Patrum, & Theologorum: qui sufficiūt dare omnimodam certitudinem, quando propositionem vt certam docent. Ratio a priori est: nam Sacramentum est signum gratiæ sanctificantis nos, vt constat ex diffinitione explicata q. 60. dub. 6. Sed Circuncisio fuit huiusmodi: siquidem fuisse signum, dicitur Genes. 17. *Vt sit signū foederis inter me, & vos.* Non solum autem fuit signum iustitiæ Abraham, & fidei, quæ iustificabantur eius filij: sed etiam fuit signū gratiæ future: iuxta illud Apostoli loquentis de Christo ad Colosenses 2. ver. 11. *In quo, & Circuncisio estis Circuncisione nō manufacta in explicatiōe corporis carnis: sed in Circuncisione Christi, conspecti in Baptismo.* Et S. Augustinus lib. 6. contra Iulianum cap. 3. dicit Circuncisionem esse præfiguratiuam gratiæ, nullò sacris litteris mediocriter eruditus ignorat. Mysterioque Circuncisionis successisse Baptismum, docet Innocentius 3. cap. *Maiores de Baptismo.* Quod sufficere ad rationem veri, & proprii sacramenti, iam explicauimus quæstione 60. dub. 3. Fuit ergo

go Circuncisio Sacramentum, & vt sic à Deo instituta.

8 Secunda pars contra Suarez probatur: nam licet eius argumentum sit optimum ad primam partem probandam: de quo S. Thomas ad Rom. 4. lect. 2. Non tamen sufficit vt conclusioni det fidei certitudinem, imò nec certitudinem Theologicam: quia licet Scriptura dicat, Circuncisionem fuisse signaculum iustitiæ fidei: Tamen aliquis posset respondere inde non inferri esse sacramentum strictè acceptum, quia solum fuit signaculum iustitiæ Abrahæ, non tamen iustitiæ omnium eam recipientium. Et secundo posset dicere ad rationem sacramenti propriam non sufficere significare gratiam, sed requiri quod eam cauet. Et ita expresse dicit Scotus locis citatis. Cū ergo nos q. 70. dicturi simus Circuncisionem non contulisse gratiam ex opere operato: adiungendo vtramque opinionem, posset quis defendere, nō fuisse in rigore sacramentum. Quod quamuis factum, nulla tamen censura esset dignum.

9 Nec authoritates Concilij Florentini, & Tridentini vrgent: Tum, quia sicut nos q. 60. dub. 4. explicuimus illa esse sacramenta solum analogicè, posset alij dicere esse sacramenta communiter, & improprie. Denique, quia de facto Concilia in veteri lege, non solum Circuncisionem, sed alia agnoscunt sacramenta. Et tamen sententia Scoti, & Basilis dicentium esse sacramenta solum communiter, & improprie, nulla inuitur censura. Ergo excessit Suarez affirmando hanc conclusionem esse de fide.

10 Fuit autem Circuncisio Sacramentum in veteri lege obseruatum, sed antea à Deo institutum, & præceptum. Vnde S. Thomas 1. 2. q. 103. artic. 1. ad 3. ait, quod Sacramentum Circuncisionis præcepto diuino fuit statutum ante legem. Vnde non potest dici sacramentum legis, quasi in lege institutum: sed solum quasi in lege obseruatum. Et hoc est, quod Dominus dicit Ioan. 7. Circuncisio non ex Moyse est, sed ex Patribus. Quia tamè, vt docet S. Thom. 1. 2. q. 102. artic. 5. in corp. sine Circuncisione nullus admittebatur ad astiqua legalium: siquidem Circuncisione initiabantur, & fiebat professio illius religionis, & legis, & ex illa obligabantur ad reliqua sacramenta, & cæremonias, & reliqua legis præcepta, vt docet Apostolus ad Galat. 5. ver. 3. & ibi S. Thom. lect. 1. verbis relatis dub. 3. nu. 8. Ideo Circuncisio

connumeratur inter sacramenta legis scripturæ, à D. Thoma 3. p. q. 62. art. 6. ad 3. & q. 70. art. 4. de qua ibidem.

11 Dico secundo, in veteri lege, præter Circuncisionem, fuerunt alia sacramenta proprie dicta. Ita supponunt Eugenius 4. in Concilio Florentino post sessionem vltimam, in Decreto fidei pro Armenis, §. Quinto Ecclesiasticorum. Et Conciliū Tridentinum sess. 7. can. 2. illis verbis. Si quis dixerit ea ipsa nouæ legis sacramenta à Sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremonie sunt alia, & alij ritus externi, anathema sit. Idem docuit S. Dionysius de Ecclesiæ Hierar. cap. 5. col. 3. asserens Ecclesiam legis gratiæ mediam versari inter Synagogam, & cælestem patriam; cum hac enim habet communes contemplationes; cum illa vero communia symbola, seu sacramenta. Quod & docet S. Ambrosius lib. 1. de Sacramentis cap. 4. & 6. & lib. de ijs, qui inuitantur cap. 8. & 9. & Eusebius Emilianus hom. de Transfiguratione Sabbato post Dominicam primam Quadragesimæ, exponens tria tabernacula, de quibus Apostolus ad Hebræos 9. ita ait. Primum synagoga; secundum Ecclesia, tertium Cælum. Primum in umbra fuit, & figura; secundum in figura est, & veritate; tertium in veritate sola. In primo ostenditur vitæ in secundo datur, in tertio possidetur: non enim sacramenta Ecclesiæ, sicut sacramenta Synagoge, medicina docent, & ostendunt: sed ipsa potius sunt medicina, & remissio peccatorum. Afferit etiā S. Thomas ar. 3. S. Augustinum lib. 19. contra Faustum cap. 13. docentem, quod prima sacramenta, quæ celebrabantur, & obseruabantur ex lege, prænuntiæ erant Christi venturi.

12 Probatur etiam ratione D. Thomæ. Nam sacramenta sunt quædam signa inuisibilia rerum, quibus homo sanctificatur. Sed in lege veteri fuerunt à Deo instituta signa visibilia inuisibilium rerum, quibus homo sanctificatur. Ergo fuerunt plura sacramenta. Probatur minor: quia nullus sanctificari potest post peccatum, nisi per Christum. Nec in lege hæc fides Saluatoris potuit exterius significari conuenienter, nisi signis à Deo institutis. Cū ergo hæc signa de facto fuerint instituta: quia oportebat ante Christi aduentum esse quædam signa visibilia, quibus homo fidei suam protestaretur de futuro Saluatoris aduentu. Et huiusmodi signa dicuntur sacramenta; de facto in lege veteri fuerunt, præter Circuncisionem fuerunt sacramenta.

Dico

13 Dico tertio: omnia veteris legis sacramenta ad quatuor genera reduci possunt. Ita S. Th. 1. 2. q. 102. a. 5. Ratione proponens his verbis. Sacramenta proprie dicuntur illa, quæ adhibebantur Dei cultoribus ad quandam consecrationem, per quam scilicet deputabantur quodammodo ad cultum Dei (salutem enim de presenti hanc conferebant sanctitatem legalem, & internam significabant, vel datam de presenti, vel dædam in futuro, iuxta dicta q. 60. dub. 3.) Cultus autem Dei, generali quidem modo pertinebat ad totum populum: sed speciali modo pertinebat ad sacerdotes, & Leuitas, qui erant ministri cultus diuini: & ideo in istis sacramentis veteris legis, quædam pertinebat communiter ad totum populum: quædam autem specialiter ad ministros. Et circa utrosque tria erant necessaria. Quorum primum est institutio in statu colendi Deum. Et hæc quidem institutio communiter quantum ad omnes fiebat per Circuncisionem sine qua nullus admittebatur ad aliquid legalium (quia erat ianua sacramentorum; sicut nunc baptismus.) Quatum vero ad sacerdotes, per sacerdotum consecrationem. Secundo requirebatur usus eorum; quæ pertinent ad diuinum cultum. Et sic quantum ad populum, erat usus Agni Paschalis conuiuij: ad quem nullus incircuncisus admittebatur: vt patet Exodi 12. Et quatum ad sacerdotes, oblatio victimarum, & usus panum propositionis, & aliorum, quæ erant sacerdotum vltibus deputata. Tertio requirebatur remotio eorum per quæ aliqui impediabantur à cultu diuino: scilicet, immundiciarum. Et sic, quatum ad populum, erant instituta quædam purificationes à quibusdam exterioribus immunditijs; & etiam expiationes à peccatis. Quatum vero ad sacerdotes, & Leuitas erat instituta ablutio manuum, & pedum, & ratio pilorum. Et hæc omnia habebant rationabiles causas, & litterales, secundum quod ordinabantur ad cultum Dei pro tempore illo: & figurales, secundum quod ordinabantur ad figurandum Christum. Quas peregrinas assignat S. Th. ibi in solutionibus decem argumentorum. Ergo sacramenta omnia antiqua ad genera quatuor reduci possunt.

14 Non est silentio occultandum, quod S. Th. docet ibi ad 3. de correspondentiâ sacramentorum antiquæ legis cum sacramentis nouæ legis. Ait namque, quod quædam sacramenta nouæ legis habuerunt in veteri lege sacramenta figurata sibi correspondentiâ; nam Circuncisioni respondet Baptismus; qui est fidei sacramentum. Vnde dicitur ad Col. 2. ver. 11. Circuncisio estis in Circuncisione Dni nostri

Iesu Christi, cõspulsi ei in Baptismo. Cõuiuio vero Agni Paschalis responder in noua lege sacramentum Eucharistiæ. Omnibus autem purificationibus veteris legis respondet in noua lege sacramentum Pœnitentiæ (de quo S. Th. 3. p. q. 84. ar. 7. ad 2.) Consecrationi autem Pœnitentis, & Sacerdotum respondet sacramentum Ordinis. Sacramentum autem Confirmationis, quod est sacramentum plenitudinis gratiæ, nō potest respondere in veteri lege aliquod sacramentum: quia nōdū aduenerat tēpus plenitudinis; eo quod neminē ad perfectum adduxit lex. Similiter autē, & sacramentum Extreme Vnctionis; quod est quædam immediata præparatio ad introitū gloriæ, cuius aditus nōdū patebat in veteri lege, prætio nōdū soluto. Matrimonium autē fuit quidē in veteri lege, prout erat in officij naturā, nō autē prout est sacramentum cõiunctionis Christi, & Ecclesiæ, quæ nōdū erat facta. Vnde, & in veteri lege dabatur libellus repudij, quod est cõtra sacramenti rationē. Hæc S. Th. Ex quo constat, quod quatuor sacramentis nouæ legis alia correspondebat in veteri: alijs vero tribus minime. Quauis Matrimonium veteris legis aliqualem haberet rationē sacramenti, in quantum erat in medicinā carnalis concupiscentiæ, vt ex D. Th. in 4. dist. 26. q. 2. ar. 2. dictum est. Sed nō erat propriissime sacramentum: quia nō erat pœnitentis indissolubile; & ideo nec actuale signum cõiunctionis Christi, & Ecclesiæ, vt est in noua lege.

15 Demum aduertit Suarez disp. 5. sec. 2. in fine, quod postquā sacramenta antiqua conuenienter à Deo sūt instituta, nō fuerunt necessaria necessitate medijs, quia nō habebat aliquem effectum ad salutem necessariū: fuisse tamē necessaria necessitate præcepti: nō quidem omnibus hominibus; sed his tantum, qui erant de populo Israel, quibus erat Circuncisio imperata; quæ erat veluti ianua illorum sacramentorum. Vnde sacramenta vetera Iudæis erant necessaria necessitate præcepti, in lege Dei positi. Alijs vero nationibus nullo modo erant necessaria nisi ex suppositione, quod vellēt circūcidi: quia exteris nationibus dabatur factus comedendi de Agno Paschali, si vellēt circūcidi: sicut Iudith 14. Nachor circūcisi fuit: & post circūcisionem ad totā legē tenebatur, vt docet Apostolus ad Gal. 5. Viden dus etiā S. Th. 1. 2. q. 95. a. 5. docēs, quod lex vetus, quatum ad illa, quæ superaddebat legi naturali, solum obligat populum Iudæorum. Et ad 3. ait, quod Gentiles perfectius, & securius salutē cõsequerentur sub obseruatijs legis; quā sub sola lege naturali: & ideo ad eas admittebantur. Sicut etiā nūc laici trāsunt ad Clericatum, & seculares ad Religionē: quāuis absque hoc possint saluari.

DVBIUM V.

Verum post Christum debuerint esse aliqua Sacramenta?

Respondetur cum D. Thoma art. 4. con-
clusionem certam secundum fidem, ex Cō-
cilijs Florētino, & Tridentino citatis, quod
oportet quædam alia sacramenta esse in noua
lege, quibus significantur ea, quæ præces-
serunt in Christo, præter sacramenta veteris
legis. Probat ex D. Augustino lib. 19. contra
Faustum cap. 13. dicente, quod *sacramenta ve-*
teris legis sunt ablata, quia impletas; & alia sunt
instituta, virtute maiora, utilitate meliora, acti-
faciliora, numero pauciora. Rationem sic pro-
ponit. Sacramenta sunt quædam signa pro-
testantia fidem, qua homo iustificatur. Sicut
autem antiqui Patres saluati sunt per fidem
Christi iam nati, & passi. Oportet autem
alijs signis significari futura, præterita, & præ-
sentia: vt enim S. August. dicit vbi supra, ea-
dem res aliter annunciatur faciendâ, aliter fac-
ta: sicut ipsa verba, passurus, & passus, non si-
militer sonant. Et ideo oportet quædam alia
sacramenta esse in noua lege, quibus signifi-
centur ea, quæ præcesserunt in Christo, præ-
ter sacramenta veteris legis, quibus prænun-
ciabantur futura.

2 Eadem ratione vtitur S. Thomas in 4.
dist. 1. q. 1. art. 2. q. 5. Distinctione autem 2.
q. 1. art. 4. q. 1. aliam adijcit. Quia sacramen-
ta sunt medicinæ spirituales: sed non compe-
tit eadem medicina paruulo, & adulto: Cū
ergo status legis compararetur puerili ætati,
status autem temporis gratiæ ætati perfec-
tæ, vt patet ad Gal. 4. Ergo alia sacramenta
fuerunt instituenda tempore gratiæ. Item,
quia sacramenta sunt signa remedij ad quod
ordinantur. Et ideo cum in noua lege oport-
uerit esse sacramenta maioris efficaciam prop-
ter perfectionem testamenti noui; debuerunt
etiam esse alia signa, quæ expressius figura-
rent gratiam: & ideo oportuit alia sacramen-
ta institui.

3 Alias plurimas congruentias diuinæ
institutionis assignat Suarez disp. 6. sec. 1.
Sed quia illæ in genere assignant conuenien-
tiam institutionis sacramentorum: de quib.
egimus dub. 1. & latè S. Thomas lib. 4. con-
tragentes cap. 56. Vel assignant congruen-
tiam, cur debeant constare rebus, & verbis:
de quo q. 60. art. 4. Directè quæ ad hanc dubi-
tationem quarti articuli, solum attineat ex-
plicare conuenientiam specialis institutio-
nis sacramentorum nouæ legis, antiquis subla-

tis, ideo illas congruentias nūc omittimus.

4 Ex hac doctrina Catholica eliminan-
tur, & excluduntur plures errores. In primis,
vt docet D. Thomas lib. 4. cōtra gentes cap.
56. ex hoc, & ex dictis q. 60. excluditur error
quorundam hæreticorum, qui omnia huius-
modi visibilia à sacramentis Ecclesiæ volunt
esse remouenda. Nec mirum, quia ipsi opi-
nantur, omnia visibilia ex sui natura mala ef-
se, & ex malo authore producta. Isti hæreti-
ci fuerunt noui Manichæi, à quibus fuit oc-
cisus noster S. Petrus Martyr Veronensis: nā
vt refert Eymericus in Directorio Inquisito-
rum 2. p. q. 13. n. 3. *Quartus eorum error erat,*
quod omnia sacramenta Romana Ecclesiæ Domini
nostri Iesu Christi, dicunt esse inania, & vana,
& confingunt tanquam simia quædam alia loco
ipsorum, quæ quasi similia videantur. In quo au-
tem isti noui Manichæi distinguerentur à
Chataris? Disputat ibi doctissimus Franciscus
Peña commento 38. qui ex nostro Ray-
nario testatur in tres sectas Catharos fuisse
diuisos. Fuerunt autem duplices Manichæi:
alij circa annum Christi 260. de quibus re-
fert S. Augustinus hæresi 46. prope finem,
dixisse, Baptismum in aqua nihil cuiquam
salutis afferre. Alij Manichæi, qui dicuntur
Cathari, seu Potaxeni, exorti sunt in Gallia,
& circa annū 1150. eos damnauit Alexan-
der 3. in Concilio Lateranensi parte prima
cap. 27. & quia repullularunt apud Albim
urbem Galliarum Aquitanicæ, dicti sunt Albi-
genes.

5 Pariter Fratricelli, & Beginæ sacramen-
ta Ecclesiæ despiciebant, vt ait Ioannes 22.
in Extrauaganti *Sancta Romana, de Religiosis*
domibus. ¶ Demum nostro, & præcedente
sæculo non defuisse hæreticos, qui omnia sa-
cramenta sensibilia, & corporalia contem-
nerent, ex Federico Staphilo, refert Bellar-
minus lib. 1. de sacramentis cap. 1. circa
finem.

6 Istorum error fuit multo antiquior:
nam de quodam Marco Hæresiarcha, & de
eius discipulis refert S. Iræneus lib. 1. c. 18.
in medio, quod dicebant, non oportere inenar-
rabilis, & invisibilis virtutis mysterium, per vi-
sibiles, & corruptibiles perfici creaturas; & ea,
quæ mente concipi non possunt, & incorporalia,
& invisibilia, per sensibilia, & corporalia. De
Archonticis idem refert S. Epiphanius hæ-
resi 34. circa finem, & Theodoretus lib. 1.
hæret. fabularum cap. 12. & 13. Siue fuerint
quidam ex illis Aferodytis, vt vult Vazquez
in com. art. 4. n. 46. vsque 54. multa conge-
rens: quorum aliqua impugnat Bernal disp.
2. sec. 4. §. 1. Siue solis nominibus differant,

vt

vt arbitratur Bellarminus illo cap. 1. & Gra-
uina tom. 1. Catholicarum præscript. lib. 4.
folio 463. dicit vocatos Archonticos, quæ
Ascodritas, siue Ascodrupetas.

7 Ad hæreticorum fundamentum res-
pondet S. Thomas lib. 4. contragentes cap.
56. in fine dicens. Nec est incoueniens, quod
per res visibiles, & corporales spiritualis sa-
lus ministraretur; quia huiusmodi visibilia sūt
quasi quædam instrumenta Dei incarnati,
& passi: instrumentum autem non operatur
ex virtute suæ naturæ, sed ex virtute princi-
palis agentis, à quo applicatur ad operan-
dum. Sic igitur, & huiusmodi res visibiles sa-
lutem spirituales operantur, non ex pro-
prietate suæ naturæ, sed ex institutione ipsi-
us Christi, ex qua virtutem instrumentalem
consequuntur. Hanc S. Thomæ doctrinam
egregie declarat ibi Ferrara. De qua iterum
quærit. 62.

8 Sed obijciunt iterum: nam veniente
veritate, debet cessare figura. Sed gratia, &
veritas per Iesum Christum facta est, vt dicitur Io-
nis 1. Cum igitur sacramenta sint veritatis
signa, seu figura, videtur, quod post Christi
passionem sacramenta esse non debuerint.

Respondetur cum D. Thoma isto art.
4. ad 1. quod dicit S. Dionisius dicit in 5. cap.
Eccles. hierar. status nouæ legis medius est in-
ter statum veteris legis, cuius figuræ imple-
tur in noua lege, & inter statum gloriæ, in
qua omnis nude, & perfecte manifestabitur
veritas. Et ideo tunc nulla erunt sacramenta.
Nunc autem quandiu per speculum, & in
enigmate cognoscimus (vt dicitur 1. ad Co-
rint. 13.) oportet, nos per aliqua sensibilia
signa in spiritualia deuenire.

9 Hæc doctrina S. Thomæ non tantum
acceptatur ab eius discipulis, sed est Theolo-
gorum communis. Vnde Scotus in 4. dist.
1. q. 3. a. 3. ait. Ex hoc apparet, quod in statu
Patriæ nullum congruit sacramentum: quia
tunc non indiget homo sensibilibus, vt cog-
noscat intelligibilia pertinentia ad salutem
suam: neque tunc indiget exercitari ad quæ
rendum pertinentia ad salutem; quia est per-
fectè consecutus salutem. Quod colligit Ca-
brera hic art. 4. n. 5. ex illo Apocal. 21. ver.
22. & templum non vidi in ea. Dominus enim
Deus Omnipotens templum illius est, & Agnus.
Vbi enim non opus est templo, neque etiā
sacramento. Et quia cessant omnes rationes
institutionis sacramentorum, & concludit,
quod oppositum huius insinuat Origenes
hom. 14. in Lucam: sed eius sententia est er-
ror in fide. Quem errorem tribuit hæreticis
relatis, & impugnat à S. August. lib. 32. cō-

tra Faustum cap. 17. Sed ibi nihil de hoc er-
rore, vt legenti erit conspicuum. Quod refel-
litur positio eorum, qui in celo dicunt Chri-
stum Eucharistiam Beatis ministrare: con-
tra quos acriter Antonius Quintana Due-
ñas to. 2. trac. 2. sing. 1. & 2. & Theophilus
Raynaudus in Candelabro Sancto Septi lu-
stri sec. 1. cap. 6. & sec. 3. pag. 631. de quo ite-
rum q. 80. art. 2. vbi videndus D. Thomas, &
Concilium Tridentinum ses. 13. cap. 8.

10 Alij duo genera errorum, qui supra
dicta doctrinam Catholica eliminantur, re-
fert, & confutat S. Thomas lib. 4. Contragē-
tes cap. 57. dicens. Per hoc autem euitatur
Iudeorum opinio, qui credunt sacramenta
legalia, propter hoc quod à Deo sunt institu-
ta, in perpetuum esse seruanda, cum Deus
non peniteat, neque mutetur. Fit autem
absque mutatione disponentis, vel penitē-
tia, quod diuersa disponat secundum congru-
entiam temporum diuersorum: sicut pater
familias alia præcepta tradit filio paruulo,
& alia iam adulto: sic & Deus congruenter
alia sacramenta, & præcepta ante incarna-
tionem tradit ad significandum futura; alia
post incarnationem ad exhibendum præsen-
ti, & rememorandum præterita. Idem do-
cet S. Thomas isto art. 4. ad 3.

11 Concludit illo cap. 57. Magis autē
irrationabilis est Nazæorū error (de qui-
bus S. Augustinus tom. 6. lib. de hæres. num.
9.) qui sacramenta legalia simul cum Euan-
gelio dicebant esse seruanda. Quis huiusmo-
di error quasi contraria implicat: Dum
enim seruant Evangelica, sacramenta profi-
tentur incarnationem, & alia Christi myste-
ria iam esse perfecta; dum autem etiam sa-
cramenta legalia seruant, profitentur ea ef-
se futura.

12 Sed contra hanc doctrinam obijcit
Scotus in 4. dist. 3. q. 4. §. de secundo, nam post
publicationem Evangelij Actorum 21. legi-
tur de Apostolo Paulo, quod ascendit Hieru-
salem. Et de consilio Apostoli Iacobi, & alio-
rum fratrum, post quartam Synodum habi-
tam Hierosolymis purificatus secundum le-
gem ascendit templum, & obtulit pro se sacrificium.
Quamuis tolemiter iam ibi fuerit Euan-
gelium publicatum: quia ibi dixit Iacobus: *Vi-*
de quæ nulli hominum in Iudæa crediderunt,
& omnes emulatores sunt legis: Ergo itante rā-
ta publicatione Evangelij ibi, & in ipso Pau-
lo, & in Iudæis conuersis approbatur obser-
uatio legis. Et ipse Paulus ibi inter tot Chri-
stianos opus legis implerit. Ergo post publi-
cationem Evangelij possunt legalia obser-
uari.

K 2

Ref.

13. Responderat iam D. Thomas (cum D. Augustino epist. 19. ad Hieronymum, qui in opposita erat opinione) 1. 2. q. 103. ar. 4. ad 1. & in 4. dist. 1. q. 2. art. 5. q. 3. quod ante Christi passionem legalia fuerunt obseruanda ex necessitate diuinæ iustionis, & habuerunt adhuc effectum. Sed post Christi passionem antediuulgationem Euangelij obseruari poterat à Iudæis ad fidem conuersis (non spem in ipsius potentibus quasi alicuius virtutis esset, aut quasi sine eis gratia Christi non sufficeret ad salutem.) Sed ne omnino videretur lex veteris reprobanda, si statim quasi idolatria fugeretur: & ideo hoc modo erat mater Synagoga deducenda ad tumulum cum honore. Sed post diuulgationem Euangelij, non solum non sunt salutifera, sed mortifera (iuxta illud ad Galat. 5. Si circumcidimini, Christus nil vobis proderit.) Medio ergo tempore Petrus, & Paulus, & alij Apostoli legalia obseruabant, non simulatorie, sed vere. Nam tempore Apostolorum ante diuulgationem Euangelij, erant quidem mortua, quasi nullius existentia utilitatis; sed non mortifera.

14. Addit Ferrara illo c. 37. in fine. §. Sed aduertendum, quod duplex fuit publicatio Euangelij: vna imperfecta, qua scilicet, per Apostolos, & alios fuit prædicata necessitas obseruandi sacramenta nouæ legis, & præcepta Christi. Alia fuit perfecta, qua scilicet, etiam sufficientia nouæ legis absque obseruatione legalium prædicata est, & inutilitas legalium, & nocuentum ipsorum. Cum er-

go hic loquimur de publicatione Euangelij, loquimur de perfecta publicatione. Et ad Scotum dicitur, quod Paulus legalia obseruauit post imperfectam publicationem Euangelij, non autem post publicationem perfectam. Replica, quæ contra rationem D. Thomæ posset proponi, ibi soluitur à Ferrara in fine capituli: & à Caietano 1. 2. q. 103. art. 4. vbi latius de hoc puncto disputat Expositores.

15. Quod autem nostra sacramenta excedant in perfectione antiqua, expressit S. Augustinus illo cap. 13. dicens. *Et alia sunt instituta, virtute maiora, utilitate meliora, actu facilliora, numero pauciora.* In quo autem hæc perfectio consistat, explicuit S. Thomas ad 2. dicens, quod sacramenta veteris legis Apostolus ad Galat. 4. vocat *egenas, & infirma elementa*; quia gratiam non continebant, nec causabant. Et ideo vtentes illis sacramentis, dicit Apostolus *sub elementis Deo seruisse*: quia scilicet, nihil aliud erant, quam elementa huius mundi. Nostra autem sacramenta gratiam continent, & causant: & ideo non est de eis similis ratio. Quæ doctrina D. Thomæ canonizata est à Concilio Tridentino, & Florentino. Quare quod Nuño art. 4. dub. unico, & Suarez disp. 6. sec. 2. late disputant de excellentia nostrorum sacramentorum, non multam exigit discussionem, supposito vtrorumque diuerso modo causandi, de quo iam pergitur disputare.



QVAES.



QVAESTIO LXII.

DE PRINCIPALI EFFECTV

SACRAMENTORVM,
qui est gratia.

Explicata quidditate, & necessitate Sacramentorum, iam agit S. Tho. de eorum effectibus: & quid de primo, & principali, nempe gratia, agit prius, vt in q. 63. tractet de effectu minus principali, scilicet, de Charactere: Videtur autem S. Tho. disputare solum de sacramentis nouæ legis: Tum quia sola ista causant hos duos effectus, gratiam, & characterem: Tum quia titulus articuli tertij de illis solis est: siquidem inquit: *Verum sacramenta nouæ legis contineant gratiam?* Et in corpore se remittit ad doctrinam primi, & secundi articuli explicans, quod in illis loquutus fuerat de sacramentis nouæ legis: & de eisdem loquitur art. 4. & artic. 5. titulus est: *Verum sacramenta nouæ legis habeant virtutem ex passione Christi?* Verum est, quod ad complementum doctrinæ non omisit articulo 6. exponere comparatiuam: vt pateret an hæc excellentia sit propria sacramentorum nostrorum; an verò communis antiquis? Ideoque hæc expositio est Caiet. q. 60. initio. Soti in 4. dist. 1. q. 3. ar. 1. in princ. Suarez, & Vazq. & aliorum communis.

2. In priori articulo statuit necessario dicendum sacramenta nouæ legis per aliquem modum gratiam causare: non per modum causæ principalis; quia sic non potest causare gratiam nisi Deus: sed per modum causæ instrumentalis. In secundo explicat, quod gratiam sacramentalis addit supra gratiam virtutum, & donorum quoddam diuinum auxilium ad consequendum sacramenti effectum. Consequenter infert in tertio, & 4. articulo, quod in sacramento est quædam virtus instrumentalis ad inducendum sacramentalem effectum: quia gratia est in sacramento nouæ legis secundum quandam instrumentalem virtutem fluentem, & incompletam. Exponit autem articulo 5. quod eum per in-

strumentum coniunctum moueatur instrumentum separatum, sicut baculus per manum: & humanitas Christi sit Dei instrumentum coniunctum; sacramenta autem sunt sicut instrumentum separatum; ideo sacramenta Ecclesiæ specialiter habent virtutem ex passione Christi; cuius virtus nobis quodam modo copulatur per susceptionem sacramentorum. In ultimo articulo docet, quod sacramenta veteris legis non habebant in se aliquam virtutem, quæ operarentur ad conferendam gratiam iustificantem; sed solum significabant fidem per quam iustificabantur.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrum sacramenta nouæ legis causent gratiam ex opere operato?

§. I.

Est de fide, quod sacramenta gratiam causant.

Dvo sub titulo proposito in controversiam vocantur; & res ipsa; & loquendi modus: & quoad vtrumque Catholici Hæreticos habemus aduersarios. Multi hæretici antiqui, & moderni negauerunt sacramenta nostra habere efficaciam ad purganda peccata; & ad gratiam conferendam: De Massilianis refert S. Damascenus lib. de hæres. asseruisse, *baptismum hominem non perficere, nec diuina sacramenta accepta animi sordes expiare; sed solas preces, quæ ab illis recte funduntur.* Idem docuerunt Armeni: quamuis enim admitterent sacramenta esse causas iustificationis; quia tamen putabant fieri remissionem peccatorum sine gratia; ideo contendebant sacramenta non conferre gratiam. Ita summitur ex Guidone Carmelita in summa de heres. cap. 16. & 18.

2. Recentiores autem hæretici eatenus solum admittunt sacramenta iustificare, quatenus repræsentant, & ad memoriam redu-

cant obieci fidei; & sic fidei actus excitant: negant tamē vim habere conferendi gratiā. Vnde Lutherus artic. 1. ad Leonem 10. inquit. Hæretica est sētētia sacramēta nouē legis conferre gratiam illis; qui non ponunt obicem. Et Melanton in Apologia cōfessionis Augustinā, circa ar. 3. & 13. ait. *Dānamus totum populum Scholasticorum Doctores; qui docent quia sacramenta non ponentibus obicē conferunt gratiam ex opere operato; sine bono motu v̄tētis. Hæc simpliciter Iudaica est opinio; quod per ceremonias iustificamur sine bono motu cordis; hoc est, sine fide; & tamen hæc impia; & perniciosa opinio magnā auctoritate docetur in dōto regnō Pontifici.* Hæc ille; vt refert Decanus Louaniensis Ruardus Tapper art. 1. contra Lutherum pag. 20. Et quamuis verbo tenus aliqui hæretici quandoque videantur in hoc puncto cum Catholicis conuenire; tamen reuera omnes recentiores hæreticos à Catholica doctrina in hoc puncto distentire, latē ostendit Bellarminus lib. 2. de sacramentis cap. 2.

3. Contra hos omnes semper Catholica Ecclesia docuit, & docet, eue dogma fidei sacramenta nouē legis non ponentibus obicem gratiam conferre. Hæc conitans, & perpetua traditio habetur ex Concilio Nizano 1. ante canonem 8. lib. 3. circa principium in Diatypoibus sub titulo de sancto Baptismate. Et in Constantinopolitano 1. & Nizano 2. in Symbolo fidei *credimus unum Baptisma in remissionem peccatorum; quæ sunt verba D. Petri Actorum 2. vers. 38. Pœnitentiam; inquit; agite; & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum; & accipietis donum Spiritus Sancti.* Ac per consequens Baptismus gratiā confert. Idem habetur in Concilio Mileuitano cap. 2. & in Arauciano 2. cap. 25. & in Concilio Florentino in Decreto Eugenij 4. post lē. vlt. in instructione Armenorum 9. Quinto Ecclesiasticorum. Et in Concilio Constantiensi sē. 45. Martinus Quintus cū Concilio definit, quod sacerdos verē absoluit à peccatis. Tandemque idem habetur ex Concilio Tridentino sē. 7. can. 4. & 5. & can. 6. dicitur: *biquis dixerit sacramēta nouē legis nō continere gratiam; quam significant; aut gratiam ipsam non ponentibus obicem nō conferre; quasi signa tantum sint; acceptæ propter fidem gratiæ; vel iustitiæ; & notæ quædam Christianæ professionis; quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit.* Videtur expressē editus canon cōtra Lutherum, qui etiam damnatur a Leone 10. in Bulla edita contra ipsum; habetur tom. 1. folio 614. & est ordine

40. inter Bullas Leonis Decimi.

4. Desumpsit Ecclesia hanc veritatem ex Sacra Scriptura, in qua habetur verbis æquivalentibus. In primis ponderat S. Augustinus illud Ioannis 3. vers. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto; non ait, ex parentum fide, aut offerentium, vel ministrantium; sed ex aqua; & Spiritu Sancto.* Aqua igitur regenerat hominem in Christo, ex vno Adam generatum. Affert etiam illud ad Ephes. 3. vers. 26. *Mundans eam* (scilicet, Christus Ecclesiam) *lauacro aque in verbo vitæ.* Quidquid ergo, infert S. Augustinus, ab hominibus quarumcunque culparum cōtrahitur, propter ipsum lauacrum dimittitur. De quo etiam 1. Petri 3. vers. 21. dicitur. *Quod & vos nunc similis formæ saluos facit baptismus; non carnis depositio sordium; sed conscientie bonæ interrogatio in Deum per resurrectionē Iesu Christi.* Eadem autem est proportionalis ratio de Baptismi causalitate in gratiam, ac de causalitate aliorum sacramentorum.

5. De Eucharistia habemus illud Ioannis 6. vers. 57. *Qui manducat me, & ipse viuet propter me. Et qui manducat hunc panem, viuet in æternum;* & alia huiusmodi. Ex quibus Concilium Ephesinum colligit; quod in sacramento accipimus *non communem carnem; sed vere viuificatricem, qua & sanctificamur, participes Sancti corporis, & pretiosi sanguinis effecti.* Quod & indicatur 1. ad Cor. 10. nam participatio Eucharistiæ dicitur signum, & causa Ecclesiasticæ vnitatis; atque adeo Charitatis, & Gratiæ; sine qua vnitatis Ecclesiæ non constat.

6. De sacramento Ordinis, & simul de sacramento Pœnitentiæ extat illud Ioannis 20. vers. 22. & 23. *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et Mathæi 18. vers. 18. *Amen dico vobis; quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata; & in celo; & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta; & in celo.* Denique de extrema vocatione dicitur Iacobi 5. vers. 15. *Oratio fidei alleuabit infirmum; & si in peccatis sit, remittentur ei.*

7. Tertio probatur ex Sanctis Patribus; quod hoc expressē docent. Præcipue S. Cyprianus in sermone, seu lib. 2. de Baptismo Christi, & manifestatione Trinitatis; & sermone de vñctione Crismatis. S. Gregorius Nazianzenus orat. 3. in Sanctum Iudiacrum. S. Crisost. hom. 25. & 35. in Ioannem; & hom. de Resurrectione circa finem. S. Cyrillus lib. 2. in Ioannem cap. 24. & 42. Sanctus Ambrosius libro primo de sacramentis capite 5. & habetur de Consecratione distinct. 4. cap.

cap. *Per aquam.* Et lib. 4. cap. 2. & lib. 6. cap. 1. & libro de Iis, qui mysterijs initiatur, cap. 9. S. August. lib. 19. contra Faustum cap. 16. & trac. 80. in Ioannem, & refertur cap. *Detrahe.* 1. q. 1. & ser. 1. de Epiphania; & refertur cap. *Nunquam,* de Consecrat. dist. 4. nomine S. Crisost. & S. August. & S. Bedæ. Quorū omnium Patrum verba refert Cano Relec. de sacramentis 4. parte conc. 1. & alia Soto in 4. dist. 1. q. 3. art. 1. §. *Accedunt.* Et Bellarmin. cap. 6. & 7. & post eos, Suarez, & Vazquez, Nuño, & Cabrera; & alij in præsentia. Ideoque S. Dionysius de Eccles. hierar. cap. 2. sub medium, baptismum vocat *adoptionis matrem.* Quod & asserunt Tertulianus de Baptismo cap. 1. & S. Crisost. illa hom. 25. & S. Leo Papa serm. 4. de Natiu. prope medium, ait: *Omni homini renascenti aqua baptismatis instar est vteri virginis; eodem spiritu replente fontem, qui repleuit, & Virginem; vt peccatum, quod ibi euacuauerit sacra conceptio, hic soluat ablutio.* Quod & docet serm. 5. ad finem.

8. Ratio ostensua non potest alia assignari, quam voluntas Dei, & Christi, qui potuit, & voluit medijs sacramētis sensibilibus communicare fructum, & pretium nostræ salutis: quod ita fecisse; constat ex prædictis testimonijs; & ex Ecclesiæ traditione, & sensu Patrum sic ea intelligentium. Præterea, verba Sacramentorum, ab ipsa Veritate institutorum immediate, non possunt non habere veritatem: sed verba sacramentorum, vt rebus adiuncta, significat internam emundationem, & gratiæ collationem, & augmentum: vt patebit singulorum sacramentorum verba considerati. Vnde Tertulianus lib. de Resurrectione carnis ait. *Caro abluitur; vt anima emaculetur; caro ungitur, vt anima consecretur; caro manus impositione obumbratur, vt anima spiritu illuminetur; Caro corpore Christi, & sanguine vescitur, vt anima de Deo saginetur.* Ergo sacramenta verē conferunt gratiam remittentem peccata, & animam Deificantem, illuminantem, & pie afficientem. Qui alias rationes desiderat, legat Bellarminum, qui decem affert illo lib. 2. cap. 8. & tres expendit Bernal hic disp. 7. sec. 3. & sec. 4. contraria diluit argumenta: de quibus latius Cōtrouersitæ.

9. Sufficiet aliquorum solutionem ex D. Thoma insinuare. Arguunt primo. Posita causa sufficiente, nihil aliud videtur esse necessarium ad effectum. Sed passio Christi est sufficiens causa nostræ salutis: dicit enim Apostolus ad Romanos 5. vers. 10. *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mor-*

tem filij eius; multo magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius. Non ergo requiruntur sacramenta ad salutem humanā causandam.

Respondetur cum D. Thoma quæst. 61. art. 1. ad 3. quod passio Christi est iusticiens causa humanæ salutis. Nec propter hoc sequitur, quod sacramenta non sint necessaria ad humanam salutem: quia operantur in virtute passionis Christi: & passio Christi quodammodo applicatur hominibus per sacramenta: secundum illud ad Roman. 6. vers. 3. *An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu; in morte ipsius baptizati sumus?*

10. Sed instant, seu secundo obijciunt: nam fructus passionis Christi applicatur nobis per fidem in eum: iuxta illud Apost. ad Rom. 3. vers. 22. *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi.* Et ver. 25. *Quem proposuit Deus propitiatiorem per fidem in sanguine ipsius.* Ideoque in Sacra Scriptura salus nostra tribuitur fidei: iuxta illud Abachuc 2. ad Rom. 1. & ad Hebræos 10. *Iustus ex fide viuit.* Quos actus exercere valet sine sacramentis: ergo illa nō exiguntur ad causandam humanam salutē, nisi vt proteitationes fidei, in quantum illā excitant. Vnde ad Rom. 10. vers. 10. ait Apostolus. *Corde creditur ad iustitiam. ore autem confessio fit ad salutem: dicit enim Scriptura: Ista iustitia 28. vers. 16. Omnis, qui credit in illum, non confundetur.* Cum ergo non dicat Scriptura, quod ad salutem requiritur, quod in corpore suscipiantur sacramenta, illa non dant animæ salutem, nisi mediante fide, quæ sola dat salutem.

Respondetur cum D. Thoma in 4. distinctione 1. quæst. 1. art. 2. quæstionc. 1. ad 1. quod gratia, & virtutes tanant formaliter, sicut sanitas: scd sacramenta quodammodo effectiue, sicut medicina quædam. Vnde sicut nō sequitur: sanitas sanat: ergo medicinæ non sunt necessaria: ita nec hæc: gratia sanat: ergo sacramenta non sunt necessaria. S. d. magis posset contrarium concludi. Quamuis ergo verum sit, quod iustus actu viuit per fidē, quæ per Charitatē operatur: quia ista sunt exercitia formalia, & actus secundi formæ habitualiter iustificantis: tamen medicinæ, & causæ instrumentales huiusmodi salutis etiā exiguntur: & sic exiguntur sacramenta vt iustificationis instrumenta, vt declarat Concilium Trident. sē. 6. c. 7.

11. Tertio obijciunt: illud quod est proprium solius Dei, non debet alieui creaturæ attribui. Sed causare gratiam est proprium solius Dei: iuxta illud Psal. 83. *Gratia, & gloria dabit Dominus.* Cum ergo sacramēta cō-

sistant in quibusdam verbis, & rebus creatis, non videtur quod possint cauere gratiam. Vnde S. Hieron. *Matth. 4. afferens illud Math. 3. ver. 11. Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam: ait. Ex quo discimus, quod homo tantum aqua tribuat, Deus autem Spiritum Sanctum, quo sordes abluantur.* Similia docent S. Ambros. *epist. 34. ad Demetriadem.* S. Cyprian. *lib. 2. de Baptismo, & manifestatione Trinitatis.* S. Chrysost. *hom. 16. in Mathæum circa medium.*

Respondetur cum D. Thoma hic art. 1. in cor. & ad 3. quod per modum principalis agentis, nihil potest cauere gratiam, nisi Deus: quia gratia nihil est aliud, quam quædam participata similitudo diuinæ naturæ: secundum illud 2. Petri 1. Magna nobis, & pretiosa promissa donauit, ut diuinæ simus consortes naturæ. Cum quo tamen stat quod sacramenta cauere gratiam instrumentaliter: adhibentur enim ex diuina ordinatione hominibus, ad gratiam in eis causandam. Vnde S. August. *lib. 19. contra Faustum cap. 19. ait. Hæc omnia, scilicet, sacramentalia, sunt, & transeunt, virtus tamen, scilicet, Dei, quæ per ista operatur, iugiter manet.*

12 Et hoc modo Patres esse exponēdos, constat ex D. Th. 3. p. q. 78. art. 4. cum enim obiecit S. Damasc. *lib. 4. fidei cap. 14. dicentē, quod sola virtute Spiritus Sancti fit conuersio panis in corpus Christi:* respondet S. Thomas ad 1. quod non excluditur virtus instrumentalis; sicut cum dicitur, *solus sacerdos facit cultellus non excluditur virtus martelli.* De quo videatur S. Thomas q. 5. de Veritate art. 8. ad 1. Similiter cum sibi obiecit S. Thomas S. Augustinum, qui *lib. 83. questionum q. 62. distinguit duplicem Dei actionem, vnam, quæ operatur per subiectam creaturam, & aliam, quam per se ipsum immediate facit: & huiusmodi est illuminare animas.* Respondet q. 27. de Veritate art. 4. ad 9. quod illuminare animam Deo competit nulla creatura median- te, quæ ad illuminationem animæ agat sicut principale, & per se agens: *potest tamen esse ali- quod medium agens instrumentaliter, & dispositi- uum.* Hæc ibi. De quo & Quodlib. 12. art. 14. & S. Chrysost. *lib. 3. de sacerdotibus col. 4. cum dixisset sacerdotibus antiquis datum esse, non quidem, ut lepram tollerent, sed solum ut sublatam ostenderent. At vero (inquit) nostris sacerdotibus, non corporis lepram; verum ani- mæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare profusus concessum*

§. II.

Causant ex opere operato.

13 Quoad secundum Hæretici irrident modum loquendi Catholicorum ut barbarum, & contra Grammaticæ regulas: & rursus eum calumniantur fingentes nos illis vocibus significare plura, quæ nec somnia- mus. Caluinus enim *lib. 4. Institutionum cap. 14. §. 16. ait. Tantum hic queritur propria ne, & intrinseca, ut loquuntur, virtute operetur Deus, an externis symbolis resignet vires suas.* Vbi fingit Catholicos asserere Deum in sacramen- tis non operari virtute intrinseca. Cum ta- men omnes credamus ut certum secundum fidem Catholicam Deum solum esse causam principalem gratiæ: & de causa principali ait D. Thomas in art. 1. quod operatur per vir- tutem suæ formæ, cui assimilatur effectus: si- cut ignis suo calore calefacit. Secundo impo- nit Catholicis, quod asserant Deum suas vi- res resignare sacramentis. Cum autem Dei vires sint eius Omnipotentia: & hanc omnes Theologi cum D. Thoma 3. p. q. 13. dicant, etiam de potentia absoluta, non posse crea- turis communicari, & resignari; est mera ca- lumnia hoc modo doctrinam Catholicam refferre. Et Deum non agere, operante sacra- mento, contradictionem implicat: quia sine ipso factum est nihil.

14 Rursus idem Caluinus sequutus Lu- terum alium sensum Catholicis imponit, si- xit enim sensum dubij esse. *Nunc sacramenta gratiam conferant sine fide, aut bono motu cordis, vel dispositione suscipientis?* Quod inde videtur sumpsisse, quia asserimus Baptismum dare gratiam paruulis absque fidei actu, & absque propria ipsorum dispositione.

15 Sed male arguunt in materia contin- genti à particulari ad vniuersale, à sacramen- tis infantium, qui credunt, & intendunt in fide, & intentione Ecclesiæ, ut ex Patribus ex- ponit S. Thomas 3. p. q. 68. art. 9. ad sacramen- ta adultorum: qui prius debent credere, quæ baptizentur: iuxta illud Marci *ult. ver. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur:* quia fi- des est fundamentum, & initium salutis: & solo iacto fundamento, non est domus con- structa; sed sine illo non edificabitur. Non est autem eadem ratio de pueris, qui non sunt capaces motus liberi arbitrii: de quo S. Tho- mas 1. 2. q. 113. art. 3. ad 1.

16 Ad illud quod opponunt de verbi im- proprietate, Soto in 4. dist. 1. q. 3. artic. 1. §. *Quæstio presens.* Fatetur verbum esse barbarum: op-

operatum namque verius actionem, quam passionem significat, sicuti operari. Quare sacramentum exhibitum non potest subinde dici operatum. Vbi ergo latine cuilibet lo- qui libuerit, ab hoc barbarismo abstineat. Ta- met si in Scholis vanum sit Theologis adesse esse verborum affectatoribus, quo minus indul- gere nonnunquam vulgo debeant suum fan- di modum.

17 Cæterum nedum à vulgaribus, sed à nobilissimis Theologis, & de lingua latina benemeritis, & ab ipsis Patribus Concilij Tridentini verbum hoc est usurpatum; & ap- probatum: vnde non licet Catholicis de illius usu, & proprietate iam formidare. Olim Innocentius Tertius, de sacro altaris mysterio *lib. 3. cap. 5. in fine dixit. Quamuis igitur opus operans aliquando sit immundum; semper tamen opus operatum est mundum.* Et ante tempora Diui Thomæ iam erat iste modus loquendi in usu scholæ, ut ipse refert, & approbat in 4. dist. 1. q. 1. art. 5. q. 5. dicens. In sacramento est duo considerare, scilicet ipsum sacramentum; & usum sacramenti. Ipsum Sacramentum di- citur à quibusdam opus operatum: usus au- tem sacramenti est ipsa operatio: quæ à qui- busdam opus operans dicitur. Cum ergo di- citur Sacramentum, per se loquendo, gratiam conferre, vel non conferre: iustificare, vel non iustificare, referendum est ad opus operatum: Hæc S. Thomas. Qui & videndus alijs locis referendis dub. 3. §. 5. n. 69. Et Theologi om- nes. Et quod amplius est, Concilium Triden- tinum sess. 7. can. 8. canonizauit, nedum rem ipsam, sed & loquendi modum, dum dicit. *Si quis dixerit ipsa non a legis Sacramenta ex opere operato non conferre gratiam; sed solum fide di- uinae promissionis ad gratiam consequendam suffi- cere; anathema sit.* Insinuauit S. August. *lib. 4. de Baptismo cap. 24. dicens ipsum sacramentum per se ipsum multum valere.* Et S. Cyprianus *serm. de Coena Domini, docens sacramenta, quantum in se est, sine propria virtute esse non posse.*

18 Respondet præterea Bellarminus, quod etiam ad Hebræos 13. *Promeretur, acci- pitur passiuè contra regulam Grammaticæ, cum dicitur: Talibus enim hostijs promeretur Deus.* Et D. August. in Psalm. 138. ut facilius perciperetur, maluit dicere, *essum, essis, quam os, ossis:* huius rationem assignans: *Quia melius est ut nos reprehendant Grammatici, quam ut non intelligant populi.* De quo eruditissimè Graui- na tomo 2. Præscriptionum *lib. 4. Contro- uersia 10. generali q. 2. ar. 2. Sed heretici plus solent esse solliciti de Priscianismo, quam de Christianismo: plus erubescētes (ut ait S. Au- gustinus *lib. 1. Confess. cap. 18.) à seclusa af-**

piratione pronunciant: *Ominem; quam si in- terclusa respiratione eneent Hominem.*

Præterquam quod præpositio, *ex,* idem aliquando significat ac *propter;* seu *per,* aut *ex vi:* & sic accipitur in præsentibus, sicut & ad Ro- man. 3. ver. 20: *Ex operibus legis non iustifica- tur homo.*

19 Addit Bernal disp. 8. sect. 1. n. 17. quod *ly operatum* accipiatur passiuè, fieri maioris energiæ, & breuitatis causa, & magno cum exemplo latinæ hanc enim verbis quibus- dam, alijs deponentibus, in participio præte- riti significationem tribuit passiuam; ut vi- dere est in illis, *interpretatus, meditatus, conso- latus,* & nonnullis. Cur ergo non licuerit Ca- tholicis id extendere ad participium, *opera- tus,* cum tantis commodis, cum tot exemplis, cum tam illustri ratione?

20 Catholici prædictæ loquutionis sen- su non eodem modo exponunt. Natio q. 62. art. 1. diff. 1. §. *Pro explicatione;* ait, quod gratia dicitur conferri ex opere operato, quia ad id non sufficiebat secundum se opus ope- rantis, vel non sufficiebat ad tantum. Dicitur autem conferri ex opere operato, id est, ex opere, quod iam est operatum à Christo Do- mino; & receptum, & contentum in ipsis sa- cramentis: ut ipsa sacramenta tali gratiâ co- ferant omnibus, quibus sacramenta applicata; dum modo non ponant obiectionem. Idem sequitur Candi- dus *disquis. 16. art. 9. dub. 14. conc. 17. Serra art. 1. dub. 1. conc. 2. ait; Sacramenta dicuntur gratiam conferre ex opere operato, hoc est, immediatè per se ipsa, ex virtute, quam ha- bent ex passione Christi, quæ est opus opera- tum, quo operatus est saluam in medio ter- ræ. Idem tenet Pelantius, & alij.*

21 Valentia tom. 4. disp. 3. q. 3. punct. 1. §. *Primo enim;* & disp. 4. q. 5. punct. vnico exi- stimat idem esse gratiam conferri ex opere operato, ac conferri instrumentaliter phy- sicè, actione physica physice manante à Sacra- mento agente instrumentaliter supra suas na- tivas vires.

22 Vazquez disp. 131. cap. 1. nu. 10. ait, quod dicuntur sacramenta iustificare ex ope- re operato, quia non iustificat ratione me- riti operis ministri, qui sacramentum confer- unt, quia non eius virtute, & merito iustificat: sed virtute Authoris instituentis sacramentum hanc vim habet. Quo circa non dicitur opus operatum respectu recipientis sacramentum, quasi ipse illud non efficiat; sed operatum ab alio in se recipiat: sed respectu eius, qui mi- nistrat sacramentum, dicitur opus operatum, quia cauere virtute solius institutionis, & non ex merito, & dignitate sui operis.

23 Alij melius, & vniuersaliter dicunt, quod

consilium efficitur. Inter has autē causas discrimen est: nam naturales suos effectus attingunt per vim à natura inditam; vt ignis calefacit per calorem. Morales vero non attingunt actione physica effectus suos, neque influunt; neque producunt qualitates aliquas. Eodem modo distinguit de mouēte, & de virtute motoris. Et quod virtus itidem duplex est, altera qua mouens moraliter mouet: altera, qua naturaliter agens mouet naturaliter. Quæ distinctio habet locum in efficiētibus supernaturaliter: nam gratia, & virtutes à Deo causantur quasi physice: moraliter vero causantur ab oratione, & merito Christi: sicut cum orauit pro Petro ne desiceret fides eius. ¶ Vtrumque genus causæ distribuitur in principalem, & instrumentalem, vt qui daret pecuniam captiuus redimendis, causa est principalis redemptionis; moralis tamen. Pecuniæ vero, vel etiā minister destinatus ad redimendum, causæ sunt redemptionis instrumentales.

8 Igitur coc. 6. docet, quod sacramenta nouæ legis non sunt causa, vel ratio motiua salutis, & gratiæ. Quod probat quatuor rationibus. Conclusio ergo septima concludit. Nos vero, Theologica grauitate, & dignitate seruata, cum Concilio Florētino pronunciamus, nostra sacramenta, & continere gratiam, & eam suscipientibus digne conferre. Continere, inquam, non vt causa naturalis continet suum effectum; sed vt causa moralis. Crumena liquidem continere dicitur captiuus redemptionem; quoniam pecuniam continet. Et sacramenta, quæ continent sanguinem Christi, continere dicuntur gratiam, & remissionem peccatorum. Et sicut crumena pecuniam administrans redemptionem confert; ita sacramentum confert gratiam, pretium sanguinis applicans. Et hæc est illa sacramentorum virtus, quæ ad eorum ingenia toruit. Virtus enim redemptionis in marsupio est, in quo pretium redemptionis seruatur: & virtus sacramentorum sanguis Christi est, qui in sacramentis adhibetur. Hæc ibi. Idem docet Martinus Ledesma 1. p. 4. q. 3. art. 1. post 6. conc. Bartholomeus Ledesma in Summa de Sacram. d. ffic. 7.

9 Sequitur Vazquez 1. p. disp. 176. c. 2. & to. 2. in 3. p. disp. 176. per totam: sed præcipue cap. 5. n. 74. fatetur quod Cano vberius, nam vltius auctus, nobis explicauit; quo pacto sacramenta nouæ legis sint instrumenta moralia gratiæ. Subdit tamen quod eandem sententiam prius tradiderat Martinus Ledesma. Sed in rei veritate M. Cano, M. Martinum Ledesma

anteceffit: nam vt testatur Fernandez in scriptoribus Prædicatoriæ Familiæ, Martinus Ledesma obiit anno 1574. cum M. Cano iam obiisset anno 1560. & lectura de Sacramentis multis annis præceserat eius Episcopatum, & post Episcopatum abdicatōem, præfecturam Prouinciæ Hispaniæ Ordinis Prædicatorum: siquidem de Sacramentis in genere Relectio M. Cano habita fuit in Academia Salmanticensi, anno 1547. vt exemplaria edita testantur. ¶ Sed rursus Vazquez addit nu. 82. hanc naturam instrumenti moralis esse quodam genus impetrationis, non quidem innitens merito ministri; sed solo verbo promissionis Dei: constat autem impetrationem causare moraliter id quod impetrat.

10 Sequuntur Castrus Palans to. 4. tractatu 18. disp. vnica puncto 8. n. 5. Coninch, & Becanus in præfati. Lugo disp. 4. sect. 4. & 5. quamuis valde laboreta nu. 74. vsque 98. in explicanda differentia inter conditiones sine quibus non, vt fuerunt sacramenta antiqua, & causas morales, vt sunt sacramenta noua: & solum ait ista habere vim mouendi Deum, quia sunt actiones, & operationes Christi: & sunt ipsius nomine: iuxta illud 1. ad Cor. 4. Sic nos existimet homo vt ministros Christi: & ita per sacramenta nostra Christus postulat, & impetrat gratiam; quamuis non mereatur per illa: ideoque gratia, non tantum datur per sacramenta, sed etiam propter sacramenta, tanquam, propter motiuum.

11 Quod amplius declarans Bernal disp. 9. sect. 1. & 2. ait, quod sicut syngrapha obligationem continens certæ faciendæ solutionis, hanc efficit moraliter, quatenus ipsa syngrapha est quodam aggregatum ex ente physico, & morali. Idemque prestat verbum promissorium, & sententia quælibet à iudice prolata: Sic sacramenta nouæ legis gratiam produciunt moraliter, quia formaliter constant, vt parte formali, actibus Christi Domini; v. g. isto: *Volo Parer, vt ablutio, & talia verba gratiam significant, & conferant. Qui quidē actus est meritorius, vt potest elicitus à Christo adhuc viatore: ac proinde gratiæ collationem obtinet: & per consequens moraliter causat. & meretur; & impetrat voluntatem liberam Dei, quæ quoad nos non pluris æstimatur quam ipsa gratia. Postea vero disputatione 10. per quatuor sectiones probat, quod sacramenta physice non influunt in gratiam.*

12 Quod & tenent Cartagena, Kelifonus, & Abra, quos refert, & sequitur Auer-

la

la q. 62. sect. 4. Probabilioremque dicit Caspensis trac. 21. disp. 3. sect. 3. Patualigus disput. 68. sect. 3. Subiungit tamen sect. 4. coc. 1. causationem moralem sacramentorum non posse consistere in eo, quod virtute meritum Christi moueant Deum ad causandam gratiam. Et nu. 3. proponit secundam conclusionem dicens sacramenta concurrere moraliter ad causandam gratiam, quatenus ex pacto Dei habent annexam causationem gratiæ faciendam à Deo, & illam determinant, vt tali, vel tali modo fiat in ordine ad talem, vel talem finem. Quia cum sint instrumenta moralia, ratione significationis determinabunt Deum ad causandam gratiam tali, vel tali modo, iuxta mensuram propriæ significationis.

13 Nihilominus sententia affirmans nouæ legis sacramenta esse veras, & reales causas instrumentales physicas gratiæ, multo plures, & egregios habet defensores antiquos, & recentiores. Hiacinthus Choqueti lib. 2. de gratia disp. 6. c. 1. refert quinquaginta tres. Diuiduntur autem in tres dicendi modos: Quidam reputantes inconueniens instrumentum corporale eleuari ad efficiendam immediate ipsam gratiam; dixerunt illam solum producere mediate; quia immediate solum pertinebat ad producendum caracterem, vel ornatum, qui esset dispositio ad gratiam. Tribuitur Alexandro Alensi 3. p. q. 5. membro 3. art. 5. & q. 8. membro 8. art. 1. §. 1. & expressius q. 19. membro 2. Tenetque ex alijs D. Thom. in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. & quæst. 27. de Verit. art. 4. ad 3. dicit, quod *Sacramenta dicuntur esse causa gratiæ per modum instrumentorum disponentium.* Et ex antiquis Thomistis Paludanus in 4. dist. 1. q. 1. coc. 2. Capreolus q. 1. art. 1. conc. 3. Deza Hispanensis q. 3. art. 3. not. 4. & seq. Ferrara lib. 4. contragentes cap. 57. §. Considerandum secundum. Et nouissime Thomas Hurtado to. 2. Resol. Moralium trac. vlt. resol. 10. §. 9. an. 5. 14. vlt. que 525. Item ex alijs Thomas de Argentina in 2. dist. 19. q. 1. art. 3. & in 4. dist. 1. q. 1. Palacios ibi disp. 4. Reputatque probabile Richardus in 4. dist. 1. ar. 4. q. 2. in fine.

14 Secundus dicendi modus est asserentium sacramenta esse physica instrumenta Dei immediate efficientia hominem esse Deo gratum: quia licet non producat ipsam qualitatē gratiæ; eo quod creatur, & nulla creatura etiam potest instrumentum creationis; produciunt tamen vnionem gratiæ cum anima; sicut homo dicitur generare hominem, efficiendo vnionem: quamuis anima à solo Deo creetur. Ita Soto in 4. dist. 1. q. 3. artic. 1. §.

est ergo tertia opinio: & probabile iudicat Martinus Ledesma 1. p. 4. q. 3. ar. 1.

15 Communis modus hanc sententiam defendendi asserit sacramenta esse causas instrumentales physicas immediate gratiæ. Ita S. Thomas ar. 1. & 4. vt ponderant, & sequuntur Galetanus, artic. 1. Nuño diff. 7. dicens *communem inter Thomistas.* Petrus Ledesma de sacramentis in genere cap. 4. in fine. Ioannes à Cruce q. 2. dub. 3. Araujo art. 1. dub. 1. Serra dub. 2. Item Neapoli, Heruicus, Syluester, & Söcinus, Viguierius, Bañez, Ripa, Nazarius, Alvarez, Medina, Conradus, Petrus de Soto: & Ioannes Vincentius; quos refert Choquetius vbi supra. Petrus Soto de Sacramentis lect. 9. Cabrera art. 1. disp. 3. per 15. §. 9. dicens *Theologorum communem.* Vereque est apud alios receptissima. Tenent enim Ruardus art. 3. Vega lib. 7. in Conc. Trident. cap. 10. & seq. Sayrus lib. 5. de sacram. cap. 3. Bonacina disp. 1. q. 4. punct. 6. nu. 3. Pelanrius, Binsfeldius, Marchin, Canedo, & Torrelanca, quos refert, & sequitur Leander to. 1. tract. 1. disp. 3. q. 8. Christophorus à S. Ioseph to. 1. receptarum opinionum, de sacramentis dub. 8. Trullench in praxi sacram. lib. 1. cap. 3. dub. 5. n. 3. Ex Patribus Societatis Valentia tom. 4. disp. 3. q. 3. punct. 1. Belarminus lib. 2. de sacramentis in genere cap. 11. Henriquez lib. 1. cap. 16. Suarez disp. 8. & 9. sect. 2. & to. 1. in 3. p. disp. 31. Reginaldus lib. 26. nu. 47. Ioannes Martinez Ripalda lib. 2. de ente supernaturali disp. 39. sect. 3. nu. 13. Granada tract. 3. de sacramentis disput. 3. & 4. Maratus disp. 4. sect. 1. Antonius Escobar, & Mendoza lib. 8. Theol. Moralit. sect. 2. cap. 11. Problemate 28. nu. 163. & 164. Albertinus, Costerus, Canisius, Rubius, Fonseca, & Conimbricenses, quos refert Choquetius vbi supra; & alij. Quæ autem virtute hæc physica instrumenta eleuentur, non eodem modo declarant: de quo infra dub. 4.

16 Nunc aduertendum, duobus modis defendi hanc opinionem. Quidam namque sic docent sacramenta esse causas instrumentales physicas: quod simul defendunt esse causas morales. Ita Henriquez lib. 1. cap. 16. n. 3. & 4. Philipus à Trinitate disp. 5. dub. 1. & 2. Cabrera disp. 3. §. 9. dicens, quod est *omnium Theologorum consensus*: tamen suo hoc nomine causæ, vel instrumenti moralis, forsitam M. Cano fuerit primus huius doctrinæ author. Excipit tamen tres Authores postea referendos. Idem docet Serra dub. 2. conc. 2. Araujo dub. 1. coc. vlt. Ruys dub. 3. conc. 2. & 3. Meratus disp. 4. sect. 1. Bonacina, Trullench,

lench, & alij iam relati. Thomas Hurtado in Præcurfore Theologo controu. 9. de causa morali gratiæ membro 2. §. 1. & 2. dicens id debere esse indubitatum. Pro se citat Suarez, qui oppositum docet: & in merito vult face- re Choquetium vnicum Authorem oppo- sitæ. Sed & Bernal disp. 9. sect. 2. dicit *certissimi* sacramenta conferre moraliter gratiã, siue conferant physicè, siue non. Imò Lugo disp. 4. sect. 4. n. 33. ait. Suppono secundo, ne- que etiam esse quætionem, an sacramenta sint causæ morales gratiæ? *Omnes enim debent fateri ea de facto habere eiusmodi causalitatem moralem, siue solam, siue simul cum causatione physi- ca.* Nam causa moralis est, quæ mouet agens physicum ad volendam operari: sacramen- ta autem posita mouent proculdubio Deum, vt velit producere gratiam: siue ipse solus, siue simul cum ipso sacramento: nam sunt cõ- ditiones, sub quibus Deus promissit gratiã; debitor autem, qui sub conditione promi- sit, mouetur ab ipsa conditione posita ad vo- lendum dare, quod promissit. Sunt item ac- tiones, & operationes Christi per suos mini- stros, quibus repræsentat Deo sua merita, vt obtineat gratiam pro hominibus; quæ pro- culdubio habent maximam vim ad mouen- dum Deum. Habent ergo totum, quod re- quiritur ad causandum moraliter gratiã, & alios effectus. Quæstio itaque non est, an sint causæ morales gratiæ; sed an causent solum moraliter, vel simul etiam physicè suos effe- ctus? Hæc ibi.

17 Per oppositum alij sic docent sacra- menta esse instrumenta physica, quod ne- gant se habere ad modum causarum mora- lium. Ita Soto illa q. 3. art. 1. §. *Hoc argumē- tum est:* quia nec D. Thomas, aut vllus Sanctorum Patrum talem vquam similitudinem agnouit. Sequuntur Nuño diff. 7. Ioannes à Cruce illo dub. 3. Et ex professo M. Hiacinth. Cho- quetius lib. 2. de Gratia disp. 9. toto cap. 3. Valentia, & Suarez vbi supra, & Alanus de sacramentis in genere cap. 34. & alij multi re- centiores, vt fatetur Bernal n. 2. Et videtur cõ- munis antiquorum, quia nullus vsque ad M. Cano, explicuit causalitatem sacramento- rum per causalitatem moralem.

§. II.

Antiquorum quorundam sententiã in veri- tate non saluant sacramenta verè causare gra- tiam.

18 **D**ico primo, insufficienter explica- tur causalitas sacramentorum no-

uæ legis per specialem existentiam Dei in il- lis; aut vocando ea causas peraccidens, aut conditiones sine quibus non, aut dispositio- nes proximas ad gratiam: nec solum asseren- do quod ex institutione, & pactiõne diui- na, diuina virtus infallibiliter gratiam ope- ratur in non ponentibus obiectionem sacramen- to. Hæc conclusio est contra quatuor primos modos defendendi primam sententiã. Et in genere contra omnes demonstratur ratio- ne D. Thomæ art. 1. quia iuxta Sacra Scri- pturam, Concilia, & Patres adductos, & addu- cendos, oportet confiteri nouæ legis sacra- menta non solum significare, quod gratia in- fallibiliter à Deo confertur in eorum præse- tia; sed quod per ipsa sacramenta confertur, & causatur verè, & propriè, & realiter absq; vlla metaphora, & improprietate. Sed iux- ta illos dicendi modos negantes omnè verã causalitatem physicam, & moralem, hoc sin- cere non verificatur: cum tamen Conciliũ Tridentinum sess. 7. can. 8. condistinguat sig- nificationem à continentia instrumentalis causæ, & vtramque sacramentis tribuat. Er- go quid plus est tribuendum sacramentis no- uæ legis, vt eorum explicetur causalitas. Vnde Cabrera disp. 3. §. 6. ait. Ad eò est certum sacramenta nouæ legis verè, & propriè, & per se esse causas instrumentales gratiæ, siue causalitate physica, siue morali, vt oppositum sine nota erroris, aut temeritatis affirmari nõ pos- sit. Sic dicit communiter Theologicum Caietano hic. Quod cum late probasset subiungit n. 42. Hanc conclusionem crediderim nullum Theologum re ipsa negasse; tamen si multũ verbis illam negare vili sint. Quod ex profes- so expendit verbis eorum ponderatis.

19 Sigillatim sententiã Henrici vix- sare intelligi, nedum explicari posse, dicit Vaz- quez cap. 1. nu. 11. & 12. Impugnaturq; ra- tione D. Tho. q. 27. de Veritate art. 4. in sex- ta ratione sed contra, dicentis. Aut assistit di- uina virtus, quæ est ipse Deus, alio modo in sacramentis post institutionem, quam an- te, aut non? Si non alio modo, non habe- bunt effectum post institutionem aliũ, quã ante. Si vero alio modo, cum non dicatur nouo modo esse in creatura, nisi per hoc, quod nouum effectum in ea facit (quia ipse est immutabilis) oportebit quod aliquid de nouo sit superadditum ipsis sacramentis. Si vero aliquid additur, iam non est sola assistẽ- tia extincta, sed aliquid intrinsecum. Quod cum non frustra addatur, erit effecti- uum alicuius: quod prius efficere non pore- rat: sed non nisi gratia: cum ad hoc sint sa- cramenta instituta. Ergo sacramenta sunt ef- fecti-

fectiua gratiæ instrumentaliter. Quod est dicere; Deus immutabilis, & immetus, ex parte sui eodem modo est præsens omnib; rebus, nisi ratione noui effectus in tempore faciat, quod creaturæ diuersimodè ha- beant ad eum. Vnde si post institutionẽ sa- cramentorum verificatur Deum specialiter esse in aqua, & in prolatione verborũ, vel est ratione pacti, & institutionis: & hoc non transcendit rationem signi, vt postea dice- tur. Vel hæc specialis Dei existentia noua erit ratione virtutis ibi existentis physicè, vel moraliter: quod est intentum.

20 Sententiã Durandi impugnat S. Thomas in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. nam eam re- tulerat, dicens. Quidam enim dicunt, quod non sunt causæ quãsi facientes aliquid in a- nima: sed causa sine quibus non. Quod post- quam explicuit, id impugnat, subiiciens. Sed hoc non videtur sufficere ad saluandum dic- ta Sanctorum. Causa enim sine qua non, si nihil omnino faciat ad inducendum effectũ, vel disponendo, vel meliorando quantũ ad rationem causandi, nihil habebit supra cau- las peraccidens (sicut album est causa do- mus, si edificator sit albus) & secundũ hoc sacramenta essent causæ peraccidens tantum sanctificationis. Illa enim ordinatio, quã di- cunt, siue pactio nihil dat eis de ratione cau- sæ; sed solum de ratione signi: sicut etiam de paruo plumbeus est solum signum indicans quid debet accipere. Quod autem est perac- cidens omittitur ab arte; nec ponitur in dif- finitione: vnde in diffinitione sacramenti non poneretur causalitas prædicta: nec San- cti multum curassent de ea dicere. Nec ite- rum sacramenta nouæ legis, quæ differunt à sacramentis veteris legis secundum ordina- tionem prædictam, differrent ab eis secundũ rationem causæ: sed solum quantum ad mo- dum signandi, in quantum hæc significat gra- tiam vt statim dandam: illa vero non. Hæc S. Thomas mire, vt astitet, omnia clare cõ- plectens, & efficaciter probans.

21 Pariter probat Cano 4. parte Rel. conc. 4. quod sacramenta non sint causæ per- accidens, siue sine quibus non. Tum, quia si- ne sacramento gratia sæpè producitur. Tũ, quia non laueret aqua maculas animæ; sicut nec albedo infrigidat, cum nix infrigidat, eo quod album illius effectus peraccidens cau- sa est. Neque id Concilia diffinirent, sacra- menta esse causæ peraccidens: quod præter- artem, & diffinitionem est. Tum, quia verè non essent aliũ signa: omnia enim signa cer- ta effectus cuiusque talia sunt, sine quibus ef- fectus non sequitur. Tum, quia sacramentũ

Circumcisionis ad eandem normam gratiæ causa fuisset. Tum denique, quoniam testi- monia Conciliorum, & Patrum supra dub. 1. relata, sanè interpretari non queunt, si sa- cramenta solum esse causas peraccidens asse- ramus. Huc itaque ibi.

22 Quod explicatur: nam causa perac- cidens, & sine qua non reuera non habent plus causalitatis, quã signum ad cuius præ- sentiam infallibiliter datur gratia ex promi- sione diuina. Quia si Deus promissit, quod audito tali signo, ipse daret gratiam, signũ esset sola conditio; & diuina virtus infalli- liter se sola operaretur totum effectum; cuius effectiõnem signum externum significa- ret, & manifestaret. Quod & non ampliũ, tri- buit Durandus nostris sacramentis: Sed o- portet fateri sacramenta nouæ legis, non so- lum significare, sed & verè efficere, & causa- re instrumentaliter gratiam. Ergo non suffi- cit dicere esse causas peraccidens, aut causas sine quibus non.

23 Contra sententiã Scoti arguit Ca- no conc. 3. Tum argumento D. Tho: quo- niam alias sacramentum solum esset signum certum, non causa. Cum tamen ostensum sit, sacramenta nouæ legis esse non solum sig- na, sed causas. Deinde, quia nihil plus Sa- cramentis Christi tribuit hæc opinio, quã sacramentis maleficorum: quia adhibent ip- si quædam verba: sed Deum operatur ad- hibitis signis. Præterea, quoniam iuxta hanc quidem expositionem, dicta Sanctorũ, aut Conciliorum, aut Sacra etiam Scripturæ, non saluantur: vt facillè videre licet, si loca ipsa conferamus. Postremo, quoniam ad eũ- dem sensum, Circumcisio gratiam conferret; eiusque esset causa; non aliter ac nouæ legis sacramenta. Quod postea ostendemus esse falsissimum. Hæc ille.

24 Præterea in assertis Scoti plura sunt difficilia. In primis, quia negat dari instru- menta naturalia, quæ efficiant instrumenta liter. Quod quã sic alienũ à Philosophiã, benè ostendunt Capreolus ad 6. Scoti contra quartam, Caietanus, & Soto vbi supra, & nos late 2. p. Metaphysicè controu. 1. p. ar. 3. Deinde nos nolumus attribuire sacramentis aliud genus causalitatis, quã habet Serra ad sciendum, & calamus ad scribendum. Si autem hoc admittatur, & adhuc negetur ta- cramenta habere actiuitatem physicã, quia illa nulli conuenit instrumentum naturæ, aut artis; erit concordia in puncto Theologico, de quo disputamus, & diuersitas in sola quæ- stione Metaphysicæ.

25 Si denique cum affirmat sacramen- ta

citur. Baptismus autem est instrumentum, quo Deus lauat animam: ad Ephel. 5. vers. 26. *Ut illam sanctificaret, mudans in uacuo aqua in uerbo uisæ.* Et confirmatur: nam aqua lauens corpus non est causa motiua, sed uere efficiens instrumentalis. At aqua baptisimi cor abluat. ¶ Item sacramentum Eucharistia cibis est animæ: ergo non solum est causa motiua, esset enim ridiculum cibum corporalem esse causam motiuam augmenti, &c. Cum igitur sacramenta non sint gratiæ causa finalis, aut materialis, nos colligimus esse causas efficientes. Quo uero modo efficiant, id est, quod querimus. Id profecto hæc opinio non explicat. Hæc Cano.

32 Idem possumus probare primo, quia nec in Philosophia, nec in Theologia causa instrumentalis coincidit cum causa motiua; quia causa instrumentalis est subdiuisionis causæ efficiens membrum; at uero causa motiua est causa finalis: & ideo sunt sub generibus non subalternatim positæ. Sed negari nequit sacramenta nouæ legis esse causas instrumentales: id namque asserit S. Thom. art. 1. & probat ex D. August. lib. 19. contra Faustum cap. 19. dicente: *Hæc omnia, scilicet, sacramentalia, sunt, & transeunt: uirtus tamen, scilicet Dei, iuxta per ista operatur, uigiter manet.* Hoc autem dicitur instrumentum, per quod aliquis operatur. Unde & ad Titum 3. dicitur: *Saluos nos, sicut per lauacrum regenerationis.* Et in Concilio Tridentino Sess. 6. c. 7. numerando iustificationis causas dicitur. *Instrumentalis uero sacramentum Baptismus.* Et Concilio Moguntino capit. 11. habetur. *Docent Pastores septem esse sacramenta diuinitus instituta, per quæ uelut apud instrumenta, atque remedia, sue gratiæ munera nobis impartitur Deus.* Cum ergo sacramenta nouæ legis propriè sint instrumenta conferendæ gratiæ, non nisi improprie dicuntur causæ motiue.

33 Secundo, distincto modo concurrunt merita ad gloriam, & charitas ad remissionem peccatorum, ac concurrant sacramenta ad collationem gratiæ: quia illa influunt ex sua bonitate, & supernaturalitate: hæc uero ex eleuatione, & ex opere operato. Sed Deus dat gloriam ut coronam propter merita ut propter motiuum dandi: & etiam remittit peccata propter contritionem: iuxta illud Luca 7. vers. 47. *Remittit uis peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ergo cum diuerso modo concurrant sacramenta, non debet uincari, quod concurrant ut motiuum.

Tertio, diuerso modo causatur gratia

cum sit à solo Deo, homine se disponente per auxilia gratiæ, & ex opere operantis, ac causetur cum per sacramenta gratia conferatur, & datur ex opere operato: alioquin nil Deus contulisset nostris sacramentis, quod non esset collatum antiquis. Nec uerba haberent practicam efficiëntiã, sed solùm proferrentur deprecatiuè, ut Deum mouerent, & ab eo impetrarent, quod causaret. Sed cum homo cooperatur suæ iustificationi, opera sunt quodammodo motiuum iustificationis: eo sensu, quo Apostolus ad Romanos. 2. vers. 13. ait. *Sed factores legis iustificabuntur.* Ergo sacramenta, nec mouent meritorie, nec dispositiuè, nec se habent motiue; sed potius instrumentaliter. Confirmatur ex Pasquallino num. 30. quia sacerdos exercet actum iudicalem per potestatem sibi traditam remittendi peccata, ut habetur in Tridentino sess. 14. capit. 1. & can. 3. Ergo eo modo absoluit, quo absoluit Iudex. Hic autem absoluit, non quia moueat aliquem ad absoluentem, sed quia ab ipso prouenit absolutio. Instrumenta item agunt ut mota, & non ut mouentia causam principalem. Ergo sacramenta causant ut mota à Deo, non autem ut ipsum mouentia.

34 Restat iam probanda secunda pars minoris, uidelicet, quod sacramenta non causent moraliter, eo modo quo causat causa libera, & in primis id probat M. Soto illo §. *Hoc argumentum*, dicens. Quod autem id faciunt ad modum causarum moralium, minime rei connotat. Neque uero Diuus Thomas, aut ullus Sanctorum Patrum talem unquam similitudinem agnouit. Causa namque moralis non est instrumentum illius, qui mouetur ad principalem effectum; sed alterius, qui mouet ipsum. Preces enim, aut precium, aut consilium, uel metus, quibus Petrus mouet Paulum ad aliquod beneficium conferendum, aut ad aliquid operandum, non sunt instrumenta Pauli, quibus beneficium conferat: quia nec sunt eius effectus: sed sunt instrumenta Petri. In sacramentis uero contrarium accidit: non enim Deum mouent ad conferendam, cōcreandamque gratiam, quasi prius natura mouentia, quam ipse: sed sunt instrumenta eius instituta, motaque ab ipso, quibus gratiam facit hominem, concreando illam qualitatem, quæ est gratia. Sicut enim ignis per calorem operatur, & artifex per instrumenta, sic Deus per sacramenta, dando illis uirtutem agendi, operatur gratiam. Ait quippe Diuus Thomas articulo quinto, gratiam à Deo deriuari in ho-

mines

mines per humanitatem Christi tanquam per instrumentum coniunctum, & per sacramenta tanquam per instrumenta separata. Hæc ibi.

35 Specialiter ad hoc intentum probandum urget ratio Sancti Thomæ: nam motio moralis est per actum animæ liberum: at uero causalitas sacramentorum fit per usum exteriorum rerum: ergo causalitas sacramentorum non est moralis, sed physica. Quod sic explicatur. In Christo Domino sacramenta instituentem, & illis utente, & consideramus actionem, qua sacramenta instituebat, uel instituto sacramento utebatur, & consideramus sacramentum ab ipso institutum: quod nos in eius memoriam facere præcepit. Vtrumque nobis profuit ad salutem: actiones quidem Christi ut meritorie, & impetratorie, & satisfactorie: quia ut ait D. To. art. 5. per suam passionem instituit ritum Christianæ religionis, offerens se ipsum, oblationem, & hostiam Deo, ut dicitur ad Ephel. 5. Sacramentum uero non profuit ut meritorium, sed ut effectus meriti, & ut medicina, quam suo merito salutariter esse impetrauit. Ergo quamuis præsupponitur ad causalitatem sacramentorum antecedat causalitas moralis, quia hæc fuit causa impetratæ, & obtinens institutionem, & dans ualorem sacramento instituto, tamen formaliter, & intrinsece, causalitas sacramenti est per modum medicinæ externæ, cuius uirtus causatiua non est moralis, sed physica.

36 Rursus hæc est differentia inter sacramenta, & opera meritoria, quod in illis artetur bonitas subiecti, & supernaturalitas actionis conducentis in uitam æternam: at uero in sacramentis materia, & forma non causant ratione bonitatis, uel supernaturalitatis intrinsece, sed solum ratione significationis, & ratione qualitatis, uel uirtutis superuenientis: aqua enim, & ablutio, & uerba nullatenus sunt proportionata, ut causent nec physice, nec moraliter gratiam: & ideo causant instrumentaliter per eleuationem ad aliquid extra propriam spheram. Et ideo quamuis opus ministrantis ex operante sit peccatum mortale, ex opere operato sacramentum est salutariter: ergo improprie causali tas sacramentorum comparatur causæ impetratorie, aut meritorie, & propriissime solum est causa instrumentalis.

37 Præterea Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. omnino conuincit causam meritoriam nostre iustificationis, (quam dicit fuisse Dominum Iesum, qui sua passione iustificationem meruit, & pro nobis Deo Pa-

tri satisfecit sua dilectione, & passione) & causa instrumentali, quam dicit esse baptismum: eademque ratione in suo genere reliqua sacramenta: ergo non connotat Concilio id quod asserit Vazquez, & qui eum sequuntur, quod hæc causalitas consistit in impetratione, uel in merito Christi Deum mouente. Nisi confundant causam merentem, & impetrantem ut institueretur, cum ipso sacramento, & instrumento instituto.

38 Neque exemplum M. Cano de crumena continente præcium redemptionis, aptum est ad intentum, quia ut notat Serra dub. 2. in 1. probatione primæ conclus. folio 62. crumena nullam causalitatem, nec moralem, habet in redemptionem: & redemptionis præcium in crumena non continetur moraliter, nec virtualiter, sed physice, & actualiter est ibi ut in loco continente. Qualiter nec merita Christi, nec gratia continentur in sacramentis. Unde rectè S. Bonauentura in 4. dist. 1. art. 1. q. 3. ait. *Non aliquo modo dicitur, quod gratia contineatur in ipsis sacramentis tanquam aqua in uase, uel medicina in pixide.* Ac per consequens nec sicut pecunia in crumena. De quo latissime S. Tho. q. 27. de Veritate toto art. 7. & in 4. dist. 2. art. 4. q. 4. & hac 3. p. q. 62. toto art. 3. sed præcipue ad 1. ait, *quod gratia non dicitur esse in sacramento sicut in subiecto, neque sicut in uase, prout uas est locus quidam: sed prout uas dicitur instrumentum alicuius operis faciendi: secundum quod dicitur Exeg. 9. Vnusquisque uas in perfectione habet in manus sua.*

39 Nec aptiora sunt exempla recentiorum de syngrapha, aut de chirographo: si enim S. Tho. art. 1. & q. 27. de Veritate art. 4. & 4. dist. 1. q. 1. artic. 4. q. 1. & art. 5. q. 1. & Quæst. 12. art. 14. reijcit exemplum de denario plumbeo, quod asserens ex Regis ordinatione accipit centum libras: & exemplum de inuestitura Canonici per librum; ea motus ratione: *Quia si quis rectè consideret, iste motus non transcendit rationem signi. Nam denarius plumbeus non est nisi quoddam signum in regio ordinationis de hoc quod pecunia recipitur ab ipso. Similiter liber est quoddam signum, quod designatur traditio canonicatus. Secundum hoc igitur sacramenta nouæ legis nihil plus essent, quam signa gratiæ. Cum tamen ex multis Sanctorum auctoritatibus habeatur, quod sacramenta nouæ legis non solum significat, sed causant gratiam.*

Sed ratio hæc æquè procedit de syngrapha, & de chirographo: siquidem in rei ueritate solum sunt signa contractus celebrati, & obligationis inde consergentis: idè quod apud Theologos, & Philosophos morales

non sunt verè causæ Morales.

40 Quod si apud vulgares causæ dicantur, quia chirographum apud Latinos, dicitur instrumentum, id solum debent Theologi admittere in latiori, & minus stricta acceptione causæ moralis. Quod sufficit ad verificandam secundam partem conclusionis solam: cum qua compatitur veritas primæ partis, quod non sunt sacramenta causæ morales gratiæ propriè, & in rigore loquendo. Vnde ipse Vazquez cap. 5. n. 89. docet, *Chirographum appellari instrumentum communi quadam ratione, eo quod creditor instructus illo sit aduersus vim, aut fraudem debitoris; vel quia illo utitur ad recuperandum debitum: nam & plura alia instrumenta dicuntur, quæ verè instrumenta non sunt, eo sensu, quo nunc de ipsis disputamus.* Et num. 91. adijcit. *Præterea chirographum, aut plumbeus denarius solum sunt signa pecuniæ debitæ.* Et genus instrumenti, si quod habent, solum illis conuenit ratione signi, eo quod dum in memoriam referunt debitum, illud quodammodo exigere, atque obtinere videantur. Neque vero ipsa mouent per se debitorem, vt solbat, sed excitant memoriam eius, quod mouere ipsum debet, neque promissi, & debiti, &c. Quamuis ergo verum sit, quod sacramenta se habeat vt syngrapha, vel vt chirographum, non sequitur quod sint causæ morales instrumentales propriè, & in rigore; sed solum minus propriè, & in latiori significatione.

41 Sed obiicit Cabrera disp. 3. §. 9. n. 55. ad probandum sacramenta esse instrumenta moralia Christi, tanquam causæ principalis moralis. Primo, sacramenta sunt actiones quædam Christi, haud secus ac exhibitio elemosinæ facta à seruo propter imperium domini in genere moris est actus ipsius domini: sed omnis actus Christi est infiniti valoris, & præcij: ergo sacramenta nouæ legis, cum sint infiniti valoris, & præcij, erunt saltem causa gratiæ per modum præcij. Secundo, Christus in quantum redemptor fuit moralis causa principalis salutis nostræ: etenim operatus est nostram salutem per modum meriti, & satisfactionis. Qui modus operandi competit Christo, vt homini tanquam causæ principali: sed sacramenta sunt instrumenta Christi, quatenus fuit redemptor nostræ: ergo sunt instrumenta Christi moralia. Consequentia patet, quia causa moralis principalis utitur moralibus instrumentis.

Tertio, Christus in quantum homo habuit potentiam excellentiæ ad instituenda sacramenta. Sed in quantum homo nequit instituere sacramenta vt essent instrumenta

physica gratiæ; quia hoc solum pertinebat ad Christum prout est causa principalis ipsius gratiæ: quæ causa solus Deus est. Ergo Christus instituit sacramenta in ratione morali instrumentorum.

42 Quarto arguit à nu. 57. vsque ad 60. ad probandum, quod sacramenta sunt instrumenta moralia Dei iustificantis nos. Quia Deus, vt Deus, non solum operatur nostram iustitiam, vt causa physica principalis: sed etiam per modum causæ moralis; nos enim iustificat libere: & præcipit, & exhortat: & eius voluntate prouenit institutio sacramentorum, & eorum vltus, & applicatio: ergo sacramenta sunt instrumenta moralia ipsius Dei. Possunt autem creaturæ esse causæ physicae, & morales eorum, quæ à solo Deo principaliter fiunt. Sicut docet S. August. lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 8. Sanctos impetrando, & efficiendo facere miracula. Et D. Gregorius lib. 2. Dialogorum cap. 30. expresse affirmat Sanctos, & impetratione (quod pertinet ad genus causæ moralis) & potestate (quod pertinet ad genus causæ physicae) miracula aliquando facere: vt explicat D. Tho. de Potentia quæst. 6. artic. 4.

43 Ad primum (ac subinde virtualiter ad reliqua) responderat Soto §. 4. quarto ad idem, ita scribens. Fateor equidem quatenus meritorie Christus per passionem nobis fuit gratiæ causa, similitudinem habuisse nostrorum moralium meritorum: attamen sacramenta fluxerunt inde etiam quatenus fuit causa efficiens. Item ministros sacramentorum nihil moralis similitudinis habere fateor cum ministris principum, quibus facultatem conferunt negotium aliquod transigendi. Sed tamen vt q. seq. de caractere videbimus, virtute characteris sacerdotalis alii quid aliud habent. Hæc ibi. Iuxta hoc ergo dici potest, hæc argumenta probare secundam partem conclusionis, & non opponi primæ. Aliæ solutiones videri possunt in Choquentio illo cap. 3.

44 Sed explicantius, consequenter ad dicta respondemus fatendo libenter Deum esse causam principalem physicam, & moralem per authoritatem operantis nostram salutem per sacramenta: & Christum vt hominem habuisse potestatem principalem excellentiæ, & ideo non solum vt instrumentum coniunctum physicum, sed vt agens principale meritorium in eis applicat fructum suæ passionis.

Quod plane docet Sanctus Thomas 3. p. quæst. 64. artic. 3. & lib. 4. contragentes cap. 74. & in 4. dist. 5. q. 2. 2. Ac proinde sacramen-

mentorum ministri sunt instrumenta physica, & moralia separata: iuxta illud Apostoli 1. ad Corint. 4. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores misteriorum Dei: ideoque actiones ministrorum sunt moraliter actiones Dei, & Christi. Quo sensu Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 2. agens de sacrificio Missæ, inquit. Vna enim, eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuisa.* De quo Sanctus Thomas quæst. 64. & 82. Sicut ergo oblatio Christi in Cruce fuit causa meritoria nostræ salutis, vt docuerat idem Concilium Sess. 6. capit. 7. Ita sacrificium Missæ moraliter est eius applicatio facta à Christo sacerdotum ministerio. Vnde bene aduertit Henriquez num. 3. in comm. lit. 1. quod Concilium Tridentinum Sess. 7. aliter loquitur de sacramentis, ac loquitur de sacrificio, de quo sess. 22. capit. 2. dicit impetrare contritionem, & quod offertur licite pro impio. Baptismus autem (ac per consequens alia sacramenta) solum vocatur causa instrumentalis. Nec Baptismus habet in se meritum vt dicatur causa moralis. Sacerdos autem sacrificans, & sacramentorum ministri causæ morales sunt, & dicuntur.

Ex quo solum infertur, quod remote, & antecedenter ipsa sacramenta, & in sua causa dicantur causare moraliter, quia causæ sacramentorum causant moraliter: non vero habetur, quod sacramenta ipsa in se sint causæ morales: constat enim, quod causa moralis potest uti, & applicare causam physicam ad operandum.

45 Id quod exponere possumus retorquendo exemplum quo in hoc ipso puncto utitur Lugo disput. 4. lect. 5. num. 96. dicens. Possunt sacramenta dici instrumenta Christi, à quo accipiunt authoritatem, & vim mouendi, & cuius actiones sententur. Possunt etiam dici instrumenta respectu Dei: nam Deus ipse est primus mouens, qui mouit humanitatem Christi ad hoc, vt his ministris, & his actionibus communicaret suam authoritatem. Quare sicut in genere physico globus plumbeus proiectus à sclopo, dicitur operari non solum vt instrumentum ignis, à quo accepit illum imperium; sed etiam vt instrumentum militis, qui primus applicuit ignem, vt communicaret globo illam virtutem. Sic etiam sacramentum operatur, non solum vt instrumentum Christi, à quo accepit illam vim, & authoritatem: sed multo magis vt instrumentum Dei, qui applicuit, & mouit Christum, vt communicaret sacra-

mento illam vim, & authoritatem, quam habet. Hæc ibi. Sicut ergo dux exercitus, & miles sunt causæ physicae, & morales per imperium morale, & applicationem physicam proiecientes globum plumbeum; & tamen globus proiectus à sclopo, & sclopus sunt causæ solum instrumentales physicae, quia licet moraliter applicatæ, non sunt capaces nisi influxus physici. Ita & sacramenta: de quibus ait Diuus Thomas relatus num. 29. quod *continuatio, quæ est per sacramenta, sit per usum exteriorum rerum.* Et quæst. 27. de Veritate artic. 4. in fine cor. ait. *Et sic humanitas Christi est instrumentalis causa iustificationis: quæ quidem causa nobis applicatur spiritualiter per fidem, & corporaliter per sacramenta.*

Vnde quamuis in Christi actionibus sit infinitus valor, in sacramentis est virtus instrumentalis finita. Quamuis in Eucharistia contineatur realiter ipse Christus: sed motio ab ipso deriuata acta causans finita est, vt suo loco dicitur.

46 Vnde in forma ad primum argumentum negatur maior, quia sacramenta non sunt formaliter Christi actiones; sed sunt terminus, vel effectus, vel præmium actionum Christi. Ad secundum, concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam. Ad probationem nego quod causa moralis semper utatur moralibus instrumentis: imò sæpius utitur instrumentis physicis: sicut homo agens moraliter utitur ente, terra, calamo, & igne, & alijs huiusmodi, quæ physice agunt. Quamuis ergo Christus utatur ministris vt agentibus moraliter; tamen etiam utitur externa aqua, & externis sacramentis vt instrumentis physicis, habentibus physicam virtutem à Deo communicatam vt à causa principali, & ab humanitate Christi vt ab instrumento coniuncto Diuinitatis.

47 Ad tertium negatur minor, quia vt dicit Sanctus Thomas hac quæst. 62. artic. 5. *per instrumentum coniunctum mouetur instrumentum separatum.* Vnde cum humanitas sit diuinitatis instrumentum coniunctum, vt ibi subdit: & humanitas Christi sit causa instrumentalis physica nostræ gratiæ, vt docet Sanctus Thomas 3. part. quæst. 8. artic. 1. ad 1. & quæst. 48. artic. 6. Ideo vim habet ad causandam physicè gratiam medijs instrumentis separatis: vt exponetur quæst. 64. vbi est proprius locus de hoc puncto disputandi.

48 Ad quartum fatemur Deum, & Christum in sacramentis operari non solum physicè, sed etiam moraliter. Negamus ta-

men sacramenta ipsa agere, seu causare moraliter, quia virtus eorum non est ex actibus animæ, & ex opere operantis, sed ex opere operato, & secundum viam exteriorum rerum. Unde non mouent Deum, ut orationes deprecatorie impetrantes ut agat, sed mouentur à Deo principaliter agente: ac per consequens quamuis ipse agat physicè, & moraliter, sacramenta, strictè loquendo, solum agunt physicè: quamuis in ipsis interueniat causalitas moralis latè sumpta pro significatione infallibili: & antecedit ut eorum causa moralis propriè sumpta, quæ non est sacramentum, sed causa ut sit sacramentum.

49 Sed instabis: nam oratio mouet moraliter, & ut sic causat. Sed forma Extremæ vniuersionis est oratio fidei, ut dicitur Iacobi 3. ergo mouet, & causat moraliter. Item, actus poenitentiae, & contritionis mouet moraliter ut peccata dimittantur: sed actus poenitentiae sunt partes sacramenti Poenitentiae, ut docet Concilium Tridentinum sessione 4. c. 3. & remissio culpæ est effectus poenitentiae, secundum quod est virtus, ut docet S. Thomas 3. p. q. 66. art. 6. Ergo sacramenta causant moraliter. Simileque argumentum posset fieri de matrimonio: nam consensus vnius per verba expressus est causa moralis, ut alter consentiat, & amborum consensus causant moralem obligationem.

Arguit præterea Thomas Hurtado. Primo, quia de fide est sacramenta causare gratiam ex opere operato. Et non est de fide, quod sint instrumenta physica, cum multi id negent: ergo sunt instrumenta moralia. ¶ Secundo, quia sacrificium Missæ est propitiatorium, & impetratorium, quatenus est representatiuum sacrificij crucienti, ut diffinit Trid. sess. 22. c. 2. & can. 3. Impetratio autem, & propitiatio ad genus causæ moralis attinet, ut omnibus est certum. Ergo etiam sacramentum causat moraliter: Tertio, quia Concilium Trident. sess. 14. cap. 5. docet, quod in sacramento Poenitentiae sacerdotes sunt Christi vicarij, & iudices poenitentium: sed vicarius est instrumentum morale proprietarij: & iudex est causa moralis vitæ, & mortis iudicati. Ergo certum est sacramentum Poenitentiae esse instrumentum morale remissionis peccatorum.

Denique, quia non repugnat, quod sacramenta sint instrumenta moralia simul, & physica: & hoc pertinet ad ipsorum excellentiam: ergo de facto sunt talia.

50 Respondetur, quod oratio, & poenitentia in quantum sunt actus virtutis, & consensus humanus in quantum pars contrac-

tus, sine dubio mouent moraliter: sed ut sic non efficiunt sacramentaliter, sed se tenent præsuppositiue ex parte materiæ, quæ eleuatur, & accipit virtutem physicam instrumentalem ad causandum. Unde illa oratio prolata à non sacerdote, vel ab eo extra sacramentum, non habet vim causandi ex opere operato. Similiter attritio sine sacramento non remittit culpam: & adhuc cum est pars sacramenti efficientia principaliter attribuitur sacramento, ut docet S. Tho. illo art. 6. Pariterque humanus contractus sine eleuatione physica non causaret instrumentaliter gratiam. Unde patet, quod motio moralis se habet præsuppositiue ad causalitatem sacramentorum nouæ legis: de qua modo inquirimus.

Idcirco apertissime Sanctus Thomas tercia parte quaestione 84. articulo tertio, & quarto ait, quod *Apostolis non est data potestas, ut ipsi sanarent infirmos, sed ut ad eorum orationem infirmi sanarentur. Est autem eis collata potestas operandi instrumentaliter, siue ministerialiter in sacramentis. Et ideo magis possunt in formis sacramentalibus exprimere actum suum, quam in sanationibus infirmitatum. In quibus tamen non semper modo deprecatiuo utebantur, sed quandoque modo indicatiuo, & imperatiuo: sicut Actorum 3. legitur, quod Petrus dixit Claudio: Quod habeo, hoc tibi do: in nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. Igitur quamuis oratio impetret, & operetur moraliter: non sequitur, quod causalitas sacramentorum sit solum moralis, vel physica, & moralis: sed essentialiter est solum instrumentalis physica. Et sic patet solutio ad auctoritates, quæ obijciuntur num. 42.*

51 Per quæ soluantur argumenta Thomæ Hurtado. Primum sic instatur pro nobis. De fide est sacramenta causare gratiam ex opere operato. Sed non est de fide causare moraliter: quia ante Mag. Cano erat id inauditum, & modo à multis negatur. Ergo sacramenta causant instrumentaliter physicè. Veritas tamen est, quod est de fide, quod causant vno, vel altero modo: modum autem fides non determinat: nec nos asserimus ut de fide causalitatem physicam, sicut nec ipsi, si rectè sapiant, dicent esse de fide causalitatem moralem.

Ad secundum iam concessimus num. 44. sacrificium, ut sacrificium, causare moraliter, quia ut sic Deum placat, & mouet: sed ut sacramentum formaliter solum causat physicè, quia ut sic nutrit ut instrumentum Verbi, quod medijs speciebus physicè gratiam causat.

Ad

Ad tertium concedimus sacerdotes, & Episcopos absoluentes moraliter agere ut Christi ministros: & pariter iudicare, si sit iudicium fori externi, erit actio moralis. Cæterum quia diffinit Tridentinum sess. 14. cap. 6. in fine, & can. 9. quod absolutio sacramentalis non est nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi remissa esse peccata continentis: Sed reuera est ad instar actus iudicialis, quo ab ipso velut à iudice sententia pronuntiatur: quæ cum effectu gratiam efficit ideo est sententia effectiua physicè, & non causatiua moraliter: quod habet sententia eiusdem Episcopi, quæ do est in foro externo litigantium: quia tunc legat, & soluit pure moraliter. Et maior excellentia est soluere physicè. Et sic patet ad quartam.

52 Sed instat Bernal disp. 9. sec. 2. num. 9. nam quod sacramenta causent moraliter, exigit eorum dignitas: quia causalitas moralis multo præstantior est, quam physica: nam illa in solam causam rationalem, & sanctam cadere potest; hæc vero in rem irrationalē, & in animam, & malam: Imò in ipsam peccati entitatem. Ergo dato physico sacramentorum influxu in gratiã, negari nequit moralis.

Secundo, quia sacramenta nouæ legis essentialiter includunt sacramentali formam, quæ est ipsorum institutio: ad proinde actus voluntatis Christi infinite Deo placet, meritorius, satisfactorius infinite: & applicatos sacramento institutione, & promissione infallibili. ¶ Et tertio, quia si sacramenta gratiam producerent physicè, prius illam producerent moraliter: quia merita Christi in sacramentis Deum mouent ad gratiam dandam: eamque vere impetrant, & merentur.

53 De priori argumento latissime egerrat Cabrera quaest. 62. artic. 1. tota disputatione quarta, probans, quod causare gratiam physicè, est longe præstantior modus, quam eam causare meritorie, etiam si causet ex rigore iustitiæ. Quia primus modus causandi est formaliter in Deo; & secundus solum emittenter. Et quia causa physica magis per se causat: moralis vero, ut cum effectu causet, indiget causa physica. Argumentum contrarium retorquet num. 7. Nam vniõ hypostatica Verbi diuini communicari potest omnibus creaturis, ut ostendimus 3. par. quaest. 4. artic. 1. Vniõ autem per gratiam creatam, & per beatitudinem potest tantum communicari dignissimis creaturis, Angelis, scilicet, & hominibus. Et tamen vniõ hypostatica est excellentior simpliciter loquē-

do vniõne per gratiam creatam, & per visionem beatificam. Ergo non bene valet: causalitas moralis soli creaturæ rationali communicari valet: ergo est præstantior. Subdit vero num. 8. communicari posse cunctis creaturis modum causandi gratiam moraliter, & instrumentaliter: quia possunt creaturæ assumi à causa moralis, ut instrumenta moralia, & physica.

54 Sed iuxta dicta facile respondetur, quod instrumenta causæ moralis possunt esse physica: aqua autem, & panis, & alia huiusmodi non sunt capacia moralitatis, quia intrinsece hoc est solius voluntatis. Adhuc autem actus nostri, qui capaces sunt moralitatis, non habent vim causandi ex opere operato formaliter ex sua, moralitate; sed ratione motionis, vel qualitatis physica à Deo eis collatæ.

Præterquamquod iam diximus numer. 27. quod moralis dignitas sacramentis nouæ legis tribuitur: sed negatur eis moralis causalitas, quia res corporea non est incapax dignitatis moralis propter significationem, & assistentiam Dei: est autem incapax moralis causalitatis strictè sumptæ.

55 Ad secundum iam abstulimus æquiuocationem q. 60. ostendentes, quod instituentis actus non est ipsa significatio: sed est causa extrinseca efficiens significationem, in qua fundatur virtus causatiua, quæ à Deo coafertur in viũ sacramenti. ¶ Id quod in tertio argumento sine probatione assumitur, iam multis est improbatum à num. 30. vlt. que 34.

§. III.

Sacramenta nouæ legis instrumentaliter physicè causare gratiam, ex Patribus probatur.

56 Dico tertio, ut verificentur in rigore Patrum loquutiones, oportet asserere, nouæ legis sacramenta causare gratiam instrumentaliter physicè. Hoc fuit potissimum fundamentum Diui Thomæ quoties de hac quaestione mentionem fecit. Unde in hoc articulo primo ait. *Cum tamen ex multis Sactorum auctoritatibus habeatur, quod sacramenta nouæ legis, non solum significant, sed causant gratiam.* Et quaestione 78. articulo 4. relata opposita sententia, ait, quod *et dicitur Sanctorum repugnat, & derogat dignitati sacramentorum nouæ legis.* Auctoritates erudite retulerunt Capreolus in 4. dist. 1. q. 1. ad 9.

& ad 19. contra tertiam fol. 24. Soto q. 3. ar. 1. §. *Accedit*. Suarez disp. 9. sec. 2. & disp. 7. sec. 1. & post eos alij. Solum referemus, quæ clarius videntur intento fauere.

37 In primis sunt verba S. Augustini, extract. 80. in Ioan. quæ retulit S. Thom. art. 1. & 4. *Quæ est tanta virtus aqua, ut corpus tangat, & cor abluat? Quod & asserit in tract. 3. in Ioan. & epist. 23. & lib. 19. contra Faustū cap. 19. & lib. 4. de Baptismo cap. 22. ait. Nemo debet contemnere sacramentum, quod ministrorum opere corporaliter exhibetur: nā per hoc Deus hominis consecrationem spiritualiter operatur. Subsumit autem S. Tho. in art. 1. hoc autem proprie dicitur instrumentum, per quod aliquis operatur: vnde & ad Titum 3. dicitur. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Et art. 4. ad 3. affert S. Tho. verba S. Augustini in serm. de Epiph. dicentis. *Nec mirum, quod aquam, hoc est substantiam corporalem, ad purificandam animam dicimus peruenire: peruenit plane, & penetrat conscientiam uniuersa latibula: quæ uis enim ipsa sit subtilis, & tenuis, benedictione tamē Christi facta subtilior, occultas uitæ causas ad secreta mentis subtiliore rore pertransit.**

38 Deinde S. Syluester Papa, ut refert Nizephorus lib. 7. hist. cap. 33. cum Imperatorem Constantinum baptizauit, sic eum fuit alloquutus. *Hæc aqua, Imperator, diuina uirtute per inuocationem uisite Trinitatis conceptas, sicut exterius corpus hominis abluat, ita etiam interius animam mundat, & splendidiorem radijs solaribus efficit.*

S. Gregorius Nissenus in libro de Baptismo comparat uirtutem aquæ baptismi uirtuti seminis, quæ absque dubio est uirtus physica: uerba eius sunt. *Se quis mihi dubitandus, & ambigendo negotium exhibeat, interrogas: quia ratione aqua regeneret? Dicit optimo iure ad eum: Ostemte mihi modum naturæ, quæ sit secundum carnem. Dices fortassis, semen causa effectrix hominis est. Audi igitur contra à nobis, quod aqua, quæ benedicitur, purgat, & illuminat hominem. Sicut ergo semen concurrit effectiue instrumentaliter physice ad hominis generationem, ita & aqua baptismi.*

S. Chrysost. hom. 23. in Ioan. ait. *Quod enim est matrix embryonis, hoc & fidei aqua. Et infra. Animas rationales, & spirituales aqua producit. Et hom. 31. futurum erat Baptisma plenum maxima potestate, & gratie, purgatum peccatis pro mortuis uiuū effecturum. Quibus plane denotat causam physicam.* S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioan. cap. 4. 2. ait. *Quemadmodum uirtus ignis intensius aqua calefacta, non aliter urit, quam ipse ignis: sic Spiritus sancti operatione aqua, quæ baptizati corpus as-*

pergitur, reformatur ad diuinam uirtutem, & potentiam. Ergo sicut aqua calefacta est instrumentum ignis ad calefaciendum, & uere efficienter id præstat: ita aqua Baptismi ut mota à Spiritu Sancto cuius est instrumentum, est causa gratiæ.

39 Similia docet S. Cyprianus serm. de unctione Crismatis dicens. *In sacramentis diuina uirtus operatur, adest ueritas signorum, & Spiritus Sacramento, ut & ipsis uerum efficiens, gratia dignitas pateat. Et lib. 2. epist. 2. & in sermone de Cena Domini, loquendo de Eucharistia ait. *Panis est esca propter nutrimentum congruentiam, sanguis propter uiuificationis efficientiam.* S. Ambrosius lib. 1. de sacramentis cap. 1. dicit. *Tibi reseruatum est, ut aqua te generet ad gratiam, sicut illa generauit uitam: sicut ergo aqua concurrit physice ad dandam uitam animalibus, quæ in ea, & ex ea generantur, ita & in baptismo.* Loquendo de uerbis consecrationis, lib. 4. cap. 4. ait. *Si tanta uis est in sermonibus Domini Iesu, ut inciperent esse, quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut sint, quæ erant, & in aliud commutentur. Arguit à paritate de potentia Dei physica creati di ex nihilo, ad potentiam transubstantiationem, & pariter sacramenta sunt instrumenta physica separata. Ad idem sunt uerba S. Dionysij in fine Ecclesiasticæ hierar. quæ ad intentum ponderat S. Thom. in 4. dist. 7. q. 1. ar. 3. q. 1. ad 2.**

60 Sed opponit Cano in Relect. de Sacramentis quarta parte Intro S. Hieronymum in c. 4. Isaia (non c. 40. ut mendose legitur apud Suarez, ex quo transtulit Bernal disp. 10. n. 18. Cum tamen num. 2. arguat omissionem Authorem suæ sententiæ, a quibus ait, se ueremeter dissentire, quod eam auctoritate Patrum non asserunt: & quod præstantiorum testimoniorum fuerunt obliui. Sed reuera solū obijcit, quæ attulerat Cano, & quæ sibi opposuerat Suarez, & nobis obijcit Lugo disp. 4. nu. 56. qui est nouissimus Author à Bernal relatus. Vnde nec agnosco in alijs omissionem, nec obliuionem, quam exprobat: nec uideo diligentiam eius, de qua gloriatur) adducens illud Matthæi 3. *Ego baptizo uos aqua, & c. Ex quo, inquit, discimus, quod homo tantum uis quam tribuat: Deus autem Spiritum Sanctum, quo & sordes abluuntur, & sanguinis peccata purgantur. Et super cap. 16. Matthæi comparas sacerdotes nouæ legis sacerdotibus ueteris, sub-*

subijcit. *Quomodo ibi sacerdos mundum, uel immundum facit: sic & hic alligat, uel soluit Episcopus, aut Presbyter. At sacerdos uetus non erat causa leprosum efficienter emundans: ergo neque sacerdos legis nouæ.*

61 Item S. Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 26. ait. *Nullus discipulorum Christi datur Spiritum Sanctum, orabant quippe ut ueniret in eos, quibus manus imponebant. Et lib. 3. qq. in q. 62. asserit quædam Deum facere per se ipsum, ut illuminare animas: S. Ambrosius lib. 10. Epist. 84. ad Demetriadem. *Aliud est, quod inuisibiliter agitur, aliud quod uisibiliter celebratur. Nec idem est in sacramentis forma, quod uirtus: Nam forma cum humani ministerij adhibetur obsequio: uirtus autem per diuini operis præstat effectum. Ad cuius uirtutem potentiam referendum est, quod dum homo exterior abluatur, mutatur interior. Eadem sententiam apertioribus etiam uerbis expressit S. Cyprianus, uel qui est author sermonis de baptismo Christi, & manifestatione Trinitatis.**

S. Basillus lib. de Spiritu Sancto cap. 5. ait. *Qui nobis uitam dispensat Dominus, Baptismatis pactum nobis statuit: mortis quidem imaginem complectens aqua, spiritu uero uitæ arrhā præbente. Et infra. *Aqua mortis exhibet imaginem, spiritus uero uim uiuificandi immitit. Quorum uerborum sensus est, quod aquæ competit uis representandi mortem peccati: iuxta illud ad Rom. 6. uer. 4. *Consepulsi enim sumus cum illo per baptismum in mortem. Diuino autem spiritui conueniat actio immitendi uitæ gratiæ: Quod & docent S. Damascenus lib. 4. fidei cap. 10. ante medium. Et S. Chrysost. hom. 13. in Math. sub medium.***

62 Respondetur has omnes, & similes auctoritates exponendas sicut quædam earum exposuit S. Thomas, qui sibi eas obiecit: & q. 27. de Verit. art. 4. ad 8. ait, quod illuminare animam Deo competit nulla creatura mediante, quæ ad illuminationem animæ agat sicut principale, & per se agens. Potest tamen esse aliquod medium agens instrumentaliter, & dispositiue. Quibus exponit uerba S. August. ex lib. 83. qq. in q. 62. post medium. Deinde fol. ad 19. exponit uerba eiusdem ex lib. 15. de Trinitate 26. ait namque ad 19. dicendum, quod Spiritus Sanctus non dat nisi ab eo, qui causat gratiā sicut principale agens, quod solus Dei est: & ideo solus Deus Spiritum Sanctum dat.

63 Similem expositionem adhibet S. Thomas uerbis S. Damasceni ex lib. 4. cap. 14. ut uideti potest hac 3. p. q. 78. ar. 4. ad 1. ut iam retulimus hic dub. 1. & in 4. distinctione 2. quaest. 2. art. 3. ad 1. & ipse S. Tho-

mas q. 3. de Veritate art. 8. ad 1. ait, quod diuino exclusiua non excludit ab operatione instrumentum, sed aliud principale agens: ut si dicatur: *Hic faber cultellum facit*: non excluditur operatio inartelli, sed alterius fabri. Ita etiam quod dicitur, quod Deus per se mundum gubernat (iuxta illud S. Greg. lib. 34. Moral. cap. 28. ante medium: *Mundum quippe per se metipsum regit, quem per se ipsum factus est, uel condidit*) non excludit operationem inferiorum causarum, quibus quasi instrumentis Deus agit: sed excluditur regimen alterius principaliter agentis. Hæc S. Thomas.

Præterea, si auctoritates conuincerent, probarent sacramenta nouæ legis non conferre gratiam ex opere operato, nec physice, nec moraliter, ut conitabit auctoritates ponderanti: consequens tamen est hæreticum, & contra omnes Catholicos: ergo non est cur auctoritates istæ ut peculiare contra sententiam D. Thomæ obijciantur.

64 Respondet deinde Suarez sect. 2. ad 1. Sanctos Patres non negare efficientiam sacramentorum, quam eisdem, uel alijs locis ipsimet docent: sed significare solum Deum, & Spiritum Sanctum esse principalem gratiæ auctorem, a quo uirtus sacramentorum manat: & ideo distinguunt quid sit in sacramentis ex se, seu ex propria uirtute ministrorum; quid uero ex dono, seu motione Spiritus Sancti. Ponderat sigillatim uerba Sancti Augustini relata ex lib. 4. de Baptismo, & S. Ambr. epist. 84. & quod S. Basillus illo cap. 13. se explicat dicens: *Quod si quæ est gratia in aqua, non est ex ipsius aquæ natura, sed ex Spiritu presentia: & ad hunc modum sunt exponenda reliqua testimonia. Quia causalitati instrumentalis uirtus tota est a causa principali, & in huius comparatione toleret instrumentum non fieri mentio, ut in simili docet sanctus Bernardus lib. 3. de Consideratione Engerium non longè a principio: Multa dicit ad hanc solutionem impugnandam Bernal disp. 10. a num. 14. usque 24. & a nu. 59. usque 64. Sed quod speciali indigeat impugnatione, aut quod per se non conuincatur, fere nihil inuenio. Et ideo omittenda censeo.*

65 Obijcit deinde Cano in fine concl. 6. & Vazquez cap. 5. n. 78. nam omnia, quæ de sacramentis nouæ legis alterantur, eadē & de sanguine Christi in lacris litteris affirmantur 1. Ioan. 1. uer. 7. *Et sanguis Iesu Christi, filius eius, nempe Deum, emundat nos ab omni peccato: Apocal. 1. uer. 5. *Qui diluit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Et cap. 12. uer. 11. *Et ipsi uiderunt eum propter sanguinem**

& ad 19. contra tertiam fol. 24. Soto q. 3. ar. 1. §. *Accedit*. Suarez disp. 9. sec. 2. & disp. 7. sec. 1. & post eos alij. Solum referemus, quæ clarius videntur intento fauere.

57 In primis sunt verba S. Augustini, extract. 80. in Ioan. quæ reuertit S. Thom. art. 1. & 2. *Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat? Quod & asserit in tract. 3. in Ioan. & epist. 23. & lib. 19. contra Faultū cap. 19. & lib. 4. de Baptismo cap. 22. ait. Nemo debet contemnere sacramentum, quod ministrorum opere corporaliter exhibetur: nā per hoc Deus hominis consecrationem spiritualiter operatur. Sublimiter autem S. Tho. in art. 1. hoc autem proprie dicitur instrumentum, per quod aliquis operatur: vnde & ad Titum 3. dicitur. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Et art. 4. ad 3. asserit S. Tho. verba S. Augustini in serm. de Epiph. dicentis. *Nec mirum, quod aquam, hoc est substantiam corporalem, ad purificandam animam dicimus peruenire: peruenit plane, & penetrat conscientiam uniuersa latibula: quæ uis enim ipsa sit subtilis, & tenuis, benedictione tamē Christi facta subtilior, occultas uitæ causas ad secreta mentis subtiliore rore pertransit.**

58 Deinde S. Syluester Papa, vt refert Nizephorus lib. 7. hist. cap. 33. cum Imperatorem Constantinum baptizauit, sic eum fuit alloquutus: *Hæc aqua, Imperator, diuina uirtute per inuocationem uniuscuiusque Trinitatis concepit, sicut exterius corpus hominis abluat, ita etiam interius animam mundat, & splendidiorem radijs solaribus efficit.*

S. Gregorius Nissenus in libro de Baptismo comparat uirtutem aquæ baptismi uirtuti seminis, quæ absque dubio est uirtus physica: uerba eius sunt: *Se quis mihi dubitandum, & ambigendo negotium exhibeat, interrogas, quæ ratio est aquæ regeneret? Dicit optimo iure ad eum: *Ostende mihi modum uirtutis, quæ fit secundum carnem: Dices fortassis, semen causa effectrix hominis est. Audi igitur contra à nobis, quod aqua, quæ benedicitur, purgat, & illuminat hominem. Sicut ergo semen concurrit effectrix instrumentalis physice ad hominis generationem, ita & aqua baptismi:**

S. Chrysost. hom. 23. in Ioan. ait. *Quod enim est matrix embryonis, hoc & fidei aqua. Et infra. *Animas rationales & spirituales aqua producit. Et hom. 31. futurum erat Baptisma plenam maximam potestatis, & gratie, purgatum peccata, pro mortuo uiuificatum. Quibus plane denotat causam physicam: & S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioan. cap. 4. ait. *Quemadmodum uirtus ignis intensius aqua calefacta, nun aliter urit, quam ipse ignis: sic Spiritus sancti operatione aqua, quæ baptizari corpus as-***

pergitur, reformatur ad diuinam uirtutem, & potentiam. Ergo sicut aqua calefacta est instrumentum ignis ad calefaciendum, & vere efficienter id præstat: ita aqua Baptismi ut mota à Spiritu Sancto cuius est instrumentum, est causa gratiæ.

59 Similia docet S. Cyprianus serm. de unctione Crismatis dicens. *In sacramentis diuina uirtus operatur, adest uirtus signorum, & Spiritus Sacramento, ut & ipsi uerum efficientiis, gratia dignitas pateat. Et lib. 2. epist. 2. & in sermone de Cena Domini, loquendo de Eucharistia ait. *Panis est esca propter nutrimentum congruentiam, sanguis propter uiuificationis efficientiam.* S. Ambrosius lib. 1. de sacramentis cap. 1. dicit. *Tibi reseruatum est, ut aqua te generet ad gratiam, sicut illa generauit uitam: sicut ergo aqua concurrit physice ad dandam uitam animalibus, quæ in ea, & ex ea generantur, ita & in baptismo.* Loquendo de uerbis consecrationis, lib. 4. cap. 4. ait. *Sit tanta uis est in sermonibus Domini Iesu, ut inciperent esse, quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut sint, quæ erant, & in aliud commutentur. Arguit à paritate de potentia Dei physica creati di ex nihilo, ad potentiam transubstantiationem, ad uirtutem in aliam: cum hoc discrimine, quod creatio fuit sine medio instrumento, at uero consecratio perficitur uerbis Domini Iesu: ergo humanitas assumpta est instrumentum physicum ad efficiendam transubstantiationem: & pariter sacramenta sunt instrumenta physica separata. Ad idem sunt uerba S. Dionysij in fine Ecclesiasticæ hierat. quæ ad intentum ponderat S. Thom. in 4. dist. 7. q. 1. ar. 3. q. 1. ad 2.**

60 Sed opponit Cano in Relect. de Sacramentis quarta parte initio S. Hieronymum in c. 4. Isaia (non c. 40. ut mendose legitur apud Suarez, ex quo transtulit Bernal disp. 10. n. 18. Cum tamen num. 2. arguat omissionem Authorum suæ sententiæ, a quibus ait, se ueremeter dissentire, quod eam auctoritate Patrum non asserunt: & quod præstantiorum testimoniorum fuerunt obliui. Sed reuera solū obijcit, quæ attulerat Cano, & quæ sibi opposuerat Suarez, & nobis obijcit Lugo disp. 4. nu. 56. qui est nouissimus Author à Bernal relatus. Vnde nec agoisco in alijs omissionem, nec obliuionem, quam exprobat: nec uideo diligentiam eius, de qua gloriatur) adducens illud Matthæi 3. *Ego baptizo uos aqua, & c. Ex quo, inquit, discimus, quod homo tantum aquam tribuat: Deus autem Spiritum Sanctum, quo & sordes abluuntur, & sanguinis peccata purgantur. Et super cap. 16. Matthæi comparas sacerdotem nouæ legis sacerdotibus ueteris, sub-*

subijcit. *Quomodo ibi sacerdos mundum, vel immundum facit: sic & hic alligat, vel soluit Episcopus, aut Presbyter. At sacerdos uetus non erat causa leprosum efficienter emundans: ergo neque sacerdos legis nouæ:*

61 Item S. Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 26. ait. *Nullus discipulorum Christi datur Spiritum Sanctum, orabant quippe ut ueniret in eos, quibus manus imponebant. Et lib. 3. qq. in q. 62. asserit quædam Deum facere per se ipsum, ut illuminare animas: S. Ambrosius lib. 10. Epist. 84. ad Demetriadem: *Aliud est, quod inuisibiliter agitur, aliud quod uisibiliter celebratur. Nec idem est in sacramentis forma, quod uirtus: Nam forma cum humani ministerij adhibetur obsequio: uirtus autem per diuini operis præstat effectum. Ad cuius uirtutem referendum est, quod dum homo exterior abluatur, mutatur interior. Eadem sententiam apertioribus etiam uerbis expressit S. Cyprianus, uel qui est author sermonis de baptismo Christi, & manifestatione Trinitatis.**

S. Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 5. ait. *Qui nobis uitam dispensat Dominus, baptismi pactum nobis statuit: mortis quidem imaginem complectens aqua, spiritu uero uitæ arrhā præbente. Et infra. *Aqua mortis exhibet imaginem, spiritus uero uim uiuificandi immittit. Quorum uerborum sensus est, quod aquæ competit uis representandi mortem peccati: iuxta illud ad Rom. 6. uer. 4. *Consepulsi enim sumus cum illo per baptismum in mortem. Diuino autem spiritui conueniat actio immittendi uitæ gratiæ: Quod & docent S. Damascenus lib. 4. fidei cap. 10. ante medium. Et S. Chrysost. hom. 13. in Math. sub medium.***

62 Respondetur hæc omnes, & similes auctoritates exponendas sicut quidam earum exposuit S. Thomas, qui sibi eas obiecit: & q. 27. de Verit. art. 4. ad 5. ait, quod illuminare auctoritate Deo competit nulla creatura mediante, quæ ad illuminationem animæ agat sicut principale, & per se agens. Potest tamen esse aliquod medium agens instrumentaliter, & dispositiue. Quibus exponit uerba S. Augustini ex lib. 83. qq. in q. 62. post medium. Deinde fol. ad 19. exponit uerba eiusdem ex lib. 15. de Trinitate 26. ait namque ad 19. dicendum, quod Spiritus Sanctus non datur nisi ab eo, qui causat gratiā sicut principale agens, quod solus Dei est: & ideo solus Deus Spiritum Sanctum dat:

63 Similem expositionem adhibet S. Thomas uerbis S. Damasceni ex lib. 4. cap. 14. ut uideri potest hæc 3. p. q. 78. ar. 4. ad 1. ut iam retulimus hic dub. 1. & in 4. distinctione 2. quaest. 2. art. 3. ad 1. & ipse S. Tho-

mas q. 3. de Veritate art. 8. ad 1. ait, quod diuino exclusiua non excludit ab operatione instrumentum, sed aliud principale agens: uel si dicatur: *Hic faber cultellum facit: non excluditur operatio inartelli, sed alterius fabri.* Ita etiam quod dicitur, quod Deus per se mundum gubernat (iuxta illud S. Greg. lib. 34. Moral. cap. 28. ante medium: *Mundum quippe per se metipsum regit, quem per se ipsum factus est, uel condidit*) non excludit operationem inferiorum causarum, quibus quasi instrumentis Deus agit: sed excluditur regimen alterius principaliter agentis: Hæc S. Thomas.

Præterea, si auctoritates conuincerent, probarent sacramenta nouæ legis non conferre gratiam ex opere operato, nec physice, nec moraliter, ut conuincit auctoritates ponderanti: consequens tamen est hæreticum, & contra omnes Catholicos: ergo non est cur auctoritates istæ ut peculiare contra sententiam D. Thomæ obijciantur!

64 Respondet deinde Suarez sect. 2. ad 1. Sanctos Patres non negare efficientiam sacramentorum, quam eisdem, uel alijs locis ipsimet docent: sed significare solum Deum, & Spiritum Sanctum esse principalem gratiæ auctorem, a quo uirtus sacramentorum manat: & ideo distinguunt quid sit in sacramentis ex se, seu ex propria uirtute ministrorum; quid uero ex dono, seu motione Spiritus sancti. Ponderat sigillatim uerba Sancti Augustini relata ex lib. 4. de Baptismo, & S. Ambr. epist. 84. & quod S. Basilius illo cap. 15. se explicat dicens: *Quod si quæ est gratia in aqua, non est ex ipsius aquæ natura, sed ex Spiritus presentia: & ad hunc modum sunt exponenda reliqua testimonia. Quia causalitati instrumentalis uirtus tota est a causa principali, & in huius comparatione toleret instrumentum non fieri mentio, ut in simili docet sanctus Bernardus lib. 3. de Consid. ad Eugenium non longè a principio: Multa dicit ad hanc solutionem impugnandam Bernal disp. 10. a num. 14. usque 24. & a nu. 59. usque 64. Sed quod speciali indigeat impugnatione, aut quod per se non conuincat, tere nihil inuenio. Et ideo omittenda censeo.*

65 Obijcit deinde Cano in fine concl. 6. & Vazquez cap. 5. n. 78. nam omnia, quæ de sacramentis nouæ legis alteruntur, eadē & de sanguine Christi in lacris litteris affirmantur 1. Ioan. 1. uer. 7. *Et sanguis Iesu Christi, filius eius, nempe Desemiat nos ab omni peccato: Apocal. 1. uer. 5. *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Et cap. 12. uer. 11. *Et ipsi uiderunt eum propter sanguinem***

Agni. Ad Rom. 3. ver. 25. *Quæ proposuit Deus propitiatorum per suam in sanguine ipsius.* Eodē ergo sensu sacramenta dici poterūt lauare, mundare, causare nostræ victoriæ, ac remissionis peccatorum, quo sanguis Christi lauat, mundat, peccataque remittit. Sed sanguini Christi, & passioni eius tribuitur moralis efficientia, & meritoria à Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. Ergo causalitas moralis in sacramētis sufficit, vt in rigore verificentur loquutiones Scripturæ, & Patrum.

66 Confirmatur ex Lugo sect. 3. nu. 54. & nu. 61. nam in præsentī materia facile intelligitur, sermonem nō esse de causā physica, & strictē accepta: nam quoties agitur de causando effectu aliquo ordinis superioris, & ab alio obtinendo, non alligatur sermo ad causam strictē acceptam, & physicā: sic enim dicimus communiter Sanctos operari miracula: quod tamen non intelligitur de causalitate physica, sed morali; quia agitur de effectu superante eorum vires, & ab alio agente superioris virtutis obtinendo. Cum ergo gratia sit effectus supernaturalis, sensus proprius in eiusmodi loquutionibus est de causalitate morali, & non de physica.

Confirmatur secundo ex eodem nu. 55. nam peccator suis delictis dicitur passim apud Scripturam, & Patres, causa suæ perditionis, & damnationis, & afferre sibi mortē spiritualem, &c. Quæ tamen non physice, sed moraliter operatur per merita condigna supplicij. Cur ergo non poterunt eodem modo loqui de sacramentis in ordine ad salutem?

67 Hoc argumentum potius vrget pro nostra conclusione Soto ratione tertia, & quarta, & merito sanè, & iuxta mentem D. Thomæ, qui 3. p. q. 48. art. 6. ex professo docet, quod passio Christi efficienter causat salutem humanam. Et q. 49. art. 1. latè docet, quod passio Christi est propria causā remissionis peccatorum tripliciter: primo quidē per modum prouocantis ad Charitatem: secundo per modum redemptionis: & tertio per modum efficientie, in quantum caro secundum quam Christus passionem sustinuit, est instrumentum Diuinitatis. Ex quo potius infertur sacramenta causare physice: quia vt arguit S. Thomas q. 62. art. 5. humanitas Christi est instrumentum coniunctum Diuinitatis: sacramētum autem instrumentum separatum. Et ideo oportet, quod virtus salutifera à Diuinitate Christi per eius humanitatem in ipsa sacramēta deriuatur. Sicut ergo caro, & sanguis Christi, vt determinata per passionem, in-

quantum diuinitati coniuncta est physicum instrumentum; ita & sacramenta sunt instrumenta physica separata. Recolantur, quæ diximus nu. 45.

68 Insuper addendum, quod S. Thomas 3. p. q. 48. art. 6. ad 3. formalissimè distribuēdo singula singulis, & propriissimè ait, quod *passio Christi secundum quod comparatur ad diuinitatem eius, agit per modum efficientie: in quantum vero comparatur ad voluntatē animæ Christi, agit per modum meriti.* Sacramenta ergo, quia sunt instrumenta corporalia physica separata, participant causalitatem physicā efficientem instrumentalem: meritum vero Christi operantis in moraliter sua dilectione obtinuit, vt Deus sacramenta institueret, vt applicaretur fructus redēptionis, quia Deus illi promissit Isaiæ 53. ver. 10. *Si persuerit pro peccato animam suam, videbit semen longeuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.* Et sic causalitas moralis meriti, & redēptionis Christi se habet antecedenter, & præsuppositiuè, & causaliter ad sacramenta: formaliter vero eorum causalitas est physica. Constat autē quod Christus suo morali merito redemptione, & satisfactione infiniti valoris meruit, vt Deus daret moralia, & physica auxilia supernaturalia ad bene operandū: & sic etiam physica instrumentalis causalitas sacramentorum potest, & de facto est fructus moralium operum Christi.

69 Similiter retorquetur doctrina primæ confirmationis, quia 3. p. q. 13. cum D. Thomas, & pluribus Theologis, humanitatem Christi, & alios Sanctos miracula facere vt instrumenta physica Dei, docuimus, quamuis hanc virtutem sæpè Sancti precibus obtineant. Quare ad intentum dicit S. Thomas Quodlib. 12. art. 14. quod sicut caro Christi habuit virtutem instrumentalem ad faciēda miracula propter coniunctionem ad Verbum: ita sacramenta, per coniunctionem ad Christum Crucifixum, & passum. Ipseque S. Thomas 1. 2. q. 112. art. 1. ad 1. ait, quod humanitas Christi est sicut quoddam organum diuinitatis eius, vt S. Damascenus dicit lib. 3. cap. 15. Instrumentum autem non agit actionem agentis principalis propria virtute; sed virtute principalis agentis. Et ideo humanitas Christi non causat gratiam propria virtute; sed virtute Diuinitatis adiunctæ, ex qua actiones humanitatis Christi sunt salutares. Et ad 2. applicat ad intentum dicens, quod sicut in ipsa persona Christi humanitas causat salutem nostram per gratiā virtute diuina principaliter operante: ita etiam in sacramentis nouæ legis, quæ deriuantur à Christo, cau-

fatut

§. V.

De mente S. Thomæ circa causalitatem physicam sacramentorum.

72 **M**ens S. Thomæ adeo mihi videtur perspicua, & indubitata, vt superfluum putarem de ea dubium mouere, de quo nullus dubitaret, nec ex discipulis, qui eum sequuntur: nec ex alijs, qui eum impugnant: sed tamen ad hoc nos coegerunt, qui eum vel inquitum in suam sententiam trahe-re conati sunt: sed non credo quod ex corde: sed ne publicè in quæstione adeo celebri cōmuni Magistro videantur contradicere. Igitur Vazquez disp. 132. cap. 3. à nu. 84. vsque 87. asserit S. Thomam moralem solum efficacitatem sacramentis concessisse: quia art. 4. ad 1. asserit exemplum vocis, quam in se continere ait virtutem quandam spiritualem ad excitandum intellectum hominis: & eodem modo in sacramentis ostendit esse virtutem spiritualem: *In quantum* (inquit) *ordinatur à Deo, effectum spirituales.* Quis autem dicat virtutem vocum ad excitandum intellectum esse virtutem physici instrumenti, & non moralis? Et constitutionem Dei similiter? Siquidem significatio nihil est reale in vocibus: neque constitutio in sacramentis.

Deinde art. 5. docet S. Thomas virtutem in sacramenta deriuari ab ipsa humanitate Christi media passione. Sed passio non est physicum instrumentum ad gratiam produendam, sed morale per modum impetrationis. De quo ipse Vazquez disp. 133. toto cap. 4. conatur S. Thom. exponere, quod eum ait *efficienter* causare iustificationē, verificetur, quia meruit passione sua, vt sacramenta gratiam impetrarent: & ideo remote dici potest instrumentum. Ergo sacramētis solam causalitatem moralem tribuit D. Thomas. De quo Vazquez 1. p. disp. 176. cap. 1.

73 **Æ**gidius Coninch q. 62. art. 4. dubio unico num. 136. idem probat, quia D. Th. q. 64. art. 1. aperte docet solam causam principalem, scilicet Deum immediate producere interiore effectum sacramenti. Probatque primo, quia nihil potest operari indistans. Quæ ratio secundum principia D. Th. (qui absolute negat quidquam posse agere indistans) tam probat de causa instrumentali, quam de principali: eadem enim vtriusque est ratio. Secundo probat S. Thomas, quia gratia quæ est interior effectus, est à solo Deo: aperte intimans, omnem physica-

cam

fatut gratia, instrumentaliter quidem per sacramenta; sed principaliter per virtutē Spiritus Sancti in sacramentis operantis: secundum illud Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.*

70 Ad secundam confirmationem pariter posset dici, quia S. Thomas 2. 2. q. 24. art. 10. docet peccatum mortale destruere Charitatem effectiue: quod de efficientia physica intelligunt ibi Caietanus, & communiter Thomistæ, & multi alij Authores, quos erudite refert, & legitur Hiacinthus Choquetius lib. 3. de gratiā disp. 9. cap. 2. & 3. Pariter quæ de Pœnitentiā sacramento docet S. Th. in 4. dist. 14. q. 2. art. 4. quod *effectiue peccatū tollit: quia gratiam tribuit: sicut inducens albedinem aufert nigredinem.* Quæ planè est efficientia physica. Ac per consequens omnia exempla inducta potius nostram doctrinam corroborant.

71 Sed quia certiorē puto doctrinā, de qua modo disputamus de causalitate physica sacramentorum, quam sint opiniones de causalitate physica Christi in gratiam, & de causalitate physica Sanctorum in miracula; & de expulsiōe physica gratiæ per mortale peccatum: ideo disputationis gratia daturis, aut permissis contrarijs opinionibus, negatur paritas ad nostrum intentum: quia sacramenta constant materia sensibili, & corporali, & verbis improprietatis ad causandum effectum spirituales: & quem nō causant petendo, sed efficiendo; nec minus causatur ex opere operato à ministro peccatore, ac causetur à Sancto, vt definitur in Concilio Tridentino Sess. 7. can. 12. Ideo optime aliteruit S. Thomas Quæstione 27. de Veritate art. 4. in fine corporis, quod *humanitas Christi est instrumentalis causa iustificationis: quæ quidem causa nobis applicatur spiritualiter per fidem, & corporaliter per sacramenta.* Dicit corporaliter, non solum, quia constant materia corporali: sed quia ex modo, quo nunc eleuantur, sunt incapacia vt causent spiritualiter, & moueant moraliter, sicut mouēt bona opera. Vnde iuxta subiectam materiam, idem est affirmare causalitatem strictē supram, ac asserere causalitatem efficientē physicam instrumentalem: quia non est capacitas alterius modi causandi, nisi confundamus causalitatem moralem propriè sumptam cum significatione, vel cum dignitate morali: quod tamen ita faciendum non esse, ostensum est.



cam actionem sacramentorum versari solū circa corpus. Vt ut etiam Coninch num. 138. ponderatione Vazquez ex artic. 4. ad 1.

74 Cardinalis de Lugo has tres ponderationes adducit disp. 4. sect. 5. à nu. 98. vltq; 101. vbi addit. Et potest confirmari hæc interpretatio ex verbis eiusdem D. Tho. 3. p. q. 78. ar. 4. ad 2. vbi dicit, creaturam non potuisse assumi vt instrumentum ad creationem: posse tamen verba concurrere instrumentaliter ad conuersionem Eucharisticā: reddit autem rationem discriminis; quia in creatione non fuit aliquod extremum, in quod instrumentalis actio creaturæ posset terminari. Ergo sentit, ideò verba concurrere instrumentali in Eucharistia: quia actio sacerdotis, seu prolatio verborum potest versari circa aliquid, hoc est, circa panem, vel circa species, super quas proferuntur verba: quæ est actio præuia, & appellatur à D. Thoma actio instrumenti, ratione cuius dicitur concurrere instrumentaliter ad conuersionem. Ergo solum vult D. Thomas sacramenta esse instrumenta mediata attingentia productionem gratiæ, quatenus producunt aliquid præuium requisitum ad productionem gratiæ, vt abluere corpus, vel proferre verba super materiā, vel aliquid simile: quia in hoc videtur constituere rationem instrumenti. Quia vero in creatione non præsupponitur aliquid, circa quod operetur creatura: ideò ibi non potest esse cōcursum instrumenti. Nō ergo agnoscit alium concursum immediatē terminatum ad ipsum effectum sacramenti.

75 Nouissimè Bernal disp. 10. de sacramenti sect. 4. §. 2. probandum proponit, quod influxus physici assertio nequit S. Thomæ, nisi cum vitijs pluribus attribui. Et post multa ad vtramque partem prolata, tandem n. 75. ait S. Thomam (ipsissima verba subiungo; ne quis arbitretur à me conficta) nomine motus præuij sacramento inditi, non intellexisse motum inditum physicè, sed moraliter; ipsam scilicet Christi institutionem, seu creaturam volitionem; ideoque sacramenta in gratiam, non physicè, sed moraliter influere. Probat n. 76. nulla adducta, imò nec visa (vt ex ferie totius disputationis apparet) S. Thomæ autoritate. Sed moueor (inquit) in primis, quoniam hæc expositio S. Doctorem vindicat à pluribus, apertioribusque vitijs. Primo ignorantie, quod posuit sacramenta causare gratiam, et si physicè non eam causent: cum promissio chirographo moraliter inhærens, ipsumque adeò chiro-

graphum solutionem inducat, & non physicè. Secundo, ineptæ Philosophiæ, quod accidēs spirituale possit subiecto inhæreere corporeo transeunter, & non possit permanēter. Tertio, prædictæ in proprietatis, & falsitatis, quod ipsa scilicet actio, per quam sacramenta producunt physicè gratiam, sit ad se ipsam præuia, sui que ipsius instrumentale principium. Quarto, incredibilis cuiusdam oscitantia, ne dicam stupiditatis, vel certè insignis iniuriæ in lectorem. Siue enim sacramenta dicantur physicè gratiam producere per virtutē præuiam diuinitus ipsis impressam, siue absque illa: negari non potest, quin eiusmodi assertio difficultates cōtineat grauissimas. Ex gr. quod physicè non agant per partes sui ipsorum iam physicè destructas, sed per solum indiuisibile extremum: & alias plurimas, quas tota sect. 2. & 3. proposui: Sæctus autem Doctor cunctas præterijt: cunctas autem, aut plerumque nō aduertere, fuisse profecto summi stuporis: animaduertas autē silentio tegere, non solum fuisse incuriæ, sed etiam nequitia, atque iniuriæ non ferendæ. Hæc ibi. Et n. 77. explicat quod S. Thomas, ideò non admittit sacramenta causare eo modo quo syngrapha, quia vulgo concipitur, & tunc concipiebatur communiter vt nudū signum; & vt tale negat S. Thomas sacramentum se gerere: vere tamen syngrapha penitus inspecta, moraliter habet sibi coniunctā, & quidem vt formam essentialē, ipsam soluendi voluntatem: proinde causat moraliter solutionem. Hæc & alia æncomia nostratū ibi lego. Et sect. 2. nu. 31. in fine, ait, quod aliqui Thomistarum respondent, chimæriticè planè est, & risu magis, quam impugnatione dignum.

76 Quæ huc patienter transtuli, & fideliter retuli, vt videat prudēs lector, quod Bernalis iudicio assertores influxus physici, qui cum S. Doctore tribuunt, sunt ignorantes, inepti Philosophi, summe stupidi, & nequissimi; & iniuriæ in lectorem, & incredibilis oscitantia: quia si tot iniurias non profert cōtra Angelicum Magistrum (de quo dubito, quia exemplum syngraphæ dicit S. Thomam reiecit, quia perniciosius non inspicit) intrepide eas euomit contra eius sectatores, qui eam opinionem ei attribuunt. Ergo ipso proferente, hæc omnia vitia D. Thomæ attribuunt, Valentia, Bellarminus, Henriquez, Suarez, Reginaldus, Granado, Mæratius, Ripalda, Escobar, Albertinus, Costerus, Canisius, Fonseca, & integrum Conimbricense Collegiū? Imò, & maior pars totius Scholæ Theologorum: Testatur enim ex ipsa Societate

R. A. P.

P. Antonius Rubio 2. Physicorum tract. 4. q. 3. nu. 3. quod de humanitate Christi, & Sacramentis concedit maior pars totius Scholæ cū Sancto Thoma, esse instrumenta gratiæ; & verbi ipsius Christi, vel etiam contactum habuisse modum physici instrumenti ad miracula patrada. Et Henriquez lib. 1. cap. 16. num. 4. cum dixisset; quod nobiliores Scholastici bene id colligunt ex Sacris litteris. Primo refert D. Thomam.

77 Secundo retuli, vt desinat lector mirari, quod sapientissimus, pariter ac modestissimus, Reuerendissimus M. Ioannes à S. Thoma, in hoc ipso pūcto de eleuatione instrumentorū, nimiam dicacitatem, & obloquē dilicentiam P. Alarcon contra Thomistas, repræferit tomo 1. in 1. p. disp. 14. art. 2. §. Bone. Deus, folio 396. columna 2. inter alia dicens. Quam fecunda est inscitia, cum rationis potest deesse desituta, in auris dilabitur vanitatis; & quantum in propria dicacitatis felle temperantur spicula, cum sagittas argumentorum euducatur phætra veritatis, &c. Et de expositione Vazquez in hoc ipso dubio inquit eruditissimus M. Fr. Hyacinthus Choquetius lib. 2. de gratia disp. 5. cap. 3. Verum hæc responsio, pace tanti viri, ad meridianum Solem allucinatur: & absit vt egregia sit S. Thomæ cōmentatio, atque interpretatio, quin potius est iniqua in aduersam opinionem detorsio.

78 Ego tamen, qui scriptum lego illud Prou. 19. ver. 11. Doctrina viri per patientiam noscitur. & gloria eius est iniqua prætergressio: Hæc libenter præterire, nisi quod patienter nō fero, quod tam asseueranter affirmet, & sine probatione, pronunciet Bernal S. Thomam cunctas difficultates obijci solitas contra virtutem physicam instrumentalem præterijisse: quod non affirmaret, si legisset art. 4. huius quæst. & art. 4. q. 78. ad 3. & alia testimonia referenda.

79 Iam ergo mentem S. Thomæ esse expressam pro causalitate instrumentali physica sacramentorum nouæ legis, non aliunde possumus colligere; à posteriori quidem ex vnanimi discipulorum eius intelligentia: nam quod vnus, vel alter dissentiat, parum interst: quia vna hirundo non facit ver. A priori vero id demonstratur adductis S. Thomæ testimonijs. In primis hac q. 62. ar. 1. agit de instrumento agente physicè: siquidem in doctrina S. Thomæ securis est instrumentum physicum ad faciendum lectum: sed expresse docet S. Thomas eodem modo sacramenta causare gratiam, quo securis facit lectū: ait namque: Causa instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum, quo mouetur à principali agente: vnde effectus nō vs-

milatur instrumento, sed principali agenti: sicut lectus non assimilatur securi, sed arti, quæ est in mente artificis. Et hoc modo sacramenta nouæ legis gratiam causant. Cum ergo securis causet lectum physicè instrumentaliter, sacramenta causant physicè gratiam, iuxta S. Thomam in corp. & ad 2.

Deinde art. 3. docet, quod gratia est in Sacramento secundum quandam instrumentalem virtutem, quæ est fluens, & incompleta in esse nature: & concludit ad 3. Et ideò non inconuenienter Sacramento dicitur continere gratiam. Sed hic modus continentia est proprius solius causæ instrumentalis propriæ, & tigurossæ sumptæ, vt constat inductione in omnibus instrumentis nature, & artis. Ergo de illa aperte loquitur S. Tho.

80 Præterea, ipse S. Thomas constituēs discrimen inter suam opinionem de causalitate sacramentorum, & opinionem aliorum, qui solum ponebant sacramenta causare, quia ad eorum præsentiam Deus causabat: quia non causabant physicè, sed solum moraliter, seu per quandam concomitantiam, seu assistentiam specialem Dei, rectè docet aliorum opinionum Authores non teneri asserere in sacramentis adesse virtutem intrinsecam, secus vero, qui cum ipso docent sacramenta esse causas instrumentales. Sed si loqueretur de instrumentis moralibus, hoc discrimen esset nullum: siquidē de facto, qui ad causalitatem moralem confugiunt, hoc faciunt vt effugiant difficultates, quæ sunt in constituenda physica qualitate, vel motione virtuosa in sacramentis, vt infra dicemus: ergo qui negant sacramentis physicam instrumentalem causalitatem, è diametro opponuntur doctrinæ S. Thomæ art. 4. doctentis, quod ponendo, quod sacramentum est instrumentalis causa gratiæ, necesse est simul ponere, quod in Sacramento sit quedam virtus instrumentalis ad inducendum sacramentalem effectū. Idem docet S. Thomas q. 64. art. 1. in corp. & ad 3.

Simili ratione idem S. Thomas 3. par. q. 78. ar. 4. docet, quod in verbis formæ Eucharisticæ inest aliqua virtus creata effectiua consecrationis: Instrumentalis tamen, sicut & in alijs sacramentis, sicut supra dictum est.

81 Accedit quod S. Thomas 3. p. q. 62. art. 5. docet, quod per instrumentum cōiunctum mouetur instrumentum separatū, sicut baculus per manum. Principalis autē causa efficiens gratiæ est ipse Deus: Ad quæ comparatur humanitas Christi sicut instrumentū cōiunctum: sacramentum autem sicut instrumentum separatū. Et ideò oportet, quod virtus sa-

luta.

Iustificata à Divinitate Christi per eius humanitatem in ipsa Sacramenta derivetur. Sed humanitas Christi est physicum instrumentum ad causanda miracula, ut docet S. Thomas 3. p. q. 13. art. 2. & q. 6. de Potentia art. 4. & 1. 2. q. 112. art. 1. ad 1. Et eodem modo causare gratiam, docet ibi, & 3. p. q. 48. art. 6. & q. 56. art. 1. & q. 57. art. 7. Ergo pariter in sacramentis. Consequentiam ipse S. Thomas deducit 1. 2. q. 112. art. 1. ad 2. dicens, quod sicut in ipsa persona Christi humanitas causat salutem nostram per gratiam, virtute diuina principaliter operante; ita etiam in sacramentis nouæ legis, quæ derivantur à Christo, causatur gratia, instrumentali quidem per ipsa sacramenta; sed principaliter per virtutem Spiritus Sancti in sacramentis operantis.

81 Sed quia singula testimonia S. Thomæ verbatim referre, vel sigillatim, aut ex professo ponderare, esset, vel molestum, vel minimè necessarium, sufficit indicare: videatur Quodlib. 12. art. 14. & q. 27. de Veritate art. 4. & 7. Et lib. 1. Sentent. dist. 15. q. 1. art. 1. q. 1. ad 2. Et in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. q. 1. ad 5. & q. 2. Et dist. 2. q. 1. art. 4. q. 4. & dist. 8. q. 2. art. 3. & dist. 10. in expos. litteræ ad 6. & 7. & in 4. dist. 14. q. 2. art. 4. ait: *Pœnitentia ut est sacramentum effectiue tollit peccatum ex parte macule, quia gratiam tribuit: sicut inducens albedinem auferit nigredinem. Et secundum hoc pœnitentia, in quantum est sacramentum, peccata dimittit, quia sacramentum nouæ legis est causa instrumentalis gratiæ, ut in 1. distinctione dictum est.* Qualiter etiam loquitur S. Thomas hac 3. p. q. 84. art. 3. ad 5. non semel vsurpans illud adverbium, effectiue. Sed inducens albedinem, auferit nigredinem effectiue physice. Ergo sacramenta causant gratiam, & auferunt maculam animæ effectiue physice, ex D. Thoma.

Denique cum Magister in 4. dist. 10. attulisset verba S. Ambrosij, quæ etiam referuntur à Gratiano de Consecratione dist. 2. *Sicut tantum valuit sermo Helia, ut ignem de Cælo deponeret, non valebit tantum sermo Christi ut substantias mutet?* In expositione textus id declarat S. Thomas dicens. *Locus est à minori: unde intelligendum est, quod plus valeat sermo Christi, & in persona Christi prolatus: quia sermo Eliæ in se ipso non habebat virtutem aliquam; sed operabatur per modum intercessionis; sermo autem Christi habet virtutem intraneam, de qua supra dist. 8. dictum est.* Cum ergo oratio Eliæ habuerit virtutem moralem motiuam Dei ad patranda miracula: virtus Christi intranea verbis, est virtus instrumentalis physica: fun-

data in merito morali Christi, & principaliter à Deo causata, & instrumentaliter in Sacramento contenta. Videatur S. Thom. in 4. ad Anibaldum dist. 1. art. 4. & dist. 3. ar. 5. & dist. 14. ar. 4. in cor.

82 Argumenta contraria, non solum non vrgent, sed rectè considerata, pro nobis militant. Quod patebit ex pendentibus singula. Doctrina artic. 4. ad 1. vberius erat tradita ab ipso Angelico Doctore in 4. distinct. 1. q. 1. art. 4. q. 2. ad 4. vbi ait, quod in re corporali non potest esse virtus spiritualis secundum esse completum; potest tamen ibi esse per modum intentionis; sicut in instrumentis motis ab artifice est virtus artis: & sermo audibilis existens causa disciplina, ut dicitur in lib. de sensu, & sensato cap. 2. continet intentiones animæ quodammodo: etiam in motu est virtus substantiæ separatae mouentis, secundum Philosophos; & semen agit in virtute animæ, ut dicitur in 1. de generatione animalium cap. 20. circa finem. Quod loquatur de instrumentis physicis, euidentissimum est: nam instrumenta mota ab artifice, instrumenta physica sunt, ut securis, dolabra, ferra: & virtus substantiæ separatae, qua agit ad generationem viuentium, virtus physica est: & virtus feminis virtus instrumentalis physica est, de qua S. Thomas q. 3. de Potentia artic. 11. ad 5. & q. 4. de Malo art. 1. ad 16. & 1. p. q. 118. art. 1. ad 3.

Deinde virtus, & vis spiritualis, quæ in re corporali nequit esse permanenter, & potest esse transeunt, quid physicum significat: quia moraliter permanenter potest asistere virtus diuina rei corporeæ.

83 Exemplum autem de voce sensibili etiam est exemplum instrumenti physici; ideòque merito ait S. Thomas ad 1. *Sicut & in ipsa voce sensibili est quadam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit à conceptione mentis. Et hoc modo vis spiritualis est in Sacramentis, in quantum ordinantur à Deo ad effectum spirituale.* Pro cuius explicatione notandum, quod in voce sensibili tria possunt considerari: & quod sit effectus naturaliter significans animæ passiones: & quod sint signa ad placitum ex institutione significantia conceptus, & res: & quod sint instrumenta artis, quæ est in mente, ex qua ad vocem deriuatur virtus quædam instrumentalis. De primo intentione facit S. Thomas libro de sensu, & sensato lect. 2. lit. g. in fine dicens. Animalibus ostendit auditus differentias vocis. Vox enim est sonus ab ore animalis prolatus cum imaginatione quadam, ut dicitur in 2. de Anima text. 90. Et ideò vox animalis, in quantum huiusmo-

di, naturaliter significat interiorem animæ passionem: sicut latratatus canum significat iram ipsorum: & sic perfectiora animalia ex vocibus inuicem cognoscunt interiores passiones: quæ tamè cognitio in imperfectis animalibus deest. De secundo habemus doctrinam S. Thomæ ibi lit. h. vbi ait. Sermo, qui est audibilis, est causa addiscendi, non per se, id est, secundum ipsas sonorum differentias; sed per accidens (id est, per allud, ratione significationis ad placitum, quæ conuenit vocibus) in quantum scilicet nomina, in quibus sermo est, id est loquutio componitur, sunt symbola, id est signa intentionum intellectarum: & per consequens rerum. Et sic Doctor docet discipulum, in quantum per sermonem significat ei conceptionem intellectus sui. Et plus homo potest cognoscere addiscendo, ad quod est utilis auditus, quam vis per accidens, quam de se inueniendo, ad quod præcipue est utilis visus. Hæc ibi. Sed quia totum hoc non transcendit rationem ligni, vel causæ per accidens, ideo aliquid aliud oportet querere in voce sensibili, ut dicamus fuisse conuenienter adductum exemplum.

84 Idcirco S. Thomas q. 11. de Veritate art. 1. ad 3. & ad 11. & ad 12. & 2. 2. q. 173. art. 2. verbis relatis, & ponderatis à Capreolo in 4. dist. 1. q. 1. ad quintum Scoti contra quartam folio 27. & 28. docet in voce sensibili esse virtutem instrumentalem physicam, incompletam, & fluentem, qua excitat audientem ut actu consideret ea, quorum habet species in habitu: & ut de nouo addiscat, & formet conceptum perfectiorem, & magis specialem, & determinatum: alioquin vnus homo non posset dici Doctor alterius; si non haberet in se aliquam vim causatiuam mediata, vel immediata alicuius conceptus, siue sui, siue rei, quam significat, siue vtriusque cum quodam ordine, & collatione. De quo S. Thomas 1. p. q. 106. art. 1. & q. 117. art. 1. vbi & ad 1. ait, quod homo docens iolummodo exterius ministerium adhibet, sicut medicus sanas. Sicut ergo ars medicinae est instrumentum applicans externas virtutes medicamentorum: ita ars magistri est instrumentum media voce sensibili causans scientiam in discipulo reducens eum de potentia ad actum, ut dicitur 8. Physicorum textu 32. Ideoque vox à magistro prolata habet quid latentis energię, qua discipuli animum physice immutat. Vnde exemplum S. Thomæ aptissimum est ad intentum, & potius pro nobis, quam contra.

85 Illa autem verba S. Thomæ, in quantum

ordinantur à Deo, &c. Latius ab ipso erant exposita in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. q. 3. nam instrumentum virtutem non accipit, nisi secundum quod principali agenti continuatur, ut virtus eius quodammodo in instrumentum transfundatur. Principale autem, & per se agens ad iustificationem est Deus, sicut causa efficiens. Ideoque verissime, & propriissime S. Thomas agens de virtute instrumenti coniuncti, & separati, meminit principalis agentis instiuentis, & mouentis primo, & principaliter. Quod doctrinam art. 5. esse pro nobis expressam, iam est ostensum à nu. 67. vsque 71. & n. 81.

86 Auctoritas ex q. 84. artic. 1. potius est pro nobis: nam ibi S. Thomas expresse docet, quod operari aliquem effectum contingit dupliciter: vno modo per modum principalis agentis: Alio modo per modum instrumenti. Primo igitur modo solus Deus operatur interiorem effectum sacramenti. Quod probat duplici ratione: & deinde subiungit. *Secundo autem modo homo potest operari ad interiorem effectum sacramenti, in quantum operatur per modum ministerii: nam eadem est ratio ministerii, & instrumenti, &c.* Et ad 3. ait, quod res inanimata non operantur aliquid ad interiorem effectum, nisi instrumentaliter, ut dictum est. Sicut ergo in priori membro affirmatiuo loquitur de causa efficiens physica principali, ita in posteriori loquitur de instrumento physico. Postea vero exponemus hic adesse præsentiam physicam agentis principalis, & contactum virtutis non deesse, & non obesse distantiam instrumenti. Quod autem actio sacramenti vsque ad ipsam animam penetret, docet S. August. tract. 80. in Ioann. & in sermone Epiphaniæ verbis adductis à D. Tho. ar. 4. ad 3.

87 Vltimam ponderationem sibi obicit S. Thomas hac q. 62. art. 1. & respondet ad 2. quod instrumentum habet duas actiones. Vnam instrumentalem, secundum quam operatur, non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis. Aliam autem habet actionem propriam, quæ competit sibi secundum propriam formam: sicut securi competit scindere ratione suæ acuitatis, facere autem lectum, in quantum est instrumentum artis. Non autem perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam; scindendo enim facit lectum. Et similiter sacramenta corporalia per propriam operationem, quam exercent circa corpus, quod tangunt, efficiunt operationem instrumentalem ex virtute diuina circa animam. Sicut aqua baptismi ablucendo corpus secundum propriam virtutem: abluit animam, in quantum

quantum est instrumentum virtutis diuinæ: nam ex anima, & corpore vnum fit. Et hoc est, quod Augustinus dicit tract. 80. in Ioan. quod corpus tangit, & cor abluit. Videantur quæ scripsimus 2. p. Metaph. controu. 10. artic. 6. explicando an sit de ratione instrumenti habere actionem præuiam ad effectum principalis agentis? Quamuis ergo ablutio corporalis, quæ est actio naturalis aquæ, solum tangat corpus, tamen actio instrumenti, quæ conuenit aquæ ex virtute diuina, tangit virtualiter animam physicè instrumentaliter in eam gratiam cauando, qua tollitur macula, & cor abluitur.

§. VI.

Ex dignitate Sacramentorum nouæ legis probatur physicè causare.

88 Præter auctoritates Sanctorum, fundamentum S. Thomæ, vt ipse docet q. 78. art. 4. præcipuum fuit, quia opposita sententia derogat dignitati Sacramentorum nouæ legis. Pro quo præmittendum, quod Eugenius Quartus in Decreto pro Armenis, quod habetur in Concilio Florentino post vltimam sessionem, §. Quinto Ecclesiasticorum, docet, quod nouæ legis septem sunt sacramenta. Quæ multum à sacramentis differunt antiquæ legis: illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: hæc vero nostræ, & continent gratiam: & ipsam dignè suscipientibus conferunt. Quæ differentia esset nulla, si sacramenta nouæ legis non causarent gratiam physicè: quia moraliter sacramenta antiqua iustificabant, & ex opere operantis, in quantum illorum fides per Charitatem operabatur; & ex opere operato, in quantum fides Christi venturi efficaciam habebat ab ipso Christo, cuius sacramenta illa erant protestationes. Ergo sacramenta noua physicè instrumentaliter causant gratiam.

89 Respondet Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacramentis parte vndecima c. 5. quod in illis sacramentis opus operatum erat signum sacramentorum nouæ legis, & passionis Christi, a quo efficaciam habent: & ideo illud opus operatum erat cum quadam protestatione fidei: & ideo indirectè, & ex consequenti habebant iustificare, quasi median tibus nostris sacramentis per ea significationem habentia. Noua autem sacramenta di-

rectè, & immediatè iustificant, quia ad hoc directè sunt instituta.

Hanc solutionem refert, & impugnat S. Thomas in 4. dist. 1. q. 1. art. 5. q. 1. dicens. Sed hæc opinio non videtur conuenire dictis Sanctorum. Dicunt enim quod lex erat occasio mortis, in quantum ostendebat peccatum, & gratiam ad inuicem non conferebat. Nec differt quantum ad hoc qualiter cū que, vel directè, vel indirectè gratiam conferret. Et præterea secundum hoc nulla esset, vel valde modica præ eminentia sacramentorum nouæ legis ad sacramenta veteris legis: quia etiam sacramenta nouæ legis à fide, & significatione cauandi efficaciam habent, vt dictum est. Hæc S. Tho. Cuius doctrina modo canonizata est in prædicto decreto Eugenij.

90 Secundo respondet alij discrimen esse, quod sacramenta nouæ legis sunt signa gratiæ simul cum eis data: sacramenta vero veteris legis gratiæ promissæ.

Sed bene id rejicit S. Thomas questione 27. de Verit. art. 4. dicens. Sed hoc magis pertinet ad conditionem temporis, quàm ad dignitatem sacramentorum: quia in tempore illo promittebatur gratia; nunc autem est tempus plenitudinis gratiæ, propter reparationem humanæ naturæ iam factam. Vnde secundum hoc, sacramenta illa si tunc fuissent, cum toto eo, quod nunc habent, nihil plus fecissent, quam illa, nec illa nunc minùs facerent, quam illa, nulla eis additione facta. Hæc ibi. Et in 4. dist. 1. q. 1. a. 4. q. 1. ait. Nec iterum sacramenta nouæ legis, quæ differunt à sacramentis veteris legis secundum ordinationem prædictam, differrent ab eis secundum rationem causæ, sed solum quantum ad modum signandi, in quantum hæc significat gratiam vt statim danda, illa vero non. Nec eõsonat responsio verbis adductis decreti Eugenij Papæ.

91 Alijs duobus modis respondet S. Bonaventura, & Richardus in 4. dist. 1. vbi supra. In primis asserendo Deum non decreuisse infallibiliter dare gratiam cum illis sacramentis: quæ infalibilitas est in nostris sacramentis. Et non est parua differentia, quod in illis detur infalibiliter, non in illis. Secundo differunt, quod in nostris sacramentis datur copiosior gratia: quia Christus venit vt vitam habeant, & abundantius habeat. Quæ etiam est solutio Scoti.

Neutra solutio satisfacit: quia nulla saluat illam propositionem negatiuam relatiuè decreti: *illa non causabant gratiam.* Et prima rejicitur, quia in Circumcisione saltem erat in-

infallibile gratiam conferri: alioquin mansissent absque vilo remedio pueri illi, quibus Circumcisio applicabatur, vt ab eis auferretur peccatum originale. Deinde, si semel admittitur illa sacramenta contulisse gratiam vi sua, & ex opere operato, si semel eam dabant, semper infallibiliter dabant: quia institutio, & promissio diuina est infallibilis: nec est verum, nec reuelatum, aut ex reuelatis colligitur, quod decreuisset dare aliquando, & non semper.

92 Secunda solutio non consonat Patribus, & decreto relato, quia non tantum ex parte effectus, sed ex ipsa causalitate discrimina assignant, & absolute negant illam causasse gratiam, & affirmant nostræ, & continere, & causare gratiam. Ideoque in Catechismo Pij Quinti, titulo de sacramentis in genere circa inuem. §. Ex ijs igitur, vt duæ differentiæ distinctæ assignantur inter sacramenta noua, & vetera, vna quæ sumitur ex modo continendi, & altera, quæ sumitur ex parte effectus. Denique, si illa sola differentia reperiretur, non plus differret nostra sacramenta ab antiquis, quam nostra differant inter se: nam iuxta perfectionem sacramentorum, & iuxta varias dispositiones recipientium, maiorem, vel minorem conferunt gratiam sacramenta ipsa nouæ legis.

93 Quinto responderi potest cum Scoto illa quæst. 6. circa finem, quod auctoritates, ex quibus accepta est ista differentia, quod nostra sacramenta efficiunt, quod figurant, secus vero sacramenta antiqua, loquuntur de sacramentis veteris legis improprie dictis; non autem de Circumcisione, quæ erat sacramentum conferens gratiam ex opere operato. Eandem responsionem adhibet Durandus quæst. 4. ad vltimum dicens, quod illa differentia non erat vniuersalis, nam Circumcisio efficiebat, quod figurabat, sicut Baptismus. Et forte idem faciebant quædam alia veteris legis sacramenta: quamuis non omnia, sicut noua.

94 Sed contra est primo, quod quæst. 61. dub. 4. num. 1. & 2. iam ostendimus ex communi doctrina Patrum, & Theologorum in veteri lege, præter Circumcisionem, fuisse plura sacramenta, quæ vere, & proprie fuerint talia. Secundo, quia ipsi factentur Circumcisionem fuisse vere, & proprie sacramentum, sicut nunc est Baptismus: sed in decreto Eugenij, loquendo vniuersaliter de omnibus sacramentis nouæ legis proprie sumptis, quæ sunt septem, quæ ibi nominantur, & vniuersaliter contraponendo ad

omnia, quæ erant vere, & proprie antiquæ legis sacramenta, de illis negat causare gratiam, & de istis affirmat, quod continent, & conferunt. Quod & docet Concilium Tridentinum seu. 7. de sacramentis in genere can. 2. & 6. Ergo sicut loquendo de omnibus sacramentis nostris, vere, & proprie talibus, de nullo negari potest, quod efficiat, quod figurat, ita de nullo antiquo vere, & proprie tali id affirmari potest: quia decretum sicut de omnibus nostris affirmat, ita de omnibus alijs negat. Præcipue, quia ab Apostolico testimonio ad Gal. 4. appellantis vetera sacramenta infirma, & generalementia, non potest excipi Circumcisio, de qua præcipua erat cum Galatis controversia, cuiusque cauta tota illius epistolæ disputatio rexitur, vt notat Cano in Rel. parte 4. conc. vlt. seu 8. Vtrum autem quoad hoc sit alia differentia inter Circumcisionem, & alia antiqua sacramenta? Dicitur hac q. dub. 7.

95 Sexto respondet Aureolus apud Capreolum in 4. dist. 2. quæst. 2. in principio artic. 2. quod tantæ utilitatis esset Circumcisio, sicut est baptisimus, si per vtrumque detur gratia æqualis, quantumcumque detur alio, & alio modo: quia sacramenta sunt medicinæ, quæ non quæcuntur propter se, sed propter effectum, quem causare debent. Si enim medicina conferat sanitatem in eodè gradu, & æquè faciliter, sicut alia medicina, parum curat medicus, vel eger, quod vna medicina agat per virtutem inhaerentem, & alia solum per virtutem assistentem. Pariter inquit Cano quarta parte Relect. cõc. 5. cum ad salutem nostram nil omnino spectet, quod sacramenta nostra contactu reali suæ virtutis qualitates supernaturales efficiant, certè superuacaneum est istam vim agendi in sacramentis admittere.

Similiter Vazquez disp. 132. capit. 6. num. 1. ro. respondet, quia Christus Dominus Passione, & merito suo salutis nostræ spiritualis tantummodo curam habuit; & in eo totam dignitatem Euangelij, & nouæ legis constituit, vt profectui nostro per illam perfectissimè prouideret: ad nostram autem salutem non magis refert illum sacramenta vt instrumenta physica, quam vt moralia, si eadem gratia vno, & altero modo tribuenda est: quia eodem modo proderunt ad gratiam, & gloriam: quod autem id præstet physicè, vel moraliter, quid refert, quæso, vt non dicam ad maximam, sed neque ad minimam eorum dignitatem pertinere dicendum sit? Hæc Vazquez.

Et Lugo sec. 5. n. 65. etiã respondet, quod sicut nõ cõducit ad dignitatẽ sanguinis Christi, quod fuerit causa physica nostrã salutis; sic nec hoc cõducere quidquã ad dignitatẽ sacramenti: quid enim mea refert, quod gratiã meã physicẽ, vel moraliter producat, dum tamẽ eam infalibilliter causet? Certe æquẽ mihi vtile erit vtroque modo si gratia æquẽ perfecta vtroque modo mihi datur. Sicut si aliquis Sanctus miraculose restituat visũ cæco, parũ curabit cæcus, quod solũ sit causa moralis, vel quod cõcurrat etiam vt instrumentum physicum ad visum restituendum.

96 Cæterum responsio ista procedit ex minus attẽta cõsideratione rationis. D. Th. quã si penetratur, facile apparebit, respõdentes in æquiuoco laborare: quia D. Tho. nõ arguit ex dignitate, vel ex maiore vtilitate effectus sacramentorũ: sed ex dignitate ipsorũ sacramentorũ, quã cõuenit illis in quãtũ nõ solũ significãt gratiã, sed etiã sunt ipsius gratiã causa instrumentalis physica: quã abique dubio est magna ipsorũ dignitas, & est esse sacramenta plena virtute Spiritus Sancti, & Christi: ad differẽtiã antiquorũ: de quib. ad Hæb. 7. dicitur: *Reprobatio sit præcedentis mādãti antiquã legis propter infirmitatẽ eius, & inutilitatẽ: & ad Galat. 4. vocat ea infirma, & agenda elen. ẽta.* Et S. Basilus lib. de Spiritu Sancto cap. 14. ait. *Quid cõfers lauacra cum lauacris, quã solã nominis appellatiõẽ habent communẽ; verũ vero rãta est differẽtia, quãta est inter somnia, & veritatẽ, inter umbras, imaginesque, & inter ea, quã reuera sunt.* Quod nõ dicit, quia antiqua nõ essent vere, & propriẽ sacramenta; sed quia nõ habebãt in se realẽ, & physicã virtutẽ iustificãdi: quãnis ad eorum præsentia Deus iustificaret: inquit enim S. Tho. Quodlibet. 12. art. 14. quod si virtus diuina concomitãs sola iustificat in sacramentis nouã legis, sic nõ esset aliqua prærogatiua sacramentorũ nouã legis ad veterã; quia etiã in illis virtus cõsistẽs fidei credẽtiũ in Christũ venturũ iustificabat.

97 Retorquẽtur igitur solutiones, & vt getur ratio D. Th. in primis, quia si Deus decerneret dare hominibus eandẽ omnino gratiã, quã nũc cõfert meritis Christi, & per sacramenta ab ipso instituta; sine sacramentis, & sine Christi meritis, sed mera solius Dei liberali donatiõne; esset gratia rãtã excellentiã, & hominibus æque salutaris: siquidẽ daret idẽ ius ad gloriã, sicut modo: quia effectus nõ assimilatur iniuriam, sed principali agẽti: sicut uicinus nõ assimilatur securi, sed arti, quã

est in mẽte artificis, vt ait S. Thom. art. 1. Et rã mẽ tollitur excellẽtia causalitatis in meritis Christi, & in sacramentis. Ergo male arguit Aureolus ex eo quod gratia esset in eodem gradu æque vtilis non derogari excellẽtia sacramentorum.

Secundo quamuis dona supernaturalia, & miraculosa æque sint proficua ex parte effectus, siue fiant à solo Deo, siue concedantur orationi iustorum, siue ab eis causentur instrumentaliter, tamen ad Sãctorum excellẽtiam pertinet scire quod eorum precibus fiant, & quod vltorius ipsi instrumentaliter faciant: quia nõ solum est excellentia causare principaliter, sed etiã causare moraliter orando, & causare physicẽ instrumentaliter efficiendo. Cum ergo res in animatã non causent moraliter orando, aut merendo, aut impetrãdo, si eis negatur causalitas instrumentalis physica, solum in veritate relinquitur eis ratio signi, & idẽ tollitur excellentia causalitatis.

98 Tertio explicatur à simili in naturalibus: nam si Deus se solo faceret omnes effectus causarum secundarum, eque essent nobis proficui, ac modo sunt facti interuentu causarum secundarum: & tamen S. Thom. contra eos, qui negabant efficientiam causas secundis, arguit lib. 3. contra Gentes cap. 69. ratiõne 4. quia si nulla creatura habet aliquã actionem ad aliquem effectum producendũ, multũ detrahitur perfectiõni creaturã: ex abundantia enim perfectiõnis est, quod perfectiõnem, quam habet, possit alteri communicare: detrahitur igitur hæc positio diuinã virtuti. Pariter quæst. 3. de Potentiã artic. 7. ait, quod repugnat etiã diuinã bonitati, quã sui communicatiua est: ex quo factum est, quod res Deo similes fierent, non solum in esse, sed etiam in agere. Ergo similiter in supernaturalibus non solum debemus curare de vtilitate effectuum, sed etiam commendare virtutem, & bonitatem diuinã, quã voluit gratiam causari moraliter à meritis, & physicẽ instrumentaliter à nostris sacramentis: de quibus inquit Sanctus Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 13. quod sunt virtute maiora, vtilitate meliora, actũ faciliora, numero pauciora. Hanc igitur vim causandi physicã à nostris sacramentis tollere, immediatẽ est detrahere perfectiõni nostrorum sacramentorum, & mediã detrahitur diuinã virtuti, & bonitati, & meritis Christi.

99 Tandem respondet Lugo dilputatione quarta seccionẽ quinta à numero 68. vsque 98. quod sacramenta antiqua, si ne-

si necessaria erãt ad gratiã, quã in ipsis dabantur, non erant mera signa, sed conditiones sine quibus non: sacramenta autem nostra nõ sunt mera signa; nec conditiones sine quibus non; sed causę; quia ipsa habẽt in se id quod mouet Deum ad producẽdã gratiã. Quod explicat hoc exemplo: si Dominus. v. g. iubeat seruo, vt quoties audierit gallum cãtan-tem, det Petro vnum aureum; tunc galli cãtus erit mera conditio; quia seruus non mouetur à galli cãtu, sed à præcepto domini posita illa conditio. Sic Deus nõ conferebat antiquis gratiã, nisi ad præsentia sacramentorũ: sed non mouebatur ab illis; sed à sua promissione, & à meritis Christi. Sacramenta vero nouã legis sunt causę morales, quia ipsa habẽt vim mouẽdi Deum: sunt enim actiones, & operationes Christi: & quasi petitio-nes: & impetrationes: vnde gratia nõ tantũ datur per sacramenta; sed etiã propter illa tanquam propter motiuum.

100 Tribus vijs potest impugnari hæc solutio, vel ostẽdẽdo nõ posse in moralibus facile assignari discrimẽ inter cõditiones sine quibus nõ, & inter causas morales: siquidẽ accedente promissione, cõditione impleta, æquialẽter mouet cõditio ad operãdũ: vnde videtur mouere moraliter. Secundo, ostẽdẽdo, quod sacramenta nostra nõ sunt in rigore causę morales. Tertio adhuc dato quod essent causę morales, ostẽdẽdo similitẽ modũ causandi posse reperiri in sacramentis antiquis. Sed quia prima impugnatũ multũ habet de modo loquendi: & ab ea latẽ se expedit Lugo n. 76. admittẽdo conditiones posse appellari causas morales in latiori significatione. Idẽ in illa vim nõ facim. Secũdã impugnatõnẽ latẽ prosequuti sumus à num. 27. vsque 55.

101 Quare nunc solũ reijcitur, quia eo modo, quo ipse verificat sacramenta noua esse causas morales gratiã, potest idẽ verificari de sacramentis antiquis: ergo si in nostris ratione causalitatis moralis tantum, verificatur, quod efficiũt, quod figurant; idẽ poterit verificari in antiquis. Quod est cõtra Cõciliũ Tridẽtinũ, & Florẽtinũ. Probatur antecedẽs: nã causalitas moralis, latẽ sũpta, coincidit cũ significatione, & cũ assitẽtia Dei promissã: & significatione, & promissio, & assitẽtia Dei etiã erat in antiquis: quia in quãtũ figurabat Christũ, melius clamabat, quã sanguis Abel: siquidẽ Christus dicitur Agnus occisus ab origine mudi, quia in antiquis sacrificijs, & sacramentis repræsẽtabatur. Causalitas autẽ moralis, strictẽ sũpta, vel dicitur quã mouet finaliter, vel quã impetrãt: semel au-

tẽ cõcessas causalitates cõuenire sacramentis nouã legis, nõ video cur cõuenire nõ possint antiquis. Quia vt docet S. Tho. q. 61. ar. 3. ad 1. *passio Christi est causa finalis veterũ sacramentorũ: quã scilicet ad ipsã significãdã sunt instituta. Causa autẽ finalis nõ præcedit tẽpore, sed solũ in intẽtione agẽtis. Et idẽ nõ est inconueniens aliqua sacramenta ante Christi passioẽ fuisse.* Si autẽ cõtinuatio per sacramenta ad passioẽ Christi, est solum moralis, potuit esse ante Christi aduentũ, sicut de facto nullus iustorũ fuit saluus nisi per fidẽ Christi: idẽ moraliter illa sacramenta, quã Christũ figurabant, Deũ mouebãt, & moraliter erãt impetrationes Christi, illis signis Deũ placãtis: quia dicit S. Aug. de Catech. rudibus cap. 26. *Quid sunt aliud quãque corporalia sacramenta, nisi quãdã verba visibilia?* Quapropter S. Tho. hac q. 62. ar. 6. vidẽs in sacramentis nõ posse formaliter, & in rigore adstrui nisi causalitatem instrumentalem physicã: solũ probãdo quod hanc nõ poterat dare humanitas Christi antequã existeret physicẽ; probatũ reliquit sacramenta antiqua nõ habuisse virtutẽ à Christi passioẽ. Illi autẽ qui solã adstruunt causalitatẽ moralẽ, sicut iusti antiqui moraliter erãt mẽbra Christi, & eius Ecclesiã partes, ita signa illa erãt moraliter sacrificiũ Crucis Christi, & sanguis Christi, & impetratio Christi, & opera, & verba Christi: ergo erãt causę morales gratiã, quã præfigurabant.

§. VII.

Non repugnat sacramenta esse physica instrumenta ad producẽdã gratiam.

102 Extrã cõclusionis fundamẽtũ, in hac forma. Quod sacramenta eleuentur à Deo vt instrumenta physicẽ causãtia gratiam, potest fieri à Deo; quia nulla in hoc inuoluitur repugnãtia. Sed plura extãt motiua ad tenendũ, quod de facto sic voluit, & instituit, & fecit. Ergo de facto sacramenta nouã legis sunt instrumenta physicẽ causãtia gratiã. Maiorẽ negãt Vazquez, & alij: & cõcessã maiori, minorẽ negãt Lugo, & alij; & idẽ ambas præmissas oportet probare. Maior demõstrabitur argumenta contraria diluendo.

Insuperque probatur ratiõne D. Thomã 3. p. q. 75 art. 4. Nam Deus est actus infinitus, vt ostenditur 1. p. q. 7. art. 1. Vnde eius actio se extendit ad totã naturã entis: videlicet ad omnia, quã non implicat contradictionem, vt docet 1. p. q. 25. art. 2. nec immediatẽ, nec mediãtẽ. Ideoque omnia Deo ad nutum obediunt, vt eleuet creaturas ad omne id quod in earum potentia obediãtiali continetur. Ergo potest creaturam

quamlibet eleuare ut instrumentum physicū ad producendam gratiam. Secundo, ut fateatur ipse Vázquez, & alij multi, quos retulimus lib. 3. de Anima q. 24. nu. 39. intellectus agens eleuat phantasma corporeum, ut instrumentaliter causet species intelligibiles spirituales in intellectu residentes: ergo à fortiori Deus, qui est agens infinitæ virtutis, potest eleuare aquam, & verba corporalia, ut physicè gratiam spiritualem, & supernaturalem causent instrumentaliter in anima.

Tertio, ignis inferni est corporeus; & tamen physicè torquet Dæmones, & animas spirituales, ut inquit S. Augustinus lib. 2. de Ciuitate cap. 10. *invis, veris tamen modis*: nō est autem vera tortura rei corporeæ in spiritum, nisi res corporalis eleuetur ut causet instrumentaliter in spiritum, quia ignis non est agens morale; unde si non agit physicè, nullo modo agit: quod concedere non consonat Scripturæ, & Patribus. Ergo pariter potest Deus eleuare sacramenta. Videatur S. August. lib. 19 contra Faustum cap. 11. Simileque argumentum fieri potest ex Diuo Gregorio lib. 2. Dialog. cap. 30. & seq. quem refert, & sequitur S. Thomas Quæst. 6. de Potentia art. 4. docente Sanctos non solum facere miracula orando, sed etiam *aliquid potest restat ut coagel*: nempe instrumentaliter physicè.

103 Respondet Durandus in 4. dist. 1. q. 4. ad 4. num. 30. & latius dist. 44. quæst. 1. quod in igne inferni non est aliqua virtus inherens deicēs spiritum, vel affligēs ipsum per detentionem, vel immersionem. Sed detinetur, vel affligitur in igne per virtutē diuinam, vel per virtutem alicuius spiritus qualiscumque sit illa afflictio. Et proportionabiliter sola virtus diuina operatur in sacramentis omnem effectum spiritualem, qui conferatur suscipienti sacramentum.

Hodie tamen hæc equatio non potest tuto defendi, propter testimonia, quæ dubio primo adduxi: ex quibus constat, nō solum Deum, sed & sacramenta vere gratiam causare: quod hæc responsio negat. Nec Sacra Scriptura solum affirmat Dæmones à Deo puniri: sed & asserit Apostolus Iudas ver. 6. *Vinculis æternis subcaltigine reuerari*. Et Christus Dominus Mathæi 25. ver. 4. i. prædicit se dicturum reprobis: *Dixedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius*. Cum igitur ignis sit verus, & corporeus; & supplicium debet causari à causa corporali: quæ cum non agat moraliter: liquidem apud nos morali combustio est combustio metaphorica, sicut cum prata dicuntur

ridere: iam habemus physica instrumenta eleuari à Deo ut agant in spiritum: ergo pariter sacramenta.

104 Prima vero minor constat ex dictis, quia sic melius verificantur testimonia Sacra Scripturæ, & Patrum: non enim tot sunt, & tam expressa pro physica causalitate ignis in spiritum: quam communior Theologorum sententiæ incunctanter admittit (quibus non desunt, qui etiam ibi solum agnoscant causalitatem moralem: apertam vim inferendo testimonijs Scripturæ, & Patrum; & contra communem persuasionem fidelium.) Nosque ita tenemur asserere, quia cum sit reuelatum sacramenta causare gratiam: & ostensum sit non causare moraliter in rigore, sequitur quod causent physicè: sicut calor animalis est instrumentum physicum ad generandas carnes, ut dicit Phylsophus 2. de Anima; & nos ibi q. 9. §. 3. multo melius panis Eucharisticus de celo descendens dat ut tam spirituales in mundo: *Quia caro Domini ueritatis est tanquam caro Verbi Dei, ut dicit Theop. relatus à D. Thom. in Catena aurea Ioan. 6. & S. Cyril. lib. 4. in Ioan. capit. 12. & 14. relatus à D. Thoma q. 79. art. 1. ait. Viuis carum Dei Verbum unius se ipsum propria carne, fecit ipsam ueritatis carnem.*

105 Obijcit tamen Lugo disp. 4. sec. 4. h. 48. nam gratia ex se postulat produci efficienter à solo Deo, à quo solo infunditur extra sacramenta: quando autem aliquis effectus ex se petit procedere ab aliqua causa, & non ab alia, nō debemus inuertere hūc ordinem sine urgenti necessitate, aut ratione. Quod late adductis exemplis probat: & concludit, quod singuli effectus dicendi sunt fieri ab ijs causis, à quibus naturaliter petunt produci, ne fingamus absque necessitate miracula. Quæ ratio tanti ponderis est in Ecclesia, ut propter ipsam fuerit semper apud omnes indubitatum, substantiam panis, & vini in Eucharistia non solum desinere esse sub speciebus, sed omnino perire, nec manere in rerum natura: *Licet ex verbis consecrationis solum colligatur, sub ijs speciebus non manere ulterius panem, & vinum; sed corpus, & sanguinem Christi*: ex hoc tamen Ecclesia colligit utramque substantiam perire, & conuerti in corpus, & sanguinem Christi, quia nimirum non possent sine nouo miraculo manere absque suis accidentibus: miracula autem non sunt præsumenda, nisi probentur. Quod idem argumentum frequentissimum est ad plures alias conclusiones Theologicas probandas, & stabilendas.

Cum ergo gratiam produci efficienter ab alio,

alio, quam à Deo, esset magnum miraculū, & contra exigentiam ipsius gratiæ, non est hoc affirmandum, nisi apertæ rationes ad id cogant: quæ tamen in præsentī nullæ sunt. Hæc Lugo.

106 In cuius argumento multi defectus facile animaduerti possunt. In primis totus est Lugo in probanda propositione, apud Theologos manifesta, & quæ à nobis, nec ab ullo alio, quem legerim, aut audierim, negatur: nempe *miracula non sunt præsumenda, nisi probentur*. Et relinquit sine probatione omnes alias propositiones, & illationem: quæ facile negari possunt: & in quibus erat tota vis argumenti. ¶ Secundo valde displicet in illis verbis: *Licet ex verbis consecrationis, &c. non enim id constat à D. Thomæ 3. p. q. 75. art. 2. Imò nec doctrinæ Concilij Tridentini sess. 13. cap. 4. prout ipse Lugo fateatur disput. 7. de Eucharistia sect. 11. n. 192. dicens. Insertur secundo, hanc fidei ueritatem sufficere ex Christi uerbis haberi, & non solum ex Ecclesie diffinitione; quod minus caute negauit Scotus: contra quem obseruare oportet doctrinam Tridentini ubi supra docentis hanc doctrinam semper habitam in Ecclesia Dei ex ueritate uerborum Christi Domini*. Hæc ibi.

107 Præterea potest totum argumentum contra eum retorqueri, inquirendo ab arguente, an gratia ex natura sua petat pendere à sacramentis corporalibus, ut à causis moralibus; vel non? Si affirmet; reddat suū argumentum: nam Angelis, & antiquis Patribus, & modò quibusdam adultis datur gratia sine sacramento in re suscepto: & ita vel est miraculum, quod sic datur; vel est miraculum, quod gratia causetur à sacramento moraliter: quia non minus miraculosum est visum restituere cæco concurrente sancto instrumentaliter, quam concurrente eodem moraliter impetrando.

* Si uero dicat gratiam ex natura sua non petere, quod producat medio sacramento ut causa morali, sed ab hoc abstrahere: rectè respondebit. Sed ex hoc ipso poterat uideri argumentum nihil probare, quia gratia ex natura sua petit ut fiat à solo Deo ut à causa principali; eo quod est specialis, & supernaturalis diuinæ naturæ participatio, quam solus Deus principaliter dare potest. Quod uero derur à solo Deo, vel intuitu meritum Christi, aut orationis, aut per sacramenta, est contingens; & potuit res uno, vel altero modo disponi. ¶ Nos igitur alleuimus Deum disposuisse gratiam causare per corporalia instrumenta, non propter indigentiam, sed propter effectum convenientiam, ut

dicat S. Tho. q. 27. de Veritate art. 2. ad 16. Quia sicut humanitas Christi est conueniens instrumentū coniunctum, ita sacramenta ab ipso instituta, & quæ ab eo efficaciam habent, sunt instrumenta separata, ut docet S. Thomas hic art. 5. & 1. 2. q. 112. art. 1. ad 2. Quia iuxta præsentem prouidentiam, ut dicitur in Concilio Tridentino. sess. 7. in decreto de sacramentis, *per ea omnis uera iustitia, uel incipit, uel cepta augetur; uel amissa reparatur.*

108 Possit præterea admitti miraculosum esse, quod gratia producat medio physico instrumento. Nec negamus esse miraculum, quod mortio, uel qualitas transiens supernaturalis sit in sacramento corporali, & sensibili. Vnde Ferrar in libro 4. contragentes cap. 56. in fine, ad 3. ait, quod *creatio talis uirtutis est omnino miraculosa, sicut & institutio sacramentorum*. Et Catechismus Pij Quinti parte 2. cap. 1. §. Sed iam folio 150. sic ait. *Quo autem pacto tantares, & tam admirabilis per sacramentum efficiatur, ut quemadmodum S. Augustini sententia celebratum est, aqua corpus abluat, & cor tangat; id quidem humana ratione, atque intelligentia comprehendere non potest. Constitutum enim esse debet nullam rem sensibilem (supra natura ea ut præditam esse, ut penetrare ad animam queat. At fidei lumine cognoscimus, omnipotentis Dei uirtutem in sacramentis inesse, qua id efficiant, quod sua uires ipse naturales præstare non possunt. Quamuis autem iste modus causandi sit miraculosus, non superflue ponitur, ut notat Caietanus quæst. 62. artic. 1. §. Ad demum obiecta, sed necessarios. Tum necessitate reuerentiæ ad auctoritates Sanctorum, &c. Tum necessitate dignitatis sacramentorum nouæ legis: longè enim digniora sunt, si locantur in genere causæ, quàm si infra latitudinem signorum concludantur, ut sacramenta ueteris legis. Denique, cum conuersio panis in corpus Christi sit miraculosus à Christo factorum maximum, ut dicit S. Tho. Opusc. de sacramento altaris: de quo infra q. 75. art. 8. Cum hoc quotidie fiat à Christo sacerdotum ministerio, pariter tuo modo dicendum de alijs sacramentis: quia sunt corollaria miraculi incarnationis, & sunt reliquæ passionis Christi.*

Quod à simili explicari potest ex D. Th. 3. p. q. 13. art. 2. ad 3. docente, gratiam miraculorum excellentissimè datam esse animæ Christi, ut scilicet, non solum ipse miracula faceret, sed etiam ut hanc gratiam in alios transfunderet, ut habetur Math. 10. addit Caiet. quod sicut Verbum potest uti humanitate sibi iuncta, ad faciendā miracula; ita & eadē ratione potest

illa uti ad communicandum alijs potestatem faciendi miracula. Est siquidem huiusmodi communicatio miraculū quoddam, comprehensum sub vniuersalitate miraculorum. Hæc ibi. Pariter miracula, quæ sunt in sacramentis, sunt extensio quædam miraculorū Christi, & sanguinis, & passionis eius.

§. VIII.

Solvitur argumentum primum: & exponitur utrum instrumentum possit agere in distans

109 **A**ntiquorum multa argumenta refert, & latissimè diluit Capreol. in 4. dist. 1. q. 1. ad argumenta Durandi, Scoti, & Aureoli contra quartam; & alia diluunt Paludanus, & Nuño, Coquetius, & Cabrera, & alij Authores nostræ sententiæ: nec omnia possumus repetere; nec principaliora de bemus omittere, præter ea, quæ iam soluta sunt ponderando fundamenta nostræ conclusionis. Arguitur primo, nulla causa instrumentalis, etiam à Deo eleuata, potest agere in id quod distat secundum locum. Sed sacramenta sæpè distant localiter ab homine, in cuius anima est causanda gratia. Ergo nequeunt sacramenta esse instrumenta physice productiua gratiæ. Maior probatur, quia oportet omnem agentem coniungi ei in quod immediate agit; & sua virtute illud contingere: vnde in 7. Phys. text. 10. probatur, quod motum, & mouens oportet esse simul. Quod autem hæc ratio militet etiã de potestate absoluta Dei, constat, quia alioquin inefficaciter ex hoc principio inferret S. Th. 1. p. q. 8. ar. 1. Deum esse intimè præsentem in omnibus rebus, quia operatur in omnibus rebus: quia si posset operari in distans, posset operari, ubi præsens non esset. Deinde, quia instrumentum operatur, & simul defert virtutem causæ principalis ad effectum: quod facere nequit, si ab illo distet. Minor vero constat ex dictis in simili q. 60. dub. 10. §. 3. & cum sacerdos poenitentem absoluit, verba non tangunt physice poenitentem; nec eius animam: cum ergo virtus sacramentalis præcipue sit in verbis sacerdotis, iam sacramenta operantur in distans: & ideo non possunt causare physice; sed solum causabunt moraliter.

110 Isto argumento conuincitur Molina 1. p. q. 8. ar. 1. disp. 2. vt asserat nullo modo esse possibile, vt instrumentum, etiã diuinum, agat in rem distantem. Et Lorca 3. p. disp. 3. nu. 9. & 14. propter illud opinatur, nullum in saculo, quod Christus est operatus in distans, & ab illo physice, mediato, vel immediato, operatum fuisse physice.

111 Per oppositum Palud. in 4. dist. 1.

q. 1. an. 48. & Capreol. ibi ad 2. Durandi contra 3. expressè docet, quod diuina virtute corpus potest agere in distans, quin agat in medio: & quod Deus aliquando supplet contactum in sacramentis: quia licet naturaliter, quod non tangit, non agat; tamen supernaturaliter, & in virtute Dei, qui contulit spiritibus per naturam agere sine tactu molis; potest hoc dare corporibus per virtutem supernaturalem. Sicut enim Deus potest agere sine omni medio, sic potest agere mediate, vno medio subtracto. Sicut ergo potest lucē conferuare in Luna sine alio lumine, ita mediate solo lumine Solis. Viderunt etiã, quod posset Deus facere, quod ignis combureret stupam distantem in vacuo.

112 Idem tenet Caler. 3. p. q. 13. art. 2. §. Ad euidenciam, in fine. Quia humanitas Christi operabatur physice miracula, vt est indubitatum in doctrina S. Thom. & tamen operabatur in distans: vt patet Ioann. 4. ver. 50. Vade, filius tuus viuit. Et 2. 2. q. 178. art. 1. ad 1. concedit S. Tho. Deum posse eleuare in teriorem hominis operationem ad physice paranda miracula in re externa, & distanti. Et 1. p. q. 64. ar. 4. ad 3. demones in acre isto detentos, docet torqueri ab igne inferni. Affertq; Glossam Iacobi 3. docentem, quod demones portant secum ignem gehennæ quocūque vadant. Quia propter contactum solum esse conditionem naturaliter requisitam, sed diuinitus supplebilem, docent Nuño; Vega, Bellarminus, Suarez, & Valentia, Conimb. Granado, & Cabrera, quos refert Choquetius vbi infra. Et iterum Cabr. q. 13. art. 2. disp. 1. §. 4. & q. 19. art. 1. & q. 62. art. 1. disp. 3. n. 147. & vt communem Theologorum, nos docuimus 2. p. Metaph. controu. 13. a. 3. §. 4. n. 81. & Vazquez 1. p. disp. 174. cap. 4. & hic disp. 132. c. 4. n. 44. Vnde Lugo in præsentis disp. 24. sec. 4. n. 40. ait. Sed neque hoc argumento vtor, quia respondent, illam conditionem propinquitatis requiri ad conaturaliter operandum: non vero de potentia absoluta: de quo non est nobis nunc disputandum.

113 Hæc solutio est probabilis valde. Sed melius, & clarius alij respondent, distinguendo duplicem propinquitatem, vel contactum, nempe contactum suppositi, vel rei, quæ est instrumentum: & contactum virtutis, & causalitatis, quæ actu cum causa principali efficit. Distinctio est D. Tho. lib. 3. contrag. c. 70. à nobis explicata illa controu. 13. nu. 89. Dicunt ergo ad rationem instrumenti physici necessarium non esse, attentam Dei omnipotentiam, vt illud per se ipsum, seu per suam entitatem, attingat subiectum, vel effectum, qui in eo pro-

producitur. Quia propinquitatis agentis instrumentalis ad passum, est conditio diuina virtute supplebilis. Et hoc solum docent, & intendunt Authores præcedentis solutionis. Nec oppositum leuiter indicat S. Thomas 1. p. q. 8. art. 1. Tum quia in Deo vtraque immediatio coincidit: nam vt dicit in 1. dist. 37. q. 1. artic. 1. ad 4. Ipsemet est sua virtus: & ideo non tantum est immediatum principium operationis; sed immediate in omnibus operans: quod in alijs causis non contingit. Tum quia S. Thom. q. 8. non arguit ex quacumque operatione, sed ex operatione immediata, & intima: & ideo in sol. ad 3. potius docet commēdari Dei perfectionem ex eo quod immediate in omnibus agit. Tertio, quia licet instrumentum à Deo assumptum distet à passo; Deus, qui est agens principale, præsens est: ipse autem nequit esse alterius causæ instrumentum, vt ad hoc intentum notat Curiel, quem retulimus illa controu. 13. num. 81.

114 Loquendo autem de contactu virtutis, & causalitatis, implicat contradictionem instrumentum propriè, & in rigore physice causare, & quod simul cum causalitate, & virtute per eum deriuata à causa principali, non tangat spiritualiter, & virtualiter passum. Ita S. Thomas 3. p. q. 48. art. 6. ad 2. dicens, quod passio Christi licet sit corporalis; habet tamen spirituale virtutem ex diuinitate vnita. Et ideo per spirituale contactum efficaciter foritur. Et q. 56. art. 1. ad 3. inquit potest carere. Ita Resurrectio Christi est causa efficiens nostre resurrectionis virtute diuina; cuius proprium est mortuos viuificare. Quæ quidem virtus presentialiter attingit omnia loca, & temporas; & talis contactus virtualis sufficit ad rationem huius efficientiæ: nempe instrumenti physici à Deo eleuati. Idem sic exponunt, & sequuntur Medina 3. p. q. 48. ar. 6. §. Sed iam tempus est. Bañez 1. p. q. 45. art. 5. dub. vnico ad 4. Nuño hic ar. 1. dist. 7. ad 4. in 2. sol. Ioannes Vincentius de gratia Christi q. 6. pag. 815. Syluius 3. p. q. 13. art. 2. quos refert, & sequitur Hiacinthus Choquetius lib. 2. de gratia disp. 6. toto cap. 4. Nazarius 3. p. q. 48. art. 6. controu. vnica. §. His adde. Rationemque assignat Vincentius, quia intelligibile prorsus est, quod instrumentum aliquod physice efficietia producat effectum, quem neque propria virtute, neque virtute ab agente principali deriuata contingit: quia instrumentum, etiã à Deo eleuatum, vere, ac proprie agit, & efficit: alioquin Deus se solo, & in instrumento totum efficeret: sed efficere nequit, si virtualiter non tangat: quia agere est virtute actiua actu dare esse: & ipsa productio,

& actualis efficietia est verus, & realis contactus. Nunc autem potest habere instrumentum situatim distans, quia Deus, qui eleuat, presentialiter attingit omnia loca: & se accommodat huic instrumento, quod est organum coniunctum, vel separatum, per quod operatur vbi agens principale adest, vt obiter cum Zumel iam diximus 2. p. Metaph. controu. 10. ar. 6. n. 101. & sic penitus euacuat argumenti difficultas vtraque solutione.

115 Aliter respondent Nuño dist. 7. in 3. solutione ad 4. & alij, quos sequitur Serrahie dub. 2. ad 4. in fine, ad 3. impugnationem, folio 76. non esse necessarium agens physicum esse immediate coniunctum cum ea parte, in qua producit suum effectum: vt patet in pungente carnem, quod in sensu, aut organo tactus causat dolorem, cum quo tamen non est immediate coniunctum; iuxta ea, quæ dixerat 1. p. q. 78. art. 3. dub. 1. cont. 3. & dub. 4. cont. 3. Sed satis esse coniunctum esse cum toto composito. Vnde cum sacramenta possint esse immediate coniuncta cum homine, in eius anima possunt instrumenta liter physice gratiam causare; sicque tangendo corpus, cor abluere, & efficere operationem instrumentalem circa animam, vt cum S. Augustino dicit S. Thomas hic ad 2.

116 Hæc responsio, cum sacramentum physice tangit corpus, facile posset admitti sed si ponatur vt vniuersalis pro omni casu, nequit verificari: quia rectè eam rejicit Cabrera disp. 3. §. 3. n. 22. & §. 14. à nu. 141. nam sunt aliqua sacramenta nouæ legis, quæ huiusmodi contactum circa corpus non habent: vel saltem non est necessarium vt illud habeant ad causandum gratiam: nam in sacramento poenitentiae verba absolutionis à sacerdote prolata, non est necessarium, vt reali, & physico contactu ipsum poenitentem attingant: possunt enim poenitens, & sacerdos tanto intervallo distare, vt verba sacerdotis poenitentem physice non attingant. Similiter in sacramento matrimonij verba vnus contrahentis, non est necessarium vt in ea distantia proferantur, quod alterum contrahentem realiter attingere valeant. Et simile est in sacramento Eucharistiæ respectu consecrationis: non enim oportet, vt verba sacerdotis consecrantis panem, & vinum materialiter, & realiter attingant: vt cum plures hostiæ consecrantur. Et est iniungere scrupulū sine fundamento, & sine autoritate Patrum, & Theologorum, requirere ad valorem sacramenti cuiuscumque, quod in omnibus ad validitatem sacramenti exigatur physicus contactus sacramenti ad corpus sacrificandi per illud.

Recurrendum ergo ad duas precedentes resolutiones; quia ambae, & praecipue ultima, satis facile percipiuntur, & verificantur.

§. IX.

De sacramento praeterito.

117 Secundo arguitur ex alia conditione causae instrumentalis physicae: quia non potest aliquid realiter, & physice causare, quia physice existat, cum causat, quia unumquodque operatur in quantum est in actu. Quod non solum est verum ex natura rei; sed etiam attenda Dei virtute: ut sumitur ex D. Thoma hic art. 6. & nos docuimus 2. p. Metaphysicae controu. 13. art. 1. §. 2. nu. 7. & 2. Phys. q. 13. nu. 2. Sed sacramenta causant, cum realiter non existunt: non solum quia sunt entia successiua; & prius desinunt esse quam causent (de quo postea.) Sed quia baptisimus recedente fictione, causat gratiam, ut docet S. Augustinus lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 12. relatus de Co. secr. dist. 4. cap. 4. 1. & S. Thomas 3. p. q. 69. art. 10. & cum eo communiter Theologi. Ergo sacramenta non causant physice, sed moraliter.

118 Ad hoc argumentum multiplex solet adhiberi solutio. In primis negant Maiorem Capreolus in 4. dist. 13. q. unica artic. 4. ad ultimum Durandus contra primam folio 161. docens humanitatem Christi antequam existeret, fuisse instrumentum Dei physicum ad causandam gratiam in praedestinatibus, qui eum praecesserunt. Probat ex D. Thoma 3. p. q. 48. art. 6. ad 2. & q. 62. art. 5. ad 2. & q. 78. art. 3. Sequitur Soto in 4. dist. 1. q. 2. a. 3. & in ultima editione in fine libri 4. Sententiarum. Probabilemque reputant Medina 3. p. q. 13. art. 2. Sed quia hoc ex professione rejiciunt Ioann. Vincentius de gratia Christi q. 7. a pag. 780. Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 31. sec. 8. Larè Cabrera tom. 3. q. 61. art. 3. tom. 2. disp. 6. Nuño q. 70. art. 4. dub. 3.

119 Secundo respondent ipse Medina ibidem. Et pro eadem solutione refertur Orellana in praesenti, & Zumel 1. 2. q. 112. art. 1. disp. 4. & Cabrera hac q. art. 1. disp. 3. §. 12. an. 91. vsque 96. & sequitur Nazarius 3. p. q. 48. art. 6. controu. unica docens actiones, & passiones praeteritas omnino assumi à Deo posse ut physica instrumenta ad producendam gratiam, sicut de passione, & resurrectione Christi docet S. Thomas 3. p. q. 56. art. 1. ad 3. & q. 50. art. 6. & q. 51. art. 1. ad 2. & q. 57. art. 6. & 4. c. 6. rag. cap. 78. & q.

27. de Verit. art. 3. ad 7. & in 4. Sent. dist. 43. q. 1. art. 2. q. 1. Vbi idem docet Soto artic. 4. conc. 2. & Abulenti in cap. 22. Math. q. 225. & Valentia to. 4. disp. 11. q. 3. puncto 2. & Seraphinus Porreca in Addit. ad 3. p. q. 76. art. 1. Quod explicat Nazarius §. Quarto dico, asserendo actiones omnes, & passiones Christi Domini eodem tempore, quo factae sunt, assumptas fuisse, ut instrumenta ad effectus humanae salutis, & factas fuisse tunc causas in actu secundo in ordine ad humanae salutis effectum, non tunc, sed temporibus à Deo praefinitis efficiendum: ita ut causalitas instrumentalis actionum, & passionum Christi à Deo fuerit eleuata ad participationem excellentiae diuinae causalitatis, quoad hoc quod est actualiter operari, & effectum ex eadem operatione non sequi, nisi secundum praefinitionem diuinae voluntatis: ut de actione diuina docet S. Thomas 1. p. q. 49. art. 1. ad 9. & 10. Ideoque S. Thomas 3. p. illa q. 56. loquens de causalitate Resurrectionis Christi, ut actio est, recurrit ad virtutem diuinam: quae quidem virtus praesentialiter attingit omnia loca, & tempora: frustra autem ad hoc recurrisset, si semel transacta non posset physice causare. Similiter posset dici Deum eleuasse sacramentum cum physice existit, ut causet gratiam vel nunc, vel postea, quando impedimentum fuerit sublatum: quia licet existentia causa sit indispensabiliter requisita ad causandum physice; coexistentia tamen potest suppleri à Deo, qui praesentialiter attingit omnia loca, & tempora, ut ait D. Thomas.

120 Quae solutio est valde probabilis: sed quia est difficilis, & loco citato cum communi sententia, etiam de potentia Dei absoluta admissimus; quod id quod physice non est, nequit esse physicum instrumentum: cum id quod physice non est, nequeat physice moueri, neque physicam virtutem, aut motionem principalis agentis in se recipere, & ad effectum physice deferre: quia prius est esse, quam recipere, & causare. Vnde Caietanus 3. p. q. 69. art. 10. §. ad euentiam horum, ait. Non enim videtur posse intelligi rem aliquam, postquam desijt esse, habere suum effectum, nisi aliquando res illa remanserit. Ideo concedenda est maior. De prima probatione minoris erit speciale dubium. Ad secundam multi defendunt etiam sacramenta, quae conferunt gratiam recedente fictione, conferre eam physice. Ita Zumel 1. 2. q. 112. art. 1. disp. 4. Cabrera hic disp. 3. §. 12. an. 83. vsque 96. Nuño difficul. 7. ad 1. quartae sententiae. Henriquez lib. 1. de sacramentis cap. 25. n. 4. qui omnes dicunt physice posse causare,

causare, quia licet sacramentum non maneat formaliter, manet tamen in virtute, sicut virtus generantis est in semine. Et sicut passio Christi, mors, resurrectio, & ascensio eius sunt causa efficiens nostrae salutis; quia licet prout inferit transferint; tamen prout in facto esse manent virtualiter; quia humanitas Christi, quae istis accidentibus fuit determinata, & modificata manet; & est instrumentum coniunctum Verbi Dei.

121 Hanc autem virtutem permanentiam, non eodem modo declarant: nam Zumel, Cabrera, & Henriquez num. 6. dicunt; quod illum actum, per quem adfertur fictio, assumit Deus ut physicum instrumentum ad causandam gratiam correspondentem sacramento praeterito, in cuius virtute agit: quia manet virtualiter; quatenus manet in applicato esse sacramentali, applicatione reali; & physica; per quam applicationem, suscipiens sacramentum, fuit realiter, & physice immutatum. Nuño vero, & Cabrera n. 96. docent; quod per realem susceptionem sacramenti homo elicuit operationes reales, per quas produxit modum realem, quem Deus eleuare potest ad gratiam physice causandam. Vnde recedente fictione, ille modus tanquam virtus sacramenti eleuatur ad causandam gratiam: & sic etiam sacramentum, quod fuit, & manet virtualiter in sui termino, physice causat gratiam.

122 Non minus est difficilis haec solutio; quam praecedens. Primo, quia isti modi relicti eadem facilitate, qua ponuntur; reijciuntur, ut in simili diximus q. 60. Nec oportet modos sine urgente necessitate multiplicare. Secundo, quia ut arguit Serra dub. 2. ad confirmationem 3. esse motum, transacto motu, non est aliquid reale; sed sola relinquuntur extrinseca denominatio in subiecto moto: sed sacramentum suscepisse fictè, nihil aliud est, quam suscipientem fuisse motum, actione, vel motu, in quo consistit sacramentum: ergo recedente fictione, nil reale manet in eo. Nec viget exemplum de passione, & morte, & ascensione Christi: quia iuxta Caietanum, & alios neque actiones in fieri, neque in facto esse iuat ipsa instrumenta: sed ipsa Christi humanitas, concurrentibus illis modificationibus per modum conditionis, est quae est causa instrumentalis.

123 Tertio, actus quibus perficitur sacramentum, non causant gratiam se ipsis, sed motione Dei virtute, vel qualitate diuina; quae statim desinit, desinente motu, ut docet S. Tho. art. 4. ad 3. & q. 27. de Verit. art. 4. ad 10. Et huiusmodi (inquit) cessat, cessante mo-

uione mouentis: statim enim quando mouens cessat mouere, & mobile cessat moueri. De quo in 4. dist. 8. q. 2. art. 3. ad 8. & 3. p. q. 78. ar. 4. ad 3. Ergo sicut motus sacramenti totaliter non est; ita nec motus Dei. Ergo nequit sacramentum praeteritum hunc physice causare.

Quarto, cum baptisimus recipitur ab eo, qui non est dispositus ut cum sacramento iustificetur, licet adit motus Dei effectiua sacramenti, non adit motus Dei effectiua gratiae; quia haec non adit, nisi cum homo est dispositus, & cum effectu iustificatur: ergo postea, cum adit contritio, vel aliud sacramentum, quo auferitur fictio, non redit prior motus causatiua gratiae; quia haec nunquam fuit: ergo effectiue haec iustificatio solum fit à sacramento praesenti.

124 Quapropter Nuño in prima solutione: & Suarez disp. 8. lect. 2. & disp. 9. sec. 2. ad 3. & Valentia to. 4. disp. 4. puncto 2. & dicit probabilem Cabrera §. 12. nu. 87. Sequunturque absolute Araujo dub. 5. nu. 66. Serra dub. 2. ad confirmat. 3. Choquetius libro 2. de gratia disp. 6. cap. 5. ad finem. Candidus dilquif. 16. art. 9. dub. 13. concl. 18. & alij, dicunt sacramentum, quod in sui collatione fuit informe; propter fictionem, ea per subsequutam poenitentiam sublata; non causare physice gratiam, neque quidquam realiter operari, idque defectu existentiae; quomodo scilicet, ita praeterijt ut nihil penitus suae virtutis reliquerit. Rationi enim consentaneum videtur, quod sacramentum per se, & ex natura sua causet gratiam; secundum modum essendi; quem habuerit; ita ut illam physice causet; quando vere existit physice; moraliter vero quando solum existit moraliter in diuina acceptione: Quod explicat Serra: nam quamuis susceptio sacramentorum cum fictione, non fuerit Deo accepta; sacramenta tamen ipsa, & merita Christi per ea applicata, Deo accepta sunt; & manent in diuina acceptione: sicque propter illa recedente fictione; & impedimento, confertur à Deo gratia; huiusque illa causa moralis sunt. Non secus ac praetium datum a captiua pro sua redemptione cum iniuria domini; quem captiuus dans praetium verbis contumeliosis offendit; licet tunc effectum libertatis captiuo non obtineat; postea tamen exhibita satisfactione libertatis illius causa moralis est; etiam si iam sit columptum.

125 Sed inlabis ex Vazquez cap. 4. nu. 4. 1. & 2. nam si in vno casu defectu existentiae verificantur Scripturae, & Patrum loquutiones, sola posita causalitate moralis; ergo hoc idem in vniuersum iustificet etiam tribuere

tribuere sacramentis, ut dicitur Scripturæ, & Patrum fieret satis. Secundo, qui alteri impetrat sanitatem solum moraliter concurrat, & verè dicitur illum sanare: ergo sacramentum præteritum, cuius intuitu, Deus dat gratiam nunc, vere dicitur animam mundare: & cum sola causalitate morali idem verificabitur in alijs sacramentis. Unde sine necessitate in illis adstruitur causalitas physica. Et sanè si absurdum esset negare effectum sacramenti Baptismi recedente fictione, absurdum etiam esset negare, sacramentum vere, & propriè emundare animam, & gratiam conferre.

Præterea arguit Lugo sect. 5. nu. 50. quia Patres eodem modo dicunt, gratiam tunc fieri à baptismo præterito, sicut quando fit à baptismo præsentem. Sic enim loquitur S. Augustinus lib. 3. de Baptismo cap. 3. his verbis. *Tunc incipit valere uerum baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesie pacem uenerint, non ut iam dimissa non retineantur, neque ut ille baptismus quasi alienus, aut alius improbetur, aut alter tradatur; sed ut idem ipse, qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem, &c.* Eodem modo loquitur Author sermonis de Passione Christi apud S. Cyprianum ante finem. Ergo baptismus præteritus operatur intus salutem. Si ergo hoc verificatur sola causalitate morali: ergo de eadem potest exponi S. Augustinus cum dicit, quod aqua corpus tangit, & cor abluit: nec enim alio modo baptismus operatur internam salutem, quàm dando gratiam, & animam mundando, & abluendo.

126 Videnturque maximè yrgeri instantias istæ in nostra sententia, quæ ut adstruat in sacramentis causalitatem instrumentalem physicam, negat illis omnino causalitatem moralem: si ergo nunc fatemur sacramenta recedente fictione, quia non sunt physice, non posse physice causare: vel omnibus modis negamus causare: quod est contra S. Augustinum, & D. Thomam, & omnes Theologos. Vel iam admittimus, quod negaueramus, nempe posse conuenire rei inanimatæ causalitatem moralem. Illi enim, qui in sacramentis simul agnoscunt causalitatem physicam, & moralem, facillè respondent cum ad sunt omnes conditiones, utramque causalitatem conuenire; cum vero deest aliqua conditio causæ physice, quæ non requiritur ad causam moralem, hæc sola reperiri. Quod expressit Serra dicens. Sacramenta enim licet in eis, qui sic acciderunt, recedente fictione, moraliter causent gratiam, sicut eam

causassent à principio, si non sic accessisset; non tamen causant omnibus modis, quibus antea causaret: nam cum antea existeret, non solum moraliter, sed etiam physice causassent gratiam: postea vero, cum non existat, non possunt illam physice causare, sed solum moraliter: quia ad illud requiritur existetia; ad hoc uero non, sed sufficit ut mouere possint diuinam voluntatem ad conferendam gratiam: sicut reuera mouent, etiam si non existant, sed fuerint. Hæc ille. Quod nos non possumus asserere, si consequenter loquamur: siquidem sacramento præsentem negamus habere vim moraliter mouendi diuinam voluntatem: & non potest concedi maior vis mouendi sacramento, quod non est, sed fuit: quam conueniat sacramento dum est: quia non manet in acceptatione diuina nisi valor, & moralitas quæ fuit.

127 His tamen, & alijs replicis non obstantibus, sustineri valet relata solutio, præmittendo cum communi Patrum, & Theologorum, quod uerba Sacra Scripturæ (& idem est de uerbis Patrum, & Conciliorum) in sensu proprio, & non figurato, metaphorico, vel improprio sunt accipienda: alioquin nil ex illis probari posset, si cuiuslibet liceret à sensu proprio recedere. *Nisi necessitate quadam compellamur ad figuratam confugere loquutionem, ut docet S. August. lib. 3. de doctrina Christ. cap. 5. & cap. 15. & 16.* Unde in Scriptura tribuuntur oculi, & palpebræ Deo, & homini: si de Deo exponantur propriè, sequitur illud absurdum, quod in Deo sint oculi carni: contra illud Job 10. *Nihil quid oculi carni tibi sunt, aut sicut uidet homo, & tu uidebis?* Ideoque oculos, & palpebras cogimur agnoscere solum attribui Deo metaphoricè. Si de homine exponantur propriè, nullum sequitur absurdum: ideoque hæc uerba cum dicuntur de homine, intelliguntur, & accipiuntur propriè, & in rigore.

128 Pariter in Sacra Scriptura, & Patribus legimus Sanctos fecisse miracula per uirtutem, & potestatem, & per orationes, & preces, & aliquando sola obumbratione: & quia istæ diuersæ loquutiones indifferentes sunt ad causalitatem physicam, & moralem, ad causalitatem propriam, & impropriam, sub dubio reliquit S. Augustinus lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 9. & 10. qualiter Sancti miracula fecerint? Quia id ad suum intentum parum conducebat. Sed quia facere miracula ex potestate, uidetur indicare uirtutem, physicam; & quia in hoc genere causalitatis Sanctis attribuendo, nullum sequitur absurdum;

num; ideo S. Greg. quem refert, & sequitur S. Thomas Quæst. 6. de Potentia artic. 4. de huiusmodi uirtute physica Sacramentum exponit. Sed quia id quod nil est, non potest esse physicum instrumentum, cum miracula attribuuntur umbræ, vel operatio corporis attribuitur eius umbræ, quia corpus operabatur ad distantiam umbræ: vel ad uitandum inconueniens, recurrendum ad loquutionem minus propriam, & metaphoricam. Unde cum S. Augustinus lerm. 28. de Sanctis de umbræ S. Petri ait. *Sit tunc opem ferre poterat umbra corporis, quanto magis nunc plenitudo uirtutis?* Et paulo post. *Si inanis quædam species uacua imaginis habere potuit in se uim salutis; quanto plus, &c.* Exponendus est S. Augustinus uno ex duobus modis iam relatis, quia ipsi notissimum erat, quod umbræ per se ipsam immediatè erant incapax ut eleuaret ut esset instrumentum physicum: quia non est ens positum, sed mera lucis priuatio, ut ipse S. Augustinus docet lib. 1. de Genes. ad lit. cap. 4. initio, & de Genes. ad lit. cap. 4. & contra Epist. fundamenti cap. 30. & 31. ad finem, & lib. de natura boni contra Manicheos.

129 Similiter ergo, cum de sacramento iam præterito loquendo, & tribuendo ei causalitatem physicam, non possit non sequi inconueniens, quod possit physice operari, quod physice non est: cogimur, & quædam necessitate compellimur confugere ad impropriam loquutionem: & sic exponimus S. Augustinum loqui de causalitate morali minus propria; quia iuxta subiectam materiam, alia nequit locum habere. Sed quia loquendo de sacramento actu existente, absque inconuenienti ei tribui potest causalitas physica instrumentalis: quia causalitas moralis strictè locum non habet, & causalitas moralis minus rigurosa non transcendit rationem signi; ideo ad melius verificandam uerba Conciliorum, & Patrum, cogimur (quia absque inconuenienti id fieri potest) concedere sacramento præsentem causalitatem physicam instrumentalem, ultra moralem minus propriam. Et sic cessant omnes replicæ. Et etiam uertina, quia quod Serra, & alij discurrunt de causalitate morali strictè sumpta, quæ simul cum causalitate physica admittunt in sacramentis, & ablata una, solam relinquunt aliam; id nos quoque cum Soto, Suarez, Choquetio, & alijs dicimus de causalitate morali late sumpta, quam nullus negat in sacramentis, & quam solam, iuxta hanc solutionem, agnoscimus in sacramento sicè suscepto.

130 Præterquam quod unum Patrem exponere minus rigurose loquutum, non est inconueniens: sicut esset sic loquutos committere Patres, & Concilia admittere. De causalitate sacramenti recedente fictione, solam habemus auctoritatem S. Augustini de causalitate sacramentorum ex opere operato, & instrumentali, habemus Concilia Florentinum, & Tridentinum, & uniuersos Patres. Unde non mirum, quod magis curemus de rigore, & proprietate huius loquutionis, quàm illius.

131 Sed quia ut uidimus nu. 120. multi Thomistæ, & alij, ut magis consequenter loquantur, nullam uolunt admittere doctrinæ exceptionem, in eorum gratiam, oportet subijcere modum, quo defendi possit sacramentum baptismi recedente fictione causare physice gratiam. Paludanus, Capreolus, & Deza, & Ferrara relati nu. 13. & Thomas Hurtado illo trac. ult. resol. 10. §. 9. fol. 534. docent sacramentum informe causare in anima quendam ornatum, seu dispositionem, quam ablata fictione, eleuat Deus ad physice causandam gratiam. Sed quia iste ornatus est superfluous, & uoluntarie adstruitur: & habet contra se alia inconuenientia proponenda §. 10. n. 150. & nu. 151. Ideo in eo non quiescimus. Quidam Thomistæ, quos refert, & sequitur Henriquez lib. 1. de sacramentis cap. 25. n. 4. dicunt sacramentum transactum agere nunc physice, quia est relictum tamen uicarium sacramenti: nam in tribus sacramentis relinquitur character, qui aliquo modo est dispositio gratiæ: & uideatur potestas actiua incompleta, quæ si in uerbo actu poenitentia, significet, & significando causet gratiam, ut dixerat cap. 13. nu. 9. lit. g. referens D. Thomam, & plures alios, qui dicunt characterem attingere physice effectum gratiæ, uel Eucharistiæ. Sed quia q. 63. art. 2. loquitur S. Thomas de effectu characteris respectu gratiæ alterius.

132 Ideo magis ad rem facit, quod scripsit S. Thomas in 4. dist. 4. q. 3. art. 2. quæst. 3. dicens, quod in baptismo imprimitur character, qui est immediata causa disponens ad gratiam: ideo cum sic non auferat characterem, recedente fictione, quæ effectum characteris impediens, character, qui est præsens in anima, incipit habere effectum suum: ita baptismus recedente fictione effectum suum consequitur.

Et quamuis alia phrasi utatur 3. p. q. 69. art. 10. dicens: *Et similiter quando aliquis baptizatur, accipit characterem quasi formam, & consequitur proprium effectum qui est gratia: tamen ad intentum idem deseruit: quia ut no*

rat ibi Caietanus, ex institutione, & decreto diuino, character baptismi assimilatur formae, quia constituit Christianum, & illi est annexa voluntas dandi gratiam, nisi peccatum impediatur; & ideo ablata fictione ex natura characteris, est annexa voluntas dandi gratiam. Et aduertit Caietanus illo articulo 10. §. 1. ex his, quod forte in hoc puncto in solis verbis dissentio est inter diuersos Doctores: Nullum enim puto sane mentis apud se credidisse, gratiam cessante fictione comitari characterem, sine noua Dei actione gratia baptismalis infusa. Causatur ergo à baptismo praecedente incompletè, quia causabit aliquid, quod eam exigit, sed vltimate causatur à contritione, vel à poenitentia, & principaliter à Deo, qui his omnibus vititur vt instrumentis: & solum in hoc sensu sacramentum praecedens causatur: quia dat id quod exigit gratiam impedimento ablato. Et sic S. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. q. 1. id admittit in Poenitentia, & in alijs sacramentis, licet diuerso modo, & titulo, ac contingit in imprimenti bus characterem.

133 Sed instat Vazquez cap. 4. nu. 42. dicens, quod hoc responsum nihil eis prodesse potest, qui fatentur omnia sacramenta recedente fictione operari: quia non omnia imprimunt characterem. Praeterea, si hoc verum esset, & Deus assumere posset vt instrumentum characterem, non sacramentum, sed character diceretur instrumentum Dei ad producendam gratiam.

134 Responderetur in primis incertum esse an illud privilegium conferendi gratiam recedente fictione, extendi debeat ad alia sacramenta? Nam S. Augustinus de illo solo loquutus est: & ad illud restringunt Soto in 4. dist. 6. q. 1. art. 3. Vazquez disp. 161. cap. 2. Et ad sola sacramenta imprimenti characterem, planè videtur restringere S. Thom. in 4. dist. 4. q. 3. art. 2. q. 3. ad 3. & ibidem Paluanus q. 5. Syluester verbo Baptismus 4. in fine. Et iuxta has sententias non habet vim prima replica.

Sed quia S. Thomas in 4. dist. 17. vbi supra id videtur extendere ad omnia sacramenta. Quod & docent Caietanus to. 1. Opusc. tract. 5. q. 5. de confess. & Petrus Soto de Baptismo lect. 4. De quo dicam quaestione 69. dubio 6. Ideo pro sacramentis non imprimenti bus characterem, recurrendum ad priorem solutionem, quia nulla est Patrum auctoritas, quae in aliam inclinet: & pro alijs tribus haec erit tenenda.

135 Secunda replica parum vrget, quia homo dicitur verè generare hominem, &

equus equum: & tamen generant mediè virtute seminis, cuius virus solet operari quando generans est mortuū; quia vt illi tribuatur actio, sufficit, quod sit in sua virtute instrumentalis: ergo si Deus infundens gratiam baptismalem, ablata fictione, inter instrumenta, quae ad eam causandam eleuat, assumit characterem, vt instrumentum partiale relictum physicè à sacramento praeterito, vere nunc verificatur physicè causare cum physicè non est in se, quia physicè est in sua virtute, à Deo eleuata ad causandam physicè.

§. X.

De actione prauia instrumenti.

136 Tertio principaliter arguitur ex alia conditione requisita ad instrumentum: nempe, quod habeat actionem prauiam. Quam conditionem requiri, affirmat D. Thomas 1. p. q. 45. ar. 5. & probat dicēs. Causa secunda instrumentalis non participat actionem causae superioris, nisi in quantum per aliquid sibi propriū dispositiue operatur ad effectum principalis agentis. Si igitur nihil ibi ageret, secundum illud, quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum. Nec oportet esse determinata instrumenta determinatarum actionum. Sic enim videmus, quod securis sciendo lignum, quod habet ex proprietate suae formae, producit scami formam, quae est effectus proprius principalis agentis. Haec S. Thomas. Sed sacramenta corporalia non agunt dispositiue circa animam aliquid prauium ad gratiam. Ergo nequeunt esse instrumenta causatiua gratiae. Consequentia patet, quia D. Thomas in probatione maioris loquitur de potentia absoluta, iuxta quam, illa ratione motus, negat creaturam posse assumi à Deo vt instrumentum ad creandum.

Respondet S. Thomas hic art. 1. ad 2. etiam in sacramentis reperiri actionem prauiam: Nam sacramenta corporalia per propriam operationem, quam exercent circa corpus, quod tangunt, efficiunt operationem instrumentalem ex virtute diuina circa animam.

Sed contra est primo; nam iam admissimus solutione ad 1. à nu. 111. vsque 116. non in omnibus sacramentis ad eorum validitatem requiri contactum physicum corporis, in cuius anima est causanda gratia: ergo tunc non est actio prauia instrumenti: cum ergo haec requiratur ad physicum instrumentum, sacramenta nequeunt physicè causare. Secundo, quia difficile in singulis sacramentis, assignari

nari potest actio prauia dispositiue se habēs ad gratiam.

137 Ad hoc argumentum Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 3. sect. 9. & lib. 6. de gratia capite 7. nu. 12. & in praesenti disp. 9. sect. 1. in fine, & Lorca 3. p. disp. 53. nu. 10. Molina 1. p. q. 45. ar. 5. & alij negant maiorem; quia dicunt, quod in diuinis instrumentis non est simpliciter necessaria prauia actio: quia eleuantur per potentiam obedientialem; & ideo operatur ultra terminos naturales perfectionis, propter quod in eis non attenditur naturalis connexio, quae reperitur inter actiones eorum naturales, & effectus principalis agentis. Deinde, quia incredibile est posse Deum efficere gratiam per aquam motam, & contingentem corpus; & non per aquam quietam, & propinquam, vel contiguam absque alia motione, vel materiali actione: quia productio gratiae potius correspondet eleuationi, quam rei quae eleuatur.

138 Per aliud extremum Scotus in 4. dist. 1. q. 1. §. deo dicit potest, circa finem. Et Vazquez 1. p. disp. 176. cap. 3. & 5. & hic disput. 132. cap. 3. n. 4. argumento conuincuntur vt propter illud negent sacramenta causare physicè: quia nequit Deo pro sola ipsius voluntate assumere quamlibet rem, vt effectum physicum ad quemlibet effectum producendum; sed eas tantum res deseruire posse, vt instrumenta physica ad aliquem effectum, quae suapte natura ad illud aliquam aptitudinem habent: quia effectus correspondere debet instrumento, vt propria causa naturae virtute operanti. Quod probat Vazquez illo cap. 3. à nu. 9. nam cum res aliqua assumitur ad aliquem effectum, non tantum est ordo efficientis, & effecti inter effectum ipsum; & causam principalem; sed etiam inter effectum, & instrumentum ipsum: quia effectus non tantum exit à causa; sed etiam re ipsa exit à causa per instrumentum: & instrumentum re ipsa agit id quod antea non agebat. Sed hoc nequit esse, nisi iuxta apte naturam ad illud referatur; aut facta aliqua mutatione: Neutro autem modo fieri potest: Ergo si res non respondeat instrumento, vt natura virtute operanti; non est instrumentum physicum. Probat secundam partem minoris (quae sola probationem desiderat) nam eleuatio instrumenti, vel est prauia in instrumento ad agendum; vel est in effectu; non primo modo, quia vel est virtus propria ad producendum talem effectum? Et sic iam non constituet instrumentum, sed causam propriam, & principalem illius: constat autem

creaturam non posse esse causam principalem gratiae. Vel virtus illa est inferior: Et ita indigebit eleuatione noua; siquidem ex se ipsa non potest effectum producere. Vel tota mutatio sit in re producta. Et hac etiam ratione non potest esse mutua relatio. Nec apparet, quae sit ista mutatio, & ad quid requiratur; & quem modum in re producta ponat.

Confirmatur, quia potentia, vel actio nequit eleuari ad attingendum aliquid, quod est extra latitudinem sui obiecti adaequati extensui. Hac enim ratione 1. p. q. 12. probatur potentiam visiuam, aut visiuam corporalem non posse; etiam a Deo, eleuari ad videndum Deum; vel Angelum. Sed res spiritualis est extra latitudinem obiecti; & potentia, & actionis rei corporeae: ergo haec nequit eleuari ad producendam gratiam spirituales in anima spirituali.

139 Nihilominus triadico, primo etiam in instrumentis a Deo eleuatis necessariam esse actionem prauiam. Et ita concedenda esse maiorem; cum D. Thomas, & alijs multis, quos retulimus, & sequuti sumus 2. p. Metaph. controu. 10. art. 6. tenent; Ioannes Vincentius, Cabrera, & Herrera, Maior, Fonteca, Valentia, Syluius, Albertinus; Rubio, & Granados, quos refert; & sequitur Hyacinthus Choquetus lib. 2. de gratia disput. 6. toto cap. 3. concludens. Quo circa necessitatem actionis prauiae in creatura, etiam respectu omnipotentiae Dei; ponimus vt per eam fiat capax eleuationis, & motionis passivae, quia absque illa reuera nihil omnino exerceat; cum tamen vt sit instrumentum aliquid agere debeat. De quo S. Thomas 1. p. q. 45. art. 3. in fine cor. & 2. 2. q. 178. art. 1. ad 1.

140 Secundo assero, quod in re, quae eleuatur vt sit instrumentum Dei non est opus actione rei connaturali; & ad effectum proportionata. Est Theologorum communis: Tringintaquatuor refert, & sequitur Ripalda lib. 2. de ente supernaturali disput. 40. Licet inaduerterent inter Auctores Societatis referat Sayrum; cum contra Gregorium Sayrum Anglum fuisse Monachum Ordinis D. Benedicti professum in Monasterio Cuiuentis: vt patet in tomo eius inscripto *Ciauis Regia*, & in alio attributo: *Theaurus conscientiae*, continens praxim de *Conscientiis*; & in priori tomo agendo de eleuatione sacramentorum, docet hanc communem doctrinam. Ita sumitur ex D. Thom. 3. p. q. 50. art. 4. ad 3. dicente, quod *mors cum iniuria quidem corporalis; sed corpus illud sit instrumentum*.

mentum diuinitatis sibi unitæ, operans in virtute eius, etiam mortuum. Ioannis etiam 9. ver. 6. Christus Dominus ex co à natiuitate visû daturus, exiit in terram, & fecit lutum ex spu 10. 3. & linxit lutum super oculos eius. Et sic lutum assumpsit vt instrumentum ad dandum visum, quod certe ex se potius idoneum erat ad exercendum. Vniuersaliterque ad intentum ait S. Thomas in 4. dist. 8. q. 2. artic. 3. ad 4. quod nulla creatura potest agere ea, quæ sunt supra naturam, quasi principale agens, potest tamen agere quasi agens instrumentale, à virtute increata motum, quia sicut creatura inest obedientia potentia, vt in ea fiat quidquid creator disposuerit, et etiam vt ea mediante fiat: quod est ratio instrumenti. Quia instrumentum agit ultra suam speciem, quia si ante eleuationem effectum contineret, esset causa principalis conueniens effectum, saltem virtualiter, in forma, qua agit. Ideo que recte ait datus Thom. in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. q. 1. quod actio instrumenti semper pertinet ad aliquid, vltra id, quod competit sibi secundum suam naturam. Sed est differentia, quod agentia principalia continent effectum in forma, vel virtute habituali, qua agunt: instrumenta vero agunt in quantum mota, & ipsa motio est eleuatio.

141 Dico tertio, quod inter instrumenta physica, conditiua ab instrumentis moralibus, instrumentum coeffectiuum est magis rigurose instrumentum; quia instrumentum pure delatiuum, & modificatiuum, quod est quasi organum virtutis causæ principalis, iuxta Caietanum 1. p. q. 8. art. 1. §. Ad rationes ergo. Et Ferrara lib. 3. contra Gentes c. 102. circa finem, §. Considerandum vltimus. Afferimus ergo, quod omne instrumentum proprie sumptum habet actionem præuiam, & effectum præuium; vel realiter præcedentem ordine naturæ effectum principalis agentis, vel solum formaliter. Quando vero est instrumentum physicum minus proprie sumptum, non est necesse, quod in illo sit actio præuiua, nec quod ex parte effectus dispositiue se habeat; sed sufficit, quod in genere causæ materialis modificet actionem, vel virtutem causæ principalis, quam suscipit. Colligitur ex D. Thoma q. 3. de Potentia artic. 4. & q. 6. art. 4. lateque explicauimus illa controu. 10. à num. 101. vsque 109. Nec in subditis differunt Caietanus, & alij, quos refert, & sequitur Choquetius; licet alijs verbis utantur.

142 Sicut ergo in operibus Dei miraculosis, in quibus instrumentaliter cooperatur creatura, admittit S. Thomas instrumenta

solum quandoque desistere, & modificare diuinam virtutem; quandoque vero cooperari, & coefficere dispositiue: pariter in sacramentis vterque modus instrumenti debet admitti: cum vterque sit modus operandi instrumenti physici. Et de isto secundo modo operandi exponendus est S. Thomas hic art. 1. ad 2. Qui & in trās substantiatione quid simile agnoscit in 4. dist. 8. q. 2. art. 3. dicens, quod virtus agentis principalis respicit principaliter terminum ad quem: sed virtus causæ instrumentalis non attingit ad terminum ad quem: sed habet operationem suam in his, quæ sunt circa terminum: sicut qualitates actiue elementales non attingunt ad animæ rationalis introductionem. Et similiter hoc contingit, quia virtus illa instrumentalis, quæ inest verbis, habet operationem supra substantiam panis; quia verbum ad elementum accedit, secundum S. August. tract. 80. in Ioann. Sed non video firmiter argumentum, quo probari possit omnia sacramenta semper hoc modo preuie operari. Et id non requiri clarè indicat D. Th. q. 27. de Veritate art. 4. ad 10. & ad 11. & ad 17. verbis adductis à Capreolo in 4. distinctione 1. q. 1. art. 4. ad 3. Durandi contra 4. folio 21. col. 1. Imò non videtur coartanda infinita virtus diuinæ omnipotentiæ, vt non possit eleuare aliquod sacramentum, quod non prius aliquid physice coefficiat: & tunc erit instrumentum, & organum delatiuum diuinæ virtutis, & quasi modificatiuum ad gratiam causandam. Quod iussit vt physice gratiam producant omnia nouæ legis sacramenta. Per quæ solutum est argumentum.

143 Ad confirmationem responderetur primo ex dictis maiorem esse veram in causis principalibus, vel in instrumentis animatis (in sententiâ, quod ad actus supernaturales creaturæ concurrunt instrumentaliter: quæ non admittimus in actibus vitalibus liberis) falsam vero in causis instrumentalibus: quia potius eleuatione agunt vltra suam speciem.

144 Secundo respondet Serra dub. 2. ad 4. potentiam, vel actionem non posse, etiam diuinam virtutem, eleuari ad attingendum tanquam obiectum aliquid, quod est extra latitudinem sui obiecti adæquati: bene tamen ad illud attingendum tanquam effectum. Vnde licet potentia visiva, aut visio corporea non possit eleuari ad attingendum Angelum tanquam obiectum visum: bene tamen eleuari potest ad attingendum illum tanquam effectum producendum, non quidem per creationem, sed per conuersionem alterius rei in illum, sacramenta autem nõ

cie-

eleuantur ad attingendam gratiam tanquam obiectum, sed tanquam effectum: & res pro quibus supponunt sacramenta, nempe, motus, terminum quidem habent; non tamen proprie obiectum: & sic quando eleuantur ad producendam gratiam instrumentaliter physice, dicuntur eleuari ad attingendum aliquid extra latitudinem sui obiecti. Et idè est de multis alijs rebus corporeis.

§. XI.

De instrumento creationis, & de productione gratiæ.

145 **Q**uarto arguitur: sicut docet S. Th. 1. p. q. 45. art. 5. *Impossibile est, quod alicui creaturæ conueniat creare, neque virtute propria, neque instrumentaliter, siue per ministerium: quia nullum ens creatum potest causare aliquid, nisi per supposito aliquo quod repugnat rationi creationis, vt dicit ad primum. Ergo impossibile est, quod alicui creaturæ conueniat causare gratiam instrumentaliter. Probat per consequentiam: Tum à paritate, quia eadem videtur ratio. Tum, quia productio gratiæ verè est creatio: iuxta illud Apostoli ad Ephes. 2. *Creati in Christo Iesu.* Et ad Gal. 6. ver. 15. *Sed noua creatura.* Et ex D. Tho. q. 3. de Potentia art. 8. ad 3. dicente, quod *in fusio gratiæ accedit ad rationem creationis, in quantum gratia non habet causam in subiecto, nec efficienrem, nec talem materiam, in qua sit hoc modo in potentia, quod per agens naturale educi possit in actum, sicut est de alijs formis naturalibus.* Idè dicit ad 4. & hæc de causa in 2. dist. 26. art. 2. ad 5. ait, quod *cum gratia corrumpitur, simul etiam in nihilum redit.**

146 Multipliciter potest huic occurrere difficultati. In primis negando antecedens: nõ dari posse creaturam, quæ assumatur à Deo vt instrumentum ad creandum, opinantur Magister in 4. dist. 5. c. vlt. & expressius Suarez disp. 30. Metaph. sect. 3. & to. 1. in 3. part. disp. 31. sect. 2. & quidam alij.

Verum hæc euasio sustineri nequit, non solum quia contraria D. Tho. loco citato: sed quia est contra communem Theologorum: Vnde opinio D. Thomæ, de causalitate physica sacramentorum, quæ est ad eò recepta, nõ est indicanda in impossibilis cum altera communi Theologorum. Et idè absque dubio concedendum est antecedens: & nunc supponendum.

147 Neganda est igitur consequentia. Ad probationes in primis dici posset gratiæ nullo modo creari. Vel quia educitur de potentia obedientiali animæ, vt docet S. Tho-

mas de Spir. creaturis artic. 10. ad 13. & idè nõ pertinet ad formas, quæ creantur, sed ad illas, quæ vere, & proprie educuntur, vt communiter Doctores moderni tenent. Vel quia vt docent Ioann. Vincent. Cabrera, Gregor. Martinez, & Araujo citati à nobis 2. p. Metaph. controu. 7. n. 93. Choquetius lib. 2. de causa gratiæ disp. 2. cap. 2. cõc. 3. gratiæ, nec in rigore creatur, nec in rigore educitur, sed fit actione his eminentiore, quæ dicitur infusio, vel spiritalis regeneratio.

148 Sed quia veteres Thomistæ, nempe Ioannes de Neapoli, Paludanus, Capreolus, Caietanus, Conradus, & Soto, Ferrariensis, Martinus Ledelma, & Ripa, alijque viginti auctores, quos refert, & sequitur Thomas Hurtado in Præcuratore Theologo disp. 1. de supernaturalitate controu. 6. memb. 3. à fol. 56. vsque 66. admittunt gratiam conuari: idè nos illa controu. 4. art. 5. §. 4. docuimus quod productio gratiæ reducitur ad creationem; & quod solum secundum quid est educitio de potentia obedientiali animæ.

149 Iuxta hanc opinionem Paludanus, & alij relati §. 1. n. 13. docent sacramenta solum dispositiue, & mediatè attingere productionem gratiæ: immediatè tamen solum producant caracterem in tribus sacramentis, quæ nequent iterari; & in alijs quatuor sacramentis producantur ab eis ornatus quidam, quo subiectum vltimò disponitur ad gratiã, quæ immediatè à solo Deo creatur.

150 Hæc doctrina in primis nõ cõsonat D. Thomæ hic art. 1. (vt circa eius titulum bene ponderant Caietanus, & alij communiter) nam loquendo de gratiã, & condistinguendo à caractere (de quo agit tota q. 63.) docet D. Thomas sacramenta nouæ legis causare instrumentaliter gratiam, quam Deus causat principaliter: sicut ergo Deus eam causat immediatè principaliter, & in hoc genere causæ negat S. Thomas sacramenta posse immediatè causare gratiam: ita cum affirmat eam causare instrumentaliter, absque dubio loquitur de causa instrumentali physica immediata. In libro autem 4. Sententiarum pertrahit cum opinione illo tempore communi.

151 Deinde, superflue ponitur iste ornatus; cum anima immediatè sit capax gratiæ: vt patet cum homines iustificantur sine actuali receptione sacramenti, & sine alia causa, quæ cauet illum ornatum. Ideoq; merito M. Fr. Petrus Soto de institutione Sacerdotum lect. 9. in fine rectè ait, quod eadem facilitate, qua asseritur, reijci potest. Nec caracter est in rigore, & proprietate dispositio vlti-

ultima ad gratiam: cum in peccatore baptizato reperitur character sine gratia: & in naturalibus non separentur ultima dispositio, & forma per eam introducta. Nec character est in essentia animæ, in qua est gratia, sed in intellectu. Denique rejicitur vegetius: quia vel ornatus est aliquid naturale: vel aliquid supernaturale? Si primum; non potest esse dispositio ad gratiam: quia deberet esse eiusdem generis, & ordinis cum forma. Si est aliquid supernaturale, & spirituale; & tamen immediatè causatur à sacramento corporali eleuato diuina virtute supernaturali: ergo pariter eadem eleuatione supernaturali diuina poterit à sacramento instrumentali produci gratia. Alia argumenta videantur in Cabrera §. 7.

152 Aliter Soto relatus nu. 14. §. Dicimus ergo. Et Martinus Ledesma, & Thomas Hurtado ad 5. folio 62. respondent, quod sacramentum non potest esse immediata causa entitatis gratiæ, quia hæc creatur, vel creatur: quod est dicere: creatur eo modo, quo accidentia creari possunt. Solum ergo sacramenta efficiunt immediatè hominem gratum; consecutiue autem, & mediatè faciunt ut Deus cõcreet illam qualitatem, quæ virtute sacramentorum informat hominẽ. Sicut homo vere generat hominẽ, eo quod est causa coniunctionis animæ cum corpore: quamuis anima à solo Deo creetur.

153 Contra hæc solutionem valdè prolixè disputat Suarez disp. 9. sect. 1. ad 2. difficultatem, & in summa concludit, quod sicut aliæ formæ accidentales non prius natura creantur, & posterius uniantur; ita & gratia, quia licet sit forma supernaturalis, non est forma substantialis per se subsistens, vel indepẽdẽs à subiecto: sicut est anima rationalis, quæ permanet destructo corpore. Nec possunt eleuari sacramenta ad efficiendũ physicè hominem gratum, quin eleuentur ad efficiendam gratiam ipsam.

154 Cæterum quia recurrendo ad potentiam absolutam Dei, non faciliè ostẽdi potest implicatio contradictionis in hoc, quod gratia alia actione creetur, & alia actione uniat: de quo Albertinus q. 1. in 1. corol. ex secundo princ. dub. 7. Et quod sacramentum eleuetur ad istam immediatè, & quod ad aliam concurrat solum dispositiue. Et quod id quod conuenit animæ titulo subsistentiæ, conueniat gratiæ propter eminentiam supra naturales formas. Ideo quia quid teneatur de potentia absoluta.

155 Melius arguunt Nuño in impugnatione tertiæ sententiæ, & Cabrera §. 10. &

Granados n. 9. & Lugo num. 38. quia Cõcilia, & Patres non dicunt sacramenta esse causam hominis grati: sed planè affirmant sacramenta causare, & conferre gratiam, quæ continent. Hoc autem non verificatur, si solum causant unionem gratiæ cum homine: quia homo generans hominem, non dicitur causa physica animæ rationalis, etiam si physicè causet unionem animæ cum corpore.

156 Secundo, quia non videntur prima facie cohærere duo quæ dicit Soto: nã ex vna parte asserit nobiscum sacramenta esse causas physicas gratiæ: & ex alia parte dicit hic oportere abstrahere ab illa quæstione, an iustificatio fiat qualitate inhærente? Vel sola extrinseca condonatione? Hæc non cohærere, constat, quia si iustificatio fiet sola condonatione extrinseca, sacramenta, quæ iustificarent, nihil physicum ponerent in anima: ideoque si gratia non esset quid physicum à sacramento causatum, nec ipsa essent instrumenta physica. Nec Soto admisit hominem de facto iustificari absq; dono inhærente, quia ut notat Vazquez disput. 132. cap. 3. num. 38. statim apertè docet, non apud Deum, sed apud homines fieri aliquem amicum sola acceptatione, & amore extrinseco. Imò ipse Soto lib. 2. de natura, & gratia cap. 17. & 19. dicit esse de fide homines de facto iustificari per iustitiam inhærentem: licet non sit immediatè de fide illum esse habitum: erit tamen error, aut ingentissima reueritas. Vnde id nullatenus negat in 4. Sententiarum.

157 Tertio arguit Vazquez cap. 3. n. 38. nam licet anima rationalis vna actione producat, & alia uniatur materiæ: non propterea eodem modo de gratiæ productione, & unione philolophandum est: etenim ut rectè insinuauit Vega lib. 7. in Trid. cap. 13. cum productio gratiæ sit productio accidentis; ad rationem autẽ accidentis, hoc ipso, quod est, pertineat inesse subiecto, cui accidit; conficitur ut gratiæ id etiã conueniat: ac proinde hoc ipso, quod fit, producat in subiecto eadem omnino actione, qua fit. Multas alias impugnationes legat, qui voluerit, in Cabrera illo §. 10. à num. 69. vsq; 79.

158 Facilius ergo respondet Caietanus 3. p. q. 62. art. 1. §. Ad obiectionem. Et q. 8. art. 1. circa ad 3. Et q. 13. art. 2. §. Nota diligentiſsimè. Et 1. 2. q. 112. ar. 1. quod licet productio gratiæ reducat ad creationẽ; quia est forma supernaturalis simpliciter, non habet causã in subiecto; quia quasi venit de foris, & a solo Deo causatur principaliter; tamen

men ex parte subiecti in quo fit, & in quo subiectatur, aliquam dependentiam habet à subiecto, ex cuius potentia obedientiali educitur, ut docet S. Thom. q. unica de Virt. art. 10. ad 3. Vnde simpliciter non creatur: quia creati propriè solum est subsistentium. Cum igitur S. Thomas negat creaturã posse esse instrumentum creationis, loquitur de creatione simpliciter: quæ est ex nihilo circa quod creatura nequit operari: non verò loquitur de productione gratiæ: quæ quia creatur in subiecto, circa quod potest pertinere instrumenti operatio, ideo non est inconueniens instrumentum creatum ad hoc pertinere.

159 Videatur S. Thomas 1. 2. q. 110. art. 2. ad 3. & q. 112. art. 1. ad 2. & in 4. dist. 8. q. 2. art. 3. ad 2. Et in terminis quæst. 27. de Veritate art. 4. ad 15. respondet, quod creatio nihil presupponit, circa quod possit fieri instrumenti talis actus; recreatio presupponit: & ideo non est simile. Quasi dicat, causa cur negatur possibile instrumentum ad creandum aliquid subsistens, est quia creatio est ex nihilo, & creatura circa nihil non valet agere aliquid: productio verò gratiæ est recreatio, & infusio formæ in subiecto; circa quod aliquid potest operari instrumentum creatum; & ideo dari potest instrumentum recreationis, & productionis gratiæ in hominẽ: & sic sacramenta sunt instrumenta physica gratiæ.

160 Sed instabis cum Cano Relect. de sacramentis parte 4. conc. 5. ratione secũda, quia eodem modo creatura posset concurrere ad productionem animæ rationalis, scilicet agendo propria actione in corpus, & vi supernaturali in animam. Cum autem anima non possit produci nisi per creationem à Deo, iam poterit dari physicum instrumentum creationis. Quod non admittit D. Thomas.

Respondetur, quod ut dicit D. Thom. quæst. 3. de Potentia art. 9. Homo generans hominem, est causa unionis talis formæ ad materiã; licet non sit causa ipsius formæ: quia anima rationalis habet esse subsistens, & excedens capacitatem materiæ; & ideo ex ea non educitur, ut docet S. Thomas 1. p. quæst. 90. art. 2. ad 2. & q. 3. de Potentia art. 8. ad 7. ait, Et iterum hæc forma est per se subsistens, cum corrupto corpore maneat. Dato ergo instrumento physico unionis animæ, non datur instrumentum creationis, quia forma est spiritualis, & per se subsistens: dato autem instrumento unionis gratiæ, & productionis in subiecto, datur instrumentum productionis eius simpliciter; quia accidentis esse est in esse. Et hæc est

solutio S. Thomæ 1. 2. quæst. 110. articulo 2. ad tertium.

DVBIVM III.

Quando Sacramenta causentur

§. I.

Ratio dubitandi.

DVe adhuc supersunt difficultates, seu argumenta contra causalitatem physicam sacramentorum, quæ diluentur in isto, & sequenti dubio. Primam difficultatem obiecit Scotus in 4. dist. 1. quæst. 5. & urget Vazquez disp. 132. cap. 4. a num. 45. vsque ad num. 73. Si sacramenta essent physica instrumenta Dei, necesse esset vnum e duobus asserere, nempe, aut gratiam per illa nobis conferri in tempore, aut illa physicè operari, quando non sunt: vtrumque autem videtur absurdum. Porro alterum necessario esse concedendum, probatur, quia aut sacramenta operantur, dum sunt: & ita cum sint in tempore, neque incipiant in instanti primo sui esse, ut manifestum est, quia incipiunt ut motus, sequitur in tempore gratiam producere. Quod tamen est falsum. Tum quia gratia necessario produci debet in instanti quodam primo sui esse. Tum etiam, quia sacramenta eatenus operantur, quatenus habent significationem perfectam: hanc autem non habent in toto tempore, quo durat vltus illorum; sed cum primo finitur. Aut operantur simul atque est perfecta significatio, & finitus vltus illorum: quod quidem est instans quoddam primum: & ita sequitur tunc operari, & deseruire ut instrumenta, quando non sunt: quod etiam est manifestè absurdum. Refert, & impugnat ibi diuersas solutiones, non nominatis eorum Authoribus. Nos solum, quæ in eis legimus, postea referemus, & examini subijcimus.

2 Confirmat Bernal disputatione 10. sectione 3. numero 53. sic arguens. Ex rebus omnibus ad sacramentum spectantibus, sola illa gratiam conferre dicitur, quæ propriè, & in recto sacramentum est, aut sacramenti essentiam constituit. Verbi gratia, in Baptismo ablutio, in Extrema vntione vntio, & in omnibus sacramentis transeuntibus locutio, seu verbalis forma: non autem materia ablutionis, quæ est aqua; nec vntionis, quæ est oleum.

Proinde, si verbalis formula prius ponatur, quam ablutio, vel vntio, sanè ut illa sacramenta physicè producant gratiam, necesse

se est ipsam abluionem, & vnctionem, physice eleuari ad gratiam producendam. Hoc autem vel est impossibile, vel difficillimum, vel absurdissimum. Ergo delenda est sententia, ex qua deducitur. Minorem, quæ sola probationem desiderat, ostendo, quoniam abluio nihil aliud est, quam successiua presentia, vel appulsus aquæ ad corpus humanum: quiquidem appulsus, & successiua presentia, siquid physice productum, est modus quidam, vt Maratius ipse fatetur, nec diuinitus eleuari posse ad aliquid physice producendum. Presentia verò, quamuis in ordine ad spatium imaginarij dicatur esse modus physicus, quam ego sententiam falsam existimo; saltem in ordine ad spatium reale, & physicum; quale est corpus humanum; vel est sola distantia negatio: & hæc nequit physicam actionem exercere: vel est extrinseca denominatio ab ipso corpore; quod abluitur, non distans, ac proinde non distinguitur ab ipso, & indistans: quod aggregatum nequit physice agere. Vel est aggregatum ex aqua, & corpore; & vnione indistantia: quod proinde nequit ad physice agendum eleuari, cum repugnet id quod physicum positiuum non est; physice agere.

Nec satisfacies, si cum Granado, & Maratio dixeris gratiam produci à materia, que solet vocari remota, vt ab aqua, oleo, &c. id que iuxta doctrinam Sanctorum Patrum. Nā aqua sola, vel in recto, sacramentum non est proprie: si autem hoc non obstante, Patres docuerunt esse gratiæ causam, inde constat improprè fuisse loquutos, vt iam num. 36. contra Maratium disterebam. Hæc ille.

3 Antequam respondeam, duo præmittenda duxi. Primo, mirum esse, quod Catholici Doctores Theologi negent, vtendo sua Omnipotentia absoluta, posse Deum eleuare motum physicum sacramenti vt sit physicum instrumentum, cum ipsi Philosophi Gentiles, solo lumine naturæ ducti, agnouerint de facto Angelos vt motibus Cælorum vt instrumentis ad ea, quæ agunt ipsi in hæc inferiora. Quod ad intentum notat S. Thomas in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 4. quæstiuicula secunda ad 4. vbi ait: *etiam in motu est virtus substantiæ separatae, secundum Philosophos.* Vnde vno verbo respondet Soto in 4. distinct. 1. quæst. 3. artic. 1. in fine, §. *Arguit autem, quod quemadmodum in causis naturalibus Deus vultur cæli motu ad producendos effectus; sic vultur actione successiua sacramenti ad producendam gratiam, hoc est, ad faciendum hominem sibi gratum: licet id non per*

ficiat vsque ad finem prolationis verborum. Hæc ibi.

4 Secundo præmitto, quod in simili loquendo de virtute physica, quæ confertur verbis successiuis consecrationis panis, & vini in Eucharistia, hanc difficultatē sibi obiecit S. Thomas, & diluit 3. p. quæst. 75. art. 7. ad 3. & quæst. 78. art. 5. ad 3. & in 4. dist. 8. q. 2. art. 3. in sexto argumento obiecit. *Faciens, & factum, causa, & causatum debent esse simul, quia quod non est, non potest aliquid facere, vel alicuius causa existere: sed cum conuersio prædicta fiat in instanti, & verba formæ successiue profertur, quando fit conuersio, verba illa non possunt simul esse, nisi secundum aliquod minimum sui.* Ergo virtute aliqua, quæ insit verbis, non potest fieri huiusmodi conuersio. Ecce quod totum pondus difficultatis sibi S. Thomas obiecit. Quem si legissent arguentes; non scriberet Bernal id quod ex ipso retuli dub. 2. nu. 73. Videatur S. Thomas in 4. distinct. 11. quæst. 1. artic. 3. quæst. 2. arg. 1. & in 4. ad Anibald. dist. 8. artic. 5. ad 3.

§. II.

Doctorem sententia.

5 **V**ariæ in hoc puncto circumferuntur sententiæ: sed solum referam, quas in ipsarum Authoribus vidi, & legi. Pro sententia asserente sacramenta causare toto tempore, quo durant, multi possunt referri. In primis Paludanus in suo Quodlib. quæst. 2. quem refert, & sequitur Capreolus in 4. distinct. 1. quæst. 1. artic. 4. ad 1. Scoti contra quartam folio 26. col. 1. sic ait: Si autem ponatur, quod virtus conferatur cuilibet syllabæ, aut cuilibet parti aquæ, adhuc non sequitur aliquod inconueniens. Et hoc patet primo de aqua. Nam esto quod illa virtus conferretur toti aquæ à principio lotionis, & vltimus effectus scilicet character, non habeatur, nisi in vltimo instanti, in quo completa est lotio; tamen non frustra confertur virtus illa partibus aquæ fluentibus ante lotionem completam; quia sicut dicitur infra, sacramentum exercendo propriam actionem circa compositum, (quod est necessarium ad hoc, quod agat ad effectum principalis agentis) effectus ille proprius instrumenti, quod est sacramentum, siue sit mundatio, siue infirmitas, siue quodcumque aliud, manet, dato quod partes motus, quo homo lauitur, non maneant: & ideo manente effectu, agitur ad effectum principalis agentis: qui quidem effectus est character.

Et

6 **E**t idem potest dici de verbis. Ad cuius euidentiam sciendum est, quod verbum; quantum ad sonum causatum in aere motu, non est proprie quantitas, sed qualitas natura mouere organum auditus: sed mentura motus, quo talis qualitas generatur, est quantitas discreta, successiua; composita ex diuersis instantibus; quorum tamen vnum succedit alteri: sicut & in quolibet tempore discreto: & ideo talis qualitatis effectus potest manere in composito; sicut est organum auditus, transeuntibus primis partibus orationis; vel dictionis; sicut dictum est de partibus lotionis: & ideo etiam quantum ad causalitatem, non superfluum tales partes præcedentes, quia effectus earum manet. Hæc ibi.

7 **Q**uam quoad hoc vltimum, sequitur Granado disp. 4. sect. 3. num. 20. dicens sacramenta non adeo strictè esse entia successiua; vt non habeant, præter vltimum indiuisibile, aliquid aliud permanens, quod gratiam efficiat, videlicet sonitum, qui est quid permanens, & resultat, ex prolatione. Si autem deserunt iam verba, cum materia applicatur, ipsa materia applicata, producat gratiā. Si denique abluio, & verba coexistant, ambo cõcurrent ad productionem gratiæ. Hæc Granados, Maratius, & alij. Imo & Suarez disp. 8. sect. 2. in fine, §. *Dices.* Et ex Thomistis Philippusa Trinitate disp. 5. dub. 4.

8 **S**ed in primo puncto idem docet Ferrara libro 4. Contragentes cap. 56. in fine, ad 2. in 2. sol. dicens. Dicitur secundo, quod etiam si in diuersis syllabis essent diuersæ virtutes partiales, propter hoc non sequitur aliquod inconueniens: omnes enim vnam completam virtutem, successiuam tamen, integrent. Nec est inconueniens vnum sacramentum habere plures virtutes supernaturales, incompletas; vnam tamen totalem continentem virtutem. Hæc ibi.

9 **P**ariter Soto in 4. dist. 1. quæst. 3. artic. 1. §. *Verumtamen,* ait. Respondendum quippe restat, quando sacramentum gratiam conferat? Nam toto tempore prolationis verborum, id facere nequit; eo quod gratia, cū sit indiuisibilis, in vno temporis momento producitur. Si dices, illam produci in instanti postremo; iam tunc verba elapsa sunt, quæ ideo nil tunc operantur.

Ad hoc autem, licet forsan vtrolibet modo dicas, eodem recidat; considerantius tamen respondetur verba simul cum abluione toto tempore prolationis illam conferre: quandoquidem non diximus sacramentum illam qualitatem immediate attinge-

re; sed hominem facere gratum: id autem fit per totam actionem sacramenti. Quare concedimus quodammodo illam qualitatem fieri antequam sit. Hoc est, sacramentum antea applicari, cuius virtute fit. Si autem actionem Dei consideres, in postremo verbo; rum prolatu infunditur. Hæc verbatim Soto. Et dist. 9. quæst. 2. art. 7. in fine, §. *Non autem.* Et dist. 11. quæst. 1. art. 4. ad 3. idem asserit.

10 **B**ellarminus etiam lib. 2. de sacramentis cap. 11. ad 3. confirm. vltimi argumenti dicit sacramenta causare gratiam in vltima sui parte; non quidem, quæ sit vltima simpliciter, cuiusmodi in continuo dari nequit; sed quæ sit vltima ad sensum.

11 **L**ugo disp. 4. sect. 6. num. 107. dicit, quod in sententia eorum, qui componunt tempus ex solis instantibus finitis intermediis; nulla est in hoc puncto difficultas: nam illi consequenter dicunt, gratiam conferri in illo instanti, in quo vltima syllaba verborum incipit intrinsece esse prolata, ita vt faciat perfectum sensum: cum enim in ea sententia tempus consistat ex meris instantibus finitis; necesse est venire ad aliquod intans, in quo verba iam sint prolata perfecte, cum antea non essent; & tunc sacramentum habet suum effectum. Et hanc sententiam sibi placere, satis indicat tota sectio, sed præcipue num. 124. & 127.

In sententia verò communi de compositione temporis, & motibus ex partibus diuisibilibus in infinitum, difficile id explicatur: nam sacramentum, sicut & alia entia successiua, debet absolui, & desinere per primum non esse; ita vt in instanti terminatio verum sit; nunc sacramentum non est, immediate antea fuit. In eo autem instanti non potest produci gratia, quia iam tunc non est sacramentum; sed fuit: sacramenta autem dant gratiam, quando sunt. Sed neque in tempore antecedenti potuit dari gratia: Tum, quia gratia est res permanens, quæ tota simul producitur; & incipit per primum sui esse; atque adeo in instanti intrinseco. Tum etiam, quia si produceretur in tempore, daretur antequam absolueretur tota forma sacramenti: nam diuidendo illud tempus, quo datur gratia, in duas partes, in priori parte nondum erat posita tota forma; quia iam esset contra id quod supponitur; & tamen in illa parte iam est gratia producta. Quare alijs impugnantis sententijs, concludit Lugo. n. 123. quod iuxta illam sententiam Philosophicam de compositione continui, dicendum est consequenter gratiam conferri, non quidem in instanti

ultimo terminatio intrinseco, vel extrinseco sacramenti; nec in tempore indeterminato ante ultimum instans; sed in tempore aliquo determinato post aliquod instans continuatum. Nam quando incipit proferri ultima syllaba, requiritur extensio prolationis: hæc autem extensio fieri debet in tempore immediato post illud instans: in illo ergo tempore, quodcumque illud sit, producit gratia immediate post illud instans; quia tunc incipit sacramentum esse perfectum, & validum. Incipit autem gratia per ultimum non esse; quia in illo instanti præcedenti verum est dicere: nunc ultimo gratia non est; immediate post hoc erit.

12 Reliqui verò Theologi, qui absolute docent sacramenta conferre gratiam in instanti, non eodem modo explicant in quo instanti gratiam conferant. Nam aliqui docent sacramentum conferre gratiam in ultimo instanti terminatio intrinseco: nam sacramentum, sicut & omnis motus successivus, consistit intrinsece, non solum ex partibus, sed etiam ex indivisibilibus, quibus & partes intus connectantur, & terminentur etiam intrinsece. Et in quo instanti est verum dicere sacramentum esse perfectum, & causare. Hoc olim ex parte docuit Soto: nam ut ipse ait in 4. dist. 9. q. 2. art. 7. in fine. §. *Non autem*. Respondere in scholis solebam, quod forte, postquam incipit ultima syllaba, datur primum instans esse completæ significationis formæ; in quo incipit corpus adesse per primum sui esse, & desinit panis per primum non esse antequam proferatur tota ultima syllaba. Sequunturque Vega lib. 7. in Conc. Trident. cap. 1. §. Bellarm. lib. 2. de sacram. cap. 1. §. 1. ad 3. confir. ult. arg. in 2. resp. Henriquez lib. 1. de sacram. cap. 1. §. n. 1. Referens D. Thomam 3. p. q. 7. art. 4. ad 3. & alijs locis citatis, ubi admittit ultimum instans prolationis in forma Eucharistiæ. Sed D. Thomas, & eius discipuli, plane loquuntur de instanti extrinseco, ut videbimus.

13 Hanc tamen sententiam de instanti terminatio intrinseco, in quo causat sacramentum, docent Suarez hic disp. 8. sect. 2. §. *Ultimum ergo*. Granados disp. 4. sect. 3. num. 19. Coninch artic. 1. dub. 4. num. 62. & 63. Bonacina disput. 1. q. 4. punct. 7. male citans Nuño; cum ille hanc sententiam ex professo impugnet. Sequuntur tamen Trullench lib. 1. cap. 3. dub. 4. num. 2. & 3. Et ex Thomæ P. Philippus à Trinitate de Sacramentis disputat. 5. dub. 4. & Serra quæst. 62. art. 1. dub. 2. ad 3. quia de motu ait Aristoteles §. *Physicorum* cap. 5. in codari mutatum est

se, non quidem in principio, sed in fine: *Ac illud quidem quod in fine, & perfectione, mutationis primum dicimus, tum inest, tunc vere est.* Sacramentum autem non supponit pro solo motu, sed pro motu terminato: & quamvis in instanti terminatio non sit motus in fieri, est tamen motus terminatus, perfectus, & completus: sicque adhuc est sacramentum, quod moueri à Deo, & recipere divinam virtutem, & causare gratiam physicè potest. Ratione enim illius indivisibilis motus existit, & præsens est: illud enim mutatum esse reuera est aliquid motus, & illius terminus, & finis, ut ait Philosophus ubi supra: *Mutationem enim absoluerè potest, finisque est mutationis.* Ac proinde ratione illius potest motus causare gratiam ut instrumentum physicum divinæ virtutis.

Ex alio paradoxo principio, huic sententiæ subscribit Bernal disp. 12. sect. 4. numero 47. dicens, iuxta veram sententiam, gratiam à sacramentis non produci, nisi in instanti. Cuius assertionis (inquit) *fundamentum firmissimum, & clarissimum est, quoniam in tempore non reperiuntur nisi instantia.*

14 Ultima sententia docet sacramenta nouæ legis conferre physicè gratiam in ultimo instanti terminatio extrinseco, in quo primo non est sacramentum, cum immediate antefuerit: quia tunc est perfectum, & absolutum sacramentum; ideoque tunc debet habere suum effectum. Ita Paludanus, quæ refert, & sequitur Capreolus in 4. dist. 1. q. 1. ad 2. & 3. Scoti contra tertiam folio 14. & 15. & ad 1. Scoti contra 4. folio 26. Caietanus 3. p. q. 7. art. 3. §. *Et scito*. Ferrara libro 4. Contra gentes cap. 56. in fine. Soto in 4. dist. 1. quæst. 3. artic. 1. §. *Verum tamen*. Et distinct. 9. quæst. 2. artic. 7. in fine. §. *Hic ergo*. Martinus Ledesma 1. part. quartæ quæst. 16. artic. 7. dub. 2. Medina 1. 2. quæst. 112. artic. 1. ad 2. Zumel ibi disput. 5. ad 8. Nuño hac quæst. 62. artic. 1. difficult. 5. folio 81. Sylulius ibi quæstio 3. ad 8. Araujo dub. 4. numero 53. & 54. & numero 58. Et magis ex professo Cabrera disputatione 3. §. 13. Ruyz dubio 4. Hyacinthus Choquetius libro secundo de Gratia disputatione sexta cap. 5. & in simili Soncinas lib. 7. Metaphisica quæstione 7. ante secundam conclusionem, ut retulimus, & sequuti sumus lib. 2. *Physicorum* quæst. 13. num. 12. & 2. par. *Metaphis.* controu. 13. num. 8. Gaspar Hurtado disput. 3. diffic. 7. Christophorus à S. Josepho receptarum opinionum 10. 1. de Sacramentis dub. 20. num. 4.

Ex

Ex parte quæ consentit Vazquez disp. 132. cap. 4. in fine, dicens, hoc nullam habere difficultatem in sua sententia adferente sacramenta causare moraliter; & Auersa sect. 3. Sed hæc via difficultatem præsentem non vitari, tribus argumentis contra Vazquez probat Lugo sect. 6. nu. 114. & 115. & 116. & Auersa in fine sect. 3. tandem fatetur sacramenta, dare gratiam immediate post suam existentiam.

15. In quo Thomistæ conveniunt; probant. Primo arguit Soto illo artic. 7. ad 1. nam sacramenta causant mediante verborum forma, quæ successivo motu proferunt. Motus autem non potest desinere per ultimum sui esse: nam quodcumque est, restat aliqua eius pars futura, sed desinit per primum non esse. Vnde instans desinens sacramenti, & inceptionis gratiæ non sunt duo instantia immediata: sed post tempus sequitur instans. Quamvis autem formaliter non sit causa, est in sui termino; quia fuit immediate toto tempore terminato ad illud instans. Sic enim contingit in naturalibus, ut §. *Physicorum* docetur. Motus enim calcificationis est causa formæ substantialis ignis, quæ producitur in instanti terminatio, quo motus desinit per primum non esse. Hanc rationem indicat S. Thomas 3. part. quæst. 75. art. 7. ad 1. dum ad simile intentum ait; *Et idem est in mutationibus naturalibus; ut patet per Philosophum in 8. *Physicorum* textu 72. & eam nos expendimus locis relatis.*

16. Secundo arguit Nuño: nam sufficit quod sacramentum sit toto tempore præcedenti ad illud instans, ad hoc ut in illo instanti habeat esse in ratione causæ, ut vere, & physicè causet. Sicut enim secundum præsentiam localem non est necessarium, quod causa, & effectus sint continua; sed sufficit, quod sint contigua: ita similiter sufficit secundum præsentiam temporis. Contiguatur autem sacramentum cum gratia per hoc quod existit tempore immediate præcedente usque ad instans exclusivè, in quo intrinsece incipit esse gratia. Sufficit autem existentia secundum quid, & in sui termino, ut vere causet. Sicut dispositiones antecedentes sunt vera causa physica ipsius formæ; & tamen non existunt in instanti in quo introducitur forma. Quæ exempla iam defendimus utroque loco supra relato.

17. Tertio arguunt Cabrera num. 117. & Coquetius folio 407. quia mutata esse, & instantia, tum continuativa, tum terminativa, sequuntur ex vi motus, vel temperis proximè, & immediate præcedentis: ergo

pariter causantur ab eo, quod tunc non est; sed proximè ante fuit, estque illis contiguum.

Quarto arguunt; nam in generatione mistorum, primum instans non esse elementorum, quæ per sui mutam corruptionem mistum generant, est primum, & intrinsece instans ipsius esse, quo forma misti producit. Nihil igitur in proposito dicitur; quin pariter ipsa rerum conditio ita necessario postulat, ut successiva, & quæ per motum in tempore fiat; neque proprie sint, nisi cum suscipiuntur; neque aliter suos effectus operari queant, nisi in extrinseco suæ durationis instanti.

Septem argumenta refert, & diluit Cabrera, videndus anam. 118. vsque 128. & alia Coquetius: sed omnia ex dictis corrumpunt; & aliqua attingimus locis citatis.

§. III.

Solutio dubij.

18. **V**T autem sententia Paludani, & Soto, & aliorum Thomistarum, à principio relata, concordet cum hac ultima ipsorum sententia, quam nos iudicamus esse D. Thomæ, & veram, recoienda est doctrina, quam ad aliud intentum non dissimile, tradant Zumel 1. 2. quæst. 112. art. 1. disp. 4. & Cabrera hic art. 1. disp. 3. §. 12. nu. 89. & 90. quod sicut in generatione naturali substantiali reperitur duplex mutatio, seu motio: altera instantanea, quæ est ipsa actualis productio formæ substantialis, quæ communiter appellatur generatio substantialis: altera vero prævia; per quæ disponitur materia ad suscipiendam formam. Sic etiam in sacramentali susceptione reperitur duplex motio divina: altera quidem instantanea, qua in primo non esse sacramenti producitur gratia sacramentalis in anima, virtute præcedentis applicationis materiæ, & formæ sacramenti. Altera verò præcedens tempore infusionem gratiæ, qua mouet Deus, & materiam, & formam sacramenti motione ordinata ad instans productionis gratiæ. Hæc est causalitas inchoata, & in fieri; altera vero est causalitas completa, & perfecta, & in facto esse.

19. Vnde S. Tho. Quodlib. 7. art. 9. ad 4. ait, quod fieri dicitur dupliciter: *uno modo moueri ad esse*. Et sic illud quod generatur, in toto tempore alterationis præcedentis dicitur fieri. Et hoc modo loquitur Philosophus de fieri in 6. *Physicorum* ubi ostendit, quod omne factum esse præcedit fieri, & omne fieri præcedit factum esse. Et sic non est verum, quod aliquid fiat, & factum sit: sed sic est verum, quod illud, quod fit, non est.

N 3

Alie

Alio modo dicitur fieri res, quando introducit formam: & sic fieri non est moueri, sed terminari motum. Vnde sicut simul motus terminatur, & terminatus est: ita simul aliquid fit, & factum est. Sed hoc modo illud quod fit, est: quia terminus factiois est esse, in quo ponitur esse illud esse, quod dicitur hoc modo moueri. Hæc S. Thomas: Et 2. 2. q. 104. art. 1. ad 7. ait, quod de corruptione, sicut & de generatione, dupliciter loqui possumus. Vno modo *Secundum quod est terminus alterationis*. Et sic in ipso instanti, in quo primo priuatur vita, dicitur in esse mors. Et secundum hoc etiam mors non est poena sensus. Alio modo *Corruptio potest accipi cum alteratione præcedente, prout dicitur aliquis mori, dum mouetur in mortem; sicut & dicitur aliquid generari, dum mouetur in generatum esse*. Et sic mors potest esse afflictiva. Hæc ibi.

20 Iuxta hoc ergo: Dico primo, loquendo de causatione præiua, & in fieri, & inchoata, seu incompleta, toto tempore, quo durat in motus, seu usus sacramenti, verificatur, & dicitur gratiam causare. Ita Thomista, & alij relati in 5. vsq; ad 9. Sumitur ex illo S. Augustini tract. 80. in Ioannem, *corpus tangit, & cor abluunt*. Quod exponens S. Thomas art. 1. ad 2. ait, *quod sacramenta corporalia, per propriam operationem, quam exercent circa corpus, quod tangunt, efficiunt operationem instrumentalem ex virtute diuina circa animam: sicut a Jona Baptismi ablucendo corpus secundum propriam virtutem, abluunt animam in quantum est instrumentum virtutis diuinae*. Sed ablutio corporis, non est in instanti, sed potius durat toto tempore, quo durat motus aquæ applicatæ a ministro. Ergo & ablutio animæ per gratiam dicitur toto illo tempore durare.

Præterea idem S. Augustinus dicit ibidem: *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*. Et S. Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 4. docet sacramenta perfici Christi sermonibus, & verbis. Et S. Thomas 3. p. q. 60. art. 6. & q. 84. artic. 3. & alibi sæpe potissimam causalitatem sacramentorum attribuit verbis formarum. Et q. 78. art. 4. vim effectiuam consecrationis constituit in verbis, quæ a Sacerdote proferuntur. Sed verba humana successiue proferuntur: quia oratio est quantitas discreta, & mensuratur tempore. Ideoque toto tempore prolationis verborum in veritate dicimus, iste baptizat, Sacerdos absoluit, Sacerdos iam consecrat. Cum ergo prolatio, & significatio sit practica: sicut prolatio non est momentanea, nec signifi-

catio actualis exercita, ita nec efficiencia.

21 Ratio à priori est: nam eo ipso, quod Deus decreuit sacramenta conferre gratiam ex opere operato, & vti illis vt instrumentis physicis, toto illo tempore, quo durat actio naturalis, quæ eleuatur vt causet, durat ipsa causare, & confertur illis motio Dei applicantis, & vtentis illa actione ad cauendum. Sed in causis, quæ successiue applicantur, siue naturales sint, siue artificiales, toto tempore quo durat motus, seu applicatio, verificatur, quod agunt, & efficiunt: dicimus enim quandiu panis est in furno, ignis facit panem: & quandiu artifex sculpsit lapidem, quod facit statuam. Et quandiu durat alteratio, cuius terminus est generatio, dicimus rem generari: sicut toto tempore, quo aer in cauernis terræ humectatur, & ingrossatur, aqua gignitur: & tamen forma eius substantialis in instanti terminatio producit. Et cum per coitum semen deciditur, & a viro in foeminam traicitur, & quandiu est in matrice, adhuc ante animationem animæ, verificatur quod homo generatur: quæuis completè non sit generatio nisi in instanti extrinseco terminatio alterationis. Ergo loquendo præiue, & in fieri, & moueri, toto tempore, quo durat motus, seu usus sacramenti, verificatur gratiam causare; quæuis cum effectu, completè, & vltimatè, gratia non infundatur à Deo, vsque dum compleatur motus, seu usus sacramenti.

Hanc esse mentem Soti, patet legenti verba relata num. 9. & insuper distinctione 9. quæstione 2. articulo 7. §. *Conclusio hæc*, hanc nostram doctrinam expressis verbis tradit, & hac ipsa ratione probat, dum ait. Respondetur, quod conuersio, & consecratio vlti, & more loquendi accipitur dupliciter. Vno modo pro applicatione causæ, seu pro actione, & motu tendente ad conuersionem. Et isto modo non est negandum quin toto tempore conuersionis fiat consecratio; sicuti toto tempore, quo durat forma Baptismi, fit sanctificatio. Alio modo accipitur pro termino illius actionis, qui est delitio panis, & incepsio corporis. Et hic fit in instanti terminatio verborum; quo pacto, & in Baptismo infunditur gratia. Sicuti in naturalibus toto tempore, quo aer in cauernis terræ humectatur, & ingrossatur, aqua gignitur: & tamen forma eius substantialis in instanti terminatio producit. Hæc ibi.

Cum

Cum ipse doctrinam ad intentum applicet, nostra ponderatione, aut applicatione non eget. Et ipse Soto dist. 11. q. 1. art. 4. ad 3. in fine ait. Superius namque dist. 9. ostendimus in toto tempore prolationis fieri conuersionem, ad hunc sensum, quod toto illo tempore applicatur forma, quæ est eius causa. Sed tamen in vltimo instanti eadè conuersio fit, in hoc sensu, quod illud est primum non esse panis, & esse corporis. Hæc assertio ex secunda magis manifestabitur.

22 Dico secundo, loquendo de causatione completa, & simpliciter tali, absolutè, & simpliciter est affirmandum; quod sacramenta non causant gratiam in tempore, sed in instanti. Est Theologorum communis; quia eam exprimunt relati pro prima conclusione: & insuper, tam qui relati sunt n. 12. & 13. qui tenent causare in instanti intrinseco; quæ qui relati sunt n. 14. qui asserunt nobiscum causare in instanti extrinseco; omnes conueniunt simpliciter esse affirmandum gratiam non causari in tempore. Et cum ipso Lugo sententia, illa sententia de compositione temporis, ex partibus, sit Philosophorum, & Theologorum communis: iam sine vrgenti fundamento, vt defendatur communis sententia Philosophorum (& cuius opposita in Concilio Constantiensi sess. 15. vocatur error in Philosophia, vt expendimus 6. Physic. quæst. 1. §. 2.) recedit Lugo à communi Theologorum.

23 Conclusio sumitur ex D. Th. 3. p. q. 75. ar. 7. vbi probat conuersionem panis in corpus Christi fieri in instanti, triplici ratione: ex parte formæ, quia forma substantialis non suscipit magis, & minus, & ideo fit in instanti: ex parte subiecti, quod est in vltima dispositione ad formam; quæ in instanti acquirit, & ideo aer in instanti illuminatur: tertio ex parte agentis; quia agit virtute infinita. Et ad hanc conclusionem defendendam, non recurrit S. Th. ad opinionem Zenonis de compositione temporis ex solis instantibus: quin potius ibi ad 1. ait, quod *tempus non componitur ex instantibus consequenter se habentibus, vt probatur 6. Physicorum*. Et tamen conuersio illa fit virtute verborum successiue prolatorum; quod dicit S. Thomas non obitare; quia vt ait ad 3. *Ista conuersio fit in vltimo instanti prolationis verborum: tunc enim completur verborum significatio, quæ est efficax in sacramentorum formis*. Et ideo non sequitur, quod ista conuersio sit successiua. Idem docet S. Thomas q. 78. art. 4. ad 3. Et Quodlib. 7. art. 9. Et in 4. dist. 11. q. 1. art. 3. q. 2. Et eisdem locis communiter Theologi. Ex quo sic pro-

batur conclusio. Etiam si transubstantiatio, seu conuersio panis in corpus Christi, fiat virtute verborum successiue prolatorum, fit in instanti: quia non est successio ex parte formæ; nec ex parte subiecti, & fit à Deo virtutis infinitæ. Sed omnes istæ rationes locum habent in infusione gratiæ concurrente sacramento instrumentaliter: vt patet singulas expendenti: ergo fit in instanti.

24 Ad id faciunt rationes, quæ format Diuus Thom. prima secundæ quæstione 113. articulo 7. vt probet, *quod iustificatio impij fit in instanti*. Et tamen ibi ad 5. nulla tenus admittit duo instantia immediata: de quo etiam latissimè q. 26. de Verit. art. 3. ad 12. & q. 28. art. 2. ad 10. Eadem autem est ratio de infusione gratiæ per sacramentum: ac de illa, quæ datur sine sacramento; quia ad subitam introductionem formæ, potius attenditur ad virtutem agentis, qui subito valet agere, & ad naturam formæ, quam ad præuiam alterationem: sicut generatio est in instanti, quamuis præuia alteratio sit in tempore: & pariter illuminatio, quæ est terminus motus localis, fit in instanti. Ergo quamuis motus sacramenti sit successiuis, infusio gratiæ est in instanti.

25 Tertio probatur expendendo illam rationem D. Thomæ: *Tunc enim completur verborum significatio, quæ est efficax in sacramentorum formis*. Et formatur sic. Verba formarum sacramentorum non conferunt gratiam toto tempore præcedenti vltimè instans prolationis verborum. Nec in tempore immediatè sequenti vltimum illud instans. Nec in tempore aliquo indeterminato. Ergo conferunt gratiam in vltimo instanti prolationis verborum; vel intrinseco, vel extrinseco, de quo postea. Consequentia patet à sufficiente enumeratione. Antecedens quo ad primam partem ab ipsis admittitur: nec ab vilo negari valet: quia vt docet S. August. tract. 80. in Ioannem. Et D. Thomas q. 60. art. 7. ad 1. & 3. & toto art. 8. verba operantur in sacramentis quantum ad sententiam, quem faciunt: vnde si tollatur a verbis aliquid, quod est de substantia significationis, tollitur id quod est de substantia formæ: vt in simili docent Zacharias Papa cap. *Retulerunt de Consec. distinct. 4.* & Nicolaus Papa cap. *Si reuera*, ibidem. Ideoque si vna trium personarum omittatur in Baptismo, non est validum sacramentum. Vniuersaliterque in omnibus sacramentis nouæ legis verificatur, quod efficiunt, quod significant; vnde vltique dum perficiatur significatio, non est perfecta causa instrumentalis gratiæ cum effectu.

Sed vsque ad vltimum instans prolationis nō est perfectus sensus significationis: ergo cum effectu non est causata gratia: sicut nec in Eucharistia causatur transubstantiatio; ideoque si omitteretur *ly meum*; non fieret conuersio panis in corpus Christi. Sicut posita alteratione; si impediatur eius terminatio extrinseca, quæ est generatio, non intro ducitur forma substantialis.

26 Secunda pars antecedentis probatur: nam verba sacramentorum nouæ legis efficiunt, quod significat iuxta illud Concilij Tridentini sess. 7. de sacramentis in genere can. 6. *Si quis dixerit sacramenta nouæ legis non continere gratiam; quare significant; aut gratiam ipsam non ponentibus obicem; non conferre; &c. Anathema sit.* Ergo quam primum verificatur, quod hæc verba significant gratiam; verificatur quod hæc verba conferunt gratiam: quia agens principale est virtutis infinite; & aliud non exigit, quam instrumentum esse completum in esse signi, vt illi conferat vim completam causandi: & sicut infallibiliter causatur in omni non ponente obicem, ita quam primum est completa significatio; prædictæ est effecta causatio.

27 Deinde vel illa extensio prolationis vltimæ syllabæ, est essentialiter requisita ad hoc vt tota oratio corripetè substantialiter significet; vel solum est complementum accidentale aut effectus; vel aliquid per accidens comitans, vel subsequens orationem significatiuam? Si primum; sicut toto tempore antecedente vltimam syllabam, nō confertur gratia cum effectu, quia nondum est completa significatio; vt in priori parte antecedentis probatum est: ita nec causabitur vsque dum sit completa extensio vltimæ syllabæ: Vnde Soto in 4. dist. 9. q. 2. art. 7. in fine, §. *Non autem*, dicit, quod cum consecratio non perficiatur, nisi tota prolata forma; non est absurdum concedere, quod si scrupulosus, morosusque sacerdos prolationem vltimæ syllabæ dictionis, *meum*, nimium prolixè protraheret, non inciperet esse illic corpus Christi, donec pro suo libito ipse cessaret. Si vero alia duo dicantur; non est cur vt sacramentum causet, debeat expectare ea, quæ non requiruntur ad essentialiam sacramenti, cum non requirantur ad essentialiam signi à Christo instituti, & eleuati ad causandum, quod significat; & pro illo tempore; vel instanti in quo, & pro quo significat. Et sic cessat argumentum contrarium.

28 Ratio à priori est, quia vt diximus 6. Phys. q. 5. n. 18. res permanentes, quæ in sui inceptioe motui non subduantur, connaturaliter incipiunt per primum sui esse: & ibi

n. 23. cū Philolopho, & D. Tho. lib. 6. lec. 7. lit. d. & lib. 8. lect. 17. lit. g. diximus substantiam, quæ generatione fit, incipere per primum sui esse: sed quæ desinit ad generationem alterius, desinit per primum non esse, vt docet S. Tho. Quodlib. 7. art. 9. & 3. p. q. 73. ar. 7. ad 1. & in 4. dist. 11. q. 1. art. 3. q. 2. ad 2. *quia cum ex acre sit ignis, in toto tempore alterationis precedentis erat aer: præter vltimum instans in quo est ignis: & similiter est in illuminatione respectu motus localis.* Ergo toto tempore prolationis verborum sacramenti est peccatum, & primum esse gratiæ est primum non esse sacramenti. Sicut in Eucharistica consecratione. Vnde subdit S. Thomas. *Et ideo cum conuersio sit terminus cuiusdam motus, scilicet, prolationis verborum; in toto tempore precedente erat panis; præter vltimum instans, in quo est corpus Christi.* Similiter si gratia nō incipit in instanti; sed in tempore, de facto in aliquo instanti reali, in quo, erunt simul gratia; & peccatum in homine. Quod communiter; contra Lorcan, omnes Theologi non admittunt. Vel erunt duo instantia immediata: quod Philosophus, & S. Tho. 6. & 8. phys. non posse admitti probant.

29 Tertia pars primi antecedentis probatur, quia implicat causam principalem, & instrumentalem in re hic; & nunc determinatè causare; & Deum non seise determinatè, quando causent causæ; & quando effectus cauletur. Deinde vt arguit S. Thomas in 4. Sent. illa sol. ad 2. *Designatio nostra nihil facit ad hoc; quod tempus intersit; vel non intersit.* Ergo sacramenta non causant in tempore, sed in instanti; quamuis motus sacramenti sit in tempore.

30 Occurrit tamen Lugo n. 124. quia gratia de potentia absoluta potest incipere in tempore, vt probat Suarez lib. 12. de gratia c. 21. n. 12. & tandem admittit Vazquez 1. p. disp. 239. n. 47. argumenta autem nostra, si quid probant, videntur etiam probare in ordine ad potentiam absolutam: nam procedunt ex implicanti contradictionis, quæ sequeretur in illo casu.

Præterea arguit nu. 132. nam potest dari casus in quo gratia incipiat in tempore: quædo v. g. aliquis contraxit matrimonium cū consensu externo; sed cum fictione interna inculpabili; post modicum vero tempus, mutato animo, vult vere consentire. In quo casu communis sententia, quam cum alijs multis sequitur Thomas Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 32. n. 1. docet, non requiri nouam prolationem verborum, sed solum consen-

sum

sum internum, qui defuerat; quo adhibito, perficitur matrimonium. Tunc ergo, cū ille consensus internus, in sententiâ ipsius Suarez, possit incipere in tempore intrinseco, sicut alij actus liberi nostri; contingere poterit, quod sacramentum Matrimonij perficiatur in tempore intrinseco, quo incipit ille consensus internus: & perconsequens, tunc etiam debet produci gratia tota simul; sed intuitu illius consensus, qui vt existens in aliqua morula temporis determinati, concurrat; saltem moraliter, ad productionem gratiæ. Quia Deus intuitu omnium partium actionis producit; & toto illo tempore conferuat gratiam actione, quæ successiue variatur. Simile argumentum format n. 135. vsque 137. de intentione conferendi, vel recipiendi sacramentum Pœnitentiæ. Et à nu. 140. exponit, quod potest Deus facere quod gratia per aliquam breuem morulam pendeat in conferuari à sacramento.

31 Ad primum dicimus illam doctrinam esse veram: & iam diu radicã à Soto 6. Physic. q. 3. in fine 9. cōc. & ab alijs multis, quos retulimus, & sequuti sumus 6. Physic. q. 5. n. 21. & 22. Quia tamen connaturaliter entia spiritalia permanentia perit fieri in instanti: cum miracula non sint ponenda sine necessitate, & in præsentia nulla sit necessitas, quod gratia incipiat in tempore: liquidè argumenti difficultas eadem prorsus militat in generatione substantiali, quæ est terminus extrinsecus motus, seu alterationis precedentis; ideo dicimus absque fundamento asseri, quod gratia producat in tempore; cum facile omnia componantur asserendo, quod incipit in instanti, & toto tempore antecedenti est motus sacramenti.

32 Ad secundum dicitur, quod si quam primum finitur externum sacramentum, non est ablata fictio, vel non adest intentio, vel in ministro, vel in recipiente sacramentum; tunc non confertur gratia; quia obex impedit effectum sacramenti; vel defectu intentionis essentialiter requisitæ, non est sacramentum validum. Postea vero posita intentione, vel ablata fictione, causat eo proportionali modo, quo baptizatus ablata fictione, iuxta dicta dub. 2. §. 9. Quod autè ad iustificationem impij concurrant internæ dispositiones, non arguit, quod gratia fiat in tempore: quia dispositio, & consensus internus sit in instanti, vt docet D. Thomas 1. 2. q. 113. art. 7. ad 1. adiciens. *Contingit autem quandoque, quod præcedat aliqua deliberatio, quæ non est de substantia iustificationis; sed via in iustificationem: sicut motus localis est via ad illu-*

minationem; & alteratio ad generationem. Actus autem mere interni, licet requiratur ad gratiam, vel vt dispositiones, vel vt remouentes prohibens peccatum; vel vt aliquid Sacramenti Pœnitentiæ; non tamen adæquate causant ex opere operato gratiam in nullo euentu; quia sacramenta, quæ nunc sunt; debent esse aliquid sensibile externum. Vnde si illud omnino transiit, non causant ex opere operato gratiam; nisi eo modo, quo causare diximus sacramenta recedente fictione. Ideoque semper ex vi sacramenti causatur gratia in instanti extrinseco, seu quæ primum desinit sacramentum.

33 Dico tertio, sacramenta proximè nō causant per id, quod in illis est permanens; sed ratione motus, seu vltus sacramenti. Vnde de sacramentorum causatione proxima, iudicandum vt de causalitate motus à Deo eleuati ad causandum. Colligitur ex D. Th. q. 60. art. 6. ad 2. in fine. Et clarius q. 66. art. 1. probans, quod sacramentum non perficitur in ipsa aqua; sed in applicatione aquæ ad hominē, quæ est ablutio. Et ideo Magister in 4. dist. 3. dicit; quod baptizatus est ablutio, &c. Idem docet S. Thomas in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. q. 2. ad 4. & dist. 3. art. 1. & lib. 4. Contrag. cap. 60. Rationem efficacem assignat D. Tho. illo ar. 1. q. 66. dicens. *Sed hoc non videtur verum. Cum enim sacramenta nouæ legis sanctificationem quædam operentur; sibi perficitur sacramentum; ubi perficitur sanctificatio.* Quia sacramenta sunt signa, & causa gratiæ, & significatio efficiunt, quod significant. Sed non significat ablutionem internam ipsa aqua; sed ablutio in aqua facta: ergo ablutio ipsa est, quæ proximè à Deo assumitur ad causandam gratiam.

34 Secundo probatur ex illo ad Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ: ubi causalitas baptizati attribuitur ablutioni, vt determinatè per verba; iuxta illud S. August. tract. 80. in Ioann. Accedit verbum ad clementum, & fit sacramentum: de quo iam diximus q. 60. cū D. Thoma ibi art. 6. & 7. probare, quod verba sunt forma sacramenti. Et quamuis q. 86. art. 6. doceat, quod sacramentum producit effectum suum, non solum virtute formæ, sed etiã virtute materiæ; quia ex vtroque fit vnum sacramentum; tamen forma dat vltimum complementum sacramenti; vt docet D. Tho. q. 84. art. 1. ad 2. quia perfectio essentialis attribuitur formæ, vt probat ibi art. 3. & q. 72. art. 4. & ideo potius verbis, quam rebus correspondet, & tribuitur efficientia sacramenti, vt docet S. Thomas in 4. dist. 3. q. 1. art. 1. q. 1. ad 3. Sed*

ver-

Verba successiue proferuntur: quia oratio est quantitas discreta, & cum motu: ergo loquendum de sacramentis, vt de causalitate motus eleuari ad causandum: sicut virtus Intelligentiæ est in motu Cœli, vt dictum est nu. 3.

Idque docet S. Tho. 3. p. q. 73. art. 1. ad 3. Imò, & Concilium Trident. sess. 13. cap. 3. docens, quod reliqua sacramenta (præter Eucharistiam) tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; vltus autem iste est motus materiæ, & prolatio successiua formæ: sacramenta ergo causant in termino motus. Id. oque S. Thomas in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. q. 2. ad 2. ait, quod *completur datur virtus sacramentis in ipso vsu sacramentorum; nec est inconueniens, si virtus, quæ motui proportionatur, datur reistatim, vel post modicum deferre.* Et q. 27. de Ver. art. 4. ad 6. ait. *Sicut dicimus motus instrumenti esse causam formæ inductæ à principali agente.* Et ad 7. quod de perfectione instrumenti est, quod agat in quantum mouetur; & ita per virtutem incompletam.

35 Dices, cum Suarez, & Granado nu. 20. quod quamuis prolatio verborum sit cum motu, & successiue fiat: tamen sonitus, qui resultat ex prolatione, est quid permanens. Vnde iam datur in sacramentis aliquid permanens, quod eleuetur, vt physicum instrumentum ad gratiam causandam.

36 Sed non satisficit, primo, quia vt notat Capreolus in 4. dist. 1. q. 1. ad 2. Durandi contra tertiam, & omnes admittunt, surdus potest absolui, & matrimonium contrahere, & baptizari: ergo sonus in sui termino, nãpè sumptus pro qualitate recepta in auditu, non est de essentia, aut de substantia sacramenti.

Secundo, verba prolata vere significant, etiam antequam à distantibus auditu percipiuntur: ergo, cum significando efficiant, etiam causant gratiam ante tempus, quod mediare potest inter prolationem, & auditionem sonitus passiuè recepti: qui vt sic potius ad effectum, quam ad substantiam prolationis pertinet.

37 Tertio, nam Themistius lib. 2. de Anima cap. 29. & alij existimant sonum esse motum, non autem qualitatem: & in istorum sententia sicut verba successiue proferuntur, ita, & successiue, & cum motu audiuntur.

Quarto, quamuis probabilis sit, quod sonus non est motus formaliter, sed solum causaliter, vt probat M. Bañez 1. p. q. 78. art. 3. de auditu dub. 3. Tamen sonus est ens successiuum, vt dicit Nuño hic solut. ad 1. quartæ sententiæ: & oppositum esse inaudi-

tum in Philosophia dicit Vazquez cap. 4. n. 63. & nos ostendimus lib. 2. de Anima q. 3. 1. n. 4. quod est qualitas habens esse successiuum, & transiens, iuxta D. Thomam lib. 2. de Anima lect. 16. lit. a. Ergo dato, & nõ eõ cello (quia Deus de facto solum dedit significationem, & causalitatem verbis ipsis significatiuis, & non effectui eorum, causato in aere, vel in auditu) quod sonus esset sacramentum; non sequitur, quod sit quid permanens. Rectè ergo concludit S. Thom. q. 66. art. 1. quod *ibi perficitur sacramentum, vbi perficitur sanctificatio: in aqua autem non perficitur sanctificatio; sed est ibi quædam sanctificationis virtus instrumentalis, non permanens, sed fluens in hominem, qui est verè sanctificationis subiectum.*

38 Dices secundo, rationibus factis solui probari, quod sex sacramenta causant in vltimo, seu in termino motus; non vero id probari de sacramento Eucharistiæ; imò oppositum inferri, quia est sacramentum permanent, in quo ab alijs differre, notat S. Tho. q. 73. art. 1. ad 3. Imò, & Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 3. ait. *Verù illud in Eucharistia excellens, & singulare reperitur, quod reliqua sacramenta, tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur: at in Eucharistia ipse sanctificatis auctor ante vsu est.*

39 Respondetur discrimẽ assignatum esse certum secundum fidem: ideo ibi can. 4. dicitur. *Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistia sacramento nõ esse corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi; sed tantum in vsu, dum sumitur, non autem ante, vel post, & in hostijs, seu particulis consecratis, quæ post communionem reseruantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini; anathema sit.* Cæterum, quamuis contentia Christi Authoris gratiæ in Eucharistia sit permanens, peracta consecratione, & ante vsu Sacramenti, & in ipso vsu, & toto tempore, quo species non corrumpuntur: & in hoc sit maxima differentia inter hoc sacramentum, & sex reliqua: tamen, quia Eucharistia non confert ex opere operato gratiam, nisi cum sumitur spiritaliter, & sacramentaliter, & realiter; vt docet idem Conciliũ cap. 8. & can. 8. Et hoc solum fit in vsu, & manducatione sacramentali, quæ etiam fit per motum: ideo quoad intentum præsens, nulla est differentia formalis: Vnde gratia per Eucharistiã sacramentaliter confertur, quã primum completè verificatur factum esse motum, seu manducationem. Ac per consequens vniuersaliter verum est in omni Sacramento, tunc primum hominem per illum

illum sanctificari, quam primum desinit motus, seu vsus Sacramenti.

40 Dico quarto. Sacramenta causant gratiam in vltimo instanti prolationis verborum, vel motus aquæ, vel vtriusque; non quidem intrinseco, sed extrinseco. Hæc conclusio, quoad primam partem sequitur ex dictis à sufficiente enumeratione. Quoad tertiam partem, bene eam probant Authores relati à n. 14. & 17. Vnde solum restat probanda secunda pars. Quod fiet impugnando sententiam relata n. 13. de causatione in vltimo instanti intrinseco Sacramenti. Quod rejicitur primo, quia sic se habet vltimum esse Sacramenti, ad primum esse gratiæ, sicut se habet vltimum esse prolationis verborum consecrationis, ad primum esse corporis Christi sub Sacramento: quia in vtroque casu militat vna ratio. D. Thomæ 3. p. q. 75. art. 7. ad 3. quod *fit in vltimo instanti prolationis verborum; tunc enim completur significatio, quæ est efficax in Sacramentorum formis.* Sed verba consecrationis non habent vltimum instans intrinseco: alioquin vel corpus Christi inciperet in tempore, & nõ in instanti; vel darentur duo instantia immedata. Quod vtrūque esse inconueniens, latè probat S. Thomas ibi ad 1. & q. 78. artic. 5. ad 3. & Quodlib. 7. artic. 9. & in 4. distinc. 11. q. 1. art. 3. q. 2. ad 2. vbi post multa concludit, quod *veritas huius questionis apparet ex hoc, quod Philosophus dicit in 8. Physic. textu 69. quod quando ex albo fit nigrum, in toto tempore mensurante motum alterationis, erat album; sed in vltimo instanti illius temporis est nigrum. Vnde secundum ipsum non est dandũ quod in toto illo tempore sit album; sed in toto præter vltimum nunc. Et quia ante vltimum nunc alicuius temporis non est accipere penultimum; sicut nec ante vltimum punctum lineæ penultimum: ideo non est accipere vltimum instans, in quo erat album, sed vltimum tempus. Et similiter est de illis mutationibus, quæ sunt termini motus, sicut generatio est terminus alterationis, &c. Ergo nec verba formarum, seu motus, seu vsus Sacramenti habent vltimũ instans intrinseco; sed solum extrinseco. Idem docet S. Tho. loquẽdo de dispositionib⁹ ad gratiam extra Sacramentum; vt videri potest locis relatis numero 24.*

41 Secundo probatur, quia vt docent Physic. 6. Physic. text. 46. & D. Tho. ibi lect. 7. lit. e. motus desinit per primum non esse. Quam esse omnium sententiã diximus lib. 2. Physic. q. 4. §. 2. Qua propter Bañez lib. 1. de Gener. cap. 4. q. 6. art. 2. ad 6. & Nuño in confutatione quartæ sententiæ; & Vazquez

disp. 132. c. 4. à num. 57. vsque ad 73. & Cabrera disp. 9. §. 13. à num. 100. vsque 107. & nos 2. p. Metaph. controu. 13. n. 11. & alij dicunt destrui principia per se nota in Physica, si in motu successiue daretur vltimũ mutatum esse intrinseco: quia motus, sicut nec in initio, ita nec in fine, potest esse in instanti; quia de eius essentia est successio, & quod non possit esse totus simul. Illa ergo mutatio, quæ est terminus motus, est terminus extrinseco, & ætherogeneus, vt docet S. Tho. multis locis relatis à nobis 1. de Generat. q. 4. numero 12.

42 Tertio probatur: nam Suarez debilitatur fundamento: inquit enim, necessarium esse signare aliquid instans in quo verum sit dicere; quæ est sacramentum perfectum. Hoc autem parum vrget: quia sicut dices dicitur esse, quando est aliquid illius; licet nunquam sint omnes eius partes simul: & sicut oratio, & loquutio est, quandiu successiue profertur, quamuis syllabæ, & diuisiones singulæ non possint simul proferri; ita pariter dicendum de motu successiue ablationis, vel loquutionis. Deinde, si in medio loquutionis non verificatur absolute, & simpliciter esse sacramentum, quia deest aliquid illius; ita nec in fine erit simpliciter sacramentum: quia antecedentes diuisiones, & syllabæ iam transierunt; & Deus solus eleuat ad causandum nunc sacramenta, quæ sunt nunc, vt ipsi obijciunt. Veritas ergo est, quod sacramenti significatio, & causalitas tunc primo est consummata, & perfecta, quando sacramentum est in sui termino; seu quando primo non est intrinseco; sic enim causat motus: est autem sacramentum aliquo modo, & in via quandiu fit: & tunc causat in fieri, & incompletè,

§. IV.

Soluuntur argumenta.

43 Per quæ patet, rationem dubitandi relati tam num. 1. tripliciter solui posse. Primo concedendo sacramenta physice operari, quando non sunt intrinseco; quia in successiuis, & in motibus naturalibus sufficit, quod sint extrinseco, vt abundè explicat Soto relatus num. 15. ¶ Secundo potest dici, quod illa existentia secundum quid in esse entis, sufficit ad hoc, quod possint assumi à Deo vt instrumenta physica, quia ad hoc sufficit contiguitas, & non requiritur alias simultas causæ, & effectus, prout copiose declarant Nuño, & alij Thomistæ relati nu. 16.

de 17. & nos locis relatis num. 14. sicut enim explicuimus lib. 1. de Gener. q. 27. n. 3. quod agentia corporalia actiua non requirunt adtinauacionem; sed vt physicè causè, sufficit, quod physicè sint contigua cū illis; iniquod immediate debent agere: ita quæ agunt per motum, non requirunt similitudinem continuam, sed sufficit, quod contiguantur.

44 Tertio possumus respondere ex doctrina receptissima in causis principalibus, in quibus agens vt quod sapè distat loco ab effectu, & sufficit, quod illud tangat virtute distata, sicut sol media luce tangat in terra, cū sit in celo, & sapè agens non existit in rerum natura, cum effectus actu cabatur; sicut mortuo generante, formatur fetus, & animatur in ventre matris: idemque contingit in motu projectorum, quia etiam si moriatur proiectens, verificari potest, quod ait Diuus Thomas q. 3. de Potentia artic. 1. ad 5. quod sagitta tandem mouetur à proiectente, quādiu manet vis impulsus proiectentis. De quo, cum comāni sententia, iam egimus lib. 2. Physicorum q. 1. conc. 3. ita pariter in causa instrumentali sacramentum est instrumentum agens vt quod; & virtus transiens, in eius termino à Deo collata, est agens vt quod; quæ defertur, & vt per organa transiunt, & causatur à Sacramento: non est ergo in conuentione, quod instrumentum delinat esse in se, si manet in sua virtute agente vt quod; quia sic verificatur, quod Sacramentum agat, quia est virtualiter in suo termino, & virtute. Solutio est D. Thomæ in 4. ad Anibaldum dist. 8. art. 5. ad 3. vbi ait, quod est in suo termino, id est, non simpliciter, sed secundum quod. Videatur in alio scripto dist. 8. q. 2. art. 3. ad 6. vbi ait, quod quamuis oratio successiue proficitur; tamen significatio est tota simul; quod tunc complet ultima orationis particula ad modum differentiæ; vltimæ in definitionibus: & hac significatione existente, in ultimo prolationis instanti est transubstantiatio.

45 Sed instabis: nā virtus supernaturalis, seu gratia, quæ est in termino Sacramenti, est effectus Sacramenti: siquidem ab illo causatur: sed causa, debet existere, dum causat, & emittit virtutem: ergo non sufficit existentia in termino, ad hoc vt Sacramentum dicatur physicè causare. ¶ Secundo, nō ideatificatur instans effectus causati, & instans causæ causantis in causis efficientibus instrumentalibus, quæ realiter distinguuntur ab effectu. Sed instans termini Sacramenti est instans eius effectus. Ergo cum querimus existentiam instrumenti, seu causæ, nō bene respondetur per existentiam effectus.

46 Respondetur, quod sicut causalitas, & id quo causa causat, distinguitur ab effectu causato: quamuis derivando causalitatem, causa causet effectum; ita lux distinguitur ab effectu solis, & virtus feminis distinguitur ab animati generato, & impulsus impressus sagittæ, distinguitur ab effectu, quæ causat: ita virtus fluens, quæ est in Sacramenti, realiter distinguitur à gratia, quæ in anima per eam causatur: Quod bene vidit D. Thomas in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. q. 4. ad 3. dicens, quod forma effectus, quæ est in agente principali, vel instrumentali, nō est eadem numero in effectu. Nec propter hoc instrumentum est, quia non ad hoc ordinatur, vt ipsamet in effectu insuat; sed vt ab ea, vel per eam, similis fiat in effectu. Causa enim efficiens non reducit in idem numero cum forma generati, sed in idem specio; vt patet 2. Phys. textu 70. Vnde licet virtus, quæ est in termino Sacramenti, videatur quodāmodo ab eo causari, quia ab eo, & per eam deriuatur; simpliciter tamen est, quo causat gratiam realiter distinctam, quæ permanet in anima. Videatur S. Thomas hic art. 3. ad 2.

47 Ad secundum dicitur, quod licet virtus instrumenti realiter differat à gratia causata; tamen sunt in eodem instanti: tum quia instans intrinsecum virtuti Sacramenti, & gratia, est vltimum instans extrinsecum motui, cum quo contiguatur, & cuius est terminus ætherogeneus. Tum quia vt ait D. Thomas 3. p. q. 75. art. 7. ad 2. In instantibus instantaneis simul est fieri, & factum esse: sicut simul est illuminari, & illuminatum esse. Dicitur enim in talibus factum esse, secundum quod iam est; fieri autem secundum quod ante non fuit.

48 Ad confirmationem propositam nō dicimus, quod assumit omnes propositiones falsas. Maiorem esse negandam constat, quia virtus instrumentalis est incompleta in sacerdote, & in materia, & in forma, & complete in termino, secundum quod ex omnibus fit vnum Sacramentum. Vnde S. Thomas art. 4. ad 4. ait, quod sicut eadem vis principalis agentis instrumentaliter inuenitur in omnibus instrumentis ordinatis ad effectum; prout sunt quodam ordine vnum: ita etiam eadem vis sacramentalis inuenitur in verbis, & rebus, prout ex verbis, & rebus perficitur vnum Sacramentum. Ideo virtus est in materia proxima proximè, & in materia remota remote; & in sola materia incompletè; ad equatè vero, & complete cum perficitur sacramentum. Et vt notat Suarez disp. 8. sec. 2. in fine §. sed quæres, non est de substantia sacramenti, quod physicè finiatur prius forma, quam materia; sed interdum potest prius abolu-

forma, interdū materia; dummodo habeat sufficientem coniunctionem vt fiat vnum sacramentum: in cuius complemento datur virtus.

49 Minorem esse negandam, & non nisi cum iniuria diuinæ omnipotentia, id nō esse factibile affirmari, ipsi Gentiles Philosophi agnouerunt; vt vidimus nu. 3. probatio minoris etiam assumit maiorem manifeste falsam, quia ablutio non est successiua presentia, sed motus localis aquæ, ex quo motu causatur presentia. Data autem maiori, etiam posset negari minor, quia est multorum sententia, quod per illa omnia importatur motus intrinseci: qui a Deo posset eleuari ad causandum. Sed quia nos lib. 4. Physicorum q. 4. ostendimus presentiam esse denominationem extrinsecam: ideo dicimus motum localem, in quo consistit ablutio, esse subiectiue in eo, quod mouetur, vt diximus lib. 3. Phys. q. 2. n. 20. & quod realiter differt à mobili, in quo est, & à termino ad quæ: & ideo non video cur non possit à Deo assumi ad causandum. Vnde S. Thomas in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. quæstioncula 4. in fine corporis ait: Sicut etiam in mobili est forma; quæ est terminus motus; dum mouetur vt fluens de potentia in actum: & inter hæc cadit mediū motus; cuius virtute instrumentum agit. Ergo multo melius motus ipse potest à Deo ad causandum physicè eleuari.

50 Sed adhuc obieciēs: quia si illud instans non pertinet intrinsecè ad esse sacramenti, sed solum extrinsecè; ante illud instans fuit totum sacramentum: ex quo sequitur posse contingere, quod sacramentum cōferat gratiam animæ in instanti, quo est à corpore separata: quod admitti nequit: alioquin anima, quæ dum recessit à corpore erati in peccato mortali, post mortem consequatur gratiam, & saluetur: quod non consonat doctrinæ catholicæ. Id autem sequi probatur valgaris exemplo: nam si contingat in instanti quo consumatur Sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ, hominem mori, vel saluari sine eo, quod in via fuerit in gratia: quod iuxta presentem prouidentiam, admitti nequit: quia vbi ceciderit lignum, ibi erit: vel homo, qui accipit integrum sacramentum, & non posuit obiecm gratiæ, eam non recipiet. Quod damnatur in Concilio Tridentino sess. 7. de sacramentis in genere can. 7. dū dicitur. Si quis dixerit, non dari gratiam per huiusmodi sacramenta semper, & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiam si rite ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus, anathema sit.

q. 2. art. 7. in fine §. ex his, quod casus vix est possibilis. Et Cabrera §. 13. n. 124. dicit hunc calum esse metaphisicum, quia vix poterit contingere tanta adæquatio inter prolationem verborum, & consumationem vitæ sacramentum suscipiens. Imo forsitan ad Dei prouidentiam spectabit, vt talis adæquatio non contingat. ¶ Cæterum, quia contingere, est omnino contingens: & non est reuelata, nec ex reuelatis colligi potest hæc prouidentia; ideo melius est calum admittere; quia gratis omnino videtur negari ita de facto contingere posse.

52 Respondent igitur Maior in 4. dist. 16. q. vnica, & Adrianus q. 4. de confessione, & Zauel illa disp. 4. quod ille homo saluabitur; quia licet non recipiat vi sacramenti gratiam quatenus est extra viam; quia vt iuxta hanc prouidentiam non est capax gratiæ sacramentalis: recipit tamen gratiam quatenus in illo primo non esse actio sacramenti terminatur: & prout illud primum non esse est instans immediate coniunctum tempori præcedenti, & causalitati ipsius sacramenti, & successioni ipsius sacramenti. ¶ Sed contra est primo, quia non potest absque miraculo in eodem instanti homo liberari à peccato, & glorificari. ¶ Secundo, nam de lege ordinaria fides viua viæ debet præcedere gloriam.

53 Melius respondent Soto vbi supra, & Nuño ad 2. & Vazquez n. 73. & Cabrera n. 124. in fine, & n. 125. Bonacina, & Trullench illo dub. 4. n. 3. (licet male oppositū tribuat Soto) & alij, talem hominem non recipere gratiam, quia non recipit sacramentum; eo quod deficit subiectum sanctificandum; neque verba verum sensum efficere poterunt, cum in fine prolationis non esset homo viator, qui posset lauari, & abluui. Sicut si in eo instanti, in quo perficitur prolatio verborum consecrationis, corrumpatur panis, non fieret conuenticio in corpus Christi, quia deest subiectum conuersionis.

54 Sed inquit Suarez disp. 8. sec. 2. in fine, quod in sua sententia hæc incommoda facile vitantur, negando illum hominem accepisse sacramentum, quia deficit illi aliquid necessarium ad essentiam, & perfectionem sacramenti. Similiter Lugo disp. 4. sec. 6. n. 114. dicit durissimum hoc admitti, quia de illo homine verificatur, quod accipit verum sacramentum baptisma, dum esset viator: nam licet nō acceperit illud cum vltima terminatione, terminatio tamen, in hac senten-

cramentum: quare sicut tempus absque vltimo instanti est verum tempus; sic sacramentum; quod iuxta dicta, est ita successiuum sicut tempus. Faceri autem, quod aliquis, qui cum dispositione sufficiente vere fuit baptizatus, non consequitur salutem, videtur *valde durum*: nec video, quomodo possit vitari illa durities, nisi negando cum Suarez illud fuisse sacramentum completum absque illo vltimo terminatio.

55 Responderetur, quod sicut quamuis subiectum sit capax recipiendi alterationem, si in instanti, quo introducenda est generatio, annihilatur materia, non fiet generatio substantialis, nec introducet forma substantialis, nec generabitur viuens: ita si in termino sacramenti extrinseco non est homo, non est sacramentum completum, quia licet completus fuerit motus, non tamen fuit completum sacramentum, quod non constat solo motu, sed motu, & eius virtute, quæ est in sui termino. Nec video maiorem difficultatem in eo, quod dicatur hominem non iustificari, qui recipit omnes partes sacramenti; quia defecit illi aliquid indiuisibile intrinsecum; quod non est sacramentum, nec eius pars: quam dicere non iustificari, quia non adfuit virtus sacramenti; quia hæc non solum potest deesse defectu partium, vel indiuisibilitate, sed etiam defectu subiecti sanctificandi: sicut impeditur virtus verborum consecrationis, si in termino extrinseco non est panis, qui posset in Christi corpus conuerteri. Et præcipue, quia in sententia Suarez, & nostra, indiuisibile additum indiuisibili, vel etiam parti, non facit maius, propter eius indiuisibilitatem: vt contra Suarez vrget Lugo n. 119. Vnde minus consequenter contra Vazquez n. 114. dixerat duritiem illius sequelæ non vitari nisi in sententia Suarez: & modo contendit idem sequi in vtraque sententia: vt proseguitur vsque ad n. 122.

56 Vterius instat Suarez & Lugo n. 113. quia non sufficit immediatè ante fuisse sacramentum, vt possit physice operari, quãdo vere non est: nam quod fuit, reuera non est: nec habet nunc plus de entitate, quam id quod erit; vel quam id, quod nec fuit, nec erit. Quare sicut id, quod postea erit, nunc non potest aliquid realiter producere; sic nec id quod fuit. Nec refert etiam, quod fuerit immediatè ante; sicut nec confert, futurum esse immediatè post: nam siue intercellerit multum tempus, siue parum, iam reuera nihil est: quod autem nihil est, non potest influere nunc verum esse in effectum realem per veram efficientiam.

Quod si dicas, quod per hoc, quod immediatè fuerunt verba, contiguantur cum virtute causativa gratiæ. Id non sufficit, quia verba, cum virtute, & effectu præsentis gratiæ, non possunt habere maiorem contiguitatem, quam habeant inter se: sed inter se non continuantur, nec contiguantur: quia oratio non est quantitas continua, sed discretæ, & quando vna syllaba aduenit, iam omni no desijt alia: ergo nequeunt causare in instanti extrinseco.

57 Denique instat Lugo n. 116. arguens ex veritate verborum sacramentalium, que debent esse vera in toto rigore de præsentis ad quod necesse est, quod verificentur pro tempore, seu instanti præsentis ipsi loquutioni: in nostra autem sententia verificarentur pro instanti, non præsentis, sed futuro, post quam loquitur sacerdos. Quare posset contingere in rigore, quod sacerdos proferret rotam formam absolutionis; in illo autem instanti terminatio sequenti, in quo iam ipse nihil operatur, moreretur: ac per consequens inciperent verificari verba, quando iam sacerdos esset mortuus; & liberaretur, absoluereturque homo à sacerdote mortuo: ac per consequens sacerdos non debuisset dicere; absoluo te; sed absoluoam postea. Idem que argui potest de verbis consecrationis. Debent ergo verificari pro aliqua duratione, vel successiua, vel instantanea præsentis ipsi prolationi verborum.

58 Ad primum patet ex tribus solutionibus datis ad principale argumentum: nam immediatè præcessisse, supposita institutione, & eleuatione Dei, dat tantam conuersionem virtuti causatiuæ cum forma sacramenti, quantum habet cum alteratione generationis: & ibi omnes probationes instat. Hæc autem contiguitas, non est quia partes sacramenti sint contiguæ: quia diximus q. 60. quod solum habent unitatem artificialem ex adunatione facta à Deo, qui omnibus his partialibus instrumentis vtitur ad vnum effectum sacramenti. Sed prouenit ex promissione diuina, quæ ex hoc innotescit, quia voluit, quod quam primum complete significetur gratia, in ipso instanti à Dei virtute, data sacramento, efficiatur. Vnde S. Thomas in 4. dist. 8. q. 2. art. 3. ad 7. ait, quod *significationes partium sunt dispositiones ad significationem totius orationis, quæ consurgit ex significatione vltimæ partis in ordine ad omnes præcedentes: quia virtus conuersiua sequitur significationem, vt dictum est: & ideo in ipso complemento significationis datur illa virtus orationis toti; ita quod partes singule se habent materialiter ad illam*

virtus

virtus. Videatur ibi ad 9. & in 4. ad Anib. dist. 8. art. 3. ad 4. docet, quod virtus datur toti orationi; quia datur vltimæ parti vt complemento, non secundum se, sed secundum ordinem ad præcedentia, id est, non secundum id quod est, sed in quantum terminus. Et 3. p. q. 78. art. 4. ad 3. ait, quod in vltimo instanti prolationis verborum prædicta verba consequuntur hanc virtutem; in ordine tamè ad præcedentia. Quoad ergo durant verba, est virtus incompleta, & materialiter, & quasi præuile, & dispositiue: completis tamen verbis, quia completur significatio, adest virtus physica vt terminus totius materiæ, & formæ sacramenti. Vnde ipse Suarez disp. 8. sec. 2. §. quartus modus, qui hoc vrget argumentum, tandem fatetur, quod res præterita potest esse causa per virtutem relicta: quod neutiquam potest futura. Vnde malè negat postea motum, & dispositiones posse causare, cum non sunt: quia non probat, quod dum non sunt in se, non possint esse in virtute relicta. Sacramento ergo perfecto in suo motu, & significatione, adest in illo diuina virtus: & sic physice existit in sua virtute cum physice causat.

59 Et sic cessant omnes probationes; & constat ad primam replicam, negandam enim maiorem; quia res, & verba solum habent unitatem ordinis artificialis, vt diximus q. 60. & hic art. 4. ad 4. verbis relatis n. 48. dicit S. Tho. quod *sunt quodam ordine vni;* & tamè completo sacramento, virtus, quæ conferitur, est vnica, & simplex: quia dicit S. Thomas q. 78. art. 4. ad 3. quod *hæc virtus est simplex ratione simplicis significationis; licet in ipis verbis exterius prolatis sit quædam compositio.*

60 Ad vltimam replicam respondetur, quod sicut prout S. Thomas q. 3. de Potentia art. 13. & 1. p. q. 42. art. 2. causa efficiens, quæ agit actione transeunte, & motu, necesse est vt tempore præcedat effectum, vt etiã ostendimus 2. p. Metaph. controu. 16. nu. 5. Cum igitur verba sacramentalia successiue, & cum motu physico proferantur, tempore præcedunt effectum. Vnde veritas illorum in fieri est cum durat prolatio, at vero in facto esse refertur ad instans vltimum, quo completur significatio. Dato autem, quod tunc esset mortuus sacerdos, quia existit eius virtus physice, etiam physice causat: sicut cum pater moritur ante factus animationem, generatio fit à generante solum existente media virtute seminis: & vniuersaliter ait D. Thomas q. 3. de Potentia artic. 1. ad 5. quod *instrumentum intelligitur moueri à principali agente, quando retinet virtutem à principali agente impressam.*

61 Arguit præterea Bernal disp. 12. sec. 2. n. 21. dicens. Hæc sententia primum in se perceptibilis non est. Etenim actio physice, & per se ipsam pendet à suo physico agente, non minus, quam à suo physico termino; nec minus quam vnio physica a suo physico extremo vnibili; sed in perceptibile est, id quod per se ipsum pendet ab aliquo physice, realiter, & physice existente, illo non realiter, & physice existente. Ergo. Minor claret: nam illud, quod ab alio per se ipsum pendet, est ipsissima dependentia ab illo: illo autem physice non existente, non existit physica dependentia ab illo: ergo quod per se ipsum ab alio physice dependet, intelligi nequit physice existens, illo physice non existente.

Confirmatur ex eplo actionis, quæ non valet existere non existente suo termino. Confirmatur etiam à priori, quia repugnat conceptus entis talis vt quo, sine conceptu entis talis vt quod. sicut repugnat vnibile vt quo existere, non existente vnibile vt quod: proinde nec actio concipi valet existens, quin existere concipiantur extrema. Sed physica productio gratiæ, iuxta omnium sententiam, est agens physice vt quo; sacramentum autem, iuxta Doctores istos, est agens physice vt quod: ergo repugnat eius physicam productionem existere physice, dum ipsum iam physice non existit.

Confirmatur tertio, quia si perceptibile est, rem physice agere immediatè postquam physice existere desijt; perceptibile erit physice agere immediatè antequam physice existere incipiat: siquidem in vtroque statu æque distat a physica existentia: sed hoc posterius aduariis improbat: ergo prius illud approbari non debet.

62 Denique arguit n. 23. dicens, quod pugnat hæc nostra sententia cum alio Philosophico principio, nimirum causam tunc operari, cum sufficienter applicata est ad subiectum debite dispositum. Quod principium est manifestum, quia si causa tunc vere non agit, non est cur immediatè post agat. Sed prius quam sacramentum desinat physice existere, sufficienter applicatum est ad subiectum ritè dispositum. Quod negari non potest: quia supponimus hominem ad sacramentum accedere ritè dispositum: ac proinde sacramentum, dum physice existit, non impediri à productione gratiæ defectu dispositionis: quod euidētius est in instanti, qui baptizatur, nullam requirens dispositionem. Ergo asserentes sacramentum non operari, nisi postquam physice existit, plane repugnant.

nant Philosophico principio.

63 Hæc argumenta in substantia alia nõ sunt, quã illa, quæ D. Thomã sibi obiecit locis relatis n. 4. & nos ex ipso tripliciter solvimus. Sed ne hucusque dicta repetamus, vltimam solutionem prosequendo, & ad formã argumentorum applicando: ad primum in primis negatur maior, loquendo, vt nunc loquimur, de actione transeunte, quæ identifiatur cum motu, & identificatur cum passione, quæ est in passio: & ideo non est tam connexa cum agente, quam vnio sit connexa cum extremo vnito; quia potius egreditur, & emittitur ab agente. Vnde S. Thom. hic art. 4. in fine corporis ait. *Virtus instrumentalis habet esse transiens ex vno in aliud, & incompletum: sicut & motus est actus imperfectus ab agente in patiens.* Secundo dicitur, quod transeat maior, & negatur minor. Ad probationem negatur maior, quia id quod depēdet, non est ipsa dependentia; quia hæc est accidens rei, vel relatiuum, vel fundamentum eius, iuxta ea quæ ex D. Thomã attulimus lib. 2. Logicæ q. 22. nu. 23. Secundo dicitur, quod transeat maior: & distinguitur minor, & concedatur de actionis initio, & primo fieri; quia hæc requirit causam in actu; negatur vero, loquendo de actione transeunte, & in factio esse, & in sui termino: quia potest esse, & permanere virtus ab agente deriuata, ipso destructo. Vnde S. Thom. q. 3. de Pot. artic. 11. ad 5. ait: *Oportet mouens, & motum esse simul quantum ad motus principium; nõ tamẽ quantum ad totum motum, vt apparet in proiectis.* De quo videantur, quæ diximus 2. Phys. q. 15. n. 18. & lib. 7. q. 1. n. 5.

64 Ad primam confirmationem dicitur. Primo cum D. Thomã lib. 1. Contragentes cap. 100. vt retulimus 3. de Anima q. 12. n. 7. quod omnis actio habet terminum, quẽ respiciat; sed non semper exigit terminum, quem faciat: quia audire, & videre non ordinantur ad aliquid factum. Secundo patet me posse modo cogitare de Adamo, & Antichristo, qui non existunt. Vnde si de omni actione loquatur, exemplum potius probat oppositum.

65 Ad secundam confirmationem transeat maior; ad minorem dicitur laborare in æquiuoco; quia non distinguit, sicut nos distinguimus cum D. Thomã q. 27. de Ver. art. 4. & 3. p. q. 19. art. 1. ad 2. & hac q. 62. art. 1. ad 2. *Duas operationes instrumenti, vnã, quæ competat ei secundum formam propriam: aliam, quæ competat ei secundum quod est motum à se ipse agente, seu ab agente principali.* Addit Caietanus, & nos ex illo 2. p. Metaph. controu. 10. art.

4. n. 51. & 68. quod sicut instrumenti est duplex operatio: ita est duplex quo operatur: alterum natiuum; alterum deriuatum ab agente principali, in cuius virtute attingit id quod ex se nõ poterat. Vnde productio gratiæ est actio Dei, & in sacramentis est qualitas fluens, quæ physicè est in termino extrinseco sacramenti, & illa est qua causat in anima gratiam. Et sicut impulsus est in sagitta, vel in motu horologii, etiam mortuo illo, qui impersit, & deficiente motu, quo impersit; ita qualitas fluens est in termino motus sacramenti, ipso motu deficiente: sicut est illuminatio, & generatio in instanti, qua definit motus localis, vel alteratio. ¶ Ad tertiam iam respondimus n. 58.

66 Ad vltimum negamus assumptum. Ad probationem concedimus maiorem: & negamus minorem, quam mirum est ipsam asserere disp. 12. sec. 2. n. 23. negari non posse; cum immediatè tota sec. 3. probet ipso Bernal, cum communi sententia, *sacramenta gratiam tunc solum conferre, cum primum ipsorum receptio completur: cum ergo ostensum sit neque significationem, neque motum, nec vsũ sacramenti compleri intrinsecè, sed solum terminari extrinsecè; sacramentum non est applicatum, vt causet completè, nisi in primo non esse motus, & ideo tunc gratiam confert: sicut in simili ait D. Thomã 3. p. q. 75. art. 5. ad 3. quod conuersio panis in corpus Christi fit in vltimo instanti prolationis verborum: tunc enim completur significatio, quæ est efficax in sacramentorum formis.*

§. V.

Virum Sacramenta in voto conferant gratiam ex opere operato?

67 Opinione affirmatiuam esse probabiliorẽ, ait Cabrera art. 1. disp. 1. §. 3. nu. 27. & 28. dicens esse expressam D. Thomã Quodlib. 4. art. 10. Eandemque retinere videtur 3. p. q. 69. art. 1. ad 2. & lib. 4. Contragentes cap. 72. quatenus inquit posse aliquem iustificari per baptismum, & desiderium illius explicitum, vel implicitum, & per fidem. Non enim tribuit iustificationem dumtaxat fidei viuenti, sed etiam desiderio, & voto baptismi. Cui sententiæ accedit Caietanus Opusc. 27. q. 12. Et ad idem potest referri S. Amb. in oratione funebri de obitu Valentiniani, cum inquit. *Ventrem meum doleo, quoniam quem in Euangelio regeneraturus eram, amisisti, verum tamẽ gratiam, quam ille poposcit, non amisisti.* Similia habentur cap. Debitum,

Debitum, cap. Apostolicam, de Baptismo, & eius effectu. Et illud (inquit Cabrera) facit hæc sententiam probabiliorẽ, quod dignitatẽ sacramenti amplificat, vt illius efficacia extendatur ad desiderium sacramenti. Hæc ibi.

68 Videturque fauere S. Tho. 3. p. q. 66. art. 11. & q. 68. art. 2. & q. 73. art. 3. & q. 80. art. 1. ad 3. vbi ait, *quod sicut supra dictum est, effectus sacramenti potest ab aliquo percipi, si sacramentum habeat in voto; quamuis non accipiat in re: Et ideo sicut aliqui baptizantur in baptismo fluminis, propter desiderium baptismi, antequam baptizentur baptismo aque; ita etiam aliqui manducant spiritualiter hoc sacramentum (Eucharistiã) antequam sacramentaliter sumant.* Quod & docet Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 8. asserens illos tantum spiritualiter Eucharistiã accipere, qui voto propositum illum celestem panem edentes; fide viuam, quæ per dilectionem operatur (vt habetur ad Gal. 5.) fructum eius, & utilitatem sentiunt. Similia habet cap. 6. sess. 22. Adijcit tamẽ S. Tho. illa sol. ad 3. in fine. *Nec tamen frustra adhibetur sacramentalis manducatio: quia plenus inducit sacramenti effectum ipsa sacramenti susceptio, quam solum desiderium: sicut supra circa Baptismum dictum est q. 69. art. 4. ad 2. & q. 66. artic. 11. & 12.*

69 Ceterum ego nec in D. Tho. nec in Caietano, reperio sacramenta in voto conferre gratiam ex opere operato: quia in istis auctoritatibus tantum dicit effectum sacramenti haberi ex voto sacramenti, & ante reale, & sacramentalem susceptionem, non tantum elicit haberi ex opere operato, de quo solo erat difficultas: sed intelligendus conferre ex opere operantis, quia non est contritio, nisi ex auxilio Dei per Christum, & ex fide Christi, & ex voto subiectum se clauibus Ecclesiæ, vt docet S. Tho. Quodlib. 4. ar. 10. ad 3. & 3. p. q. 86. ar. 6. ad 3. & Concilium Tridentinum sess. 14. c. 4. ait. *Docet præterea, & si contritionem hanc aliquando Charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine sacramenti voto (quod in illa includitur) non esse adscribendam.* Cũ autẽ in fine capituli insinuet Concilium, & teneant communiter Theologum D. Tho. in 4. dist. 17. q. 3. ar. 5. q. 1. quod attritio cum sacramento dat gratiam ex opere operato: & de illa ait. *Et quamuis sine sacramento Pœnitentiæ perse ad iustificationem perducere peccatorem nequeat: iam clarè insinuat votum sacramenti solum iustificare ex operante dilectione, & sacramenta solum in re iustificare ex opere operato.* Quod planè supponit S. Th. in 4. dist. 1. q. 1. art. 5. q. 1. &

in 4. dist. 13. q. 1. ar. 1. q. 5. & dist. 14. q. 2. a. 1. q. 1. & 2. & q. 27. de Ver. ar. 4. in fine cor. Et in 4. dist. 45. q. 2. ar. 3. & Ioan. 6. lec. 6. circa finem. Et 3. p. q. 86. ar. 2. & 6.

70 Caietanus soluit to. 1. Opusc. habet tract. 27. Sed est de dispensatione ad intentionem, & ideo ibi nihil, quod ad re faciat, inuenio. Præterquam quod ibi tantum est vnica quaestio. Melius potest citari to. 1. tract. 4. de Cõfessione. q. 4. Sed ibi loquitur ex opere operantis: ait namque, *quod id quod operatur baptismus exhibitus, operatur etiam in voto charitatis habitus; non ita copiosè.*

71 Sed in terminis, sacramenta numquam conferre gratiam ex opere operato, antequam realiter, & sacramentaliter sumantur, docet Soto in 4. dist. 3. q. vnica art. 11. & dist. 11. q. 2. a. 1. ad 1. §. Ex hac solutione. Et dist. 12. q. 1. ar. 1. Et Mart. Ledelm. 1. p. quarti. q. 21. a. 1. & q. 22. ar. 4. dub. 1. Suar. disp. 8. sec. 1. Alensib. in 4. p. q. 41. in e. 3. ar. 3. Adrianus Quodlib. 5. ar. 5. Ruardus art. 1. Iterum Suarez disp. 62. de Euchar. sect. 1. Vazq. disp. 212. c. 1. Lugo de Euch. disp. 13. sect. 1. nu. 2. Nauo q. 80. ar. 1. dub. vnico. Serra q. 62. art. 1. duob. 3. conc. 3. dicens Theologorum comunem. Auersa sect. 3. Bernal disp. 12. sect. 1. §. 2. & alij communiter.

72 Et probatur primo, quia effectus sacramentorum, eo modo, quo conferuntur à sacramentis, non sunt in Scriptura, & Concilijs, & Patribus, promissi nisi sacramentali suppositioni. Vnde abique firmo fundamentò id extenditur ad desiderium illius. ¶ Secundo, nemo admittit characterem baptismi, & ordinis, & confirmationis dari extra sacramentum: ergo nec gratia, eo modo, quo conferatur per sacramentum, datur extra illum ex opere operato. Imò nec confertur gratia vt sacramentalis: quia vt ait Serra ad argumenta tertiæ sententiæ fol. 84. gratia sacramentalis habet quẽdam modum proprium, quem non habet gratia, quæ per votum, & desiderium sacramenti habetur: de quo dicemus dub. 5. §. 3. ¶ Tertio, attenda explicatione exhibita dub. 1. huius, quod est, dari ex opere operato: & videndo quod sacramenta causant physicè; cum iste modus causalitatis nõ possit conuenire rei, quæ nondum est, vt docet S. Thom. art. 6. Manifestum relinquitur, quod gratia non confertur ex opere operato nisi per sacramenta suscepta sacramentaliter, & realiter.



DVBIUM III.

Utrum sacramenta indigeant Dei motione, vel qualitate supernaturali; seu virtute intrinseca gratiæ causatiuæ?

Hæc est vltima difficultas; & potissima, quæ obijcitur contra causalitatem instrumentalem physicam sacramentorum: cui satisfacit S. Tho. art. 3. & 4. & q. 27. de Veritate art. 4. & 7. & alijs locis relatis; & referendis. Sed in communi de omnibus instrumentis, qua potuimus diligentia, à nobis est disputata 2. parte Metaphysicæ controvertiæ 1. o. art. 4. & 5. & in simili loquendo de præmotione causæ primæ; ibi controvertiæ 1. 2. art. 6. adeo vt paucissima occurrant addenda: tamen quia illæ controvertiæ forte non deuenient ad manus eorum, qui hæc legerint; ne doctrina maneat imperfecta, ommissis opinionibus ibi relatis, & confutatis, scitu necessaria pro præsentis tractatu, sequentibus assertionibus summam perstringem. Sapienter enim admonet S. Augustinus. to. 7. initio libri secundi de Baptismo contra Donatistas, dicens. *Noni etiam quemadmodum solet contristare lectorem, cum à libro, quem gerit in manibus, quando in aliquem nodum quæstionis incidit, in alium mittitur, vbi eius solutionem requirat, quem forte non habet. Qua propter, quæcumque in alijs libris iam diximus, si necessitas præsentium quæstionum breuiter iterare compulerit; ignoscant scientes, ne offendantur nescientes; fatius est enim offerre habenti, quam differre non habentem.*

§. I.

Qua virtute eleuentur in actu primo?

Præmittendum igitur ex D. Thoma in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. q. 2. ad 2. quod instrumento datur virtus agendi instrumentaliter dupliciter. Vno modo, quasi inchoatiue, quãdo instituitur in specie instrumenti: & ideo dicit Hugo, quod continet gratiam ex sanctificatione. Alio modo datur complete, quãdo actu mouetur à principali agente; sicut quando carpentarius vtitur serra. Et similiter complete datur virtus sacramentis in ipso vtu sacramentorum. Hæc distinctio clare exponitur, aduertendo causam instrumentalem à principali agente, & aptari vt congruenter eleuari, & moueri possit ad vsum, & finem

intentum: & deinde in actu secundo, & in exercitio actu moueri, & eleuari à principali agente. Idem constat exemplo calami: nam prius aptamus vt possit assumi ad formandas litteras, & postea in exercitio mouendo calamum, scribimus; & litteras formamus. Idem patet in serra, & in penicillo, & in alijs instrumentis artificum.

3. Secundo notandum, quod in sacramentis virtus inchoata agendi, est triplex: quædam remotissima; & constituitur talis, per id quod instrumenta omnia creata redduntur habilia vt à Deo assumi possint ad agendum aliquid vltra suam speciem: alia est virtus in actu primo remota: quæ in sacramentis constituitur eo ipso, quod à Deo, & à Christo sunt instituta, & aptata vt suo tempore ministri sacramentorum illis verbis, & rebus vtantur ad constituenda sacramenta, quæ sunt instrumenta humanæ sanctificationis: alia est virtus in actu primo proximo; quãdo est quasi in fieri, & in via ad vltimam eleuationem: quæ conuenit sacramentis, quando sanctificatur materia contactu Christi: vel cum consecratur, & benedicuntur chrismata confirmationis, & oleum Sanctum infirmorum. Sed vltra has omnes, est vltima virtus, quæ simpliciter est talis, & solum confertur instrumento, quando cum effectu vltimate applicatur ad effectum. Et de his omnibus videndum est an sint quid physicum; vel solum morale? An distinguantur ab ipso sacramento? An sint actiones; vel qualitates; vel vtrumque simul esse possint? An sint quid spirituale; an quid corporeum? Et consequenter exponetur vbi subiecentur istæ virtutes; & quando conferantur?

4. Dico primo: sacramenta dicuntur, & sunt remotissime eleuabilia per suam entitatem; & in actu primo remoto per virtutem Dei, & Christi institutionem, ipsi physicè extrinsecam, & moraliter intrinsecam: & in actu primo proximo per contactum physicum Christi, quæ fuit inchoatio sanctificationis: & per inchoatam virtutem, quæ confertur in sanctificatione materiæ sacramenti.

Prima pars est D. Thomæ in 4. dist. 8. q. 2. artic. 3. ad 4. Eiusque ratio est manifesta: nam per illud sacramenta sunt remotissime eleuabilia, per quod capacitatem habent vt possint esse physica instrumenta à Deo assumptibilia ad causandum physicè aliquid vltra suam speciem. Sed hoc rebus, & verbis conuenit per suammet entitatem: quia quælibet creatura habet potentiam obedientialem, vt in ea fiat quidquid creator disposuerit:

rit: hæc enim non est aliud, quam nõ repugnantia ad recipiendum, id quod recipere nõ implicat contradictionem: & quælibet creatura est assumptibilis, & eleuabilis vt instrumentum Dei per potentiam obedientialem remotè actiuam: quia ad hoc non requiritur quod effectus proportionetur instrumento; sed quod proportionetur eleuationi, seu virtuti agentis principalis: quæ in Deo est infinita. Ergo res, & verba per suammet entitatem sunt eleuabilia, & remotissime influunt. Quod quia ex dictis dubio secundo est manifestum, non oportet amplius probare.

5. Prima, & secunda pars est D. Thomæ hac 3. p. q. 64. art. 2. ad 2. vbi ait, quod res sensibiles aptitudinem quãdam habent ad significandos spirituales effectus ex sui natura: sed ista aptitudo determinatur ad specialem significationem ex institutione diuina. Et hoc est, quod Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacramentis part. 9. cap. 2. dicit, quod Sacramentum ex institutione significat. Et toto articulo 3. probat, quod quia ex Christi institutione sacramenta virtutem obtinent; inde est, quod ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse, qui dedit virtutem sacramentis, potuit instituire sacramenta. Et in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 4. quæstion. 3. ait D. Thomas. Et ideo efficacia instrumentorum, siue sacramentorum, vel virtus, est ex tribus, scilicet, ex institutione diuina, sicut ex principali causa agente: ex passione Christi, sicut ex causa prima meritoria: ex fide Ecclesiæ, sicut ex continuante instrumentum principali agenti. Quod loquatur de collatione virtutis remota, seu in actu primo, constat: quia immediata quæstiuacula secunda explicuerat, quod conuenit sacramentis virtus proportionata motui. Et ad 2. dixerat, quod complete datur virtus sacramentis in ipso vtu sacramentorum: nec est inconueniens, si virtus, iuxta motui proportionatur, datur rei statim, vel post modicum deferuire. De qua virtute late agit ibi ad quartum, & tota quæstiuacula quarta.

6. Ratio huius partis est manifesta ex dictis quæst. 60. quia sacramenta ex natura sua non habent caulare, & practicè significare gratiam: siquidem absolutè posset Deus se solo conferre, vel alijs physicis instrumentis: ergo istæ materiæ, & istæ formæ ideo aunc sunt eleuabiles, & in actu primo remoto consistunt vt dent gratiam, quia Deus decreuit, & Christus instituit, quod hæc essent instrumenta contentiuæ pretij nostræ redemptionis. Sed totum hoc habeat ab institutione. Ergo sunt in actu primo remoto ex Christi institutione.

Secundo, vt diximus q. 60. dub. 2. significatio ad placitum, sumpta causaliter, est ipse actus instituentis, sumpta verò formaliter, est forma rationis moraliter existens in re, quæ significat, donec significatio retrahatur: & quoad hoc, par ratio est de significatione politica vocum, & de significatione sacramentorum. Ergo similiter institutio, quæ entitati non differt à decreto Dei, & ab actionibus Christi, vt realiter extrinsecè denominant materias, & formas sacramentorum; sumpta formaliter, & intrinsecè, vt applicata sacramentis, in eis est forma rationis, perueians moraliter vsque ad mundi contuminationem: quia sine penitentia sunt dona Dei: & quia iuravit Dominus, & non penitebit eum: tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchiseech: ex illo autem Sacerdotio fuit hæc sacramentorum institutio sepe durans.

7. Tertiam partem expresse docent Caecolus in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. ad 20. Durandi contra quæst. 25. concludens. Ex quibus patet, quod aqua accepit virtutem sacramentalem in ipso Baptismo Christi, quo caro sua aquas tetigit: sed complete accepit virtutem in ipso vtu sacramenti, accedente verbo ad elementum. Et sic concordari possunt dicta Sanctorum. Et Caietanus hic art. 4. §. sed quomodo. Et Soto dist. 1. q. 3. art. 4. §. ergo, in fine. Et in simili idem docent Caietanus 3. p. q. 83. artic. 3. ad 3. & Soto in 4. dist. 7. q. unica artic. 3. ad 2. & dist. 13. q. 2. artic. 3. ad 3. §. Quod si interrogas. Loquendo de virtute Dei, quæ est in templis consecratis. De qua Thomas Valdeus to. 3. de sacramentalibus cap. 147. Quam tamè assistentiam, & præsentiam, & virtutem loci sacri, solum esse moralem, & nõ physicam, docent Nuño 3. p. q. 83. art. 3. dub. 1. in fine; & melius Raphael Torre 2. 2. q. 84. artic. 3. disp. 3. & Suarez hic disp. 15. sec. 4. & disp. 81. sec. 2. in fine. De quo non est iste locus disputandi: quia tantum à simili illam doctrinam adducimus.

8. Probat assertio autoritatibus Sanctorum, quas adducit, & quibus conuincitur D. Thomas. In primis art. 4. in arg. sed contra assert verba S. Bedæ in hom. Evangelij octauæ Epiphaniæ, afferentis, quod Dominus tactu sua mundissima carnis vim regeneratiuam contulit aquis. In eodem articulo ad 3. ait D. Thomas, quod sicut virtus instrumentalis acquiritur instrumento, ex hoc ipso, quod mouetur ab agente principali; ita & sacramentum consequitur spirituales virtutes ex benedictione Christi, & applicatione ministri ad vsum sacramenti.

Quod confirmat verbis S. Augustini in sermone de Epiph. ubi post alia concludit loquendo de aqua baptismi: *Quamuis enim ipsa sit subtilis, & tenuis; benedictione tamen Christi facta subtilior, occultas vitæ causas, ad secreta mentis subtili voce pertransit.* Loqui de virtute inchoatiuè, ipse S. Thomas declarat in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. q. 2. ad 2. & indicat hac 3. p. q. 64. art. 3. & q. 66. art. 2.

Clarius ipse S. Tho. in quæst. 72. art. 3. in corpore avert S. Chrysostomum relatum de Consecratione dist. 4. cap. Numquam: dicentē, quod numquam aqua baptismi purgare peccata credentium possent, nisi tactu Domini corporis sanctificati essent. Et ad 2. ait. *Sicut enim instrumentum virtutem instrumentalem acquirit dupliciter, scilicet quando accipit formam instrumenti; & quando mouetur à principali agente ad effectum: ita etiam materia sacramenti duplici sanctificatione indiget: per quarum unam fit propria materia sacramenti; per aliam vero applicatur ad effectum.* Et in 4. dist. 7. q. 1. art. 2. q. 2. ad 3. ait, quod materia sacramenti duplici sanctificatione indiget: una qua instituitur materia sacramenti; & ad hoc est sanctificatio materię: alia est quando applicatur ad effectum, quæ fit per formam sacramenti, &c.

Clarissime q. 27. de Veritate ar. 4. ad 10. ubi ait. *Sed in sacramentis, quæ indigent materia sanctificata, manet virtus sacramenti, partialiter, sed non completè. In sacramentis vero, quæ non indigent materia sanctificata, nihil remanet post sacramentum consummum.* Vnde aqua in qua celebratus est baptismus, nihil plus habet, quam alia aqua; nisi forte propter missionem Christum: quod tamen non est de necessitate sacramenti.

9 Secundo probatur ratione à priori: quia tunc instrumentum est in actu primo, quando est proximè habile, & vltimo aptatum, vt possit moueri, & assumi ab agente principali ad effectum intèrum causandum: vt inductione patet in omnibus instrumentis naturæ, & artis, & in physicis, & in politicis: & quia hæc est propria ratio, & definitio huius quod est instrumentum esse in actu primo. Sed sacramentorum formæ, & materię redduntur proximè habiles vt assumantur ex institutione Dei, & Christi: & ex consecratione summi sacerdotis, qui initiavit ritum Christianæ religionis: *vel ex consecratione Episcopi, qui gerit in Ecclesia personam Christi,* vt docet S. Thomas 3. p. q. 72. ar. 3. ad 3. Cõstat enim hoc tactu, benedictione, & consecratione, reddi aptiora, & sacratiora, vt assumantur conuenientius, quam si his careant. Ergo tactu, & benedictione Christi, &

consecratione Episcopi, sacramentã constituantur in actu primo: qui status instrumenti, est virtutis incompletæ, respectu illius, quæ vltimatè confertur in ipso vsu.

10 Tertio probatur ratione D. Thomæ hac q. 62. art. 3. nam sacramentum operatur ad gratiam causandam per modum instrumenti. Est autem duplex instrumentum: vnũ quidem separatum, vt baculus: aliud autem coniunctum, vt manus. *Per instrumentum autem coniunctum mouetur instrumentum separatum; sicut baculus per manum.* Principalis autem causa efficiens gratiæ est ipse Deus: *Ad quem comparatur humanitas Christi sicut instrumentum coniunctum: sacramentum autem sicut instrumentum separatum.* Et ideo oportet, quod virtus salutifera à diuinitate Christi per eius humanitatem in ipsa sacramenta deriuetur. Quæ ratio non solum probat intentum D. Thomæ, nempe, quod sacramenta nouæ legis habent virtutem ex passione Christi (in cuius signum de latere Christi pendentis in Cruce, fluxerunt aqua, & sanguis, quorũ vnũ pertinet ad Baptismum, aliud ad Eucharistiã, quæ sũt potissima sacramenta) sed etiã ostendit, quod benedictio materię, & vsus illius factus à Christo, fuit quædam inchoatio motionis instrumenti coniuncti, quæ deriuatur ad instrumenta separata: sicut enim actiones Christi causarunt nostram salutem, multo melius illæ, quæ directè attinēt ad sacramenta, erunt causa nostræ gratiæ, quæ datur in sacramentis. Quam rationem in simili tetigit S. Thom. in 4. dist. 8. q. 2. art. 3. ad 9. dicens, quod *quãdo aliquod opus perficitur pluribus instrumentis, virtus instrumentalis non est completè in vno, sed incompletè in vtroque, sicut manu, & penna scribitur.* Quod dicit vt explicet quod virtus characteris sacerdotalis, & virtus verborum consecrationis concurrunt simul ad conuersionem; quia virtus instrumentalis est in vtroque incompletè. Sed vsus Christi est quasi motio manus, & vsus sacramenti, est quasi motio pennæ: ergo in motione, & vsu Christi est data sacramentis virtus incompletè: & completur in vsu ministri.

11 Quarto probatur à simili: quia non minus requiritur ad congruam materiam sacramentorum, assumere res à Christo benedictas, & suo vsu sanctificatas, vel ab Episcopo consecratas, quam requiratur ad Eucharistiã, quod ministri sint consecrati, & quod celebretur in altari, & domo consecrata. Quia vt ait D. Thom. in 4. dist. 13. q. 1. art. 2. q. 5. in Eucharistiã continetur ille, qui est totius sancti-

sanctitatis causa: & ideo omnia, quæ ad consecrationem huius sacramenti pertinent, etiam consecrata sunt: sicut ipsi sacerdotes consecrantes, & ministri, & vestes, & vasa, & omnia huiusmodi: & ideo etiam debet in altari, & in domo consecrata celebrari hoc sacramentum. Sed character est virtus instrumentalis incompleta, vt docet S. Thomas q. 63. art. 2. & q. 83. art. 3. ad 3. ait, quod Ecclesia, & altare, & alia huiusmodi inanimata, consecrantur, non quia sint gratiæ susceptiua: *Sed quia ex consecratione adipiscuntur quandam spiritualem virtutem, per quam apta redduntur diuino cultui.* Avert illud 2. Machabæorum 3. *Verè Dei virtus quædam est in loco: nam ipse, qui habet in caelis habitationem, visitator, & adorator est loci illius.* Ergo pariter consecratio Christi matris, & olei dat illis virtutem incompletam: quæ completur quando applicatur ad effectum.

12 Dico secundo, probabile est, quod hæc virtus partialis, & incompleta, quæ sacramenta constituuntur in actu primo proximo, vt actu assumantur, est aliquid physicũ eis superueniens. Ita tenent aperte Capreolus, Caietanus, & Soto relati num. 7. Probaturque primo: nam propter auctoritates Sacerdotum, diximus sacramenta esse instrumenta physica gratiæ, & dicemus, cum actu assumantur, recipere physicam motionem; & virtutem Dei, eis superadditam. Sed Sancti Patres relati num. 8. videlicet S. Beda, S. Augustinus, S. Chrysostomus, S. Tho. eodẽ modo loquuntur de hac virtute, ac de illa, quæ confertur in ipso vsu sacramenti: ergo vtraque, vel neutra est virtus physica instrumentalis.

13 Secundo, virtus humanitatis Christi ad faciendã miracula, & ad causandã gratiam extra sacramenta, & in sacramentis, virtus physica est: vt docet S. Thomas 3. part. quæst. 13. artic. 2. & 3. & quæstione. 43. artic. 2. & q. 48. art. 6. & q. 56. artic. 1. ad 3. ait; quod sicut alia, quæ Christus in sua humanitate fecit, vel passus est, ex virtute diuinitatis eius sũt nobis salutaria; ita & resurrectio Christi est causa efficiens nostræ resurrectionis virtute diuina; cuius proprium est mortuos viuificare. Quæ quidem virtus presentialiter attingit omnia loca, & tempora: & talis contactus virtualis sufficit ad rationem huius efficientiæ. Sicut enim Deus lapidibus, metallis, & herbis dedit virtutem physicam medicinalem; ita suæ sanctissimæ humanitati. Vnde in Concilio Ephesino Anathem. 2. dicitur. *Siquis ipsam Domini carnem viuificam negauerit, eo quod Verbi, quod omnia viuificat, facta sit propria: anathema sit.* Sicut

ferrum cãdens habet virtutem physicam calefaciendũ; ita & humanitas Deo vnita habet virtutem sanctificandũ. Ergo distantia locorum, non obstat ad hoc, quod efficientia instrumentalis Christi pertingat ad sacramenta. Et ita ipse Christus sacerdotum ministerio consecrat instrumentaliter physice, & vt instrumentum coniunctum operatur in omnibus sacramentis: *quia, in quantum homo, habet potestatem ministerij principalis, siue potestatem excellentiã, vt docet S. T. q. 64. a. 3. & li. 4. Cõtragent. cap. 74.* Ergo nihil obstat ad hoc, quod hæc virtus instrumentalis in actu primo sit physica. Imò hoc magis commendat excellentiam sacramentorum nouæ legis. Sicut & virtus characteris ad consecrandum, est virtus physica.

14 Quod pariter probat illud exemplũ de consecratione rerum inanimatarũ, quod ad intentum applicat ipse Caietanus illa q. 83. art. 3. ad 3. nam verba eius sunt. Dicendũ est, quod per huiusmodi consecrationes adipiscuntur consecratæ res spiritualem virtutem inchoatiuè: & in hoc ipso sortiuntur diuinam præsentiam speciali modo. Consecrationes siquidem Ecclesiasticæ non sunt humana tantũ opera; sed sunt efficaces ex Christi sacerdotio: à quo sicut per se ipsum efficiantiam habent sacramentales operationes; quia ab ipso sunt immediatè instituta sacramenta: ita participatum in ministris suis efficiantiam præbet consecrationibus, quæ ab ipsis fiunt. Ita quod ex Christi sacerdotio distans, participato in nobis, res consecratæ habiles redduntur ad excitandã in nobis reuerentiam, & deuotionem. *Sicut aqua ex tactu carnis Christi redditæ sunt habiles ad Baptismũ. Et huiusmodi habitas vocatur spiritualis virtus inchoatiuè.* Et hinc apparet, quod Deus, qui ante consecrationem erat Ecclesiæ præsens, sicut alijs rebus, per præsentiam, essentiã, & potestatiã; fit postea præsens altari, Ecclesiæ, & alijs huiusmodi speciali modo, sicut nouo instrumento ad excitandã reuerentiam, & deuotionem circa diuinum cultum. Perducitur autem ad complementum huiusmodi virtus, cum diuina huiusmodi assistentia actualiter virtute re consecrata ad excitandã deuotionem, reuerentiam, vel aliquem alium effectum, ad quem res consecrata est, faciendum. Hæc Caietanus. Quod planè insinuarant S. Bernardus serm. 1. in Dedicatione Ecclesiæ: & S. Thomas illa sol. ad 3. relata num. 11.

15 Vltimo probatur ratione Caietani hac q. 62. art. 4. 9. *Sed quoniam, ver. Et confirmatur.* Nam vis qualibet eiusdem rationis est in sui inchoatione, & perfectione: quia actus pri-

mus, & secundus debent proportionari: sed complementum elevationis, & causalitatis, est quid physicum in via D. Tho. vt dub. 2. diximus esse indubitatum. Ergo virtus inchoata, & incompleta est virtus physica: quia motione Dei, & Christi aqua fuit reddita habilis vt sit materia baptismi; & idonea ad re generandum. Quod sufficere, constat, quia instrumenta agunt per motum, quo mouentur à principali agente: vnde cum incipiunt moueri, & deputari, incipiunt esse instrumenta physica; cū virtus inchoetur, eo ipso, quod inchoetur motio causæ principalis, & motio instrumenti coniuncti.

Confirmatur, & explicatur ex eodem Caietano 3. p. q. 13. ar. 2. §. *Ad euentiam*, vers. *Ex quibus*, docente, quod ex hoc ipso, quod Deus vultur aliquare vt instrumēto ad opus miraculosum, eleuatur res illa in ordinē causæ instrumentalis: & ipse passiuus vsus, quo Deus illa vultur ad hoc opus, est motus, quo à principali agente instrumentum mouetur. Ergo eo ipso quod Deus actiue deputet, & aqua sit passiuē deputata, vt sit Dei instrumentum, iam inchoatiue habet virtutem instrumentalem: quia inchoatiue ab agente principali est mota.

16 Dico tertio, probabilius, est, quod eleuatio sacramentorum, qua in actu primo sunt proximè decenter assumptibilia, non ponit in eis aliquid physicè intrinsecum: sed est aliquid entitatiue, & physicè extrinsecum; & solum secundum rationem, vel moraliter intrinsecum. Hanc alij Theologi, vel supponunt, vel docent: vnde est communis. Hæriquez lib. 3. cap. 2. n. 2. lit. r. & lib. 1. cap. 13. n. 3. lit. m. & n. & cap. 8. n. 3. lit. p. Colligitur manifestè ex D. Tho. in 4. dist. 1. verbis relatis nu. 2. vbi dicit, *virtutem dari sacramentis quasi inchoatiue, quando instituitur in specie sacramenti*: sed institutio nihil reale ponit in signo instituto: vnde q. 60. dub. 2. diximus esse formam rationis: ergo nec hæc virtus est aliquid reale intrinsecè superadditum. Pariter loquendo de sanctificatione materiae, in 4. dist. 7. verbis relatis num. 3. ait D. Tho. quod *materia sacramenti duplici sanctificatione indiget: vna qua instituitur materia propria sacramenti*. Ergo D. Tho. inchoationem illam virtutis docet prouenire ex institutione diuina materiae aptæ ad sacramenta. Idem docet S. Tho. hac 3. p. q. 64. art. 2. ad 2. verbis relatis num. 5.

17 Præterea ipse D. Thom. hac 3. p. q. 72. art. 3. in corpore ait. *Est autem considerandum, quod quibusdam sacramentis habentibus materiam corpoream, Christus est vsus, scilicet, Bap-*

risimo, & etiam Eucharistia. Et ideo ex ipso vsu Christi materia horum sacramentorum aptitudinem acceperunt ad perfectionem sacramenti. Ex quibus sic formatur ratio. Posita institutione Christi, quæ nil physicum intrinsecū ponat; & posito, quod Christus vsus sit illis duobus sacramētis, quin exinde aliquid physicum ad nostra deriuetur: illæ materiae sunt satis aptæ vt assumantur: ergo frustra, & sine necessitate eis adijcitur aliquid aliud.

18 Potest rursus declarari hæc aptitudo ex doctrina Sancti Thomæ 3. part. quæst. 56. artic. 1. ad 3. dicentis. Sicut autem resurrectio corporis Christi, ex eo quod corpus illud est personaliter Verbo vnitum, est prima tempore, ita etiam est prima dignitate, & perfectione, vt dicit Glossa 1. ad Corinth. 15. ad illa verba: *Primitia Christus*. Sæper autem id quod est perfectissimum, est exemplar eius, quod est minus perfectum secundum suum modum: & ideo resurrectio Christi est causa exemplaris nostræ resurrectionis. Similiter ergo Baptismus Christi, & vsus Eucharistiæ est causa exemplaris sanctificationis extrinsecè nostræ sacramenta, & ea benedicens. Consecrationes autem, & benedictiones Episcoporum nil i. physicum causant in rebus consecratis, vt communior tenet sententia, vt retulimus num. 7. Ergo absque alia eleuatione physica totum hoc bene exponitur:

19 Retorquetur rursus illa ratio Caietani: *Vis, seu virtus quælibet eiusdem rationis est in sui inchoatione, & perfectione*. Nam sacramenta, quamuis sumpta in exercitio, & quo ad vim quam habent ex opere operato, sunt instrumenta physica, & non moralia: tamē sumpta antecedenter, iam admittimus dubio secundo esse instrumenta moralia. Vnde Nuño, qui hic artic. 1. difficult. 7. concl. 1. dicit. *Ego tamen nunquam intellexi istum influxum morale, &c.* Paulo ante §. *Quinta sententia*, expressè dixerat: *Dicuntur etiam sacramenta causare gratiam moraliter, quia sunt instrumenta cause liberæ, & moralis; & quia causant per merita Christi Domini, quæ causæ morales sūt gratiæ*. Et ipse Nuño idem repetit quæst. 71. artic. 3. conclus. 7. Et S. Thomas in 4. distinctione 18. quæst. 1. artic. 3. quæst. 1. ait. *Solus Deus remittit per se culpam; & in virtute eius agit instrumentaliter, & baptismus vt instrumentum inanimatum, & sacerdos vt instrumentum animatum, quod dicitur seruus in 8. Exhortationum cap. 3. & ideo sacerdos agit vt minister*: Physicè, & moraliter: sacramentum autem antecedenter moraliter, & formaliter solum physicè, vt inanime instrumentum. De quo

quo quæst. 64. dub. 1. num. 11.

Alio etiam titulo admiscetur moralitas in sacramentis, quia eorum significatio est quid rationis; & ideo non ponit in eis formam realem, sed solum rationis, quæ intelligitur esse dum non reuocatur: & iste modus essendi à quibusdam dicitur existere moraliter: & res, & verba sine significatione non sunt conuenienter assumptibilia. Imò ex vi præsentis decreti, nec assumi possunt. Vnde Sanctus Thomas quæst. 27. de Verit. artic. 4. ad 13. ait, *quod sacramentum secundum propriam formam significat, vel natum est significare effectum illum, ad quem diuinitus ordinatur: & secundum hoc est conueniens instrumentum: quia sacramenta significando causant*. Si ergo est in actu primo remoto per institutionem, & significationem ad placitū, quæ physicè nil intrinsecum ponunt; cum perfectio in actu primo proximo debeat proportionari cum immediato actu primo remoto, sufficit aliquid physicè extrinsecum, & moraliter, & secundum rationem intrinsecam; sicut de significatione, & institutione dictum est.

20 Denique est ratio D. Thomæ in quarto distinctione 1. quæst. 1. artic. 4. quæstionacula 2. in secundo argumento, quam quoad hoc, videtur approbare in solutione ad secundum. Argumentum erat. Constat, quod sacramenta non habent à se ipsis huiusmodi virtutem: si ergo est in eis, oportet, quod à Deo habeant eam: nec est assignare, vt videtur, quando eis data sit. *Non enim in ipsa institutione sacramentorum dari eis potuit, quia res iste, & hæc verba tunc non erant: & non entia nihil datur.*

Respondet Sanctus Thomas virtutē in institutione fuisse datam quæ inchoatiue, sed non completè. Ex quo sic vrgemus. Ideo in institutione non potuit dari virtus completè: quia non entia nihil potest dari physicè: & ideo solum data fuit in radice, & in causa, in qua moraliter sacramentorum virtus continetur. Sed si virtus inchoatiua data esset physicè instrumentaliter, aliquid intrinsecum ponendo, argumentum maneret in sua vi: quia *non entia nihil datur* physicum inchoatiue, si detur intrinsecè, & non purè extrinsecè, & exemplariter: vt nos diximus dari. Ergo non oportet ad alios modos, non facile perceptibiles, recurrere, cum ille sit verus, & facilis.

21 Ad rationes præcedentis conclusionis, quatenus militat contra hanc, quam simpliciter sequimur, respondetur, ad primam, quod verba Sanctorum iuxta subie-

tam materiam debent intelligi, vt iam diximus dubio secundo numero 129. Cum ergo non entia nequeat dari virtus physica, & intrinsecè, data est extrinsecè, & exemplariter: quia sicut ipsi exponunt, quod data fuit inchoatiue, cum alij Sancti, præter Diuum Thomam, hoc non expresserint: ita nos dicimus cum eodem D. Thoma, hanc virtutem datam in institutione, & deputatione, & vi primo exemplari: quæ omnia sunt extrinseca.

22 Ad secundum libenter admittimus virtutem humanitatis Christi ad operandum in sacramentis esse physicam; sed quando materia, & forma nondum sunt, non applicatur eis hæc virtus, nisi extrinsecè in institutione, vel in benedictione, aut in suo exemplari. Quando verò sacramenta sunt, & actu mouentur a Deo vt agente principali, actu mouentur ab humanitate Christi vt ab instrumento coniuncto. Sicut autem in Sacerdotibus, qui non sunt, vel non sunt ordinati, non causatur characterem physicè; ita nec in materia; & forma sacramentorum non existentium.

23 Ad tertium iam diximus frequentius Theologos exponere Patres, & Diuum Thomam loqui de virtute moralis deputationis, vel de præsentia diuina obrenta vi orationum Ecclesiæ: vis autem impetrandi in orationibus Ecclesiæ quid morale est. Dato etiam, quod Deus potuerit dare illa causalitatem physicam in consecratione rerum inanimatarum, non constat ita fecisse: quia videtur hoc pertinere ad potestatem excellentiæ Christi Domini institutoris sacramentorum. Tertio, adhuc si concederemus in consecratione actuali Christum, & olei interuenire physicam causalitatem; quia ibi est actualis physica motio virtuosa Dei, & Christi; tamen nec hæc virtus esset quid permanens in re consecrata, quia transiret cū motu. Nec inde inferitur, quod ex institutione, benedictione, & vsu Christi præterito ponatur in sacramentis, quæ non sunt, aliquid physicum.

Ad quartum iam respondimus nu. 19. sacramenta esse causas physicas gratiæ, & ideo assumi non possent, nisi euent aliquid reale, & physicū: sed quia assumuntur à causa libera, & sunt obrenta meritis Christi moralibus, & habent significationem ad placitum, quæ est quid rationis: ideo constituantur in actu primo per aliquid physicum vt determinatum institutione morali, & significatione, quæ intrinsecè est quid rationis, & in re solum est fundamentaliter.

24 Ad eō confirmationem dicitur, assumptum esse verum, & traditum a D. Thom. q. 27. de Verit. art. 4. ad 4. vbi ait, quod *similiter Sacramenta operantur ad gratiam prout sunt quasi mota à Deo ad hunc effectum: quiquidem motus attenditur secundum institutionem, sanctificationem, & applicationem ad eum, qui accedit ad sacramenta.* Sed institutio, & sanctificatio materiæ se habent extrinsecè: motio vero, & applicatio se habent intrinsecè. Vnde sicut institutio fuit facta, Deo decernente, & physicè præmouente humanitatem Christi, & hæc fuit inchoatio motionis Dei; & tamen quia se habet antecedenter, causaliter, & extrinsecè, admittunt communiter Doctores, quod sola institutio non ponit aliquid physicum, intrinsecum in materia, & forma instituta: nec per hoc præcisè habetur, quod sint physicè præmota futura sacramenta: ita dicimus de Christi benedictione, de contactu aquæ, & de vsu Eucharistiæ: quia omnia physicè sunt extrinseca, & causant, vt sic, vel solum exemplariter, vel moraliter. Ad instrumenti autem causalitatem physicam, exigitur actualis influxus physicus causæ principalis, & instrumentalis, vt iam exponimus.

§. II.

Actualis eleuatio fit per virtutem intrinsecam.

25 Dico quarto, cum actu causant sacramenta, recipiunt intrinsecam virtutem supernaturalem, ante operationem intellectus distinctam ab entitate naturali materiæ, & formæ sacramenti. Vnde vt eleuatur, non sufficit subordinatio extrinseca; nec fit eleuatio potentia obedientiali partialiter immediate actiua: nec actiuitate incompleta conditionata: sed virtute supernaturali intrinseca à Deo infusa sacramenti. Ita Sanctus Thomas hic art. 3. & art. 4. cum retulisset sententiam dicentium sacramenta causare per virtutem diuinam sacramento assistentem (quæ est sententia de eleuatione per subordinationem extrinsecam, vel de eleuatione sine aliquo intrinseco distincto à sacramento; quod tandem dicunt omnes, qui non stram conclusionem negant) dicit se non posse ei consentire eo ipso, quod docet sacramenta esse instrumenta physica. *sed ponendo (inquirit) quod sacramentum est instrumentalis causa gratiæ, necesse est simul ponere, quod in sacramento sit quedam virtus instrumentalis ad inducendum sacramentalem effectum.* Si enim reijcit virtutem assistentem, ponit virtutem in-

trinsecam. De quo videatur q. 78. art. 4. & Quodlib. 12. art. 14. & q. 27. de Verit. art. 4. & 7. & in 4. Sentent. dist. 1. q. 1. artic. 4. q. 2. ait, *dicendum, quod propter auctoritates inductas necesse est ponere aliquam virtutem supernaturalem in sacramentis.* Virtutem autem supernaturalem ante operationem intellectus distinguitur à subiecto, cui datur. Videatur S. Thomas in solutione quinque argumentorum, & tota quæstionum 4. & in dist. 8. q. 2. art. 3. assert S. Dionys. in fine Eccles. hierar. dicentem, *in ipsis, scilicet, consummatius inuocationibus, id est, formis sacramentorum, esse virtutes operatiuas ex Deo.* Et subiungit ipse S. Thomas relata opposita opinione. *Sed hæc opinio dignitati sacramentorum non legi derogat; & dictis Sanctorum obuiare videtur. Et ideo dicendum est, quod in verbis prædictis, sicut in alijs formis sacramentorum, est aliqua virtus ex Deo.* Et ad 5. ait. *Virtus illa instrumentalis, quæ inest verbis.* Et ad 6. *Virtus hæc conuersiua, quæ est in verbis.* Similia habet in omnium argumentorum solutionibus vsque ad 9. Videatur in 4. ad Anibald. dist. 1. art. 4. & dist. 8. art. 5. vbi concludit. *Et quia forma efficit significando, ideo completa significatione in fine orationis, id est, in eius termino, infunditur ei virtus efficiendi, quæ perficit transmutationem in instanti.* Virtus autem inherens, & infusa, virtus intrinseca est, & realiter distincta ab eo, cui infunditur. Et ad quintum ait. *Vnde in sacerdote, vt in ve bo est virtus, sicut in manu, & calamo.* Sicut ergo character est quid distinctum, & inherens, ita & virtus verborum: quamuis bene subiungat: *Sed quia sacerdos propinquus est principali agenti, ideo virtus eius simpliciter dignior est, & permanentior, & ad plures effectus.* Quia vero operi verbum propinquius est, secundum hoc dignius est. De quo etiam in alio scripto ad 9. Aliæ auctoritates videri possunt dub. 2. §. 5. in 4. dist. 1. q. 1. n. 76. dicens. *Nihil habet realem virtutem ad aliquid agendum, quod prius non agebat, nisi accipiat formam realem de nouo, quæ prius non habebat: quæ est illa virtus per essentiam: vel nisi per essentiam ipsa forma fiat perfectior, quam prius, per intentionem sui ipsius: sicut forma intensa aliquid potest, quod non potest remissæ: quod non habet locum in sacramento.* Hæc ibi.

27 Cuius rationis vis sic vrgetur. Cum sacramenta dicuntur, & sunt causæ physicæ instrumentales gratiæ, aliquod prædicatum intrinsecum eis tribuitur, quod non habent aliæ creaturæ, quæ non sunt sacramenta: & quod non habuerunt sacramenta antiquæ legis. Sed hoc prædicatum intrinsecum nequit eis conuenire sine aliqua forma intrin-

seca propriæ entitati superaddita, & ab ea ante operationem intellectus distincta. Ergo eo ipso quod sacramenta dicuntur causæ instrumentales physicæ gratiæ, debet admitti, à Deo ipsis infundi aliquid ipsis superadditum, & supernaturale. Maior patet: alioquin sacramentorum causalitas esset titulus sine re: & eandem vim haberent verba consecrationis prolata à nō sacerdote, ac habent cum proferuntur a sacerdote consecrate. Minor vero probatur, quia sicut non potest aliquid esse quantum sine quantitate, nec quale sine qualitate, nec album sine albedine, nec sapiens, sine sapientia; ita nec dici valet secundum, & continens aliud sine virtute contentiua illius. Sed ante eleuationem, materiæ, & formæ sacramentorum non habebant virtutem ad causandam gratiam, & eleuatæ illam habent. Ergo eleuatio dat illis continentiam.

28 Confirmatur, sicut causa principalis continet effectum per formam sibi propriam, & permanentem, ita causa instrumentalis continet effectum per eleuationem, & virtutem, vel motionem transeuntem, qua de facto operatur, quod de se non valebat. Sed nequit intelligi causa principalis sine forma conuenientia effectus, vel formaliter, vel emittente: vt inductione patet: & quia aliàs daret, quod nullo modo haberet: ergo nec in causis instrumentalibus id valet intelligi.

29 Confirmatur secundo: non potest natura operari aliquid supra naturam, nisi addatur ei vires excedentes facultatem naturæ. Quod videtur per se notum sola explicatione terminorum: quia si vires non addantur, id quod operatur, non excedit vires naturæ, & ideo non erit supra naturam vim actiuam. Sed causare instrumentaliter gratiam supernaturalem est aliquid supra naturam: quia gratia est supernaturalis diuinæ naturæ participatio. Ergo.

30 Confirmatur tertio: non minus excedit vim naturæ, quod aqua sensibilis, & lotio corporalis, & verba humana physicè causant gratiam; quam excedat vires naturæ vt timo se disponere ad iustificationem, vel facere actus virtutum prout habent annexam consequentem gratiæ, & gloriæ: quia vtrumque est opus supernaturale. Sed huiusmodi actus fieri nequeunt sine intrinseco Dei adiutorio, & dono supernaturali, vt contra Pelagium diffinitur in Concilio Trid. sess. 6. can. 3. Nec visio beata fieri potest sine lumine gloriæ intellectum eleuante ad Deum videndum, vt diffinitur in Concilio Vienenſi. Ergo nec sacramenta actu possunt eleuari ad

causandam gratiam sine aliqua virtute supernaturali ipsis superaddita.

31 Confirmatur quarto ex Paludano: nam si quis lauet puerum aqua, & proferat formam baptismi sine intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non est in rebus, & verbis virtus Dei de facto causatiua gratiæ: quia hæc intentio essentialiter requiritur vt valeat Baptismus. Quod nunc negari nequit, vt constat ex Concilio Florentino in decreto Eugenij, & ex Concilio Tridentino sess. 7. can. 11. Si autem ab eodem fieret ablutio, cum debita intentione, & cum præscripta verborum forma, verè adiecit virtus Dei physicè causatiua gratiæ. In vtroque autem casu lotio, & prolatio verborum essent eiusdem speciei in esse physico. Et sola variatio ne illius conditionis, in vno casu daretur gratia physicè, & non in alio. Ergo aliqua virtus physica Dei adfuit in vno casu, quæ non fuit in alio. Ergo virtus causatiua distat ab entitate sacramenti, quæ principaliter est ab homine, & à Deo auctore naturæ, cum sit virtus supernaturalis physica, quæ adfuit in vno casu, & defuit in alio.

32 Triplex via solet responderi. Primo, cum Scoto, Ioanne Vincentio, & alijs dicendo argumenta probare sacramenta se solis nō posse gratiam producere, nisi specialiter à Deo eleuentur: hæc tamen specialis eleuatio potest fieri subordinatione extrinseca, vel speciali sympatia, qua omnes causæ creatæ natae sunt obedire Deo, qui in omnibus in simè est præsens.

Secundo, respondet Suarez, Granados, & alij, hanc eleuationem fieri per potentiam obedientialem partialiter actiuam: quæ completur sine aliquo intrinseco recepto; sed solo speciali concursu comitante Dei. Tertio respondet Ripalda lib. 2. de Ente supernaturali disp. 41. sec. 6. sacramenta, & alia instrumenta à Deo eleuabilia, ex se habere actiuitatem partialem, & conditionatam: quæ actiuitas fit absoluta, & ponitur complete in actu posito speciali extrinseco adiutorio Dei. Sicut ego habeo vim adtrahendam nauim, quia licet solus eam non possim trahere, tamen posito, quod alij mecum concurrant, etiam si meas vires intrinsecè non augeant, quia adiuuant extrinsecè, ego intrinsecè traho, & operor, quod antea non valebam, nec operabar.

33 Has tamen euasiones impugnare, di rectè pertinet ad 1. p. q. 12. art. 5. vbi disputant Theologi, vtrum de potentia Dei absoluta visio beata fieri possit sine aliquo dono intrinseco? Idemque de actu Charitatis disputatur

putatur 2. 2. q. 23. artic. 2. Generaliterque de causis instrumentalibus loquendo, nos reieci-
mus 2. p. Metaph. controu. 10. art. 4. §. 2. &
3. Specialiter contra secundam solutionem
multa erudite, & subtiliter proponit Hy-
acintus Choquetius lib. 2. de gratia disp. 3.
per quatuor capita.

34 Pro nunc reiiciuntur primo, quia ac-
tualiter causare instrumentaliter gratiam,
omnibus omnino modis excedit facultatē
naturæ: sicut omnibus modis est supra natu-
ram facere miraculum, nempe mortuos sus-
citare, vel cæcis visum dare: cum ergo nunc
non loquamur de instrumento vt eleuabili,
sed sermo sit de ipso actuali influxu instrumē-
tali, falsum est, quod in natura supponatur
partialis potentia incompleta, vel condi-
tionalis. Videnturque solutiones in æquiuo-
co laborare, non distinguendo de constitui-
uo instrumenti in actu primo, & de constitu-
tuo illius in actu secundo.

35 Secundo, illa subordinatio extrinse-
ca, vel speciale adiutorium, vel complemē-
tum virtutis, vel se tenent ex parte sacramē-
ti aliquid intrinsecum ei imprimendo, quo
eius virtus incompleta compleatur intrinse-
cè? Vel solum Dei virtus extrinsecè assistit
sacramento, & adunatio Dei cum sacramen-
to ex parte causæ est extrinseca, & tota vni-
tas physica est in effectu causato; vt in illo
exemplo de pluribus agentibus partialibus
adunatis in vno effectu tractionis nauis. Si
primum affirmarent, nobiscum cōuenirēt,
& solum in modo different: quia iam darēt
virtutem inherentem intrinsecam: quam
dicerent partialiter concurrere; & nos dici-
mus esse totam rationem agendi; quia est to-
ta ratio eleuandi: & hoc in instrumentis est
certius, quam in causis principalibus vitali-
bus: quia instrumentum agit vt motum, ita
vt tota ratio agendi, sit quia mouetur. Ergo
necesse est vt secundum affirmant. Ergo so-
lus Deus physice causat, & sacramētum quo
ad physicam causalitatem se habet comitan-
ter, & extrinsecè: quia si intrinsecè non ha-
bet vim vllam proximam causandi, nil in-
trinsecè immediatè physice agit. Cum ergo
nunc procedamus ex suppositione, quod sa-
cramenta sint causæ physice instrumentales,
mihi semper visum fuit incredibile, & con-
tradictionem implicare, quod prædicto mo-
do sacramenta eleuentur ad causandum phy-
sicè.

36 Tertio, quidquid teneatur de poten-
tia absoluta, de facto asserendum est sacramē-
ta eo ipso, quod sunt causæ instrumentales
gratiæ, debere eleuari per aliquid intrinse-

rum, quia iste modus eleuationis est connat-
uralior: & sic de facto visio beata fit per lu-
men gloriæ intrinsecum; & actus virtutum
Theologalium in homine iusto sūt habiti-
bus internis; & adhuc in peccatoribus ope-
rationes supernaturales sūt de facto inter-
nis illustrationibus, & pijs affectionibus, &
alijs motionibus, & auxilijs intrinsecè re-
ceptis. Quare Lugo disp. 4. sec. 4. nu. 42. di-
cit, quod si concederet sacramenta physice
producere gratiam, adhuc si teneat, quod
possunt de potentia absoluta eleuari per ali-
quid extrinsecum, de facto affirmaret virtu-
te intrinseca eleuari, vt connaturalius eleua-
tur. Quia connaturaliter loquendo, debet,
quantum fieri possit, principium in actu pri-
mo proportionari intrinsecè cum effectu,
ita vt comparetur ad effectum, sicut radix
ad fructum, vel ad ramum; ita vt sit propor-
tio mutua inter effectum, & principium.
Quare quando principium ex se nullam ha-
bet proportionem cum effectu, debet super
addi aliquid, per quod reddatur proportio-
natum, & aptum ad illum producendum.
Quod latè prosequitur Lugo.

§. III.

*Hæc virtus est motio virtuosa, quæ est qualitas
transiens.*

37 Dico quinto, sacramenta actu eleuan-
tur, & causant gratiā, motione Dei
supernaturali, & virtuosa, distincta ab eorū
motu naturali. Ita tenent Caietanus 3. p. q.
13. art. 2. & q. 62. artic. 4. & q. 78. art. 4. Soto
in 4. dist. 1. q. 3. art. 4. & alij multi, quos locis
citatis retulimus: quorum sententiā vt pro-
babiliorē sequitur Serra hic art. 4. & Ruiz
dub. 1. conc. 4. Probaturque primo ex Diuo
Thoma hac q. 1. a. 3. vniuersaliter docente,
quod *causa instrumentalis non agit per virtutē
sue forme, sed solum per motum quo mouetur à
principali agente.* Quod ad intentum appli-
cat ipse D. Tho. art. 4. *Instrumentum (vt dic-
tum est) non operatur nisi in quantum est motum
à principali agente.* Ergo cum sacramenta sint
instrumenta Dei, non aliter operantur nisi
in quantum à Deo mouentur ad aliquid quod
eorum vires excedit. In simili docet D. Tho.
1. 2. q. 110. art. 2. rationem adiciens, quia ac-
tus mouentis in moto est motus, vt dicitur 3. Phy-
sicorum. Et in nostro calu q. 27. de Verit. art.
4. in corpore ait. *Hæc enim est ratio instrumen-
ti, in quantum est instrumentum, vt moueat mo-
tum: vnde sicut se habet forma completa ad per se
agentem, ita se habet motus, quo mouetur à prin-
cipali*

cipali agente, ad instrumentum. Et ad 4. dicit,
quod *instrumentum mouet in quantum mouetur:
motus autem est actus imperfectus, secundum Phy-
s. 3. Phys. textu 15.* Et ad 6. ait: *sicut dicitur
motum instrumenti esse causam formæ inductæ à
principali agente.* Et ad 7. ait, *dicendum, quod de
perfectiōe instrumenti non est quod agat per vir-
tutem completam, sed quod agat in quantum mo-
uetur; & ita per virtutem incompletam: vnde
non sequitur sacramenta esse imperfecta instrumē-
ta, quamuis virtus eorum non sit ens completum.*

38 Secundo probat Caietanus, quia nō
sunt multiplicandæ entitates sine necessi-
tate, vt per se notum est; quia si in natura De-
i nil facit frustra, multo minus de authore gra-
tiæ id est dicendum. Sed posita virtuosa mo-
tione Dei principalis agentis, eleuatur sacra-
mentum, & instrumentaliter attingit produ-
ctionem gratiæ. Ergo frustra aliquid aliud
exigitur. Probatur minor, & explicatur:
quia sicut aqua ex se habet abluere corpus,
& ex eleuatione lauat animā, ita in ea du-
plex actio alia naturalis, & alia instrumenta-
lis, exigit duplex quo operatur, aliud nati-
uum, alterum deriuatum ab agente princi-
pali. Vnde in instrumentis, & sunt motus
simplices, qui fieri possunt sine arte, & motus
artificiosi, qui fieri nequeunt sine arte. Vt
motus fidium simplex non delectat, bene ta-
men motus citharæ artificiosus. Sicut ergo
ipso motu fidium, qui fit ab arte, eleuatur il-
lud instrumentum; ita sufficienter Deus ele-
uat sacramentum mouendo illud non solo
moto naturali pertingente solum ad corpus;
sed motu subtili ad secreta mentis subtiliore per
transiens, vt ex D. Augustino ait D. Thom.
artic. 4. ad 3.

39 Tertio probatur: nam motio Dei su-
pernaturalis recepta in sacramento, est mo-
tus supernaturalis ipsius sacramenti: iuxta
id quod attulimus ex D. Thoma 1. 2. quod
actus mouentis in moto est motus. Sed hæc mo-
tio, cum sit supernaturalis, eleuat intrinsecè
motum naturalem sacramenti; & cum deri-
uetur à causa principali, simul vtente sacra-
mento ad secum concausandam, pertingit
ad causandam gratiam: & se sola sufficit vt
reddat sacramentum actu causans. Ergo hæc
motio sufficienter eleuantur sacramenta.

40 Dico sexto, hæc motio Dei superna-
turalis, & virtuosa, est qualitas habens esse
transiens, & incompletum; cum reuera non
sit motus physicus; sed qualitas habens mo-
dum motus. Ita Paludanus, & Capreolus, &
innumeri alij, quorum plures loco citato re-
tulij; hanc conclusionem solum defendens
vt probabiliorē, & præcedentem solum

vt probabiliorē. Sed re accuratius inspeca,
animaduerti hanc conclusionem esse simul
veram cum præcedente: vnde solum dissen-
tio ab his, qui vt vnam defendant, aliam im-
pugnant: quia ego iam non problematicè;
sed assertiue pronūtio vtamque esse simul
veram; & ideo ambas simul assertas in eisdē
locis à D. Thoma.

Hanc conclusionem esse ad mentem D.
Thome, indubitatim videtur: quia accidēs,
quod est virtus actiua, qualitas est huius mo-
di esse hanc virtutem: docet S. Thomas art.
3. dicens: *gratia est in sacramentis secundum
quandam instrumentalem virtutem, quæ est fluēs
in se natura, vt infra dicitur: nempe artic. 4.
vbi ait, necesse est ponere, quod in sacramento sit
quædam virtus instrumentalis ad inducendum
sacramentalem effectum. Et hæc quidem virtus
proportionatur instrumento.* Et quia id quod ele-
uatur, est motus, ideo ponit S. Thomas qua-
litate hanc motui proportionari: vnde sub-
iungit: *Virtus autem instrumentalis habet esse
transiens ex vno in aliud, & incompletum: sicut
motus est actus imperfectus ab agente in patiens.*
Idem exprimit ad 2. docens, quod *reducitur
ad genus, & speciem virtutis perfectæ.* Deinde
motio aquæ, & prolatio verborum, sūt mo-
tus essentialiter corporei: hæc autem vir-
tus essentialiter est spiritualis, vt docet S.
Thomas art. 4. ad 1. & alibi sæpè, vt postea
dicemus: ergo hæc virtus, & realiter differt
à motu naturali, & qualitas est ex D. Thom.
Qui idem docet q. 78. artic. 4. in cor. & ad 3.

41 Et in 4. dist. 1. q. 1. ar. 4. q. 2. in cor. &
ad 1. concludit. *Vnde virtus hæc, quæ est in
sacramentis, reducitur ad id genus, in quo est vir-
tus completa principalis agentis, quæ est qualitas:
vel in quæset, si in genere esset: quia virtus in
creata non est in aliquo genere. Quæ autoritas
videtur expressa, cum clare S. Thomas redu-
cat ad speciem qualitatis: non enim est in
genere qualitatis directè, quia non est quali-
tas completa, sed incompleta: & ideo dicit
ad 3. quod *sicut virtus prædicta non potest poni
in aliquo genere entis, nisi per reductionē: ita nec
constitui in aliquo gradu boni, nisi per reductionē.*
Videatur ibi ad 4. & tota quæstiuncula
4. præcipue ad 2. & dist. 8. q. 2. art. 3. in cor-
pore ait. *sed hæc virtus non est qualitas habens
esse completum in natura; qualiter est virtus ali-
cuius principalis agentis secundum formam suam
sed habet esse incompletum; sicut virtus, quæ est in
instrumento ex intentione principalis agentis; &
sicut similitudines colorum in aere, vt supra dist.
1. dictum est.* Vbi S. Thomas eo sensu, quo ne-
gat esse qualitatem completam, affirmat esse
qualitatem incompletam: & similiter co-
stat*

stat quod similitudines colorum in aere, nō sunt solum motus, sed qualitates habentes esse fluens. Videatur ad 8. & ad 9.

42 Similiter q. 27. de Veritate art. 4. in corpore, & ad 4. quod sacramenta operantur per virtutem principalis agentis, scilicet Dei, in eis existentē: quæ quidem virtus non habet esse cōpletum in natura, sed est quid incompletum in genere entis. Quod latē exponit, & concludit. Unde habent virtutem, non per modum entis cōpleti, sed quasi incomplete. Et sic non est inconueniens, quod virtus spiritualis sit in re materialis, sicut species colorū sunt spiritualiter in aere. La tius toto art. 7. docet, quod effectus dicitur esse in causa instrumentali, quando similitudo effectus, non secundum eādem rationem, nec ut natura quadam, nec ut quiescens, sed per modum cuiusdam defluxus, est in causa. Sicut similitudines effectuum sunt in instrumentis, quibus mediū tibus defluunt formæ à causis principalibus in esse. Et hoc modo gratia est in sacramentis. Sed similitudines effectuum, quibus mediātib⁹ formæ defluunt à causa principali, non est simplex motus, sed est qualitas incompleta, siquidem est virtus actiua fluens. Ergo sacramenta eleuantur qualitate transeunte, ex mente D. Thomæ. Cuius tot testimoniā retuli in gratiam eius discipulorum: & quia in illis exponitur natura huius qualitatē.

Deinde, sic se habet motio Dei principalis agentis ad præmouenda sacramenta, ut causent gratiam, ac se habet præmotio primæ causæ ad hoc ut causa secunda præmotā agat: sed præmotio primæ causæ est qualitas transiens, vt docet S. Thomas q. 3. de Potentia art. 7. ad 7. & alijs locis relatis illa cōtrou. 10. nu. 82. & cōtrou. 12. artic. 6. Ergo motio sacramenti ad causandam gratiam, est qualitas transiens.

43 Ratio à priori, quæ meum conuincit intellectum, est: quia naturam alicuius formæ non possumus melius agnoscere, quā ex effectu formali, siue primario, siue secundo: sic explicamus naturam quantitatis, & qualitatis: & sic diffinimus omnia accidētia in genere, & in specie: vt inductione patet. Sed hæc virtus habet pro effectu formali non solum applicare, & mouere sacramētum, sed eleuare, & dare actiuitatem, quam ex se non habebat. Quia antecedenter entitas sacramenti erat in potentia ad hæc duo, nempe vt moueatur, & applicetur homini; & vt sic applicata, sit efficax, & cum effectu influens physice in gratiam: virtute autem Dei sacramentis infusa, istæ duæ potentialitates reducuntur ad actum. Ergo forma, qua hoc fit, vel formaliter, vel eminenter virtu-

que continet. Ergo est qualitas habens modum motus.

44 Confirmatur: nam Caietanus, & Soto fatentur (& nullus, qui propriam vocem non ignorauerit, potest negare) quod motus simplex, & naturalis aquæ, & verborum, factus ab homine, cum concursu generali authoris naturæ, non sufficit causare gratiam: alioquin actione mere naturali gratia super naturalis causaretur: quod implicat contradictionem: & eandem vim causatiuam haberent verba consecrationis prolata à non sacerdote, ac habent cum à sacerdote proferuntur, cum legitima intentione, & cum alijs requisitis. Quod est hæreticum id affirmare. Exigitur ergo quod motio sit virtuosa, & supernaturalis, & dans sacramento vim contentiuam gratiæ, qua actu influit in eam, dans illi esse, licet instrumentaliter. Sed totum hoc nequit præstare motus, nisi vel addatur ei modus, aut qualitas, vel sit æquiualeter, aut eminenter vtrumque: quia horum defectu, motus simplex non facit, quod facit motus virtuosus, & supernaturalis. Ergo motio Dei est qualitas habens esse incompletum, & transiens.

45 Vt autem argumenta præcludantur solum restat exponere, quomodo possit esse hæc conclusio simul vera cum præcedente: quia motus, & qualitas sunt genera primo diuersa, & non subalternatim posita: quia motus alterationis est via ad qualitatem, & aliquod ens incompletum realiter distinctum ab ipsa, vt demonstratum est libro 3. Physicorum q. 2. §. 3. Quamuis autem motus reducatur ad qualitatem: quia inquit D. Thomas hic ar. 4. ad 2. *Motus, eo quod est actus imperfectus, non proprie est in aliquo genere, sed reducitur ad genus actus perfectis sicut alteratio ad qualitatem.* Tamen constat, quod motio, & virtus sacramenti realiter distinguitur à gratia, quam causant, vt docet S. Thom. art. 3. ad 2. & in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. q. 4. ad 1. & 3. Restat ergo videre, cur sicut realiter distinguitur à gratia, ad quam terminatur, & quā ponit in anima, non distinguitur realiter à qualitate, quæ est vialiter in sacramento? Vel eo ipso, quod in ipso sacramento dicatur inesse motio virtuosa, nō erit in eo qualitas transiens: vel si hæc ponatur, superfluit virtuosa motio.

46 Possumus primo hæc componere per principia generalia: quia docet S. Thomas lib. 2. Contrag. cap. 16. ratione 6. quod *Deus non agit actione aliqua, quam necesse sit in aliquo patiente recipi: quia sua actio est sua substantia, vt cap. 6. probauerat.* Quare, cum opera-

tur ad extra, non interuenire actionem mediā, docet ipse S. Thomas lib. 2. Contrag. cap. 35. ratione 2. & 1. p. q. 13. ar. 7. ad 3. & q. 18. art. 3. ad 1. & q. 25 art. 1. ad 3. & q. 1. de Potentia art. 1. in fine corporis, ait: *Attributum Deo operationem ratione vltimi complementi, non ratione eius in quod operatio transit.* Qua propter in Deo non esse actionem transeuntem, nisi ex modo significandi: sed solum esse transeuntem virtualiter, & productiue, tenent Caietanus in 2. dist. 1. q. 2. ad 6. & 14. Aureoli contra primam. Ferrara 2. Contrag. cap. 16. rat. 6. Bañez 1. p. q. 45. artic. 3. dub. 1. & alij Thomistæ, quos retulimus 3. Physic. q. 4. n. 6. docentes actionem transeuntem subiecta in passio: quia cum sepius dicat S. Thom. actionem Dei esse essentialiter Dei, id quod transit in passio, non erit essentialiter ipsa actio; sed terminus, vel effectus actionis; vnde dicitur transire virtualiter, seu æquiualeter. Sic ergo motio Dei in creatura recepta, in veritate non erit actio, nec motus: sed erit quædam qualitas, quæ æquiualeat motui, & qualitati. Vnde S. Thomas in 2. dist. 17. q. 1. art. 2. ad 4. ait, quod etiam secundum Anice-nam, agens diuinum non agit per motum vt materiam exigat. *Commentator etiam dicit in 11. Metaph. quod actio æquiuocè dicitur de actione, quæ Deus agit, & actione naturali.* De quo iterum S. Thomas in 2. dist. 18. q. 2. ar. 2.


47 Sed dices, adhuc in via D. Thomæ esse probabile, quod actio transiens est formaliter in Deo: vt patet ex ipso q. 10. de Potentia art. 1. & lib. 2. Contrag. cap. 1. & tenent Caietanus, & alij, qui probabiliter docent actionem transeuntem essentialiter sumptam esse in agente. Ergo ex doctrina prædicta nō bene cōcordantur cōclusiones: saltem cōcordia, quæ omnibus Thomistis possit placere.

Responderetur, quod ad intentum præfens parum refert vnam, vel aliam opinionem tenere: quia Caietanus 1. p. q. 25. art. 1. ad 3. & q. 46. ar. 1. ad 10. & Nazarius 1. p. q. 45. ar. 3. cōtrou. 1. nor. 3. & conc. 4. & 5. quamuis dicant, quod actio Dei transiens, essentialiter, & metaphysicè sumpta, sit ipsa essentia Dei, & in Deo ab æterno; tamen secundum, quod infert passionem, vel effectum, nō cōuenit Deo ab æterno, sed in tempore: quia Deus non creauit mundum ab æterno; nec creat modo animam Antichristi: nam actio transiens physice sumpta, vt est cum motu, est in passio. Ista ergo passiuæ motio Dei, quæ recipitur in sacramentis, de qua sola modo loquimur, quia non est motus limitatus agentis corporei: sed est motio Dei agentis spirituali, & infinita virtute, posset optimè æqui-

ualere motui, & qualitati.

48 Sed melius concordantur conclusiones secundo per principia specialia, supponendo Deum dupliciter præmouere causas secundas: primo præmotio generali purè applicatiua ad actum: & de hac præmotio-ne potest in via D. Thomæ problematicè futineri, vel quod essentialiter est motio, vel quod essentialiter est qualitas, vel quod essentialiter est aliquid eminenter continens proprietates præmotio-nis, & qualitatis transeuntis. Secundo præmouet Deus præmotio-nem speciali eleuatiua ad nouum esse supernaturale: sicut D. Paulo dedit lumē gloriæ per modum qualitatis transeuntis, vt docet S. Thom. 2. 2. q. 165. ar. 3. ad 2. & q. 13. de Verit. ar. 2. ad 7. & sicut præmouere potest peccator omni destitutu dono habituali, vt eliciat actus supernaturales per auxilia transeuntia in trinsicè recepta. Et sicut gratia miraculorū, & prophetia sunt quædam virtutes transeuntis, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 178. ar. 1. ad 1. & q. 6. de Pot. art. 4. & lib. 3. Contrag. cap. 154. Et de huiusmodi præmotio-nibus, nullatenus in via D. Thomæ admitto vt probabile, esse solas motiones applicatiuas: quia cum eleuēt supra naturam, & dent continentiam actus, vel effectus supernaturalis, vel sunt qualitates simul cum motio: vel sūt quidpiā eminenter continens proprietates motio-nis, & qualitatis. Sacramenta autem, si moueantur motio-nem naturali simplici, mouentur motio-nem primi generis purè applicatiua, & factiua actionis naturalis, quæ non valet causare gratiam. Vt igitur sint institutiue physice causatiua gratiæ, debent moueri motio-nem secundi generis, quæ simul sit motio, & qualitas; vel quia simul ibi hæc duæ entitates adunantur: Vel quia vna simplex entitas his duobus æquiualeat: quia quæ in inferioribus sunt dispersa, in superioribus sunt vnita. Et per hunc modum actio Dei, virtualiter transiens, per infusam à Deo transeuntē qualitatem, communicatur sacramento. Ac per consequens motio Dei, passiuè recepta in sacramento, est motio, vt à Deo infunditur, & est qualitas transiens, quia dat causare supernaturaliter, & solum durat quandiu perficitur sacramētum intrinsece, & extrinsece: &

*hæc est tanta vis aquæ, quæ cor-
pus tangit, &
cor abluit.*



§. IV.

Est virtus essentialiter spiritualis.

49 **V**Num ex argumentis, quod contra causalitatem physicam sacramento rum, per superadditã virtutem, seu qualita tem obiecerunt antiqui ante D. Thomam, sic instaurat Durandus in 4. dist. 1. q. 4. n. 13. nam quod in rebus purè corporalibus, quales sunt res sacramentales, possit esse virtus, seu qualitas spiritualis, non videtur rationi consonum; non enim quodlibet accidens natum est esse in quolibet subiecto, sed determinatum in determinato. Actus enim actiuorum sunt in patiente disposito. Subiectum autem receptiuum virtutis spiritualis nõ est res corporalis. Sicut subiectum susceptiuum accidentis corporalis non est res spiritualis. Vnde sicut Angelus non potest esse subiectum quantitatis corporalis, vel coloris, sic res corporales, sicut sunt res sacramentales, non sunt susceptiue accidentis, seu virtutis spiritualis. Nec rationi consonat, quod corpus agat in spiritum.

50 Respondet Paludanus in 4. dist. 1. q. 1. à nu. 65. vsque 71. quod secundum veritatem illa virtus est corporalis qualitas essentialiter, & formaliter, non nata esse in spiritu subiectiue. Et sicut virtus corporalis formaliter non potest esse in spiritu subiectiue, sic nec virtus spiritualis formaliter potest esse in corpore subiectiue. Sed sicut virtus spiritualis propria virtute potest agere in corpore; sic virtute diuina virtus corporalis potest agere in spiritu. Quod à fortiori patet: nam phantasma corporeum potest instrumentally agere in intellectum possibilem: quia formaliter corporale, potest esse eminenter, seu virtualiter spirituale. Hanc solutionem dicit valde probabilem Capreolus in 4. dist. 1. q. 1. ad 1. Durandi contra 4. fol. 19. & 20. Sunt, qui pro hac opinione citent Soto: sed non bene, vt patet dist. 1. q. 3. art. 4. vbi §. de hac virtute, vbi, quoad hoc, approbat opinionem Capreoli referendam. Hanc tamen sequitur Henriquez lib. 1. cap. 18. n. 4. lit. x. & z. Cabrera 3. p. q. 13. art. 2. disp. 4. §. 12. & q. 62. ar. 1. disp. 3. §. 14. n. 130. Quamuis sui oblitus, contrarium expresse doceat art. 4. nu. 3. fol. 770. Hunc dicendi modum, vt probabilem admittit Serra hic ar. 1. dub. 2. ad 4. folio 76. & Ruyz art. 4. dub. 2. & reuertit Syluius ibi ar. 4.

51 Melius tamen respondet S. Thomas art. 4. ad 1. quod *virtus spiritualis non potest esse in re corporea per modum virtutis permanen-*

*tis, & completæ, sicut ratio probat. Nihil tamen prohibet in corpore esse virtutem spiritualem instrumentally, in quantum scilicet corpus potest moueri ab aliqua substantia spirituali ad aliquem effectum spirituum inducendum. Sicut, & in ipsa voce sensibili est quedam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit à conceptione mentis. Et hoc modo vis spiritualis est in sacramentis, in quantum ordinantur à Deo ad effectum spirituum. Et q. 27. de Veritate art. 4. ad 4. verbis relatis n. 4. 2. Addit ad 5. quod *virtus illa neque potest dici corporea, neque incorporea, proprie loquendo: corporeum enim, & incorporeum sunt differentie entis complete: sed proprie dicitur virtus ad incorporeum: sicut motus magis dicitur ad ens, quam ens: obiectio autem procedit, ac si ista virtus esset forma completa. Et in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. q. 2. ad 4. ait, quod in re corporea non potest esse virtus spiritualis secundum esse completum: potest tamen ibi esse per modum intentionis: sicut in instrumentis motus ab arte est virtus artis.* Subiungit alia exempla, quæ explicuimus dub. 2. §. 5.*

52 Qua propter Capreolus in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. ad 1. Durandi contra quartam folio 19. & ad primum scoli contra eandem folio 26. sic ait. Virtus, quam ponimus in Sacramento, secundum quod sonant dicta S. Thomæ est forma spiritualis per essentiam, & non solum ratione circæus, quem in anima causat. Et cum querit arguens, an sit in sacramento diuinitatem. Dicitur, quod est ibi indiuisibiliter, id est, tota in toto, & tota in qualibet eius parte. Et ad huius improbationem dicitur, quod licet inter formas perficientes materiam corporalem per modum entis complete, sola anima intellectiua ponatur talis, id est, tota in toto, & tota in qualibet parte materię suæ (de animabus animalium perfectorum, videnda quæ scripsimus lib. 2. de anima q. 9.) Tamen nihil prohibet multas alias formas spirituales se habentes per modum entis incompleti, & intentionis fluentis, illo modo perficere, non quidem corporalem materiam, sed rem corpoream, & subiectum corporeum, sicut superius fuit sepius recitatum ex dictis S. Thomæ. Hæc Capreolus. Et Ferrara lib. 4. Contragentes cap. 56. Nuño hic diff. 7. ad 5. Araujo, Serra in 1. fol. Ruyz art. 4. dub. 2. conc. 2. Lorca 3. p. disp. 53. nu. 12. & 2. 2. q. 23. disp. 4. n. 20. dicens communem veterum Thomistarum. Et latè Hyacinthus Choquetius lib. 2. de origine gratiæ disp. 6. cap. 6. & alij.

53 Addit Nuño q. 62. art. 6. diff. vnica, quod si ista virtus formaliter esset corporea, sicut subiectum, in quo recipitur, quia corpo-

corporeum, nequit agere in spiritum; ita nec illa virtute sufficienter eleuaretur vt ageret. Rursus, si hæc virtus solum esset spiritualis virtualiter, nulla esset ratio, cur non esset in subiecto corporeo complete, & permanenti: quia entitatiue esset proportionata cum subiecto corporeo, & virtus ad incorporeum potest conuenire, non solum transeunter, sed etiam permanenti.

54 Ad argumentum Durandi respondet ad primum, illa, & similia axiomata esse intelligenda, quando illud, quod recipitur, est eiuſdem ordinis cum subiecto in quo recipitur: quando autem est superioris ordinis, potius eleuat, & perficit subiectum: atque adeo nõ est necessarium, quod trahatur ad imperfectionem illius. Præcipue cum solum sit in illo transeunter. Ad tertium ait, quod licet impossibile sit, quod accidens corporale subiectetur in spiritu, non tamen est impossibile, quod accidens spirituale transeunter sit in corpore. Quia Deus potest perficere, & eleuare naturas, non tamen facere contra essentias illarum. Quando autem in corpore subiectatur aliquod accidens spirituale transeunter, eleuatur, & perficitur talis substantia. Si vero accidens corporale subiectaretur in spiritu, potius eadet talem substantiam destrueret, quæ perficere. Et idcirco hoc non est possibile. Quæ admodum dicimus, quod accidens in sacramento Altaris habet modum essendi substantiæ; substantia vero non potest habere modum essendi accidentis. Hæc ibi.

55 Quam solutionem, sine nomine Authoris, refert Araujo art. 6. dub. 3. ad 1. dicens. Sed hæc solutio inepta videtur propter tria. Tum, quia cum essentia rerum consistat in indiuisibili, sicut numeri, non minus eis debet repugnare ascensus ad aliquid supra se, quæ descensus ad aliquid infra se. Quæ admodum numero ternario, non minus repugnat ascendere ad quaternarium, quam descendere ad binarium. Tum etiam; quia si huius modi ascensus, siue descensus fiat per aduentum formæ accidentalis, non variantis essentiam subiecti, neuter repugnat illi. Sic enim videmus animam rationalem, absque lætione siue essentia, eleuari per dona gratiæ ad aliquid supra suam naturam: & deprimi per vitia, & peccata ad aliquid, quod est, nedum infra, sed etiam contra eius naturam.

56 Tum denique, quia sicut non repugnat vnio virtutis spiritualis cum subiecto corporeo; ita nec repugnat vnio accidentis corporei (maximè fluidi, & intentionalis) cum subiecto spirituali, v.g. cum Angelo. Nec enim repugnat ex parte omnipotentia Dei,

cui non est impossibile omnne verbum. Nec ex parte ipsius vnionis, quæ potest esse corporea ex parte formæ, siue accidentis; & spiritualis ex parte subiecti: quo pacto vnio animæ rationalis ad corpus, & vnio virtutis spiritualis ad sacramenta, ex parte formæ est spiritualis; & ex parte subiecti est corporalis. Accidens autem corporeum vnio modo vnionis corporeo formaliter, neutiquam repugnant, quamuis ex parte termini ei correspondeat res spiritualis. Nec repugnat ex parte extremorum, quæ vniantur: alioquin etiam repugneret vnio animæ rationalis cum corpore; & vnio virtutis spiritualis cum Sacramento. Igitur dicendum est in neutro casu dari repugnantiam. Hæc ibi.

57 Ambæ solutiones probabiliter defendi possunt. In fauorem primæ potest adduci D. Thomas q. 27. de Veritate art. 7. ad 4. vbi ait, *dicendum, quod spirituale non potest esse instrumentum rei corporalis, sicut è cõuerso: & ideo non tenet in proposito proportio commutata.* De qua in argumento, quod sicut se habet subiectum corporale ad accidens spirituale; ita subiectum spirituale ad accidens corporale: quia Nuño nõ loquitur de eleuatione rei inferioris ad nouum esse specificum substantiale, sed de eleuatione ad instrumentally physicè causandum. Et res spirituales non sunt instrumenta rei corporalis; sicut è contra res corporeæ assumuntur vt instrumenta rerum spiritualium. In fauorem secundæ solutionis, & pro eius limitatione, videndus S. Thomas Quodlib. 7. art. 10. vbi docet, quod *posset fieri miraculo, vt natura albedinis subsisteret absque omni quantitate: tamen illa albedo, non esset sicut hæc albedo sensibilis.*

58 Sed quidquid teneatur de potetia absoluta quoad hoc, quod est ponere accidens completum permanens spirituale in re corporea, aut è contra accidens corporeale completum permanens in re spirituali, & de difficultatibus, quæ essent in explicanda indiuiduatione, vnione, & inhærentia illorum accidentium, dicendum est nõ repugnare, quod accidens spirituale habens esse incompletum, & transiens, sit in corpore: quia in illo modo essendi accommodatur subiecto, nec ab illo denominatur, nec indiuiduatio illius est ex subiecto per quod transit: sed ex illo ad quod ordinatur. Quod insinuat S. Tho. q. 27. de Veritate art. 4. ad 6. dicens, *quod incompletum non potest esse causa completi, sicut per se agens, potest tamen incompletum ordinari aliquo modo ad completum per modum cause instrumentalis: sicut dicimus motum instrumenti esse causam formæ inductæ à principali agente.*

DVBIVM V.

Vtrum gratia sacramentalis aliquid addat supra gratiam virtutum, & donorum?

Hoc dubium est illud, quod disputat S. Thomas art. 2. In cuius titulo notat Caietanum per gratiam virtutum, & donorum intelligi habitus gratiæ gratum faciētis, & virtutum, tam Theologicarum, quā Moralium, & Donorum Spiritus Sancti. Et est sensus vtrum gratiæ, quæ per diuersa sacramenta conferuntur, à gratia iustificante, & à virtutibus, & donis ei annexis, distinguantur?

§. I.

Opinio quod non addit aliquid intrinsecum.

Multi omnem distinctionem realem negant inter gratiam sacramentalem, & gratiam iustificantem. Aliqui enim nullam ponunt distinctionem, nec intrinsecam, nec extrinsecam. Ita specialiter loquendo de Baptismo, & Poenitentia, docet Ludouicus Caspensis to. 2. tract. 21. disp. 3. sect. 2. nu. 23. Alij solam agnoscunt differentiam extrinsecam causæ, quia si gratia conferatur à solo Deo, dicitur gratia iustificans; si conferatur medijs sacramentis, dicitur gratia sacramentalis. Certum huius opinionis Authorem nondum legi.

3 Dicunt alij extrinsece differre per ordinem ad diuersos effectus. Ita Alexander Alensis 4. p. q. 5. membro 4. art. 2. §. 1. S. Bonaventura in 4. dist. 1. ar. 1. q. 6. Richardus ibi art. 4. q. 4. ita dicens. Dico, quod eadē est per essentiam gratia sacramentorum, & virtutum; differens secundum rationem propter comparationem diuersam ad effectus: quia gratia in quantum per sacramentum conferitur, directè, & immediatè ordinatur ad sanandam animam à morbo peccati, vel ad sanitatem agendam: gratia autem virtutū, id est, gratia in quantum ab ea sunt virtutes, seu in quantum est forma virtutum, directè, & immediatè ordinatur ad bene operandum. Et quia potentia nō potest bene operari, nisi fuerit sana; idē etiam gratia virtutum ex consequenti respicit animæ sanationem, si precesserit in ea infirmitas aliqua. Et quia etiam sanatio animæ disponit potētias ad bene operandum; idē gratia, quæ cōfertur in sacramentis, & consequenti ordinatur ad bo-

nam operationem. Hæc ad verbum Richardus. Et in sol. ad 1. secundi ordinis ait; quod peccato in quantum est morbus animæ, contrariatur gratia sacramentorum; & in quantum prohibet potentiam à bene operando; contrariatur ei gratia virtutum.

4 Denique alij solam agnoscunt extrinsecam differentiam, quia gratia sacramentalis, vltra gratiam iustificantem, solum addit, vel nouum ius morale ad auxilia actualia, vel ipsa auxilia, quib⁹ cōsequimur proprios, & peculiāres effectus, ad quos consequēdos singula sacramēta ordinantur. Tribuitur D. Thomæ, quatenus art. 2. concludit. *Gratia sacramentalis addit supra gratiam communiter dictam, & super virtutes, & dona, quoddam diuinum auxilium ad consequendum sacramenti finem.* Nam vt ponderat Caietanus ibi, apud D. Thomam 1. 2. q. 110. art. 2. gratia auxilians non est habitus, nec quid permanens, sed transiens. Gratia etiam habitualis est vnius speciei: cum tamen auxilia actualia distinguantur specie: & idē per diuersa sacramēta cōferuntur diuersa auxilia specie distincta, vt docet S. Tho. ad 3. & q. 7. 2. ar. 7. ad 3.

Rationemque assignat Caietanus: quia hoc sufficit ad saluandum, & dignitatem Sacramentorum in cauendo; & ad distinguendas gratias sacramentales, & effectus earū: nec multiplicatur tot habitus in anima: quia ipsa gratia habitualis relata, seu extēsiā ex nouo diuino auxilio per sacramentum collato, & exhibitio, extenditur ad effectus diuersos secundum speciem.

5 Quod amplius declarat Soto in 4. dist. 1. q. 3. art. 2. §. Attamen, in fine dicens, quod gratia sacramentalis supponit pro ipsa gratia gratum faciente sub ea connotatione, quod eius virtute Deus sacramentum recipienti ad aliquē certum effectum subsidiū affert. Itaque gratia confirmationis est gratia gratum faciens, quæ tunc, vel infunditur, vel augetur, virtute cui⁹ Deus auxiliatur cōfirmato ad confitendam publicitus fidē. Et postea subdit, quod illud auxiliū nihil aliud est, quam quod virtute gratiæ confirmationis Deus est noua lege paratus ad opitulandum illi in publica confessione fidei inter eius hostes. Non quod sine confirmatione nō possit illi auxiliari: sed quod eius virtute adhibetur noua ratio subueniendi. Sequuntur Martinus Ledesma 1. p. 4. q. 3. ar. 2. Araujo q. 6. 2. ar. 6. dub. 2. Philip. a Frinit. disp. 4. dub. 7. & Alanus de Sacram. c. 40. Henriquez lib. 1. c. 12. n. 5. Valentia to. 4. disp. 3. q. 3. pūcto 2. Suarez disp. 7. lect. 3. Vazq. disp. 131. c. 7. Lugo disp. 4. lect. 3. Bernal disp. 8. sect. 2. & Lean-

§. II.

Gratia sacramentalis addit gratia iustificanti nouam extensionem habitualiter permanentem.

9 Nihilominus gratiam sacramentalem addere aliquid intrinsecum permanens, ante operationem intellectus distinctum à gratia iustificante, multi docēt: licet non vna declarent via, nec determinēt, quid est illud quod addit.

Paludanus in 4. dist. 2. q. 3. videtur ponere nouum habitum: nam post quinque argumenta in contrarium relata: & postquam retulit opinionem dicentem, quod gratia sacramentalis addit characterem, vel ornatū: ipse ex propria sententiā subiungit num. 14. S. Thomas videtur velle, quod illa gratia sacramentalis non solum differat à gratia gratum faciente, & virtutibus acquisitis, & infusis, & donis; sed etiam ab ipso ornatu, vel characterē: quia dicit, quod gratiæ sacramentales fluunt à gratia; sicut & virtutes; & supponunt gratiam gratum faciētem; quod nō facit character, vel ornatu. Et pro ista opinione est, quia vnumquodque sacramentum est introductum in speciale remedium contra specialem defectum; sine sit culpa, sine pena ex culpa derelicta, sine quodcumque aliud. Vnde cum effectus particularis reducat in causam particularem, non vniuersalem, immediatam; cum commune sit sacramentis nouæ legis conferre gratiam, & virtutes: speciale verò sit vnicuique, supposita gratia, remedium præbere cōtra specialem defectum, videtur quod vnumquodque sacramentum habet specialem aliquem effectum contra suum proprium defectum. Hæc Paludanus. Qui id prolequitur vique ad nu. 18. vbi ait, quod gratia sacramentalis nō est gratia gratum faciens; nec gratis data informis; sed gratis data formata, sicut morales infusa. Hæc ad verbum Paludanus.

10 Sequitur Capreolus in 4. dist. 1. q. 1. ad 4. Durandi contra tertiam folio 12. columna 2. & dist. 2. q. 3. artic. 1. conc. 4. ait. Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam alteri rationis, quam sit gratia donorum, & virtutum. Probat ex D. Thoma hic art. 2. & in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. q. 5. & ad argumenta contra quartam refert ad verbum opinionem relata Paludani; & dicit concordare cum Diuo Thoma locis citatis; & 3. p. q. 65. ar. 1. & in 4. dist. 2. q. 1. art. 2. & q. 27. de Verit. art. 5. ad 12. & post D. Tho. verba relata, concludit Capreolus folio 43. columna 2. dicens. Ex quibus patet, quod gratia gratum faciens, sicut nō immediatè elicit actum virtutis, sed

5. Leander tract. 1. disp. 3. q. 7. citans duodecim Authores, & dicens esse communem. Auersa sect. 2. Trullench lib. 1. Praxis sacramentorum cap. 4. dub. 1. n. 6. & passim alij.

6 Iuxta hanc sententiam, aduertunt alij ipsius Authores, gratiam sacramentalem sæpè non dari simul cum sacramento, etiam si tunc non ponatur obex; sed datur postea tempore opportuno, iuxta finem, & institutionem sacramenti, vt notat Suarez disp. 8. sect. 2. in principio. Imò talis gratia non potest conferri à sacramento physice, sed solū moraliter, vt aduertit idem Suarez disp. 9. sect. 2. ad 2. quia auxilium transiens tunc solum datur, cum exercetur operatio propter quam datur, quia est ab ea ineparabile: & idē physice nequit nuac dari pro tempore sequenti.

7 Adhuc tamen iuxta hanc sententiam; Granados controu. 3. de sacramentis tract. 3. disp. 3. n. 6. in fine, dicit, quod in ipso puncto, quo sacramentum suscipitur, & gratia virtutum conferitur, datur simul aliquod actuale auxilium accommodatum fini sacramenti, si homo sit in ætate capace illius; & obicem non ponat: & hoc auxilium ait produci physice à sacramentis, sicut & gratiam habituatam. Quando verò auxilium conferitur postea, nec à sacramentis tantum moraliter.

8 Ego verò, si hanc sententiam defenderem (quæ verè probabilis est) potius dicerem cum Soto, quod gratia sacramentalis directè importat gratiam habituatam, & augmentum eius: & hoc conferitur physice in ipsa susceptione sacramenti: & ob id dicuntur sacramenta conferre gratiam iustificantem ex opere operato, & infallibiliter in non ponentibus obicem. Gratiam verò auxiliantē actualiter solum importat indirectè, & de connotato, & dandam tempore sequenti, & quæ tæpe impeditur, & infallibiliter non cōfertur; & ideo non est inconueniens non dari physice. Quod autem distinctio rationis, & penes extrinsecam connotationem, sufficiat ad diuersificandam gratiam sacramentalem à gratia iustificante, explicari potest ex D. Thoma 3. par. quæst. 8. art. 5. docente, quod eadem est secundum essentiam gratia personalis, quæ anima Christi est iustificata; & gratia eius, secundum quam est caput Ecclesiæ, iustificans alios: differt tamen secundum rationem. Sic in presenti dici posset.

R median

mediante habitu virtutis: ita non immediate elicit actus, ad quos sacramenta ordinantur: nec immediate tollit defectum, aut vulnus potentiarum animæ: sed *mediante aliquo habitu, vel se habente per modum habitus, infuso in collatione, vel susceptione sacramenti.* Nec ad talem effectum sacramenti sufficiunt habitus virtutum, aut donorum: quia cum tales habitus infundantur in susceptione baptismi, vel cuiuslibet sacramenti, sequeretur, quod quodlibet sacramentum haberet effectum omnium sacramentorum: & ita non differrent penes effectus suos. Et multa alia falsa, & inconuenientia sequerentur. Hæc ibi.

11. Et postquam quatuor solutiones impugnauit, concludit docens, quod virtutes, & dona fluunt à gratia gratum faciente sicut à causa totali, in genere causæ efficientis causata: quæ quidem cum efficiat, quidquid efficit immediate, mere naturaliter, & habeat semper passum eiusdem rationis: ideo semper efficit eadem Dona Spiritus Sancti, & eosdem habitus virtutum: Sed gratia gratum faciens non est totale productiuum gratiarum sacramentalium. In hoc concurrunt effectiue sacramenta: & quia sacramenta sunt diuersa, & non connexa: ideo à gratia gratum faciente non simul producuntur omnes gratiæ sacramentales; sed modo vna cum baptismo, modo alia in poenitentia, modo alia in confirmatione: & sic de cæteris. Hæc Capreolus. Et fere idem docet Ferrara lib. 4. Contragentes cap. 57. §. *Aduertendum autem.*

12. Alium dicendi modum defendit Nuño 3. p. q. 62. art. 2. difficultate vnica, in prima conclusione asserens, quod gratia sacramentalis addit aliquid supra gratiam iustificantem: Quia S. Bernardus ser. i. in Cæna Domini explicat quomodo diuersa sacramenta diuersos habent effectus. Quod pariter habetur in Concilio Florentino in Decreto Eugenij super vnione Armenorum, de Sacramentis §. *Quinto Ecclesiasticorum.* In secunda conclusione dicit, quod gratia sacramentalis non addit gratiæ iustificanti nouum habitum: Quia gratia iustificans est vnus speciei. Et quia sine nouo habitu possunt fieri omnia, quæ fiunt à gratia sacramentali.

13. In tertia conclusione ait Nuño. Gratia sacramentalis addit supra gratiam communiter dictam, aliquam perfectionem, & entitatem realem, quæ est in illa permanente; distinguiturque ab ipsa gratia communiter dicta, non realiter materialiter, sicut distinguuntur duæ res: sed realiter formaliter, sicut distinguuntur res, & modus rei. Probat ex D. Thomæ artic. 2. ad 3. vbi docet gra-

tiam sacramentalem supra gratiam iustificantem addere aliquid habituale specie distinctum à gratia iustificante: quæ se habet sicut genus. Deinde probat ratione. Quia idcirco Prophetæ non prophetauerunt quotiescumque volebant: neque habentes gratiam miraculorum faciunt miracula quotiescumque volunt; quia istæ gratiæ non important aliquid permanens in homine per modum habitus, sed solum actuale auxilium Dei, & lumen propheticum, quod recipitur in intellectu, non permanenter, sed transeunter, tempore, quo fit reuelatio. Sed habens gratiam sacramentalem vititur illa quotiescumque vult. Ergo illa inest animæ permanente per modum habitus. Lateque deinceps declarat, quod gratia sacramentalis ponitur vt homo suauiter recipiat diuinum auxilium in ordine ad operationes correspondentes tali sacramento; estque quidam modus gratiæ habitualis. De quo videatur folio 101. vsque folio 103.

14. Eandem sententiam latius tradit Cabrera 3. part. quæst. 62. artic. 2. disp. 1. §. 4. 5. & 6. vbi ait, quod gratia sacramentalis supra gratiam gratum facientem addit aliquid permanens intrinsecum; nempe vim, & vigorem specialem habitualem, quo gratia sacramentalis viget ad proprium effectum sacramenti; cum ordine habituali permanenti ad diuinum auxilium, quod per modum transeuntis confertur. Addit num. 34. gratias sacramentales dare gratiæ iustificanti differentias específicas accidentales, sicut conferunt homini diuersa accidentia. Idem obiter docent Serra hac quæst. 62. artic. 1. dub. 3. ad argumenta tertiæ sententiæ; & artic. 2. Araujo artic. 6. dub. 2. in fine §. *Quare.* Et ex professo Ruiz artic. 2. dub. vnico conc. 3. Thomæ Hurtado tom. 2. Moral. tract. vit. resol. 10. §. 9. num. 518. folio 554. dicens, quod absque dubio est D. Thomæ hic.

15. Clarioribus verbis idem expressit M. Fr. Hyacinthus Choquetius lib. 2. de origine gratiæ disp. 6. capit. 5. circa finem folio 411. & 412. dicens, gratiam sacramentalem supra gratiam sanctificantem, duo addere, vnum habituale; alterum actuale. Prius est perfectio aliqua specialis, qua gratia per sacramentum collata ipsum consortium diuinæ naturæ, & diuinam filiationem adoptiuam tribuit, modo quodam speciali, quo vel extra sacramentum non tribuitur, vel per aliud sacramentum non confertur. Hæc vero perfectio per gratiam sacramentalem directe importatur; & a gratia sanctificante realiter non distinguitur, sed solum modaliter.

Poste-

Posterior est speciale Dei auxilium actuale, quo qui sacramentum suscepit, cum opportunum, ac necessarium fuerit, à Deo donatur, ad speciales actus specifico effectui, & proprio fini vnus cuiusque sacramenti respondentes, & ad illum necessarios. Huiusmodi auxilium non directe importatur per gratiam sacramentalem; sed solummodo connotatur: quatenus propria, & particularis vnus cuiusque perfectio, & finis dicunt ordinem ad eiusmodi auxilia. In ipsa igitur receptione sacramenti, cum obex non adest, per sacramenta physice confertur gratia iustificans; & eius augmentum, & modalis extensio habitualis vnus cuique sacramento correspondens, quod directe importat gratia habitualis. Specialia vero auxilia Dei, quæ solum connotantur per gratiam sacramentalem, ex vi mo certo certius sub realem efficientiam sacramentorum non cadere.

16. Authorum placita ipsorum verbis hic, sicut & alibi frequenter, retuli. Tū quia semper ingenue delidero veraciter dicere cum Platone in Hippia minori. *Neque apud auditores vnquam vendico mihi aliorum inuentam; sed docentem laudibus semper extollo; illi; abud omnes, quæ sunt, tribuo.* Tum, quia in hac difficultate multi sententiam Thomistarum non fideliter referunt, sed manifeste confundunt, vel, vt verius dicam, ex suo cerebro confingunt, vt feriant. Denique vt appareat Paludanum, & Capreolum, fere in solo loquendi modo ab alijs differre: quia non ponunt nouum habitum specie essentiali distinctum à gratia: sed solum aliquid se habens ad modum habitus: quod satis verificatur de ista extensione modalis specie accidentali differente à gratia: sed tamen permanente, & infusa, & instrumentaliter physice causata à sacramento.

§. III.

Sententia affirmans est D. Thomæ, & vera.

17. Sit igitur conclusio in fauorem huius opinionis. Gratia sacramentalis addit gratiæ iustificanti aliquid ante operationem intellectus ab ea distinctum: non quæ sit noua qualitas, aut habitus: sed eius modalis extensio, physice collata à sacramento, & durans quandiu non perditur gratia gratum faciens. Omnes assertoriales partes sunt satis ostentæ ab Authoribus pro hac sententia relatis: sed vterius prior pars probatur ratione D. Thomæ in argumento *sed contra.* Nam si gratia sacramentalis non addit aliquid supra gratiam donorum, & virtutum, frustra sacramenta habentibus dona, & virtutes conferren-

tur. In operibus autem Dei nihil est frustra.

18. Deinde ex sol. ad 1. aliud valet formari argumentum. Ait namque D. Thom. quod gratia virtutum, & donorum sufficienter perficit essentiam, & potentias animæ, quantum ad generalem ordinationem actuum animæ: sed quantum ad quosdam effectus speciales, qui requiruntur in vita Christiana, requiritur sacramentalis gratia. Qui sicut isti effectus speciales, non declarat S. Thomas hic, quia pertinet ad q. 65. vbi in articulo primo id satis exponit. Et Concilium Tridentinum sess. 7. de sacramentis in genere can. 3. definit septem sacramenta non esse *inter se paria, sed vnum esse alio dignius.* Et singulis sacramentis speciales effectus tribuit; ideoque sess. 13. cap. 2. de Eucharistia ait. *Sunt autem vnus sacramentum hoc, tanquam spirituale animarum cibum, quo alantur, & confortentur viuentes vitæ illius, qui dixit Ioann. 6. Qui manducant me, & ipse viuet propter me: & tanquam vitæ cibum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus presertimur.* Quæ vera esse nequeunt, si gratia collata per hoc sacramentum, non habet specialem extensionem ad istos effectus, qui specialiter necessarii sunt in vita Christiana.

19. Tertiam rationem adiecit D. Thom. in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. q. 5. Virtutes, & dona sunt connexa cum gratia: nulla enim sine alia infunditur: de quo 1. 2. q. 65. Gratia autem sacramentales inter se connexionem non habent; licet supponant gratiam gratum facientem. Ad gratiam sacramentalem (inquit D. Thomas) directe sacramenta ordinantur: quæ quidem non potest esse sine gratia, quæ respicit essentiam animæ; sicut nec virtutes. Sed tamen gratia, quæ est in essentia animæ, non potest esse sine virtutibus: & ideo virtutes in ea habent connexionem. Potest autem esse sine gratia sacramentali: & ideo gratiæ sacramentales connexionem non habent. Et ita patet, quod gratia, quantum sacramentum directe continet, differt à gratia, quæ est in virtutibus, & donis: quamuis etiam illam gratiam per quædam continuationem contineant. Hæc S. Thomas. Pro cuius explicatione recolantur verba Capreoli relata num. 11.

20. Ex quo infert Lugo disp. 4. sec. 3. n. 29. contra aliquos recentiores, gratiam sacramentalem, & effectus eius non deberi homini non accipienti in sacramento gratiam habitualem, vel qui acceptam perdidit, eum enim dantur media gratia habituali, tanquam radice aliquo modo eos exigente, ablata gratia non debetur. Citat Suarez, & Henriquez:

& posset referre D. Thomam, Capreolum, & Soto, & alios communiter. Et probat ex mente fidelium, qui merito iudicant sacramenta cum obice suscepta esse inutilia, & nociua: sicut Eucharistia: *Mors est malis, vita bonis*: ut ait D. Thomas in Prosa Missæ festi Corporis Christi. Et sic ut sine gratia iustificante non acquiritur gratia sacramentalis; ita illa amissa per peccatum, hæc quoque deperditur. Recuperati tamen per Pœnitentiam, notat cum Henriquez lib. 1. cap. 12. num. 8: quia sequitur gratiam habitualem in sacramento collatam, ita ut cum ipsa amittatur, & cum ipsa resurgat. Quod & notauerat Soto art. 2. §. *Contra hæc*. Et indicat S. Cyprianus serm. de ablutione pedum, dum ait. *De reuerfis dat ut iterum possint eis sacramenta prodesse; quorum si pœnitentia non subesset, nullo modo deinceps experiri possent effectum.*

21 Secunda pars colligitur ex D. Tho. q. 27. de Verit. artic. 4. docente: *impossibile est esse in vno homine nisi vnam gratiam.* Quæ propositio loquendo, ut nunc loquimur, de lege ordinaria, est Theologorum communis, & certa: quia tantum datur vna participatio naturæ diuinæ, qua homo habet ius ad gloriā: & quæ est radix omnium virtutum, & donorum, & radicaliter operatiua omnium bonarum operationum supernaturalium: quia dat primum esse supernaturalem, & diuinum: sicut vna anima est radix omnium potentiarum, & radicaliter operatiua omnium operationum hominis.

22 Ratio à priori est: quia ubi non est noua difficultas formalis, specie adæquata distincta, non est necesse ponere nouum habitum: ideoque in extensione scientiarum ad noua objecta materialia, non est opus nouo habitu; neque in intentione qualitatium additur noua qualitas; quamuis addatur noua terminatio qualitatis virtualis, siue in intentione, siue in extensione, ut diximus 1. p. Metaph. controu. 2. nu. 116. & latius lib. 1. de Gener. q. 15. & 16. Sed extensio ad actus speciales, qui exiguntur in vita Christiana, propter quam extensionem gratia sacramentalis se habet ex additione ad gratiam iustificantem, non addit nouam difficultatem essentialē, nec nouam rationem essentialē in genere gratiæ; quia sola extensione qualitatis præ-existentis facile tota difficultas potest vinci: ergo non opus est nouo habitu.

23 Sed dices S. Thom. hic art. 2. ad 3. & q. 72. ar. 7. ad 3. docere, quod gratiæ sacramentales, quantum ad illud speciale, quod superaddunt, nec sunt eiusdem speciei cum ipsa gratia, nec inter se. Idem docet in 4. dist. 7. q.

2. art. 2. q. 3. Quod patet ex actibus ad quos ordinatur; qui quidem sunt specie distincti; & ideo sacramenta sunt ex parte effectus speciei diuersa, ut sumitur ex D. Thom. q. 65. art. 1. Ergo gratiæ sacramentales exigunt novos habitus.

24 Respondetur, quod loquendo de auxilijs actualibus, indirecte, & de connotato importatis per gratiam sacramentalem, absque dubio distinguuntur specie; sicut & actus ad quos dantur: sed tamen hæc diuersitas specifica auxiliorum, respectu gratiæ est diuersitas accidentalis, & inadæquata, ad quam vincendam sufficit noua extensio habitus præ-existentis. Sicut habitus scientiæ est vna simplex qualitas; quamuis se extendat ad plures demonstrationes specie partiali distinctas. Vnde loquendo de gratia sacramentali quoad id quod importat directe, sufficit extensio modalis speciei accidentali distincta, & inter se, & a gratia iustificante, ut faciat totum quod est necessarium in vita Christiana. Quæ omnia explicari possunt exemplo virtutum moralium, quæ in via, & in patria habent actus specie partiali distinctos, eo modo quo explicat D. Thomas quæst. 5. de Virtutibus Cardinal. art. 6. & 1. 2. q. 67. ar. 1. & Caiet. 1. 2. q. 54. art. 4. §. *Ad tertiam rationem*. Virtutes etiam Christi specie modalis differre à nostris, multi docent 3. p. q. 7. art. 1. & 12. ex D. Tho. ibi ad 1. & de charitate viæ, & patriæ specie modalis differre, indicat S. Tho. 2. 2. q. 24. art. 7. ad 3. & late ibi Caietanus.

25 Tertia pars, nempe, quod gratia sacramentalis, quoad id quod directe importat, instrumentaliter physice causatur à sacramento, videtur manifeste inferri ex dictis dubio 2. nam omnia illa in sensu formali debent intelligi: & excellentia nostrorum sacramentorum, in effectibus, & modo causandi ipsorum proprio debet relucere. Deinde, sacramenta illam gratiam causant ex opere operato, & instrumentaliter physice, quæ directe significant: iuxta illud Concilij Trid. sess. 7. can. 6. *Siquis dixerit sacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam significant, &c.* Sed directe significat gratiam specificam sacramentalem, & diuersa sacramenta diuersas gratias, Ergo eas physice instrumentaliter causant. Vnde S. Th. in 4. dist. 7. q. 2. art. 2. q. 3. ait. *Vnde in sacramentis principaliter datur gratia sacramentalis, quæ differt in diuersis sacramentis, & per consequens gratia virtutum, & donorum, quæ est communis in omnibus sacramentis.*

26 Restat probanda vltima pars, de qua præcipue est disidium cum Authoribus re-

laris

latis num. 4. & 5. Quod igitur eorum expositio non sit ad mentem D. Thomæ, conitar, quia tantam permanentiam tribuit gratiæ sacramentali cum gratia iustificante, quantum tribuit virtutibus, & donis cum ipsa gratia: licet non tribuat tantam connexionem, ut retulimus num. 20. & in hoc art. 2. Sed virtutes, & dona habitualiter permanent, quæ diu ducat gratia. Ergo pariter dicendum de gratia sacramentali.

27 Quod totum docet S. Thomas q. 27. de Verit. art. 5. ad 12. ubi ait, quod *sicut diuersæ virtutes, & diuersa dona spiritus Sancti ad diuersos actus ordinantur; ita diuersi sacramentorum effectus sunt ut diuersa medicina peccatis; & participationes virtutis Dominica P. sionis, quæ à gratia gratum faciente dependent; sicut virtutes, & dona. Sed virtutes, & dona nomen speciale habent propter hoc, quod actus ad quos ordinantur, sunt manifesti: vnde secundum nomen à gratia distinguuntur. Defectus autem peccati, contra quos sacramenta instruuntur; latentes sunt: vnde sacramentorum effectus nomen proprium non habent, sed nomine gratiæ nominantur: dicuntur enim gratia sacramentales: & penes has sacramenta distinguuntur sicut penes proprios effectus. Pertinent autem isti effectus ad gratiam gratum facientem, quæ istis effectibus coniungitur: & sic cum proprijs effectibus habent effectum communem, qui est gratia gratum faciens: quæ etiam per sacramentum, & non habenti datur, & habenti augetur.* Hæc ibi, & ad 15.

28 Sed quia faceret Caietanus in alijs scriptis S. Thomam hoc asseruisse, sed indicat hæc 3. p. q. 62. art. 2. retractasse quatenus asserit, quod *addit diuinum auxilium.* Facile potest videri, quod hic id non retractat, sed confirmat in corp. Et ad 1. & 2. Sed penuria vocabulorum gratiam sacramentalem vocat *diuinum auxilium*: quia sacramentorum effectus nomen proprium non habent: & non appellat *diuina auxilia* in plurali: quod deberet dicere, si teneret illam sententiam: sed *auxilium*, quia est aliquid modale extensiuum habitus, & principium actus, & sic connotat auxilium.

29 Quod totum mire docet hæc 3. p. q. 72. art. 7. ad 3. ubi ait, quod *sicut dictum est (q. 62. art. 2.) gratia sacramentalis addit supra gratiam gratum facientem communiter sumptam, aliquid effectuum specialis effectus, ad quod ordinatur sacramentum.* Si ergo consideretur gratia in hoc sacramento collata, quantum ad id quod est commune; sic per hoc sacramentum non confertur aliqua alia gratia, quæ per Baptismum; sed quæ prius inerat, augetur. Si autem consideretur quantum ad illud speciale, quod superadditur, sic non est ius-

dem speciei cum ipsa. Vbi S. Thomas clarissime, & breuissime complectitur quidquid alijs locis dixerat. Ait namque gratiam iustificantem eandem omnino dari in Baptismo, & in confirmatione, & quæ prius inerat augetur: & ultra totum hoc gratiam sacramentalem confirmationis addere *aliquid effectuum specialis effectus*: & hanc nos dicimus esse extensionem habitualiter permanentem, quæ specie accidentali, & modaliter differt ab ipsa gratia, & quæ exigit actualia auxilia transeuntia specie inter se distincta, sicut specie distinguuntur effectus speciales baptismi, & confirmationis.

30 Sed inquit Caietanus q. 62. artic. 2. quod S. Thomas non dicit diuersam esse gratiam sacramentalem à gratia iustificante: sed dicit gratiam in vtroque sacramento collatam, habere aliquid commune, & aliquid proprium: ex hoc enim quod D. Thomas ad diuersum modum considerandi gratiam se reuoluit, innuat non etiam ibi diuersos habitus.

31 Sed contra est, quod ipse Caietanus q. 72. art. 7. ad 3. docet ex D. Thomæ, quod essentia gratiæ collata in baptismo, & in confirmatione, secundum essentiam gratiæ est eiusdem speciei; sed secundum auxilium firmitatis procedentis à gratia (quod gratia sacramentalis vocatur) specie differt à gratia baptismali. Sed hoc auxilium realiter differt à gratia: siquidem illa in baptismo datur sine isto auxilio. Ergo D. Th. loquitur de distinctione reali. ¶ Secundo, si illud auxilium sit transfrens, non potest directe esse ipsa gratia sacramentalis: quia hæc directe causatur à sacramento: quod causat aliquid manens cum gratia habituali, ut ex D. Thomæ dictum est.

32 Tertio, clarissimus sensus verborum D. Thomæ in omnibus locis est idem, quod hoc complexum, *gratia sacramentalis*, duo importat: alterum commune, & quasi materiale: & hæc est gratia iustificans, quæ in quolibet sacramento datur, vel augetur: alterum importat proprium, quod se habet ex additione ad primum, & est formale in gratia prout sacramentali: & est ille modus, vel extensio, vel auxilium permanens, quod vocat S. Thomas *aliquid effectuum specialis effectus* & hoc addit nouam speciem accidentalem: & connotat auxilia actualia transeuntia inter se specie distincta.

33 Ratio à priori, quæ in verbis D. Thomæ indicatur, satis vrgere videtur: nam licet Deus de sua potentia absoluta posset hominem iustificare, vel sine dono intrinseco habitualiter permanente: vel in iustificatio-

ne infundendo solam gratiam, & non infundendo in potentijs animæ virtutes Theologicas, & Morales, & dona Spiritus Sancti; tamen diuina prouidentia, quæ disponit omnia suauiter, factum est, quod vt connaturaliter homo iustus auxilijs actualibus moueatur à Spiritu Sancto, habeat habitus, qui dēt ius ad illa auxilia, & quibus habitibus possit vt cum voluerit. Sed etiam pertinet ad suauem vitam Christianam, quod gratijs sacramentalibus, quæ ordinantur ad propriam iustificati salutem, quod quis illis vtatur cū voluerit. Ergo est in eo aliqua extensio gratiæ habitualiter permanens, quæ ab intrinseco det ius connaturalis exigentiæ auxiliorum transeuntium; quæ gratis a Deo conferuntur.

34 Confirmatur: quia non minus per cōfirmationem quis accipit potestatem, & robur ad firmiter confitendam fidem, quā per sacramentum ordinis accipiat potestatem consecrandi: quantum sit differentia, quod character est signū indelebile, & manet in peccatoribus: gratia autē sacramentalis perditur per mortale peccatum, sicut & gratia iustificans. Sed character est aliquid habitualiter permanentē, vt illo vtatur illo insignitus, cū voluerit: ergo & gratia sacramentalis, in quantum talis, est aliquid habitualiter manens.

35 Confirmatur secundo, & euasiones præcluduntur: non obstante, quod augmentum gratiæ, & charitatis non addant nouos habitus, addunt tamen nouum modum, seu nouam terminationem virtualis quantitatis, qui modus manet quandiu gratia, & charitas non perduntur: nam licet per actus intentiones essentialiter, & intrinsece augeantur: vt docet D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 4. 5. & 6. Non tamen directe possunt diminui, vt probat ibi art. 10. & q. 7. de Malo art. 2. & in 1. dist. 17. q. 2. art. 5. Ergo non obstante, quod gratia sacramentalis non addat nouum habitum supra gratiam iustificantem, potest habitualiter permanere; quia addit nouam extensionem ad dandam vim effectiuam specialium actuum cōtra reliquias peccati, quæ non essent in statu innocentiae. Probatur cōsequentiā, quia sicut qualitates supernaturales sunt capaces intentionis permanentis, sic sunt capaces extensionis permanentis ad noua obiecta, vel vt habeant vim ad nouos speciales effectus. Et sicut non obstante, quod posset Deus facere, quod gratia, & charitas solum crescerent moraliter extrinsece in diuina acceptatione propter merita præterita; vt disponeret omnia suauiter, conformi-

ter ad ea, quæ contingunt in moralibus, & intellectualibus virtutibus acquisitis, dispositum quod cresceret intrinsece physice, & sic connaturalius auxilium intensius corresponderet habitui intensiori, sic tenendum gratiā sacramentalem dari, & infundi habitualiter in sacramentis, vt connaturalius tēpore opportuno habitus sic extēsi reducantur ad actum, cum voluerit homo, qui recepit sacramenta, gratijs in sacramento collatis bene vti.

36 Quo sensu recte ultimo probatur a tertio ratione M. Nuño relata nu. 13. Quæ habetur in D. Tho. 2. 2. q. 171. art. 2. in arg. *sed contra*, vt probet, quod prophetia non sit habitus: nam habitus est, quo quis agit, cum voluerit, vt dicit Cōmentator in 3. de Anima: sed aliquis non potest vti prophetia, cū voluerit: sicut patet 4. Reg. 3. de Elisæo, vt ponderat S. Greg. hom. 1. in Ezechielem. Ergo prophetia non est habitus: ac per consequens nec aliquid habitualiter manens. Ergo à contrario, illud quo quis, cum voluerit vtitur, habitualiter manet. Sed gratijs sacramentalibus aliquis vtitur; cum vult, supposito adiutorio diuine gratiæ. Ergo gratiæ sacramentales habitualiter permanent.

37 Præterquam quod, ius illud morale ad auxilia tempore congruo cōferenda, potest conuenire gratiæ, etiam si sacramenta non causarent gratiam, nec physice, nec moraliter, sed solum essent puræ conditiones, sine quibus non illa auxilia conferrentur. Id autem admitti nequit propter Scripturam, Concilia, & Patres, & propter dignitatem sacramentorum nouæ legis, vt patuit dub. 1. & 2. Imò illa collatio auxiliorum danda tempore opportuno; etiā est promissa orationibus fidelium: vt Mathæi 21. ver. 22. *Et omnia quaecumque petieritis, in oratione credentes, accipietis.* Ioan. 15. ver. 7. *Quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Cum ergo auxilia supernaturalia altiori modo sint connaturalia gratiæ sacramentali, dicendū est hanc addere nouam extensionem gratiæ, cum ea manentem, dum per mortale peccatū gratia iustificans, & sacramentalis non amittitur. Argumenta iam nulla remanent, quæ solutione indigeant, conferendo omnes partes conclusionis, & earum ponderando rationes.



DVBIVM VI.

Vtrum omnia sacramenta aliquando conferant primam gratiam?

§. I.

Certa præmittuntur.

Nomine primæ gratiæ, intelligitur gratia primo iustificans, & à peccato mundans; & nomine secundæ gratiæ, intelligitur gratiæ præexistentis augmentum: sic enim has voces vsurpant communiter Theologi in hoc dubio. Certum est de fide, Baptismum paruulis dare primam gratiam: quia eos à peccato originali mundat per infusionem gratiæ, ad quam in illis non præcedit contritio, nec alia personalis dispositio, cum vsus rationis non habeant.

2 Certum item est, adultis Baptismum dare primam gratiam; quia ad dignè illum suscipiendum, non est necessariū, quod præcedat contritio, vt contra Gabrielem, & Ochā, Maiorem, & alios, ostendemus suo loco. Quare Baptismus directe est institutus ad dandam primam gratiam. Quod docet S. Tho. 3. p. q. 68. art. 4. dicens, *Sacramentum baptismi est ad hoc specialiter institutum, vt per ipsum peccatorum sordes mudentur secundum illud ad Ephes. 5. Mundans eam (scilicet Ecclesiam) lauacro aquæ in verbo vitæ.* Vnde peccatores, qui sic dicuntur; propter maculam, & reatum præteritum, recte accedunt ad Baptismum.

3 Certum item iam iudico, sacramentum Penitentiae per se dare primam gratiā, & cum attritione cognita susceptum, hominem iustificare: ideoque culpæ mortalis remissio ponitur à D. Th. 3. p. q. 86. art. 6. principalis effectus sacramenti penitentiae. Quod facere ex attrito cōtritū, docet in 4. dist. 17. q. 3. art. 5. Satisque indicat Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. Et dist. 18. q. 1. a. 3. q. 1. ait D. Tho. quod *Sacramentum Baptismi, & Penitentiae conueniunt quodammodo in effectu, quia vtrumque contra culpam ordinatur directe: quod non est de alijs sacramentis.* Ratio diuine institutionis est: quia vt docet S. Tho. q. 61. art. 2. *Sacramenta sunt quedam spirituales medicine, quæ adhibentur contra vulnera peccati: per quæ gratia amittitur, & anima spiritaliter moritur, & sumus Deo inimici.* Sed peccata huiusmodi simpliciter ralia, tantum sunt duo: nempè peccatum originale: quod est peccatum naturæ: contra quod est institutus Baptismus; per quem spiritaliter renascimur: & peccata mortalia actualia: cōtra quæ est institutum sacramentum Penitentiae: de

quo in Concilio Florentino dicitur: *Quod si per peccatum aegritudinem incurrimus animæ, per Penitentiam spiritaliter sanamur.* Ergo in remedium illorū Christus animæ nostræ medicus aptè instituit ista duo sacramenta; quæ ideo à Theologis dicuntur *Sacramenta mortuorum*: quia etiam illi, qui sunt spiritaliter mortui per peccatū, dignè possunt ea recipere, & vitam gratiæ acquirere.

4 Certum item est, nullum aliud sacramentum ex peculiari specifica institutione dare primam gratiam. Quod communiter supponunt Theologi, qui alia quinque dicunt esse sacramēta viuorum, id est, quæ per se loquendo, in iustipiente supponunt vitam gratiæ. Idemque patet ex proprijs effectibus singulorum enumeratis in Concilio Florentino: de quibus S. Tho. q. 65. art. 1.

5 Præterea certum est, hæc quinque sacramenta viuorum, ex peculiari, & specifica ipsorum institutione, dare gratiæ augmentum. Quod constat ex Concilio Florentino in sæpè citato decreto: cū enim dixisset nostrum sacramēta continere gratiam, & illam dignè suscipientibus conferre, subiungit: *Per Baptismum enim spiritaliter renascimur: per Cōfirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide: renati autem, & roborati, nutrimur diuina Eucharistiæ alimonia.* Et Melchisedes Papa in epist. ad Hispaniæ Episcopos to. 1. Conc. ait. *Spiritus Sanctus in fonte Baptismi plenitudinem tribuit ad innocentiam, in cōfirmatione augmentum præstat ad gratiam.* De quo S. Tho. q. 72. art. 7. Loquendo autem de Sacramento Eucharistiæ, idem docent Sancti Patres, quos refert, & sequitur S. Tho. 3. p. q. 79. art. 1. Par autem est ratio de alijs tribus sacramentis: vt constabit ex dicendis de vnoquoque.

6 Vltimo certum est, Baptismum, & Penitentiam, cū suscipiuntur ab eo, qui est cōtritus, & in gratia, dare augmentum gratiæ: Quod de Baptismo docet S. Tho. q. 69. art. 4. ad 2. & de Penitentia docet in 4. dist. 18. q. 1. art. 3. q. 2. dicens, quod idē iudiciū est de effectu, quem potestas clauū actualiter exercita cōplet in eo, in quo cōtritio tēpore præcessit: & de effectu baptismi, qui iam habenti gratiā datur. Aliquis enim per fidē, & contritionē præcedentē Baptismū, gratiā remissionis peccatorū, quantum ad culpā, cōsequutus est: sed quando actualiter postea Baptismū suscipit, gratia augetur, & à reatu poenæ totaliter abluatur, eo quod sit particeps passionis Christi. Et similiter ille, qui per contritionem consequutus est remissionem peccatorum quantum ad culpam; & per consequens quantum ad reatum po-

nae aeternae, quae simul cum culpa dimittitur; ex vi clauium, ex passione Christi efficaciam habentium, *sugetur gratia*, & poena remittitur temporalis, cuius reatus adhuc remanerat post culpae remissionem: non tamen tota, sicut in Baptismo, sed pars eius. Quod omnes Theologi admittunt: & colligunt ex Concilijs relatis dub. 1. diffinientibus sacramenta nouae legis dare gratiam ex opere operato non ponentibus obicem; sed qui contriti accedunt ad baptismum, & poenitentiam, non ponunt obicem gratiae: quia meliori dispositione accedunt, quam si sola afferant attritionem: ergo haec sacramenta eis collata, in exercitio conferunt gratiam. Sed non primam; quia ea iam habebant: ergo conferunt gratiae augmentum. Ideoque ultra gradum gratiae, quem dispositio hominis iusti decodigno meretur, ut docet S. Th. 1. 2. q. 1. 14. art. 8. etiam extra sacramentum; correspondet vi sacramenti nouus gradus gratiae, ad quem actus nostri solum se habent ut applicantes sacramentum, quod ex opere operato, & velut naturaliter agit, iuxta dicta dub. 1. in fine.

§. II.

Vtrum omnibus sacramentis per se conueniat causare augmentum gratiae?

Haec cum certa sint, sunt aliqua difficulta. Primo inquiritur, vtrum causare augmentum gratiae, per se conueniat omnibus sacramentis?

Afirmat M. Marcus Serra hac q. 62. art. 1. dub. 3. conc. 2. in secunda parte illius folio 31. dicens, quod causare augmentum gratiae, omnibus, tam viuorum, quam mortuorum sacramentis per se conuenit. Quod probat: nam sacramentis, etiam mortuorum, conuenit causare augmentum gratiae, non propter indispositionem, & impedimentum suscipientis; sed potius propter maiorem, & perfectiorem dispositionem. Ergo non per accidens, sed per se conferunt augmentum gratiae: ex sua enim natura, & per se habent omnia sacramenta causare gratiam maiorem, & perfectiorem, si cum maiori, & perfectiori dispositione recipiantur.

Sed alij Theologi communiter, vel supponunt, vel docent, duo sacramenta mortuorum non dare per se, & ex propria specifica ratione augmentum gratiae; sed quando id contingit, esse per accidens. Ita ut certum, docent Soto in 4. dist. 14. q. 1. art. 3. ad 5. §. Et per hoc. Cabrera hic art. 1. disp. 2. §. 2. nu.

24. & 25. Araujo ar. 6. dub. 1. in fine corol. 2. n. 77. Suarez disp. 7. sect. 2. initio. §. Tertia est certum. Granados tract. 3. disp. 6. n. 8. & alij communiter, qui ita certum existimant, ut id neque in dubium vertant.

Ratio est; quia sacramenta illam gratiam causant per se, & directe, quam causant ex institutione specifica, & peculiari unicuique propria. Sed ex institutione peculiari quinque sacramentorum, est causare augmentum gratiae; quia per se loquedo, primam gratiam supponunt. Et ex institutione peculiari baptismi, & poenitentiae non est causare augmentum gratiae: quia Baptismus est regeneratio, & dat per se primum esse; & poenitentia est secunda tabula post naufragium: & directe solum habet liberare a morte peccati. Deinde, quia Concilium Tridentinum ses. 6. can. 6. non solum docet, *Sacramenta nouae legis continere gratiam*: sed addit illam particulam: *quae significant*: sed haec duo in sua materia, & forma non significant gratiae augmentum. Ergo solum quinque viuorum sacramenta dant per se, & principaliter, & directe augmentum gratiae: non vero alia duo sacramenta hoc habent per se, & directe.

Haec sententia est in re vera: & D. Thomas in 4. dist. 7. q. 2. art. 2. q. 3. vbi tamen distinguit, quod gratia baptismalis potest dici dupliciter: uno modo illa, quae est principalis, & proprius effectus baptismi operans contra mortuum: alio modo gratia, quae est effectus baptismi ex consequenti, & per quamdam connexionem. Haec est gratia iustificans, & eius augmentum; illa est gratia sacramentalis, reduplicatiue in quantum talis. Et de gratia iustificante, subiungit: *Accipiendo autem gratiam baptismalem, & confirmationis secundo modo; sic directe auget eam; cedens in eandem essentiam cum ipsa; sicut baptismus directe auget gratiam, quam prius inuenit.*

Loquendo etiam de sacramento Extreme unctionis in 4. dist. 23. q. 1. ar. 2. q. 1. ait, quod quodlibet sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum; quamuis etiam alius ex consequenti inducere possit: quia sacramentum efficit, quod figurat: ideo ex ipsa significatione sacramenti debet accipi eius principalis effectus. Et infra. *Vt sicut Baptismus est quaedam spiritualis re generatio, & poenitentia quaedam spiritualis suscitatio, ita & Extrema unctio sit quaedam spiritualis sanatio, vel medicatio. Sicut autem corporalis medicatio presupponit corporalem vitam in medicato; ita spiritualis spiritualis. Ac proinde Baptismus, & Penitentia directe, & principaliter non ordinantur ad gratiae augmentum; sed directe ordinantur ad dandam primam*

nam gratiam: ut docet etiam S. Th. dist. 18. q. 1. art. 3. q. 1.

10 Sed in fauore primae opinionis (quam ab eius Authore non sit adnotatus) videtur esse expressus locus D. Tho. hac 3. par. q. 69. art. 3. vbi distinguit, quod duplex est effectus Baptismi: unus per se, alius per accidens. Per se quidem effectus Baptismi est id, ad quod Baptismus est institutus, scilicet ad regenerandum hominem in spiritualem vitam. Et sub hoc distinctionis membro comprehendit gratiam iustificantem, & sacramentalem, & vtriusque augmentum, seu inaequalitatem: quae inaequalitas est ex inaequalitate dispositionis: *Et ideo quidam plus, quidam minus de gratia nouitatis accipiunt*, ait D. Thomas. Qui postea subnectit alterum membrum distinctionis, dicens. *Effectus autem Baptismi per accidens est; ad quem Baptismus non est ordinatus; sed diuina virtus hoc in Baptismo miraculose operatur.* Apponit exemplum ex D. Augustino, sicut si alicui miraculose ligetur, vel extinguatur fomes: & in sol. ad 4. affert exemplum, sicut si in Baptismo conferatur sanitas corporalis: sicut patet de Constantino, qui in Baptismo mundatus est a lepra. Ergo inter effectus per se Baptismi numerat D. Thomas augmentum gratiae. Cum ergo, quoad hoc, eadem sit ratio de Sacramento Poenitentiae, iam habetur, quod omnibus sacramentis conueniat per se causare augmentum gratiae. Vnde D. Thomas in 4. dist. 12. q. 2. art. 1. q. 1. ad 1. ait: *Et hoc modo virtutes augentur per omnia sacramenta, quae gratiam inueniunt in subiecto, ex eo quod ipsa de se nata sunt gratiam causare.*

11 Ut haec radicitus intelligantur, & netota dissensio Authorum sit de usu vocabulorum, distinctione adhibita, potest difficultati responderi, dicendo quod ly *per se* in hac difficultate, vel potest sumi pro effectu primario, directe, & specificiter intento ab institutore sacramenti: & sic opponitur effectui in tertio secundario, indirecte, & per connexionem, & comitantiam cum effectu primario, & directo. Et sic omnino est vera secunda sententia, propter authoritates, & rationes pro ea adductas: & in isto sensu Authores loquuntur: ut contextum considerati, patebit. Vel sumitur *per se* ut solum opponitur ei: quod est omnino per accidens, & miraculose: ita ut effectus per accidens, ut notat Nuño q. 69. art. 5. in principio, non causentur physice ab ipso Baptismo, sed a Deo efficiantur ad praesentiam baptismi. Quod intelligo, nisi etiam miraculose velit Deus uti Baptismo ut instrumento physico illius miraculi: sed non conuenit ex vi primae institutionis,

sed ex extraordinaria elevatione Dei. In isto sensu augmentum gratiae non est effectus per se, sed secundum accidens sacramentorum: sed est per se, & secundum comitantiam, & qualem per comitantiam, quae est gratia sacramentalis cum gratia iustificante: & quia istius inaequalitas est ex inaequalitate dispositionis, vel approximationis: sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris; qui plus ei appropinquat: licet licet ignis quantum est de se; equaliter ad omnes suum calorem effundat. Ideo prima sententia potest admitti in hoc sensu, quod causare augmentum gratiae, conuenit sacramentis viuorum per se primo, quia ad hoc directe sunt instituta; at vero sacramentis mortuorum conuenit per se secundo, quia hoc habent ex consequenti, & ex comitantia gratiae, quae ex vi praesentis prouidentiae datur inaequaliter iuxta inaequalitatem dispositionum super naturalium, quas Deus suis auxilijs supernaturalibus causat. Et hanc ipsam distinctionem inlinuat S. Thomas in 4. dist. 7. verbis relatis num. 9.

§. III.

Vtrum sacramenta viuorum secundum rationem genericam causent per se primam gratiam?

12 **M**aior difficultas est, vtrum e contra in aliquo sensu proprio, & rigoroso, causent per se primam gratiam? Afirmat M. Nuño q. 62. art. 1. difficult. 2. quod omne sacramentum nouae legis, in quantum sacramentum nouae legis, habet per se causare gratiam, & primam gratiam: & Sacramentum Baptismi, & Poenitentiae ratione vltimae differentiae habent per se causare primam gratiam. Itaque per se causant illam duplici titulo, & ratione proximi generis, & ratione vltimae differentiae. Alia vero sacramenta tantum causant illam per se unico titulo, scilicet, ratione proximi generis: quia sic apparet maior dignitas sacramentorum nouae legis.

13 Probat primo: nam in sacris litteris, & Concilijs, & in communi modo loquendi Theologorum, ista propositio est doctrinalis, & per se, *sacramenta nouae legis causant gratiam*. Sed omne agens cui per se conuenit aliquis effectus, potest etiam temper a principio habere illum effectum. Ergo sacramenta nouae legis temper, etiam a principio, habent causare gratiam: atque adeo primam gratiam: & hoc per se.

Confirmatur: nam simpliciter loquendo dicitur:

dicimus, quod opera nostra non sunt meritoria gratiæ; quia non sunt meritoria primæ gratiæ; licet sint meritoria augmenti gratiæ. Ergo, cum è contra dicatur, quod sacramenta causant gratiam, intelligitur quod causant primam gratiam.

Secundo probat: nam omnia sacramenta nouæ legis actu, & realiter suscipiunt diuinam motionem ex Christi humanitate, & passione illius: iuxta doctrinam D. Thomæ art. 4. & 5. per quam motionem constituuntur sacramenta ut causæ, physice, iuxta dicta dub. 4. Sed ista diuina motio, per se loquendo, est sufficiens ad causandam primam gratiam. Ergo etiam omnia sacramenta nouæ legis. Hæc Nuño, qui hanc sententiam solum eligit ut probabiliores: & ideo vtriusque opinionis refert, & diluit argumenta.

14. Absolute tamen hanc opinionem sequitur Ioannes à Cruce in Directorio Cōscientiæ, secunda parte, de Sacramentis q. 2. dub. 2. conc. 3. fauereque videtur D. Thom. 3. p. q. 79. artic. 3. vbi de Eucharistia loquens ait, quod virtus huius sacramenti potest considerari dupliciter. Vno modo secundum se: & sic hoc sacramentum habet virtutem ad remittendū quæcumque peccata, ex passione Christi, quæ est fons, & causa remissionis peccatorum. Sed peccata non remittuntur, nisi per infusionem primæ gratiæ. Ergo Eucharistia ex se, & per se, habet dare primam gratiam. Fauet etiam D. Tho. in 4. dist. 7. & 12. verbis relatis n. 9. & n. 10. In fine. Indicatque Paludanus in 4. dist. 9. q. 2. n. 5. vbi ait. Imo forte veniam obliui consequitur ex vi sacramenti. Quibus verbis causalitas per se satis indicatur. Hæc autem sunt verba D. Thomæ ibi dist. 9. q. 1. art. 3. q. 2.

15. Hanc opinionem nominatim impugnant omnes alij, qui de ea mentionem fecerunt. Specialiter Suarez disp. 7. sec. 2. dub. 2. Cabrera q. 62. art. 1. disp. 2. §. 2. dicens contrariam tenere D. Thomam, & omnes eius discipulos. Ruiz dub. 3. conc. 3. Araujo art. 6. dub. 1. n. 73. & 74. & n. 76. & 77. Serra art. 1. dub. 3. conc. 2. Probaturque primo non cōsonare doctrine D. Thomæ, in 4. distinct. 23. q. 1. art. 2. q. 1. vbi de Extremaunctione ait. Sed quia hoc robur gratiæ fuit, quæ secum non cōparatur peccatum; ideo ex consequenti; si inuenit peccatum aliquod, vel mortale, vel veniale, quoad culpam, tollit ipsum; dummodo non ponatur ob ex parte recipientis, sicut etiam de Eucharistia dist. 12. q. 2. artic. 1. q. 1. & Confirmatione dist. 7. q. 2. art. 2. q. 1. & 3. supra dictum est. Vbi solum ex consequenti gratiam horum sacramentorum docet S. Thomas tollere peccatum mortale. Idem docet S. Thomas loquendo

de Confirmatione hac 3. p. q. 72. art. 7. ad 2. & loquendo de Eucharistia q. 79. art. 3. verbis infra referendis.

16. Præterea arguit: nam quod aliqua causa non producat effectum quem ex se producere posset, propter subiecti indispositionem, est peraccidens: sicut ignis, qui per se habet producere calorem ut octo, si aliquando non producit ob impedimentum, & indispositionem subiecti, dicimus id esse peraccidens. Et in moralibus illud, quod euenit solum supposita ignorantia, dicimus euenire peraccidens: quia ut dicit Phylosophus 2. Physicorū, hoc dicimus peraccidens esse, quod est præter intentionem agentis: quæ adesse nequit vbi non est cognitio: ideoque, per se loquendo, non datur bellum iustum ex vtraque parte: peraccidens tamen, ignorantia supposita, potest dari. Sed quod sacramenta viuorum causent primam gratiam, cum directè sint instituta ad dandum augmentum gratiæ, prouenit ex indispositione, & impedimento suscipientis, & ex eius ignorantia, quæ excusat à peccato nouo accedere ad hæc sacramenta sine vita gratiæ, & sine indispositione, quam hæc sacramenta exigunt ex sua natura; non solum ut remoueatur prohibens peccatum; sed ut iuxta dispositionū inæqualitatem, inæqualiter effectus participetur. Ergo non conuenit illis per se, sed peraccidens, propter tale impedimentum, ac indispositionem.

17. Tertio probatur, & euertitur fundamentum contrarium: nam sacramenta sunt signa ad placitum, & ita omnem vim significatiuam, & causatiuam, quam habent, debemus asserere illis conuenire ex libera institutione Dei, & Christi: vnde si ex institutione per se non conuenit, vel non conueniet; vel conuenire, erit peraccidens. Sed ex Dei, & Christi institutione non colligitur hoc conuenire per se omnibus sacramentis; imò in illa oppositum videtur indicari. Ergo sacramentis viuorum non conuenit per se causare primam gratiam. Cætera patent: & minor quoad primam partem probatur: nam illa propositio doctrinalis, sacramenta causant gratiam, in omni rigore verificatur, si abstracte supra, abstrahat à gratia prima, vel secunda, à gratia sanctificante, vel sacramentali: & supra specificè, vel concrete, verificetur per distributionem accommodam, quod sacramenta mortuorum causent primam, & sacramenta viuorum causent secundam, & quælibet suam gratiam sacramentalem.

Quod ita esse dicendum, constat ex Concilio Florentino, quod illam loquutionem vul-

uniuersalem, sic sigillatim singulis accommodauit. Constat ex Tridentino sess. 7. can. 6. quod explicuit continere gratiam quam significant: & sacramenta viuorum non significant per se primam gratiam. Constat tertio, quia sicut quilibet gradus caloris est verus calor, ita quilibet gradus gratiæ est vere gratia. Ideoque in Sacra Scriptura, qui crescit in gratia, dicitur iustificari: ut Eccles. 18. vers. 22. Ne verearis usque ad mortem iustificari. Et Iacobi 2. vers. 24. Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum? Et Apol. 22. vers. 11. Et qui iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc. Quæ testimonia de augmento gratiæ explicantur à Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 10. Et initio sess. 7. Idem Concilium ait. Consentaneum visum est agere de sacrosanctis Sacramentis; per quæ omnis vera iustitia, vel incipit, vel cepta augetur, vel amissa reparatur. Ergo quamuis Sacramentis nouæ legis per se conueniat causare gratiam, quod ut prima, vel secunda, accidit rationi communi, & conuenit disiunctim, quia quibusdam, ut baptismo conuenit; quod per eum incipiat, pœnitentiæ, ut per eam reparetur, reliquis, ut gratia, quæ inerat, augetur. Non ergo ex institutione colligitur, quod dare primam gratiam, per se conueniat omnibus sacramentis. Licet interdum, ut notat Granados tract. 3. disp. 6. nu. 6. nomine gratiæ intelligatur prima, ut in materia de merito, in qua ad tollendam æquiuocationem, nequis videatur concedere primam gratiam cadere sub meritum cōdigni, contra doctrinam Concilij Trid. Sess. 6. can. vlt. distingui solet gratia, & augmentum gratiæ. Non tamen est, cur augmentum gratiæ non possit appellari absolute gratia, cum sit eiusdem omnino rationis, & essentia cum prima gratia.

Indeque probatur secunda pars minoris, quod potius exinde oppositum colligitur; quia differentiæ sunt extra rationem generis; vnde quod conuenit speciebus, ob peculiaritates, & specificas differentiæ, non est de ratione communi, quæ abstrahit, & præuenit differentiæ. Sed causare per se primam gratiam, ideo per se conuenit præcisè, quia ordinantur directè contra mortem peccati baptismi, & pœnitentiæ. Ego alijs quinque, vel non conuenit, vel non conueniet per se.

Multa alia argumenta congerunt Cabrera, Suarez, & Araujo. Sed multa, quæ parū videntur, & quæ probabiliter diluit Nuño. Nec vacat singulorum efficaciam examinare.

18. Diligenter tamen considerando ver-

ba D. Thomæ q. 79. art. 3. distinctione opus est in hac parte: potest enim aliquid esse per se respectu agentis principalis, & instrumentalis, & respectu virtutis, qua agunt: & potest esse peraccidens per comparationem ad eum, qui recipit sacramentum; prout inuenitur, vel non inuenitur impedimentum percipiendi sacramenti effectum. Siquidem sacramenta non dant gratiam ponenti obicem: & diuersam, & inæqualem conferunt gratiam, iuxta inæqualem dispositionem accedentiū ad recipienda sacramenta.

19. Iuxta hoc ergo dicendum est primo, quod attenda virtute omnium sacramentorum, non peraccidens, sed per se conuenit eis dare primam gratiam: sacramentis mortuorum per se primo, & directè; sacramentis vero viuorum solū per se secundo, & ex consequenti. Hæc conclusio manifestè sumitur ex Diuo Thoma locis relatis nu. 14. Et specialiter loquendo de Sacramento Eucharistiæ illa q. 79. art. 3. Et in 4. dist. 9. q. 1. art. 3. q. 2. vbi ait. Si aliquis per huiusmodi signa facta diligenti discussione suæ conscientia, quamuis forte non sufficienti, ad corpus Christi deuote accedat, aliquo peccato mortali in ipso manente, quod eius cognitionem præterfugiat; non peccat: Imo magis ex vi sacramenti peccati remissionem consequitur. Vnde S. Augustinus dicit in quodam sermone, quod quando corpus Christi manducatur, vivificat mortuos. Id autem quod conuenit, ex vi sacramenti, non conuenit peraccidens. Quod vero conueniat per se secundo, & ex consequenti, sumitur ex D. Thoma in 4. dist. 7. q. 2. ar. 2. q. 3. vbi ait. Vnde in Sacramentis principaliter datur gratia sacramentalis, quæ differt in diuersis Sacramentis; & per consequens gratia virtutum; & donorum, quæ est communis in omnibus sacramentis. Et dist. 23. q. 1. art. 2. docet, quod extremæ vinctio ex consequenti tollit peccatum mortale.

20. Quod igitur dare primam gratiam, non conueniat sacramentis viuorum omnino peraccidens, probatur. Primo, quia si omnino peraccidens conueniret; nullum haberent Theologi firmum argumentum, quo probarent; ita contingere: quia ea, quæ sunt peraccidens, non cadunt sub lege communi: nec aliqua certitudine posset affirmari ita esse.

Secundo, quia nec semper positus omnibus illis circumstantijs, ita contingeret; sicut nec baptismus semper ligat fomitem, nec sanat infirmitates corporales: quia isti effectus peraccidens Baptismo conueniunt; ut ait D. Thomas q. 69. art. 8. Vnde cum Theologi cum D. Thoma concedant ex vi Sacramenti

menti, in illo euentu semper iustificari; non eentent omnibus modis conuenire per accidens.

Tertio, sic comparatur augmentū gratiæ ad sacramenta mortuorum, sicut collatio primæ gratiæ ad sacramenta uiuorū: ut patet ex ipsorum specificis institutionibus. Sed dictum est, quod illis per se secundo cōuenit conferre augmentum gratiæ. Ergo & istis per se secundo conuenit dare primam gratiam.

21 Quod autem attenda ipsorum uirtute, id eis conueniat per se, probatur primo: quia in sacramentis uirtus principaliter causatiua, est uirtus infinita Dei, & uirtus infinita meritorum Christi, & passionis eius. Cuius uirtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem sacramentorum; ut docet S. Thomas q. 49. art. 3. & q. 64. art. 2. & 3. rationem assignans: quia instrumentum habet uirtutem à principali agente. Passione autem Christi, ut causa uniuersali, sumus à peccato liberati: iuxta illud Apocal. 1. *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Quam causam necesse est applicari ad deletionem priorum peccatorum. Hoc autem* (inquit D. Thomas q. 49. art. 1. ad 4.) *fit per Baptismū, & Euententiam, & alia sacramenta, quæ habent uirtutem ex Passione Christi, ut infra patebit; nē pē hic art. 5. Ergo quantum est ex uirtute sacramentorū, omnia, & singula possunt mortalia delere.*

22 Deinde, motio, & qualitas, qua sacramenta eleuantur, causant gratiam sacramentalem, quæ iuxta aliquos, intrinsece nō differt à gratia gratum faciente: & iuxta nostram sententiam, ex vi præsentis prouidentiae, cum illa cōnexionem habet. Sed omnis causa productiua alicuius formæ potest ex sua natura, & per se producere illam formā ubi antea non erat: & illam et, quæ in subiecto carente illa, est productio, si inueniat formam productā, si est capacitas in subiecto, superueniens formæ productæ, eā auget; sicut quælibet demonstratio rationis, procedens ex per se notis, est productiua habitus scientiæ, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 51. art. 3. & tamē si inueniat habitum productum, per eam non aggeneratur alius habitus, sed habitus, qui prius inerat, fit perfectior, ut docet Sanctus Thomas ibi q. 54. artic. 4. ad 3. Ergo sacramenta ex se habent producere gratiam, vel eam augere, si inueniant in subiecto.

23 Tertia pars probatur: quia sacramentorum causalitas conuenit eis ex institutione: & cum causent, & contineant gratiam, quæ significant, ut diximus ex Concilio Tridenti-

no; eo ordine, & perfectate gratiam causant; quo eam significant. Sed sacramenta mortuorum per se primo, & directè, significant causam uiræ, & solum secundario, & ex cōsequenti eius augmentum: sacramenta autē uiuorum per se primo significant augmentum & solum ex consequenti, & propter cōnexionem cum gratia iustificante, & sanante, significant remissionem peccati, quæ causat gratia. Ergo eodem rationis ordine causare intelliguntur.

24 Secundo asserendum est, attenda dispositione, quæ ex diuina institutione exiguntur in sacramentis uiuorum; illa non conferunt primam gratiam per se, sed solum per accidens. Hanc conclusionem probant, que adduximus à n. 15. usque ad 18, & quæ dicemus in sequentibus. Præcipueque legendus S. Thomas q. 79. art. 3. ubi simul utrâque nostram assertionem clarè docet.

§. IV.

Præcipuo dubio respondetur.

25 **R**estat tertia, & præcipua difficultas, & maximè ad praxim conducentis, utrum quinque uiuorum sacramenta in aliquo casu dent primam gratiam?

Negat Ioannes Maior in 4. dist. 9. q. 1. Gabriel Biel ibi, & q. 2. ar. 1. nor. 1. & art. 1. cōclus. 1. Et in Canonem Missæ lect. 8. Vazq. 3. p. disp. 205. à cap. 4. Citatur Alexander Aletius, S. Bonauentura, & Richardus. Sed tamen pro opposita opinione eos refert Soto citandus. Hanc tenent Villalobos tract. 4. diff. 7. nu. 4. Latus Bernal disp. 11. sect. 2. à nu. 25. usque 53. Alij id negant de quatuor sacramentis, & affirmant Extremam uentionem in aliquo casu conferre primam gratiam. Ita Lugo de Euchar. disp. 12. lect. 1. n. 3. & nu. 16. Gaspar Hurtado disp. 3. diff. 4. Ludouicus Mararius de Confirmat. disp. 6. aster. 2. & de Eucharistia disp. 33. lect. 3. Et de Extrema unctiōne disp. 6. lect. 1. §. Tertius est. Quos tamen doctrinæ consequentiā non tenere, latissimè probat Bernal lect. 2. §. 3. à n. 45. usque 53.

26 Aliorum Theologorum communis, & vera sententiā docet, etiam sacramenta uiuorum aliquando conferre primam gratiam. Ita Soto in 4. dist. 12. q. 1. art. 4. ad 5. dicens loquendo de Eucharistia, quod hæc est generalis doctrina omnium Theologorum, ut Alexandri 4. p. q. 46. mēbro 3. ar. 2. S. Bouau. in 4. dist. 9. art. 2. q. 3. Richardi ibidem art. 2. q. 1. Durandi q. 4. Idē docent ibi Paludanus, Capreolus.

Ius. Et Caietanus 3. p. q. 79. ar. 2. Cabrera hic ar. 1. disp. 2. §. 3. n. 30. dicens Theologorū communem. Nuño diff. 2. Ruyz dub. 2. conc. 2. Araujo art. 6. dub. 1. Serra ar. 1. dub. 3. conc. 3. Victoria de Eucharistia nu. 77. Ioannes à Cruce de Sacram. q. 2. dub. 2. conc. 3. Petrus Soto lect. 12. de Euchar. Et S. Antonin⁹ 3. p. tit. 14. cap. 12. §. 6. Et iterum Araujo q. 79. art. 8. dub. 1. Suar. disp. 63. lect. 1. Et uniuersaliter ipse Suarez disp. 7. lect. 2. Henriquez lib. 1. cap. 12. n. 6. Coninch art. 1. dub. 2. nu. 42. Granados tract. 3. disp. 6. nu. 6. & in particulari (nis locis loquendo de singulis Sacramentis. Bonacina disp. 1. q. 4. pūcto 2. n. 2. Reginaldus, Layman, Motelinos, Ludouicus de S. Ioāne, & Diana, quos refert, & sequitur Leander à SS. Sacramēto tract. 1. disput. 3. q. 5. Trullench lib. 1. c. 4. dub. 3. & alij communiter.

27 Probatur primo ex D. Tho. cuius est expressa sententiā, loquendo de Eucharistia in 4. dist. 9. q. 1. ar. 3. q. 2. uerbis relatis n. 19. Et de Confirmatione dist. 7. q. 2. art. 2. q. 1. 2. & 3. Loquēdo de Extrema unctiōne, dist. 23. q. 1. art. 2. ait. *Sed quia hoc robur gratia facit, quæ secum nō compatitur peccatum; ideo ex consequenti, si inuenit peccatū aliquod, vel mortale, vel ueniale, quoad culpam, tollit ipsam; dū modo non ponatur obex ex parte recipientis; sicut etiam de Eucharistia, & Confirmatione supra dictum est; ideo Iacobus de remissione peccati cōditionaliter loquitur, dicens: Si in peccatis sit, dimittuntur ei, quoad culpam; non enim semper delet peccatum, quia non semper inuenit; sed semper remittit, quoad debilitatem prædictam, quæ quidam reliquias peccati dicunt.* Et art. 3. q. 2. & dist. 24. q. 2. art. 2. ad 1. & q. 7. d. Malo art. 1. ad 14.

28 Similia habet 3. p. q. 72 ar. 7. loquēdo de Confirmatione, ut legenti erit conspicuum (non de Eucharistia, ut incuria nō uidentis textum D. Th. scribit Bernal n. 36.) ad 2. sic ait. *Et sic aliquis adultus in peccato existens, cuius conscientiam non habet, vel si eam non perfectè contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento, consequetur remissionem peccatorum.* Loquitur de iustificatione ex opere operato; siquidem expresse loquitur de iustificatione per gratiam in sacramento, quod confert gratiam ex opere operato.

Loquendo de Eucharistia q. 79. art. 3. ait. *Potest tamen hoc sacramentum operari remissionem peccati dupliciter. Vno modo non perceptum actū, sed uoto; sicut cum quis primo iustificatur à peccato. Alio modo etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cuius conscientiam,*

& affectum non habet. Forte enim primo nō fuit sufficienter contritus; sed deuote, & reuerenter accedens, consequetur per hoc sacramentum gratiam Charitatis, quæ contritionem perficit, & remissionem peccati. Hæc S. Thomas. Cuius uerba ad intentum sunt expressa: quod difficultatis continent, pertinet ad tractatum de Eucharistia.

29 Rationes tres, vel quatuor indicantur à D. Thoma, & iam sunt in toto dubio inuauatæ. Prima ex num. 21. quia uirtus Dei, & merita Christi, & uirtus passionis eius, que nobis applicantur per sacramenta, de se vim habent ad conferendam gratiam remissionem peccati mortalis: ergo si aliunde oppositum non colligatur, dāt de facto remissionem peccatorum.

Secunda ex nu. 22. quia gratia sacramentalis, & gratia iustificans, secundum Auctores multos prioris sententiæ, identificantur: & iuxta ea, quæ diximus, connexionem habent: quia qui iustus non est per gratiam, nō est idoneus, nec capax effectus primarij aliorum sacramentorum: quia qui non uiuit ipsi ritualiter per gratiam, non est capax spiritualis nutrimenti, nec spiritualis roboris: & sic de alijs. Sed per omnia, & singula sacramenta confertur gratia sacramentalis: ergo & datur gratia gratum faciens: sed per illam iustificatur homo à peccatis mortalibus: iuxta illud ad Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Ergo cum homo inuincibiliter ignorat, se esse in peccato mortali, ex consequenti per gratiam collatam vi sacramenti consequetur mortaliū remissionem.

30 Tertio ex dictis nu. 11. nam sacramenta, quæ per se primo, & directè ordinantur ad dandam primam gratiam, si per accidens eam inueniant in subiecto, per se secundo, & ex consequenti conferunt eius augmentū: & quamuis institutio unum directè expresse sit, dicimus aliud implicite, & secundario, & ex consequenti ibi contineri: pariter ergo sacramenta, quæ directè, & per se primo sunt instituta ad augendam gratiam, secundario, & ex consequenti dant gratiam, ubi eam non inueniunt: quia Dei perfecta sunt opera.

Quarto, sacramenta omnia nouæ legis conferunt semper, & omnibus gratiam, non ponentibus obicem: Sed iste non ponit obicem gratiæ: nam ignorantia circumstantiæ à peccato excusat, adhibita debita diligentia; præcipue quando est talis circumstantia, cuius certitudo plenè haberi nō potest. Quod autem homo sit omnino à peccato inuauis, per certitudinem sciri non potest: lux-

ta illud 1. ad Corint. 4. *Nihil mihi conscius sit, sed non in hoc iustificatus sum.* Ergo non accedit indigne, cum peccatum eius cognitione subterfugiat. Ergo ex vi sacramenti peccati remissionem consequetur. Est ratio D. Tho. in 4. dist. 9.

30 Respondent istum esse indignum ratione præcedentis peccati, propter quod est in veritate spiritualiter mortuus: sibus autem non competit nisi viuenti: unde si carens vita spirituali ad Eucharistiam accedat, accedit cum obice: quia obex est carentia dispositionis re ipsa requisita. Sicut si quis accederet ad baptismum, vel poenitentiam sine vera attritione, inuincibiliter existimans se esse attritum, in rei veritate non iustificaretur: quia non habet quæ Concilium requirit ad iustificationem obtinendam per sacramentum: & tamen ignorantia inuincibilis excusaret à nouo peccato: ergo non obstante, quod non ponat obicem de nouo, non recipit gratiam huius sacramenti, quia ad illud fructuose recipiendum, impedimentum non est ablatum.

31 Secundo retorquent paritatem: nam ex eo, quod sacramenta mortuorum dēt aliquando augmentum gratiæ, malè inferitur, quod sacramenta viuorum etiam dent primam gratiam. Quod malè inferri, probatur primo, quia antecedens à tota recipitur Ecclesia; consequens tamen autoritate vrgente desinitur; cū alioqui res grauissima sit. Secundo: nam incomparabiliter maius est, peccatori, & inimico gratiam concedere; quam iusto, & amico augere: quippe in priori euentu, non solum reperitur gratiæ infusio, sed etiam diuinæ offensæ remissio. Et extra sacramentum, offensæ remissio non cadit sub merito condignū, & tamē augmentum gratiæ cadit sub merito condignum hominis iusti. Unde illatio est similis formæ cum ista. *Quisquis per se loquendo valet sustinere turrim, valet peraccidens sustinere lapillum: ergo quisquis per se valet sustinere lapillum, valebit peraccidens sustinere turrim.* Ista illatio ideo est peruersa; quia licet à maiori ad minus benè valeat; non tamen è contra valet à minori ad maius: Ergo pariter ex eo, quod sacramenta quædam dent augmentū, quæ instituta sunt ad primam generationē; non licet inde inferre, quod alia valeant primo generare.

Tertio: sacramenta mortuorum simul dant gratiam, & augmentum; quia instituta sunt vt dent gratiam, & maiorem gratiam, cum meliorem dispositionem inuenerint. Sacramenta vero viuorum solum sunt indi-

tuta pro viuentibus spiritualiter. Unde paritas non tenet. Sicut non benè valet. *Quod nutritione producitur, eiusdem rationis essentialis est, cum eo, quod producitur generatione 3 sed omne animal potest per se nutritionem efficere: ergo omne animal potest aliquando generare.* Quod aperte est falsum, quia plus exigitur ad generationem, quam ad nutritionem.

32 Tertio principaliter arguunt, quia prima gratia, & est in se effectus nobilissimus, & omnium sacramentalium lōgè prætantissimus; & à Dei voluntate, & libera Christi institutione dependens: proinde non eum possumus alicui sacramento assignare, nisi vel ex ipsius sacramenti natura, & institutione: vel ex Ecclesiæ definitione, vel traditione, vel ex Ecclesiæ definitione, vel traditione, saltem per efficacem illationem cōstet. Quod hic non constat ex primo capite, est perspicuum: siquidem hoc ipso quod hæc sunt sacramenta viuorum, indicatur non prodesse suscitandis mortuis: vt patet ex similitudine subditorum vitæ corporalis: qua similitudine Concilium Florentinum, & D. Thomas, & Theologi omnes, explicant Sacramentorum effectus. Dismissio, aut traditio Ecclesiæ, ad hoc non affertur. Ergo gratia, & sine fundamento affirmatur.

33 Denique, quia in hoc euentu non datur gratia ex opere operantis: alioquin sine sacramento daretur, & sufficeret ad salutē; & etiam, quia non adest dispositio ipsi gratiæ proportionata, & cum ipsa vitimo connexa, & ab ea inseparabilis iuxta præsentem prouidentiam: quæ prædicata attritioni non competere, per se notum est. Nec datur prima gratia ex opere operato: quia non confertur virtute sacramenti iuxta diuinam institutionem facti, atque suscepti: quia dispositio, diuina institutione requisita, non adest in veritate, sed solum putatiue: & sicut non adest institutio vt sacramenta mortuorum cū attritione solum existimata conferant tū effectum; ita nec adest, vt sacramenta viuorum dent gratiam ei, qui existimatur viuus, cum in rei veritate sit mortuus per peccatum, quod non agnoscit. Nec formæ istorum sacramentorum hoc significant primario, aut secundo. Ergo sacramenta viuorum in nullo euentu conferunt villo modo primam gratiam.

34 Hæc argumenta retorqueri possunt; in primis in communi, quia ipsi non negant, nec negare possunt, quod Deus potuit dare sacramentis hanc vim secundariæ institutionis, vt etiam sacramenta viuorum aliquando iustificent. Et in illo casu instantur argumenta. Quod autem cum fundamento credamus

mus Deum de facto ita instituisse, nostræ conclusionis fundamenta conuincunt, & est coniectura non leuis: nam frequētissimè accidit, quod ille, qui est in peccato mortali, cuius habet ignorantiam inuincibilem, conetur ad contritionem, & eā in re non habeat: & tamen pro remedio deuote, & reuerenter accedat ad communionem: ergo credendum est Deum voluisse, quod Christus, qui est ibi sacramentaliter, & substantialiter præsens, eū viuificet spiritualiter.

Secundo, sæpè accidit, quod ægrotus proximo morti nequeat aliud sacramentum accipere nisi Extremam unctionem: & in illis angustijs difficillimum est elicere contritionem: ergo credendum est; clementiam diuinam instituisse, vt hoc sacramentum illi subueniat. Et hoc sibi persuadent fideles, cum adeo solliciti sunt non discedere sine Extremam unctione; quamuis non sit sacramentum tantæ necessitatis, sicut baptismus, & poenitentia. Si autem id conceditur Extremæ unctioni; non est cur Eucharistiæ negetur, quæ ipsum fontem gratiæ, & vitæ continet. Et sicut de illa dicitur: *Si in peccatis sit, remittitur ei: ita Ecclesia petit, quod Eucharistia sit ablatio scelerum.*

35 Tertio, Gabriel Biel, & qui eum sequuntur, cum Gerione tract. de pollutione nocturna cōsid. 2. dicunt, pium, & probabile ex benignitate diuina peccatorem illustrandum, & auxilio diuino mouendum vt conuerteretur. Contra quod arguit Soto, quod nulla est lex vtilis effectus benignitatis diuinæ semper obueniat: quare potest accidere talis nouus motus in mente susipientis sacramentum, & potest non accidere. Ergo multo solidius affirmamus, hæc habere sacramenta nouæ legis ex Dei institutione secundaria, & ex Christi meritis: quia hoc magis commendat Dei clementiam, & auget nostrorum sacramentorum dignitatem, & excellentiam.

36 In particulari ad primum dicitur, quod peccatum præcedens facit indignum, quod non manet formaliter, vel virtualiter; si cum attritione contritio cum voto sacramenti, quando adest confessoris copia, facit vt dignus accedat, & auferit impedimentum præcedens, quia voluntatem mutat, & cor contritum, ita attritio in suo ordine, quia cum sacramenta nouæ legis conferant gratiam, faciunt ex attrito contritum. Quod probat Cano in Relect. de sacramentis parte quinta, §. Tertio discrimen: quia conferre id insinuat, dare scilicet, quod non habebas: ostensum est autem gratiam nobis conferri per nouæ le-

gis sacramenta. Et quia meritum Christi applicatur per nouæ legis sacramenta: quare sine nostro proprio merito per meritum Christi applicatum per sacramentum, iustificabilis mur. Et ideo non accedit indigne; quia Deus non petit vt sit in gratia; sed vt humanam adhibeat diligētiam, vt sit in illa. Quamuis autem non possimus esse certi infallibiliter, seclusa Dei reuelatione, nos esse vere contritos; sicut nec possumus scire esse in gratia: possumus tamen facilius certificari nos habere attritionem: & quia hæc, in re existens, est minimum, quod Deus exigit ab homine; vt fructuose recipiat sacramenta, non est aliud dolor inferior quo suppleri possit: alioquin de illo rediret idem argumentum: & sic infinitum. Unde quauis nunquam homo iustificetur cum sacramento Poenitentiae sine attritione in re existente, non sequitur, quod attritio cum sacramento viuorum, existimata contritio, non sufficiat facere ex attrito contritum. Vtrum autem possit dari casus in quo, nec peccet accedens indigne, nec iustificetur? Non est vna omnium sententia, imò ipsi Thomistæ dissentiant: siquidem affirmat Caietanus, & negat Soto: de quo q. 79.

37 Ad secundum approbamus illam rationem communem Authorum nostræ sententiæ. Ad primam Impugnationem dicimus, quod cum probatio debeat esse à nobilioribus, & certioribus, rectè arguemur assumendo antecedens ab omnibus receptum, vt legitima illatione inferamus consequens à maiori parte Theologorum acceptatum, vt impugnemus eos, quos extra gregem aberrare libuit. Nec tamē volumus tantam certitudinem dare conclusioni, quantam habent præmissæ. Ad secundam Impugnationem libenter fatemur ex parte facti, se se incomparabiliter maius iustificare impiū, quam iusto gratiam augere: ex parte tamē causæ principaliter facientis, omnia sunt æqualiter facilia, quia dicit S. Thomas 1. p. q. 105. art. 8. *quod quodcumque factum diuinæ potentie comparatum est minimum:* Et S. August. epist. 3. ad Volusianum, *in rebus mirabiliter factis, tota ratio facti est potentia facientis.* Nec nos arguemur, quod si Deus facit minimum, debeat facere maius. Sed supposito, quod ei omnia sunt possibilis, & quod potuit sic instituire, & discernere, ad colligendum ita voluisse, & hanc voluntatem implicitè, & secundario in reuelatis contineri, arguemur, quod sicut sacramenta directe instituta ad dandam vitam, sunt ex consequenti instituta ad illam augendam; quamuis ad hoc

hoc minus sunt alia sacramenta directe instituta: ita à commutata à proportione, sacramenta directe instituta ad augendum, & roborandum; possunt ex consequenti esse instituta ad viuificandum: præcipue panis & uini, qui viuificat mortuos.

Ad tertiam dicimus paritatem naturalis cibi non in omnibus tenere: iuxta illud: *Nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me: ut dixit Dominus S. Augustino.* Nec mortui spiritualiter per peccatum, sunt ita penitus extincti ut non retineant fidem, & sint capaces auxillorum supernaturalium, quibus atterantur, & ita deuote accedant ut penitus viuificentur.

38 Ad tertium concedimus maiorem, & negamus minorem. Et ad primam probationem dicimus, directe, & principaliter esse instituta hæc sacramenta ad augendam vitam, & secundario, & ex consequenti ad eam primo dandam: sicut è contra, quæ directe, & primario deferuntur ad regenerandum, & resuscitandum, etiam ex consequenti proficiunt ad augendum, & roborandum. Ad secundam probationem dicitur, quod si extaret traditio Ecclesiæ, aut Conciliorum diffinitio, esset doctrina conclusionis immediate de fide. Quia tamen præter auctoritatem S. Thomæ, & communem Theologorum (quibus suffragari in quaestione ad factum pertinente, cordati Theologi est) argumenta plusquam probabilia attulimus, ideo ferme certitudinem moralem merito nostram doctrinam habere pronuaciamus.

39 Ad quartum dicimus dari in istis euentibus primam gratiam ex opere operato: quod indicat S. Thomas illis verbis *ex vi sacramenti*, ut loquitur dist. 9. & illis verbis *ex q. 72. per gratiam collatam in hoc sacramento.* Et ita hoc priuilegium sacramentis nouæ legis conuenit ex Dei, & Christi institutione, & significatur in materijs, & formis sacramentorum, in quibusdam directe, & primario, in alijs ex consequenti, & secundario, & propter connexionem gratiæ sacramentalis cum gratia gratum faciente: & ideo in sacramento Ordinis cum gratia sacramentali datur Spiritus Sanctus ad ostendendum coniunctionem gratiæ sacramentalis cum gratia sanctificatæ: videatur S. Th. 1. p. q. 43. ar. 7. ad 6.

40 De inæqualitate gratiæ à sacramentis exhibitæ, dicitur q. 65. Et de inæqualitate ex inæqualitate dispositionum, videatur S. Th. q. 69. ar. 8. Et de intentione recipiendi partem ex dicendis q. 64. de intentione ministrandi.

DVBIUM VII.

Vtrum sacramenta veteris legis gratiam causarent?

§. I.

Quorundam antiquorum sententiæ impugnata à D. Thoma.

Non minor difficultas est in ipsa veritate explananda, ac in Doctorum sententijs fideliter referendis. Vazquez enim to. 2. in 1. 2. disp. 184. c. 1. n. 2. dicit, totam controuersiam esse de Circumcisione: nam de cæteris sacramentis nullus est Scholasticorum (excepto Paludano) qui dixerit gratiam contulisse ex opere operato.

2 Sed magis credo D. Thomæ, qui in 4. dist. 1. q. 1. ar. 5. refert opinionem dicentium, sacramenta vetera habuisse virtutem significandi ex opere operato, indirectè, & ex consequenti, quasi medijs sacramentis nostris per ea significatis. Pro qua refert Hugonem de S. Victore lib. 1. de Sacram. p. 1. c. 5. & p. 12. c. 4. & 12. Et in Summa tract. 4. c. 1. Pro eadem sententiâ citat Suarez disp. 10. sect. 3. Alexandrum Alensem 4. p. q. 6. m. bro 4. art. 2. S. Bonauenturam in 4. dist. 1. art. 1. q. 5. Et aperte eam docet Durandus in 4. dist. 1. q. 5. quoad Circumcisionem, & Contritionem Sacerdotum: nam hæc duo sacramenta asserit dedisse gratiam ex opere operato. Item Guillelmus de Rubio in 4. dist. 14. asseruit in lege veteri fuisse Sacramentum Penitentiae remittens peccata actualia ex opere operato. Ergo quamuis præcipua difficultas sit de Circumcisione, etiam de reliquis sacramentis sua est controuersia, & varietas opinandi.

3 De Circumcisione vero fere tot sunt sententiæ, quot capita. In primis sunt illæ tres opiniones antiquorum, quas refert, & confutat S. Thomas hic art. 6. ad 3. & q. 70. art. 4. Prima dicentium, quod in Circumcisione non conferebatur gratia; quamuis tolleretur originale peccatum. Ita Magister in 4. dist. 1. Pro qua, & citatur Varro in 1. dist. 41. q. 1. & Glos. quædam ad Rom. 4. Imò Glos. Decreti in c. *Quod autem de Consecratione* dist. 4. indicat in Circumcisione solam poenam fuisse remissam, & non collatam gratiam.

4 Sed hæc non potest esse (inquit D. Thomas hic) quia homo non iustificatur à peccato

to nisi per gratiam: secundum illud ad Rom. 3. *iustificati gratis per gratiam ipsius.* Quæ ratio, licet loquendo de potentia Dei absoluta, assumat aliquid controuersum: de quo 1. 2. q. 113. Tamen loquendo, ut nunc loquimur, de lege ordinaria, est certa, & Theologorum communis: & quæ post Concilium Tridentinum negari non valet.

5 Et ideo alij dixerunt, quod per Circumcisionem conferebatur gratia, quantum ad effectus remotios culpæ; sed non quantum ad effectus positiuos gratiæ.

6 Sed hoc etiã videtur esse falsum (ait D. Thomas) quia per Circumcisionem datur pueris facultas perueniendi ad gloriam: quæ est ultimus effectus positiuus gratiæ. Et præterea, secundum ordinem causæ formalis, priores sunt naturaliter effectus positiuus, quam priuatiui; licet secundum ordinem causæ materialis sit è conuerso: forma enim non excludit priuationem, nisi informando subiectum. Nec concordat hæc sententiâ cū doctrina Concilij Tridentini sess. 6. can. 3. & sequentibus.

7 Et ideo tertio alij dixerunt, quod Circumcisio conferebat gratiam, etiam quantum ad aliquem effectum positiuum, qui est facere dignum vita æterna: non tamen quantum ad hoc, quod est reprimere concupiscentiam impellentem ad peccandum. Ita tenuit D. Thomas in 4. dist. 1. q. 2. q. 3. quamuis opinatiue, & dubitatiue: ait namque: *lij dicunt probabilis, ut videtur, &c.* Iudicatque Sanctus Bonauentura ibi quaestione vltima dicens illam gratiam non valuisse ad profectum.

8 Cæterum S. Thomas hic ad 3. meminit prioris opinionis, & eam expresse retractat. Verba eius sunt, post relatam hanc solutionem. *Quod & aliquando mihi visum est. Sed diligentius consideranti apparet hoc etiam non esse verum: quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum mortale; quod committitur in transgressione mandatorum legis: minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auræ, & argenti.* Hæc S. Thomas.

9 In cuius ratione scrupulum inuenit Vazquez vbi supra in fine capituli primi ita scribens. Si hoc intelligat Diuus Thomas de charitatis habitu, de quo prædicta sententiâ intelligitur, difficile est: nam habitus gratiæ, & charitatis, si desit auxillium mo-

uens, non satis est ad vincendas tentationes, & concupiscentiam comprimendam. Imò si intelligatur de actu charitatis, non quilibet actus tam potest, ut non possit superari, & superetur ab aliqua concupiscentia, aut tentatione. Sed intelligit Sanctus Thomas (inquit Vazquez) auxillium etiam actualis gratiæ cum charitatis habitu.

10 Cæterum in re clara, & per se nota, offendiculum, quod obijcitur, leuissimum est, & parui momenti, & facillime propulsatur, attendendo sermonem esse de efficacia, quæ in via competit habitibus, quibus vtimur cum volumus; ideoque est efficacia per modum actus primi, & habitualis, & est sensus, quod gratia, etiã minima, cum sit diuina nature participatio, & ex natura rei connectatur cum habitu charitatis, quæ inclinatur ad amandum Deum super omnia, ex se vim habet ad resistendum: & per se ipsam dat posse resistere: de quo posse loquitur aperte Diuus Thomas.

Et hoc aperte probatur competere gratiæ ex illo 1. Ioannis cap. 3. vers. 9. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Cum autem sit certum de fide, quod iusti in hac vita, quando non sunt in gratia confirmati, possunt peccare; ideo cum Apostolus, & Euangelista dicit, quod non potest peccare, intelligitur, si gratiæ inclinatio eam sequatur; loquiturque vniuersaliter de omnibus, quia etiã minima gratia est semen Dei, & filios Dei constituit, & templum Spiritus Sancti: qui habitans in iustis liberat eos ab omni peccato; & dat vires ut omni concupiscentiæ resistant.

Iuxta quod idem discipulus, quem diligebat Iesus cap. 4. vers. 4. ait. *Vos ex Deo estis filii, & vicistis eum (nempe mundum) quoniam maior est, qui in vobis est, quam qui in mundo.* Quamuis ergo actualis victoria tribuatur actuali auxillio, quod Deus paratus est dare homini iusto; tamen posse vincere peccatum, & resistere concupiscentiæ, simpliciter habetur per minimam gratiam, quia per eam sumus ex Deo nati per inhabitatem spiritum eius in nobis, qui & infundit Charitatem, quæ fortis est ad omnia vincenda.

11 Præterquam quod in sententiâ Vazquez, auxilia actualis gratiæ non sunt efficacia ab intrinseco, sed ab extrinseco futuro consensu connotato: quem non semper habitum si sunt illi, qui maxima gratia habituali, & co-

piofissimis illustrationibus, & pijs affectionibus præueniuntur: de quibus tamen verificatur, quod possunt vincere peccatum, & resistere cuilibet concupiscentiæ. Ergo & si dicamus S. Thomam loqui de gratia habituali, & de auxilio actuali ut actu oblato, licet nõ ut actu dato, & recepto, nihil diminuitur efficaciam rationis D. Thomæ.

12 Denique, etiam per baptismum non datur gratia semper vincens concupiscentias cum effectu, nec vincens peccata mortalia: quia licet, ut docet S. Thom. q. 69. art. 3. ad 1. *minima gratia baptismalis sufficiens sit ad delenda cuncta peccata præterita, & vitanda futura, & vincendas concupiscentias*: tamen cum usus gratiæ habitualis pendeat à libero arbitrio: ideo dicit ad 2. quod *etiam si duo baptizati æqualem gratiam habitalem percipiunt, non æqualiter ea utuntur: sed unus studiosius in ea proficit, alius per negligentiam gratiæ Dei deest.* Et tamen illa sententia, quam in Summa impugnat D. Thomas, intendebat, quoad hoc, assignare differentiam inter gratiam collatam in circumcissione, & illam quæ datur in baptismo, affirmando istam vincere peccatum, & reprimere concupiscentiam; quas excellentias illa gratia data tempore circumcissionis, non habebat. Ergo cum efficaciam gratiæ Baptismi non sit semper coniuncta cum auxilio efficaci Dei, non potest de hac efficaciam exponi D. Thomas. Undique ergo deficit expositio Vazquez.

§. II.

Opinio negans in circumcissione datam gratiam iustificantem.

13 **P**ostquam relatæ, & reiectæ opiniones ab scholis exularunt, aliæ sunt exortæ, vel repullularunt, quæ magnas radices miserunt, ita ut vsque hodie vigeant, & vireant. Non de omnibus, sed solum de præcipuis letorem instruere curabimus. Prima absolute negat circumcissionem, & reliqua antiqua sacramenta fuisse causas gratiæ, nec phycas, nec morales; imò nec conditiones sine quibus non, habentes infallibilem Dei promissionem de gratia comitante tunc à Deo dàda: & propterea vocat Apostolus sacramenta vetera infirma, & egena elementa: quia ratione sui nihil efficiebant; sed solum ratione fidei propriæ, vel alienæ. Tenent Magister, S. Bonaventura, & Richardus, & alij, quos retulimus q. 61. dub. 3. n. 9. & ad aliud intentum diximus cum D. Thomæ eorum sententiam esse probabiliorum.

In terminis docet Cano Relectio de sacramentis quarta parte conc. 8. & quinta parte, in quinque differentijs, ex lex, quas assignat inter sacramenta noua, & vetera. Bellarminus lib. 2. de Sacramentis cap. 14. & 15. & 16. Vazquez 1. 2. disp. 130. cap. 2. & disp. 184. c. 3. & obiter hic art. 6. & disp. 165. cap. 5. ad 4. n. 50. Martinius disp. 4. de sacramentis. Bernal disp. 14. sec. 1. non bene pro se referens Suarez, Granados, & Lugo, & alios: cum illi sententias concilient: & Bernal sec. 3. §. 2. & 3. inconciliabiles esse contendat.

14 Probant primo ex Sacra Scriptura: nam Apostolus ad Galat. 4. ver. 9. omnia vetera sacramenta vocat *elementa infirma, & egena.* Nec potest (inquit Cano) ab hoc Pauli testimonio excipi circumcissio, de qua præcipua erat cum Galatis controversia, cuiusque causa tota illius epistolæ disputatio textitur. Et ad Rom. 3. ver. 20. idem Apostolus ait: *ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo, id est, coram Deo non verè iustificabant ex opere operato opera legis.* Ideo quæ Hebræos 7. ver. 18. docet mandatum recipiendi vetera sacramenta reprobatum fuisse, *propter eius infirmitatem, & inutilitatem*: & hac de causa verificatur, quod *nihil ad perfectum adduxit lex.* Quia tantum est *umbra futurorum* bonorum, ut docet Apost. ad Col. 2. ver. 17. & similia passim habentur in Sacra Scriptura.

15 Præterea principaliter probatur ex Decreto Eugenij 4. in Concilio Florentino post sessionem vltimam, in §. *Quinto Ecclesiasticorum*, ubi loquendo de sacramentis nouæ legis, ita decernit: *quæ multum à sacramentis differunt antiquæ legis: illa enim non causabant gratiam, sed solum per passionem Christi dandam figurabant: Hac vero noua, & continent gratiam, & eam digne suscipientibus conferunt.* Cui ergo in opinione D. Thomæ, & communi sacramenta nouæ legis causent gratiam phycè; & in opinione Cano, & recentiorum, eam causent solum moraliter, ut differentia à Pontifice assignata, verificetur in omni opinione; negandum videtur circumcissionem, & alia sacramenta nouæ legis habere vim causatiuam gratiæ, non solum phycè, sed & moraliter.

16 Tertio principaliter probatur ex Patribus, quorum viginti testimonia refert Bellarminus lib. 2. de sacramentis cap. 15. & post eum alij. In primis Sanctus Iustinus Martyr in Dialogo cum Triphone, paulò ante medium, loquendo de Abrahamo ait. *Encircissionem*

non accepit ad iustificationem, sed tantummodo in signum. Quod vel ex eo licet intelligere, cum femininarum genus carnalem circumcissionem assumere non queat; satis ex eo apparet, eam datam esse in signum, non autem ad iustitiam. Quidquid enim ad iustitiam, & virtutem pertinet, etiam feminis Deus dedit, & ex æquo seruare possent. Idem asserit S. Iræneus lib. 4. cap. 30. & S. Epiphanius hæref. 80. & 30. & S. Chrysost. homil. 27. in Genesante medium. Et hom. 39. & 40. & homil. de proditore, & ad Rom. 2. homil. 6. & ad Hebr. homil. 14. Item Tertullianus lib. 1. contra Iudæos nõ procul à principio. S. Cyprianus lib. 1. contra Iudæos cap. 8. S. Ambros. ad Roman. 4. ad illa verba: *Signaculum iustitiæ fidei.* Et epist. 72. ad Iræneum; ait. *Signum circumcissio corporalis; veritas circumcissio spiritualis; illa membrum amputat; ista peccatum.* Idem docet lib. de ijs; qui mysterijs initiantur cap. 8. & 9. & lib. 1. de sacramentis cap. 4. & lib. 1. de Abraham cap. 4. Pariter S. Hieronymus Itala 1. docet caeremonias Iudaicas Deo non placere, sed baptismi laucrum; *quod solum potest purgare peccata.* Quod latius prosequitur super cap. 3. Epist. ad Galatas.

Demum accedit, quod Phylotomo 2. libro de circumcissione, & Iosephus lib. 1. antiquitatum cap. 12. numerant causas circumcissionis notas in populo Iudæorum: & non faciunt mentionem huius causæ; quæ si reuera esset, absque dubio esset potissima, nempe delere peccatum originale conferendo sanitatem. Si autem ad hoc Deus circumcissionem instituit, fidei populo tunc hoc reuelasset: Iudæique in suis libris referre nõ omisissent; cum cederet in suæ gentis laudem, & instructionem.

17 Rationes plures solent proponi. Prima ex D. Thomæ q. 62. artic. 6. Nam sacramenta non conferebant gratiam iustificantem per se ipsa, id est, propria virtute; quia sic non fuisset necessaria passio Christi: secudum illud ad Galat. 2. *Si ex lege iustitia, Christus gratis mortuus est.* Sed nec ex passione Christi habebant virtutem conferendi gratiam iustificantem: quia sacramenta nõ causant finaliter, & per actum animæ: sed per usum exteriorum rerum; ideoque causant instrumentaliter. Illud autem quod nondum est in rerum natura, non mouet secundum usum exteriorum rerum: vnde causa efficiens non potest esse posterior in esse ordine durationis, sicut causa finalis. Cui igitur antiquo tempore passio Christi nondum fuisset exhibitæ, à passione Christi, quæ est causa huma-

næ iustificationis, non deriuabatur virtus iustificatiua ad sacramenta veteris legis.

18 Sed dices, rationem hanc videri parum efficacem: quia quamuis sacramenta antiqua non cauauerint gratiam instrumentaliter phycè: quia ad hoc genus causalitatis requiritur phycæ existentia: tamen potuerunt causare moraliter: quia hoc genus causalitatis se potest extendere ad antecedentia: sicut Patres antiqui acceperunt extra sacramenta gratiam iustificantem per fidem Christi venturi: sine quo nullus fuit saluus: vnde Sanctus Iustinus oratione ad Antoninum, vocat Christianos omnes, qui ante aduentum Christi per eum saluati sunt: *Quod & docent alij Patres, quos refert Varonius tomo primo in Apparatu ad Annales cap. 1.* Hoc autem sufficit ut sacramenta antiqua dicantur causare gratiam: sicut ad in finem de Baptismo recedente fictione.

Præterea, ut sacramenta antiqua non dicantur egena, & vacua, sufficit quod habuerint vim cauandi gratiam ex opere operato, etiam si eam nõ causent eo modo quo nostra sacramenta: sicut Baptismus habet vim remittendi totam poenam peccatis debitam: & tamen remissio poenæ non causatur phycè, sed solum moraliter. Similiter Eucharistia, in quantum sacrificium causat ex opere operato, ut docet Diuus Thomas in quarto distinctione 45. quæst. 2. artic. 1. quæstionem 3. & artic. 3. quæst. 1. ad tertium, & articulo 4. quæst. 3. Et tamen, ut sic, non causat phycè, quia se extendit causalitas sacrificij ad liberandas animas à poenis ignis Purgatorii: & intuitu sacrificij obtinetur auxilia diuina, in quæ non datur causalitas instrumentalis phycæ.

19 Duplici via potest explicari huius rationis efficaciam. Primo cum Caietano, Soto, Valentia, & alijs, quos retulimus dub. 2. & 4. & sequuti sumus, ut omnino ad mentem Sancti Thomæ, asserendo, quod quamuis in sacramentis antecedenter, vel comitante interueniat causalitas moralis: tamen formaliter, & per se, & non digrediendo ad ea, quæ sunt per accidens, solum inuenitur causalitas phycæ: & omnis alia causalitas, quæ ibi cogitatur, non transcendit rationem igni actus intuitu cuius fit iustificatio: quia licet bona opera moueant moraliter, vsus tamen rerum exteriorum solum mouet ut signum.

Sufficiens ergo, & iuxta subiectam materiam, efficaciter, ex eo quod antiqua sacramenta non causabant phycè intulit S. I. ho-

mas solum fuisse signa fidei iustificantis. Vnde ad 3. concludit, quod circumcisio, sicut & alia sacramenta veteris legis, erat solum signum fidei iustificantis. Vnde Apostolus dicit ad Rom. 4. quod *Abraham accepit signum circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei.* Quoad hoc autem par ratio est de alijs sacramentis, & sacrificijs legis antiquæ. Vnde S. Thomas 1. 2. q. 103. art. 2. ait. Et ideo pro peccatis offerbatur sacrificia quedam in veteri lege; non quia ipsa sacrificia à peccato mundarent; sed quia erant quedam protestationes fidei, quæ à peccato mundabant. Et hoc etiam ipsa lex innuit ex modo loquendi: dicitur enim Leuitici 4. & 5. quod in oblatione hostiarum pro peccato, *orabit pro eo sacerdos, & dimittetur ei: quasi peccatum dimittatur, non vi sacrificiorum; sed ex fide, & deuotione offerentium.*

20. Alia via Cano in Relec. parte 4. cõc. 8. in fine, & parte 5. §. *Quintum deservimen,* & alij Authores causalitatis moralis; cum quibus quoad hoc conuenit Suarez disp. 3. o. sec. 2. in fine, explicant rationis efficaciam: quia nostra sacramenta rectè dicuntur continere gratiam Christi, quia iam Christus illa promeruit; & pretium illius persoluit; arque eam in sacramentis moraliter reliquit. At vero ante aduentum Christi non potest propriè gratia moraliter contineri in sacramentis; quia non iam erat pretium illius gratiæ solutum; & ideo in se non continebant moraliter. Sicut si constituamus hominem, qui ad obtinendam mercedem offerat testimonia earum rerum, vel actionum, quas iam operatus est; alium vero, qui ostendit scripturam continentem promissionem futurorum laborum; merito dicemus, prius instrumentum continere iam ipsum pretium; & moraliter esse efficax ad dandum illud; posterius vero esse de se inefficax: quamuis interdum ex aliqua speciali cõcessione possit pretium obtineri, seu anticipari. Et quia in baptismo præcesserunt merita Christi ex iustitia satisfaciẽtis, & volentis dari per eum gratiam infallibiliter omnibus non ponentibus obicem; ideo dixit Cano, ibi fuisse pactum iustitiæ; id est, iunctum merito Christi, & satisfactio ni ex iustitia: fuit autem misericordia, quod nondum soluto pretio passio Christi haberet effectum.

21. Tertio à posteriori probant Cano, Suarez, Vazquez, & alij, quia non omnibus; quibus applicabatur circumcisio, temper dabatur aliqua gratia vitæ eorum merita. Imò adulti, qui circumcidebantur, non remittebantur virtute circumcisionis peccata actualia;

nec augebatur gratia: quia ista sunt excellentiæ nostrorum sacramentorum. Ergo non conferebant gratiam ex opere operato.

Prior tamen ratio examinata est in præcedentibus, & contra eam obijcit bene Lugo n. 28. dicens, illa differentiam pretij iam soluti, vel soluendi, parum referre ad rationem causæ moralis: nam si circumcisio continebat merita Christi vt ponenda, proculdubio esset causa moralis, sicut ipsa merita Christi nondum posita, sed ponenda, erant vera causa moralis gratiæ, quæ dabatur Patribus antiquis. ¶ Hæc vero secunda ratio non consonat doctrinæ D. Thomæ quæst. 70. artic. 4. ad 3. & in 4. dist. 1. quæst. 2. artic. 4. quæst. 2. ad 3. dicenti. *Circumcisio etiam tollebat peccata actualia; licet minus principaliter: & ideo de hoc Sancti non loquuntur.* Nec consonat communi Theologorum, quos refert, & sequitur Granados tract. 3. disp. 7. sec. 2. & suo loco est examinanda quæst. 70.

22. Plurima alia contra efficaciam præcedentium rationum, obijcit Bernal disp. 14. sec. 2. §. 1. & ipse §. 2. hanc vnicam rationem firmam indicat. Infantuli veteris legis prius iustificabantur; & postea circumcidebantur: siquidem per parentum fidem accipiebant peccati remissionem; infusamque gratiam cum cæteris donis; & postea circumcisionem, velut olium dominicatum notam; seu signaculum. Ergo non iustificabantur per ipsam circumcisionem. Antecedens probat primo; quia circumcisio instituta est in merum signum: iuxta illud ad Rom. 4. ver. 9. *Et signum accepit circumcisionis signaculum iustitiæ fidei.* Secundo, quia iustificatio, & circumcisio Abraham fuit norma cæterarum: sed iustificatio Abraham circumcisione præcessit: nam instituta fuit circumcisio post quæ Gen. 15. v. 5. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Tunc enim, vt habetur Genes. 17. ver. 10. iniuncta est illi, suisque posteris circumcisio, tamquam gregis dominici, seu Deo credentis in signe. Ergo sicut illa circumcisio signum fuit iustitiæ prius acceptæ, ita cæteræ fuerunt. Tertio, quia puelluli Hebræorum in deserto per quadraginta circiter annos circumcisi non fuerunt. Puellule vero in lege Moysis per fidem parentum iustificabantur. Rursus puelluli nullam ob causam poterant ante diem octauum circumcidi, vt cum Hugone Victorino, & Glosa docet S. Tho. 3. p. q. 70. art. 3. ad 3. & late probat Vazquez disp. 173. cap. 2. Ergo ne dicamus omnes hos sine remedio perijisse, dicendum ante diem octauum iustificari solitos.

Quarto,

§. III.

Opinio quod in Circumcisione conferebatur gratia iustificans.

Quarto, quia D. Tho. 3. p. q. 62. art. 6. & q. 70. art. 4. & alij Scholastici dicunt circumcisionem solum iustificasse ratione fidei, cuius erat signum, & protestatio. At prius erat fides, quam protestatio fidei: ergo prius erat iustificatio paruulorum, quàm circumcisio. ¶ Iam verò, quod plurimi tradunt circumcisione fuisse conditionem, sine qua fides parentum non iustificaret; nec plus habet fundamenti, quàm impressionem insignium Petri esse conditionem; sine qua seruus, aut ovis non valide Petro venderetur; aut donaretur, cum è cõtra prius sit valide vendi, quam emptoris insignia recipere. Nec ideo res est Petri; quia Petri genat insignia, sed ideo ista gestat; quia Petri est.

23. Hæc tamen ratio deficit in omnibus; quæ non desumpsit à ratione D. Tho. quam impugnat n. 22. Primo, quia potuit circumcisio institui in signum; non solum rememorationem fidei præteritæ, sed demonstratiuum fidei, & gratiæ præsentis, & figuratiuum gratiæ danæ per Christum. Posita autem hac institutione, quam Authores secunde sententiæ dicunt suis argumentis probari; hæc omnia euanescent negando primò antecedens: Ad primam probationem, concessio antecedenti, neganda est consequentia.

Secunda probatio retorquetur; quia non bene valet in simili forma: sanctificatio Dei patris, & Apostolorum præcessit eorum baptismum: ergo sanctificatio nostra præcedit nostrum baptismum: ergo quamuis iustificatio Abraham præcesserit eius circumcisione; non sequitur, quod iustificatio filiorum eius præcesserit eorum circumcisionem: quia potuit Deus in præmium meritorum Abraham instituire, quod circumcisio filiorum eius significaret præteritam eius fidem, & præsentem filiorum iustificationem.

Tertio, quamuis circumcisio daret gratiam; poterat alia via gratia obtineri: sicut nunc baptismus dat gratiam, & obtinetur eius voto, & martyrio: vnde tunc alijs fidei protestationibus poterat conferri gratia, quando iuxta legis præscriptum, non erat opportunitas circumcisionis. ¶ Quarto, bene poterat circumcisio esse fidei iugum, & simul demonstrare fidem: quia hæc demonstratio potest esse de presenti, & est practica, saltem committanter. Vel potuit esse mutua prioritas, & posterioritas in diuersis generibus causalium. Denique omnes istæ probationes infirmitur, nã nec in lege gratiæ, in ijs qui cõtriti baptizantur, iustificatio per accidens præcedit baptismum; & tamè per se baptismus significat, & confert gratiam: ergo pariter alij possent dicere.

24. Nilominus alij asserunt in circumcisione collatam gratiam, & ipsam circumcisionem habuisse vim iustificandi ex opere operato. Ita Alexand. Alẽ. 4. p. q. 5. memb. 3. & q. 7. memb. 3. art. 1. Scotus in 4. dist. 1. q. 6. Durand. q. 3. & 7. & 8. Gabr. q. 4. a. 1. Viliob. trac. 4. diff. 6. n. 2. Auertia 3. p. q. 70. sec. 3. citans quindecim Authores: quorum tamen plures solum id docent cum limitationibus infra referendis. Imò refert Suar. & post eum Auertia, & alij frequenter, qui ex priorum citatione transcripserunt, quod Palud. in 4. dist. 1. q. 3. art. 4. etiã physicã causalitatem non dubitauit circumcisioni tribuere. Sed fallitur aperte: nã illa q. 3. art. 4. num. 42. sic ait. *Nullum sacramentum veteris legis, vel nature conferbat gratiam ex opere operato, nisi sola circumcisio; & illa, quæ erat contra originale. Sed circumcisio; & huiusmodi, quæ ex opere operato conferbant gratiam, in hoc differabant à sacramentis nouæ legis; non solum quia minus de gratia conferbant; quia ista; sed etiam quia non conferbant nisi ex diuina pactione; & erant solum causa sine qua non. Et propter hoc; non solum suscipiendo, vt circumcisio; sed etiam offerendo, vel credendo; paruuli diuites iustificabantur.* Ergo in hoc puncto nihil aliud docet Paludenus, quàm docuerunt Scotus, & Durandus, qui dicebant causas sine quibus non; quas moderni appellant causas morales: licet de sacramentis nouæ legis Palud. cõ D. Tho. doceat esse causas instrumentales phisicas.

25. Igaur quod in circumcisione conferretur gratia, probatur primo, quia dicit q. 70. art. 4. §. 1. *Thi quod ab omnibus communiter ponitur, quod in circumcisione peccati originale remittebatur.* Asserti ibi S. Aug. to. 7. lib. 2. de Nuptijs c. 11. ad Valerium cõtra Iulianum dicentem. Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, quæ erat signaculum fidei iustitiæ Dei, ad sanctificationem purgationis valebat paruulis originalis, veterisq; peccati: sicut; & baptismus ex illo cepit valere tempore ad innouationem hominis, ex quo institutus est.

Rationem assignat S. Tho. in 4. dist. 1. q. 2. art. 8. q. 1. *Ne dicamus, quod eis omnino deesset diuinum remedium.* Quæ ratio est Innocentij Tertij in cap. *Maiores, de Baptismo*, vbi docet; quod baptismus successit circumcisioni; cõ hac differentia; quoniam etsi originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium, & ad salutem periculum vitabatur; non tamen perueniebatur ad regnum caelorum, &c. Cõ ergo originalis culpa de facto non deleatur nisi per gratiam, manifestum relinquitur in circumcisione fuisse colla-

Q 3

colla

collatam gratiam.

26 Fuit in hac doctrina tradenda perpetuus, & constans S. August. ut patet lib. 4. de Baptismo cap. 24. & lib. 2. contra litteras Petilianum cap. 72. & clarissime lib. 3. contra Iulianum cap. 18. ubi ita ait. *Responde, si potes, cur ipse Isaac, nisi baptismatis Christi signo circumcisus octavo die fuisset, perisset anima eius de populo suo? Explicat, si potes, cur merito tanta poena plecteretur, nisi ab hac tanto sacramento liberaretur?* Idem docet lib. 5. cap. 9. & lib. 2. de peccato originali cap. 30. & 32. & lib. 16. de Civitate Dei cap. 27. Sequuntur S. Gregorius libro 4. Moral. cap. 2. relatus cap. *Quod apud de Consec. dist. 2. & S. Beda in hom. Circumc. & lib. 1. in Lucam cap. 8. vers. 21. S. Fulgentius lib. de Incarnat. c. 13. S. Prosper inter opera S. Ambrosij epist. 84. col. 5. S. Iudorus in cap. 17. Genes. S. Bernard. serm. 2. de Assumptioe circa finem, & serm. 3. de Circumcisione; & epist. 77. Hugo de S. Victore lib. 1. de sacramentis parte 12. cap. 2. & parte 11. cap. 6. & lib. 2. parte 6. cap. 3. Rupertus lib. 5. de operibus Trinit. cap. 33.*

27 Desumpserunt isti Patres post D. Augustinum, hanc doctrinam ex illo Genes. 17. ver. 14. *Masculus cuius praeputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit.* Vbi sermone est de paruulis, lectio Septuaginta Interpretum declarat: ait namque *circumcisa non fuerit octavo die*: comminatio autem illa; quod *delebitur anima illa de populo suo*: significat separationem à cætu Sactorum: huius autem poenae causa est, quod contraxit peccatum originale, quod est *pactum irritum facere*: videlicet peccando in Adamo: constat enim, quod aliud pactum paruulus octo dierum non est transgressus.

28 Deinde vna ex tribus causis assignatis a D. Tho. 3. p. q. 70. art. 3. ad 1. cur circumcisio convenienter fiebat in membro generationis, est *quia erat in remedium peccati originalis, quod per actum generationis traducitur.*

Demum, sicut docet Apostolus ad Colosenses 2. Circumcisio fuit preparatoria, & figuratiua baptismi. *Circumcisi estis* (inquit) *circumcisione non manufacta in exspoliatione corporis carnis, sed circumcisione Christi, conspulti estis in Baptismo.* De quo Sanctus Thomas quaestione 70. artic. 1. Sicut enim Baptismus est fidei professio; ita & circumcisio est professio fidei. Vnde dicitur ad Romanos 4. c. quod Abraham accepit circumcisionem tamquam signaculum fidei. Vnde & per circumcisionem antiqui aggregabantur collegio fidelium. Sicut ergo antea per fidem iustifica-

bantur, & modo iustificamur baptismo, ita & tunc iustificabantur in circumcissione.

29 Propter quæ, & alia huiusmodi, Quianus in quarto distinct. 1. propos. 13. dicit esse de pæ, quod per circumcisionem remittebatur peccatum originale. Et Nuño quaestione 70. artic. 4. dub. 2. conclus. 3. dicit esse *eroneum, vel proximum errori* negare, quod tunc paruuli iustificarentur per gratiam collatam sine aliquo opere ipsorum.

Alij censent non posse negari sine aliqua temeritate, propter communem sensum Patrum; & omnium Scholasticorum, ut dicunt Durandus in quarto distinct. 1. quaest. 3. numero 9. & Soto distinct. 2. quaest. 1. artic. 4. Suarez disput. 5. lect. 1. conclus. 2. Azor tomo 1. lib. 4. cap. 34. in quarta sententia. Auerla quaest. 70. lect. 1. dicit *id certum ex communi Patrum, & Theologorum*; & quod cum Innocentius Tertius absolute loquutus fuerit simul de Circumcisione, ac de Baptismo; iam eius doctrinæ contradicere non potest. Temporibus etiam Dini Thomæ hæc erat communis Theologorum doctrina. Vnde in quarto distinct. 1. quaest. 2. artic. 4. quaest. 2. ait. *Et ideo ab omnibus conceditur, quod Circumcisio peccatum auferbat; sicut signabat ablationem: & in hoc cum sacramentis nouæ legis quodammodo conueniebat, quia efficiebat hic, quod figurabat.* Quod & docet 3. part. quaest. 70. artic. 4. & Scotus in quarto distinct. 1. quaest. 6. ait, *in primis esse supponendum, tamquam certum, quod circumcisio peccatum originale delebat.*

30 Occurrit tamen Lugo disp. 5. lect. 1. n. 8. docens, quod illa verba Genes. 17. seculsa auctoritate S. Aug. & Innocentij, facilem habent solutionem, cum vis argumenti luminatur ex illa particula, *octavo die*: quæ tamē in nostra Vulgata non habetur. Quare locum illum non de poena æterna, sed temporali, siue mortis, siue separationis à populo Iudæo; quam adultus debebat pati, ob neglectam circumcisionem, explicant communiter Interpretes, ut notat Vazq. disp. 130. c. 2. & Bellarm. lib. 2. de sacram. c. 4. ad 4. Imò idem, qui tenent per circumcisionem remissum fuisse originale, dicunt illam expositionem Augustini non esse litteralem, vt fatetur Petrus super illa verba Genes. ver. 14. Et ipsemet August. lib. 16. de Ciuit. c. 17. dicit posse illum locum aliter exponi.

Adde nec in ipso textu Septuaginta Interpretum iuxta editionem emendatam Iulij Sixti Quinti ita legi, sed paulo aliter, scilicet, *et, qui non fuerit circumcisus masculus, cui non circumcideretur caro praeputij sui, octavo die mictibus anima illa de genere suo.* Vbi dies octa-

uus

uus non refertur ad circumcisionem, sed ad poenam infligendam. Vnde potest, retenta etiam illa particula, intelligi de solis adultis, quibus poena illa imponitur. Pactum autem, quod irritum dicitur fieri, proculdubio est pactum circumcisionis, de quo sermo erat in verbis precedentibus.

Denique, etiam si illa particula, *octavo die*, retineatur, eo modo quod ab Augustino legitur, explicari potest totus locus de poena illa separationis à populo Iudæo, quam debebat subire paruulus, qui ob parentum culpam non fuerat octavo die circumcisus: nam cum circumcisio esset character illius populi, & ianua aliorum sacramentorum, merito excludatur, qui character illo carebat.

Addit Lugo sec. 4. num. 71. & 76. illam explanationem verborum Genes. non solum non fuisse definitam ab Innocentio; sed neque affirmatam, sed solum ex aliorum sententia permissam. Fatetur tamen num. 66. Sanctum Augustinum illa verba Genes. intellexisse quati iaducenda necessitatem Circumcisionis ad illum effectum; sed fundatur in falsa lectione illius textus.

31 Pariter Bernal disputatione 14 sectione 3. §. 4. num. 68. ingenue fatetur Sanctum Augustinum illis in locis apertissime stare pro contraria sententia. Sed super Psalmum 73. stare pro contraria dum afferit: *Sacramenta noui testamenti dant salutem; sacramenta veteris testamenti promississent Saluatorem.* Et epistola 19. ad Sanctum Hieronymum ait. *Cur non dicam præcepta illa veterum sacramentorum, nec bona esse; quia non eis habentes insisterantur? Vtraque enim sunt præannunciantes gratiam, qua iustificamur: nec tamen mala; quia diuinitus præcepta sunt.* Num. autem 74. fatetur Innocentium hæc in re prorsus inhaerere vestigijs Augustini: non tamen vt Pontificem, neque definiendo: quia quaestio erat illi proposita de Baptismo, non de Circumcisione: de ista loquitur per modum exempli, & ad probationem conclusionis definitæ innixus testimonio Genes. cap. 17. quo ad idem adstruendum vius fuerat Augustinus. Summus autem Pontifex, & Generale Concilium, habent quidem assensum Spiritus Sancti in decidendis fidei quaestionibus; sed non in decisionum procedijs, aut probationibus.

32 Ceterum quæuis hæc sufficiant vt opposita sententia liberetur à cæsurâ; non tamen sufficiunt vt sententia expressa Pontificis, & Sancti Augustini, & aliorum Patrum, & Theologorum communis tam facile detur. Et in primis Summum Pontificem adertuē id

docuisse, vel sola textus lectione sit manifestum: nam in interrogatione ibi reata, nulla sit mentio de Circumcisione: vnde in responsione Pontifex, non vt fundamentum contrarium; sed vt probationem suæ conclusionis exemplum de Circumcisione assumit, dicens. *Ad id autem taliter respondetur, quod cum baptisma successerit circumcissioni, &c.*

Deinde, cum ipse Lugo num. 52. & 66. fateatur S. Augustinum docere in circumcissione collatam fuisse gratiam; cum totam Sancti Augustini doctrinam, exempla, & auctoritates, in eo ipso sensu, quo Sanctus Augustinus ad confirmationem suæ doctrinæ adduxerit; non videri vnde conijci possit, id non assensisse, sed permississe Pontificem Summum. Quamuis fatear hanc conclusionem non esse ibi definitam; sed ad confirmationem doctrinæ definiendæ assumptam.

32 Quod autem expositio verborum Genes. tradita à Dico Augustino, sit contraueniens, probatur primo: nam lectione Septuaginta Interpretum; eo sensu, quo Sanctus Augustinus, vtuntur Sanctus Ambrosius Epistola 77. & Origen. lib. 2. in epist. 2. ad Romanos circa finem cap. 3. & cum illa lectio non contraheretur Vulgata, est non leue indicium, sic textum illum esse intellectum à Iudæis, vt eorum doctores Septuaginta duo Interpretes exposuerunt. Secundo, nam per illum modum punctuandi huius editionis, iste sensus non variatur: quia poena non posset infligi octavo die, nisi tempus vltimus non differendi impletionis præcepti, esset octauus dies. Quare si referendo octauum diem ad circumcissionem, haberetur sermone esse de paruulis; idem pariter colligitur, etiam si dies octauus referatur ad infligendam poenam.

Tertio, non est verum, Sanctum Augustinum docuisse, hoc testimonium aliter posse exponi: quia illo cap. 17. libri 16. de Ciuit. Dei, de illo mentionem non facit. Si autem errore scribentium citare deberet cap. 27. aduertatur, quod ibi solum quoad pactum dicit posse vtroque modo exponi: quoad reliqua verò, quæ ad præsens conducunt, semper persistit in alibi tradita expositione. Cui non parum fauet contextus: nam ibi sermo erat de infante octo dierum circumcidendo. Vnde vt non committatur æquiuocatio, de illo eodem est sermo, cum dicitur periturus de populo. Extant ad hoc alia coniectura, quas late persequitur Suar in 5. fundamento.

33 Præterea admittimus libenter locum admittere illam expositionem, quæ etiam est Caietani, & Olcaiti, & aliorum plurimorum: quia in phrasî Scripturæ, deleri animam de

Q4

popu-

populo, significat corporalem pueri occisio-
nem: sicut eodem libro Gen. c. 6. ver. 7. De
de nece corporali loquitur, cum ait: *Delebo
hominem a facie terrae.* Et cap. 6. ver. 4. *Delebo
omnem substantiam.* Et ver. 23. & cap. 9. ver.
15. & alibi sæpe. Ideoque videtur huius præ-
cepti quasi executio, cum enim filius Moy-
sis circumcissus non fuisset; Exodi 4. ver. 24.
occurrit ei Dominus; & volebat occidere eum:
ad quod vitandum Sephora vxor Moy-
sis, tulit illico acutissimam petram; & cir-
cuncidit præputium filii sui. Non tamen hinc
infertur male exposuisse D. Augustinum, cū
potius vna expositio in alia fundetur; quia
pœnæ huius vice nonnumquam; imò sæpe
infliguntur his, qui digni sunt pœnis spiri-
tualibus.

34 Præterquamquod Innocentius Ter-
tius vbi supra ait. *Ceterum; & vi litteræ; satis
patet predictas auctoritates intelligendas esse tā-
tummodo de adultis; qui habent multitudinem
peccatorum; cum de paruulis non possint intelli-
gi; qui peccato tantum originali tenentur.* Loqui-
tur de auctoritate Genes. 17. loquentē de
Circumcisione, & de illa Ioan. 3. vbi Christi
explicuit necessitatem Baptismi: *Nisi quis
renatus; &c.* Sed in ista auctoritate Euangeli-
ca, quia Christus indistincte loquutus est in
quadam generalitate, nec sexum, nec eta-
tem excludēs, intelligimus Christum loqui
de adultis, & paruulis baptizandis. Ergo pa-
riter in lege Mosayca; cum etiam sine distin-
ctione, & indistincte, & indefinite loquatur.
Totus iste discursus est Innocentij Tertij.

35 Ratio eius ex Patribus desumpta, &
à D. Thoma, & Scoto, & alij Scholasticis ap-
probata, etiam vrget: quia non est credibile
de diuina misericordia vt tantam multitu-
dinem puerorum, qui tunc moriebantur, si-
ne remedio relinqueret; cum ipsi proprio
motu liberi arbitrij non possent se ad gratiā
præparare. Et ex alia parte peccatum, quo
tenebantur obnoxij, non propria, sed aliena
voluntate contraxerant. Vnde conueniens
fuit circumcisionem fuisse in remedium pec-

cari, & in acquisitionem gra-
tiæ, etiā sine vsu liberi
arbitrij paruuli eā
recipientis.



§. IV.

*Non sufficit recurrere ad institutionem secunda-
riam; nec considerare circumcisionem vt re-
medium legis naturæ.*

36 His validissimis argumētis pro extre-
mi plures, grauisimique Theologi, merito
conati sunt opinioniones concordare; licet in
modo concordia non concordent. Suarez
disp. 5. sec. 1. (& disp. 10. sec. 1 & 2. & Carta-
gena disp. 2. diff. 4. & Araujo q. 61. art. 4.
dub. 2. & alij) ita ait. Vtraque istarum sen-
tentiārum tāto auctoritatis pōdere, & tam
probabilibus nititur fundamentis, vt nostri
muneris esse videatur, neutram, si fieri pos-
sit, rejicere; sed vtrique aliquid concedere,
easque in concordiam redigere. Quod præ-
stat asserendo, circumcisionem non fuisse pri-
marie institutam ad ablationem culpæ ori-
ginalis; sed ad congregandum Dei populū,
& ab infidelibus distinguendum. Et hoc vi-
detur certum propter auctoritates §. 2. ad-
ductas. Vnde circumcisio ad delendum origi-
nale non plus valet, quam valeret sacramē-
tum legis naturæ: quia non est credibile ali-
ter fuisse prouisum remedium pueris illius
legis; ac fuerit prouisum foemellis. Afferit se-
cundo, circumcisionem habuisse vim remit-
tendi peccatum originale; idque habuisse ex
diuina institutione. Quæ probatur per ea
quæ adducta sunt §. 3. Et tamen habuisse se-
cundario, & ex consequenti, quia antea re-
mittebatur originale qualibet cære monia fi-
dei protestatiua: & circumcisio erat fidei pro-
testatio: quia præcipiente Deo erat statum,
vt extra casum necessitatis non aliter puellu-
li primum Deo offerrentur, quam per circū-
cisionem.

37 Hæc tamen concordia alijs non pla-
cet. Et in primis eam rejicit Cabrera q. 70.
artic. 4. an. 4. vsque ad 10. vt contrariam D.
Thomæ, & omnibus Theologis. Et Grana-
dos controu. 3. de Sacramentis trac. 3. disp.
7. sec. 1. num. 10. Quia nec in D. Thoma, aut
Doctoribus antiquis, quos ipse legerit, ea di-
stinctio reperitur. Quia potius B. Albertus
Magnus, apud Carthusianum in 4. dist. 1. q.
7. *Principalis* (inquit) *actus circumcisionis fuit
remedium originalis peccati; & sanctificatio cir-
cuncisi.* Et Alexander Aletis 4. p. q. 4. mem-
bro 7. art. 2. ad 2. *Propter duo* (inquit) *princi-
pales erat circumcisio, scilicet; propter ablatio-
nem culpæ originalis; & distinctio- nem populi.*

38 Quæ rationes ambas fuisse princi-
pales

les, & litterales, planè desumo ex D. Thom.
hac 3. p. q. 70. art. 3. ad 1. dicente, *quod circum-
cisio conuenienter fiebat in membro generationis.
Primo quidem, quia signum erat fidei, quia Ab-
ham credidit Christum ex suo semine nasciturum.
Secundo, quia erat in remedium peccati originalis,
quod per actum generationis traducitur.* Videat-
ur Rupertus lib. 5. in Gen. cap. 3. 1. & S. Th.
3. p. q. 38. art. 3. ad 3. ait, *quod circumcisio insti-
tuta erat ad remedium originalis peccati.* Et ex-
pressè ipse S. Tho. in 4. dist. 1. q. 2. art. 5. q. 1.
ad 3. ait, *quod principalis significatio, ad quam
circumcisio instituta est, est ablatio originalis cul-
pæ.* Non ergo hanc numerat inter causas se-
cundarias, quamuis inter has alias numerat;
quia postea ait. *Alia autem significatio, quæ
est circumcisio cordis, est ex consequenti.* Ideoque
vt ratio figuralis hæc assignatur à D. Thom.
1. 2. q. 102. ar. 5. ad 1. vbi inter rationes prin-
cipales primarias, assignat fidei protestatio-
nem, in qua includitur, & distinctio populi,
& ablatio culpæ per fidei protestationē. Ait
namque, *quod litteralis ratio circumcisionis, prin-
cipalis quidem fuit ad protestationem fidei vnus
Dei, &c.* Et infra. *Figuralis vero ratio erāt, quia
figurabatur ablatio corruptionis fienda per Chri-
stum.* Ergo inter rationes, & significationes
circumcisionis principales, litterales, & pri-
marias, debet numerari protestatio fidei, &
ablatio culpæ originalis.

39 Præterea idem habetur, si dicatur cū
Raphaele Auersa q. 70. sect. 1. §. *Hinc septi-
mo,* circumcisionem secundum diuersas ratio-
nes fuisse primario, & principaliter ad vtrū-
que effectum institutam. Quatenus enim fuit
determinatio quædam communis remedij;
& protestatio quædam fidei; sic fuit prima-
rio instituta ad delendum peccatum. Quate-
nus vero relinquebat externum caractere
in corpore, ordinabatur ad consiguandum,
& distinguendum populū.

40 Sed quidquid sit de hoc, ad intentū
id præterea refert; quia vt arguit Vazquez
disp. 184. n. 43. & Lugo disp. 5. sect. 2. in fi-
ne num. 39. siue primario, siue secundo;
est ad hoc instituta circumcisio, verè habe-
ret iam vim ad illum effectum: atque ad-
falso negaretur apud Concilia, & Patres, cir-
cumcisionem valuisse aliquid ad iustifican-
dum, & conferendam salutem: & falso dice-
retur, figurasse solum gratiam nobis postea
dandam per Christum. Et quidem loquen-
do de nostris sacramentis, nemo negabit, ea
continere, & causare effectus suos secunda-
rios. V. g. Extremam vniuersio, quæ primario or-
dinatur ad sanitatē animæ; secundario autē
ad corporis sanitatē conferendam, nō mi-

nus dicitur causa huius, quam illius; nec mi-
nus dicitur hanc continere, quam illam.

41 Pariter arguit Bernal disp. 14. sec. 3.
§. 2. n. 55. Nam Baptismus fuit primario in-
stitutus ad delendum originale, & secunda-
rio ad remittenda actualia; & tamen non di-
cimus esse vacuum gratiæ, & inane elemen-
tum in ordine ad delendum peccatum actua-
le. Aptius etiā exemplū est. Nam Chri-
stus instituit vt gratia matrimonialis confer-
retur per quodlibet signum expressiui mu-
tui consensus legitimi in matrimoniū. Præ-
cepit rursus vt hoc signum regulariter, & ex-
tra casum necessitatis, consisteret in verbis.
An iure quis dicat, verba consensus istum
exprimentia, esse in lege noua signum gra-
tiæ sacramentalis, egenum, vacuum, inane?
Sic tu ais loqui Panem; sic Pontificem, Cō-
cilium; & innumerabiles Patres.

42 Accedit primo, quod in his fidei, ve-
ræque Theologiæ, grauisimis regulis, nec
leue quidem apparet vestigium distinctio-
nis illius inter circumcisionem, vt institutam
primariē, & institutam secundariē. Imò cer-
nitur oppositum: nam Innocentius, & Au-
gustinus; & alij ipsos sequuti, prorsus illam
æquiparant Baptismo: hic autem non secun-
dariē, sed primariē institutus est ad origina-
le delendum.

Accedit secundo, quod Suarez dicit Cir-
cumcisionem fuisse sacramentum: cum ergo
asserat ex secundaria institutione conferre
gratiam sanctificantem, causabit gratiam ex
opere operato. Quod videtur aduersari Cō-
cilio Florentino auerenti non contulisse gra-
tiam: & Tridentino; totis sacramentis nouis
tribuenti; quod gratiam ex opere operato
conferant.

43 Denique, contra Hugonem Victori-
num, videtur in proprijs terminis distinctio-
nem datam refellere D. Tho. in 4. dist. 1. q. 1.
artic. 5. q. 1. dicens. *Sed hæc opinio non videtur
conuenire dicis Sanctorum; dicunt enim quod
lex erat occasio mortis, in quantum ostendo
bat peccatum; & gratiam adiuuicem non
conferrebat. Nec differt quantum ad hoc, quali-
tercumque, vel directe, vel indirecte gratiam con-
ferret. Et præterea; secundum hoc; nulla est; vel
valde modica præminentia sacramentorum nouæ
legis ad sacramenta veteris legis; quia etiam sacrā-
menta nouæ legis à fide, & significatione causan-
di efficaciam habent.* Hæc ibi. Et dist. 2. q. 1. ar-
4. q. 2. & 3. quantum ad aliquid excipit cir-
cumcisionem. De qua §. 3.

44 Aliā viam cōciliandi sententias (quæ
iam diu receperat Bellarminus, Suarez, &
Nuño) sequitur Lugo disp. 5. sec. 3. & 4. &
Fran-

ciscus Abra de Raonis tract. 2. de sacramentis disp. 1. sec. 2. q. 1. Leader à Sacramento trac. 1. disp. 3. q. 10. docentes, circumcissionē ex sua institutione nullam vim habuisse iustificandi, vel tollendi peccatum originale; sed solum fuisse datam in signum, & characterē populi Iudaici, ac fidelis; iuxta ea, quæ adducta sunt §. 2. Cum hoc tamen stat, quod in circumcissione, & per circumcissionem parvuli regulariter iustificarentur: quia remedium legis naturæ, quod applicari debebat aliquo signo externo; quod esset protestatio fidei internæ de Christo venturo, regulariter etiā applicabatur per ipsam circumcissionem, ut vna, & eadem actio ac duplici præcepto satisficeret. Cui enim utrumque illud sacramentum circumcissionis, & remedij legis naturæ, gravissimum esset; & solemniter deberet celebrari, coniungebant in vnam, & eandem solemnitatem utrumque ritum. Sicut diversum erat præceptum purgationis femine post puerperium, quod erat Leuitici 12: à præcepto offerendi primogenitum Deo, & redimendi illud quinque siclis: quod præceptum habetur Exodi 13. & licet hoc secundum præceptum non haberet tempus præfixum: utriusque tamen simul, & semel satisfaciebant, ut constat ex cap. 2. Lucæ. Sic etiā utrumque illud sacramentum in eandem actionem coniungebant, maioris solemnitatis, & commoditatis gratia; licet vni soli, nempe circumcissioni, præfixus esset dies in lege. Propositiones igitur negativæ de efficacia circumcissionis, sunt veræ, quia intelliguntur de illo sacramento formaliter, & reduplicative: & ut sic fuit sacramentum vacuum, & inane. At vero materialiter, quia ibi erat fidei protestatio, & applicatio sacramenti legis naturæ, in circumcissione, & per circumcissionem dabatur gratia. Et sic exponendi sunt Patres, excepto D. Augustino, quem Lugo n. 52. facit sibi contrarium.

45 Contra hanc doctrinam plura obiecterant Nuño q. 70. art. 4. dub. 2. in probat. secunde conc. Bellarminus lib. 2. de sacramentis cap. 13. & Suarez disp. 10. sec. 2. §. Potest vero aliter. Et alia adiecit Bernal disp. 14. sec. 3. §. 3. & in primis eo ipso, quod Lugo fateatur se recedere à D. Augustino, recedit ab Innocentio Tertio, & ab alijs Sanctis Patribus, & Theologis, quia à S. Augustino sententiam, exempla, auctoritates, & rationes desumpserunt: ac proinde iam deferretur totum illud auctoritatis pondus, propter quod Lugo n. 40. negabat posse ab illa sententia discedi. Ideoque iam sententiæ non concordantur, sed vna extrema eligitur.

Secundo, hæc solutio supponit infantes in lege naturæ vero sacramento iustificatos: cuius contrarium ostendimus q. 51. dub. 3.

46 Deinde, nam Sacra Scriptura, Concilia, & Patres, ut commendent excellentiā nostrorum sacramentorum, dicunt antiqua esse infirma, & egena; nostra vero esse efficacia, & plena virtutis. Hæc autem excellentia non minus obscuratur, si sacramenta legis naturæ habeant vim iustificandi, quam si id tribuatur sacramenti legis scriptæ: nam sicut arguit Apostolus ad Galat. 2. quod si ex lege est iustitia, Christus gratis mortuus est: à fortiori potest argui; quia si ante legem est iustitia, & post legem eandem vim habent illa sacramenta, ac antea: ergo Christus gratis mortuus est: & sine causa ablata circumcissione, baptismus est institutus.

47 Respondet Lugo n. 53. Concilia loqui in eodem sensu, in quo loquebatur Paulus, à quo illud dogma hauserunt. Paulus autem loquutus est de sacramentis, & ceremonijs legis veteris; cuius inutilitatem volebat prædicare, ut Iudæos ad fidem converteret: non ergo est cur eius doctrinam extendamus ad sacramentum legis naturæ; de quo nulla erat controversia: nec opus erat ab illius observantia Neophitos separare. Cum enim esset protestatio Christi venturi, eo ipso, quod credebant Christum iam venisse, abstinere debebant à tali protestatione.

48 Hæc solutio non satisficit, quia Apostolus vult directe probare necessitatem aduentus Christi, & quod necessarium fuit eum mori ad delenda nostra peccata, & acquirendam sanctitatem. Si autem remedio legis naturæ esset iustificatio, iam hæc ratio vim non habet: ergo circumcissio, etiam ut remedium legis naturæ, vim non habet iustificandi. Secundo, poterant Neophiti retinere circumcissionem, non ut ceremoniam legis, sed ut protestationem Christi, qui iam venerat, si in illa ceremonia in omni tempore esset iustitia: ergo insufficienter argueret Apostolus. Tertio, iuxta oppositam sententiam, data circumcissione, adhuc sacramentum legis naturæ habebat vim iustificandi: ergo poterat intelligere, quod adveniente præcepto baptismi, eandem vim haberet: præcipue in casu, quo quis baptizari non posset defectu aquæ, vel ministri.

49 Præterea, Deus gradatim processit in liberando homine à statu peccati: & ideo minus perfecta sacramenta erant in lege naturæ, quam in lege scripta, ut probat D. Thomas q. 61. art. 3. ad 2. ex D. Greg. hom. 16. in

Exeg.

Ezech. quia per incensetam temporum crevit divina cognitionis augmentum. Et ideo sacramenta veteris legis comparantur ad sacramenta, quæ fuerunt ante legem, sicut indeterminatum ad determinatum. Et in noua lege sacramenta vetera sunt ablata, quia impleta, & alia sunt instituta, virtute maiora, ut ex D. Aug. lib. 19. contra Faustum cap. 13. docet ibi S. Thomas art. 4. & q. 60. art. 5. ad 3. Ergo si circumcissio ex sua institutione, propter suam imperfectionem, non habebat vim iustificandi, nec id habet in quantum est applicatio sacramenti legis naturæ.

50 Occurrit Lugo n. 54. dicens, statum legis scriptæ fuisse perfectiorem, quoad magis expressam notitiam Christi venturi, quia hæc notitia, & lux quasi à diluculo auroræ procedebat, & crescebat paulatim usque ad perfectum diem legis Evangelicæ. Quoad alia vero fuisse fortasse imperfectiorem, quatenus scilicet, infinitis, & gravissimis oneribus, ac præceptis hominē onerabat. Quoad efficaciam autem iustificandi, utrumque statum fuisse æqualem; quia in neutro dabatur gratia ex opere operato; nisi præcisè, quatenus erat necessarium, scilicet, parvulis ad iustificationem, qui aliter non poterant suis actibus se disponere. Hoc autem parvulorum remedium commune fuit utriusque statui; licet quoad alia se invicem excederet.

51 Sed contra primò, quia iuxta sententiam ipsius, quam impugnamus, tota virtus iustificandi est ex sacramento legis naturæ, in quantum tali: ergo iam quoad vim iustificandi non est æqualitas: liquidem circumcissio, ut tali, nulla competit virtus iustificatiua. ¶ Secundo, omnino falsum est, quod propter onera legis ille stat. legis scriptæ esset imperfectior. Imò fuit prærogativa illius populi, quod illi specialiter daretur lex: quia quanto homo magis Deo coniungitur, & eius præceptis ligatur, efficitur melioris conditionis: Et ideo (ut ait S. Thomas 1. 2. q. 98. art. 5. ad 2.) quanto populus iudæorum erat adstrictus magis ad divinum cultum, dignior alijs populis erat. Unde dicitur Dent. 4. Quæ est alia gens sic inclinata, ut habeat ceremonias, iustaque indicia; & universam legem? Et similiter etiam, quantum ad hoc, sunt melioris conditionis Clerici, quam laici; & Religiosi, quam seculares.

Tertio, cum sacramenta sint fidei protestationes, eo ipso quod admittitur excellentia in notitia Christi, debet admitti excellentia in sacramentis.

52 Alio argumento hanc solutionem impugnat Bernal n. 61. & 76. quia quod in lege veteri parentes remedium infantuli dif-

ferrent usque ad octavum diem, libere dicitur; quia sine teste aliquo, aut alicuius momenti ratione. Imò contra rationem, idque multipliciter. Cum enim lex divina concederet, ut infans statim ac nasceretur, liberari posset à peccato, iniquis de ordinationis esset id merito libito communissime differre usque ad octavum diem: quantumvis enim infantuli valeant; tamen moraliter obnoxij sunt scilicet repentinæ, & inopinatæ mortis; ut idemidem experimur. Ut scilicet, illam tantum mali continuationem, tantique boni liberam dilationem, non potuisse non esse contra charitatem. Et rationes contrariæ, aquæ probant posse differri usque ad diem purificationis.

53 Hæc ratio in multis deficit. In primis libere, sine teste aliquo, aut ratione affirmat legem divinam concessisse, ut infans statim ac nasceretur liberari posset à peccato. Vbi enim est illa lex divina scripta? Quinam Sancti, qui de illa testentur? Imò Sanctus Augustinus, & alij Patres, & Theologi eum sequenti dicunt; quod sicut in noua lege, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei: ita in lege antiqua non dimittēbatur originale ab anima, nisi præputij caro circumcideretur.

Secundo, in lege noua infantuli recenter nati possunt baptizari, & ab originali mundari, & tamen communissime absque incōveniēti; & sine peccato non baptizantur usque ad octavum, vel decimum diem: ergo absque peccato, & vllō inconuenienti posset hæc consuetudo esse in lege veteri.

54 Quare per oppositum nos possumus ultimo principalem solutionem impugnare; & simul hanc impugnationem ultimam rejicere: quia post promulgatum Evangelium, & obligationem baptismi, circumcissio vim non habet: ergo pariter promulgata circumcissione, pro illis, qui ea uti poterant, non sufficiebat remedium legis naturæ. Videmus enim hunc esse ordinem diuinæ legis, quod veniente veritate, cessat figura; & quando aliquis status, vel ritus est præuius ad alium, isto adveniente, aliter locum non habet: sicut baptismus Ioannis præuius ad Christi baptismum, cessauit isto promulgato. Ergo ex ipsa institutione circumcissionis, intelligimus pro pueris circumcideadīs iustificandīs, non fuisse sufficiens remedium legis naturæ: quia circumcissio successit illi remedio; sicut nunc circumcissio baptismus. Unde S. Thomas in 4. dist. 1. q. 2. art. 5. q. 1. ait, quod conventi, quod perfectum est, evacuari debet, quod ex parte est, si ad idem ordinatur: quia gratia non facit

facit per duo; quod per unum potest facere, si-
cut nec natura.

§. V.

Resolutio dubij.

35 **R**estant alij duo modi concordie, iam
diu ab Auctoribus traditi; qui forte
in solo modo loquendi inter se differunt. Pri-
mo ergo dicendum, ideo verificari circumci-
sionem non dedisse gratiam, quia ea non co-
tinebat, nec fuit causa eius; nec physica, nec
moralis proprie, & in rigore: in ea tamen da-
batur gratia, & remittebatur peccatum ori-
ginale, quia fuit conditio sine qua non; ex
diuina promissione illa externa fidei prote-
statio, propter virtutem diuinam assistentem;
& comitantem, dabat gratiam: Ita Paluda-
nus in 4. dist. 1. q. 5. a. 4. n. 42. Capreolus dist.
1. q. 1. fol. 25. fine, & dist. 2. q. 2. a. 3. in princ.
& in fine. Hispanensis, & Martinus Ledesma
ibi. Et Soto dist. 2. q. 1. artic. 4. Ferrata lib. 4.
Contra. cap. 57. §. Ad secundum vero. Petrus
Bergomensis in concordantijs dub. 343. Gra-
nado contro. 3. trac. 3. disp. 7. sec. 1. conc. 2.
Gaspár Ruiz art. 6. dub. unico, dicens com-
muni Thomistarum, imò & Theologo-
rum: Philippus à Trinitate disp. 5. dub. 6.

36 Alijs terminis Nuno 3. p. q. 70. ar. 4.
dub. 2. Cabrera q. 62. art. 6. disp. 1. §. 6. licet
male ibi n. 26. oppositam tribuat Nuno; cū
hanc ex professo doceat. Et videtur senten-
tia Henricus lib. 1. de sacramentis cap. 15.
§. 1. & 4. & aliorum, qui distinguunt has duas
propositiones: circumcisio causat gratiam,
& eam confert non ponentibus obicem: &
istam: in circumcisioe datur, & confertur
gratia non ponentibus obicem: prima signi-
ficat actiuitatem; & efficientiam, vel physicā,
vel moralem: & hæc nequit conuenire sacra-
mento vacuo virtutis; & actiuitatis: secunda
solam denotat comitantiam, & quod ex
parte, & passiuè causetur gratia, non à sacra-
mento, sed à Deo, & à fide, cuius erat prote-
statio circumcisio. Et hoc totum non pro-
bamus alijs argumentis, quam adductis pro
extremis sententijs, quas hac via credimus
conuenienter conciliari.

37 Addunt S. Thomas in 4. dist. 1. q. 1.
art. 5. q. 1. & ibi Magister, Altiiodorensis, &
noster Innocentius Quintus: quorum verba
refert Carthusianus quest. 6. & communiter
Theologi, vt referunt, & sequitur Cabrera
§. 7. Suarez disp. 10. sec. 3. conc. 1. Granados
trac. 3. disp. 7. sec. 4. Auerfa q. 62. sec. 5. &
passim alij reliqua veteris legis sacramenta

nec dedisse gratiam physicè, nec moraliter;
nec fuisse conditiones infallibiles habentes
promissionem Dei de concomitantia gratiæ
à Deo conferendæ ad eorum præsentiam.
Quod est certum propter testimonia Scrip-
turæ adducta, præsertim illud ad Galat. 4.
Quomodo iterum conuertimini ad infirma, &
egena elementa. Et ad Heb. 7. Reprobatio fit præ-
cedentis mandati, propter infirmitatem eius, &
inutilitatem. S. Basilius lib. de Spiritu Sancto
cap. 14. comparans antiqua sacramenta cū
nostris. Quid (inquit) confers lauacra cum lau-
tris, quæ solam nominis appellationem habent cō-
munitatem; verum vero tantæ est differentia; quantum
est inter somnia; & veritatem; inter umbras, imā-
ginesque; & inter ea, quæ reuera sunt. S. Ephi-
phanus hæres. 8. ait: Figura in lege fuerunt; ve-
ritas autem in Euangelio. S. August. to. 9. tract.
41. in Ioan. circa medium; inquit. In veteri-
bus sacrificijs non erat expiatio peccatorum; sed
tantum umbras futurorum. Et super Psal. 73. &
Epist. 19. ad S. Hieronymum. Hocque pro-
bat ratio D. Thomæ relata, & exposita à nu-
17. vsque ad 19. & auctoritas Concilij Flo-
rentini relata n. 15. & auctoritates Patrum
relata n. 16.

38 Argumenta, quæ obijcit Suarez con-
tra modum concordie sententiarum rela-
tum, & approbatum n. 56. refert; & diluit
Cabrera illo §. 6. Vtriusque obijcit Lugo
disp. 5. sec. 1. in fine n. 10. nam hæc interpre-
ratio manifeste repugnat verbis Patrum; qui
non solum dicunt; in circumcisioe datam
fuisse gratiam, sed etiam per circumcisioe;
ipsamque valuisse, & conduxisse ad illum ef-
fectum. Sic loquitur Innocentius in illis ver-
bis. Quoniam & si originalis culpa remittebatur
per circumcisiois mysterium, &c. Sic etiam lo-
quitur S. August. lib. 4. de Baptismo cap. 24.
& lib. 3. contra Iulianum cap. 18. & S. Greg.
lib. 4. Mor. cap. 2. & S. Bernard. ser. 2. de Al-
sumptione inquit. In baptismo sola gratia la-
uat hanc maculam, quam olim rasi per circum-
cisiois: Denique eodem modo loquuntur S.
Beda, & alij supra adducti, qui non solum cō-
comitantiam, sed concursum explicant cir-
cumcisiois.

39 Contra priorem modum concordie
approbatum n. 55. obijcit Lugo sec. 2. n. 26.
nam si attendamus sincere ad verba; & ad
mentem Conciliorum, & Patrum, hic mo-
dus non videtur satisfacere: aliquid enim
plus videntur intendisse, quam negare solā
causalitatem, & relinquerè rationem condi-
tionis sine qua nō. Quia quod attinet ad suf-
cipientium utilitatem, parum etiam refer-
ret, quod baptismus afferret gratiam, & nū-

daret

daret à peccato per modum causæ, vel per
modum conditionis; si tamen infallibiliter
afferret illum effectum. Vnde Concilium
Florentinum nō solum exclusit omnē cau-
salitatem physicam, & moralem ab illis Sa-
cramentis; sed omnem etiam prorsus utili-
tatem, seu modum conducendi ad gratiam;
hoc enim sonant illa verba, quod solam figu-
rabant gratiam postea dandam per Christi passio-
nem. Planè si erant conditiones infallibiliter
afferentes gratiam; non posset absque eorū
iniuria dici, quod solum erant figura gratiæ
future, & nobis dandæ. Neque posset de il-
lis dici, quod erant vacua, egena, infirma, in-
utilia, sicut appellantur ab Apostolo.

Denique argumentum quo videntur Pa-
tres passim ad probandam utilitatem Circū-
cisiois ex eo, quod foemina nōa prodiret
ad salutem, eodem modo probat omnino non
fuisse conditionem infallibilem ad gratiam:
quia illo etiam remedio infallibili carnis et
foemine: nec minus noceret eis carentia co-
ditionis infallibilis ad iustificationem, quam
carentia causæ moralis. Non ergo fecerunt
vniuersa differentia conditionis, & causa mo-
ralis, quando inutilitatem Circūcisiois exa-
gerarunt.

60 Denique contra vtrūque modū dicē-
di videtur obflare, quoad hoc nos agnoscere
differētiam inter circumcisioem, & alia ve-
teris legis sacramenta: siquidem ista, nec per
modum conditionis admittimus habuisse in-
fallibilem collationem gratiæ ibi comitan-
ter, & passiuè datam, propter auctoritates
Scripturæ, & Patrum; & tamen auctoritates
etiam Circūcisioem comprehendunt, &
etiam alia veteris legis sacramenta. Et S. T.
art. 6. ad 3. concludit. Et ideo melius dicendum
videtur, quod circumcisio, sicut & alia sacra-
menta veteris legis, erant solum signum fidei iustifica-
tis, &c. Ergo sicut in Circūcisioe admitti-
mus passiuè, & per modum conditionis da-
tam fuisse infallibiliter gratiam; ita etiam id
debemus admittere de alijs veteris legis sa-
cramentis: Vel si de illis cum Scriptura, &
Patribus fatemur, non solum non esse causas
physicas, aut morales gratiæ; sed fuisse va-
cua, & inutilia: & nec per modum conditio-
nis, & comitantem ibi datam gratiam ex ope-
re operato, idem debemus dicere de Circū-
cisioe.

61 Responderetur hos concordie mo-
dos non prohibito ad inuentos, sed necessa-
ria ratione, quia alia via simul verificari ne-
queunt tres propositiones satis ostensæ, &
indubitatæ. Prima, quod sacramenta anti-
qua de se erant vacua, & inutilia, & solū pro-

derant vt signa fidei mediatoris, & ex ope-
re operantis, & suam fidem protestantis. Se-
cunda, videri magnum inconueniens, quod
paruali fidelis populi non haberent à Deo re-
medium, vt liberarētur à peccato originali;
& si tunc morerentur, euaderent poenā dam-
ni, & carentiæ visionis Dei. Tertia est, non
posse admitti conformiter ad Scripturam,
& ad Concilium Florentinum, & Patres,
quod Circūcisio fuerit eiusdem causalita-
tis in illo populo, ac modo est Baptismus.
Que tres propositiones alia via verificari ne-
queant, nisi iuxta duos modos concordie iā
assignatos. Quando ergo Innocentius Ter-
tius, S. Augustinus, & alij Patres, & Theolo-
gi, quoad hoc, equiparant Circūcisioe Bap-
tismo, intelligendi sunt, quod paritas tenet
quoad liberandum à malo culpæ originalis:
quia hoc erat eorum intentum: & sic vitant
inconueniens, quod vitare conabatur: ne illi
paruali sine remedio perirent. Sed non te-
net paritas, nec quoad æqualitatem effectus
causati, quia maior gratia confertur in Bap-
tismo: nec tenet quoad modum continendi,
& causandi; quia sicut nullus admittit Cir-
cumcisioem caulare instrumentaliter phy-
sicè, sicut causat baptismus; ita nec admitti-
mus causare moraliter in rigore, quia iste nō
est modus causandi rei externæ. Sed negare
non possumus ibi comitantem datam gra-
tiam, ne dicamus paruulos mansisse sine re-
medio: & quia fides mediatoris signo ad hoc
iustitiam à Deo protestata habebat promissio-
nem diuinam de comitanti gratiæ: quæ
in alijs sacramentis solum aderat ex fide ope-
rantis. Quod totum planè videtur docere S.
Thoma 3. p. q. 70. art. 4. in cor. & ad 2.

62 Ad primam ponderationem contra
secundum dicendi modum, iam respondi-
mus dub. 2. §. 6. præcipue nu. 96. & 97. Si-
cut autem Concilium Florentinum non do-
cuit, quod illorum sacramentorum vsus in
adultis non esset meritorius: quia dicit S. T.
in 4. dist. 1. q. 1. art. 5. q. 2. quod hoc videtur ab-
surdum, quod labores Sanctorum Patrum in hu-
iusmodi sacramentis Deo accepti non fuerint; &
quod opus virtutis possit esse non meritorium; &
ideo communiter tenetur, quod vsus eorū merito-
rius esse poterat, si ex charitate fieret. Opus autē
meritorium non est inutile, & vacuum; &
conducit ad gratiam, & gloriam augendam.
Ergo sic similiter Concilium Florentinū nō
tollit, quod passiuè in Circūcisioe gratia
daretur, & per modum conditionis, & co-
mitantem ex opere operato iustificaretur ad
eius præsentiam infantulus. Vnde ibi dist. 1.
q. 2. ar. 4. q. 2. sic ait D. Tho. dicendum, quod
pecca-

peccatum, quod ex alio contrahitur, conueniens est, ut per aliū tollatur, & ideo in quo libet statu post peccatum fuit aliquod remedium, per quod originale peccatum ex virtute passionis Christi tolleretur. Et iterum, quia non poterat puer natus, antequam haberet vsum liberi arbitrij, se ad gratiam præparare, ne omnino sine religione relinquere tur, oportuit aliquod remedium dari, quod ex ipso opere operato peccatum aboleret; & tale remedium fuit Circuncisio. Et ideo ab omnibus conceditur, quod peccatum auferebat; sicut signabat ablutionem; & in hoc cum sacramentis non æ legis quodammodo conueniebat; quia efficiebat hoc quod figurabat. Non efficiebat physice, nec moraliter; sed quodammodo, quia comitater Deus ibi hoc efficiebat: *Ne eis omnino deesset diuinum remedium, ut iterum docet S. Thomas ibi ar. 6. quæst. 1.*

63 Ad secundam probationem dicimus non esse inconueniens in illo populo minus infallibile remedium esse prouisum foeminae, ac paruulis maribus: quia S. Thomas in 4. dist. 1. q. 2. art. 5. q. 1. ait. Circuncisio autem erat imperfecta respectu baptismi tripliciter. Primo, quantum ad significationem: quia non ita significabat expresse emundationem totius hominis ab immunditia totius culpe originalis, sicut ablutio baptismalis. Secundo, quantum ad efficaciam; quia non tam abundans gratia ad operandum, & reprimendum foemitem in circuncisione dabatur, sicut in baptismo. Tertio, quantum ad utilitatem: quia non erat eius utilitas ita communis sicut baptismi: *Cum haberet determinatum populum, determinatum sexum, & determinatum tempus: quod in Baptismo non accidit: & ideo adueniente tempore plenitudinis debuit cessare bap-*

tismo substituto. Hæc S. Thomas. Qui idem alijs rationibus probat 3. p. q. 70. art. 2. ad 4. Nec tamen foemellæ manebat sine omni remedio: quia dicit D. Thomas ibi art. 4. ad 2. quod sicut ante institutionem circuncisionis, sola fides Christi futuri iustificabat, tam pueros, quam adultos; ita etiam, & circuncisione data. Sed ante non requirebatur aliquod signum protestationis huius fidei: de quo iam diximus q. 61. dub. 3. vbi admissimus regulariter illo tempore aliquo signo externo fidei protestationem parulis applicatam, nempe precibus, vel benedictionibus: de quibus ibi meminit S. Thomas ad 2. & ad 3. dicit idem intelligendum esse de pueris, qui moriebantur ante octauum diem tempore legis: quia pro istis non erat Circuncisio.

64 Ad vltimum dicimus D. Thomam manifeste, quoad hoc, agnouisse differentiam inter Circuncisionem, & reliqua legis veteris sacramenta: nam in 4. dist. 1. q. 1. art. 5. q. 1. concludit. *Et ideo alij dicunt, & melius, quod nullo modo sacramenta ipsa veteris legis, id est, opus operatum in eis gratiam conferebat, excepta circuncisione, de qua post dicitur, nempe q. 2. artic. 4. q. 2. verbis iam relatis n. 62. Cum ergo S. Thomas expresse Circuncisionem excipiat; non est quod nos per omnia eam includamus. Conueniunt tamen, quia nec causat physice, nec moraliter gratiam: & quoad hoc quod non continet physice, nec moraliter virtutem causatiuam gratiæ; & quoad hoc æquiparatur a D. Thoma.*



QVAES.



QVAEST. LXIII.

DE EFFECTV SACRAMENTORVM, QVI est Character.

EXPLICATO Effectu principali communi omnium Sacramentorum, nempe gratiæ, iam congruo doctrinæ ordine agit D. Thomas de secundo effectū, non omnium, sed aliquorum sacramentorum, nempe characteris: quæ vox significat notam imprimi solitā, siue inscriptione, siue insculptione, aut incisione, aut quouis alio modo imponi consuetam. Quam aliqui deducunt ab appellatione Charactæ, seu materiæ ad scribendum idoneæ, ut litteræ: exarentur ut olim, vel incidantur; vel interibatur, ut modo iam diu est vltimatum. Alij è contra dicunt charactæ nomē deductum à characterē.

2 In priori articulo explicat S. Thomas, quasi an est, & necessitatem characteris, docens fideles per sacramenta aliquo spiritali characterē insigniri. In secundo incipit exponere quid est: asserens, quod character importat quādam potentiam spiritalē ordinatam ad eā, quæ sunt diuini cultus: quæ spiritalis potestas est instrumentalis: vnde character non est propriè in genere, vel specie; sed reducitur ad secundam speciē qualitatis. Addit tertio articulo, quod character sacramentalis specialiter est character Christi, cuius sacerdotio configurantur fideles secundum sacramentales characteres. In articulo quarto agit de eius subiecto dicens, quod character non est sicut in subiecto in essentia animæ; sed in eius potentia, nempe in intellectu, in quo est fides, ut dicit ad 3. Sicut autem intellectus perpetuus est, & incorruptibilis, ita character indelebiter manet in anima, ut probat artic. 5. Tandem artic. 6. probat, quod tantum per hæc tria sacramenta character imprimitur, scilicet per Baptismum, Confirmationem, & Ordinem.

Quæ his sex articulis docet S. Thomas, sex duobus sequentibus examinabimus, in priori

agente, de characteris necessitate: in secundo de eius quidditate: in tertio de eius significatione: in quarto de subiecto: in quinto de modo inhesionis in illo, differemus: in vltimo disputabitur de eius diuisione.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrum Sacramentum imprimat aliquem characterem in anima?

§. I.

De fide est tria Sacramenta imprimere characterem.

Quia articulo sexto explicat Sanctus Thomas, vtrum omnibus, vel solum aliquibus Sacramentis competat imprimere characterem; ideo nunc cum D. Thomæ articulo 1. ut exponitur à Caetano, & ab alijs communiter, indefinitè de sacramentis inquiremus an imprimant characterem? Quod est inquirere eius existentiam, & necessitatem.

2 Circa quid nominis aduertendum, quod character idem videtur significare, quod figura. Vnde ad Hebræos 1. ver. 3. vbi in nostra Vulgata habetur: *Et figura substantiæ eius:* in Græco loco *figura* habetur *character*, ut notat S. Thomas hic ar. 2. in 1. argumēto. Ideoque characteres appellantur figuræ litterarum. Et Apoc. 13. ver. 16. fit mentio de *characterē in dextera manu, aut in frontibus*. Et cap. 14. ver. 11. *Et si quis acceperit characterem nominis eius;* nempe bestiarum. Et cap. 19. ver. 20. *Qui acceperunt characterem bestiarum.* Vnde character est signum, figura, seu littera, aut sigillum, quo aliqua designatur, ut cognoscantur distincta ab alijs: sicut olim milites characterē Principis ipsi impresso, notabantur, ut refert Vegetius

tius lib. 1. de re militati cap. 8. Et nunc serui empitij in facie sigillantur. Et similiter quadrupedia, & numismata. Et sicut nunc in vestibus ordinum militarium sunt in singulis specialia signa, & quasi stēmata, sic olim in ipsa facie, vel corpore erant specialia signa, figuræ, vel characteres, aut signa. Trās ferendo ergo hæc ad spiritualia, & interna, est dubium, vtrum sacramenta vltra gratiā, quam conferunt, causent, vel imprimant ipsi animæ aliquod signum spirituale, quod vocetur character?

3 Negarunt ex Hæreticis Ioannes Vulelefus lib. 4. Trialogi cap. 15. vt refert, & impugnat Thomas Vualdensis to. 2. qui est de Sacramentis cap. 109. eo, quod neq; Scriptura, neque ratione probari potest sacramenta aliquem characterem imprimere. Similiter Calvinus in Antidoto Tridentini sess. 7. can. 9. Kemnitius in 2. p. examinis, & Tilmanus Heshuius de erroribus Pontificum tit. 15. vt refert Bellarminus, & confutat lib. 2. de Sacramentis cap. 18. idem probant, quia in Scripturis, & Patribus nulla de characterē mentio fit. Secūdo, quia inter ipsos Scholasticos nihil certum sit de characterē. Et tertio, quia primus author characteris fuit Innocentius Papa Tertius: de quo inquit Kemnitius, quod multa mala fecit, multa item falsa definiuit: præcipue, quod Orthonem Imperatorem creati curauerit, & postea in ipsum sententiam excommunicationis tulit.

4 Nihilominus veritas, Catholica fide credenda, est, quod sacramenta aliqua imprimunt characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile. Ita docet Innocentius Tertius in cap. *Maiores*, de Baptismo, & eius effectus. Et definiit Eugenius Quartus in decreto fidei, quod habetur in Concilio Florentino, post vltimā sessionem, §. *Quinto Ecclesiasticorum*, in fine. Et in Concilio Tridentino sess. 7. can. 9. Quod quamuis omnes Catholici sequantur, dixerunt tamen in assignando gradu certitudinis, & constituendo fundamento huius veritatis.

§. II.

Quamuis non sit expressum in Sacra Scriptura.

¶ Scotus in 4. dist. 6. q. 9. §. *Ad questionem* potest dici, contēdit huiusmodi assertio nem, neque è Sacris litteris, neque è Sæctorum Patrum testimonijs colligi posse, neq; per rationem naturalem probari. Nihilominus

propter solam Ecclesiæ auctoritatē, tutum non existimat ipsam negare.

Durandus in 4. dist. 4. q. 1. solū ait, omnes modernos confiteri imprimi characterem; & videtur negare characterem baptismi; tamen fatetur nonnulla probabilitate admittere characterem Ordinis.

Gabriel in 4. dist. 6. q. 2. art. 2. conc. 1. affirmat characterem, neque ratione certa demonstrari, neque euidenti auctoritate probari posse. In secunda conc. dicit probabiliter cōcedendum propter rationem aliquas persuasivas. Et tandem art. 3. dub. 1. in fine, ait. *Quare presumptuosum foret, negare characterem, eo quod Schola Theologorum communiter ita doceat.*

6 Vazquez disp. 134. c. 1. n. 6. docet veritatē hanc non probari sufficēter ex Sacra Scriptura. Neque ex Patrum testimonijs, quæ adduci solebant ab Scholasticis tempore Scoti, & Gabrielis, quia vt ait n. 20. illa nullius sunt momenti, vt ipsi aperte ostendunt: verum ea, quæ ipse adduxerat, magni æstima da sunt.

Quod autem veritas hæc inefficaciter probetur ex Sacra Scriptura, etiam docet Araujo articulo 6. dub. 1. num. 10. Meratius, & alij.

7 Alij vero fatentur contra proteruos non posse existentiam characteris euidēter probari ex Sacra Scriptura; tamen ex illa cum magno fundamento colligi, & adiuncta Ecclesiæ traditione, melius sic Scripturæ exponuntur. Ita Nuño art. 1. Et ibi Suarez, & Granado tract. 4. disp. 1. n. 4. Lugo disp. 6. sec. 1. nu. 3. Ruyz dub. 1. & alij: & mihi probabiliter videtur.

8 Per oppositum Thomas Vualdensis to. 2. cap. 105. & Soto in 4. dist. 1. q. 4. art. 1. §. *Sed reuera*, late docent veritatem hanc esse de fide, ex Sacra Scriptura, ex Patribus, & perpetua Ecclesiæ traditione. Idem docent Sayrus lib. 4. c. 1. q. 1. ar. 2. Archangelus Rubens in 4. dist. 4. Leander à SS. Sacramento tract. 1. de Sacram. disp. 3. q. 15. Bernal disp. 15. sect. 1. §. 1. num. 7. & alij. Probat Soto ex Vualdensi dicens. Nam si S. August. contra hæreticos aliam non habuisset arguēdi viā, nisi quia Ecclesia tunc superstes sic docebat, nullatenus eos deuicisset, nec tam prolixis disputationibus opus esset: Officium ergo Theologorum est Ecclesiæ dogmata in sacris eloquijs fundare. Rursus, si oporteret se per patentissima Scripturæ loca afferre, nihil Catholicus posset contra hæreticos perficere. Satis ergo est testimonijs secundū Sæctorum interpretamenta vt.

Sacra

Sacra Scripturæ præcipua testimonia sūt. In primis verba Apost. 2. ad Corinth. 1. quæ adducit S. Th. art. 1. nam ver. 21. ait Apost. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos Deus: qui & signauit nos; & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Vbi Græcè habetur: *Sigillauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Quæ verba absque vlla violētia intelliguntur de vnctione corporali, quæ fit in cōfirmatione externa; & postea facit mentionē de characterē, quo nos signat; & sigillat Deus: & demū gratiæ Spiritus Sancti augmento verificatur dare pignus Spiritus in cordibus nostris. ¶ Item ad Ephes. 4. ver. 30. ait Apostolus. *Et nolite contristare Spiritum Sanctum: Ver: in quo signati estis in diem redemptionis.* Vbi S. Hieron. ait. Symbolū Spiritus sancti in die Baptismi accepistis: Et Haymo. Sigillati, & assignati estis Deo in diē redemptionis. Et cap. 1. eiusdem epistolæ ver. 13. in quo, & credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis nostræ. Quia Spiritus sanctus est causa efficiens signationis, seu sigillationis, quæ fit in Baptismo. ¶ Demū Esai. 66. ver. 19. dicitur: *Et ponam in eis signum, & mittam ex eis, qui saluati fuerint; &c.* Quod de signo, & characterē baptismali, videtur congruē posse exponi.

9 Ad hæc tamen alij respondent. In primis in priori testimonio non esse sermonem de Cōfirmatione, sed Baptismo, vt exponit S. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 6. & lib. de ijs, qui initiantur cap. 7. & Theophil. & Oecumenius; & S. Chrysost. Theodoret. & D. Tho. & alij ibi: qui per illa tria dicunt significari gratiam Spiritus sancti: illa enim vnimur, & in filios Dei signamur, & pignus est, atque arrha gloriæ futuræ.

10 Pariter loquēdo de secundo testimonio ait D. Th. hac q. 53. ar. 3. ad 1. quod Apostolus ibi loquitur de consignatione, alias cōfiguratione, secundum quam aliquis deputatur ad futuram gloriam, quæ fit per gratiā: quæ Spiritui sancto attribuitur, in quantum ex amore procedit, quod Deus nobis aliquid largiatur, &c. ¶ Similiter in verbis primi capituli, licet loquatur Apostolus de signatione, quæ fit in Baptismo, iuxta communem Patrum expositionem: tamen Patres non declarant istam signationem fieri per signum realiter distinctum à gratiā, & virtutibus, & donis: vnde ex illo non probatur characterē imprimi, quod est signum indelebile; quod manet amissis gratiā, virtutibus, & donis.

11 Minus vrget testimonium Itaiæ: nam Diuus Thomas ibi duas adhibet expositiones: & neutra fauet characteri. Primo dicit

sensum esse: *Et ponam in eis, id est, Iudeis, qui erunt cum Zorobabel, & alijs ducibus, pignus, id est, edictum Cyri, ad gentes ad quas dispersi erant Iudæi.* Vel secūdo dicit verificari in lege gratiæ, quando signum Crucis ponit in Apostolis, vt omnes ad Deum conuertant, quasi ad iudicium præparantes. Quæ est expositio Glossæ; & Hugonis. Et Lyranus exponit de signo Crucis, quod apparebit in cælo, cum Dominus ad iudicandum venerit: iuxta illud Mathæi 24. ver. 30. *Et tunc parebit signum filij hominis in cælo.* Duas alias expositiones affert ibi Malijenda: nam quidam exponunt de missione visibili Spiritus Sancti, qui in signo ventis, & ignis effusus est in discipulos. Et Tremelius, & Iunius; exponunt signabo seruos meos incus virtute Spiritus; & administratione ipsorum signorum, fidē confirmantium: iuxta illud Marci vltimo; *Et sermonem confirmante sequentibus signis.* Vbi vides Expositores conuenire, quod loquatur de signo externo, quo cognoscendi sunt inter gentes: & ita non loquitur de spirituali, & inuisibili characterē. Vel si loquatur de signatione inuisibili; nihil est quo probari possit loqui de signatione distincta ab ea, quæ fit per gratiam Spiritus Sancti; Vnde quāuis probabiliter, supposita fide characteris, de illo hæc testimonia exponantur; non tamen sunt apta testimonia vt illis hæretici conuincantur: quando ipsi Catholici sine mentione characteris congruum verborum sensum declarant. Quamuis autem characteris non sit in Sacra Scriptura expressa mentio; quia tamen pro eo extant expressa, & præclara Patrum testimonia, ex quibus certificamur de perpetua Ecclesiæ traditione; ideo accedente definitione Florentini, & Tridentini, est veritas fide catholica necessaria credenda.

12 Sed instat Bernal nu. 7. Primo, quia sicut hæc responsio satis est cōfirmandis Catholicis; ita inutilis est cōuincendis hæreticis: Imò utilis in sua perfidia confirmandis; cum eis cōcedatur verū esse fundamentū, in quo vnice ipsi nituntur. Secūdo, quoniam ipsam Ecclesiā perpetuā traditionē nō aliūde illis probare possumus, quā è SS. Patribus, ex quibus Scholastici characterē didicerunt. At qui Sacra Partes characterē non possuerunt de suo capite, sed ex diuinis litteris: ac proinde ex adductis testimonijs hauserunt. Quod si testimonia illa Scripturarum ita licet exponere, vt characterē non adstruat; latūdem profecto dicēt hæretici de testimonijs Patrum. Si enim illa verba: *Nos vnxit; signauit; & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris:* Synonima esse, &

R;

vaam

vna, ac eadē gratiæ infusionē significare cōcedimus; quodnā reperitur in Patribus testimoniū, cui nō possumus parem aptare Synonymiā? Qua propter adduci nō possum, vt permittā, aut credā, assertionē characteris sacramentalis in Sacris litteris non cōtineri. Hæc ibi.

13 Ita tamē parum vrgēt; imò parū sōlidā continēt doctrinā. Primo, quia damus occasionē irridēdi fidē catholicā, si dicamus vnice characteris assertionē probari ex Sacra Scriptura: & tamē sōlū proferimus pro probatione testimonia illa, quæ ante exortā cōtrouersia, absq; vlla impropriate, & violētia, ab ipsīs Sanctis Patribus, & alijs Expositoribus antiquis, & modernis catholicis, intelligūtur sine vlla mētionē characteris.

Secundo, quia opus est vt Hæreticos cōfundamus, & eorū obstruamus ora, ostendēte hāc cōsequētiam esse perueriam: *Hoc nō habetur expressum in Sacra Scriptura ergo nō est credēdū fide catholicā*: quia ipsa Scriptura sacra docet multā nos tenere per traditionē. Sicut nō benē valet: cultus Sanctarū imaginū non habetur in sacra Scriptura: ergo sacrae imagines nō sunt colēdæ. Et in hac ipsa materia, septenarius sacramentorū numerus, & materiæ, & formæ ipsorū non habētur in Sacra Scriptura: Neque in illa est mētio de crismate, quo homines confirmantur: & de oleo, quo sacerdotes inunguntur: Neque de multis alijs tam verbis, quam factis, quibus vitmur in sacramentis. Respondēt enim optime D. Tho. 3. p. q. 64. artic. 2. ad 1. quod ea, quæ sunt de necessitate sacramenti, ab ipso Christo instituta sunt, qui est Deus, & homo. Et licet nō sint omnia tradita in Scripturis, habet tamen ea Ecclesiā ex familiarī Apostolorum traditione: sicut Apostolus dicit 1. ad Corin. 11. Catera, cū venero, disponā. De quo latius M. Petr. Soto in Institutione sacerdotum, de sacramentis Iec. 6. & 7. Pariter assertio characteris, quam uis non sit asserta, sed solum insinuatā in Scriptura, tamen Ecclesiā potuit eam diffinire vt de fide credendā, quia ita accepit à Patribus, qui id didicerunt ex Apostolorum traditione, qui à Spiritu Sancto, & à Christo sunt edocti.

§. III.

Expressum in Patribus ex Apostolorum traditione.

14 Quid igitur doctrina characteris sit Apostolica traditio, à Patribus expressa, contra Scotum, & alios, probatur ex

D. Thoma in 4. dist. 4. q. 1. artic. 1. ubi ait, si quis diligenter consideret verba Dionysij lib. de Eccles. hier. cap. 2. à quo prima traditio characteris nobis aduenit. Et artic. 2. ex verbis eius characteris definitionem format: & artic. 4. quæst. 3. ait. Sed contra est autoritas Dionysij, ex qua characteris traditio derivatur: quia ipse adducit verba illa unde definitio characteris accipitur, in tractatu de Baptismo. Et iterum quæst. 4. & hac 3. part. quæst. 63. artic. 2. eadem virtur S. Dionysij autoritate: nam parte 3. illius cap. 2. inquit. Hunc diuina maiestas in sui consortium intrus admittit, eique litem suam, perinde ac signum aliquod, tradit.

15 Respondēt Scotus in 4. dist. 6. q. 9. §. Secundum principale, quod signum, de quo loquitur S. Dionysius, non est aliud, quam signatio hierarchæ, & impositio manuum, & descriptio baptizandi: quæ omnia fiebat longe ante baptismum.

16 Euationem hanc multis impugnat Capreolus in 4. dist. 3. quæst. 1. artic. 3. ad 1. Scoti contra quartam. Primo, quia falsum assumit, quod S. Dionysius non loquatur, nisi de vnico signo: nam ibi expressam mentionem facit de interiori signo, quod lumē vocat: & postea loquitur de exteriori signo dato à hierarcha: quod significat primum lumen faciens hominem diuinum, & communicatorem ordinationis, &c.

Et ibi hanc statuit generalem regulam: *Sunt ea sacra, quæ sensu percipiuntur, eorum, quæ animo cernuntur, imagines.* Secundo falsum est, quod S. Dionysius non loquatur de actu baptizandi: vt clarissime patet ex eius verbis. Et quod ibi fiat mentio de characterē, constat (inquit enim) nos autem ascensionibus Sanctis, ad eorum, quæ sunt principia respicientes, & ista sancte docti cognoscimus quorū characterum sunt expressiones, &c. Quare Capreolus concludit, quod Scotus non aduertit S. Dionysium primo retulisse ritum sacramenti, & postea exposuisse significationē ritus: & cum character sit res, & sacramentum simul, de illo expressam mētionem facit. Aliā expositionem verborum S. Dionysij tradit Soto in 4. dist. 1. q. 4. art. 2. §. In primis. Et artic. 1. §. Hinc ergo, in fine.

17 Idē confirmat Bernal disp. 15. sect. 1. §. 2. nu. 9. quia S. Dion. de illo, qui baptizatur, inquit non longē à fine. *Eum, qui rita deducitur, beata diuinitas in cōmunionē suā recipit eius lumen suum, quasi signum tradit.* Et ibi ait. *Quæ quidem omnia significat signum (Græce sigillum) quod Pontifex dat venienti. Quasi dicat per sigillum exterius datū significari sigillum, seu characterem animæ impressum.*

Sive

Sive enim sigillum istud exterius nihil aliud fuerit, quam Crucis signum, vt Lanfelles interpretatur: sive ex instituto veteris Ecclesie fuerit Episcopale sigillū chartæ impressū, certē id baptizato dabatur vt significaret notā illum animæ impressam, eamque planē distinctā à gratia sanctificante. Sic enim arguit S. Dionysius. *Sunt ea sacra, quæ sensu percipiuntur, eorum, quæ animo cernuntur imagines.* Quia symbola externa sunt signa donorum spiritualium, quæ eisdem conferuntur interiorius. Sed baptizato cōfertur immersio in aqua, sacrum oleum, & sacrum sigillum: ergo sicut immersio significat abolitionem peccati, & oleum significat gratiam, ita sacrum sigillum significat sacrum characterem, seu diuinā notā eiusdem animo impressam.

18 Authoritates SS. Damasceni, Isidori, Cypriani, Ambrosij, & Anselmi, & aliorū refert Vualdensis cap. 110. Alias superaddit Bellarm. cap. 21. & alij: nempe S. Cyrilli Hierosolimitani, S. Cyrilli Alexandrini, S. Basilij, S. Greg. Nazianz. S. Epiphaniij. Sed missa facio hæc Parrum verba legenda in ipsis, & in Authoribus relatis, vt ponderem verba S. Augustini.

19 Qui præ omnibus Patribus sapius, & expressius loquitur de characterē Epistola 2. seu lib. 2. contra Parmenianum cap. 13. refertur c. Quod quidem. 1. q. 1. à D. Th. artic. 1. & epist. 23. ait, quod consecratio baptismi ritum facit hereticum extra dominicum gregem habentem dominicum characterem. Et lib. 6. de Baptismo contra Donatistas cap. 1. non solum id docet, sed & refert approbatum à Patribus Concilij Africani: cum enim dixisset hæreticos, & si peccata non dimittant: *habere tamen, & dare, & accipere baptismi Sacramentum, satis (inquit) eluxit Pastoribus Ecclesie Catholice toto orbe diffusæ, per quos postea plenarij Concilij autoritate originālis consuetudo firmata est, etiam oleum quæ foris errabat, & dominicum characterem à falsis acibus deprædatoribus suis foris (scilicet extra Ecclesiam) acceperat, venientem ad Christianæ unitatis salutē, ab errore corrigi, à captiuitate liberari.* Quod testimonium est grauissimum propter auctoritatem Concilij Generalis Africani: quod licet non extet in proprijs codicibus, extat, quoad hoc relatū à fidelissimo, sapientissimo pariter, ac SS. Augustino.

20 Quare admiratione est dignum, quod Scotus, cum mentionem fecerit istius auctoritatis S. Augustini, contendat tamen ipsum nullam mentionem fecisse de characterē. Et magis mirandū (ne dicam deridēdum) quod Vazquez cap. 1. n. 12. & 13. cū

plurima adduxisset S. Augustini testimonia, quibus concludit, quod res hæc apud S. Augustinum manifestissima est, ita vt de illius mente nō liceat dubitare, vt patet epist. 50. & 204. non longē ab initio, & tract. 5. & 6. in Ioann. & lib. 2. contra litteras Petilianic. vit. & lib. 1. contra Cresconium cap. 30. Et in Epist. 102. tract. 5. Tamen postea ipse Vazquez nu. 20. dicat testimonia, quæ adduci solebant ab Scholasticis tempore Scoti, & Gabrielis, nullius esse momenti; verum ea, quæ ipse Vazquez adduxerat, magni estimanda esse. Verum tamen hoc est intolerabile, & parum conuequenter, & minus consideratō scriptum: quia præcipuum testimonium S. Augustini legere poterat Vazquez relatū à D. Thom. artic. 1. Et aliud, in quo totam vim facit ex lib. 6. contra Donatistas, retulerat S. Thomas in lib. 4. Sententiarum dist. 4. artic. 1. in argumento sed contra, & etiam retulerat Scotus. Si autem ista testimonia efficacia nō sunt, pariter dicetur de alijs auctoritatibus, quæ Vazquez accepit à Bellarmino, & Valentia, & ipsi ab Vualdensi, Capreolo, & alijs antiquis.

21 Adijcit Granadus tract. 4. disp. 1. nu. 4. optimum testimonium S. Cyrilli Alexandrini in Concilio Ephesino tom. 1. Conciliorum folio 886. columna 1. qui agens de eo, quod nobis datur in Baptismo: *Per eum (inquit) diuinus nobis character imprimitur.*

22 Tempore etiam Magistri Sententiarum, qui quinquaginta fere annos Innocentium Tertium præcessit, doctrina de characterē erat in Scholis recepta, vt patet in 4. dist. 8. c. 4. & clarius dist. 25. c. ante penult. seu lit. K. & ipse Innoc. 3. c. *Maiores de Baptismo* §. *Itē queritur*, loquitur de characterē, tāquā de re notissima, & certissima, & apud Doctores indubitata. Et paulo post D. Th. in 4. dist. 4. q. 1. artic. 1. ait, *dicēdi, quod characterem in sacramentis quibusdam imprimi, omnes molles cōfitentur: sed in modo ponēdi ipsum in anima, partim differunt, & partim cōueniunt.* Et postea in fine corporis, docet, quod à S. Dionysio prima traditio characteris nobis aduenit.

23 Per quæ respondēt argumētis hæreticorum, quia multa habemus de fide credenda ex Apostolica traditione: quæ ex Patribus derivatur, & à Concilijs, & Pontificibus diffinitur. Falsum etiam esse patet Scholasticos disētire in ponēdo characterē: quia solum differunt in modo explicādi quid sit: Quod ad fidem non attinet, sed pertinet ad Sciōiæ exercitiū. Nullus autem Scholasticorum omnino characterem negat. Nam Scotus §. *Ad quæstionē*, expressē dicit, prop-

ter Ecclesiæ autoritatem esse ponendum characterem imprimi; quia ut habetur cap. *Ad abolendam, de hæreticis*, sentiendum est de sacramentis Ecclesiæ, sicut sentit Ecclesia Romana: & ista in cap. *Maiores*, docet sacramenta imprimere characterem. Item Gabriel Biel (qui immerito dubitat an hoc Ecclesia definiat) tamen in sine primi dubij dicit esse præsumptuolum negare characterem.

24. Mendacia vero illa, quæ confingunt Hæretici de Innocentio Tertio laudatissimo Pontifice, benè confutant Bellarminus cap. 18. & passim alij, qui aduertunt, quod Albertus Krantius natione Germanus, qui ante exortam hæresim Lutheri scripsit, multa præclara de Innocentio Tertio narrauit libro 9. Metropolis cap. 1. & libro 7. Saxoniæ cap. 37. sincerè retulit Othonem Imperatorem rebellem fuisse Ecclesiæ, & ob id multa ei aduersa accidisse: ideoque in mortis articulo constitutum maximo dolore, & poenitentia affectum fuisse.

§. IV.

Ratio Diui Thomæ exponitur.

25. Ratio demonstratiua ad hoc probandum, frustra quæreretur, cum unica ratio à priori sit voluntas Dei meritis Christi voleatis sic insignire, & nobilitare Christi sectatores. Et ideò Diuus Thomas, ut notat Caietanus articulo primo §. *Aduerte hic*, persuasibilem hanc veritatem Ecclesiasticam reddere studuit, ex ratione proportionalis similitudinis inter homines deputatos ab homine ad militiam corporalem, & deputatos à Deo ad cultum Christianæ religionis (quæ utique est militia illius, qui est Dominus fortis, & potens in prælio, ad debellandas aereas potestates, vincendumque mundani sectatus S. Augustini vestigia. Rationabile siquidè est, ut sicut homines à principibus mundi huius confueuerunt ad corporalia corporali nota insigniri; ita pariter cùm homines à Deo ad perennem spiritualem cultum secundum animam deputantur, conueniens est, quod spiritali signo notentur in anima: sic enim diuinam prouidentiam disponere homines suauiter inuenitur, ut scilicet proportionaliter insigniantur secundum animam à Deo; sicut secundum corpus confueuerunt à principe humano insigniri.

26. In quibus verbis non asserit Caietanus, ut ei quidam imponunt (nisi in editione antiqua id haberetur, & in editione Romana sit deletum, ut vult Cabrera art. 1. nu. 12. & tenet Ruyz dub. 1. §. *Inferitur etiam* &

revera ita est ex parte) doctrinam characteris esse solum probabilem, & persuasibilem, & haberi autoritate solius Sancti Augustini, vel autoritate non multò antiqua. Quia potius art. 2. §. *Sed posito hæc*, dicit autoritate Ecclesiæ diffinitam hanc veritatem in cap. *Maiores*, & in Concilio Florentino, & §. *Ad hoc dicitur*, utitur autoritate Sancti Dionisij adducta à Diuo Thoma, quæ autoritas est satis antiqua. Sed solum ait Caietanus hanc veritatem *Ecclesiasticam*, hoc est, ab Ecclesia diffinitam, & creditam; ratione D. Thomæ non demonstrari (quod per se notum est: quia institutio autoritate magis, quam ratione probanda est: nam quæ ex sola Dei voluntate pendent, demonstrari nequeunt) sed solum persuasibile reddi. Quod omnes concedunt. Vnde Caietanus in nullo recedit à communi doctrina: nec ratio eius differt à ratione D. Thomæ, ut ipsum legenti, & conferenti cum textu D. Thomæ, erit perspicuum.

27. Confirmat S. Tho. conclusionem, & rationem eius autoritate S. August. tom. 7. lib. 2. contra Parmenianum cap. 13. dicentis. *S. militia characterem in corpore suo non militas pauidus exhorruerit, & ad clementiam Imperatoris confugerit, & præcepsus, & venia impetrata, militare tam ceperit, & nunquid homine liberato, & atque correcto, character ille repetitur; ac non potius agnitus approbatur? An forte minus hærent sacramenta Christiana, quam corporalis hæc nota?*

28. Circa rationem in his verbis Sancti Augustini iactatam, aduertendum aliquos probare per tria sacramenta imprimi characterem, quia non possunt iterari. Hanc enim rationem Sanctus Augustinus, imò & Concilium Tridentinum les. 7. can. 9. significauit, ubi ex characterè, quem imprimunt, infert ea iterari non posse.

Hæc tamen ratio (inquit Lugo disp. 6. sec. 1. n. 5.) non videtur satis efficax, quia licet ex impressione characteris arguatur benè, non posse iterari sacramenta, prout intulit S. Augustinus, & Concilium Tridentinũ; non tamen videtur contra argui benè ex eo, quod iterari nõ possint, quod imprimantur characterè: nam consecratio calicis, vel Ecclesiæ, ac etiam prima tonsura iterari non possunt; & tamen non imprimunt characterem, ut constat. Posset etiam Deus, non concesso characterè, statuere, decreto immutabili, quod ille, qui semel accepisset potestatem sacerdotalem, nunquam eam perderet: vnde fieret, quod illa potestas iterari nõ posset, etiam si non imprimere characterem.

Deui-

Denique, Ecclesia non potest de facto facere, quod oleum semel benedictum ab Episcopo ad sacramentum Extremæ vnctionis; aut Crisma ab eodem benedictum ad Confirmationem, non maneat ulterius benedictum; aut non sit materia sufficiens, & idonea horum sacramentorum: quia hanc Christus instituit. Et tamen per benedictionem nõ imprimitur character, vel quidquam in oleo; aut Crismate, ut diximus quæst. 62. dub. 4. num. 23. Licet in neutro possit reiterari benedictio. Ergo ex eo, quod Ecclesia non possit vniquam iterare ordinationem Sacerdotis, aut illum, qui semel est Sacerdos, reddere laicum, non arguitur bene impressio characteris in animam sacerdotis.

Ceterum illa ratio contemni nequit, quia illa utitur D. Thom. quæst. 72. art. 5. in arg. *Sed contra*. Et sequè D. Augustini ostendunt *Vvalder* tom. 2. de sacramentis cap. 110. & *Soto* in 4. dist. 1. q. 4. art. 1. Et Bellarminus contra Caluinum lib. 2. de sacramentis cap. 22. Et est ratio adæquata, & ad conuertentiã: nam arguendo ex impressione characteris nõ posse iterari, arguitur à priori, ut arguit Concilium: arguendo tamen imprimere characterem, quia non iterantur, arguitur à posteriori, supposita voluntate Dei de facto instituta, quod omnia, & sola imprimètia characterem non possint sacramenta iterari. Et sic cessant argumenta, quia procedunt de possibili, & non rebus ut nunc, quando prima tonsura solum est quid præuium ad sacramentum. Et aduertit S. Thomas quæst. 72. art. 3. ad 2. quod sunt quædam sacramenta, quarum materia sunt idoneæ ad vsum sacramenti ex ipso vtu Christi: ad id vero indigent alia sanctificatione inchoata.

29. Nec tamen illorum argumentorum vim euadit Bernal disput. 15. lect. 5. §. 5. docens rationem ponendi sacramentalem characterem esse, ut inde facilius, & clarius intelligeretur tria illa sacramenta esse initerabilia. Est enim dogma istud summi momenti; prout constat, tum ex varijs Conciliorum generalium definitionibus; tum ex libro 1. *Decretalium*, tit. *de sacramentis non iterandis*. Inde autem facillimè, & clarissimè intelligitur tria illa sacramenta non posse in eodem subiecto repeti, quia imprimunt characterem indelebilem; & ideò non est ad quid repetantur. Per Baptismum enim intramus Ecclesiam: & voluit prudentissimè Deus ut ab hoc ingressu non posset esse regressus: per Confirmationem consignamur in Christi milites: & pari prudentia voluit, consignationem esse indelebilem, cum sit perpetua, &

initerabilis militia hominis super terram: per Ordinem accipitur dignitas, & potestas grauissimi momenti; cuius amissibilitas magnis exundaret incommodis.

30. Ceterum hac via vim argumenti nõ euadi costat, quia illa bene explicatur ex impressione characteris sacramenta illa tria iterari non posse. Et hæc est ratio Sancti Augustini, & Concilij Tridentini diffinitis per illa tria imprimi characterem, & inde inferentis, quod nõ possunt repeti. *Vnde*, inquit, *ea iterari non possunt*. Sed reitatur exponere an bene arguatur, quod quia initerabilia sunt imprimantur characterè: quia contra hoc sunt instantiæ de consecratione calicis, & de prima tonsura; & de benedictione crismatis, & olei: quæ iterum nequeunt benedici: & characterem non imprimunt. Et diximus cap. 31. *Theologia Moral* quæst. 14. §. 2. vique ad 5. *Monachum* solemniter profectum, nõ posse fieri secularem; quamuis professio Characterem non imprimat. Et sine impressione characteris matrimonium ratum, & consummatum, est indissolubile utroque superflite. Ergo ratio ponendi characterem, non est ut facilius explicetur initerabilitas.

31. Sed ratio à priori est voluntas Dei: & ratio congruentiæ est, quæ assignatur à Diuo Augustino, & Diuo Thoma, quia sacramenta nouæ legis ordinantur ad perficiendam animam in his, quæ pertinet ad cultum Dei, secundum ritum Christianæ vitæ. Quicumque autem ad aliquid certum deputatur, conuenit ad illud consignari: sicut milites, qui adscribentur ad militiam antiquitus, tolebant quibusdam characteribus corporalibus insigniri; eo quod deputabantur ad aliquid corporale. Ergo cum homines per sacramenta deputentur ad aliquid spirituale pertinet ad cultum Dei, consequens est, quod per ea fideles aliquo spiritali characterè insigniantur.

32. Sed instabis: nam videmus hodie homines adscribi ad militiam corporalem, quin milites notentur, aut sigillentur in corpore notis, seu characteribus corporalibus; sed iustificat quod verbotenus à Duce admittantur ad militandum, vel in aliquo libro eorum nomina scribantur: ergo ut seruaretur proportionalis similitudo inter militiam spirituales, & corporalem, sufficit in Christianis extrinseca denominatio a sacramento præterito, vel relationis rationis, sicut fit in militia corporali. Et sicut in ipso ordine spiritali esse Canonicum, vel esse prælatum non fit aliquo nouo characterè ipsius impressio; ita nec videtur vlla necessitas impressio-

nis characteris spiritualis in anima.

32. Respondetur absque dubio de potentia absoluta res potuisse ita statui, quod sine charactere constituerentur Christiani; sicut in antiqua lege constituebantur catholici, & ante datam circumcissionem, non solum sine signo interno, sed etiam sine charactere interno: & sicut martyres Machabæi confessi sunt fidem sine charactere confirmationis: & sicut omnes Sacerdotes, qui Christum præcesserunt, fuerunt ordinati sine charactere in anima impresso. Sed tamen propter excellentiam Sacerdotij Christi placuit Deo his militibus insignijs suis milites insignire. Sicut autem inter homines amicitia non ponit aliquid intrinsecum; & tamen gratia Dei ponit aliquid creatum in anima intrinsecum; & inherens, ut est de fide, & probat D. Th. 1. 2. q. 110. art. 1. ut suavius res disponantur, & propter maiorem efficaciam diuinæ operationis, & amicitia. Ita ad maiorem Dei providentiam pertinet, propter congruentiam assignatam, suos spirituales milites spirituali, interno, & indelebili insignire charactere; ut efficaciori, & saniori modo res disponantur.

Vnde Soto in 4. dist. 1. q. 4. art. 1. §. Respondeatur ergo, sic respondet simili argumento Scoti, quod non est exigenda necessitas omnino simpliciter. Multa enim Deus fecit, que potuit aliter facere: sed suavius sic fecit. Et satis est Doctores Ecclesiæ sic nos docuisse. Nec vero ratio naturalis deest; quæ characteri patrocineretur: suffragatur enim ei similitudo, & exemplum, quod à se militari D. Thomas, imò & sæpissimè D. Augustinus adducit. Hæc ibi.

33. Iterum obijcies: nam character ponitur ut sit signum distinctiuum fidelium ab infidelibus, & fidelium inter se: sed in anima spirituali non possunt esse huiusmodi signa: nam signum, ut dicit S. Augustinus to. 3. lib. 2. de doctrina christiana initio; est quod præter speciem, quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. Nihil autem est in anima, quod aliquam speciem tentibus ingerat. Ergo videtur, quod in anima non imprimatur aliquis character per sacramenta.

Confirmatur: nam prima tonsura constituit, & distinguit Clericum a non Clerico: & nullam characterem imprimat: ergo pariter dici potest in sacramentis omnia rectè explicari sine impressione characteris.

Confirmatur secundo, quia nullus habet characteris necessitate, ut illo utatur ut sig-

no distinctiuo: nam Deus, & Beati sine charactere cognoscunt Petrum esse ritè baptizatum, confirmatum, & ordinatum. Damnati supernaturalia, quæ speciali indigent revelatione, non cognoscunt. Viatores characterem, nec in se ipso vident, neque ex aliquo effectu clarè deprehendunt. Ergo character vane ponitur ut sit signum distinctiuum fidelium ab infidelibus.

34. Ad argumentum responderetur cum D. Thom. art. 1. ad 2. quod character animæ impressus, habet rationem signi in quantum per sensibile sacramentum imprimitur: per hoc enim scitur aliquis esse baptismali charactere insignitus, quod est ablutus aqua sensibili. Nihilominus tamen character, vel signaculum dici potest, per quamdam similitudinem, omne quod configurat alicui, vel distinguit ab alio, etiam si non sit sensibile: sicut Christus dicitur figura, vel character patris substantiæ, secundum Apostolum ad Hebræos. 1.

35. Circa quam S. Thomæ doctrinam, notat Caietanus, duas in illa à D. Thoma adhiberi solutiones. Et iuxta primam distinguitur maior, character est signum, si sumatur character formaliter, & secundum se; nego maiorem; loquendo de signo sensibili: quod est tale in rigore, & proprietate. Si sumatur casualiter, vera est maior: quia character, non secundum se, sed secundum suam causam (hoc est, non solitariè sumptus, sed ut est sub sua causa sensibili, quæ est sacramentum) habet rationem signi. Addit Caietanus, quod quia hæc prima responsio multis non facit satis, apposita est à D. Tho. altera responsio de ipso charactere in se ipso, & formaliter sumpto; iuxta quam docet characterem spiritualem; & insensibilem esse signum configuratiuum, & distinctiuum, quia etiam in spiritualibus sunt huiusmodi signa per quamdam similitudinem ad signa sensibilia.

35. Vltimus addit Soto in 4. dist. 1. q. 4. art. 1. ad 2. quod tamen si secunda responsio videatur magis legitima. Tamen prima fuit etiam necessaria: quoniam alias fieret argumentum, quod cum character sit signum distinctiuum Christiani gregis inter homines, debuit esse signum hominibus perceptibile. Percipitur ergo per sacramentum: nam cum ait Paulus baptizatos gratia baptismatis vngi, ac subinde consignari: inde cognoscimus signatos esse eos, qui baptizantur. Quamuis etiam characteres in via non cognoscemus, satis est, quod in die iudicij reuelabuntur nobis. Hæc Soto. Videatur D. Thomas artic. 2. ad 4.

Sed

36. Sed aduertendū ex dictis lib. 1. Diælecticæ cap. 2. q. 3. num. 17. & hæc 3. p. q. 60. dub. 7. n. 14. quod licet quoad vocis proprietatem, & primam impositionem, sint signa solum, quæ sensibus offeruntur, & respectu istorum solum per quædam similitudinem, & analogiam, sint signa in spiritualibus. Tamen ut iam vox est in usu loquentium, in spiritualibus proprie sunt signa, & formalia, & instrumentalia. Prima ergo solutio procedit de signo sensibili; & secunda de signo spirituali. Ideo ambæ sunt simul veræ; quia character non sentitur, neque offertur sensibus, nisi per suam causam, a qua imprimitur sensibilibus. Character vero in se ipso est verè, & proprie signum spirituale: & ideo hoc in eius definitione ponitur.

37. Ad primam confirmationem respondetur cum D. Thoma in 4. dist. 24. q. 3. art. 1. q. 2. quod corona non est ordo, sed præambulum ad ordinem: quia per Tonsuram non datur aliqua spiritualis potestas, sed solum extrinseca deputatio ad tale ministerium: & ideo nec imprimat characterem, sicut nec benedictio vestium, & vasorum: de quo S. Thomas ibi ad 1. & 2. quia ista sunt præambula, & solum ex decencia requisita ad ordinem.

38. Ad secundam confirmationem patet ex dictis n. 35. & in terminis huic argumento respondet S. Thomas in 4. dist. 4. q. 1. art. 2. q. 2. ad 3. dicens, quod istud distinctionis signum est, & propter ipsum hominem, qui suscipit; qui eo accipit distinctum posse ab alijs: & propter alios homines, qui eum admittunt ad spirituales actiones, ex consignificatione sacramentali exteriori in teriorem perpendentes: & quoad Deum, qui eius actionibus spiritualibus efficaciam præbet. Iuxta hoc ergo asserendum, cum D. Thoma ibi art. 2. q. 1. ad 2. quod character accipit rationem signi, secundum quod per sacramentum visibile exteriorius efficitur, & significatur. Vnde dicendum, quod signo sensibili apud viatores, solum distinguiuntur per sacramenta: sed signo invisibili intrinsecè inherente, in alia vita ut in se est cognoscibili, distinguiuntur per gratiã, & characterem: licet diuersimodè, ut exponit D. Thomas art. 3. ad 3. dicens, quod character distinguitur aliquis ab alio per comparationem ad aliquem finem in quem ordinatur; qui characterem accipit: sicut dictum est art. 1. de characterem militari, quo in ordine ad pugnam, distinguitur miles Regis a milite hostis. Et similiter character fidelium est quo distinguuntur fideles Christi à seruis Diaboli; vel in ordine ad vitam æternam; vel in ordine ad cultum præsentis Ecclesiæ. Quorum primum fit per charitatem, & gratiam, quæ sola distinguit inter filios regni, & filios

perditionis, ut S. Augustinus dicit lib. 18. de Trin. cap. 18. Secundum autem fit per characterem sacramentalem: Non quia Deus, & Beati his indigeant ad iustos, & Christianos cognoscendos: sed quia sic melius, & efficacius, & nobiliter participant Sacerdotium Christi, & ei configurantur. Videatur D. Thom. ad 1. art. 1.

§. V.

Utrum sacramenta antiqua impresserint Characterem?

39. Sed contra rationem prædictam conueniunt alia difficultas: nam sicut per sacramenta nouæ legis distinguitur fidelis ab infideli; ita etiam per sacramenta veteris legis. Sed sacramenta veteris legis non imprimantur aliquem characterem in anima: unde & dicuntur iustitiæ carnis, secundum Apostolum ad Hebræos 9. Ergo videtur, quod nec sacramenta nouæ legis imprimunt characterem.

40. Respondet Scotus in 4. dist. 6. q. 9. §. Ad rationes, negans minorem: quia Circumcisio etiam impressit characterem spiritualem in anima; quia ita fuit prima ianua salutis in lege Mosaica; sicut Baptismus in lege noua. Neque obstat, si dicatur sequi ex ista sententia circumcisum non debere baptizari; quia iam habebat characterem: nam Scotus negat consequentiam: & dicit posse teneri characterem illum esse eiusdem rationis cum baptismali; & quod tunc in baptismo circumcisi per accidens non imprimetur character: vel quod imprimerentur tunc duo characteres eiusdem rationis. Vel denique affirmat teneri posse characteres fuisse diuersæ rationis: & quod Baptismus solum perficeret characterem circumcissionis antea impressum.

41. Omnino tamen tenenda est sententia D. Tho. Beati Alberti Magni, & Theologorum omnium antiquorum, & recentiorum communis. Afferit ergo D. Thom. art. 1. ad 3. quod sicut supra dictum est q. 62. art. 6. dub. 7. sacramenta veteris legis non habebant in se spirituale virtutem ad aliquem spirituale effectum operandum. Et ideo in illis sacramentis non requirebatur aliquis spiritualis character: sed sufficiebat illis corporalis circumcisio, quam Apostolus signaculum nominat ad Rom. 4. Hanc S. Th. ratione indicat S. Ioan. Chriost. hom. 2. in c. 1. ad Ephes. dum ait. Obfignati sunt, & Israelitæ; sed circumcisio, quemadmodum pecudes obfignati sumus; & nos, sed spiritu, ut pote filij. Quod testimonium avertit Suarez disp. 11. sect. 1. initio.

R. 4

Deia

Deinde S. Tho. in 4. dist. 4. q. 1. art. 4. q. 1. ad 2. ait, quod sacramenta veteris legis ex opere operato nihil conferebant: Et ideo illæ actiones non requirebant aliquam spirituales potestatem: Et ideo nec ab illis, nec ad illa imprimebatur character. In speciali de Circumcisione dist. 1. q. 2. art. 4. q. 1. ex professo probat, quod circumcisio principaliter erat lignum ad purgandum constitutum: Et sic non competebat, quod in ipsa character spiritualis conferretur. Quia nec erat ianua sacramentorum spiritualium: siquidem iustitiæ carnis ab Apostolo dicuntur.

42 Mirum præterea est, quod Scotus adeo dubius sit in admitendo characterem in Sacramentis novæ legis: quem tamen indicant Scripturæ, fatentur Patres, & Concilia diffiniunt, & credunt fideles. Et tamen abique vlla auctoritate, aut firma ratione velit ut credamus in lege antiqua circumcisionem impressisse characterem spirituales, quem in lege antiqua ante Scotum nullus agnovit, & post eum, omnes impugnat. Cum apud Scotum, vnicum motuum admittendi characterem, sit quia ita habetur cap. *Maiores, de Baptismo*: & constat, quod ibi hoc non conceditur circumcisioni.

43 Nec video, qua probabilitate sustineri possit, aliquando baptismum validum characterem non imprimere, cum contrarium Concilia doceant. Nec recta Philologia permittit, quod de facto duo accidentia solo numero distincta sint in eodem subiecto: et si duo characteres solo numero distincti in eodem admittuntur, possent valide sacramenta imprimere characterem iterari, ut in eodem characteres multiplicarentur numero: Denique, si baptismus solus extenderet sacramentum circumcisionis, & eius characterem, ex natura sua illum prætergeret: ut contingit in Sacramento Ordinis, quia vnus character ex natura rei supponit alium, cuius est extensio. Non ergo equalitates illæ vitant inconuenientia, sed ea multiplicant.

§. VI.

Vtrum in vinctio Regum imprimatur Characterem?

Hanc difficultatem paucissimi ex pro- fessis disputant Theologi: quia vna- nimes supponunt partem negatiuam, eo quod Reges non sacrantur ad aliquid spirituale, nec accipiunt potestatem spirituales; sicut sacrantur sacerdotes. Nihil autem est adeo inter homines exploratum, quod ab alio non negetur, præcipue adulationis spi-

ritu suggerente. Quidam Doctor Parisiensis, & Canonicus Lugdunensis Vestianus nomine aulus est affirmare vinctioem Regum Galliarum conferre gratiam, & imprimere characterem indelebilem.

45 Contra quem videndus Alexander Patritius Armæcanus, vel qui est Author operis de bello, & confederationibus Regis Galliarum, libro 1. à cap. 4. vsque ad 7. offendens hæc esse sententiam inauditam in Ecclesia, & ideo remouendam, quia res tanta sine auctoritate affirmatur: & ut ait Sanctus Augustinus libro 6. Musica cap. 11. *Vera phantasmata habere pro cognitis, summus error est.* Secundo, quia sequitur illam vinctioem dare gratiam, & imprimere characterem ex opere operato. Nihil ergo ei deerit ut sit octauum Ecclesiæ sacramentum. Quod est plane hæreticum.

Tertio, Ecclesia non habet potestatem in situendi ceremoniam corporalem, quæ conferat characterem spirituales: cum sacramentalia ab Ecclesia instituta, characterem non imprimant: sed solum sui, ut docet D. Th. 3. p. q. 64. art. 2. ad 1. ad quædam solemnitate, quæ adhibetur sacramentis, ad excitandam deuotionem, & reuerentiam in his, qui sacramenta suscipiunt. Constat autem hanc vinctioem Regum Franciæ quadragesimo annis post Christum fuisse ab Episcopis, & alijs introductam.

46 Quarto, iam diximus Concilium Tridentinum sel. 7. can. 9. ex eo quod tria sacramenta imprimunt characterem, recte in tulisse, quod ea iterari non possunt. Sed vinctio Regum Franciæ sæpe est in eodem iterata: ut patet in Pipino, qui primo fuit vinctus ab Archiepiscopo Moguntino, & post tres annos a Papa Stephano. Et similiter Carolus Magnus ab Stephano, & a Leone Summo Pontificibus. Et Imperatores Romani ter vincti bantur, sicut & Dauid fuit ter vinctus: primo in Bethleem 1. Regum 16. deinde in Hebrone 2. Regum 2. ut regnaret super Iudam: Tertio, ibi, ut regnaret super Israel. Pariterque Salomon bis fuit vinctus in Regem. Non ergo regalis vinctio imprimat characterem. Et ut Doctoris Galli spiritum aduandandi comprimat, latè probat idem Author lib. 1. cap. 9. plurimos Reges Christianos totius orbis fuisse vinctos. Et quod ante mille annos Reges Gothi in Hispania sacra vinctioem vincti bantur. Et quod Recaredus centum sexaginta annis fuerat vinctus in Hispania, ante quæ Pipinus, qui fuit primus Rex Galliarum, qui sacra vinctioem fuit vinctus: de quo ibi cap. 10. & 11. Sed quidquid sit de hoc.

Princi-

DVBIVM II.


Vtrum Character sit spiritualis potestas?

§. I.

Opiniones Doctorum in declaranda essentia Characteris.

Prius principalem affectionem, quod vinctio Regum non imprimat characterem, de sumo ex D. Thoma in 4. Sententiarum dist. 23. in expositione textus dicente, quod illa vinctio Regum non est sacramentum, & ideo secundum diuersas consuetudines potest diuersimode fieri. Et dist. 24. q. 1. art. 1. q. 3. ad 3. ait dicendum, quod non omnis benedictio, quæ adhibetur homini, vel consecratio, est sacramentum: quia Monachi, & Abbates benedicuntur: & tamen illæ benedictiones non sunt sacramenta. Et similiter nec Regalis vinctio, quia post huiusmodi benedictiones non ordinantur aliqui ad dispensationem diuinarum sacramentorum, sicut per benedictionem Ordinis: & ideo non est simile. Vbi tria fundamenta indicat D. Thomas. Primum, quia alicubi Reges vincti in capite, alicubi in scapulis; materia autem, & formæ sacramentorum, & aliorum imprimendum characterem, si darentur, essent ex institutione Christi, & essentialiter ab Ecclesia non possent variari. De quo iam egimus q. 60. dub. 13. Secundum, quia nec benedictio Monachorum, & Abbatum, nec consecratio Virginum, ad hæc facta ab Episcopis, imprimunt characterem: ergo multo melius nec Regum consecratio.

48 Tertium fundamentum, & a priori est; quia Ecclesia solum agnoscit Deum voluisse imprimi Characteres, ut speciales participationes Sacerdotij Christi: cuius Regnum non est de hoc mundo: nec arma militiæ eius sunt carnalia, sed spiritualia. Sed potestas Regum directe est circa temporalia; vnde dicit S. Thomas 2. 2. q. 60. art. 6. ad 3. quod potestas secularis subditur spirituali sicut corpus animæ. de quo egimus cap. 3. Theol. Moral. q. 3. n. 11. & cap. 15. q. 4. nu. 12. Ergo in sacra vinctioem Regum non imprimitur character; sicut nec in lege antiqua; quamuis in illa diuinitus fuerit ordinata a Samuele 1. Reg. 10. ver. 1. & cap. 16. ver. 1. & 13. & ipsissime alibi in vinctioem Saul, & Dauid facta diuino mandato. Et quidem si sacerdotium antiquum non imprimerebat characterem, quia illa sacrificia ex opere operato non conferebant gratiam, multo minus vinctio Regum, quæ erat ad regimen temporale, & politicum. Videatur etiam Hallio, & alij Auctores, quorum verba refert Diana parte 12. tractatu de consecrat. Episcoporum reiol. 88.



In declarandis predicatis essentialibus characteris, de quibus paucissima, Concilia, & Patres determinant, fere tot sunt sententiæ, quot capita. Et tria vel sex sunt, quæ præcipue nunc in dubio vertuntur. Primo, an character sit aliquid reale, vel rationis? Secundo, an sit relatio, vel potius qualitas? Supposito autem, quod sit qualitas, videndum cuius speciei sit? Et adhuc posito, quod sit spiritualis potestas, restat quarto videndum, an sit potestas solum moralis, vel physica? Denique ad eliciendam perfectam characteris definitionem, exponemus quinto, an sit lignum ad placitum, vel naturale? Et ultimo dicemus cur specialiter character sacramentalis dicatur character Christi? De tribus primis punctis nunc opiniones referemus, reliquas seruantes pro vltimis difficultatibus, quia maiori perspicuitate ibi simul opiniones, & resolutionem trademus dubio 3.

2 Circa primum, Durandus in 4. dist. 4. q. 1. n. 11. asserit characterem esse solam relationem rationis, per quam institutione, vel pactioe diuina, deputatur aliquis ad sacras actiones, sicut numus torquetur rationem pretij ex Regis institutione. Probat, quia mysteria fidei non sunt obscuranda, sed declaranda; & elucidanda: iuxta illud Ecclesiast. 24. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Dicere autem characterem esse quid morale, nulli habet difficultatem: & sufficit ad veritatem eandem, quæ de illo dicuntur. Ponere autem, quod est quid reale physicum, est multis implexum difficultatibus. Ergo dicendum est characterem esse ens rationis.

3 De ista Durandi sententia tria affirmat Vazquez disp. 134. cap. 2. In primis à nu. 25. vsque 40. contendit eam esse probabilem, & nulla censura dignam. Secundo nititur probare nu. 23. esse omnino eandem cum sententia Scoti. Tertio, nu. 29. & 30. conatur persuadere solum Durandi sententiæ exitimale probabilem. Quæ omnia tria asserit Vazquez, quantum a veritate sint aliena, dicenda monstrabunt.

4 Circa secundum, Scotus in 4. dist. 6. q. 10.

q. 10. patum autē si sed reserunt, asserit characterem esse relationem, seu respectū extrinsecus aduenientem ipsi animæ, causatum à Deo immediate in susceptione sacramenti interabilis. Quod autem loquatur de relatione reali, clarius est, quam ut probatione indigeat. Id tamen ostenditur primo: nam in isto sensu sequitur Maior in 4. dist. 6. q. 1. & alij Scotistæ. Et in eodem sensu impugnatur ab omnibus, qui in hoc puncto de Scoti opinione mentionem faciunt. Secundo, nam Scotus in 1. dist. 45. q. 1. ad ultimum, condistinguit relationem extrinsecus aduenientem, contra relationem rationis. Cū et go apud ipsū character sit relatio extrinsecus adueniens, non est relatio rationis: ac profunde erit relatio realis. Tertio, nam Scotus illa q. 10. §. Et ad illam probationem: & §. Sed reserunt: ver. istud etiam: & ver. Dico ergo: & §. Ad questionem, clarissime affirmat Scotus characterem esse relationem realem, ponendo characterem imprimi, & quod nō est forma absoluta. Quamuis ipse dubitet, an sit forma absoluta, & aequaliter fuerit anceps de necessitate characteris. Malè ergo Vazquez confundit sententiam Scoti cum positione Durandi.

5. Quod autem, nec rectè citetur Soto, constat: nam in 4. dist. 1. q. 4. art. 1. late Durandi, & Scoti sententiam impugnat. Et articulo secundo, §. Hac fateor, solum admittit esse probabile characterem non distingui realiter ab anima, dum tamen ponatur esse qualitatem secundæ speciei. Quamuis postea, §. At vero, doceat probabilius esse, quod character sit res distincta ab anima. Aliud autem est disputare de modo distinctionis characteris ab anima, an sit formalis, an modalis, an realis? Et in isto puncto Soto utrumque censet probabile. Quamuis Nuño ar. 2. diff. 5. late probet, quod distinguatur tanquam res à re. Aliud vero est ut probabile admittere, quod character sit merum ens rationis, aut denominatio extrinseca à sacramento præterito. Quod Soto nūquā admisit esse probabile. Et in isto puncto lectando consistit sententia Durandi. De cuius censura, postea dicemus n. 14.

6. Circa tertium conueniunt Theologi reliqui, præter Scotum, & Durandū, characterem esse qualitatem supernaturalem diuinitus impressam à sacramento non iterabili. In assignanda autē specie qualitatis, sub qua contineatur, valde discrepant. Aliqui enim dicunt characterem propriè non esse in aliqua speciei qualitatis: quia est quid supernaturale: & Philosophus non potuit in

prædicamentis nisi res naturales. Ita Reshar in 4. dist. 5. art. 1. q. 2. ad 3. Et Valentia to. 4. disp. 3. q. 2. puncto 3. Petrus Ledesma q. 4. de esse Dei art. 6. folio 285. & Araujo lib. 5. Metaphysicæ q. 1. art. 2. conc. 2. Pro qua sententia Gregorius Saurus lib. 4. cap. 2. q. 3. ar. 1. refert D. Thomam hic art. 2. & in 4. distinct. 4. q. 1. art. 1. ad 2. quatenus docet characterem non propriè esse in genere, vel specie, sed solum reductiuè. Sed est (inquit) alius modus ab illo, quem Philosophus ibi ponit: quia Philosophus non cognoscebat nisi operationes naturales, & ita non nisi potentias naturales.

7. Sed in hoc magna latet æquiocatio; duplici enim ex capite potest existimari, quod character non sit propriè in genere, vel specie: primo, quia est qualitas supernaturalis: & quod quæ fuerint huiusmodi non sunt in genere, vel specie: sed vel pro illis natura erunt constituenda Prædicamenta, vel sunt simpliciter extra Prædicamenta, & solum reductiuè ad illa pertinent. Et in hoc sensu id non asseruit S. Thomas, qui sapissimè qualitates supernaturales constituit in Prædicamentis, quia sunt compositæ ex genere, & differentia, ut retulimus, & sequitur sumus lib. 2. Log. q. 6. n. 24. & 25. Et in 4. sentent. illa solut. ad 2. docens potentias supernaturales reduci ad secundam speciem qualitatis: Sicut habitus infusi in eadem specie qualitatis sunt cum habitibus naturalibus, vel acquisitis. Ex alio capite potest existimari Characterem esse in aliqua speciei qualitatis solum reductiuè, quia non est entitas completa, sed incompleta, & quæ sunt huiusmodi non sunt in genere, vel specie directè, sed solum reductiuè: sicut diximus q. 62. dub. 4. §. 3. de virtute, qua actu eleuantur sacramenta esse incompleta, & transeuntem, & nō esse in genere directè, sed solum reductiuè. Et in isto sensu verissimum est, & assertum à D. Thoma, characterem non esse in genere, vel specie directè, sed solum reductiuè. Et idè (inquit hic art. 2.) sicut virtus, quæ est in sacramento, non est in genere per se, sed per reductionem, eo quod est quiddam fluxus, & incompletum: ita etiam character non propriè est in genere, vel specie, sed reductiuè ad secundam speciem qualitatis. Et an hoc vltimum sit verum inquirimus?

8. Quod character est in prima specie qualitatis, ita ut non sit aliud, nisi habitus, vel dispositio, opinantur Alexander Alensis 4. p. q. 19. membro 1. Bellarm. lib. 2. de Sacram. cap. 19. Suarez disp. 1. 1. lect. 3. circa finem. Vazquez disp. 134. cap. 3. nu. 70. Coninch artic. 2. Gaspar Hurt. disp. 3. diff. 1. 2. Ocha-

Ochagaula q. 15. n. 9 Caspensis disp. 4. lect. 1. & alij asserentes characterem esse dispositionem perficientem animam sine vilo ordine ad operationem, ut pulchritudo, vel sanitas. Quod pariter docet Granados tract. 4. disp. 3. nu. 8. & 9. contendens hoc non esse contra D. Thomam, qui licet reducat ad secundam speciem, hoc solum est, quia character est potentia moralis; quia physicè nil operatur.

9. Asserunt alij characterem debere constitui in tertia specie qualitatis, nempe sub passibili qualitate: eo quod sit quoddam lumen spirituale non operatiuum. Ita Alfriso dorèsis lib. 4. tract. 3. cap. 2. Et ex parte Guiljelmus Ochan in 4. q. 2. conc. 3. asserens characterem esse, aut in prima, aut in tertia specie qualitatis. Lugo disp. 6. lect. 3. nu. 43. dicit, quod possumus facile constituere characterem in tertia specie qualitatis, quia est passibilis qualitas: nec enim in ea specie constitui debent solum qualitates corporeæ, ut fatetur Vazquez hic nu. 34. Et Suarez rom. 2. Metaph. disp. 4. 2. lect. 4. n. 23. dicens gratiam pertinere ad tertiam speciem qualitatis; eo, quod per se primò non sit operatiua. Et lect. 5. n. 11. & 12. vbi S. Thomam 5. Metaph. lect. 16. dicit loqui ex natura rei: quia iuxta naturalem ordinem non reperiuntur in subiecto spirituali qualitates tertiæ, aut quartæ speciei; non tamen id intelligi in ordine ad potentiam absolutam, & ordinem supernaturalem. ¶ Admittit autem Lugo n. 49. characterem impropriè collocari posse etiam in prima, & secunda, & quartâ specie qualitatis, quatenus est figura quædam spiritualis quæ figurat, & significat subiectū; quod est potissimum munus characteris. Non tamen est propriè figura, quia hæc in rigore nō conuenit nisi rebus materialibus, & habentibus diuersam partium positionem, & ordinem inter se.

10. Posuerunt alij characterem propriè esse in quarta specie qualitatis, nempe in specie formæ, aut figuræ. Ita Martilius in 4. q. 4. art. 1. coc. 7. Salas to. 1. in 1. 2. tract. 2. disp. 3. lect. 3. Carragenà disp. 5. dist. 2. c. 4. Auerlæ q. 63. lect. 2. docet characterem pertinere, vel ad secundam speciem, quia est potentia moralis; vel ad quartam; quia est forma non operatiua, nec sensibilis; & hæc pertinere ad speciem qualitatis, quæ dicitur forma, dixerat in Logica q. 20. lect. 4.

11. At vero Argentinus in 4. dist. 6. q. 11. & art. unico, characterem Confirmationis, & Ordinis ponit in secunda specie qualitatis; quamuis dicat characterem baptis-

collocandum in prima qualitatis specie. Non desunt etiam, qui opinentur characterem in qualibet ex quatuor speciebus qualitatis posse constitui. Ita Gabriel Biel in 4. dist. 6. q. 2. art. 4. dub. 3. Cui ex parte fauet Lugo nu. 49. ut iam retulimus nu. 9. Ferme omnes istæ opiniones exortæ iam erant tēpore D. Thomæ: nam illarum meminit in solutionibus argumentorum 2. art. & in 4. Sententiarum.

12. Nobis omnino amplectenda est opinio D. Tho. asserentis characterem constituendum esse in specie potentie spiritualis, vel actiue, vel passiuæ; quæ est secunda species qualitatis. D. Thomam unanimiter sequuntur eius discipuli. In libro 4. Sent. dist. 1. & 4. Heruæus, Paladanus, Capreolus, Deza, Soncinas, Soto, Marrinus Ledesma. In 3. p. q. 63. art. 2. Caietanus, Nuño, Araujo, Serra, Seraphinus, Ruiz, Syluius, & Cabrera, & Philippus à Trinitate disp. 6. dub. 6. Et in Summis de Sacram. S. Antoninus, Syluester, Viguierus, Armila, Bartholomeus Ledesma, Ioannes à Cruce, & alij. Item Henriquez lib. 1. de Sacramentis cap. 13. n. 4. alios citans. Valentia to. 3. disp. 3. q. 4. punct. 3. Saurus lib. 4. de Sacram. cap. 3. q. vnica, §. Ordines autem. Ludouicus à S. Io. Philip. March. Et Archægelus Rubens, quos refert, & sequitur Leander à Sacramento tract. 1. disp. 3. q. 19. Ioannes Egidius Trullench lib. 1. praxis sacramentorum cap. 4. dub. 5. Imò Scotus in 7. dist. 6. q. 10. §. Ad questionem, iustitiam characterem esse qualitatem, concludit esse in secunda specie, vel prima: nec alterum facile posse impugari.

13. Demum hæc communem sententiam defendit Augustinus Bernai, sed via in cognita, & modo dicendi inaudito: nam disp. 15. lect. 2. §. 3. à nu. 70. vsque 74. asserit qualitatem characteris non esse aliud, quam speciem impressam intrinsece supernaturalem sui sacramenti, ab hoc subiecto valide recepti. Et quia sub genere potentie omnes species intentionales militant: idè character est potentia productiua notitiæ sui sacramenti rite suscepti. Quod iterum asserit §. 5. à nu. 98. vsque 106. Vbi timens in vni notā temeritatis, a communi Theologorum grege aberrando, abique vilo solido argumento: hoc apparenti, & præterito velamine id tegere conatur, dum concludit: Hæc, inquam, nobis occurrerunt: sed quia pro eis nullum habemus Authorem: ac non tam asserta volumus, quam Doctorem examini propo-

posita. De quo
num. 96.

§. II.

*Character est aliquid reale intrinsecè
inhærens.*

14 **D**ico primo, vel est erroneum, vel erro-
ri proximum, asserere quod charac-
ter sola sit relatio rationis, aut denomina-
tio extrinseca. Ita sumitur ex Thoma Argē-
tina in 4. dist. 6. ibi relato à Carthusiano, di-
cente; quod *illam opinionem nunc nullus tene-
re debet catholicus, ut videtur.* Et Capreolus in
4. dist. 3. q. 1. ad 1. Scoti contra quartam fo-
lio 60. dicit esse nostrā determinatam ab Ec-
clesia. Caietanus art. 2. *Sed positio hæc, dicit,
contraria est Innocentio Tertio, & Concilio Floren-
tino.* Esseque contra *diffinitionem Concilij Triden-
tini, docet Henriquez lib. 1. de Sacramen-
tis cap. 13. Coninch art. 2. Et Lugo disp. 6.
sect. 2. n. 18. dicit esse contra mentem Concilio-
rum.* Et passim alij. Esse *valde temerariam, &
proximam errori, asserit Nuño art. 2. dist. 1.
Et non posse, rebus ut nunc, ab errore in fide vin-
dicari, docet Araujo art. 6. dub. 16. in fine.
Et dixerant Suarez disp. 1. sect. 2. Granada
disp. 2. nu. 1. Et Cabrera art. 2. disp. 1. §. 2. af-
ferit esse errorem in fide, cū opponatur Con-
cil. Flor. & Trident. Imò *vix distingui ab hæ-
resi, dixit Bellarmius lib. 2. de sacram. cap.
19. propos. 2. Et esse contra fidem, asserit Pal-
qualigus disp. 69. sect. 1. n. 6. Sed nostra cen-
tura est communior; quia opus est discursu
Theologico, ut cõstet positionem illam dif-
finitionibus fidei opponi, & quamvis con-
tet illis opponi, non tamen hoc est omnibus
peruium: ideoque vel erroneam, vel proxi-
mam errori pronunciamus.**

15 Quod probatur primo: nam relatio
rationis, non propriè dicitur imprimi, cum
est sermo de actione reali inducente effectū
ad extra. Sed Innocentius Tertius docet,
quod *Sacramentalis operatio imprimat Charac-
terem.* Quod diffiniunt Concilium Florenti-
num, & Tridentinum, vbi supra. Ergo stante
vera doctrina ab Ecclesia diffinita, nequit sal-
uari, quod character est relatio rationis, aut
denominatio extrinseca.

Secundo, Concilium Tridentinum, non
tantum diffinit *Sacramenta tria imprimere cha-
racterem: sed explicat se intelligere nomine
characteris signum quoddam spirituale, & in-
delebile: nempe configuratum, & distincti-
uum spiritualiter, quod nunquam valet de-
leri.* Sed ens rationis, & extrinseca denomi-
natio, nec intrinsecè sigillant, & notant: nec
sunt quid spirituale: Nec propriè verificatur
de illis quod *deleri nequeunt, quia sola in-
sti-*

tutione non retractata perseverant. Ergo nõ
saluantur sincere verba Conciliorum negã-
do characterem esse ens reale.

Tertio, non potest salva fide Catholi-
ca sustineri, quod gratia, & iustificatio non
ponant aliquid intrinsecum in subiecto Deo
grato, & iustificato; & tamen ad id proban-
dum non adducuntur expressiora testimo-
nia Conciliorum, & Patrum, quam sunt ad-
ducta pro characterē intrinsecè, & realiter ia-
hærente: ut patet conferendo cum his, quæ
adducuntur 1. 2. q. 110. & q. 113. Ergo oportet
ad hæc verificanda asserere characterē
esse aliquid reale, & intrinsecum.

16 Deinde ad hominem contra Vazq.
arguit Lugo nu. 18. quia si non esset contra
mentem Concilij, nec Concilium intendis-
set adtruere Characterem physicum, non ef-
set minus probabilis illa sententia, prout eã
Vazquez appellat: seclusa enim Ecclesie au-
thoritate, nil cogit ad multiplicanda entia,
& ponendam illam qualitatem physicam;
quam non ponimus in Doctore, Prætorē,
& alijs. sed entitatem moralem; sicut etiam
in Clerico primæ tonsuræ. Deinde: nam ex
alijs sacramentis præteritis remanet, in sen-
tentia Vazquez, ius morale ad auxilia: &
posset aliquis dicere imprimere characterē
absque omnimoda indelebilitate: nam serui
in statu seruitutis habere solent characterē
domini: qui tamen adueniente statu liberta-
tis deleri potest. Sic etiam Apocalipsis 13.
& 19. dicuntur peccatores accipere charac-
terem bestiarum; quem tamen per Dei gratiam
in multis deleri constat.

17 Hanc tamen instantiam non vrge-
re, contendit Bernal disp. 15. sect. 2. nu. 52.
Primo, quia tamen Concilia Durandi sen-
tentiam non damnant, Doctores ferè om-
nes eam reijciunt: ac proinde cõstituunt mi-
nus probabilem. Secundo, quia licet Con-
cilia re ipsa illam condemnent: hoc tamen
certum non est; sed probabilis: idque suffi-
cit ut Durandi sententia, minus, & commu-
nis magis probabilis existat. Addit nu. 53.
Durandi sententiam, nullatenus esse proba-
bilem. Primo, quia verba Conciliorum so-
nant ens physicè inhærens. Secundo, quia
Concilia illum characterem diffiniunt, quæ
Heretici negabant: Hi vero non negabant
externam denominationem irreuocabilem:
ac proinde, nec characterem inamissibilem
in ea consistentem; cum fateantur Baptis-
mum, Cõfirmationem, & Ordinē esse inite-
rabiles; solum negant characterem in ani-
ma physicè existentem: Ergo istum Concilia
diffiniunt.

Verum

18 Verum iste discursus in vtroque de-
fuit: quia replicæ contra Lugum parum vr-
gent: & instantiæ contra Durandum ampli-
probant, quam Bernal assermet. Primum pa-
tet, quia authoritas Doctorum in tantū pre-
mit Durandum, in quantum nititur Ecclesie
authoritate: nam ea seclusa solum dat pro-
babilitatem extrinsecam, ut ex D. Augusti-
no epist. 19. relato cap. *Ego solus.* Dist. 9. do-
cet S. Thomas 1. p. q. 1. ar. 8. ad 1. in fortiori
bus terminis. Ergo si semel admittatur falso
Doctores affirmare doctrinam Durandi in
hoc puncto esse contra doctrinam Ecclesie;
melior ratio est pro ipso non multiplicandi
entia sine necessitate: & meliora exempla;
ideoque opposita erit probabilior solum ex-
trinsecè, & Durandi opinio remanebit in-
trinsecè probabilior: imò & vera: quia au-
thoritas illa extrinseca dicitur inniti falsa e-
xistimatione. Deinde, si certum esset Duran-
di sententiam esse re ipsa damnatam, necdū
errori proxima, sed re ipsa ab omnibus pro-
nunciaretur hæreticæ.

19 Secundum, nempe quod male affir-
met Bernal, quod Durandi sententia solum
est *improbabilis*, ex eius impugnationibus cõ-
stat: quia doctrina contra sensum Concilio-
rum: & quæ re ipsa affirmat, quod Hæreti-
ci, à Concilijs damnati, assererant, plus est;
quam improbabilis: & ad minus erronea de-
beret pronuciari. Sed totum hoc conuenit
sententiæ Durandi, ipso Bernal testificante:
ergo est erronea, vel errori proxima.

20 Sed instat Vazquez nu. 33. nam e-
tiam si character sit ens rationis, verificari
potest, quod imprimitur in anima: nam e-
tiam peccatum imprimi in anima macu-
lam, quam characterem bestiarum vocauit Ioã.
Apoc. 19. & tamen macula est relatio ratio-
nis. Deinde, in Sacramento Ordinis datur po-
testas; quæ non est quid physicum, sed mora-
le. Si autē potestas potest esse extrinseca de-
nominatio, pariter character, licet sit signū
indelebile.

21 Respondet bene Lugo nu. 21. nõ ef-
se eadē rationem: quia significatio vocū
debet colligi ex subiecta materia, quæ si non
fuerit capax, nil significationis improprie;
in ea debent accipi verba: secus vero, si ma-
teria est capax significationis propriæ. Ex-
emplum primi, ut cum dicitur: *Tenebræ erant ju-
per faciem abyssi;* illud verbum, *erant*, accipi
debet in sensu analogico de existentia impro-
pria, quia tenebræ non sunt capaces existen-
tiæ propriæ. Exemplum secundi, ut cum di-
citur: *Vxor Loth conuersa in statu salis,* debet
intelligi de vera, & physica conuersione; &

de vero, & physico sale. Quando ergo fer-
mo est de peccato habituali, quod est ens
morale, ut suppono, & dicitur in esse vnicui-
que proprium, debet intelligi de inhæsi-
one morali, quia ens morale non est capax in-
hæsiōnis physice; & non potest dari pecca-
tum habituale, quod non sit ens morale. Quā-
do vero agitur de characterē; & dicitur,
quod per tria sacramenta imprimitur charac-
ter in anima, debet intelligi de vero, & phy-
sico characterē, qui physicè imprimatur: nõ
verus, & proprius character est physicus, &
aliunde ex eo, quod spiritualis sit, non min-
us esse potest physicus. Non ergo debemus trãs-
ferre illa verba ad significationem impro-
pria de characterē aliquo analogico, & mo-
rali: cū character in rigore significet aliquod
signum physicum. Præcipue cum dicatur spi-
ritualis, & indelebilis.

22 Hanc solutionem, quoad primā pro-
positionem in ea assumptam, ex doctrina
D. Augustini, & communi Patrum, iam tradi-
dimus q. 62. dub. 2. §. 9. n. 127. & 128. Ex
plum autem tenebrarum rectè ad intèrum
applicari, constat ex D. Thoma 1. 2. q. 86. ar-
ticulo primo ad 3. dicente, quod *macula nõ est
aliquid positum in anima, quæ significat privatio-
nem solam: sed significat privationem quamdam ni-
roris anime in ordine ad suam causam, quæ est pec-
catum.* Et id quod ex actuali peccato relin-
quitur privationis, habituale peccatum nun-
cupatur. Solum restat probare, quod charac-
ter in proprietate, & in rigore importet
quid physicum: id constat primo ex charac-
teribus litterarum, & ex notis, quibus anti-
quitus solebant insigniri milites: quo ex-
plo vtitur cum S. August. D. Tho. & Theolo-
gi dicentes, quod *magis habent characteres sa-
cramentales, quam corporales nota militum.* Cõ-
firmant Concilia cum definiunt esse *signum
spirituale, & indelebile.* Quæ omnia physicam
inhæsiōnem denotant. Ex alia parte potes-
tas moralis dabatur in antiqua lege, & mo-
do in Prælatibus secularibus, & in Clericis pri-
mæ Tonsuræ; & in alijs potestatibus iustici-
æ: in quibus imprimi characterem fides
non docet: ergo ad doctrinam Conciliorum
in sinceritate, & veritate saluandam, om-
nino est asserendum characterem esse ali-
quid realiter intrinsecè, & physicè inhærens:
quia denominationes morales, nec hæreti-
ci, saltem in aliquo sacramento, negant.

Tota hæc solutio sumitur ex D. Thoma
in 4. dist. 4. q. 1. ad 3. vbi ait; *quæ per hæc, quod
homo conferatur bestiarum, non accipit aliquam spi-
ritualem potestatem sicut per aliquam potestatem
spiritualem homo assimilatur Christo; ideo nõ
est*

est simile. Tamen ex littera Apostoli colligitur, quod charactere bestia configuratur quis ad sacularis operationes: unde dicit, ut non possit emere, vel vendere, &c. Et similiter charactere Christi aliquis configuratur ad actiones Christi. Pro hac secunda solutione intelligenda, vidende sunt diuersæ expositiones, quas affert Thomas Maluenda lib. 9. de Antichristo ad cap. 26. ad 30.

§. III.

Charakter non est relatio, sed qualitas, realiter à subiecto distincta.

Dico secundo, character non est formaliter relatio realis prædicamentalis, sed eius fundamentum, quod dicitur relatiuum secundum dici, vel transcendentaliter: Ita S. Thomas in 4. dist. 4. q. 1. art. 1. dicens, per charactrem importari relationem triplicem: Est enim character signum distinctiuum, & configuratiuum. Inquatum ergo est signum importat relationem ad signatum: inquatum autem est distinctiuum, importat relationem ad ea, à quibus distinguit: inquatum autem est configuratiuum, importat relationem ad ea, quibus assimilatur. Relata autem opinionione dicentium istis relationibus non subesse aliquid accidens absolutum: eam impugnat: Quia quilibet illarum relationum, quam importat character, requirit aliquam formam substractam: de qua inquit, quod est qualitas quedam, cuius unitas conformationis similitudinem facit. Idem docet S. Thomas in 4. ad Anib. dist. 4. artic. 1. Et in hoc art. 2. ad 3. probat, quod oportet aliquid poni in anima, super quod talis relatio fundetur (nempe relatio huius signi, quod est character) hoc est essentia characteris: Unde non oportebit, quod sit in genere relationis, sicut quidam posuerunt.

24. Probaturque primo ratione Diuini Thomæ, quia sola anima per se solam non potest fundare has relationes: Quia sic conuenient omni anime naturaliter: quod est hæreticum: quia anima non est naturaliter Christiana; nec potestas ordinis conuenit omni homini. Nec relationes istæ fundantur in gratia, virtutibus, & donis supernaturalibus: quia peccator sic accedens ad baptismum, recipit characterem, & non gratiam, & dona: & character est in peccatore, & in hæretico. Ergo necesse est constituisse aliquam qualitatem, in qua fundentur huiusmodi relationes. Probatur consequentia, quia ut ait Diuinus Thomas lib. 3. Physic. lect. 1. lit. c. Cum relictio habeat debilitatum esse: quia constituit tan-

tum in hoc, quod est ad aliud se habere; oportet, quod super aliquid aliud accidens fundetur. Idem docet S. Thomas lib. 4. contra Gentes cap. 14. rat. 9. & 1. p. q. 28. art. 4. Et hoc accidens est essentialiter character.

25. Dices, quod quamuis character sit essentialiter relatio, immediatè residens in anima, vel in intellectu, non sequitur, quod naturaliter conueniat omni: quia exigit pro causa efficiente, & pro ratione fundandi sacramentalem actionem, & efficientiam: quæ solum reperiuntur in baptizatis, confirmatis, & ordinatis.

26. Sed contra hoc arguunt Thomistæ, & secundo probant conclusionem: nam ad relationem non datur per se motus, ut probat Philosophus 5. Physicorum cap. 3. textu 10. Sed character est per se terminus motus, seu mutationis: quia illum imprimit sacramentalis operatio; ut dicit Innocentius Tertius. Nec fit per resultantiam: ut patet, quãdo est obex ad gratiam, & solus character causatur à Baptismo. Ergo character non est relatio, sed relationis fundamentum.

27. Respondet Scotus, §. hic dicitur. Verum illud probatur, quod licet Philosophus negat motum esse in Ad aliquid, prout ad genus Ad aliquid pertinent relationes intrinsecus aduenientes (quæ sunt illæ, quæ consequuntur fundamentum posito termino.) Non tamen negat motum esse in Ad aliquid extrinsecus adueniens (nempe ad Relationem, quæ positis fundamento, & termino non necessaria ponitur.) Imò hoc cõcedit Philosophus, dum ponit ad Vbi esse motum propriè: & tamen vbi non est nisi respectus quidam corporis circumscribentis ad locatum, vel locatum ad corpus circumscribens.

28. Hanc relationis diuisionem receimus in 2. Logicæ libro q. 21. §. 6. Lateq; impugnant Caietanus hic, §. In autem. Et Capreolus in 4. dist. 3. q. 1. ar. 3. ad arg. Scoti contra primam. Soto dist. 1. q. 4. art. 2. §. Ad intellectum, ostendentes non dari relationes reales prædicamentales extrinsecus aduenientes: unde illa distinctio est distinctio principij, ut ait Soto. Rationemque assignat Caietanus: nam relatio formaliter hoc ipsum, quod est, est ad aliud se habere. Unde necesse est ut consequatur fundamentum ex sola positione alterius: nam si est habitudo inter duo ipsi positis cum ratione fundandi, statim sequitur. Quæ ratio vniuersaliter probat de omni relatione. Imò Philosophus posuit exemplum in relatione dextræ, & sinistræ: quæ tamen à Scoto vocatur extrinsecus adueniens. Quæ æquiuocatio nascitur, quia Scotus

tus non considerat fundamentum formaliter secundum rationem fundandi. Denique ipsa solutio se ipsam destruit: quia Vbi, secundum Philosophum constituit speciale Prædicamentum, à Relatione prædicamentali distinctum: & tamen absolutè docet ad nullam relationem esse per se motum, sed resultare ex positione alterius: Cum igitur detur per se motus ad Vbi extrinsecum; quia per motum localem acquiritur esse in tali loco: sicut per alterationem acquiritur qualitas; manifestum est, quod Vbi non est relatio, quamuis ad Vbi sequantur Relationes.

29. Quod autem character sit relatiuum secundum dici docet Soto art. 1. §. Est igitur profecto: & ex dictis constat: quia relatiua secundum dici important directè aliquid absolutum, & ex consequenti relationem, seu est aliquid absolutum respectu conceptu. Character autem directè importat qualitatem, & ex consequenti tres respectus, quorum meminit D. Thomas verbis relatis nu. 23. Eadem ratione character potest dici relatio transcendentalis; quia ista est idem cum relatione secundum dici, ut cum Soto, & multis alijs diximus lib. 2. Logicæ q. 2. in nu. 7. & 14. Characteremque esse relationem transcendentalem, probat Lugo disp. 6. num. 24: quia dicit ordinem transcendentalem, tum ad operationes, ad quas, vel recipiendas, vel exercendas destinatur subiectum: Tum ad auxilia, quæ debentur ratione Sacramenti: Tum ad Christum, cuius characterem accipit homo, tanquam seruus, miles, vel minister: ad hæc enim omnia dicit ordinem intrinsecum, & quidditatum per suam entitatem, qui ordo, cum sit imbitus in ipsa essentia characteris, est omnino transcendentalis.

30. Multa Scoti argumenta refert, & soluit Capreolus. Sufficet primum proponere; quo intendit probare D. Thomam sibi contradicere, ex vna parte in diffinitione characteris ponendo rationem signi; quod est formaliter relatiuum: & ex alia parte dicendo characterem esse formam absolutam: nempe qualitatem, quæ duo non possunt esse simul vera: Quia ad quidditatem formæ absolutæ non pertinet aliquis respectus: tunc enim illa quidditas esset ad se; & non esset ad se, sed ad aliud. Cum ergo character diffiniatur à D. Thoma art. 2. & 3. quod est signum sanctiæ communionis, id est, sanctiæ ordinationis, datum à hierarcha. Cum signum formaliter sit relatio, character erit formaliter relatio.

Nec sufficit dicere, in diffinitione, signum; constitui loco generis, quæuis non sit vera

genus. Quia in diffinitione accidentis, quando non ponitur verum genus, constituitur subiectum loco generis, prout docent Philosophus 7. Metaph. textu 4. & S. Thomas ibi lect. 1. & apertè alibi, ut latè diximus lib. 1. Logicæ q. 18. §. 1. Relatio autem signi non est subiectum qualitatis, nec eius susceptiuum. Ergo character formaliter est relatio, & non qualitas.

Respondet Capreolus, illam diffinitionem characteris non esse essentialè, nec quidditatiuam, sed accidentalem: nam est quedam descriptio per respectus consequentes essentialiam characteris, seu est sola descriptio quid hominis: nam essentialiter character non est signum; sed qualitas, cui accidunt illæ relationes.

Sed contra hoc est, quod à Theologis vsq; modò non est assignata alia melior, & quidditatiua characteris diffinitio. Secundo, quia inconueniens videtur, quod Concilium Tridentinum, omittens prædicatis essentialibus Characteris, tãtum curauerit exponere prædicata accidentalia, & nominalis æthymologiam: & tamen sess. 7. can. 9. solum notificauit characterem asserendo, quod est signum quoddam spirituale; & indelebile. Sicut ergo signum formaliter est relatio, ita character formaliter est relatio.

31. Respondetur, quod de constitutivis formali signi sunt tres opinioniones Dialecticorum, iuxta quas diuersimodè debet argumentari responderi. Quidam dicunt rationem constitutiuam signi esse relationem transcendentalem, vel abstractam à transcendentali, & prædicamentali: quia quando habet omnes condiciones requiritas est prædicamentalis; si aliqua deficiant, est transcendentalis. Iuxta hoc, faciem adhibet solutionem Lugo nu. 25. dicens, non constitui omnino signum per relationem prædicamentalem. Tum, quia hæc debet esse ad terminum actu existentem: signum autem aliquando significat res non existentes, sed futuras, vel præteritas. Tum etiam, quia illa relatio in signo sæpè est transcendentalis, & identificata cum ipso; ut in signis formalibus: & sumus est signum naturale ignis, per ordinem etiã transcendentalem. Et quamuis relatio seruitutis sit prædicamentalis, relatio characteris talis non est. Primo, quia non est ad terminum actu existentem: nam in triduo mortis Christi, non erat Christus: & tamen in Apostolis erat character Baptismi, & Ordinis, quo designati erant, tanquam ministri Christi. Secundo, quia in rigore loquendo, character non constituit seruum Christi, sed significat sicut

etiam seruus in humanis designatur characterē aliqua in facie, qui character non facit seruum, sed ostendit illum esse seruum.

32 Hęc solutio est probabilis. Sed tamē falsum assumitur in prima probatione: nam sacerdotiū Christi est, quid spirituale; remanēs in anima Christi: vnde Christi ministri, etiam in triduo habebāt terminum actu existentem, cui assimilarentur. Deinde in anima D. Petri, à corpore separata, remanent Characteres, vt docet S. Thomas art. 3. ad 3. & communiter Theologi; & ipse Lugo lect. 4. à n. 69. vsque 74. Ergo cum in anima Christi sit aliquid maius characterē, quod non amittit in triduo, non definit relatio esse predicamentalis defectu existentiae termini.

33 Secunda opinio est Scoti, quam admittunt Capreolus, & alij adherentes rationem constitutiuam signi esse relationē predicamentalem. Quam esse opinionem Diui Thomae, dicunt Huertos lib. 1. Sum. cap. 2. q. 1. ar. 2. Ioannes à S. Thoma in Logica q. 21. art. 1. quia in hoc art. 2. ad 3. ait, quod relatio, quae importatur in hoc nomine signum, operetur, quod super aliquid fundetur. Quod de sola relatione predicamentali veritatur; nam transcendentalis identificatur cum ipsis rebus. Ibi que late hoc probant; & argumenta contraria diluunt. Iuxta hanc opinionem, vel est annectenda solutio Capreoli, quia saepe accidentia sunt quoad nos notiora ipsis praedicatis essentialibus, quae explicamus per accidentia, & per proprietates. Vel dicendum cum Nuño, art. 2. dist. 1. ad 1. & Ruyz dub. 1. folio 450. quod character est signum fundamentale; quia licet formaliter sit qualitas, & aliquid absolutū; tamen explicari non potest, nisi per respectū, vt in simili docet S. Thomas q. 21. de Verit. art. 6.

34 Tertia opinio, quae nobis magis placeat, vt diximus lib. 1. Dialect. cap. 2. q. 4. alicrit esse questionem de nomine, cum inquiritur, an signum sit relatiuum predicamentale, vel transcendentalē: Si enim vox, signum, sit primario imposita ad significandum fundamentum, & solum ex consequenti, & secundario ipsam relationem: erit relatiuum secundum dici, vel transcendentalē. Si vero sit impositū ad significandum primario, formaliter, & directe, ipsam relationem; erit formaliter eius ratio constitutiuam relatio predicamentalis. Et quia non constat de modo impositionis: & in vi loquendi vtroque modo voce vtimur; & ideo nec ad primam, nec ad secundam opinionem Dialecticorum, de-

ctrina de characterē est restringenda.

35 Qua propter recte Suarez disp. 1. tract. 2. §. Ad fundamentum ergo Scoti respondet, vocem, signi, dupliciter accipi posse. Primo, pro ipsa relatione signi. Secundo, pro forma, vel figura; quae alicui imprimitur, vt significet (vel naturaliter) vel ex impositione: quomodo in Circumcisione cicatrix illa, quam imprimebat, dicitur signum. Et sigillum; & aliae similes figurae, signa vocantur, licet in se sint res absolutae. Ad hunc ergo modum dicunt Concilia, characterem esse signum, quia est forma realis animae impressa, qua consignatur intrinsecē; ac deputatur ad aliquos actus diuini cultus. Quae consignatio, & sigillatio neque imprimitur, neque permanet in anima, nisi praestelligatur qualitas absoluta illi impressa. Et ideo negatur solum relationem sufficere ad omnia, propter quae ponitur character. Omnia in hac solutione, quod interserit Suarez, de significatio ne characteris, quam putat esse ad placitū, quia infra ostendimus esse naturalē: & quoad praesens similis difficultas procedit de signo ad placitum; ac de signo naturali. Concludimus ergo, quod sicut dicit D. Thomas in 2. dist. 1. q. 1. art. 3. ad 2. quod quaedam relatiua sunt, quae simul important relationē, & fundamentum relationis; ita potest dici de signo. Nulla igitur est contradictio asserere characterem esse qualitatem, & esse signum; quia vel signum est qualitas: vel est relatio fundata in qualitate; & saepe relatio, & fundamentum eodem vocabulo nominantur sicut vnio, & significat relationem transcendentalem, & predicamentalem: & sic in alijs, praenuria vocem. Videantur dicenda dub. 3. n. 2. & 3.

36 Dico tertio, character est qualitas, nedum formalis, sed realis; non modalis, sed entitativa distinctione ab anima, vel intellectu distincta. Est communis: & Soto esse probabiliorē fatetur. Prima pars sequitur ex dictis, quia constat characterem non esse substantiam, cum sit supernaturale ab extrinseco adueniens. Non est quantitas cum sit accidens spirituale. Probatum est, quod non est relatio. & per se notum est, quod ad sex vltima Praedicamenta non pertinet: Praecipue, cum illa solum addant extrinsecam denominationem; & character sit aliquid intrinsecum, & indelebile: Cum ergo non sit relatio, relinquatur, quod sit qualitas: quia non est aliud genus ad quod pertineat: & debet ad aliquod genus pertinere, cum sit accidens finitum ex genere, & differentia compositum.

Secun-

§. IV.

Characterem non esse habitum ratione D. Thomae probatur.

41 Dico quarto, character non est in prima specie qualitatis. Probat S. Thomas art. 2. in argumento, sed contra: Nam character non est passivus, quia passio cito transit, character autem indelebilis est; vt infra dicitur art. 3. Similiter etiam non est habitus: quia nullus habitus est, qui se possit ad bene, vel male habere: character autem ad vtrumque se habet: vt dicitur enim eo quidam bene: alij vero male: Quod in habitibus non contingit: nam habitu virtutis nullus vitium male: & habitu malitiae nullus bene: ergo character non est in prima specie qualitatis.

42 Hanc rationē Angelici Doctoris taliter exornat commentario Suarez. Sed haec ratio, (inquit) ne dubio efficax non est. Primo quidem, quia non est contra rationem habitus; vt possumus eodem habitu bene, & male vti in genere moris; vt ratio facta procedit. Probat primo, quia etiam in voluntate est probabile, praeter habitus virtutum, & vitiorum dari habitus indifferentes, genitos ex actibus, ex obiecto, & specie sua indifferentibus, cur enim hoc repugnet? Nam licet actus specie indifferens in individuo non fiat sine bonitate, vel malitia accidentali sumpta ex fine extrinseco; tamen in entitate sua manet indifferens; & secundum illam generare potest habitum.

Secundo, quidquid de hoc sit, de habitibus intellectus, est hoc euidens: nam eodē habitu scientiae vtitur bene, & male. Et de habitu fidei multi idem existimant: & est factis probabile. Character autem à D. Thoma ponitur in intellectu. Ergo nil obstat, quominus possit esse habitus eius, quo voluntas bene, & male moraliter vti possit. ¶ Dico autem semper, bene, & male moraliter; quia si loquamur de bono, & malo in esse natura, seu in suo genere; sicut nullus potest vti bene, & male scientia in ratione iudicandi; quia si per scientiam iudicat, necesse est, vt bene iudicet: si autem non recte iudicat, non vtitur scientia: & simili modo de qualibet arte, quae sit virtus. Ita nullus bene, & male vtitur characterē in genere sacramenti, vt sic dicam: nam si characterē vtitur rite, conficiet sacramentum, applicando omnia ad illius constitutionem necessaria, si autem non rite conficit, iam non vtitur characterē. Non ergo occurrit a; parens modus defendendi hanc rationem D. Tho. Quod mirum esse non debet; quia & D. Thomas conclusio difficilis est: & in argumentis, sed contra;

§ non

37 Secunda pars, si nomine formalis distinctionis, intelligamus eam, quae non est an re operationem intellectus, est euidens: nam realis separatio euidens signum est realis distinctionis, vt saepe diximus in Metaphysica, & 3. Physicorum. Sed character est aliquid de nouo impressum animae, quod ante receptionem sacramenti non habebat: & quod diuinitus tolli ab ea potest, quia in hoc nulla est repugnantia. Ergo character, non solum formaliter, sed realiter ab anima differt, sicut & alij effectus à sacramento causati in anima.

38 Ad vltimam partem probandam, multa proponunt argumenta Nuño diffici. 5. Suarez sec. 2. in fine. Quae tamen, vt parū efficaciacia, omittit Lugo lect. 2. n. 27. dicens, quod vnicum fundamentū debet esse, quod non debemus ponere accidentia modalia, nisi vbi aliqua peculiaris ratio probet inseparabilitatem mutuam, seu non posse formam illam esse; etiā diuinitus, absque tali subiecto: & hac ratione vnio, & actio sunt modi. Vbi autem non vrget haec ratio, debemus omnia alia entia ponere realia; & cum separabilitate mutua. Ergo cuius in characterē non sit specialis ratio, magis quam in gratia, & alijs habitibus supernaturalibus (quia nulla est implicatio contradictionis, quod diuinitus à subiecto separantur) non est cur dicamus illam esse entitatem modalem.

39 Haec tamen ratio allumit maiorem falsam: quia non est argumentum, quo probetur esse de essentia modi, quod nec diuinitus possit separari ab eo, cuius est modus, vt dixi 1. p. Metaph. controu. 10. n. 12. Nec omnes modi hanc habent inseparabilitatem: & plura entia cōpleta, & non modalia possunt habere hanc mutuam inseparabilitatem: vt multi dicunt de essentia, & passionibus. Nec verum est, quod actio sit modus; vt diximus 3. Phys.

40 Qua propter supponendo verā distinctionem modi, nempe, quod est accidens incompletum, alterius determinatiuū, seu modificatiuū; & ideo solum intantum quasi appēdit alterius, facile ostenditur, quod character non sit modus: nam licet sit quid incompletum, eo quod est potētia instrumentalis: tamen reuera est potētia physice actiua, vel passiva, & qualitas in qua fundantur tres relationes iam dictae. Sed omnia haec in similibus arguuntur distinctionē, non modalem, sed entitativa: ergo pariter in characterē. Quia tamen diximus lib. 1. Logicae, q. 13. nu. 5. & lib. 2. q. 23. n. 35. in huiusmodi dubijs admisceri questionem de vtu vocum, non oportet in his amplius immorari.

non semper videtur D. Thomas rationibus necessarijs. Hæc Suarez.

43 Cæteram ratio Doctoris Sancti, nō solum est apparenter defenſibilis; sed omni no efficaciter concludens; & ex necessarijs procedens. Parum autem refert, quod ponatur in argumento, sed contra: Tum quia regulariter ibi ponitur vna ex probatioibus aliquius conclusionis in articulo tradendæ. Tū quia S. Thomas in hoc articulo miro artificio, & compendio (ne opus esset repetere) in corpore articuli directè probat conclusionem affirmatiuam, quod character est potentia, seu in secunda specie qualitatis; & quoad conclusiones negatiuas, quoad primam speciem, probat in argumento, sed contra; & quoad tertiam speciem in sol. ad 2. & quoad quartam in solutione ad primum: licet ergo, qui sincere vult amplecti conclusiones; & rationes D. Thomæ; ad excludendum characterem ab alijs speciebus, non quaerit alias rationes, quam assignatas à D. Thomæ ad 1. & 2. Ita ad excludendum à prima specie, non debet relinquere rationem hanc: quia quoad hanc partem negatiuam directè probandam, quod character non est habitus; nō est in toto articulo D. Thomæ alia ratio; nisi ista.

44 Denique, vt videatur, quod hæc appareas excusatio nec apparentem in hoc pñcto dat excusationem, eandem rationem proponit D. Thomas in 4. dist. 4. q. 1. art. 1. in corpore articuli, vbi ad probandum characterem non esse in prima specie qualitatis; sic ait. *Secundum Philosophum in 2. ethicorum cap. 5. habitus est, quo habemus nos ad passiones bene, vel male. Et vniuersaliter consideranti, hæc apparet differentia inter habitum, & potentiam: quia potentia est, qua possumus aliquid simpliciter; habitus autem, quo possumus illud bene, vel male: sicut intellectus est, quo consideramus; scientia, qua bene consideramus: concupiscibilis, qua concupiscimus; temperantia, qua bene concupiscimus; intemperantia, qua male. Et similiter est de dispositione; quia nihil aliud est dispositio, quæ quidam habitus incompletus. Cum ergo character ordinatur ad aliquid simpliciter; non ad illud bene, vel male: quia sacerdos potest conficere bene, vel male; non potest esse quod qualitas supra quæ fundatur relatio characteris, sit habitus; sed magis potentia. Vnde relinquatur, quod non sit in prima specie qualitatis. Hæc D. Thomas. Itē in 4. Sententiarum ad Aribaldum dist. 4. ar. 1. ait. Nec iterum potest dici, vt alij dicunt, quod sit in prima specie. Quia habitus disponit ad operandum bene, vel male: non autem character: sed ad*

operandum aliquid spirituale simpliciter: & idē reducitur ad secundam speciem qualitatis. Et in simili loquendo de prophetia 2. 2. quæst. 172. artic. 4.

45 Ad euidenciam, & claritatem rationis D. Thomæ, considerandum, eam totam reduci ad quatuor propositiones, quæ non videntur posse negari, & eis bene perpensis, efficacia eius est perspicua. Prima est, rectè assignatur differentia inter potentiam, & habitum, asserendo quod potentia dat posse simpliciter; habitus determinat ad bene, vel male. Ita Philosophus in 2. Ethic. capit. 5. prout iterum refert, & sequitur Sæctus Thomas quæst. 24. de Verit. artic. 4. ad 4. & ad 7. & lib. 4. Contragentes capit. 77. ratione tertia, & 1. 2. quæst. 49. artic. 4. ad 3.

Probaturque primo inductione clarissima exemplorum; quæ proponit Diuus Thomas in 4. Sententiarum, de intellectu, & scientia: de concupiscibili, & temperantia: sunt enim potentia, & habitus: & inter se differunt, quia intellectu intelligimus simpliciter; scientia autem determinatur ad verum. Appetitu appetimus, virtutibus bene appetimus, & sic de alijs.

Secundo probatur à priori, ex propria ratione constitutiva potentia, & habitus, quæ ex definitionibus agnoscimus: cognita autem ratione specierum, cognoscitur earū inter se essentialis differentia. Potentia est principium quo proximum agendi, vel patiēdi ab alio, vel in aliud: vnde eo ipso quod possumus aliquid simpliciter agere, vel pati, simpliciter dicimur, & sumus potentes. Habitus autem, vt diffinit Philosophus 5. Metaphisicæ textu 25. est dispositio secundum quam bene, vel male disponitur dispositum; aut secundum se, aut ad aliud. Et 7. Phisicorum textu 17. loquens de habitibus animæ, & corporis, ait, quod sunt dispositiones quæ ordinantur ad optimum: prout ponderat ad hoc intentum Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 49. artic. 2. Ergo differentia inter potentiam, & habitum, rectè assignatur dicendo, quod potentia dat posse simpliciter, habitus dat posse bene, vel male.

46 Secunda propositio: illa maior Diui Thomæ: *Nullus habitus est, qui se possit ad bene, vel male habere: intellecta de bene, & male moraliter: non verificatur vniuersaliter de omni habitu. Hanc damus argumentis Suarez propositis num. 42. licet ad hoc inefficacia sint, vt postea dicemus respondendo ad singula.*

Vrgentiusque probatur. Primo ex ipso D.

D. Thomæ ibi q. 49. ad 1. dicente, quod ipse *figura, & passibiles qualitates, secundum quod considerantur vt conuenientes, vel non conuenientes naturæ rei, pertinent ad habitus, & dispositiones: nam figura prout conuenit naturæ rei, & color, pertinent ad pulchritudinem color autem, & frigus secundum quod conueniunt naturæ rei, pertinent ad sanitatem. Et hoc modo caliditas, & frigiditas ponuntur à Philosopho in prima specie qualitatis. Sed huiusmodi qualitates corporeæ non qualificant bene, vel male moraliter: ergo nō est de ratione habitus vt sic, quod det agere bene, aut male moraliter. Et similiter pulchritudine, & sanitate corporali quidam vtuntur bene moraliter, & alij male.*

Secundo, virtutes intellectuales sunt habitus: & tamen omnes, excepta prudētia, sine virtute morali esse possunt, vt docet Diuus Thomas 1. 2. quæst. 58. artic. 5. & conlat, quod virtutibus intellectualibus, & artibus aliqui male vtuntur moraliter. Ergo bene se habere moraliter, non est de ratione communi habitus.

Tertio, id quod est proprium alicuius speciei, nō debet assignari vt propria ratio generis: eo quod differentia sunt extra rationem generis. Sed vt docet Diuus Thomas 1. 2. quæst. 55. artic. 4. habitus est genus proximum virtutis: differentia autem est bonū rationis, seu morale, vt explicat ad 2. Ergo habitus in genere non petit, quod nullus eo male vtatur in genere moris.

47 Tertia propositio: nullus habitus virtutis moralis: aut supernaturalis practicæ: potest se habere indifferenter ad bene, vel male moraliter. Ita probat Diuus Thomas 1. 2. quæst. 55. artic. 4. ex D. Augustino lib. 2. de hb. arb. cap. 18. diffiniēte virtutem moralem; per hoc quod est bona qualitas mentis; quæ nullus male vtatur; quam Deus in nobis sine nobis operatur. Et rationem assignat Diuus Thomas, quia per hoc rectè explicatur propria ratio virtutis moralis, & differentia eius constitutiva, & distinctiva ab alijs habitibus. Frustraque huiusmodi qualitates darentur, si nō determinarent ad bonum morale. Explicat autem Sanctus Thomas ad 5. quod virtute potest aliquis male vti tamquam obiecto: non autem tamquam principio vitus. Et ad 6. extendit doctrinam ad virtutem insulam: de qua quæstione 62. & 63. ibidem. Sunt enim virtutes supernaturales virtutes diuini ordinis, à Deo causatæ immediate, vt dēt proportionem in ordine ad actus sui supernaturali proportionatos: quod nō facerēt, si essent indifferentes: ergo se habent deter-

48 Quarta propositio: si character esset habitus, non esset indifferēs, vt eo bene, vel male moraliter vteremur; sed determinare se haberet ad bonum morale: sicut virtutes morales, & insula. Probat Caietanus art. 2. dub. 2. & 4. §. ad id vero: quia character est forma supernaturalis, à Deo promouere impressa: ac per hoc, si esset habitus, non posset poni indifferens. Nūno etiam art. 2. difficul. 3. ad 3. & Cabrera disp. 2. §. 4. nu. 33. in fine, rationem assignat: quia character est in intellectu practico, taliter respiciēs verum, quod simul respicit bonū cultus religiosi: eo quod sacramenta, ad quæ ordinatur, sunt ceremoniæ, & operationes religiosæ.

49 Explicatur vis huius rationis: ideo sacerdos habens habitum virtutis religionis inclinatem ad debitum cultum Deo exhibendum in sacrificijs, & orationibus, non se habet indifferenter ad bonum, vel malum morale; sed solum determinate ad bonum morale; quia hoc est proprium officium illius virtutis vt inclinēt ad hoc vt debitus cultus Deo reddatur, quando, & quomodo oportet. Sed si character sacerdotis esset habitus, esset virtus, supernaturalis, & insula: ergo inclinaret, nō solum vt actus fieret; sed vt bene fieret: ergo characterē nullus male vteretur moraliter.

50 Confirmatur: quia quamuis character resideat in intellectu, non est in intellectu speculatiuo, quia eius perfectio non attenditur secundum considerationem veri: sed est in intellectu practico: eadem ratione, qua probat Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 83. artic. 1. ad 3. quod oratio est in intellectu practico causatiuo, & ordinatiuo: eo quod ordinatur ad agendam, vel recipiendam. Et quæst. 47. artic. 2. ostendit, quod prudentia pertinet solum ad rationem practicam. Et qui illam habet, se habet determinate ad bonum morale. Et qui habet virtutem religionis, & actum illius, qui est oratio, non se habet indifferenter, sed se habet determinare ad bene moraliter. Ergo si character infunderetur per modum habitus, haberet se determinare ad bonum moraliter. Quod tamē constat esse falsum: quia est de fide, quod per malos, & hæreticos sacramenta valide ministrari possunt: & peruersa intentio ministri de abusu sacramenti, non tollit esse validum, prout latè Sanctus Thomas quæst. 64. artic. 5. vsque ad 10. Ergo cum habitu virtutis nullus vtatur male, character non est virtus: esset autem virtus, si esset in prima specie qualitatis: ergo non pertinet ad primam, sed ad secundam qualitatis speciem.

51 Per quæ patet rationis Diui Thomæ efficacia. Cõstat etiam impugnaciones Sua rez (quæ maiori ex parte, sunt ex Scoto de sumptibus) parum vrgere. In speciali prima parui momenti reputatur à Vazquez capit. 3. nu. 71. Iamque erat soluta à Caetano dub. 2. per hoc quod nullus actus humanus singularis est indifferens moraliter, vt probat Diuus Thomas 1. 2. quæst. 18. artic. 9. Vnde entitas sua numquam est in singulari cū indifferencia: ideoque causare non valet effectum, seu habitum indifferentem: licet enim bonitas, aut malitia sumpta ex fine extrinseco, accidat actui specificè accepto; non tamen ei accidit sumpto individualiter: & cum actio nes sint singularium; non potest causare habitum indifferentiam retinentem. De quo 1. 2. quæst. 18.

52 Ad secundam dicitur, nos etiam docere habitus intellectus speculatiui esse indifferentes ad bonè, & male moraliter: quia docet S. Thomas virtutes intellectuales esse posse sine virtutibus moralibus. Sed sicut prudentia, quauis sit in intellectu; quia est in parte practica, se habet semper ad bonum moraliter: eo quod vt probat Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 58. artic. 5. est recta ratio agibilium, non solum in generali, sed etiam in particulari, in quibus sunt actio nes: Ita & character, quamuis sit in intellectu, si esset habitus, esset virtus practica factiua in singulari bonè: & ideo character nullo modo vteretur.

53 Ad complementum autem doctrinæ addendum, quod bonum proprium habitus scientiæ est verum: & ita habitus scientiæ semper se habet ad bonum, quia semper inclinatur ad verum: vnde non datur habitus indifferens in linea propria naturæ, cuius est perfectio conueniens, vel disconueniens.

Quod si inuestes ex Diuo Thoma 1. 2. q. 55. artic. 4. docente, quod habituum operatiuum aliqui quãdoque se habent ad bonum, & quandoque ad malum: sicut opinio se habet ad verum: & falsum. Ex quo videtur sequi, quod non solum in esse morali, sed & in esse intellectuali detur habitus indifferens:

Omnia solutione Petri Bergomensis in Concordantijs dub. 692. Respondetur, vt indicat Caletanus hic, quod habitus opinatiuus in particulari est bonus, si opinio est vera; malus, si opinio est falsa: vnde nullus habitus in particulari est indifferens; sed quidam boni, quidam mali; nullus vero indifferens ad vtrumque.

54 Ad alias replicas respondetur, quod character cum sit qualitas supernaturalis, de paratiua, & consecratiua hominis ad cultum

christianæ religionis, si esset habitus, esset vere virtus supernaturalis, sicut oratio, & prudentia: & ideo semper se haberet ad bonum morale; sicut oratio ex virtute religionis, & sicut actus prudentiæ; quia resident in intellectu practico; & malitia irreligiositatis in illo euentu, illi directè, & per se opponeretur.

55 In particulari ad instantiam de habitu fidei, qui potest esse informis, & ab extrinseco vitiari, Respondetur ex Diuo Thoma 2. 2. quæst. 4. artic. 2. ad 3. quod fides est in intellectu speculatiuo, vt manifeste patet ex fidei obiecto, quod est veritas prima. Vnde ibidem artic. 4. ait. Cum fides sit perfectio intellectus, illud per se ad fidem pertinet, quod pertinet ad intellectum: quod autem pertinet ad voluntatem, non per se pertinet ad fidem. Cum autem character sit in intellectu practico, & ordinetur ad cultum Dei secundum ritum religionis christianæ, si esset habitus, esset virtus supernaturalis moralis determinate se habens ad bonum.

56 Præterquamquod multi Theologi docent, quod habitus fidei determinate se habet ad bonum morale; quia actus elicitedus propter malum finem, non potest esse elicitedus a fide supernaturali infusa, & Theologica. Quam opinionem tenent Bâñez 2. 2. q. 4. artic. 5. Araujo 2. 2. quæst. 17. art. 1. finè. Vazquez, & Azor, quos refert, & sequitur Basilius Pontius. 1. parte variarum Relec. 2. folio 257. Quam opinionem semper sibi visam fuisse probabiliorem, inquit Nuño hic difac. 3. ad 6. eo quod fides est etiam virtus practica, excellentior, quam virtutes morales, quæ sunt virtutes simpliciter, de quarum ratione est, quod illis nullus male vtratur. In qua sententia, argumentum pro nobis militat: quia si à fide non procedit actus supernaturalis malus, non obstat, quod residet in intellectu; nec à characterè procederet consecratio, quæ esset peccaminosa. Quod constat esse falsum; ideo nec est habitus, nec virtus, sed potentia.

57 Sed quia opposita sententia est communior, & satis recepta inter Thomistas: siquidem eam tenent Caletanus 2. 2. q. 5. artic. 2. & 1. 2. q. 55. artic. 4. in quibus locis idem tenent Medina, Aragon, & Gregorius Martinez dub. 2. conc. 5. & alij plurimi. Ideo tenendo actum supernaturalem fidei posse ab extrinseco vitiari, consequenter asserendum est, fidem non esse practicam, nisi extrinseco ratione charitatis, quia fides per charitatem operatur; & sicut intellectus speculatiuus extensione sit practicus, vt dicitur 3. de Anima text.

tū 49. & ad intentum asserit D. Thom. 2. 2. q. 4. artic. 2. ad 3. quia id quod est voluntatis rectæ, extrinseco se habet ad verum, quod credit. At vero praxis, & cultus, & operatio religionis in ministrando, & recipiendo sacramento, per se pertinet ad characterem. Vnde si esset habitus, non est cur non esset virtus, moralis, & infusa: & eo nullus male vteretur. Alias solutiones adhibet Ruyz dubio 2. ad 5. fol. 464.

58 Sed adhuc instabis: nam character non est qualitas indifferens, sed determinate se habet solum ad bonum morale. Quod probatur dupliciter. Primo, nam est qualitas supernaturalis, infusa immediatè à Deo Authore supernaturali: quicquid autem ab eo, vt sic, procedit, est bonum supernaturale, quia ad gratiam, & gloriam ordinatur. Secundo, quia est specialis participatio sacerdotij Christi, vt dicit S. Thomas articulo 3. Christi autem operatio non potest esse mala: nec participatio eius sacerdotij potest esse indifferens; sed determinatè est solum ad bonum vitæ æternæ.

Respondetur cum Capreolo in 4. dist. 3. quæst. 1. ad 4. Scoti contra 4. folio 62. quod etiam donum prophetiæ est donum Dei Authoris supernaturalis: & tamen datur alicui peccanti mortaliter: vt patet de Balaam Numerorum 23. & 24. De quo S. Thomas 2. 2. quæst. 172. artic. 4. Pariter de characterè inquit D. Thomas in 4. dist. 4. quæst. 3. art. 2. q. 1. quod quia character non imprimitur ad præparandam: hominis voluntatem, vt aliquid bene fiat; cum non sit habitus, sed potentia, vt dictum est: ideo hunc effectum voluntatis indispositio non impedit; dummodo aliquis sit voluntas recipiendi sacramentum. Nec omne opus Dei est perfectum perfectione gratiæ gratum faciendis; nec semper in esse naturæ; licet aliquantè sit perfectum.

59 Aliter respondet Cabrera art. 2. disput. 2. §. 4. ad 2. quod character vt procedit à Deo, vt Authore gratiæ, quantum est ex se tendit in actum, qui ex suo genere, & obiecto est bonus: sed quia inclinatur imperfectè ad huiusmodi actum, possumus vti characterè bene, & male. Vnde malitia actus non est ex characterè, sed ex operante. Si autem esset habitus, & virtus supernaturalis, non solum inclinaret ad bonum, vt rum etiam neque illo abuti possemus: quia virtus determinatà, & perfectam inclinationem habet ad bonum; & ideo virtute nullus male vti potest. Ad secundam probationem respondet n. 33. characterem esse quamdam imperfectam participationem potestatis, & characteris Christi.

ti: ideoque operatio secundum substantiam est à Christo: sed quoad modum malitiæ est à proximo operante, qui bene, & male ipso characterè vti potest: nam character quantum ad modum operandi subordinatur arbitrio operantis.

60 Sed quia quis posset instare, quod non minus perfectè potentia in suo genere inclinatur ad actum, quam inclinatur habitus; & ideo si ponendo, quod character est potentia, quauis instrumentalis, & consideratur in illo bonitas supernaturalis quoad substantiam, quæ est ex characterè, & malitia quoad modum, quæ est ex operante proximo: ita ponendo esse virtutem, posset dicere esse virtutem instrumentalem, & imperfectam, à qua actus est supernaturalis, & bonus; & malitiam esse ex proximo operante, quia habitibus vtimur, cum volumus, & eo modo, quo volumus. Respondet Ruyz dub. 2. ad 5. fol. 462. characterem non inclinare ex vi sua ad actum bonum, vt bonus est formaliter moraliter: sed solum ad actum, qui bonus est materialiter: eo quod solum inclinatur in substantiam actus, qui vt sic potest habere bonitatem, & malitiam ex bono, vel malo vfu operantis. Quamuis bonitas sit ei magis connaturalis, eo quod est potentia supernaturalis: sed non est eius inclinatio intrinseca, eo quod potentia abstrahit a bene, & male moraliter. Caterum quia replica facta adhuc videtur maiorem exigere explanationem.

Ideo addendum ex D. Thom. 3. p. quæst. 64. art. 5. ad 2. quod Christus operatur in sacramentis, & per bonos, tamquam per membra viuentia, & per malos, tamquam per instrumenta carentia vita. Quod explicat ar. 9. & 10. ad 3. afferens illud S. August. lib. 1. contra Petilianum, (sacramenta Christi non possunt inquinari per malos homines, assignat S. Th. rationem: nam peruersa intentio peruertit opus intendens, non autem opus alterius. Et ideo ex peruersa intentione ministri peruertitur id quod agit in sacramentis, in quantum est opus eius; non in quantum est opus Christi, cuius est minister. Et est simile, si minister alicuius hominis, praua intentione deserret pauperibus eleemosynam, quam Dominus recta intentione mandaret. Consecratio ergo sacerdotis, in quantum à characterè, est opus Christi, & supernaturalis, & bona, & ex auxilio speciali Dei, qui solus est causa principalis conuersionis panis in corpus, quæ fit instrumentaliter à sacerdote, à bono, vt ab instrumento viuo, à malo, vt à carente vita gratiæ.

Illa vero actio, in quantum actio personalis, si sit bona, & meritoria, est à charitate, & religione; si vero mala, à sua peruersa voluntate.

tate. Quia vero habitus virtutū dantur propter actiones personales; si character esset habitus, & virtus; illa actio, nec vt personalis, posset esse peruersa: quia virtutes respiciūt modum actuum: potentia vero solum datur vt actus fiant; & ideo character, vt potentia, solum respicit vt actio fiat vt à Christo: & sic non potest peruersa ministro. Et hoc bene intelligitur, in actione distinguendo duas rationes inadæquatas. Sicut enim actus intellectus, & voluntatis sunt boni transcendentes, & sunt indifferentes, & abstrahunt à bono virtutis, qui conuenit actui informato habitu virtutis: ita actus characteris est supernaturalis, & bonus in quantum est actio Christi; sed est indifferens, & abstrahens à bonitate virtutis supernaturalis, quæ conuenit consecrati in gratia, & eliciendo actum virtutis perfectantis actum characteris.

61 Alia via potest formari ratio pro conclusione sic. Potentia datur ad simpliciter operandum, habitus datur ad facilius, & promptius operandum; prout docet S. Thomas 1. 2. q. 49. art. 4. & q. 50. art. 4. & 5. ad 3. Sed character non datur ad facilius, & promptius operandum, sed ad operandum simpliciter: quia sine characterè sacerdotali verba nihil operantur; & sine Ordinis characterè vanè omnia traduntur, quæ propria ordinis sunt, vt dicit S. Thom. in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 2. q. 3. ad 2. Vbi in corpore dixerat, quod qui characterem baptismalem non habet, nullū sacramentum valide suscipere potest. Quod & docet in 4. dist. 7. quæst. 2. art. 1. q. 3. & 3. p. quæst. 72. art. 6. Omnesque Theologi sequuntur. Ergo character non est habitus, sed potentia.

62 His rationibus potest ulterius responderi cum Scoto in 4. dist. 6. quæst. 10. parum ante solutiones ad argumenta, ver: *Esti dicis*, sufficere ad habitum supernaturalem; quod remote disponat ad actum bonum, licet non sit eius principium elicitiuum proximum; sed solum sufficiens, & remotum; vt conuenit fidei habitus. Et sic debet poni character tamquam primo, & remotissime disponens ad bonos actus.

63 Hanc tamen responsionem bene rejicit Caietanus hic. Primo, quia falsum omnino est virtutes supernaturales infusas non esse proxima principia suorum actuum. Nam quod in pueris, & in ebriis, & in dormientibus non possunt operari; non prouenit ex insufficientia habituum, sed ex impedimento subiecti. Quia idem contingit in habitu scientiæ acquire.

Secundo, qualitates non debent in specie

collocari, secundum id ad quod remote disponunt; sed secundum ea, quæ sibi proximè conueniunt. Ergo non debet character collocari in specie habitus boni, quia valde remote disponit ad actum bonum. Sed potius sub specie potentia, quia characterè quis constituitur simpliciter potens dare, vel recipere: liquidem imprimatur proportionaliter ad potentias naturales, vt scilicet, sint quibus possumus, & non quibus bene, vel male moraliter possumus.

64 Sed instabis: nam ex hac ratione potius sequitur characterem esse habitum supernaturalem: nam illi dantur ad simpliciter operandum; in hoc enim distinguuntur ab habitibus naturalibus, vt sumitur ex D. Th. q. 24. de Ver. artic. 4. ad 9. Vnde & si character datur ad simpliciter operandum, non sequitur, quod sit potentia, quia potest esse habitus supernaturalis.

Responderetur verum esse, quod habitus supernaturales habent modum potentia, in quantum excedunt facultatem totius naturæ: & sine illis, vel aliquo intrinseco eorum vicem supplente, actus supernaturales fieri nequeunt. Simpliciter tamen sunt habitus, vt docet Sanctus Thomas 1. p. q. 12. artic. 5. ad 3. Ideoque supponunt potentias ad similes actus materialiter, vel generice. Vnde dixit Diuus Thomas quæst. 24. de Verit. artic. 1. ad 2. quod opus meritorium à non merito, non differt in quid agere; sed in qualiter agere. At vero consecrare, ordinare, & absoluerè à peccatis, sine characterè nullo modo, neque quantum ad substantiam, neque materialiter, potest fieri sine characterè. Datur ergo character omnino ad simpliciter operandum. Videatur Nuño ad 1.

65 Vltimo responderet Vazquez cap. 3. in fine, characterem non esse habitum disponentem ad operandum; & ideo neque disponentem, ad bene, vel male operandum, sed ad bene, vel male se habendum secundum se: quod sufficit ad rationem habitus.

Sed contra primo: nam character sacerdotalis concurrens actiue ad consecrationem: verba autem consecrationis causant instrumentaliter consecrationem panis in corpus Christi, prout ostenditur à D. Thoma 3. p. quæst. 78. art. 4. Pariter character Episcopii ad ordinandum, ad confirmandum, & sacerdotum ad absolendum. Et character confirmationis concurrens actiue ad confirmandum publice fidem: quod robur non consequimur sine confirmatione in re, vel in voto, prout docet D. Thomas quæst. 72. art. 6. ad 1. Characterem etiam Baptismi ordinari ad actum

actum, sumitur ex S. Gregorio Nazianzeno orat. in sanctum lauacrum: & in Catechismo Pij Quinti, de sacramentis in genere, §. penultimo dicitur, quod character hoc prestat, tum vt apti ad aliquid suscipiendum, vel peragendum efficiamur: Tum vt aliqua nota alter ab altero inter noscatur. Quod deinde exponit de singulis characteribus. Character ergo est qualitas actiua, vel passiva, vt postea exponetur; ac proinde etiam ex hac parte excluditur à prima specie qualitatis.

§. V.

Excluditur à tertia, & quarta specie qualitatis.

66 Dico quinto, character non pertinet ad tertiam speciem qualitatis. Probat S. Thomas art. 2. ad 2. nam in tertia specie qualitatis non sunt nisi sensibiles passionis, vel sensibiles qualitates: Character autem non est lumen sensibile: & ideo non est in tertia specie qualitatis; vt quidam dixerunt.

67 Hæc ratio D. Thomæ displicet Vazquez num. 54. quia constat ex Aristotele in Prædicamentis cap. de qualitate, qualitates, etiam spirituales, esse in tertia specie: nam & iracundia, & insania constituuntur ab Aristotele sub hac specie: & tamen non sunt sensibiles qualitates.

Facile tamen ex ipso textu retorqueri potest argumentum contra Vazquez: iracundia enim, & insania non reperiuntur in spiritualibus; nisi metaphoricè: sunt enim passionis coniuncti, vt dicit Philosophus 1. de Anima. Et non sunt in ipsa anima spirituali, vt probat D. Thomas 1. 2. quæst. 22. artic. 1. Tenentque omnes Philosophi vocantes eas passionis appetitus sensitui: vnde non sunt spirituales, sed corporeæ: & in hoc sensu dicuntur sensibiles à Philosophis. Consentiantque Theologi, qui passionis iræ, & iracundiæ dicunt non reperi in Deo, nisi metaphoricè, vt docet Diuus Thomas 1. part. quæst. 3. artic. 2. ad 2. & alibi sæpè.

68 Præterea mirum est, quod contra rationem Diui Thomæ opponatur auctoritas Philosophi, cum tamen ipse Diuus Thomas testetur suam rationem desumptam ex Philosopho: inquit enim in 4. dist. 4. quæst. 1. artic. 1. Sicut probat Philosophus in 7. Physicorum textu 19. tertia species qualitatis non est nisi in sensibili parte animæ: character autem à nullo ponitur in hac parte animæ: sed in intellectiua. Et præterea illæ qualitates semper habent ordinem ad aliquam

transmutationem corporalem, vel quam inferunt, vel à qua causantur.

69 Respondet Lugo sect. 3. num. 48. vt iam supra retulimus. Philosophum loqui ex natura rei: quia ordine naturæ seruato, qualitates corporales, vel quæ habent transmutationem corporalem, non reperiuntur in subiecto spirituali. Non tamen id intelligitur in ordine ad potentiam absolutam, & attento ordine supernaturali. Et hoc modo explicat Suarez 2. to. Metaph. disp. 42. sec. 5. n. 11. & 12. D. Thomæ lib. 5. Metaphis. lec. 16. Vnde & sec. 4. n. 23. dicit gratiam pertinere ad tertiam speciem qualitatis, eo quod per se primo non est operatiua.

70 Sed contra est. Primo, nam Suarez characterem non constituit in tertia, sed in prima specie qualitatis: vnde vel doctrina illa tradita in Metaphisica, est falsa: vel minus consequenter ad eam nunc opinatur. Rursus, si verum esset, quod lumen spirituale non operatiuum in ista specie collocatur, manifestum est rationes, quibus Vazquez nu. 55. hanc conclusionem probat, parum vrgere.

Deinde asserere gratiam pertinere ad tertiam speciem qualitatis, est contra Diuum Thomam 1. 2. q. 110. art. 3. ad 3. De quo ibi disputatur.

71 Præterea, si qualitates tertiæ speciei extenduntur vt comprehendant qualitates spirituales, non obstante, quod in eis collocentur qualitates sensibiles, & quæ sunt cum transmutatione corporali; pariter forma, & figura possent extendi ad qualitates spirituales, non obstante, quod proprie sint in corporalibus: liquidem Philosophus, & D. Thomas eodem modo, quoad hoc, loquuntur de qualitatibus tertiæ, & quartæ speciei. Consequens tamen est falsum: & ideo merito id non admittit Lugo num. 49. Cum tamen non sit facile disparitatem assignare.

Denique probatur: nam qualitates purè spirituales plusquam specie infima differunt à qualitatibus, quæ sunt cum transmutatione corporali, & residet in corpore, vel in appetitu sensitui. Vnde cum istæ pertineant ad tertiam speciem qualitatis, non potest ad eandem pertinere character, nisi evertendo species, quas Philosophus numerat.

72 Dico sexto, Character non potest esse in quarta specie qualitatis. Probat D. T. art. 2. ad 1. Nam figura est quedam terminatio quantitatis: Vnde proprie loquendo non est nisi in rebus corporeis: in spiritualibus autem dicitur metaphoricè. Non autem ponitur aliquid in genere, vel specie, nisi per id, quod de eo proprie predicatur. Et ideo character non potest esse in quarta spe-

cie qualitatis; licet hoc quidam posuerint. Pro huius rationis expositione legantur, quæ diximus lib. 2. Log. q. 26. §. 7.

73 Sed obijciēs: nam licet figura quoad nominis impositionem, & quoad notiora nobis, solum reperiat in corporalibus: tamen quoad rem significatam, potest abstrahi aliqua ratio communis corporalibus, & spiritualibus qualitibus. Sicut ratio imaginis proprie reperitur in corporalibus. Et tamen etiam reperitur proprie in spiritualibus, & in his, quæ habent similitudinem in specie, vel in aliquo signo speciei. Signum autem speciei in rebus corporeis maxime videtur esse figura, vt docet D. Thomas 1. p. q. 35. art. 1. Imagines verò spirituales, quæ nō sunt eiusdem naturæ in specie, solum assimilari possunt in signo speciei. Ergo pariter potest proprie esse figura in spiritualibus.

Respondetur esse disparē rationem: nam imago de sui ratione importat similitudinem deductam: quæ potest formaliter, & proprie esse in corporalibus, & spiritualibus. At vero sicut falso imaginamur diuersas figuras substantiarū spiritualiū: ita signū speciei in illis non est figura; sed vel ipsa substantia per se ipsam, vel per aliquod accidens intentionale: siquidem imagines spirituales non sunt depictæ, vel sculptæ, sicut imagines corporeæ artificiales. Patet ergo, quod proprie loquendo, forma, & figura non sunt nisi in rebus corporeis.

§. VI.

Character est spiritualis potentia, instrumentalis, physica.

74 Dico vltimo, character collocatur in secunda specie qualitatis, vt potentia spiritualis, physica, instrumentalis. Prima pars sequitur ex dictis: quia ostensum est characterem esse qualitatem: & probatum manet non esse primæ, tertiæ, & quartæ speciei: ergo pertinet ad secundam speciem qualitatis, quæ est potentia. Consequentiam probat D. Thomas in 4. dist. 4. q. 1. art. 1. dicens. *Quidam dicunt, quod character non est in aliqua quatuor specierum qualitatis, inuitentes illi verbo Philosophi in Prædicamentis: fortasse, inquit, apparet alij qualitatis modi. Sed hæc est fuga quedam, quia quamuis sint alij modi qualitatis; tamen omnes reducuntur ad has species. Quod patet ex hoc, quod nulla alia species inueniri adhuc potuit. Hæc S. Thomas. Ostendimus etiam supra accidentia supernaturalia, vt potest coposita ex genere, & differentia, in Prædica-*

mento collocari. Quæ fuerint incompleta, solum reducit.

75 Secundo probatur ratione D. Thomæ. Nam sacramēta nouæ legis, characterem imprimunt, in quantum per ea deputantur homines ad cultum Dei, secundum cultū Christianæ religionis, vt ex dictis constat, & ex D. Dionysio cap. 2. Eccles. hier. parte 3. ibi. *Perficiens eum diuinum, & communicatorem diuinorum.* Diuinus autem cultus consistit, vel in recipiendo aliqua diuina; vel in tradendo alijs. Ad vtrumque autem horum requiritur quædam potentia: nam ad tradendum aliquid alijs, requiritur potentia actiua: ad recipiendum autem requiritur potentia passiua. Et ideo character importat quædam potentiam spirituales ordinatam ad ea, quæ sunt diuini cultus.

76 Sed obijciēs, consequentiam D. Thomæ nec tenere ratione formæ, nec ratione materiæ. Non primum: quia in simili forma instatur: siquidem non bene valet: character militaris est deputatus hominis ad militiam consistentem in percutiendo: & ad percutiendum requiritur potentia percussiuua: ergo character militaris est potentia ad percutiendum. Constat enim characterem militare nec esse potentiam naturalem, nec potentiam secundum artem, & regulas militiæ: sed esse merum signum deputationis.

Nec consequentia tenet gratia materiæ: quia in nulla materia valet argumentum ab vniuersali ad speciale affirmatiue: sicut non bene valet: est animal: ergo est leo: quia potest esse equus, aut homo. Et in hac ipsa materia deputatione ad cultum Christianæ religionis multipliciter fieri potest, scilicet, signo, professione, officio, scientia, voluntate, potentia: vt in simili patet inductiue in militiam: & alijs cultibus, & artibus. Vnde non bene inferitur ex deputatione, quod character sit potentia: quia sufficit, quod sit signum. Sicut in lege antiqua per sacramenta deputabantur homines ad cultum veri Dei: & tamen sine impressione characteris, vt dictum est ex D. Thomæ artic. 1. ad 3.

77 Responder bene Caietanus consequentiam D. Thomæ tenere gratia materiæ: quia S. Thomas se remittit ad ea, quæ dixerat articulo primo: & loquitur de eo modo deputationis, de quo S. Dionysius verbis à D. Thomæ relatis. Loquuntur autem ambo de deputatione perfectiua animæ per qualitatem impressam à Deo: cum autem Deus omnia disponat suauiter; si in subiecto non supponit posse simpliciter, ipse dat. In subiecto autem carente characterē, non suppo-

supponitur posse ad actiones, & passiones, propter quas datur character: Vnde cū per characterem eleuetur, & depuretur, non ad taliter, sed ad posse, character est potentia. Sicque patet vis rationis D. Thomæ: ex hoc enim (inquit Caietanus) quod character est perfectiuis animæ ad cultum Christianæ religionis: & cultus Christianæ religionis formaliter consistit in recipere, vel dare; formaliter sequitur, ergo character perficit animam ad recipiendum, vel dandum. Sed constat liquido, quod proprium, & per se primo perfectiuis ad recipere, seu dare, est posse recipere, aut dare. Ergo character est spiritualis potentia, qua homo secundum animam potest recipere, vel tradere ea, quæ sūt Christianæ religioni propria.

78 Et confirmatur hæc ratio: quia potentia sola est, qua subtracta actus nullus redditur apud Deum; & similiter, qua posita actus efficax est, quantumcumque ab homine prohibitus. Nam subtracta, aut scientia, aut fide, si potentia remanet, actus non est nullus. Sed è contra, sola potentia deficiente, alia non sunt efficacia. Sic autem constat esse in proposito, quod subtracto characterē, vane omnia recipiuntur: & similiter subtracto characterē ordinis, vane omnia traduntur, quæ propria ordinis sunt. Est ergo character in genere potentia. Hæc Caietanus circa deductionem conclusionis.

79 Et dub. 4. in fine concludit. Quo circa videto omnia consonare vero, & absque difficultate vlla characterem poni, non habetum, sed potentiam, quæ ex propria ratione indifferens est ad bonum, & malum (character enim est potentia, qua potest quis dare, vel recipere; & non est quo potest bene, vel male dare, vel recipere) vt sic perspicias diuinam sapientiam disponentē omnia suauiter, donando nobis supernaturales potentias, dare eas suauiter, hoc est, seruata conditione potentiarum, vt scilicet sint quibus possumus; & non quibus bene, vel male possumus. Hæc Caietani doctrina, etiam clarescit ratio D. Thomæ proposita §. 4.

80 Quod autem hæc expositio sit ad mentem D. Thomæ, constat ex eodem in 4. dist. 4. q. 1. art. 1. vbi probat characterem reduci ad secundam speciem, dicens. Et hoc sic patet: sicut enim cuiuslibet existentis in aliqua natura, sūt aliqua operationes propriæ; ita etiam in spirituali vita regenerati, vt Dionysius dicit in 2. cap. eccles. hierarch. Vbi cumque autem sint operationes propriæ, oportet, quod sint principia propria illarū operationum. Vnde sicut in alijs rebus sunt

potentiæ naturales ad proprias operationes; ita etiam renati in vitam spirituales, habent quædam potentias, secundum quas possunt illa opera. Quod ad intētū applicat adducta auctoritate S. Dionysii quo prima traditio characteris nobis aduenit. Et ne dicatur ad hoc sufficere habitus, & non requiri potentias; id impugnat S. Thomas, quia character datur ad simpliciter operandum: quia facit hominē participatum diuinarum operationum: ideoque est quædam potentia, qua potest in actiones hierarchicas, quæ sūt ministraciones, & receptiones sacramentorum, & aliorum, quæ ad fideles pertinent. Et ad hæc quod has operationes bene exerceat, indiget habitu gratiæ, sicut & alie potentiæ habitibus indigent. Hæc S. Thomas. Et ad 3. concludit. Vnde simul cum characterē, quod datur homini, vt possit exercere spirituales actiones fidelium, vel passiones, seu receptiones, datur gratia, qua hæc bene possit. Et artic. 2. ad 3. ait. *Nec oportet, quod omnis, qui characterem habet, illas actiones bene exerceat: sicut nec omnis, qui habet potentiam, bene operetur actum illius potentiæ.* De quo etiam ibi quest. 3. articulo 2. q. 1.

81 Respondent tamen Bellarmin. cap. 19. & Suarez disp. 11. sect. 3. §. Quarto ex his. Vazquez disp. 134. cap. 3. nu. 61. & cap. 5. num. 95. Granados controu. 3. tract. 4. disp. 3. à nu. 3. vsque ad 9. Auersa sect. 2. Pasqualigus disp. 69. sect. 3. & alij, quod licet physice character sit habitus, moraliter est signū quoddam, & conditio, quæ vel est, vel annexam habet, moralem potestatem à Deo collatam: statuit enim Deus, quod non baptizatus non possit valide alia recipere sacramenta; & quod non sacerdos nequeat absolueri, & consecrari: & quod qui non est Episcopus, nequeat Ordines conferre. Quod autem ratio S. Thomæ inefficax sit de potētia physica (quamuis fateatur de ea loqui: quod tamen diffinitur Granados) probat Suarez: nam minister baptismi, & matrimonij sine potentia physica, sola deputatione extrinseca, ministrat sacramentum. Item character Ordinis solet esse impotens ad aliquem actum confirmandi, vel ordinandi: & tamen adiuuata concessione Pontificis, id potest. Character etiam baptismi in viris est sufficiens potentia ad recipiendū ordinem; non autem in feminis: & in ægrotis est sufficiens potentia ad recipiendum Sacramentum Extremæ vniuersionis. Ergo signum est hæc omnia pendere ex institutione: ac per consequens pertinere ad moralem potentiam, non ad physicam.

82 Hanc euasione in primis opponi

menti Diui Thomæ, ipse Suarez ingenuè fatetur in fine tertie sectionis: & omnes Thomistæ docent. Et manifestum est: quia ipse S. Thomas in art. 2. ait, *sciendum tamen, quod hæc spiritualis potentia est instrumentalis; sicut etiam dictum est q. 62. art. 4. de virtute, quæ est in sacramento.* Sed ibi dub. 4. ostendimus illam esse ex mente D. Thomæ realem, & physicam: ergo character ex mente Diui Thomæ est potentia realis, & physica.

Deinde, qui ponunt characterem esse potentiam solum moralem, dicunt, vel pertinere ad primam, vel tertiam, vel quartam speciem: sed has omnes sententias D. Thomas nominatim refert, & impugnat: ergo cum in conclusione responsiva collocat in secunda specie qualitatis, loquitur proprie, realiter, & physicè, eo sensu, quo ab alijs speciebus excluderat. Videatur S. Thomas art. 4. ad 2. & art. 5. corpore. Et ad 1. & 3. Et art. 6. Et lib. 4. ad Anibal. dist. 4. art. 1. ait. *Nec iterum potest dici, ut alij dicunt, quod sit in prima species, quia habitus disponit ad operandum bene, vel male: non autem character; sed ad operandum aliquid spirituale simpliciter.* Et idem reducitur ad secundam speciem qualitatis: est enim quædam spiritualis potentia data ad communicandum actus spirituales, sicut potentia corporalis ad corporales.

83 Præterea rectè hanc solutionem impugnat Araujo art. 6. dub. 3. n. 25. quia alias tenerentur isti Authores admittere cum Durando characterem esse relationem rationis, vel extrinsecam denominationem. Nã ad quid est qualitas bene disponens animam in se? Si nec disponit illam ad gratiam; nec ad aliquam operationem? Ut Suarez, & Vazquez fatentur. Si autem disponit illam tantum moraliter deputado, & consignado ad opera diuini cultus; ad hoc sufficit relatio rationis, seu denominatio extrinseca. Nam tituli dignitatum Regis, Prætoratus, Magistratus, Prælati, & potestas iurisdictionis, etiam consignat, & deputat homines moraliter ad opera specialia regiminis, & iurisdictionis. Et tamen consistunt in quibusdam relationibus rationis, seu extrinsecis denominationibus. Ergo idem posset prestare character in relatione rationis, vel denominatione extrinseca consistens. Ac proinde isti Authores verbis dumtaxat qualitatem supernaturalem in characterem fatentur; re tamen ipsa differunt: & latenter volentes, & nolentes in opinionem Durandi incidunt, quam ut erroneam reiecerat. Hæc ille.

84 Probat deinde Serra hoc art. 2. §. Sed

contra illos, folio 105. nam character Sacerdotalis est potentia vere, & proprie physica: ergo & alij characteres. Antecedens probatur. Tum, quia potentia, quam importat, legè diueria est à potestate iudicis, & prætoris, quæ moralis est. Tum, quia physicè instrumentaliter concurrens ad conuersionem panis in corpus Christi; non minus, quam verba consecrationis; quæ illum præsupponunt, & sine quo nihil efficiunt. Tū denique, quia ut patet ex art. 3. character est quædam participatio sacerdotij Christi: quod physicam potentiam importat, colligitur ex D. Thomas 3. p. q. 22. art. 3. dicente: *Virtute ipsius gratia nobis datur.*

Confirmatur: non repugnat characteri esse potentiam vere, & proprie physicam: ut constat ex solutionibus argumentorum: ergo, cum hoc ad eius dignitatem pertineat, non est illi denegandum. Hactenus ibi.

85 Idem probat Cabrera disp. 2. §. 3. n. 26. & 27. quinque argumentis: sed fere omnia in dictis continentur. Quia character datur ad posse simpliciter, & sine eo actus sunt invalidi. Character non potest intendi, aut remitti. Conferitur pariformiter ad potentias naturales. Non efficit bonum simpliciter. Character est indelebilis. Sed hæc omnia prædicata quadrant potentiam physicè. Ergo character est potentia physica.

86 Concedit tamen Cabrera num. 26. characterem simul esse potentiam moralem, quia Deus illi ex pacto adest, & concurrens ad effectum supernaturalem producendum: quod non facit, ubi non est talis character. Secundo, quoniam qui deputantur ad aliquod ministerium, potestate deputantur, saltem morali, ut constat in Rege, & Iudice, & c. Sed characterem sacramentorum homines deputantur ad cultum Dei, secundum ritum Christianæ Religionis: ergo character est potestas moralis.

87 De isto tamen additamento iudicandum ex dictis q. 62. dub. 2. §. 3. & 9. ubi ostendimus sacramentorum nouæ legis causalitatem essentialiter esse causam efficientem instrumentaliter physicè: esse vero causam moralem antecedenter, quia hæc fuit collata virtus a causa morali, & meritis Christi: & comitanter ex parte subiecti, quia datur ministro agenti libere; & etiam quia ad eam impletio promissionis, & significationis, quæ reuera est significatio; & solet late vocari causalitas moralis: & tandem consequenter, quia in causalitate physica fundari, & superaddi solet potestas moralis iurisdictionis. Pariter dicimus nunc de characterem, quod essentialiter est potentia

instrumentalis, physicè actiua operationum supernaturalium, & instrumentaliter; sicut potentia naturalis operatur operationes naturales, vel corporeas principaliter. Sed tamen quia ortum habuit à voluntate libera Dei, meritis Christi, est antecedenter moralis. Est item moralis comitanter ex subiecto, cui confertur character; est enim Christianus, vel sacerdos instrumentum animatum liberum, & morale. *Habere enim sacramenti characterem* (inquit D. Thomas in to art. 2.) *competit ministeri Dei: minister autem habet se per modum instrumenti, ut Philosophus dicit. i. Polit. cap. 3.* Loquitur autem de instrumento morali, & libero, quod ita agit, quod etiam agit, ut docet D. Thomas 3. p. q. 7. art. 1. ad 3. & 1. 2. q. 21. art. 4. ad 2. & q. 68. art. 3. ad 2. & q. 24. de Verit. art. 1. ad 3. Est etiam moralis consequenter, quia in potentia physica characteris, fundatur potestas iurisdictionis; & hæc sola est, quæ augetur, vel minuitur: & est ad placitum respectu aliorum. Per quæ fundamenta contraria soluantur. Solum restat soluenda, quæ opponuntur contra principales assertiones.

§. VII.

Argumenta soluantur.

88 Primo arguitur ex Vazquez nu. 68. nã id eod secundam speciem qualitatis dicitur naturalis potentia, quia est potentia naturalis, & nullo modo aliunde comparata: siquidem omnia exæpla, quæ Aristoteles adducit pro ista specie, sunt potentia, quæ à natura insunt, & non comparantur aliunde. Unde calor potest in animali, vel in igne, est potentia, quæ tibi est naturalis: at vero in aqua non habet rationem potentia illius, quia non est ipsi naturalis. Cum ergo character sit forma supernaturalis, ab extrinseco causata, seu propeniens, non potest habere rationem potentia.

Hoc argumentum parum vrgere, ex eo est manifestum: quia si Deus vellet, posset facere, quod character esset instrumentalis potentia: & ostendit, & modo quo de facto ponitur in opinione D. Thom. nulla enim in hoc involuitur contradictionis implicatio; & ita Deus potest facere potentiam supernaturalem accidentalem: quæ esset qualitas composita ex genere, & differentia: & posita in prædicamento qualitatis, & in specie potentia. Et tunc instatur argumentum.

Ad quod tamen iam responderat Diuus Thomas in 4. dist. 4. q. 1. art. 1. ad 2. dicentem,

quod character reducitur ad secundam speciem qualitatis; & est alius modus ab illo, quem Philosophus ibi ponit; quia Philosophus non cognoscebat, nisi operationes naturales; & ita non nisi potentias naturales. Constat autem, quod apud nos oportet ponere potentias spirituales; sicut potentiam conficiendi, & absoluendi, & huiusmodi; & quod ad secundam speciem qualitatis reducatur; sicut habitus infusi in eadem specie qualitatis sunt cum habitibus naturalibus, vel acquisitis. Hæc D. Thomas ibi. Et hic art. 4. ad 2. ait, quod essentia anima est subiectum potentia naturalis, quæ ex principijs essentia procedit. Talis autem potentia non est character. Sed est quædam spiritualis potentia, ab extrinseco adueniens.

89 Solutionis autem veritas, & sufficiens constat ponderando exemplum, quo eam explicat D. Thomas: quia non obstante, quod in nullo prædicamento, vel specie eius Philosophus fecerit mentionem de entibus supernaturalibus, quia solo lumine fidei, quæ Philosophus caruit, hæc dona hominibus innotescunt; sed solum in omnibus speciebus Aristoteles constituit qualitates pure naturales: Tamen ipse Vazquez fatetur hum. 48. quod qualitas naturalis, & supernaturalis genere conueniunt, & sub eodem prædicamento, & in eadem specie subalterna collocantur; sicut & operatio naturalis, & supernaturalis. Ergo pariter licet Philosophus in secunda specie qualitatis solum fecerit mentionem de naturalibus potentijs: quia istas solas cognouit; non inde inferitur, quod character non sit in genere potentia.

90 Sed iustitabis: nam iuxta hoc videntur parum vrgere rationes D. Thomæ artic. 2. ad 1. & 2. quas proposuimus §. 5. ad probandum, quod character non est possibilis qualitas, nec figura: eo quod Philosophus in tertia, & quarta specie qualitatis solum collocat illas, quæ sunt cum corporea transmutatione; & figuras corporeas. Quas rationes esse inefficaces ex dictis probatur: nam magis distat qualitas spiritualis ab extrinseco adueniens, a potentia naturali, & naturali, quam distat qualitas spiritualis a corporali; quia istæ conueniunt in proximiori genere qualitatis naturalis. Sed characterem esse qualitatem spirituales, obstat ut non ponatur in tertia, vel quarta specie qualitatis. Ergo cum character sit qualitas supernaturalis ab extrinseco adueniens, non poterit collocari in genere potentia naturalis, & naturalis.

Respondetur differentiam aliquam posse esse per accidens in vna diuisione, quæ est per se in alia; quia ut dicit S. Thomas 1. 2. q. 18.

q. 18. art. 5. Potest aliqua differentia obiecti esse per se in comparatione ad unum principium, & per accidens in comparatione ad aliud. Sicut cognoscere colorem, & sonum per se differunt per comparationem ad sensum; non autem per comparationem ad intellectum. Cum autem tota distinctio tertiæ, & quartæ speciei qualitatis sit penes hoc quod sunt corporales, vel termini, vel transmutationes quantitatis; vel corporum: in quo vim facit D. Thomas; & per hoc ab alijs speciebus differunt: rectè inde infert characterem non esse passibilem qualitatem, nec figuram; quia licet in spiritualibus solum sunt metaphoricè. At vero esse qualitatem naturalem, vel supernaturalem, est differentia materialis quoad diuisum harum diuisiōnum: & ideo cum characteri cōpetant prædicata essentialia secundæ speciei, in illa debet collocari. Sicut in tertiâ, & quarta specie ponuntur qualitates, vel figuræ, quæ supernaturaliter corporibus dari possunt: nã esse corporales, vel spirituales sunt differentia per se ad diuisiōnem qualitatis in species prædicamentales, quia differunt in modo qualificationis; & modificandi, & determinandi subiectum: secus vero esse qualitates naturales, vel supernaturales; quia hoc habet, quia vel sunt naturæ, aut connaturales; aut sunt altioris ordinis diuini.

91. Secundo arguitur: signum potestatis nõ est ipsa potestas; sed eam supponit, & ab ea distinguitur sicut signum à signato: ideoque sceptrum, vel corona, vel purpura, non sunt ipsa potestas Regis, sed sunt signa, vel insignia, quibus regia potestas exprimitur. Sed character est signum potestatis, sicut character imperatoris est signum imperatoris, & character equitum est signum, quod sunt adscripti militiæ. Ideoque Concilium Tridentinum sess. 7. can. 9. ait, quod est signum quoddam spirituale. Ergo character nõ est essentialiter ipsa potestas.

Concedit Vazquez disp. 134. cap. 5. nu. 94. characterem sacerdotalem non esse potentiam physicam sacerdotis, sed signum tantum illius.

Hoc tamen concedi non posse, videtur manifestum; quia non potest negari, quod sacerdos habet vere, & realiter potentiam ad consecrandum; & quod non sacerdos, quia illa caret, consecrare non potest: similiter Episcopus habet potentiam ad ordinandum presbyteros; ita ut ordo sacerdotalis collatur a non Episcopo, ut inualens. Ergo hæc potestas est character, vel oportet assignare in quo alio consistat: in quo ergo? Non consistit in aliquo characterem consequente: quia

illo ablato, posito characterem, valida esset consecratio. Non in aliquo precedente: nam si hoc esset, prius saltem natura, quam imprinteretur character, esset homo sacerdos, & posset valide consecrare. Non in aliquo characterem comitante; nam illud sine vlla necessitate fingeretur. Ergo character est ipsa potestas.

92. Respondet Lugo disp. 6. sect. 3. nu. 46. characterem ita esse inigne potestatis, ut simul sit, quasi scriptura, & instrumentum potestatis traditæ. Vnde est quasi bulla aurea, seu sigillum diuinum, quo Deus testificatur, & proficitur potestatem, & ius; quod homo per sacramentum acquisiuit. In casu autem, quod quis rite baptizaretur, vel ordinaretur, & Deo impediret productionem characteris homo esset Christianus, & Sacerdos solum quasi extrinsecè. Non tamen est intrinsecè sigillatus; nec habet bullam expeditam suæ potestatis. Ipsa autem impressio sigilli dat nouum ius ad exigenda ea omnia, quæ ex sacramento suscepto debebantur. Et hoc sufficit ut character aliquo modo dicatur esse potentia.

93. Hanc solutionem impugnat Bernal disp. 15. sect. 2. §. 4. nu. 81. Primo, quia dicere hominem, antequam recipiat characterem, esse sacerdotem extrinsecè, perinde est, ac dicere, genitorem antequam recipiat modum relationis physicum, esse patrem fundamentaliter, non formaliter; & definitionem prius quam recipiat relationem realem, aut rationis, esse directam fundamentaliter, non formaliter; & alia id genus, quæ in Thomistis solemus improbare. Deinde, vel prius natura, quam recipiat homo characterem, intelligitur potens consecrare valide; vel non; si non; profecto extrinsecè non intelligitur sacerdos: si pro illo signo potens consecrare intelligitur; hoc est, quod pro maximo absurdo ducimus; estque planè contra omnium Doctorum sensum. Est etiam superuacaneus character: nam apud homines bulla, & scriptura authentica non supponit datam potestatem, ita ut actiones independentes ab scriptura valide sint.

94. Quare ipse Bernal à nu. 82. vsque 87. docet, quod character proximè, & immediatè, & essentialiter, ac formaliter est signum sui sacramenti valde facti, atque suscepti; ad eum modum, quo symbolum, seu sigillum, quo scripturam publicam Notarius obfirmat, significat instrumentum illud à legitimo ministro fuisse conscriptum: & est sicut vestigium, vel quidam habitualiter relicta à sacramento. Probat, quia sic explicatur eius

tia

ita characteris, & sine difficultate; & consonantissimè ad ipsius manus: quia est sicut Bulla Pontificis, vel Scriptura authentica notum faciens sacramentum valde susceptum. Cætera vero, quæ dici solent, si superflua sunt, sic amputantur; si non superflua, sic inducuntur.

95. Ceterum in utroque deficit Bernal, & in impugnatione, & in solutione. Primam impugnationem facillimè euadunt Thomistæ: ut videmus lib. 1. Logicæ q. 2. §. 7: & lib. 2. q. 23 §. 6. ad 2. Quia autem consequentia in Logica id neget Lugo, & hic affirmet, ipse viderit. Ad secundam iam ipse responderat, quod intelligitur sacerdos extrinsecè, & in via, & incompletè: & characterem sit talis intrinsecè, & in termino, & completè. Quare in illa solutione hoc solum duplicet, quod cum Lugo non agnoscat characterem esse potentiam physicam, sed solum moralem: hæc sufficienter intelligitur completa sine impressione alicuius physici: ac proinde superflue ponitur illa sigillatio intrinsecæ, & non est eum character sit necessaria qualitas, quia sufficit denominatio extrinsecæ, vel formæ rationis.

96. Solutio ipsius Bernal nõ potest placere. Primo, quia ad id nõ opus esset characterem constituere in genere potentia, ut nobiscum ipse constituit: quia ad id sufficeret habitus relictus. Secundo, nec opus esset habitu, sed sufficeret memoria, vel species eius, quod factum est. Tertio, quia potest quis moraliter esse certus, vel diuinitus certificatus de valida receptione quatuor sacramentorum non imprimendum characterem: vnde enim hoc repugnat? Ergo in hac notitia, vel significatione character non consistit. Quarto, quia Rex potest esse certus se valide constitutum Regem, & Prælati potest esse certificatus de sua valida electione: & Doctor de valida collatione Magistris: & tamen ista non imprimunt characterem. Denique, hoc pacto nullus essentia characteris explicuit: & rerum essentia non sunt prohibito fingenda. Nec sibi arrogabit tolli reuelatū; quia res tam antiqua sicut Christianus character, nõ est per mille trecentos annos in Ecclesia ignorata, præcipue post tam prolixas disputationes Theologorum inter se, & cum hæreticis. Et tamen in nullum rem venit, & multo minus docuit, quod Bernal asserit characterem non esse aliud, quam speciem intrinsecè supernaturalem sui sacramenti.

97. Aliter ergo facillè respondetur, quod character intrinsecè est simul potestas, & sig-

num configuratiuum sacerdotio Christi; & in quo assimilantur fideles, & distinguuntur ab infidelibus, & inter se: & cum intrinsecè character non sit signum potestatis, bene potest esse ipsa potestas fundans relationem signi ad Christum, & ad alios fideles. Loquendo tamè de characterem extrinsecè, & per ordinem ad suam causam, nempe ad sacramentum externum, etiam dici potest signum potestatis, iuxta D. Thomam art. 1. ad 2. Quod totum expræsit idem Doctor Angelicus in 4. dist. 4. q. 1. art. 1. ad 2. dicens, quod cum qua libet potestate exterius datur aliquid visibile signum illius potestatis: sicut Regi in signum regie potestatis datur corona, & sceptrum; & Pontifici mitra, & baculus, & anulus: & similiter cum spirituali potestate, quæ in sacramentis confertur; datur signum sacramentale exterius. Et per comparationem ad illud exterius signum, ipsa spiritualis potentia dicitur signum; in quantum homo per eam configuratur; & determinatur ad actiones spirituales.

98. Tertio arguitur argumento, quod latissimè profecit Suarez sect. 3. §. Primo ergo. Et Vazquez num. 60. & 61. & alij; ut ostendant characterem non esse potentiam physicam passiuam: nam potentia physica passiuæ in se ipsa recipit formam, vel actum ad quem ordinatur, illique vere actuatur, & pernicitur: sed character baptismalis non ordinatur hoc modo ad recipiendum aliquem actum supernaturalem: nam in primis sacramenta non recipiuntur in anima, sed in corpore; & aliquando solo auditu à recipiente percipiuntur. Effectus autem principalis sacramentorum, nempe gratia, immediatè recipitur in anima, quæ per se ipsam est capax gratiæ; & per suas potentias est capax virtutum, & donorum. Alij autem characteres etiam ex natura rei possunt immediatè recipi; licet ex dispositione libera Dei debeat precedere character baptismi. Ergo realiter, & physice loquendo, character non est potentia passiuæ.

Dices, characterem esse potentiam passiuam, non propter receptionem, sed quia est dispositio ad recipiendum alia sacramenta, & effectus eorum: dispositio autem reducit ad causam materiale susceptiuam.

Contra est primo, nam si verum esset characterem esse dispositionem, directè, & proprie constitueretur in prima specie qualitatis, vel in tertiâ: vnde non esset reducendus ad secundam.

Secundo, character non est dispositio ex natura rei habens connexionem cum gratia, quia suscipitur, & retinetur ab eo, qui est

in

in peccato mortali. Non est in essentia animæ; nec gratiam semper precedit. Nec est principium efficiendi actum, quo disponatur ad gratiam: eo quod paruulus baptizatus valide potest confirmari, & ordinari, & recipere horum sacramentorum effectus sine proprio actu.

99 Confirmatur primo ex Vazquez nu. 57. quia in secunda specie qualitatis nullo modo est constituenda potentia, quæ solum est ad recipiendum: alioquin, & potentia corporis ad recipiendum calorem, & albedinem, ac cætera accidentia, in hac specie collocarentur: quod est falsum, & contra Philosophum in cap. de qualitate. Ergo si character baptismi reddat potentem hominem ut cætera sacramenta, & fructum illorum recipiat, quæ duo reuera aliis non reciperet, non habet rationem potentie.

Confirmatur secundo ex eodem n. 59. & fuit argumentum Aureoli: quia si character baptismi esset potentia receptiua, non deberet dici potentia, sed impotentia: nam potentia facit patiendi, quæ ponitur in secunda specie qualitatis, est potentia ad resistendum, ut ex verbis, & exemplis Philosophi apparet.

100 Triplici via responderi potest. Primo negando maiorem. Vel quia ut ait Cabrera art. 2. disp. 2. §. 4. ad 7. nu. 40. licet potentia passiva physica, quæ est in principali agente, sit receptiua actus, per quem actiuatur: Tamen potentia, quæ est purè instrumentalis, nec in principali agente residet, tãquã in subiecto, nullius actus est receptiua, quo actiuetur. Et talis est character baptismalis.

Vel quia ut ait Serra art. 2. ad 1. non est de ratione potetie physice passivæ, ut in se recipiat formam, vel actum ad quem ordinatur, sed satis esse ut faciat subiectum capax talis receptionis. Huius exemplum est mollicies, quã ad secundam speciem qualitatis pertinere, docet Aristoteles in Prædicamentis cap. de qualitate. Quæ in cera est potentia passiva ad recipiendam figuram sigilli: quam tamen in se ipsa non recipit; sed ceram capacem facit ad illam recipiendam, nequit enim imprimi in cera indurata; quamvis possit retineri ab ea. Gratuitatem etiã in terra esse potentiam passivam, dicit D. Thomas 3. Metaph. lect. 14. initio. Quæ tamẽ in se non recipit motum, quo terra mouetur deorsum. Denique potentia motiua secundam locum, non est actiua, sed passiva, iuxta dicta lib. 2. de Anima q. 16. §. 4. Quæ tamen non recipit in se motum; sed solum est, ut ait D. Thomas 1. p. q. 75. art. 3. ad 3. per quod

membra redduntur habilia ad obediendum appetitui. Vnde cum character baptismalis, etiã si non recipiat in se alia sacramenta, hominem capacem, & habilem faciat ad illa recipiendam; potentia passiva physica erit respectu illorum. Et idem est respectu gratiæ sacramentalis, & respectu aliorum characterum: quamvis enim catechumeni quando iustificantur, gratiam recipiant; non tamen sacramentalis: sed hanc solum baptizati recipiunt, quando recipiunt sacramenta: ijque soli illius capaces sunt, sicut & sacramentorum, quæ illam continent. Hæc ibi. Et Ruyz ad 1.

101 Secundo respondet Nuño diff. 3. ad 4. concessa maiori, negando minorem. Et licet ipse sustineat, quod propter omnia illa character baptismi est potentia passiva; quia totus homo immutatur suscipiendum sacramentum, & characterem, ita ut aliquid reale modale ponat in anima; in voluntate; & intellectu. Quia tamen alijs tot modi videntur minime necessarij; & quod eadẽ facilitate, qua adstruuntur, rejici valent. Ideo ad intentum sufficit, quod de lege ordinaria characteres alij recipiuntur in intellectu medio characterē baptismi. Et hoc est ex natura rei, quia baptismus est prima regeneratio in Christo; & ideò dat capacitatem proximam ad alios actus vitæ Christianæ: licet complete etiam requiratur libera instructio Dei: sed fundata in propria natura horum effectuum. Præter quem ordinẽ Deus absque dubio valet operari de potentia absoluta.

Imò Cabrera §. 3. nu. 24. probabilius esse iudicat ex sola Christi institutione, & ordinatione alios characteres præsupponere characterem baptismi, ita ut sine illo rati, & validi non sint; quoniam naturis rerum consideratis nulla apparet ratio; cur reliqua sacramenta validum baptismum supponant, ut sint valida: baptismus vero nullum aliud sacramentum prærequirat. Sed iam rationem talis ordinis naturalis assignauimus.

102 Tertio respondetur solutione inter arguendum relata, quæ sumitur ex Paludano in 4. dist. 3. q. 2. & ex Capreolo q. 1. ad 5. Scoti contra primam folio 53. & ad 2. Durandi contra tertiam fol. 58. in fine, & folio 59. initio. Quæ recte exposita, parum differt a prima. Ad primam replicam respondetur, quod in illa supponitur dispositionem non habere aliam acceptionem, nisi pro prima specie qualitatis: cum tamẽ multis alijs modis possit accipi: ut videri potest in D. Thomas q. 2. de Virtut. art. 1. ad 9. Ad secundam re-

pli-

plicam respondetur, quod gratiæ sacramentales, & characteres alij supponunt ex natura rei, quod homo sit habilis, proximaque habeat potestatem illa recipiendi. Quæ potestas datur in baptismo, ut in regeneratione spirituali. Qualiter autem character disponat ad gratiam, & tamen non sit in eodem subiecto cum illa, explicat D. Th. art. 4. ad 1. & ibi Caietanus, & Capreolus affert verba D. Tho. 1. 2. q. 74. art. 4. ad 3. De quo iterum dub. 4.

103 Pro maiori luce huius solutionis; quæ est simul vera cum prima; duo aduertenda sunt. Primum, quod secunda species qualitatis, quoad illud membrum potetie passivæ, non constituitur præcisè per hoc, quod subiectum possit suscipere; sed exigitur aliqua qualificatio, qua proximè aptetur ad talem actum suscipiendum. Vnde genus proximum secundæ speciei qualitatis ab antiquis vocabatur *aptitudo*, ut notat Caietanus in Prædicamentis cap. de qualitate. Et differt à primo genere, quia illud dat aptitudinẽ ad bene, vel male: hoc vero dat posse simpliciter proximè. Ex quo cessat prima confirmatio.

104 Deinde aduertendum, quod potetia ista, quamvis realis, & physica, est instrumentalis, & incompleta: & ideò non est cù tanto rigore in eã exigenda receptio. Ad quod denotandum S. Thomas non appellat simpliciter potentiam passivam, sed quali passivam. Vnde in 4. dist. 4. q. 1. art. 4. q. 3. ait dicendum, quod sicut in naturalibus est potentia actiua, & potentia naturalis passiva; ita etiã in spiritualibus est potentia spiritualis quasi passiva, per quam homo efficiatur susceptiuus spiritualium actionum. Et talis spiritualis potentia constituitur in Baptismo; quia non baptizatus efficiunt aliorum sacramentorum suscipere non possit; & per consequens, nec alijs tradere.

105 Ad secundam confirmationem respondet bene Capreolus, vbi supra ad 5. Aureoli contra primam folio 56. columna 1. quod duplex est potentia susceptiua; nam quedã recipit cù violenta abiectione alicuius actus præexistentis convenientis naturæ: & talis potest dici impotentia. Alia vero recipit sine tali abiectione; sicut diaphanum; & potetie cognoscitiuæ, sensitivæ, & intellectivæ: & tales non dicuntur impotentia. Vnde si hoc argumentum valeret; utique probaret, quod nec vitus, nec intellectus debet dici potentia; sed quedã impotentia; quia suscipiunt speciem sui obiecti. Vnde patet, quod in proposito non valet, quia character non est potetia susceptiua primo modo, sed

secundo modo. Hæc Capreolus.

106 Præterquam quod diximus lib. 2. Logicæ q. 26. §. 5. nu. 25. quod potentia, & impotentia non differunt essentialiter, sed sicut perfectum, & imperfectum in eadem specie. Vnde si Aureolus, & Vazquez intendunt, quod potentia instrumentalis, & incompleta, quia est potetia debilis, debet dici impotentia; quæ à Caietano in cap. de qualitate, vocatur impotentia contrariè, & non priuatiuè, nõ contendemus, quia in substantia nobiscum conveniunt: quia idẽ est hoc modo vocare impotentiam, ac dicere, quod est potentia instrumentalis, & incompleta, ut appellatur à D. Thoma.

107 Quarto ex eisdem Auctoribus obijcitur, ut probetur characterem ordinis non esse potentiam actiuam physicam: quia vel character ordinis est potentia actiua ipsorum sacramentorum, vel actiua physice effectuum ipsorum sacramentorum. Neutrum autem dici potest. Ergo non est potentia actiua physice, sed solum moraliter. Minor quoad primam partem probatur: nam sacramenta consistunt in re, vel in actione sensibili: ad quam efficiendam non requiritur potestas spiritualis. Formale autem sacramenti est denominatio extrinseca, vel ens rationis: quod potentiam physicam actiuam non exigit. Virtus autem sacramenti, vel non est quid distinctum ab ipso; vel est motio, vel qualitas à causa principali derivata.

Secunda pars minoris sigillatim quoad tres effectus sacramentorum probatur. Ac de principali effectu, nempe gratia, videri clara, quia ut docet D. Thomas 2. 2. q. 178. art. 1. au 1. impossibile est, quod principium operandi miracula sit aliqua qualitas habitua liter manens in anima. Vnde q. 13. art. 2. ex mente S. Thomæ dicitur, quod nec in humanitate Christi Domini talis virtus inherens, & permanens est constituenda, nec ad patrã ea miracula, nec ad causandam gratiam. Ergo pariter, nec character sacerdotis est potetia physica. Consequentia patet, & quia non est minus supernaturale hoc opus, quam alia miracula: & quia in transubstantiatione plura interueniunt miracula, ut dicitur q. 75. art. 1. & 2. & alij ponunt ibi interuenire creationem; & secundum D. Tho. 1. p. q. 45. art. 1. dari non potest instrumentum creationis.

Quod character non sit potentia physice effectiua gratiæ sacramentalis, probatur: nõ auxilia diuina à solo Deo fiunt; & exercitiũ sacramentorum non requirit alia principia effectiua, quam virtutes, & dona.

Deniq;

Denique, quod vnus character non sit potentia physica ad producendum alium, probatur: nam character non magis dat potentiam ad ordinandum, quam ad alia sacramenta ministranda: nam Extremæ vnctionis, & Pœnitentiæ sacramenta valida non sunt, si minister characterem ordinis nō habet. Sed ista sacramenta physice non fiunt a characterē ministri: ergo nec character Sacerdotis physice causatur à characterē Episcopi.

108 Confirmatur primo: nam secundū D. Thomam in 4. dist. 24. q. 1. art. 2. q. 2. quoniam minores Ordines, & Subdiaconatus, & Diaconatus characterem imprimunt. Sed characteres isti non sunt potentia actiua; quia omnes actiones, quas isti ministri operantur, possent eadem, licet non licite, valde rament, à quolibet laico exerceri; qui æquè bene leget epistola, & ministrabit, &c. Ergo pariter dicitur de characterē sacerdotali.

Confirmatur secundo: nam D. Thomas 3. p. q. 72. ar. 3. docet characterem confirmationis esse potestatem ad agendum ea, quæ pertinent ad pugnam spirituales contra hostes fidei: quod verificari non potest de potentia physica, probatur primo: nam ad illos actus sufficiunt pro principijs physicis habitus gratiæ, fidei, & religionis, & fortitudinis; & diuina auxilia actualia. Secundo: nam habes gratiam, & carens characterē, auxilio diuino adiutus posset faciliter confiteri fidē coronam tyranno: ergo ad hoc non requiritur character vt potentia physica.

Respondet Paludanus, & Capreolus, vbi supra ad 5. Scoti, & ad 4. Aureoli, quod possunt ista exerceri sine characterē: sed non ex officio: ad quod datur hæc spiritualis potestas.

Verum ista solutione magis confirmatur, quod ista potestas sit moralis: sicut sacerdos non expositus invalide absoluit, defectu iurisdictionis: & tamen solum decit illi potestas ministrandi sacramentum ex officio. Facere ergo ex officio, sola addit quid morale.

109 Ad principale argumentum solet responderi characterem esse potentia physice actiuam; sed tamen instrumentalem: & ideo eleuabilem per potentiam obedientialem.

Hæc tamen solutio deficit, primo, quia miraculosum est hoc modo creaturam eleuari ad causandam gratiam; quæ a solo Deo petit fieri. Hoc autem miraculum non est ponendum absque necessitate. Secundo, iste modus concurrendi transcendentis est

omni creaturæ. Nec hic modus operandi facit, quod character in sua entitate sit potentia physica: quia etiam aqua eleuatur ad causandam gratiam: & tamen aqua in sua entitate non est potentia effectiua gratiæ, aut entium supernaturalium. Ergo debet asseri, quod character concurrat per virtutem naturalem: quod iam est impugnatum. Tertio: nam iuxta hoc, character non esset principium physicum, nisi remote; quod est contra rationem potentia actiua physice: nam ista superadduntur substantiæ, quæ operatur medijs potētis. Ergo nullo modo character est potentia physice actiua.

110 Respondetur, quod si hæc argumenta conuincerent, probarent characterem esse solam denominationē extrinsecam, aut relationē rationis: quia potestas moralis nihil reale physicum ponit in eo, qui illam habet: vt induciue patet in potestate Regum, & Prælatorum. Hoc autem errori proximū esse diximus: quare ex parte ab omnibus sūt soluenda. Præterea, nulli dubium esse potest, quod si Deus vellet, posset absque imprefensione characteris operari per se ipsum, quidquid illo mediata facit. Sed ad sua uera dispositionem diuinam, cum summa efficacia coniunctam, spectat, vt sicut virtute physica eleuat sacramentum, vt instrumentum delatiuum diuinæ virtutis; ita eleuet ministrum per physicam potentiam, qua sit homo cooperator Dei. Vnde character est sicut instrumenta, quæ natura sua habent vt eleuentur ad effectum agentis principalis; vt calamus ad scribendum. Quo exemplo vtitur S. Thomas in 4. dist. 8. q. 2. ar. 3. ad 9. vt explicet, quod simpliciter loquendo, maior virtus instrumentalis residet in sacerdote ratione characteris, quam sit virtus verborum: quia virtus characteris est permanens, & se extendens ad plures effectus, virtus vero verborum est transiens, & ad vnam namero consecrationem. Sicut ergo virtus verborum est physica transiens; ita virtus characteris est physica permanens, licet imperfecta, & instrumentalis.

111 In particulari ad formam argumenti negandam esse vtramque partem minoris; non obscure colligitur ex D. Thoma in 4. dist. 4. ar. 4. q. 3. & hic art. 3. Imò per hoc ipsum quod characteris potestas est ordinata ad sacramentorum dispensationem, & efficientiam, est etiam ordinata ad sacramenti effectum: nam vt optimè ait S. Thomas q. 64. art. 1. in corpore, eadem est ratio ministri, & instrumenti: vtrumque enim actio exterius adhibetur: sed sortitur effectum inte-

riorem ex virtute principalis agentis: quod est Deus. ¶ Ad probationem minoris quoad primam partem, respondetur ex D. Th. q. 62. art. 1. ad 2. & q. 27. de Ver. art. 4. & alibi sæpè, quod instrumentum, & minister habent duas actiones: vnam propriam, quæ cōpetit sibi secundum propriam formam: aliā instrumentalem, secundum quam operatur, non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis. Vt minister exerceat actionē sibi propriam, non indiget characterē; sed vt exerceat actionem instrumentalem, & ministerialem: quia licet Deus significationē, & motionem virtuosam dare posset sine ministro cooperante; vt tamen melius res disponeret; sicut dat gratiam, & virtutes ad bene operandum; ita confert characterem vt det posse instrumentalem facere. ¶ Ad probationes secundæ partis respondetur ex D. Tho. q. 64. art. 1. quod licet solus Deus operetur principaliter illos effectus; tamen instrumentalem causantur à sacramento, & a ministro ratione characteris.

112 Authoritas illa S. Thom. ex illa q. 178. tripliciter potest exponi, vel quod solum negat virtutem principalem. Vel quod non negat dari posse virtutem aliquam permanentem ad aliqua miracula; sed solum negat virtutem permanentem se extendentem ad omnia miracula: quia non datur ad illa, quæ exigunt virtutem ad creandum, vel ad annihilandum: quia instrumentum physicum non potest ad ista se extendere. De quo iterum q. 75. ar. 8. Vel tertio dici potest ibi negare D. Tho. virtutem instrumentalem completā, iuxta id quod docet D. Tho. in 4. dist. 5. q. 1. art. 3. q. 1. Character autem solum est potentia incompleta. Nec admittimus in Eucharistica conuersione interuenire creationem; de quo suo loco dicemus. ¶ De gratia autē sacramentali iam diximus q. 62. dub. 5. esse aliquam habituales extensionē gratiæ, physice causatā à sacramento; ac præinde à characterē ministri.

113 Ad vltimam probationem neganda est minor: quia vt ait D. Tho. in 4. dist. 4. q. 1. art. 1. recipientes characterem operantur diuina per ministerium. Minister autem est sicut instrumentum eius, cui ministrat: vnde dicit Philosophus in 8. Ethicorum cap. 8. quod seruus est sicut organū animatum. Licet autem Deus posset conferre potestatem purè moralem: de facto tamen contulit physicam imprimendo characterem. Quamuis compleatur iurisdictione morali quoad extensionem maiorem, vel minorem.

114 Ad confirmationes bene ibi respō-

detur. Et est solutio D. Tho. 3. p. q. 72. art. 5. ad 2. vbi ait, quod omnia sacramenta sunt fidei protestationes. Sicut igitur baptizatus accipit potestatem spirituales ad protestandam fidem per susceptionem aliorum sacramentorum: ita confirmatus accipit potestatem publicè Christi fidē verbis protestandi, quasi ex officio. Vnde Nuño q. 72. art. 3. dist. 1. concl. 4. ait, quod character Confirmationis, neque est potentia purè actiua; neque purè passiuā; sed est potentia quodammodo passiuā, & quodammodo actiua. Similiter Serra hic art. 2. ad 3. folio 108. ait; characterem confirmationis habere rationem potētia actiua respectu protestationis fidei, & potentia passiuā in ordine ad perferendas iniurias, & labores propter fidem: nam cum tali modo, & ex officio, non potest illa fieri, nec possunt hæc perferri, nisi ab habente characterem Confirmationis. Quod iterum docet D. Tho. in 4. dist. 7. q. 2. art. 1. q. 3. ad 1. vbi ait, quod in casu necessitatis, etiam non confirmati fidem profitentur, sed non ex officio characteris. Quod similiter docet de habentibus characterē ordinum, in 4. dist. 24. q. 1. art. 2. q. 2. Sed in his omnibus melius adstruitur ratio solius potētia actiua; nam reliqua sunt exercitia patientiæ, & fortitudinis, & non characteris.

Ad replicam respondetur, quod propter excellentiam sacerdotij Christi datur perfectissima consecratio, & deputatio ad cultum christianæ religionis; ideoque constituimur Christiani; & sacerdotes; & Christi milites characterē physico, & non sola denominatione extrinsecam, aut forma rationis. Diximus autem characterem non esse habitum; sed potentiam, quia non datur ad bene, sed ad simpliciter operandum. De quo S. Tho. in 4. dist. 4. q. 1. art. 3. q. 3. ad 1.

115 Ad primam replicam contra vltimam solutionem (quæ in substantia non differt a nostra) iam dictum est q. 62. dub. 2. §. 7. n. 107. & 108. vel quod non est miraculum, quod gratia producat instrumentalem à ministro: quia per hoc non tollitur, quod sit à solo Deo vt à causa principali: quod exigit eius supernaturalitas, & excellentia. Vel admisso quod sit miraculum, non ponitur sine necessitate, sicut nec miracula; quæ interueniunt in Eucharistia; & in reliquis sacramentis: quia ista sunt reliquia Incarnationis, vt cum D. Tho. diximus quæst. 60. in Prologo num. 2.

116 Ad vltimam replicam respondetur, quod homo non indignus characterē, habet potentiam obedientialem vt illum possit vt instrumentum; sed non erit ita aptum,

& proportionatum, & congrue habilitatū cum potentia ministeriali inhaerente: quam tamen aptitudinem, & coaptationem habet per characterem. Quamvis autem agens infinitæ virtutis in ministro effectus, cuius ipse est agens principale, de necessitate non præexigat hanc potestatem ministerialem: de congruitate, & decentia, & ad maiorem excellentiam ministrorum noni testamēti, eam exigit. Sicut si Deus assumeret calamū bene aptatum ad scribendum, cum possit sine calamo, vel cum illo non aptato, & disposito scribere. Sicut autem aqua eleuata per motionem Dei, intrinsece continet gratiā, quam causat instrumentaliter: ita homo insignitus characterē, habet intrinsecam potestatem, & est eleuatus permanenter; quamvis non vltimate: eo quod instrumentum virtutem instrumentalem acquirat dupliciter, scilicet, quando accipit formam instrumenti, & quando mouetur a principali agente: vt iam explicuimus ex D. Thoma q. 7. art. 3. ad 2. & videatur in 4. dist. 1. q. 1. artic. 4. q. 2. ad 2. Sicque cessant omnes replicæ, quia character est virtus, & potestas ministri: que non est completa, nec sufficiens se sola inducere effectum; sed solum in quantum mota, & eleuata actualiter à principali agente, qui est solus Deus.

DVBIUM III.

Vtrum character sacramentalis sit character Christi

§. I.

Character est signum.

VT vltimam differentiam in diffinitione characteris constituendam alsignaret D. Thomas, postquam ar. 2. genus characteris explicuit, ostēdendo esse spiritualem potestatem, hoc dubium proponit art. 3. vt explicet an habeat rationem signi; & cuius rei sit signū? Indeque videbitur an sit signū ad placitum, vel naturale? Et ex omnibus huiusque dictis legitimam eliciemus characteris diffinitionem.

2 Dico primo, character vere est in genere signi. Sumitur ex Concilio Tridentino ses. 7. canone 9. docente, quod character est signum quoddam spirituale, & indelebile. Idem habetur ex S. Dionysio cap. 2. Eccles. hic. rar. p. 3. dicente, quod Deus proprio suo lumine quasi quodam signo tradit suam participationem, &c. Colligunt Theologi ex diffinitionibus

characteris relatis à D. Thoma hic art. 3. & in 4. dist. 4. q. 1. artic. 2. de quibus postea. Do centque communiter Sancti Patres. S. Basilii Oratione 13. que est exhortatio ad Baptisimum, ait. *Tesseram duces sub se militantibus dant, vt amici facilius se in vicem noscentes exhortentur; & si cum hostibus commisceantur, consilius discerni, ac separari possint. Quod si forte commilitonum separatio fiat, nemote quarum, nostrarum; an aduersarij, partium sis, nouerit, nisi mysticis signis familiaritatem præferas; nisi signatum sit super te lumen vultus Domini; nisi characterem in te agnoscat Angelus, quomodo pro te pugnavit, aut ab inimicis vindicabit? Quomodo, inquam, dices, Deus sum, signa non ostendens? An ignoras, quemadmodum signatas domos in Ægypto exterminator præterijt; in non signatis vera primogenita peremit? Thesaurus non ob signatus, furibus facile patebit. Quis item absque nota in se dijs protinus est obnoxia.* S. Chrysost. hom. 2. in Epist. ad Ephes. inquit. Porro idem characterē Spiritus Sancti nos insigniunt. Similia proferunt frequenter Patres relati dub. 1. Constatque ex ethymologia, & proprio fine characteris ibi declaratis. Rationeque characteris, à baptismo causati, quia in illo res, & sacramentū est character, diffinit S. Damascenus lib. 4. cap. 10. circa medium, baptismum dicens, quod est regeneratio, & sigillum, & custodia, & illuminatio.

3 Præterea ex communi Theologorū sui temporis recte significata characteris declarat S. Thomas in 4. dist. 4. q. 1. a. 1. dicens, quod characterem in sacramentis quibusdā imprimi omnes moderni consentunt: sed in modo ponendi ipsum in anima, partim differunt, & partim conueniunt. Conueniunt quidem in hoc, quod omnes dicunt per characterem importari relationem triplicem. Est enim character signum distinctiuū, & configuratiuū. In quātū ergo est signū, importat relationē ad signatū: in quātū autē est distinctiuū, importat relationem ad ea, à quibus distinguit: In quātū autē est configuratiuū, importat relationem ad ea, quibus assimilatur. Hæc ibi ex communi Theologorū: & ex sequenti magis patebit. Et videantur, quæ diximus dub. 2. num. 34. & 35.

§. II.

Specialiter, & proprie est signum Christi.

Dico secundo, character sacramentalis specialiter, & proprie, est character Christi. Colligitur ex illo ad Hebr. 1. vbi filiū Dei dicitur figura substantiæ eius: in Græco enim loco figura, habetur Character. Item ad

ad Gal. 3. dicit Apost. *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Quod expones S. Aug. lib. 5. contra Donatistas cap. 24. ait. *Induunt homines Christum, aliquando usque ad sacramenti perceptionem; aliquando usque ad vitæ sanctificationem. Atque illud primum bonis, & malis potest esse commune: hoc autem est proprium bonorum, & piorum.* Sed character baptismi, sicut & fides, est communis bonis, & malis Christianis: Ergo character assimilat, & configurat Christo: & idē specialiter dicitur character Christi.

5 Probat idem S. Tho. hic art. 3. nā character proprie est signaculum quoddā, quo aliquid insignitur, vt ordinatum in aliquem finē: sicut characterē insignitur denarius ad vltimū cōmutationum: & milites characterē insigniuntur, quasi ad militiam deputati. Ideoque dub. 1. diximus necessitatem characteris sacramentalis esse vt per illum intrinsecē insigniantur homines deputati ad recipiendum, vel tradendum alijs ea, quæ pertinent ad cultum Dei: Sed totus ritus Christianæ religionis deriuatur a sacerdotio Christi: Et idē manifestū est, quod character sacramentalis specialiter est character Christi: cuius sacerdotio configurantur fideles secundū sacramentales characteres: qui nihil aliud sunt quam quædā participationes sacerdotij Christi, ab ipso Christo deriuatæ.

6 Quod autem hoc competat characteri intrinsece, & proprie, declarat S. Tho. ad 2. nam character, & est signum visibile, & signum inuisibile, vt dub. 2. diximus: ratione suæ causæ, seu sacramenti visibilis, & externi, à qua causatur, in quātum est res respectu sacramenti exterioris, est signum inuisibilis gratiæ. Imò S. Aug. lib. 2. contra Peruenianū cap. 13. accipit characterē pro causa eius externa, nēpē sacramēto, vt notat Petr^o So to de institutione sacerdotū, de sacramentis lec. 9. folio 40. Sed intrinsecē, & esse actualiter, & secundam propriam rationem characteris, est signum cōfiguratiuum alicui principali, apud quem residet auctoritas eius ad quod aliquis deputatur, sicut milites, qui deputantur ad pugnam, insigniuntur signo ducis; quo quodammodo ei configurantur. Et hoc modo illi, qui deputantur ad cultum Christianum, cuius auctor est Christus, characterem accipiunt, quo Christo configurantur. Vnde proprie est character Christi. Vbi Caietanus notat, quam formalis sit doctrina D. Thomæ; dum de cultu Christianæ religionis tractans, in Christum caput, non secū dum quamcumque illius conditionem, sed secundum sacerdotium, reducit characterē

Christiani cultus: sacerdotis enim est principatus cuiuscunque religionis, tam verus, quā falsus. Ideoque character sacramentalis Christi vt Principi, & sacerdoti configurat, seu consignat, sicut character Romanus consignat milites Cæsari, & Gallicus Regi Francorum; & Hispanicus Regi Hispaniæ. Sed quia sunt participationes sacerdotij Christi, ordinantur ad actus expectantes ad eius sacerdotium in recipiendo, vel tradendo.

7 Ab hac communi Theologorum, & Patrum doctrina totius aberrat Bernal disp. 15. sec. 2 §. 4. contra eam arguens. Primo, quia Baptismi, & Confirmationis character non constituit sacerdotem: ac proinde non est sacerdotis Christi participatio: nec hominem cum Christo vt sacerdote configurat.

Hoc tamen parum vrget: quia vt docet S. Thomas art. 5. potestas sacerdotij Christi comparatur ad characterem; sicut id quod est plenum, & perfectum ad aliquā sui participationem. Vnde in Christo capite non est character, sed tota sacerdotij plenitudo, vt docet ar. 6. In membris autem omnibus baptizatis est configuratio membrorum, in quantum induunt Christum, vt domestici, & confirmantur vt Milites, & pugiles fidei; & ordinantur vt Ministri Christi cooperatores. Quod insinuat in illo Psalmi 132. *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbā, barbā Aaron. Quod descendit in vram vestimenti eius: iuxta expositionem S. Augustini, & aliorum Patrum ibi:*

Secundo addi potest, quod in simili hoc fibi obiecit S. Thomas: & respondet in 4. dist. 4. q. 1. art. 2. q. 1. ad 4. dicens, quod ordinatio, non accipitur hic (in diffinitione characteris) pro ordinis sacramentis: sed pro coordinatione ad alios fideles; vt in cœtu fidelium aggregetur, quantum ad ea, quæ fideles facere dicuntur, vel quantum ad ea, quæ pro fidelibus sunt. Cum ergo non omnia membra corporis eundem actū habeant; nec in omnibus fidelibus eodem modo debent participari effectus sacerdotij Christi: nec omnis participatio debet esse homogenea suo principio.

8 Præterea obiecit Bernal: nam character non est signum solius Christi: nā hic est vnus rationis: & characteres sunt plures, & speciei diuersi. Non potest significare, quod homines sint eius domestici, milites, & ministri: quia non facile concipitur entitas spiritualis, & minime vitalis, tam multas res naturaliter significans. Nec apparet quo ordine eas representet. Deinde, si character baptismalis significat sex sacramenta ad quæ reddit subiectum habile; rogetur an id significet in feminis? Si affirmes; Ergo hæc iure di-

uino sunt habiles ad sacerdotium. Si neget, ergo baptismales characteres foeminarum, & virorum specie differunt.

Si dicatur, quod character est signum muneris, vel potestatis, id sustineri non valet: quia signum est aliud à signato: & constat quod character baptismalis se ipso habilitat ad sacramenta suscipienda. Et character ordinis est ipsa potestas: ergo non est signum potestatis: sed solum character erit signum sacramenti ab hoc subiecto valide recepti.

9 Respondetur, quod omnes characteres sacramentales conueniunt in hoc quod assimilant Christo summo sacerdoti, sed inter se differunt specie in modo quo ei assimilantur: nam baptismo constituuntur eius membra, ut domestici deputati ad alia sacramenta recipienda, ut vero athletæ fidei constituuntur per confirmationem, ut vero eius ministri per Ordinem. Et cum omnibus his modis significare non conueniat simul omnibus characteribus, argumentum in æquiuoco laborat. Nec per hoc quod mulieres non sint capaces aliquorum sacramentorum, inferretur eorum characteres specie distingui: quia hoc potius se tenet ex incapacitate subiecti: quod non sufficit formam diuersificare: sicut anima in homine non producit lac, quodq; in foeminis causat: & animæ sunt eisdem speciei: Nec gratia in Christo constituit filium adoptiuum, sicut nos constituit. Quo exemplo utitur Diuus Thomas in 4. dist. 4. quæst. 1. artic. 3. quæst. 5. ad 2. dicendū quod aliquid est perfectionis in nobis, quod non est per Christum, sicut gratia adoptionis: Et similiter est de characterè, qui ponetur in eo potestatem spirituales coartatam, & ab alio deriuatam. Reliqua in argumento proposita, iam sunt soluta dub. 2. ad 2.

10 Aduertendum autem cum Soto in 4. dist. 1. quæst. 4. artic. 3. initio, quod conclusionis triplex potest esse sensus. Vnus est, utrum character, qui est in nobis, sit eiusdem rationis cum illo, qui est in Christo? Et sic non inquitur: quia docet Diuus Thomas artic. 5. in illo non fuisse characterem, quia nec habuit potestatem coartatam, & ab alio deriuatam; quia & poterat effectum sacramentorum sine illis conferre. Alius sensus est, utrum character nollet imprimatur à Christo, tamquam causa efficiente? Et neque de hoc se su ambigitur: quia certū est, quod solus Deus est illius causa principalis, ut docet Sanctus Thomas quæst. 64. artic. 3. & sic efficitur à tribus personis; quia opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa. Humanitas autem Christi ut instrumentum coniunctum habet quan-

dam principalitatem. Seclusus ergo est, quod character sacramentalis dicitur specialiter, & proprie character Christi, quia per illum Christo configuramur eius adscripti militiæ, sicut diuertorum ducum, & militum sunt diuersa insignia.

§. III.

Utrum sit signum naturale?

11 **N** surgit tamen circa supra dicta dubiū non dissimulandum, utrum prædictæ characteris significationes sint significationes ad placitum, solum ex Christi institutione conuenientes characteri? An vero sint significationes naturales? Non quidem solummodo naturale ut distinguitur contra supernaturale, cum constet characterem excedere facultatem naturæ, sed in quantum signa naturalia dicuntur, quæ ex natura sua semora impositione extrinsecâ significant?

12 Characterem esse signum ad placitum, significareque solum ex institutione, & ordinatione diuina, docent Gabriel in 4. dist. 6. q. 1. not. 2. Suarez disp. 1. i. sec. 2. post medium. Et sec. 3. §. Ex his constat. Et Vazquez disp. 134. cap. 3. n. 61. ubi ait characterem esse dispositionem ex ordinatione diuinâ, qua statum est ut sine illo nullum sacramentū valide recipiatur. Et ulterius probatur, quia in spiritualibus non potest esse signum naturale, nisi vel signum formale, nempe conceptus, vel verbum; aut species impressa: & horum nihil est character. Nec apparet qualiter ibi esse possit representatio naturalis, seclusa similitudine intentionali, quam non habet character.

13 Characteris tamen significationem esse naturalem, debent tenere, qui dicunt constitui in genere potentia: nam ad significandum ad placitum, non esset opus qualitate supernaturali, siquidem significatio ad placitum in quolibet alio posset fundari. Expressè tenent Salas 1. 2. tom. 1. tract. 2. disputatione 8. sectione 3. num. 6. Lugo in præsentis disputatione 6. sectione 3. num. 40. Bernhal disputatione 15. sectione 2. §. 5. aliorum reiiciens rationes, & ipse tandem solū probans: quia si possibilis est qualitas naturæ suæ significans, actu, & re ipsa reperitur. Tale autem qualitatem esse possibilem, explicat quia character est species impressa: Verum quia hoc vitium satis est in superioribus impugnatum.

14 Aliter ergo probatur primo, quia imago est signum naturale; quia licet in fieri pendeat à causa efficiente naturali, vel artificiali; tamen semel facta ex similitudine in specie, vel in signo speciei ex natura sua ducit in

in cognitionem signati. Sed character est lumen, & sigillum configurans nos Christo. Ergo est signum ex natura sua representans.

15 Deinde in characterè monetæ, & militis, & serui, & est aliquid ex instituto hominum, nempe valor ut quatuor, vel quinque; & deputatio moralis ad militiam, vel seruitutem: & est aliquid antecedens, nempe ipsa physica sigillatio, quæ est similitudo naturalis per suam figuram naturaliter representans signa, vel insignia Regis, vel Ducis; sicut enim imago depicta naturaliter representat; ita & ære incisa. Similiter ergo quæuis aliq; relationes, in qualitate characteris fundatæ, significant ex beneplacito Christi, ex quo pender quod alia sacramenta supponant Baptismum de necessitate, & quod de congruitate Confirmationis character præcedat ordinis characterem: licet hoc fundetur in ipsa characterum natura. Tamen ipsa sigillatio, & qualitatis impressio ex natura sua configurat Christo, & distinguit fideles ab infidelibus, & ministros à non ministris. Et quia hoc est essentialiter character, ideo absolute dicitur signum naturale; esto fundet relationes rationis. Quod solum probant, quæ in contrarium obijciuntur.


§. IV.

Characteris definitio

16 **E**X dictis non erit difficile assignare characteris definitionem. S. Thomas in 4. dist. 4. q. 1. art. 2. examinat, & exponit duas definitiones, quæ illo tempore in scholis circumserebantur. Prima attribuebatur S. Dionysio; & talis erat. *Character est signum sanctum communionis fidei, & sanctæ ordinationis, datū diuina beatitudine à hierarcha.* De qua inquit S. Thomas q. 1. quod illa definitio nusquam inuenitur à S. Dionysio posita: sed potest accipi ex verbis supra inductis: & acciperetur adhuc conuenientius, si sic diceretur. *Character est signum communionis potestatis diuinorum, & sacræ ordinationis fidelium, datū à diuina beatitudine.* In qua definitione dicit tangi quatuor causas. Primo, causam formalem, nempe genus characteris, in quantum est character, scilicet signum. Secundo causam finalem, quia ad scribitur sacramentis, & actionibus sacris, & configuratur alijs. Tertio ponit materiam in qua quia datur à sacerdote. Denique, causam efficientem. Et hanc definitionem sic expositam, dicit posse coincidere cum prima.

17 Postea q. 2. exponit aliam definitionem Magistralem, quæ talis est. *Character est distinctio à characterè eterno impressa animæ rationali secundum imaginem consignans trinitatē creatam Trinitati creati, & recreanti, & distinguens à non configuratis secundum statum fidei.* De qua inquit S. Thomas, quod in illa definitione etiam tanguntur quatuor causæ characteris. Nam causa formalis tangitur in hoc, quod ponitur genus, cum dicitur *Distinctio*, id est, distinctiuum signum. Et est genus magis propinquum, quam genus in præcedenti definitione positum. Causa efficiens tangitur in hoc quod dicitur *characterè eterno*, id est, filio, qui est figura substantiæ Patris ad Heb. 1. Causa autem materialis, in qua ponitur cum dicitur *Animæ rationali impressa secundum imaginem.* Causa vero finalis ponitur duplex, scilicet configuratio, in hoc quod dicitur *Configurans trinitatē*; &c. Id est, configurat: & distinctio, in hoc quod dicitur *Et distinguens*, &c. Et sicut hic ponitur genus proximum, ita finis proximus; & subiectum proximum; & efficiens appropriatum: in quo excedit prædictam definitionem hæc definitio, in quantum per causas magis proximas datur.

18 In hoc art. 3. in argumento sed contra, huius etiam meminit definitionis. Sed breuiter ex doctrina secundi, & tertij articuli talis elicitur definitio. *Character est spiritualis potestas configurans sacerdoti Christi.* Potestas est genus remotum: quod autem configurat, est genus proximum; & quasi vltima differentia est, quod configuret ad sacramenta, & actiones cultus Christianæ religionis. Non ponuntur in definitione nec subiectum, nec exprimiuntur proprietates, nec propria singulorum characterum: quia ipsorum distinctio dub. 6. est explicanda: & definitio debet esse breuissima, nec diminuta, redundans: licet ad maiorem claritatem, & doctrinam, nam sæpè istæ regulæ in definiendo non obseruentur.



DVIVM IV.

Utrum character sit in potentijs animæ
sicut in subiecto?

§. I.

Certa præmittuntur, & sententiæ ve-
feruntur.

Non procedit dubium de subiecto re-
moto: certum enim est solum homi-
nem esse capacem characteris: nam Angeli
de lege ordinaria, nec suscipiunt, nec dispen-
sant sacramenta. Res etiam inanimatæ, quæ
consecrantur, capaces non sunt notæ; & sig-
nificati spiritualis: æ quo aliquid iam tetigi-
mus. & Expositores infra quæst. 83. artic. 3.
ad 3.

2 Præterea certum videtur characterem
non subiectari in corpore, nec in toto homi-
ne, sed in sola anima. Quod constat primo ex
Cõcilijs Florent. & Trid. docentibus tria sa-
cramenta imprimere characterem in anima: &
Tridentinum ait esse signum spirituale, &
indelebile. In corpore autem non resident
spiritualia signa: & corporales notæ deleri
possunt. Et dub. 5. dicemus characterem ma-
nere post mortem in anima separata: & ita
nõ subiectatur in destructo corpore. Et cum
omnes effectus formales characteris resi-
deant in anima; planè sequitur animam, &
non corpus esse subiectum characteris.

3 Sed obiicit Durandus in 4. dist. 4. q. 1.
n. 9. nam illa virtus quæ non perficit homi-
nem quantum ad cognoscere, nec quantum
ad appetere, sed solum quantum ad operari,
nõ est ponenda in potetia cognoscitiua, nec
appetitiua; sed solum in executiua. Et ideo
potentia factiua est in manibus artificis. Sed
character non perficit hominem quantum
ad cognoscere, vel appetere, sed solum ordi-
natur ad operari. Ergo debet poni in poten-
tia executiua per quam ministrat applicat
formam, & materiam sacramenti ad susci-
piendẽ. Quia ponitur ad administrationem
sacramentorum. Vnde convenientius (in-
quit) poneretur esse in manibus sacerdotis,
quibus tenet hostiam consecrandam, & ad
hoc consecrata sunt: vel in ore, vel in lin-
gua profereute verba consecrationis, quam
in intellectu: ut sic virtus, quæ ponitur in ver-
bis, & virtus ministrandi, quæ dicitur character,
simul vnitæ concurrerent ad effectum sacra-
menti.

Respondent Paludanus, & Capreolus in
4. dist. 3. q. 1. artic. 3. ad 1. Durandi contra 3.
folio 58. col. 2. quod homo est instrumentũ

Dei animatum, quod per intellectum appli-
cat se ad conferendum sacramentum, vel sus-
cipiendum: ad quod etiam requiritur inten-
tio, quæ est actus intellectus sicut dirigentis:
vnde in primo principio directio huius in-
tentionis, & applicationis, debet esse chara-
cter, & non in membris exsequentibus. Sicut
etiam potentia medicatiua facit medicum
cooperatorem instrumentalem naturæ; cũ
natura sit principale agens sanitatem. Nec
propter hoc ars medicatiua ponitur in ore
dictante; nec in manu chirurgizante; sed in
intellectu dirigente. Et similiter ars domifi-
catiua, & huiusmodi. Et simile est in propo-
sito. Et sicut scientia practica, & factiua est
principaliter propter opus operatum, & operan-
te: sic character est principaliter propter re-
cipere, vel conferre sacramentum; cuius col-
latio, vel susceptio immediate elicitur à po-
tentia organica; non tamen propter hoc est
in ea; quia ista collatio, & susceptio exterior
debet regi, vel dirigi ab interiori actione. Et
intentionis, & directio per characterem habet
virtutem; quam aliter non haberet, & sic
actus intellectus habet efficaciam à caracte-
re. De quo etiam videatur Cabrera artic. 4.
disp. 1. n. 10. dicens sententiã Durandi hæreticã,
vel saltim erroneam: de quo & n. 18. & 19.

4 Quod igitur aliqui actus characteris
exerceantur exterius, non sufficit ad ponen-
dum characterem in corpore; alioquin in il-
lo esset fides; quia ore confessio, sit ad salutem.
Artes etiam mechanicæ, & liberales residet
in anima: & tamen dirigunt manus ad ope-
ra externa. Manet ergo indubitatum homi-
nis animam esse characteris subiectum. Vn-
de solum manet dubium utrum anima im-
mediate suscipiat characterem; sicut reci-
pit gratiam; an vero mediã voluntate; in
qua est charitas, vel religio; vel mediã intel-
lectu, in quo est fides; vel mediã vtraque po-
tentia? An vero ipsa anima immediate per
se ipsam sit susceptiua characteris, sicut im-
mediate per se ipsam est susceptiua gratiæ.

5 Omnibus istis modis opinatum est de
immediato subiecto characteris. Subiectari
immediate in essentia animæ, docent Mar-
tilius in 4. q. 4. art. 1. Suarez hic disp. 1. sec. 4.
Vazquez disp. 134. cap. 4. Lugo disp. 6. sec.
4. Ochagavia q. 16. n. 16. Bonac. disp. 1. q. 5.
pũct. 2. nu. 2. Auerla sec. 3. Item Egidius, Be-
canus, Filutius, & Hurtad. Cartag. Abra, &
alii in præsentia.

Asserunt alij subiectari in voluntate. Ita
Scorus in 4. dist. 6. q. 1. Bassolis q. 2. Villalo-
bos tract. 4. diffic. 9. n. 2. Ludouicus de S. Loã

ne

ne quæst. 3. art. 1. dub. 3. concl. 2. fol. 23. Mar-
tinus à S. Ioseph tract. 2. de sacramentis nu-
mero 11.

6 Opinantur alij characterem residere
simul in intellectu, & voluntate; licet præci-
pue sit in intellectu. Ita S. Bonaventura in 4.
dist. 6. art. 1. q. 3. Alexander Alenis 4. p. q. 8.
membro 8. art. 1. §. 3. Quibus nouissime fa-
uet Bernal disp. 15. sec. 3. n. 117. ita dicens. In
mea sententia procliuè est rem istã, alloqui,
teste Suarez, satis dubiam, sine dubitatione
definire. Aio itaque, immediate esse chara-
cterem, & in substantia animæ rationalis, qua
tenus tali, & in intellectu hominis quatenus
tali. Quia character est species impressa spi-
ritualis: hæc est in intellectu, quatenus tali;
iste qua talis, & anima rationalis, qua talis;
in mea sententia, sunt formaliter idem: est
igitur character immediate in anima ratio-
nali, quatenus anima rationali; & in homi-
nis intellectu, quatenus tali. Hæc ille.

7 Sed mirum est, quod dicatur dubium
resolui sine dubitatione, cum absque omni
ambiguitate supponat duas sententias para-
doxas in Phylosophia, vnam impugnatam
lib. 2. de Anima q. 13. §. 5. Aliam in scholis
Theologorum inauditam, quod character
sit species impressa. Nec vllus Phylosopho-
rum admittetium species spirituales, posuit
eas in voluntate, sed in solo intellectu. Vnde
omissa hac sententia vt falsa absque omni du-
bitatione.

8 Vltima opinio est D. Thomæ art. 4.
in corpore, & ad 3. & lib. 4. Sent. dist. 4. q. 1.
art. 3. Quem sequuntur omnes Thomistæ
eisdem locis. Tenentque B. Albertus Mag-
nus in 4. dist. 4. q. 2. Ricardus dist. 5. artic. 2.
quæst. 2. Sayrus lib. 4. de sacramentis cap. 4.
quæst. 1. artic. 2. & alij, quos referunt, & se-
quuntur Cabrera ar. 4. disp. 1. n. 11. Philippus
à Trin. disp. 6. dub. 4. Granados tract. 4. disp.
. 5. n. 6. Salas to. 1. in 1. 2. trac. 2. disp. 8. sec. 3.
nu. 70. Valentia, Henriquez, Archang. quos
refert, & sequitur Leander tom. 1. disp. 3. q.
20. Trulèch. lib. 1. praxis cap. 4. dub. 5. nu.
4. & alij. Pro cuius expositione.

§. II.

Non est in essentia animæ immediate. Nec in vtra-
que potentia.

Dico primo, character non est in essen-
tia animæ immediate, sed in eius po-
tentia. Probat ratione Diui Thomæ: nam
potentiæ ordinantur immediate ad actus, si-
cut essentia ordinatur ad esse. Sed character

immediate ordinatur ad actus: ergo non est
immediate in essentia animæ, sed in eius po-
tentia. Probat minor: nam (sicut dictum
est) character est quoddam signaculum, quo
anima insignitur ad suscipiendum sacramen-
tum, & ad suscipiendum ea quæ sunt diuini cultus. Diui-
nus autem cultus in quibusdam actibus con-
sistit: Ergo immediate character ordinatur
ad actus. Et ideo character non est sicut in su-
biecto in essentia animæ, sed in eius poten-
tia.

Quod iterum probat, & explicat Sanctus
Thomas ad 2. dicens. Vnde sicut essentia
animæ, per quam est naturalis vita hominis,
perficitur per gratiam, qua anima spiritualiter
viuit: ita potentia naturalis animæ perficitur
per spiritualem potentiam; quæ est
character. Habitus enim, & dispositio perti-
nent ad potentiam animæ, eo quod ordina-
tur ad actus, quorum potentia sunt princi-
pia. Et eadem ratione omne; quod ad actũ
ordinatur, est potentiæ attribuendum.

10 Respondet Suarez, quod non est po-
tentia, nec residet in potentia, quidquid ordi-
natur ad actum: sed solum id quod ordi-
natur per modum principij efficientis, seu
coefficientis ipsum actum: character autem
non est principium alicuius actus; quia est
merum signum. Sed hoc iam reiecit
dub. 2. ostendentes characterem esse poten-
tiam: ac proinde ordinari ad actum efficien-
dum.

11 Aliter respondent Nominales, Vaz-
quez, & Lugo n. 56. quod character non est
qualitas operatiua, sed est data potissimum
ad perficiendum, & ornandum subiectum:
vnde non procedit in illo eadem ratio, quæ
in habitibus acquisitis, vel infusis: vnde quæ-
uis illi recipiantur immediate in potentijs,
non debet id de caractere affirmari.

Sed in primis ipse Lugo sect. 3. n. 42. &
44. ostendit characterem habere aliquod
prædicatum potentiæ intrinsecum, & phy-
sicum: quia operatur per exigentiam phy-
sicam. Quia S. Gregorius Nazianzenus
Orat. in Sancti lauacrum, dicit esse sigillum,
quo conseruantur fideles. Similia S. Ambr.
lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 6. & Catechis-
mus Pij Quinti de sacramentis. §. penult. sic
ait. *Character Confirmationis veluti Christi mi-
lites ad eius nominis publicam confessionem, &
propugnationem; ac contra insitum nobis hostem,
& spiritualia nequitia in celestibus armaturis,
atque instrumur.*

Conseruari autem, & armati caractere,
eius efficacitatem indicat ad agendum, vel
resistendum. Quæ certè non coherent cum

doctrina negante characterē agere: sed potius melius saluantur dicendo esse qualitatē actiuam. Et quamuis actiuas esset moralis, deberet esse in potentijs, quæ immediatius, & formaliter influunt in actus: & potentias spirituales oportet fundari in naturalibus, ut ait D. Thomas hic, & in 4. Sententiarum, utrobique ad 2.

12 Veritas etiam conclusionis manifeste apparet, ex eo quod leuissima sunt argumenta, quæ contra eam obijciuntur. Primo solet opponi, quia Concilia dicunt characterem imprimi in anima: quæ loquutio videtur formaliter accipienda de anima conditincta ab eius potentijs. Respondetur ex D. Thoma in 4. Sent. q. 1. in corp. quod proprie verificatur characterem esse in anima, quia est in illa medio intellectu, eo quod accidens per se non potest esse subiectum accidentis, sed subiecta ita vno accidente mediante, recipit aliud: de quo S. Thomas 1. p. q. 77. art. 7. ad 2. & nos 2. p. Metaph. controu. 3. art. 4.

13 Secundo obijciunt Nominales, & Lugo. n. 36. quia potentia non differunt realiter ab Anima: hoc enim posito, cessat omnino questio. Ceterum contrarium docet S. Thomas 1. p. q. 77. & nos late lib. 2. de Anima q. 13. & adhuc si potentia realiter ab anima non differunt, questio suo modo locum haberet propter proprias rationes vniuersaliumque predicatiuum in Deo intellectus, & voluntas realiter non differunt; & tamen dicimus Verbum, & filium procedere per intellectum, & gigni; & Spiritum Sanctum spirari amore, & voluntate: & dicimus Dei intellectum intelligere, & non amare, & Dei voluntatem amare, & non intelligere. Unde quamuis identice, quidquid esset in anima, esset in intellectu, casu quod intellectus non differret realiter ab anima: tamen formaliter, sicut Philosophi seorsum disputant de anima, & seorsum de intellectu, & actibus eius, & sigillatim de voluntate, & actibus eius; ita Theologi deberent exponere an character esset in anima per modum essentia, & natura; an in illa per modum intellectus; an vero in ea per modum voluntatis.

14 Quod amplius explicatur: nam ut docet D. Th. 1. p. q. 79. a. 1. intellectus speculatiuus, & practicus non sunt diuersa potentia: & tamen Theologi, qui accuratius res disputant, non solum explicant an aliquis habitus, vel virtus sit in intellectu; sed an sit in parte speculatiua; an in parte practica; ut videri potest 1. p. q. 1. disputando de Theologia. Et 1. 2. disputando de donis: Et 2. 2. tractando de fide, & de oratione, & similibus.

Et in hoc ipso dubio dicimus characterem esse in intellectu practico, & formaliter non esse in intellectu speculatiuo; quamuis identice idem sit intellectus speculatiuus, & practicus: ergo adhuc in illa opinione physica non distinguente realiter potentias ab anima, locum habet hæc questio.

15 Tertio arguitur ex Suarez, quia signum manifestatiuum, & distinctiuum debet poni in parte notiori. Sed substantia animæ secundum se notior est, & prior, quam potentia. Ergo cum character imprimatur ad sigillandam, & distinguendam animam, debet poni immediate in substantia eius.

Respondetur infirmissimum esse ex omni parte hoc argumentum: nam maior est falsa, solent esse conuenientia ut signa distinctiua non sint in parte parentiori: ut signa Ducum, vel militum, non in capite, sed in pectore solent esse: Deinde minor non probat intentum, quia potentia sunt notiores quoad nos: & hoc sufficeret ut in illis ponantur signa distinctiua. Denique, neque consequentia tenet, quia magis attenditur in characterē cultus Dei, & operationes ad quas ordinatur, quam attendatur eius significatio; quamuis etiam dixerimus characterem esse signum.

16 Dico secundo, character non residet æque primo in vtraque potentia. Probari potest primo, quia nulla est necessitas quod character æque primo subiectetur in intellectu, & voluntate. Secundo, quia postea ostendimus esse in solo intellectu. Tertio vniuersaliter probatur a D. Thoma in 4. dist. 4. q. 1. art. 3. q. 2. quia vnum accidens non est in pluribus subiectis. Sed in vno sacramento imprimatur vnus character: ergo non est in pluribus potentijs.

17 Sed contra hanc rationem instabis: nam plura sunt accidentia, quæ non residet in vno subiecto, sed in pluribus; ut sanitas, & numerus: ergo pariter poterit dici de characterē. Quod si dicatur cum Vazq. n. 85. non esse eandem rationem; quia character ab omnibus ponitur vna simplex qualitas; quæ non est extensa in subiecto, nec in plures diuisa. Non potest autem vnum accidens simplex recipi immediate in duplici subiecto.

Instat Lugo n. 34. nam vnio recipitur in vtroque extremo: & actus vitales materiales cognoscendi, & amandi recipiuntur in corpore, & in anima. Nec potest afferri aliud argumentum efficax ad probandum illud principium P. Vazquez.

18 Facile tamen dicitur illud principium satis efficaciter probari a Diuo Thoma in 4. Sent.

§. III.

Sed in solo intellectu.

Sent. vbi supra dicente: *Nullum accidens potest esse in pluribus potentijs, quia accidens numeratur, & distinguitur penes materiam, & distinctionem subiecti.* Accidentiaque a subiecto indiuiduari docet D. Thomas 1. p. q. 29. art. 1. & alibi sæpè. Vnio autem iuncta pro relatione, non est eadem in vtroque extremo. Dato autem quod vnio fundamentaliter sit modus, non est in vtroque extremo totaliter, sed solum partialiter: non negamus autem idem accidens totale posse esse in duobus subiectis partialibus. Minus vrget aliud exemplum, quia anima, & corpus, ut ab inuicem separata, non recipiunt eadem accidentia numero: bene tamen secundum quod adunantur, & faciunt vnum compositum: quod est accidens illorum subiectum. Vnde nullum afferitur exemplum, quo probetur vnum accidens simplex esse per se primo in duobus subiectis.

19 Rursus obijcies: nam secundum definitionem antiquam characteris relata a D. Thoma art. 3. character est in anima hominis secundum quod est ad imaginem Dei: siquidem ei configuratur, sed imago Dei non est sicut in vna tantum potentia, sed in pluribus: ergo nec character residet in vna sola potentia. Respondet S. Thoma in 4. Sent. ad 1. characterem esse in vna potentia principaliter, & in alia per redundantiā. Sed contra est, quia imago Trinitatis creata non est in homine in solo intellectu, sed etiam in voluntate; quia actibus vtriusque potentia exprimentur diuæ processiones personarum, quæ sunt in diuinitate a Patre ingenito. Sed imago non consistit in intellectu principaliter, & in voluntate per redundantiā: sed in vtraque potentia principaliter, quamuis inadæquate. Ergo character erit simul subiectiuus in intellectu, & voluntate.

20 Respondetur illam analogiam, seu proportionem non esse accipiendam cum rigore. Et adhuc ex illa potest sumi ratio ut character in solo sit intellectu, quia potentia appropriatur filio; & character peculiariter configuratur Christo. Rursus, ut docet S. Thoma ibi q. 3. imago principaliter respicit partem intellectuam, quia ibi magis relucet, quod homo est rationalis. Denique, licet assimilatio in bonitate magis pertineat ad voluntatem, assimilatio tamen in potentia simpliciter, proprie respicit intellectum, eo quod creaturæ spirituales intellectu practico operantur, ut indicat D. Thomas.

ibi ad 2.

21 Dico tertio, immediate residet character in intellectu. Probat aliqui, quos sequitur Cabrera art. 4. disp. 1. n. 11. nam S. Dionysius & alij Patres vocant characterem spirituale lumen: lumen autem ad intellectum pertinet. Similiter arguit Salas: nam imago, & figura, & similitudo spiritualis, pertinet ad intellectum. Character autem est imago, & signum spirituale.

22 Verum istæ rationes non multum vrget, quia character est lumen; & imago obiectiua; potius ad illuminandum, & mouendum alios, quam ipsum, qui habet characterem: & ita potius habet rationem signi instrumentalis, & medij per quod. Et præterea, non semper lux spiritualis residet in solo intellectu: nam gratia vocatur a D. Augustino, relato a D. Thoma 1. 2. q. 116. ar. 1. lux animæ; & tamē ibi art. 4. docet gratiam esse immediate in essentia animæ: quod pariter alij affirmabunt de characterē.

23 Melius ergo id probat D. Thoma art. 4. ad 3. dicens: *quod character (sicut dictum est) ordinatur ad ea, quæ sunt diuini cultus. Quicquid est quædam fidei protestatio per exteriora signa. Et ideo oportet, quod character sit in cognitiua potentia animæ, in qua est fides.*

24 Dices rationem hanc potius probare characterem esse in voluntate, in qua est religio; quæ est principium proprium, & proximum cultus Dei: subiectum autem qualitatibus ordinata ad cultum Dei, potius debet assignari ex principio proprio, & proximo cultus Dei, quam ex principio communi, & remoto. Fidem autem esse principium remotum cultus Dei, constat, quia fides non inclinatur in cultum diuinum, nisi media religio: siquidem Deum colere non pertinet ad fidem nisi imperatiue. Similiter quod sit principium commune est manifestum, cum fides per dilectionem operetur, & per fortitudinem, & penitentiam. Ex eo ergo, quod fides sit in intellectu, non sequitur, quod character ordinatus ad Dei cultum, sit in intellectu.

25 Respondetur, quod si character esset habitus, respiceret cultum diuinum ut fieret bene moraliter: & sic resideret in voluntate, quæ est potentia, in qua est virtus religionis. Sed quia character est potentia (quamuis incompleta, & ministerialis, & ignobilior habitus fidei) ideo solum ordinatur ad dandum posse simpliciter tradere, & exercere ea, quæ

quæ pertinent ad cultū Dei: ac proinde character est in eodem subiecto, in quo est fides, quæ solum remote concurret ad bonitatem actus religionis. Videatur Caiet. art. 4. latius hoc exponens.

26 Secundo obijcies ex Suarez: nā potentia intellectiva non est capax qualitatis, quæ natura sua non sit actus secundus cognitionis, vel principium illius. Sed character non est cognitio, nec principium illius proximum: siquidem omnis cognitio supernaturalis habet alia sufficientia principia, nempe fidem, & dona Spiritus Sancti, & prudentiam: ergo character non residet in intellectu.

Respondet Paludanus, cognitionem supernaturalem posse fieri sine character: sed sine illo cognitio non haberet virtutem, & efficaciam; quia character ponitur ut dirigat intentionem, & ut minister sit consecratus, sine qua consecratione missam non possit celebrare.

Sed contra: nam in primis hæc doctrina locum non habet in character baptismi. Et in alijs parum est ad rem, quia intentio ministeri nullam physicam virtutem recipit.

27 Respondet secundo cum Caietano in fine art. 4. Soto, & alijs, quod licet character non sit cognitio, tamen facultas fidei ad colendum Deum, sicut ipse Deus docet: sicut enim ars est cognitio practica, ita fides, medio character residente in intellectu practico; dirigit Dei cultum, quem practice facit character.

Minus videtur satisfacere hæc solutio, quam præcedens: nam si character est operativus, vel operatio eius est immanens; & sic, cum non sit actus voluntatis, erit actus intellectus. Operatio vero transiens non est ab intellectu, nec deseruit, aut est necessaria ad sacramentum. Et admissio hoc genere actionis, impertinens est propter illam characterem ponere in intellectu.

28 Huic objectioni Granado n. 6. & 8. concedit characterem non esse principium alicuius actus intellectus. Dicit tamen characterem residere in intellectu, quia ordinatur ad opera externa cultus divini, quæ imperantur a fide dictate quid lateat sub externis ceremonijs, & a qua, ut a radice provenit, quod Deus debito modo colatur. Verū hæc via non videtur argumentū solvi, & cū character ordinetur ad cultum, ut potentia instrumentalis, & ut immediatam operationis principium, cum resideat in intellectu, non potest non esse principium alicuius actus intellectus. Nec qualitas residens in intellectu, po-

test dirigere opera externa immediate, & ideo debet dirigere medio actu interno potentia in qua residet.

29 Retinenda ergo est solutio Caietani. Et ut replicæ solvantur, advertendum, quod ut sumitur ex D. Thoma q. 60. ar. 5. actio sacramenti, & est operatio hominis colentis Deum; & est opus Dei sanctificationis hominem. Quare est opus hominis operantis, ut minister Dei, qui est principalis author gratiæ. Licet autem ministros possit Deus instituire sola extrinseca deputatione, & non faciendo, quod physice instrumentaliter cooperaretur ad productionem gratiæ: ad maiorem tamen excellentiam sacerdotij Christi, & ad maiorem dignitatem ministrorum eius diximus pertinere ut insignirentur, & deputarentur, & fierent potentes aliqua qualitate physica: quæ est sicut ars practica operum externorum, quæ sunt sacramenta: quæ cum isto modo fieri non possunt sine character, rebus ut nunc; sicut nec opus artis sine arte fit artificiosè. Convenienter igitur character ponitur in intellectu practico; quia licet assimilatio ad Deum in bonitate præcipue sit per voluntatem; assimilatio tamen inesse, & posse magis est ex parte intellectus, ut ait S. Thomas in 4. Sent. q. 3. ad 2. Et licet posse intelligere a solo sit intellectu, posse tamen intelligere, & cum effectu exteriori, valide exequi, est ab intellectu, & a character. Vnde bene respondet Ruyz dub. 1. fol. 470. quod dupliciter perficitur intellectus aliqua qualitate; vno modo ut illuminante illum, ut aliquod obiectum intelligat: & sic perficitur habitus scientiarum. Alio modo ut conferat efficaciam actui intellectus ad efficiendum aliquid. Et hoc modo character respicit intellectum. Vnde non ordinatur ad immediate efficienda opera externa; sed dirigit tribuendo efficaciam intellectui practico.

30 Sed obijcit Scotus ad probandum characterem esse in voluntate: quia dispositio est in eodem subiecto cū forma, ad quā disponit: sed character est dispositio ad gratiam, quæ residet in voluntate, cum sit id quod charitas: ergo character etiam subiectatur in voluntate.

Respondetur primo falsum esse, quod gratia sit idem quod charitas: de quo S. Thom. 1. 2. q. 110. art. 3. Secundo dicitur characterem non esse propriè dispositionem ad gratiam, sed eius effectum: de quo latè Soto in 4. dist. 1. q. 4. art. 4. §. Ex his. De quo iterū dubio 6. Tertio respondet Caietanus ad 1. quod character non est dispositio proxima, sed

sed remota: dispositiones autē remotæ non debent esse in eodem subiecto cum forma.

31 Quarto respondet Capreolus absolute negans dispositionem debere esse in eodem subiecto cum forma. Quæ est expressa doctrina D. Thomæ 1. 2. q. 74. artic. 4. ad 3. hæc via verificantis, quod bonitas imaginationis est dispositio ad scientiam, quæ est in intellectu. Et actus fidei residens in intellectu, disponit ad gratiam, quæ est in anima; secundum S. Thomam, & iuxta Scotum est in voluntate. Quamvis ergo character disponeret ad aliquid residens in voluntate, non ideo in illa deberet collocari. Quæ solutio est D. Thomæ in 4. dist. 4. q. 2. ar. 3. q. 1. ad 1. dicens, quod dispositionem esse in eodem cum eo ad quod disponit, non est necesse, nisi quando dispositio postea sit perfectio; sicut scientia dispositio, & scientia habitus sunt in eodem subiecto proximo. Non autem hoc oportet, quando dispositio, & perfectio differunt per essentiam; sed possunt esse in diversis subiectis. Et præcipue, quæ illa diversa habent ordinem ad invicem: sicut operatio sensibilis est dispositio ad intelligibilem operationem; & similiter character est dispositio ad gratiam.

32 Præterea arguit Scotus, quia character est obligatio, vel signum obligationis animæ ad Deum: ergo debet poni in voluntate, per cuius actum aliquis se obligat principaliter.

Respondetur cum Caietano, in primis non esse necessarium, quod signum obligationis sit in eadem potentia, ex qua nascitur obligatio: sicut servitus potest nasci ex voluntate, & illius signum est in corpore. Deinde character per se primo, & proxime non est obligativum, sed potius deputativum; & professivum, ex consequenti autem denotat obligationem. Denique character, non tamen est signum obligationis, quam signum iuratum, & potestatis: sicut sceptrum est signum regis potestatis, ad quam sequitur obligatio.

33 Denique respondet Serra ad 4. primam confirmationem, characterem esse signum obligationis animæ ad Deum; non quidem factæ per aliquem actum voluntatis; cum hic in multis recipientibus characterem non sit; ut patet in pueris; sed quæ consequitur ad rem acceptam ex natura rei. Possit etiam aliquid pertinens ad intellectum, esse signum obligationis pertinentis ad voluntatem: ut patet in propositione, qua consensus voluntati manifestatur. Alia argumenta referunt, & solvunt Capreolus in 4. dist. 3. q. 1. art. 3. ad argumenta contra tertiam. Ca-

brera hic ar. 4. disp. 1. a. n. 18. vsq; ad 34. Sed omnia ex dictis facile diluuntur.

DV BIVM V.

Vtrum character insit animæ indelebiter?

1 Explicata characteris necessitate, & essentialia, & subiecto, hanc eius proprietatem convenienter explicandam assumimus. Traditur a S. Augustino lib. 6. de Baptismo contra Donatistas; & lib. 2. contra Parmenianum cap. 13. Estque Theologorum communis. Et habetur in Concilio Florentino in Decreto Eugenij Quarti, & in Concilio Tridentino sess. 7. can. 9. ibi. Characterem, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile; vnde ea iterari non possunt. Et hæc est ratio huius Ecclesiasticæ traditionis, quam cum S. Augustino, assignat Concilium: nam Ecclesiæ traditione perpetua constat, quod Baptismus, & alia sacramenta imprimuntur characterem, non possunt iterari: ideoque hæretici; cū ad Catholicam redeunt unitatem, non iterum baptizantur: ergo hoc ideo est, quia per heresim, character, quo fiunt Christiani, non deletur.

2 Advertendum autem, quod hoc signum, quod est character, dupliciter potest dici indelebile; vno modo ita quod nec de potentia Dei absoluta; manente anima hominis baptizati; ab eo Deus possit auferre, vel delere hoc signum. Secundo; de lege ordinaria; ita ut rebus ut nunc, iuxta præsentem providentiam, sine miraculo character non possit deleri. Quod adhuc potest dupliciter intelligi; vno modo ita ut hæc indelebitas præcisè contineat characteri ex divina institutione libere decernentis nunquam auferre characterem ab eo, cui semel contulerit; alio modo ex natura ipsius qualitatis, quæ petat tamdiu durare, quamdiu durat anima, quæ etiam ex natura sua est immortalis. In priori sensu nullus Theologus dicit, Deum non posse auferre ab anima characterem semel impressum, etiam manente anima: quia est qualitas supernaturalis realiter distincta ab anima, cum ea essentialiter non habens connexionem: ac per consequens distincta potentia ab ea potest separari, etiam ipsa anima non annihilata, ut norant Capreolus in 4. dist. 3. q. 1. ad 6. contra 4. & Caietanus, & alij illo art. 4. Solum ergo de lege ordinaria character signum indelebile dicitur.

3 Quoad alium sensum, quod character non

non sit signum indelebile ex natura sua, sed solum ex libera Dei ordinatione, clare indicat Scotus in 4. dist. 6. q. 9. parum ante solut. ad argumenta, ubi probat characterem esse indelebile de potentia ordinaria, quia Deus ordinavit nullam formam supernaturalem delere, nisi propter aliquod demeritum animæ: respectu autem characteris delendi, nulla potest esse causa demeritoria; cum enim imprimatur in actu peccandi mortaliter, nihil potest demereri ipsum tolli. Idem fere dicit Vazquez disp. 134. cap. 5. n. 90. ait namque: dicitur character sacramenti indelebile signum, quia ita constituit Deus, ut ab ipso homine, quantumvis peccet, vel fidem amittat, vel quidquam aliud faciat, non deleatur. Et hoc sensu tantum definitur hæc veritas ab Ecclesia.

4 Nihilominus, licet hoc sufficiat ad verificandam utcumque Ecclesiæ definitionem: melius tamen exponitur characterem ponendo qualitatem natura sua incorruptibilem, & signum ex se indelebile. Ita sumitur ex D. T. art. 5. Et docuit Alensis 4. p. q. 8. membro 8. art. 1. §. 5. Tenentque, Caiet. Soto, Suarez, & alij communiter. Probat primo, quia rem ex natura sua corruptibilem, imperpetuum durare, est miraculosum: cum ergo character imperpetuum duret, dicendum est hoc habere ex natura sua, ne penam miracula non necessaria. Secundo, cum qualitas ex natura sua non corruptibilis, non repugnet, facile apparet conveniens, ut de facto sit producta, & illi optimè convenient, quæ Ecclesia docet de characterē. ¶ Tertio probatur qualitatem hanc ex sua natura esse incorruptibilem: quia non habet contrarium physicum, nec morale; cum non exigit dispositionem subiecti, sicut gratia, ut notat Divus Thomas in 4. dist. 4. q. 1. art. 3. q. 4. Et optimè exponit hic art. 5. ad 1. & ad 2. ait, quod quamvis voluntas moueatur in contrarium per peccatum, character non remouetur, imò adhuc, qui nolet recipere characterem, si velit recipere sacramentum, characterem recipere, peccando. Ex quo constat, quod non habet contrarium morale ex natura rei: quāvis Deus possit in penā peccati tollere characterem, vel annihilare peccatorem.

5 Optimè etiam probatur ratione Divi Thomæ art. 5. nam character est quaedam participatio Sacerdotij Christi in fidelibus eius, quia configurantur ei in hoc, quod participant aliquam spiritualem potentiam respectu sacramentorum, & eorum, quæ pertinent ad diuinum cultum. Sacerdotium autē Christi est æternum: secundum illud Psalm.

109. Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Et inde est, quod omnis sanctificatio, quæ fit per sacerdotium eius, est perpetua, re consecrata manente. Quod patet etiam ex rebus inanimatis: nam Ecclesiæ, vel Altaris manet consecratio temper, nisi destruat. Cum igitur anima sit subiectum characteris, secundum intellectuam partem, in qua est fides (ut dictum est dub. 4.) manifestum est, quod sicut intellectus perpetuus est, & incorruptibilis, ita character indelebiter manet in anima.

6 Quod magis explicat ad 1. quia gratia, quæ est forma completa, exigit in subiecto dispositionem, & eius naturæ accommodatur: & quia anima est mutabilis secundum liberum arbitrium, quando est in statu vice, consequens est, quod gratia insit animæ mutabiliter. Sed virtus instrumentalis magis attenditur secundum conditionem principalis agentis: & ideo character indelebiter inest animæ; non propter sui perfectionem, sed propter perfectionem sacerdotij Christi, à quo derivatur character, sicut quaedam instrumentalis virtus: quia cum sit quasi defluxus quidam agentis, istius sequitur conditionem, ut exponit Caietanus.

7 Sed instat Scotus: nam ex ista doctrina sequitur non esse necessarium ponere aliquam virtutem supernaturalem in sacramento; alioquin illa nunquam posset corrumpi, sicut character nunquam deietur. Item sequitur gratiam sacramentalem nunquam amitti per peccatum: quia hoc videtur pertinere ad perfectionem sacerdotij Christi, cuius est participatio.

Respondetur cum Caietano. §. Adverte secundo, quod sicut character durat, quando anima durat: ita durante sacramento, durat virtus illius. Sed est differentia, quod sacramenta paululum durant, quia habent verba pro formis; & ideo mirum non est, si spirituales virtutes eorum crebro esse delinunt.

8 Secundo respondetur cum Soto in 4. dist. 1. q. 4. art. 5. §. Est autem, quod non quomodolibet character derivatur a Christo; sed ut quaedam configuratio eius sacerdotij; & ita efficiuntur sacerdotes Christi; atque adeo sacerdotes in æternum, sicut et ipse.

9 Ad secundum, vel dicatur cum Soto non tenere paritatem, quia gratia etiam sacramentalis habet contrarium; & ideo per peccatum amittitur; secus vero character cum peccatum non impediat eius receptionem. ¶ Vel cum D. Thoma ad 1. & Caieta.

etano dicatur, quod formæ permanentes ac commodantur, & sequuntur modum subiecti: & ideo in via gratia iustificans, & sacramentalis dantur amissibiliter, quia liberum arbitrium est mutabile. At vero character habet permanentiam ex sacerdotio Christi, & quia eius sequitur stabilitatem; & accommodatur animæ in esse naturali, & intellectu necessario, & non quoad liberam vertibilitatem.

10 Demum obijcit Palacios in 4. dist. 4. disp. 1. nam fides est in intellectu, qui est perpetuus, & incorruptibilis: & tamen per actum infidelitatis corrumpitur: ergo male Divus Thomas ex eo, quod character sit in intellectu incorruptibili, infert, quod ex natura sua est incorruptibilis.

Respondetur non arguere præcisè ex hoc capite: sed quia est configuratio cum Sacerdotio Christi, inde infert consecrationes esse de se æternas, nisi subiectum destruat: & ad probandum, quod subiectum non destruitur: id evidenter probat, quia character est in intellectu incorruptibili: & ideo destrui non valet, sicut consecrationes rerum corruptibilium.

11 Sed instabis: nam exemplum Divi Thomæ nimium videtur probare, videlicet Deum, nec utendo sua potentia absoluta posse delere characterem manente anima: nam consecratio Ecclesiæ, vel Altaris, nec diuinitus potest tolli, dum manet subiectum: quia consecratio solum addit denominationem extrinsecam ab actu præterito, qui non potuit non fuisse; quia Deus facere nequit, quod præterita non transierint ex suppositione.

Omissa priore solutione Suarez in commentario, quem sequitur Cabrera num. 11. Sed impugnat Vazquez cap. 5. Respondetur, quod etiam res inanimata perdere possunt consecrationem per potentiam Dei absolutam. Quod manifestum esset, si teneatur sententia Caietani q. 83. art. 3. ad 3. quæ eum multis alijs Autoribus probabilem diximus q. 62. dub. 4. quod consecratio templi ponit in illo virtutem spiritualem inchoatam: Quia auferendo hanc virtutem, aufertur consecratio. Si autem consecratio inanimatorum non ponit in illis aliquid physicum, sed solum dicit decentem deputationem moralem (quod probabilius iudicamus) consecratio deperdi potest, vel quia voluntate Dei moraliter res potest mutari, sine mutatioe physica; sicut homo reus poenarum Purgatorii, potest absolui ab illo reatu sine noua gratia intrinseca. Vel deperdi potest consecratio caeremonijs Ecclesiæ contrarijs reni-

execrando Non ergo exemplum nimis probat.

12 Sed inquires, an character sit tam indelebile, ut etiam post mortem duret?

Respondetur, quod quamuis ad verificationem indelebitatem characteris, ab Ecclesia definitam, sufficeret, quod maneret vsq; ad mortem: Tamen S. Thomas art. 5. ad 3. & alibi sæpe, merito docet characterem manere post mortem, imò & per totam æternitatem; & in bonis ad eorum gloriam, & in malis ad eorum ignominiam. Et hoc non solum post ultimam resurrectionem, sed etiam ante diem iudicij in anima separata, quia in illa residet character: unde post hominis sacerdotis mortem, eius anima non perdit ordinem sacerdotalem, ut docet S. Tho. 3. p. q. 50. art. 4. ad 3. Quod etiam vniuersaliter verificatur de omni sacramentali characterē: sicut etiam militaris character remanet in militibus post bellum; & in his, qui vicerunt ad gloriam; & in his, qui sunt victi ad poenam, ut concludit S. Thomas ad 3. Quæ communiter sequuntur Theologi.

13 In cuius signum, ut docet D. Thom. ad Rom. 7. lect. 1. ad illa verba Apolloli: *Soluti estis a lege viui*: & ad Hebræos 1. lect. 7. in fine ad illa verba: *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos, &c.* Si baptizatus, vel confirmatus, vel ordinatus moriatur, & miraculose resurgat, non debet iterum eadem sacramenta suscipere. Quod verum non esset, si esset speciale miraculum reproducere characterem.

14 Hanc communem Theologorum doctrinam limitat Vazquez disp. 134. cap. 5. articulo 93. vsque 97. docens post istam vitam non manere potestatem sacerdotalem, sed signum tantum illius potestatis: quia si tunc esset potestas, esset frustra, ubi non potest habere actum: quem constat tunc non posse habere; alioquin anima separata posset consecrare: & beatus, vel damnatus posset aliquem a peccatis absolueret. Item sequitur sacerdotium nostrum cum sacerdotio Christi æquè duraturum: quod est absurdum. Addit quod in sua sententia hæc inconuenientia non militat, quia ipse non agnoscit characterem esse potentiam physicam; sed solum esse signum quoddam, cui annexa est potestas moralis, quæ solum annexa est characteri, prout in via.

15 Verum hæc sententia falsa est, quia character essentialiter est potestas; & ideo si fatetur entitatem characteris manere, dicendum est manere potestatem. Deinde, cum sacerdos in hac vita degradatur, retinet characterem.

acterem, & potestatem consecrandi, quibus moraliter impedita, ita ut peccet consecrando: ergo status alterius vitæ dat impedimentum exercitio characteris: sicut ipse fatetur manere signum impeditum, dicemus nos manere characterem, quæ est ipsa potestas. Quod eandem difficultatem habet ponendo, quod character sit potestas physica, ac asserendo quod est potestas moralis: quia de utraque verificatur, quod est frustra, cum non est ad actum reducibilis. Idcirco S. Th. 3. p. quæst. 50. artic. 4. ad 3. & in 4. dist. 4. q. 1. art. 3. q. 4. ad 2. docet, quod in patria character ordinatur ad alios actus, ac in via. Sicut etiam cõtingit in virtutibus moralibus. Addit etiam characterem manere in damnatis; quamuis frustratũ a suo fine. Sed hoc est per accidens præter intentionem imprimendi characterem, qui non intendit, quod recipiens damnetur. Vtrum autem Sancti possint sacramenta ministrare? Dicemus cum Diuõ Thoma sequenti quæst. 64. ar. 7. ad 2.

16 Demum hic solet inquiri, vtrũ character sit indiuisibilis, & æqualis in omnibus? Hoc posset habere difficultatem in opinione asserentium pertinere ad primã, vel tertiam speciem qualitatis. A qua etiam difficile se expediunt, quia asserunt solum dare ius morale ad auxilia: quia cum hæc exigentia oriatur ex gratia, & ex diuersa dispositione, erit iuxta gratia, & dispositionu inæqualitatem, inæqualis. ¶ In opinione vero D. Thomæ, & nostra, asserente characterem esse potentiam instrumentalem, facile constat characterem esse æqualem, quia nec potentia sunt inæquales; nec in infusione characteris attenditur ad dispositionis inæqualitatem. Character autem vnius ordinis non intenditur, sed extenditur per superioris ordinis characterem.

DVBIVM VI.

Vtrũ per omnia sacramenta nouæ legis imprimatur character?

§. I.

Due conclusiones certæ de fide.

DE fide est per tria sacramenta imprimi characterem. Ita habetur in Concilio Florentino in Decreto Eugenij Quarti, pro Armenorum institutione, §. Quinto *Ecclesiasticorum*, vbi de sacramentis nouæ legis sic dicitur. *Inter hæc sacramenta tria sũt Bap-*

tismus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum, imprimunt indelebile in anima: unde in eadem persona non reiterantur. Similia habet Concilium Tridentinum sess. 7. canone 9. de sacramentis in genere, vbi ait. *Si quis dixerit, in tribus sacramentis, Baptismo, scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile; unde ea iterari non possunt; Anathema sit.*

2 Probat eam S. Thomas art. 6. nam character est quædam spiritalis potestas, quæ homo deputatur ad agendum aliquid, vel recipiendum ea, quæ pertinent ad culturũ Sacerdotij Christi. Sed ad agentes in sacramentis, pertinet sacramentum Ordinis: quia per hoc sacramentum deputantur homines ad sacramenta alijs tradenda. Sed ad recipientes pertinet sacramentum baptismi: quia per ipsum homo accipit potestatem recipiendi alia Ecclesiæ sacramenta. Vnde Baptismus dicitur esse ianua omnium sacramentorum. Ad idem etiam ordinatur quodammodo Confirmatio: vt infra suo loco dicitur q. 72. art. 5. Et ideo per hæc tria sacramenta character imprimitur, scilicet, per Baptismũ, Confirmationem, & Ordinem. Videatur Sanctus Thomas in 4. dist. 7. q. 2. art. 1. q. 1. ad 2. vbi ait. *In distinctione filiorum Israel ab Egypcijs, significabatur character baptismalis in distinctionem timidorum a fortibus in bellis, character confirmationis: in distinctione Leuitarum a fratribus suis, character ordinis.*

3 Rursus statuendũ per alia quatuor sacramenta, nempe Eucharistiam, Penitentiam, Matrimonium, & Extremã unctionem, characterem nõ imprimi. Hanc asserionem esse minus certam, quam præcedentem, videtur indicare Suarez nam disp. 11. sect. 1. §. *Secundo statuendum est: ita ait. Colligitur ex Concilij Tridentino, & Florentino; quia licet expresse nõ negent, hæc quatuor sacramenta imprimere characterem: tamen dum de tribus alijs affirmant, de alijs tacite negant: maxime, quia dicunt inde habere alia sacramenta, vt iterari non possint.* Idẽ dicunt Araujo dub. 1. & Auerla sect. 1. Et indicat Granados tract. 4. disp. 1. nu. 2.

Cæterum non videntur legitime Concilium Florentinum, in cuius decreto nõ minus expressa habetur hæc conclusio, quam præcedens: ait namque, post verba supra relata: *Reliqua vero characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.* Quo circa vtramque conclusionem æquẽ immediatè esse de fide, & haberi in Concilio Florentino, iam diu dixerant Soto in 4. dist. 1. q. 4. art. 6. Nuño, & Cabrera initio Commentarij huius articulo.

tic. 6. Et nominatim contra Suarez, Bernal disp. 14. sect. 4. §. 4. n. 31.

4 Probat hanc conclusionem D. Thomas art. 6. in argumento *Sed contra*: nam sacramenta, in quibus imprimitur character, non reiterantur; eo quod character est indelebilis, vt dictum est. Quædam autem sacramenta iterantur, sicut patet de Pœnitentia, & Matrimonio. Ergo non omnia sacramenta imprimunt characterem.

5 Hanc rationem, quam fatetur cõmunem, rejicit Lugo disp. 6. sect. 1. n. 11. dicens. *Sed hæc ratio nõ caret difficultate, quia matrimonium, licet possit reiterari cum alio coniuge; non tamen cum eodem: ergo posset imprimere characterem limitatum, scilicet, respectu illius coniugis.* Sicut Ordo Subdiaconatus imprimi characterem Ordinis: & tamen adhuc Subdiaconus potest iterum recipere Sacramentum Ordinis in Diaconatu, & Presbyteratu, & alium nouum characterem; quia illi characteres non sunt homogenei, sed heterogenei, scilicet in ordine ad diuersas functiones. Similiter ergo posset in primo matrimonio dari character in ordine ad vitam conjugalem cum hoc coniuge, & in secundo matrimonio alius character, non omnino homogœnus, sed heterogœnus in ordine ad vitam conjugalem cum tali coniuge. Sicut Logici dicunt in patre dari relationem paternitatis ad primum filium, & postea nato secundo filio, aduenire secundam relationem paternitatis ad ipsum: quia illæ paternitates sunt æterogœnæ, propter diuersos terminos, quos respiciunt. Hec ibi. Qui postea num. 12. assignat aliam rationem, quã dicit magis valueralem, & a priori, cur alia sacramenta non imprimant characterem.

6 Hanc rationem fateor bonam, sed nõ a Lugo excogitatam, sed ab Angelico Doctore assignatam hic in corp. & ad 2. & in 4. dist. 4. vt postea referemus. Sed sic est præterenda ratio a priori, quod ratio a posteriori, quæ est communis, & D. Thomæ, non rejiciatur. Præcipuè, quia Lugo ipse dixerat n. 5. quod ex impressione characteris, benè arguitur tria illa sacramenta non posse iterari, prout intulit Tridentinum. Sed Florentinum ad probandum, quod reliqua quatuor characterem non imprimunt, assumit, quod reiterationem admittunt. Ergo rebus vt nũc, supposita diuina institutione, non potest nõ hoc genº probationis admitti, siue sit a priori, siue a posteriori, siue a pura comitantia: de quo non contendemus, dum tamen omnes fateantur probationem D. Thomæ ha-

beri in Concilio Florentino. Denique, si replica labefactaret rationem Concilij Florentini, etiam destrueret probationem Tridentini, quam Lugo admittit: & tamen per locum a contrario, argumentum contra vtrãque militat; & in veritate contra heutã viget, vt ex parte tandem videtur fateri ipse Lugo n. 14.

7 Respondetur ergo, quod vt docet D. Thomas ad Rom. 7. lect. 1. & ad Heb. 11. lectione 7. si vir moriatur, & miraculosè suscitetur; cum prius matrimonium esset dissolutum (iuxta illud ad Rom. 7. *Soluta est a lege viri.* Et 1. ad Corint. 7. *Quod si dormierit vir eius; libera est; cui vult nubat*); posset cum eodem coniuge iterari matrimonium. Deinde cum in lege gratiæ illicita sit vxorũ pluralitas, si retineret characterem impressum in primo matrimonio, esset vir eius; & illius vxor: vnde si post resurrectionem, viuente primo coniuge nuberet alteri (quod omnes cũ D. Th. dicunt licere) esset simul duorum: quod tamen cum sit contra institutionem, & naturam sacramenti matrimonij, prout nunc est: admitti nequit. ¶ Nec urget, quod obijcitur de Sacramento Ordinis, quia non est simile; ait namque D. Thomas in 4. dist. 24. q. 2. art. 1. q. 1. ad 2. quod ordo diuiditur in plures, vt totum potestatum, ita vt tota plenitudo sit in sacerdotio, & in alijs ordinibus solum quædam eius participatio.

Demum illa Logicorum doctrina potius debet in contrarium retorqueri: nam est contra D. Thomam 3. p. q. 35. art. 5: vt nos etiam diximus lib. 2. Logica q. 23. n. 33. Vnde qui plures nuberet, vnicũ haberet characterem: sicut vnus pater, & vnus magister ad plures filios vnica relatione refertur, quia plura accidentia solo numero differẽtia, nõ simul in eodem subiecto insunt.

8 Rationem a priori, cur quatuor sacramenta non imprimant characterem assignat S. Thom. art. 6. in corp. quia sacramenta nouæ legis ad dno ordinantur, scilicet, in remedium peccati, & ad cultum diuinum. Est autem omnibus sacramentis cõmune, quod per ea exhibetur aliquod remediũ contra peccatum, per hoc, quod gratiam conferunt. Non autem omnia sacramenta ordinantur directè ad diuinum cultum: sicut patet de Pœnitentia; per quam homo liberatur a peccato: non autem per hoc sacramentum exhibetur homini aliquid de nouo, pertinens ad diuinum cultum, sed restituitur in statum pristinum. Eucharistia autem pertinet ad diuinum cultum per modum ipsius actionis; quia in illa principaliter diuinus cultus consistit,

fit, in quantum est Ecclesiæ sacrificium. Et per hoc sacramentum non imprimitur homini character: quia per hoc sacramentum non ordinatur homo ad aliquid aliud ulterius agendum, vel recipiendum in sacramentis: cum potius sit finis, & consummatio omnium sacramentorum, ut S. Dionys. dicit 3. cap. eccles. hier. Continet tamen in se ipso Christum, in quo non est character, sed tota sacerdotij plenitudo. Et de alijs duobus id explicat S. Thomas ad 1. & 2. quia in eis solum sanctificatur homo, vel emundatur à peccato; sed non sacraur, & deputatur ad agendum, vel patiendum: sicut res etiam in animarum sanctificatione dicuntur, in quantum diuino cultui deputantur; quod non fit in Matrimonio, & Extrema unctione: & ideo characterem non imprimunt. Videatur D. Thomas in 4. dist. 4. q. 1. artic. 4. q. 2. Et B. Albertus, & Innocentius Quintus ibidem, quorum verba refert Carthusianus. Alias Theologorum rationes refert Greg. Sayr. lib. 4. de Sacram. cap. 6. q. vnica.

9 Sed contra rationem D. Thomæ obijcies falsam videri illam propositionem. *Nō autem omnia sacramenta ordinantur directè ad diuinum cultum.* Contrarium enim videtur affirmare ipse D. Thom. q. 60. art. 1. imo hoc ipso art. 6. Ratioque est manifesta: nam omnia sacramenta sunt cæremoniæ sacræ: & illorum vsus est actus religionis, quæ directè attendit cultum Deo exhibere. Et à contrario idem constat, nam qui malè administrat, vel recipit quodvis sacramentum, peccat contra religionem, & cultum diuinum: ergo omnia sacramenta ordinantur directè ad cultum diuinum.

10 Respondet Nuño in comment. 6. artic. quod ordinari ad cultum diuinum per modum actionis, contingit dupliciter: primo, immediatè ex propria ratione particulari; & sic competit Eucharistiæ, quæ est sacrificium: alio modo secundario, & consequenter: & sic omnia sacramenta ordinantur in cultum diuinum per modum actionis: & hoc solum vult M. Soto. Nec negatur à Diuino Thoma, sed potius expresse id concedit.

Cabrera vero n. 5. ait, quod si attendamus modum celebrandi, in solo sacrificio Eucharistiæ directè attenditur diuinus cultus; nam reliqua per se primo commodum recipientium respiciunt, sicut, & Eucharistia ut cibis animæ. Attendendo tamen ad rem ipsam, omnia sacramenta sunt cæremoniæ religiose, quibus Deus colitur.

11 Potest tertio responderi, vt insinuat D. Th. ad 2. quod cultus diuinus accipitur du-

pliciter: vno modo generaliter; & sic procedit argumentum, quia operationes humanæ virtutis ad Dei excellentiam protestandam, dant cultum Deo; & sic administratione, & receptione omnium sacramentorum Deus colitur. Secundo accipitur cultus diuinus specialiter pro actione consecratorum, & deputatorum ex officio ad ministeria configurata sacerdotio Christi. Et iste specialis cultus tantum est in tribus sacramentis, in quibus imprimitur character, qui est spiritualis potestas ad tradendum, vel recipiendum ea, quæ sunt diuini cultus.

§. II.

Qualiter characteres distinguantur inter se?

12 Sed restant breues aliquæ difficultates. Prima, qualiter characteres trium sacramentorum inter se distinguantur?

In primis distinguuntur realiter, videtur manifestum; realis separatio est signum evidens distinctionis realis: sed potest quis habere characterem baptismi, non habere characterem ordinis: quod est certum secundum fidem; alioquin quilibet Christianus etiam sacerdos: nec daretur speciale sacramentum ordinis. Similiterque non opus esset speciali Sacramento Confirmationis. Vnde loquendo de illo, id probat S. Th. in 4. dist. 7. q. 2. ar. 1. q. 2. dupliciter. Primo, character est proprius effectus sacramenti, & immediatus: sed diuersarum causarum proprii effectus sunt diuersi: cum ergo Baptismus, & Confirmatio sint diuersa sacramenta, & characteres impressi erunt diuersi. Secundo, ideo baptismus iterari non potest, quia character est indelebilis: si ergo idem esset character Baptismi, & Confirmationis, post baptismum Confirmatio non adderetur. Ideoque Concilia numentant tres characteres: ac proinde tam distinctum agnoscunt characterem Confirmationis à characterem Baptismi, ac ab eis differt character Ordinis.

13 Deinde dicendum est characteres inter se specie distingui. Quod docet S. Th. q. 72. ar. 7. ad 3. Alësis, Gabriel, & Suarez, quos refert, & sequitur Granada tract. 4. disp. 4. Bonac. disp. 1. q. 5. puncto 3. n. 1. & dicit communè, Leander tract. 1. disp. 3. q. 23. quia sunt potentia physica ordinata ex natura sua ad diuersos fines, & actus. Quæ est ratio D. Th. in 4. dist. 7. q. 2. art. 1. q. 2. in cor. quia oportet, quod potentia distinguatur per distinctionem actuum, ad quos ordinatur: & quia characteres ordinantur ad actus formali specie distinctos, planè est specie differre. Ibidem ad 2. indicat aliam rationem: quia in vno homine baptizato, confir-

confirmato, & ordinato sunt tres characteres simul in eadem parte animæ: accidentia autem plura solo numero distincta non sunt simul in eodem subiecto. ¶ Argumentum quoddam, in quo diluendo valde laborat Granada n. 4. & 5. & 6. omittim⁹, quia in nostra sententia docente characterem esse potentiam physicam, & eius significationem esse naturalem, nullam vim habet.

§. III.

Verum prius detur character, quam gratia?

14 Secunda difficultas est, vtum in tribus sacramentis imprimatur principaliter character, quam gratia? Respondet Auertā sect. 1. in fine, comparatione quidem dignitatis, & excellentiæ potiore effectum esse gratiam: est enim nobilior, quam character. Neque enim de hoc videtur esse dubium, & contentio. Comparatione autem intentionis in institutione diuina, distinctè considerari debet communis ratio sacramenti, & propria ratio talis sacramenti. Et sic gratia est quoque principalis effectus, & primo intentus in omnibus sacramentis secundum communem rationem sacramenti. Sed character tamquam effectus proprius dici potest magis intentus in talibus sacramentis, quatenus talia in specie sunt. Comparatione demum executionis, siue causalitatis in re, non apparet quare vnus, vel alius ex his duobus effectibus dicatur prior, aut posterior, quia neuter videtur ex altero dependere. Nisi quis aliquomodo dicat, characterem Baptismi præcedere ad gratiam: quia sicut Baptismus per se supponi debet ante alia sacramenta; ita in eodem Baptismo, character videtur ex diuina ordinatione præire ad gratiam in ipso Baptismo conferendam.

15 Nihilominus sacramenta conferre primario, & principaliter gratiam, & characterem solum secundario, docent Caiet. art. 4. §. *Cave hic.* Nuño ibi dist. 2. Cabrera art. 4. disp. 2. n. 1. Soto in 4. dist. 1. q. 4. ar. 4. Ruyz art. 4. dub. 2. dicens communem omnium Thomistarum: Probantque ex D. Th. in introductione q. 62. vbi ait: *Deinde considerandum est de effectibus sacramentorum: & primo de effectibus eorum principali, qui est gratia; secundo de effectibus eorum secundario, qui est character.* Expresse ergo S. Th. docet gratiam esse primarium, & characterem solum secundarium effectum sacramentorum.

Secundo probat Caietanus: nam prius natura est esse, quod tribuit gratia, qui posse;

quod præstat à characterē. Vnde Baptismus est principaliter lauacrum regenerationis in filios Dei, & in membra Christi: quod præstat per gratiam; & secundo est impressus signaculi Christianorum. Et vt indicat D. Th. art. 3. ad 3. prius, & principaliter est signaculum gratiæ, quod est pignus gloriæ, quæ signaculum characteris: nā illo distinguuntur serui Christi à seruis diaboli in ordine ad vitam æternam; illo vero in ordine ad cultum præsentis Ecclesiæ.

16 Præterea probat Cabrera, nam res tantum in quolibet sacramento est vltimus, & præcipuus effectus, qui ad vltiorem effectum non ordinatur; sed ad ipsum potius reliqui ordinantur effectus. Sed character sacramentalis est res, & sacramentum; gratia vero est res tantum. Ergo gratia est primum, & vltimum, & quod principaliter per hæc sacramenta significatur, & confertur. Item, omnia sacramenta per se primo ordinantur ad sanctificationem hominum: siquidem sacramentum est signum rei sacræ sanctificantis nos: sed sanctificamur per gratiam, & non per characterem: iuxta illud Apostoli ad Roman. 3. vers. 24. *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Ergo gratia confertur primario per sacramenta.

17 Sed obijcies authoritatem D. Thomæ, qui art. 4. ad 1. ait, quod character directe quidem, & propinque disponit animam ad ea, quæ sunt diuini cultus exequenda: & quia hæc idonee non fiunt sine auxilio gratiæ (quia vt dicitur Ioan. 4. *Eos, qui adorant Deum, in spiritu, & veritate adorare oportet.*) ex consequenti diuina largitas recipiētibus characterem, largitur gratiam, per quam dignè impleant ea ad quæ deputantur. Ergo licet in essendo gratia sit dignior; tamen in esse effectus sacramenti, character respicitur magis directè, & principaliter, quam gratia.

Respondet bene Caietanus, quod S. Th. non loquitur de sacramento, sed de ipso characterē: constat autem, quod licet character directè respiciat cultum Dei, & solum ex consequenti, quod fiat benè per gratiam; potest sacramentum, quod est causa gratiæ, & characteris, causare gratiam primario, & principaliter, & characterem secundario.

18 Secundo obijcies: nam semper hæc tria sacramenta, si sunt valida, imprimunt characterem; non tamen semper conferunt gratiam, vt cum confertur validum sacramentum, sed informe. Ergo character est effectus magis proprius, & semper conueniens: ac proinde principalior.

Respondetur quantum est ex se, sacramen-

ra omnia gratiam conferre: quod autem nõ semper actu detur, est quia maior dispositio exigitur ad fructum sacramenti, quam ad eius validitatem. Vnde ait D. Thomas in 4. distinct. 4. quæst. 1. art. 1. ad 4. Quod quidam cum characterẽ gratiam non recipiunt, est ex eorum indispositione ad gratiam suscipiendam.

19 Ab hac generali doctrina multi excipiunt valde probabiliter, Sacramentum Ordinis, in quo dicunt principaliter conferri characterem, & solum ex consequenti in illo dari gratiam. Ita Soto in 4. dist. 24. q. 1. art. 2. Suarez disp. 11. sec. 1. §. sed dubitabit (quãuis ipse immerito putet contra Sotum tenere; quia solum refert id quod docet in dist. 1. & non meminit eius in dist. 24.) & Araujo art. 6. dub. 1. n. 12. Contrarium tamen tenet Ruyz art. 4. dub. 3. referens pro se Soto, Caiberam, Araujo, & Cõinh. Sed Soto, & Araujo minus attente legit. Et cum eis tener Nũño to. 2. q. 34. art. 2. ¶ Probaturque primo ex D. Thoma in 4. dist. 24. q. 1. art. 1. q. 2. ad 2. vbi ait, quod Baptismus, quamuis in eo conferatur aliqua spiritalis potentia recipiendi alia sacramenta, ratione cuius characterem imprimit; non tamẽ hoc est principalis eius effectus, sed ablutio interior, propter quam Baptismus fiet, etiã prout causa non existit; sed ordo potestatem principaliter importat, ideo character, qui est spiritalis potestas, ponitur in definitione Ordinis; nõ autem in definitione Baptismi.

20 Præterea probatur: nam sacramenta nouæ legis efficiunt, quod figurant, & eo ordine principalitatis, quo figurant. Sed in forma sacramenti Ordinis principaliter exprimitur, & significatur character: nam dicitur: Accipe potestatem offerendi sacrificium, &c. Ergo character est proprius, & principalis effectus sacramenti Ordinis.

21 Tertio probatur, & assignatur discrimen inter hoc, & reliqua sacramenta: nam baptisus directè est institutus in bonũ suscipientis, vt renascatur, & regeneretur vt filius Dei: sacramentum vero ordinis non tãdũ est ordinatur ad sanctificandum suscipiẽtẽ, quã ad dandam ei potestatem pro bono Ecclesiæ. Et ideo S. Tho. ibi quæstiuncula 4. ait, quod hoc sacramentum principaliter cõpõsit in potestate tradita. Et art. 2. q. 1. ad 1. ait, quod ordo nõ datur in remedium vnus personæ, sed totius Ecclesiæ. Et ideo principale in eo intentum est character, & potestas pro bono communis, quamuis etiam ex consequenti conferat gratiam, vt sic suscipiẽs characterẽ sit dignus dispensator. Addit Ruyz dub. 2. conc. 4. quod etiam gratia sacramen-

talis sumpta, non solum pro modo habitualiter permanente, sed etiam pro auxilio superaddito, est principalior effectus, quã character: nam & in esse entis, & in esse effectus est quid nobilius, vt pote tenens se ex parte actus secundi, & dans rectum vsum characteris, vt docet S. Tho. ad 1. aduertit tamen ibi Ruyz quod ex Thomis M. Laurẽtius Guierrez in manuscriptis oppositum probabiliter docuit. Et videtur cõforme communi Theologorum, & D. Tho. vt referemus n. 27. Licet huius decisio aliquãlter p̃deat ex illo dubio vtrum potentia actiua sit nobilior actu eiusdem potentia? De quo non potest nunc disputari.

22 Vltimo inquiritur, vtrum prædicta tria sacramenta prius natura dent gratiam, quã characterem? Suarez in fine illius primæ sectionis responder, quod physicè nullus est ordo causalitatis inter has duas qualitates; quia natura sua vnã ab altera nullo modo pender: manet enim character sine gratia: & gratia optimo, & connaturali modo esse potest sine characterẽ. Loquendo autem moraliter, prius natura datur character, quam gratia sacramentalis: quia talis gratia characterem requirit, & non è cõtrario: nemini enim datur gratia per hæc sacramenta, cui non detur character: multis autem datur character, quibus nõ datur gratia: ita vt licet prius sit intenta gratia, prius in executione detur character; quia prius est posse, quam bene posse: quod est per gratiã. Quæ doctrina videtur prius tradita à Caetano art. 4. §. Et bene nota, vbi ex eo, quod character solum moraliter sit dispositio ad gratiam, dicit verificari disponere ad illam, non ex natura sua, sed ex diuina largitate, vt ait D. Thomas: de quo latius Caeteranus quæst. 69. articulo 9.

23 Contra hoc tamẽ instat Araujo vbi supra dicens distinctionem generis physici, & moralis nõ habere locũ in præsentibus: quia moralitas in sacramentis non est alia, nisi quam habent ex diuina ordinatione, & institutione. Quod autem sacramentis, & alijs ad placitum ex institutione conuenit; verè intrinsecè, & essentialiter cõuenit, refunditur quæ in eorum physicam naturam: nam essentia signorum ad placitum tota ex institutione, & ordinatione dependet.

24 Hoc tamen argumentum parum vtget. Primo, quia supponit falsũ, quod significatio characteris sit signũ ad placitum: quia est qualitas supernaturalis quæ est spiritalis potestas realiter præstans suos effectus, & physice, sicut & gratia confert suos.

Secun-

Secundo, quia laborat in æquiuoco, nam dato, quod significaret ad placitum, connectio tamẽ characteris, & gratiæ, & prioritas, & posterioritas potest imaginari conuenire dupliciter, vel ex natura ipsarum qualitatũ, vel ex noua libera ordinatione diuina: & Caeteranus, & Suarez solum hoc secundo modo ponunt connecti: & contra hoc nullam apparentiam habet obiectio.


25 Aliiter distinguit Soto in 4. dist. 1. q. 4. a. 4. §. Exijs, vbi ait, quod si characterẽ cũ habitu gratiæ conferamus, prius natura infunditur gratia, quia est radix fidei, ad quam cõsequitur character: & ita non est eius dispositio. Si autem vsum characteris ad vsum gratiæ referamus: tunc gratiæ duplex est vsum: vnus remittere peccatum: & iste prior est, quam vsum characteris, qui est colere Deum. Posterior vero vsum gratiæ est bene colere Deum: & ad hunc quodammodo disponit vsum characteris: quia prius est colere Deũ, quam bene colere: & sic character secundum suum vsum, quodammodo dicitur dispositio ad gratiam.

26 Alij distinguunt de gratia gratum faciente, & de gratia sacramentali (de quarum distinctione egimus q. 62. dub. 5.) & dicunt, quod character sacramentalis ex natura rei non præcedit vt physica dispositio ad gratiã iustificantem: vt constat in illo, qui per actũ contritionis sine reali susceptione baptismi vltimo disponitur ad gratiam. Nec rursus ipsa gratia consequitur physicè characterem,

vt bene probat Caeteranus illa q. 69. artic. 9. quia character cõmunis est bonis, & malis, & gratia facit bonos: ideoq; inter istas duas qualitates ex natura rei nullus est ordo. Ex ordinatione vero diuina, per se loquẽdo, in baptismo simul infunduntur: in Confirmatione, & Ordine præcedit gratia iustificans: & ad bonum vsum characteris datur augmentum gratiæ, vel ad virilitatem, & robur, vel ad eminentiam in administrando.

27 Loquendo vero de gratia sacramentali propria cuiuslibet sacramenti imprimẽtis characterem, nullum video in cõueniẽs; imo maximè videtur congruere naturis rerum, quod character natura sua habilet subiectum vt à Deo recipiat illam extensionem gratiæ. Quia tamen est in genere potestatis, directè quidem ordinatur ad actus cultus diuini, & indirectè ad extensionem gratiæ, qua bene fiat iste cultus. Quæ est communis doctrina Theologorum: eam enim docuerunt Alexander Alensis 4. p. q. 8. membr. 8. §. 1. S. Bonaventura in 4. dist. 6. art. 1. q. 1. Henriquez lib. 1. cap. 13. §. 3. lit. a. plures citans. Estque doctrina D. Thomæ hic art. 4. ad 1. & in 4. dist. 4. q. 1. a. 1. ad 4. vbi ait, quod character est causa sacramentalis gratiæ. Et ad 5. quod character est dispositio ad gratiam per quãdam cõgruitatis dignitatem. Et in 4. dist.

7. q. 2. art. 2. q. 3. & in hac q. art. 6. ad 3. & quæst. 69. art. 2. tit. 10.



QVAEST. LXIII.

DE CAUSA SACRAMEN-

T O R V M.

S V M M A T E X T V S.

RECTO ordine doctrinae, post explicatam essentiam, & virtutem causatiuum sacramentorum (quod pertinet ad quidditatem, & perfectionem eorum intrinsecam; ex qua expositi effectus proueniunt) disputat S. Tho. de causa extrinseca illorum. Et quia causa finalis satis est explicata q. 61. nunc restat dicendum de causa efficiente sacramentorum: de qua agit D. Tho. decem articulis.

1 In primo docet, quod per modum principalis agentis solus Deus operatur interiorem effectum sacramenti: homo tamen potest operari ad interiorem effectum sacramenti per modum instrumenti. Vbi aduertendum, quod carpit Suarez D. Thomam, quia difficultas primi articuli non tam pertinet ad causas sacramentorum, de quibus titulus totius quaestionis erat propositus, quam ad explicandam causam gratiae, quae est sacramentorum effectus. Vnde extra rem videtur hic inferi à D. Thoma. Caterum contra Suarez legendus est Vazquez, qui bene probat quaestum articuli recte comprehendere sub intento quaestionis; quia cum sacramenta ordinentur, & instituantur ad conferendam gratiam; ipse Deus, qui est gratiae auctor, est sacramentorum institutor. Nec potuit gradum facere S. Thomas ad explicandum cui conueniat, aut communicari possit potestas instituendi sacramenta, non praemissa doctrina primi articuli. Quod pariter videre est in quaestione tertij articuli, quod est prauium ad doctrinam articuli quarti.

2 In secundo articulo docet, quod solus Deus est sacramentorum institutor. In tertio explicat, quod Christus, in quantum Deus, habet potestatem auctoritatis in sacramentis; & in quantum homo, operatur merito sic, & efficienter instrumentaliter per potestatem excellentiae. Subdit art. 4. quod Christus potestatem excellentiae potuit ministris communicare: sed potestas auctoritatis nulli creaturae potuit communicari.

3 Subsequenter articulo 5. docet, quod ministri Ecclesiae possunt sacramenta conferre, etiam si sint mali. Quamuis non sit dubium, quod mali in dispensatione sacramentorum peccant: & hoc peccatum ex genere suo est mortale, vt probat art. 6. Explicat in septimo, quod ad homines pertinet dispensare sacramenta, & in eis ministrare; non autem ad Angelos: quamuis Deus possit Angelis tribuere virtutem ministrandi in sacramentis. Vnde si aliquod sacramentale ministerium ab Angelis perficeretur, esset ratum habendum; secus vero si perficeretur à Dæmonibus, qui sunt spiritus mendacij.

Intentionem ministri requiri ad perfectionem sacramenti, probat art. 8. Ostendit tamen art. 9. quod infidelis potest verum sacramentum praebere, dummodo cetera adsint, quae sunt de necessitate sacramenti. Tandemque concludit in decimo articulo, quod peruersa intentio ministri respectu ipsius sacramenti, tollit eius veritatem: si tamen solum sit peruersa intentio ministri, quantum ad id quod sequitur sacramentum, non tollit eius veritatem: sed ipse ex tali intentione grauiter peccat.

DVBIVM I.

Vtrum solus Deus operetur interius ad effectum sacramenti?

§. I.

Two conclusions certae secundum fidem.

Respondet S. Thom. art. 1. duabus conclusionibus, quae secundum fidem sunt certae. Prima est, quod per modum principalis agentis, solus Deus operatur interiorem effectum sacramenti. Tum, quia dicitur ad Rom. 8. *Deus est, qui iustificat.* Tum, quia solus Deus illabitur animae, in qua sacramenti effectus existit: non autem potest aliquid immediate operari (loquitur de causa principali, & immediata, & sic nullam habet instrumentalitatem ex dictis q. 62.) vbi non est. Tum, quia gratia, quae est interior sacramenti effectus, est à solo Deo, vt dictum est 1. 2. q. 112. art. 1. *Character etiam, qui est interior quorumdam sacra-*

sacramentorum effectus, est virtus instrumentalis; quae manat à principali agente, quod est Deus.

2 Hanc conclusionem proponit D. Th. hic obiter, vt melius perciperetur doctrina sequentis assertionis. Vnde non est iste locus opportunus de illa vberius disputandi. Quia quae argumenta contra eam refert, & soluit Nuño diffcult. 1. & octo diluit Cabrera disp. 1. & alia § 6. & deinceps disp. 2. examinat eam loquendo de potentia absoluta: quae quaestiones loco citato referunt merito alij Theologi. Loquendo de facto obijcies: Nā qui est causa causae, est causa causari: & eo genere, quo causat causam, causat ab illa causatum: sed minister est causa efficiens, proxima, & immediata, principalis sacramenti: si quidem in hoc genere causae dicitur baptizare, loqui, & alias actiones exercere: nec illarum actionum est assignabilis alia causa efficiens proxima: ergo eodem modo minister causat effectum sacramenti.

3 Respondetur, quod bene potest quis principaliter causare aliquid, quod solum applicatum causat instrumentaliter; nā id quod est causa instrumentalis, causam principalem habet. Cum ergo sacramentum solum instrumentaliter causet gratiam, vt dictum est, non sequitur, quod minister, qui est illius causa principalis, causet gratiam principaliter: Et iuxta hoc, neganda, vel distinguenda est maior.

4 Minorem etiam non esse vniuersaliter veram, dicit Bernal disp. 17. sec. 3. conc. 3. dicens quod minister sacramenti physice permanentis, non est physica, sed moralis causa ipse. Ratio est clara, quia nec est causa physica materiae sacramentalis, nempe corporis, & sanguinis Christi, & specierum panis, & vini: nec est causa physica formae, quae est institutio Christi: nec est causa vniouis, quia consistit in intentione Christi: ergo minister non est causa efficiens Eucharistiae.

Sed quia nos ministrum ponimus causare principaliter verba consecrationis: & ista ponimus esse formam Eucharistiae, etiam ex hac parte hoc sacramentum à ministro causatur, sed quia sacramentum supponit pro speciebus consecratis, quas minister non causat principaliter, licet determinet significationem: & gratia non causatur à consecratione, sed à permanenti sacramento, & à motione noua sacramenti: ideo etiam ex hac parte est disparitas inter Eucharistiam, & reliqua sacramenta: de qua postea.

5 Secunda conclusio D. Tho. est, quod per modum instrumenti homo potest ope-

rari ad interiorem effectum sacramenti, in quantum operatur per modum ministri: nā eadem ratio est ministri, & instrumenti: vtriusque enim actio exterius adhibetur, sed sortitur effectum interiore ex virtute principalis agentis, quod est Deus.

6 Quae conclusio etiam est de fide, vt docent Soto in 4. dist. 1. q. 5. art. 2. circa 2. conc. Vazquez disp. 135. cap. 3. Cabrera 2. 1. disp. 3. n. 3. ex Sacra Scriptura in qua Christus Dominus ministris sacramentorum dicit Matthaei ultimo: *Baptizantes eos, &c.* Et ministris Poenitentiae Ioannis 20. *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis.* Quod faciunt interiorius ministerialiter gratiam conferendo. Idem constat ex veritate formae absolutionis: de qua Concilium Tridentinum sess. 14. c. 1. & 6. & can. 3. & 9. & 10. & sess. 23. & can. 1. diffinitur sacerdotes absoluentes verè remittere peccata.

Hocque probat argumentum factum: quod est causa causae, est causa causati. Sed sacramentum, causatum à ministro, est verè causa instrumentalis gratiae, vt ostensum est q. 62. ergo & minister est causa instrumentalis. Consequentiam probat D. Tho. nam eadem ratio est ministri, & instrumenti.

§. II.

Qualiter ministri causent sacramenti effectum?

Haec cum sint de fide, inquirunt Theologi, primo, an ministri sint causae instrumentales physicae effectuum sacramenti; an vero solum sint causae morales? Qui arbitrantur sacramenta solum esse moralia instrumenta, quatenus à Deo impetrant gratiam, idem de ministris facile sentent, vt notat Vazquez n. 36. ¶ Ex illis vero, qui nobiscum sentiunt sacramenta esse instrumenta physica, de ministro aliter philosophatur Soto vbi supra §. *Hac autem quaestio*, dicens ministrum esse causam moralem similem: sicut si quis det potestatem seruo redimendi captiuum dando illi redemptionis pretium, est illius causa moralis: hoc autem pacto videtur se gerere minister conterendo sacramentum: quod Christus in hoc remedium constituit.

8 Sed instat Vazquez, nam Soto non videtur consequenter loqui, cum sacramenti, & ministri sit eadem ratio: etenim si actio ministri instrumentum physicum est ad producendam gratiam; cur etiam ipse minister non erit? Praeterea cum minister, & sacramentum non sint duo instrumenta, sed vnum cum sua praui operatione.

Ad hoc tamen iam responderat Soto, quod

similitudo causæ moralis nequit tam proprie coaptari sacramento, sicut ministro: quia sacramentum non est instrumentum viuum, cui negotium demandatur; sicut committitur ministro: sed est merum instrumentum, ad instar instrumenti artificis, quod ab agente nil recipit, nisi applicationem, & eleuationem ad effectum principalis agentis.

9. Secundo intat Bernal disp. 17. sect. 4. §. 1. in fine, quoniam vt ipse Soto paulo ante docet, nêpê §. Circa secundum autem, quod gratia conferatur à ministris, clarius ex sacra Scriptura colligitur, quam quod conferatur à sacramentis: sed vt conferatur à sacramentis, eis adscribit Sotus influxum phisicum: ergo inconsequenter istum denegat ministris. Vel è contra, si vt vere ministri gratiam conferant, eis sufficit influxus moralis: ergo etiam sufficit sacramentis.

Facillime respondetur ex doctrina ipsi⁹ M. Soto: nam verba Scripturæ diuersimode debent accipi, cum causalitas attribuitur rebus inanimatis, & carentibus libertate, ac cum attribuitur ratione vtentibus. Cum ista sint agentia libera, causalitas eis attributa, bene verificatur cauando moraliter; inanimata vero, si non cauant phisice, non proprie cauant; & ideo cogimur ad verificandam in proprietate Scripturam, & Patres, eis attribuere causalitatem phisicam, & negare proprie moralitatem; ministri vero capaces sunt vtriusque; & ideo vt melius verificemus Scripturam, & Patres, vtramque eis conuenire dicimus, vt etiam docet Cabrera art. 1. disp. 5. Licet ab illo dissentiamus, quia eodem modo discurret de sacramenti causalitate: quod tamen iam reiecimus quæst. 62. dub. 2. §. 3.

10. Igitur quod ministris conueniat causalitas instrumentalis phisica, & quoad hoc, par ratio sit de illis, ac de sacramentis, docet S. Thom. hoc art. 1. ad 3. dicens, quod res inanimata non operantur aliquid ad interiorem effectum, nisi instrumentaliter, vt dictum est. Et similiter homines non operantur ad sacramentorum interiorem effectum, nisi per modum ministerij, vt dictum est. Quia Deus vtitur verbis, & persona ministri vt faciat vnum instrumentum gratiæ productiuum: nam sicut de aqua dicitur, quod corpus tangit, & cor abluit: ita de ministro dicitur, quod sanat corpus, & emundat animam; & de confessario, quod à peccatis absoluit conferendo gratiam.

11. Quod autem vltra hanc causalitatem phisicam, communem, vel eandem in sacramento, & ministro, in isto debeat admitti causalitas moralis, quam negamus sacramen-

to, desumo ex D. Thomæ articulo 8. ad 1. dicente, quod instrumentum inanimatum non habet aliquam intentionem respectu effectus: sed loco intentionis est motus, quo mouetur à principali agente. Sed instrumentum animatum (sicut est minister) non solum mouetur, sed etiam quodammodo mouet se ipsum in quantum sua voluntate mouet membra ad operandum. Et ideo requiritur eius intentio, quæ se subijciat principali agenti; vt scilicet, intendat facere, quod facit Christus, & Ecclesia. Ex qua doctrina D. Thomæ Theologorum communi, vt ibi dicitur, colligitur manifeste intentum, quia agens operans per intentionem, moraliter operatur, & moraliter cauat: minister autem sacramenti, vt talis, operatur intentione: ergo operatur moraliter.

Secundo, agens liberum legibus subiectum, est agens morale: hoc autem modo operantur ministri sacramentorum: ergo moraliter operantur.

12. Tertio id specialiter constat, quia Confessarij operantur vt iudices: ac proinde cauant moraliter. Pariterque sacerdotes offerentes sacrificium. Similiterque coniuges contrahentes matrimonium, sunt illius ministri: & moraliter operantur: quia contractum celebrant: ex quo mutua in ipsis nascitur obligatio moralis: ergo in ministris sacramentorum ita est ponenda causalitas phisica, quod non est neganda moralis causalitas. Videatur S. Thomas in 4. dist. 18. q. 1. artic. 3. quæst. 1. vt retulimus quæst. 62. dub. 4. num. 19.

13. Secundo inquiritur, vtum ministri proximè, & immediatè cauant effectum sacramenti; an vero solum remote, & mediate, in quantum efficiunt sacramentum, à quo vt ab instrumento efficitur gratia.

Hoc secundum tenent Suarez, Auerfa, & Granada, & Lugo: licet diuersimode probent. Suarez in commentario 1. artic. 9. Secundo vero. Auerfa sec. 2. id probant ex D. Augustino cap. 22. & lib. 3. contra litteras Petil. cap. 54. Quæ tamen testimonia non sunt ad rem, quia ex illis solum habetur ministrum, non virtute propria, sed virtute Dei vt causæ principalis, dare gratiã. Quod etiam in simili docet Sanctus Thomas art. 1. ad 1. & quæst. 62. art. 1. ad 3. & quæst. 73. artic. 4. ad 1. Cui quo tamen stat, quod in genere instrumenti, & ministerij, immediate agant. ¶ Vterius probat Suarez, quia ministri agunt ratione characteris: qui non habet phisicum influxum. Sed hoc iam est impugnatum q. 63.

14. Aliter probat Granados trac. 5. disp.

2. n. 6. Quia vt ministri dicantur verè, & proprie absoluere, & conferre gratiam, consecrare, & alia similia, sufficit si id præsentent in dijs verbis ipsorum ore prolatis, & media applicatione materiæ sacramentorum: hæc enim omnia sunt aliquid ipsius ministri: & quod ista efficiunt, dicitur à ministro effici: ergo non est cur admittatur alius influens, à ministro immediate profectus.

15. Denique Lugo disp. 8. sec. 1. n. 7. dicit, quod illa sola est causa moralis, à qua saltem partialiter mouetur Deus ad producendam gratiam. Deus autem immediate solum mouetur ab ipso sacramento: quod non includit intrinsecè personam ministri, qui non aliter concurrat, nisi per ipsum sacramentum, quod ponit.

16. Hoc tamen fundamentum debile esse, contra Lugum notat Bernal disp. 17. sec. 5. §. 1. n. 94. Quia vt homo sit alicuius effectus causa moralis instrumentalis, immediata, & proxima, nequaquam debet per suam entitatem, & substantiam determinare causam principalem ad positionem effectus. Causa enim instrumentalis moralis proxima, saltem si rationalis sit, communiter mouet, ac determinat principalem, prece, merito, vel alia simili actione, quæ penitus, ac totaliter ab ipso substantia differt. Ipsum etiam instrumentum artificiale, vt malleus, & culter, per impulsum à se ipso distinctum, influit in artificiosum opus.

Præterea, si distinctio ministri à sacramento, probat nec partialiter moraliter Deum moueri à persona ministri, nec mediate Deo ab illa mouebitur: & hoc præcipue patet quando est minister in peccato mortali. Quod si attenditur quod agit non nomine proprio, sed nomine Christi, sicut persona mouet mediatè moraliter, ita dici potest mouere immediate partialiter: quia magis mouet persona operans nomine Christi, quàm moueat materiale elementum aquæ.

17. Adferendum est igitur, quod minister proximè, & immediate est causa effectus sacramenti. Ita Calet. art. 1. §. Aduerte. Soto vbi supra. Serra art. 1. §. Est tamen, dicens communem Thomistarum. Cabrera disp. 5. nu. 7. Vazquez disp. 135. cap. 3. à n. 31. & 36. & alij, qui hoc explicant, quia virtus causæ principalis in ministro, & sacramento relictæ, vt sunt quodam ordine vnum ad effectum inducendum. Quod videtur expresse docere S. Thomas in 4. dist. 8. q. 2. art. 3. ad 9. vbi ait, quod quando aliquod opus percipitur pluribus instrumentis, virtus instrumentalis non est complete in vno; sed incomplete in vtroque: sicut manu, & penna scribitur. Et similiter contingit in propheta, quia virtus instrumentalis ad faciendam dictam conuersionem (loquitur de conuersione Eucharistica; idem dicitur de ministris aliorum sacramentorum) non tantum est in verbo, vel in sacerdote; sed in vtroque incomplete; quia nec sacerdos sine verbo, nec verbum sine sacerdote conficere potest. Et quia sacerdos similior est principali agenti, quam verbum, quia gerit eius figuram: ideo simpliciter loquendo, sua virtus instrumentalis est maior, & dignior: unde etiam permanet, & ad multos huiusmodi effectus se habet: virtus autem verbi transit, & ad semel tantum est. Sed secundum quid est potentior virtus verbi in quantum effectui propinquior quasi signum ipsius: sicut etiam penna est scripturæ propinquior, sed manus scribenti. Idem docet S. Thomas in 4. ad Anib. dist. 8. art. 5. ad 5.

18. Ex quo sic formatur ratio. Illa sunt vera instrumenta immediata, in quibus recipitur immediate virtus principalis agentis, seu quibus operatur: eo quod instrumentum est organum delatiuum virtutis principalis, seu id per quod operatur. Sed virtus principalis agentis recipitur in omnibus essentialiter requisitis ad sacramentum: quia sicut ex rebus, & verbis fit vnum sacramentum, vt docet S. Thomas quæst. 60. artic. 6. ad 2. & quæst. 62. artic. 4. ad 4. Ita persona est per quam Deus operatur instrumentaliter: & ideo minister est causa immediata effectus sacramenti. Et iste est sensus verborum Diui Thomæ hoc articulo 1. vt retulimus numero 5.

19. Quæ doctrina etiam procedit de causalitate morali. Vnde Vazquez illo no. 36. ait, quod minister non concurrat proximè ad effectum sacramenti influxu aliquo peculiari simul cum sacramento, ita vt ex æquo cum illo concurrat, tamquam sint duo instrumenta diuersa; sed vnum instrumentum ex ministro, & sacramento effici, sicut ex ferra, & motu illius: ita vt sacramentum sit actio præua ipsius ministri, ratione cuius minister se habet instar phisici, & naturalis instrumenti, & per quam ipse impetrat à Deo effectum. Sicut humanitas Christi, & tactus illius, aut verbum ad tanandum, non erant duo instrumenta, sed vnum integrum cum sua præua operatione.

20. Sed probationem hanc impugnat Bernal disp. 17. sect. 5. §. 2. num. 97. quia non apte comparat, vel potius æquè parat ministrum, & eius actionem, cum instrumento, & eius præua operatione. Vel enim agit de instrumento phisico: & illud non habet actionem præuam, vt species visua ad visionem. Vel de instru-

mento artificiali: & nec istud habet operationem præuiam actioni secandi; sed impulsum in se præuiè receptum: quorum simile hic nil inuenies. Vt si leam artificem, qui terram impellit, causam esse principalem scissionis; & qui mouet calamum, causam esse principalem scissionis: ac proinde fieri ex doctrina Vazquez, ministrum, cuius actio est sacramentum, causam esse principalem effectuum illius: quod est dictu nefas. Vel tãdem agit de instrumento morali: & neque istud eger semper præuia operatione: nam potest ipsum in operatione morali consistere; vt consistit sacramentum transiens, & similiter de precatio, & quodlibet opus meritorium.

Præterea, ministri Baptismi, v.g. vel Cõfirmationis, in eius essentiali ministracione non orant Deum, vt gratiam conferat. Imò quamuis gratiam subiecto non cupiat, eam inducet. Non ergo rectè dicitur, eam actione sua sacramentali impetrare. Et sic cessat exemplum humanitatis Christi: nam eius actiones preces quædam erant.

21 Aliter ergo ipse Bernal n. 98. probat ministrum sacramenti esse causam immediatam effectuum illius: nam moralis actio ministri sacramenti immediate attingit; ac inducit moraliter gratiam: nam ipsum sacramentum est actio per quam minister moraliter operatur. Sed agens physicum ideò terminum immediate attingit physice; quia illum attingit, & inducit physice actio ipsius physica. Ergo agens morale immediate causat gratiam, quam eius actio moralis moraliter immediate causat. ¶ Et cõfirmatur, quia causalitas medians inter agens, & effectum, minimè prohibet, ne causa istum immediate cauet. ¶ Et cõfirmatur secundo, quia minister Eucharistici sacrificij causa est immediata Eucharistici sacramenti; quia est causa immediata verborum cõsecrationis, quæ sunt actio moralis, & immediata effectio illius sacramenti. Cum igitur sacramentum quodlibet transiens, sit moralis actio ipsius ministri, & immediate causans, & inducens morali modo gratiã; cõsequens est vt sacramenti transeuntis minister, causa etiam moralis immediata sit eiusdem gratiæ.

22 Sed ratio etiam hæc contra ipsum retorqueri potest: & parum pro conclusione viget: & impugnationes parui momenti videntur, nec couincentes. Singula probem. Primum constat, quia ipse ostenderat lectio ne tertia, quod minister est causa efficiens physica sacramenti: imò est eius causa principalis: ergo eodem modo deberet aliterers ini-

nistrum physice causare effectus sacramenti, si sua ratio probat. Deinde, si qui ferram mouet, est causa principalis scissionis, pariter sequitur ex eius ratione, quod si actio ministri, quæ est ab eo principaliter, est causalitas, & immediata effectio gratiæ; hæc causa bitur à ministro principaliter, & non à solo Deo; contra doctrinam Concilij Tridentini, dum agit de causa principali iustificationis.

23 Quod ratio eius parum probet, constat, quia laborat in æquiuoco: siquidem actio sacramenti non est ipsa causalitas, sed est instrumentum, quod eleuat Deus noua motione causante gratiam. Quæ motio deferretur per sacramentum, & ab eo realiter differt, vt vidimus q. 62. dub. 4. §. 3.

24 Instantias eius parum vigere, manifestum est: in primis, quia in instrumentis exigua actionem formaliter præuiam, offendim. 2. p. Metaph. controu. 10. ar. 6. Qualiterque verificetur in sacramentis, monstratum est q. 62. dub. 2. §. 10. Nec semper actio præuia realiter differt ab actione instrumenti, vt instrumentum est.

Quamuis autem ministri conficiendo sacramentum, Deum non orant: tamen operatur vt Vicarij Christi, & eius officio, & nomine, & eum imitantur, & sunt cooperatores eius: ac proinde moraliter operantur, & etiam physice. Sicut etiam Christus non solum orando, sed physice efficiendo operabatur miracula: vnde paritas tenet: nisi quod Christi humanitas est instrumentum Dei cõiunctum: & sacramenta, & eorum ministri sunt instrumenta separata, prout sæpe diximus ex D. Tho. q. 62. art. 3.

§. III.

Vtrum sit par ratio de omnibus ministris?

25 **T**ertio inquiritur, vtrū quoad hoc, sit differentia inter ministros consecratos, & influentes medio charactere; & non cõsecratos: vt cum femina puerum baptizat, vel contrahit matrimonium, an causent gratiam physice, vel moraliter; mediate, vel immediate?

Respondet Paludanus in 4. dist. 1. q. 1. nu. 83: quod ministri non consecrati non agunt physice, & immediate, sed solum mediate applicando sacramentum, quod agit: quia in baptismo non est virtus in ministro, plus quam in homine adhibente ignem ad comburendam domum. Et vt minister ageret immediate, physice, instrumentaliter, debebat habere in se intrinsecam virtutem: quia vt dix-

dixerat n. 61. omne instrumentum, dum mouetur à principali agente, recipit aliquam virtutem ab eo, per quam potest in aliquem effectum, in quem prius non poterat; vel alio modo, quam prius. Idem sequitur Capreolus in 4. dist. 1. q. 1. art. 3. ad 2. Durandi contra quartam folio 20. & art. 1. conc. 4. & ad 20. Durandi contra quartam folio 23.

26 Cæterum asserendum est ministrum non cõsecratum causare gratiam moraliter, & physice, æque immediate, ac proprie; ac causat minister consecratus. Hoc dicit certissimum Soto in 4. dist. 1. q. 3. art. 1. §. Circa hoc, bene id probans duplici argumento: nã minister non consecratus eadem vtitur forma, qua vtitur sacerdos; & vtraque intelligitur de ablutione spiritali. Atque adeo, si non abluerit animã falsa esset forma. Sed ex veritate formæ ostendimus ministros consecratos vete immediate causare gratiam: ergo idem dicendum de non consecratis. Secundo Concilium Florentinum, docet sacramentum tribus perfici, materia, forma, & ministro. Nec Concilium affirmat requiri consecratum ministrum ad sacramentum, sed ministrum. Vnde sicut in baptismo laicus, quia applicat materiam, & formam, est minister; sic in matrimonio contrahentes ipsi. Cui ergo Scriptura, & Patres vniuersaliter affirmant ministros sacramentorum dare gratiã, non est cur extipiantur non consecrati.

27 Illud tamen notant Soto §. Hæc autem. Et Nuño diff. 2. & Cabrera disp. 4. conc. 2. & Serra art. 1. quod excellentius concurrat minister consecratus; quia concurrat per potentiam physicam; nempe charactere: vnde motio transiens quali cõnaturã lius eleuat ministrum consecratum, quam eleuet ministrum non consecratum: quia in actu primo non supponit virtutem habitualem physicam eleuabilem. De quo videatur quæ diximus q. 62. dub. 4. n. 16. vlt. que 24.

28 Vltimo inquiritur, vtrum ministri consecrati Eucharistiam, etiam causent gratiam?

Respondet Soto illo art. 1. §. Maius autem dubium, quod si secularis, vel qui nequit consecrare, hostiam consecratam porrigeret Christiano: ille non diceretur conferre gratiam, quoniam non applicat formam, sicut in baptismo, & in matrimonio: sed solum applicat corpus Christi sub sacramento; quod per se est virtus conferenda gratiæ. Quod quidem corpus eadem conferret, etiã si qui porrexit, intentionem non haberet ministrandi sacramentum, dummodo suscipiens legitimam haberet intentionem. Secus de

sacerdote, qui cum virtutem habeat consecrandi, quando sacramentum ministrat, ad gratiam concurrat. Idem vt probabile sequitur Nuño diff. 2. ad 3. Quia licet applicans sacramentum, sit causa per accidens, potest eleuari à Deo ad conferendam gratiam, eo quod est minister deputatus ad consecrandum sacramentum, & conferendum.

29 Cæterum, vt ait Cabrera disp. 3. nu. 5. Theologi communiter dicunt, quod porrigens Eucharistiam, nec est causa physica, nec moralis gratiæ; sed causa dumtaxat sine qua non, & pure applicans: quia ministrans Eucharistiam non est proprie minister sacramenti, quod eundem effectum causaret, si ministraretur à laico, vel à se ipso sumeretur: quare sacerdotium ad ministrandum solum requiritur quoad debeat. Quod & docet Serra, & Ruys dub. 2. ad 4. & Suarez art. 1. Lugo disp. 3. sec. 1. n. 9. Bernal disp. 17. sec. 4. §. 3.

30 Qui tamen aliorum rationes impugnat. Primo, quia in sententiã cõmuniore, verba consecrationis intrinseca sunt, & essentialia sacramento Eucharistiæ: ergo manent in eo, & cum eo moraliter: ac proinde cum cæteris eius partibus concitant gratiam. Ideoque sacerdos, qui sacramentum illud cõsecrauit, per illa sua verba moraliter loquens, moraliter gratiam causat. Sic enim preces iam pridem ad Regem fuscæ, & nunc moraliter permanentes, Regem hodie inclinant; & illarum auctor per ipsas preces. 31 Similiter, qui ex intentione combustionis domus, huic admouet ignem, tunc moralis causa censetur combustionis: & qui ex intentione necis humanæ venenum homini propinat, moralis est causa humanæ necis: & complura sunt id genus exempla. Quare quod minister Eucharistiã exhibens, dumtaxat sit applicans actiua passiuus, argumentum non est, non esse illius gratiæ causam moralem; quamuis non sit causa physica.

32 Ipse ergo probat ministrum Eucharistiam merè exhibens non esse moralem causam effectuum illius; quia vt arguit n. 92. ex eius actione non necessario sequitur effectus. Et quia ministri actio non est manducatio Eucharistiæ: nam hæc non perficitur quoad cibum, vel potus stomachum attingat: multo que minus minister ille efficit sumptionem dignam, & in gratia: Ergo minister, qui merè Eucharistiam porrigit, non efficit eius applicationem, gratiæ producendæ necessariã.

33 Hæc ratio non differt à communi, quã & tradiderat Suarez, quia collatio gratiæ in Eucharistia promissa est manducatio-

ni, quæ est postquam desinit porrectio sacerdotis. Ex qua etiam constat instantiam primam Bernal contra aliorum rationes parvi virgere, quia verba consecrationis sunt forma sacramenti: sed quia non sunt forma manducationis; ideo solum mediata dicuntur causare gratiam. Similiter verba illa per modum precum non causant ex opere operato: & similiter non negabunt alij mediata causare moraliter: sed quæstio est de immediata causa physica, & morali; & ideo probabilior est hæc communior sententia, quod minister Eucharistiæ immediatè non causat physice, aut moraliter gratiam; esto eam causet mediata, & remotè.

§. IV.

Utrum bonitas ministri conducatur ad meliorem effectum sacramenti?

34 **A**liam difficultatem sibi obiecit secundo loco S. Thomas: nam si ministri causant gratiam, sequitur, quod melior minister maiorem gratiam causaret: quia in collatione sacramentorum quædam orationum suffragia proponuntur. Sed orationes iustorum sunt magis apud Deum exaudibiles, quam quorumcunque: secundum illud Ioann. 9. *Si quis Deum colit, & voluntatem eius facit, hunc Deus exaudit.* Ergo videtur, quod maiorem effectum sacramenti consequatur ille, qui recipit ipsum à bono ministro.

35 Respondet S. Thomas ad 2. quod orationes quæ dicuntur in sacramentorum collatione, proponuntur Deo non ex parte singularis personæ, sed ex parte totius Ecclesiæ, cuius preces sunt apud Deum exaudibiles: secundum illud Matth. 18. *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quacumque pertulerint, fiet illis à Patre meo.* Nihil tamè prohibet quin deuotio viri iusti ad hoc aliqui operetur. Illud tamè quod est sacramenti effectus, non impetratur oratione Ecclesiæ, vel ministri: sed ex merito passionis Christi, cuius virtus operatur in sacramentis, ut dictum est q. 62. art. 5. Vnde effectus sacramenti non datur melior per meliorem ministrum. Aliquid tamè annexum impetrari potest recipienti sacramentum per deuotionem ministri. Nec tamè minister illud operatur, sed impetrat operandum à Deo.

36 Ad intelligendam hanc D. Thomæ doctrinam supponenda sunt aliqua notæ distinctiones, sicut enim distinguit orationes

singularis personæ, & quæ fiunt nomine totius Ecclesiæ; ita distingui debet id, quod confertur in sacramento ex opere operato; de quo q. 62. & 63. ab eo, quod ibi potest conferri ex opere operantis. Rursus impetratio, vel potest niti merito decondigno, vel merito de congruo, vel liberalitate, & misericordia Dei, ut explicui cap. 30. Theol. Moral. q. 5. §. 4. & 5. Denique effectus impetrati, vel ponunt annexi sacramento per se, & semper; vel per accidens, & solum aliquando, ut in simili docet S. Thomas quæst. 69. art. 3.

37 Certum est, quod ex opere operato, inæqualitas effectus sacramenti non est ex inæqualitate ministri, sed ex sacramento, & ex meliori dispositione subiecti. Certum item est, quod per se loquendo, & ex merito condigni, maior sanctitas ministri non meretur maiorem effectum sacramenti. Et sic in utroque sensu verificatur, quod effectus sacramenti non datur melior per meliorem ministrum, ut docet S. Thomas cum D. Augustino trac. 5. in Ioan. & lib. 3. contra Cretonium cap. 11. ubi ait: *Baptisma Christi non esse, nisi eius, cuius nomine datur; & ideo non fieri melius cum per meliorem datur, nec deterius per deterioyem.* Ex quo ibi c. 6. & refertur can. *Si inter, de Consecratione* dist. 4. docet, quod per ministros disparates Dei munus æquale est; quia non illorum, sed eius est.

38 Nihilominus ex opere operatis, merito de congruo, & impetratione ministri attrita, aliquid annexum potest impetrari recipienti sacramentum per deuotionem ministri. Ex quo infert Soto in 4. dist. 1. q. 5. art. 1. ad 2. §. *Quo circa*, quod non est vana religio bonos ministros, etiam baptisimi, procurare. Hoc autè, quod prece boni ministri aliquando per accidens solet impetrari, interpretatur Soto esse in adulto meliorem dispositionem in paruulis vero aliquas gregias dotes, & gratias gratis datas, ut legim⁹ in S. Nicolao paruulo aliqua semina virtutum; vel potest miraculosè impetrari sanitas corporalis; sicut Constantinus baptismo à lepra mundatus est, forsitan Sæcti Syluestrj precibus.

39 Caietanus vero inter annexa, que per deuotionem ministri impetrari possunt, numerat etiam intensiorem gradum gratiæ: quia nulla apparet ratio quare alia dona Dei possint habere rationem annexi impetrabilis per deuotionem ministri, & maioritas gratiæ non possit habere rationem annexi huiusmodi. Potest enim deuotus minister hoc, sicut & alia à diuinæ misericordie

diæ largitate impetrare. Nam cum minister sacramenti non sit deterioris conditionis ministrando sacramentum, quam si non ministraret: & similiter recipiens non sit ex receptione deterioris conditionis: nec diuina largitas ex hoc, quod impedit sacramentum, arctetur; consequens est ut possit minister impetrare maiorem gratiam recipienti sacramentum; quam sit illa, quæ regulariter per sacramentum datur, aut quæ sit illa, quæ seclusa ministri deuotione daretur, sicut potest eadem gratiam extra ministerium sacramenti impetrare; ac per hoc maioritas gratiæ potest habere rationem annexi impetrabilis ex ministri deuotione.

40 Nec hæc Caietani doctrina villo modo opponitur relatæ doctrinæ S. Augustini, & D. Thomæ, cum loquantur de effectu causato ex opere operato, vel ex merito condigni, aut annexo per se. Caietanus autem loquatur cum D. Thoma, de merito congruo, & de impetratione, & de effectu annexo per accidens. Vnde concludit. Nec propterea sequitur, quod maior, seu melior effectus sacramenti detur per meliorem ministrum: quoniam maioritas illa impetrata non haberet rationem effectus sacramenti; sed rationem annexi effectui sacramenti: & esset effectus à solo Deo, concomitanter ad sacramentum, impetratus ex deuotione ministri. Idem què docent Nuño diff. 3. conc. 1. Cabrera disp. 6. cõc. 2. Serra art. 1. in fine, & isti duo sic interpretantur Caietani: & pariter Ruyz dub. 3. conc. 2. Quod loquendo de merito pro adultis, quia iuuus ius orationibus impetrat, & de congruo meretur alteri auxilium, quo se disponat ad maiorem gratiam in sacramento, etiam docet Suarez disp. 7. sect. 5. conc. 2. & alij, quos refert, & sequitur Candidus disquis. 16. ar. 8. dub. 5. Sed loquendo de adultis id iterum impugnat Soto in 4. dist. 6. q. 1. art. 6. §. *Igitur.* Et examinatur infra q. 69. dub. 3.

DVBIUM II.

Utrum sacramenta sint solum ex institutione diuina?

§. I.

Solus Deus principalis Sacramentorum institutor.

1 **C**onclusio D. Thomæ articulo secundo est, quod solus Deus potest instituire sacramenta. Quam probat primo, nam

ille instituit aliquid, qui dat ei robur, & virtutem, sicut patet de institutoribus legum; sed virtus sacramentis est à solo Deo, ut ostensum est q. 62. art. 1. & 5. quia gratia est proprius Dei effectus. Ergo solus Deus potest instituire Sacramentum. Secundo idem constat, quia ostensum est, quod sacramenta, & eorum ministri non sunt causæ principales, sed solum instrumentaliter operantur ad spirituales, & supernaturales effectus: instrumentum autem habet virtutem à principali agente. Agens autem respectu Sacramenti est duplex, scilicet instituens sacramentum, & vt eas sacramentis iam instituto, applicando scilicet ipsum ad inducendum effectum. Virtus autem sacramenti non potest esse ab eo, qui vtitur sacramento; quia non operatur nisi per modum ministerij (& minister operatur nomine, & virtute illius, cuius est minister) vnde relinquatur, quod virtus sacramenti sit ab eo, qui instituit sacramentum. Cum igitur virtus sacramenti sit à solo Deo, consequens est, quod solus Deus sit sacramentorum institutor.

2 Pro huius intelligentia notat Soto in 4. dist. 1. q. 5. artic. 2. §. *Quæstio hæc*, instituire sacramenta bifariam cuiuspiam competere posse. Vno modo rãquam cause, cui suapte natura, suapte iure, & autoritate proprium est. Altero vero modo per commissionem. In præsentibus ergo articulo probatur, nõ modo, quod solus Deus instituerit, verum quod nemo alius per se potuerit sacramenta instituire. Quo circa rationes præsentibus, non solum vt congruentiæ existimari debent, verum vt demonstrationes, quas ratio fert theologica. Etenim sicut nemo legem instituire potest, nisi qui vim habet gubernandi: ita neq; sacramenta, quæ instrumenta sunt gratiæ, nisi qui talem virtutem illis potest impertiri.

3 Secundo aduertendum ex Caietano, communiter recepto ar. 2. §. *Nota hic*, quod hæc ratio D. Thomæ, licet directè, & formaliter solum videatur procedere in eius sententia ponente sacramenta esse instrumenta physica, & causare per virtutem intrinsecam à Deo principali agente in eis derivatam: Tamen æquiualeter etiã procedit in sententia Scoti, & aliorum solam agnoscunt assistentiam Dei extrinsecam; & in sententia Mag. Cano, Vazquez, & aliorum asserentium sacramenta esse instrumenta moralia: quia, licet quoad alia sit discriminè quoad hoc, quod Deus solus sit causa principalis significationis practicæ, & causalitatis gratiæ omnes conueniunt: quoniam par est ratio de virtute

re instrumenti, si ponatur vis aliqua in eo, vel si non ponatur, sed dicatur efficax absque huiusmodi virtute: quia in utraque sententia efficacia instrumenti corporei ad effectum supernaturalem, non nisi à Deo, non nisi ab instituyente signum illud esse potest; quando quidem à ministro utente solū, constat esse non posse, quia minister tantum est, ut ex D. Tho. dictum est.

§. II.

Et Christus in quantum Deus.

4 **T**ertio notanda sunt illa verba D. Th. in solutione ad 1. dicentis. *Ea vero, que sunt de necessitate sacramenti, ab ipso Christo instituta sunt, qui est Deus, & homo.* Vbi Soto, §. Et nota, animadvertit, quod cum in conclusione D. Thomas solum Deum asserat, posse instituire sacramenta, in solutione primi id ipsum de Christo asserit respectu legis gratiæ, quatenus Deus, & homo est. Nam quatenus Deus primariam, supremamque habet ad id auctoritatem. Et in quantum homo iure proprio redemptionis tibi congruit: iuxta illud Matthæi 28. *Data est mihi omnis potestas in celo, & in terra: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Similiter Cabrera nu. 3. advertit, quod illa dictio exclusiva, *s. l. us*, non excludit Christū, qui est Deus, & homo: & utroque modo operatur in Sacramento interiores illorum effectus, gratiam scilicet, & characterem. Unde in quantum Deus instituit sacramenta, confert gratiam, & remittit peccata potestate auctoritatis.

5 Vazquez etiam disp. 135. cap. 2. in initio ait. Cum Christus sit Deus, & homo, ex dictis manifestè conuequitur, ipsi ratione Deitatis conuenire potestatem instituendi sacramenta, quam appellat S. Thomas art. 4. potestatem auctoritatis: ac proinde omnia, quæ hæcenus instituta sunt, ab eo, quæ Deus est, instituta fuisse. Idem docent Durandus in 4. dist. 2. q. 1. n. 4. & 7. Scotus dist. 2. q. 2. conc. 2. lit. e. Et communiter omnes Antiqui, & Recentiores, qui cum Nuño ar. 2. dicunt conclusionem certissimam, & demonstratam. Nec opus iudico alios referre, quia Lugo disp. 7. sect. 1. nu. 1. ait. *Constat in primis apud omnes, Deum esse primariam causam institutionis sacramentorum: nam cum Deus solus sit primarius, & principalis auctor gratiæ, quæ per sacramenta significatur, & causatur; nemo potest instituire signa practica, & efficacia infallibiliter gratiæ, nisi Deus*

eam vim, & certitudinem communicet. Vnde constat sacramenta nostra instituta fuisse omnia à Christo ut Deo secundum potestatem auctoritatis, & primariam, quæ est propria Dei. Difficultas est, an fuerint instituta à Christo ut homine? Hæc ibi.

6 Quæ aded sunt apud Theologos per uia, explorata, & manifesta, ut alicui merito videbitur frustra à nobis tam diligenter notari. Sed nil est tam exploratum, quod libidine nouandi, ab aliquo in dubium non vocetur. Imo non solum placuit Bernal extracatum Theologorum in hoc puncto aberrare, sed (quod mirare magis) conatur Theologos omnes in suam falsam, & nouam, & paradoxam positionem pertrahere. Verba eius do, ne quis suspicetur hæc illi iniuste attribui. Disp. 16. sect. 2. §. 1. nu. 26. ita ait. Altera tituli pars, Christum scilicet, quatenus Deum, seu per voluntatem increatam, non immediate instituisse noua sacramenta, probatur etiam, primum auctoritate Doctorum omnium; à quibus non tam ponitur, quam supponitur: Præsertim dum explicare nituntur, quomodo sacramenta noua; licet à Christo ut homine instituta fuerint, non sint minus nobilia, quam vetera, quæ Deus, quatenus Deus, & per increatam voluntatem proximè, & immediate instituit; in quo præsertim deludat Suarez nu. 34. citandus. Deinde ratione probatur: quia cum Christus per voluntatem noua sacramenta instituerit, ut iam probaui; non apparet fundamentum, aut modus aliquis iure incommodo asserendi, instituisse etiam immediate per voluntatem increatam. Hæc ille.

7 Sed quantum attinet ad Theologos, iam vidimus omnes cum D. Thoma tenere Christum, quatenus Deus homo, & Deum immediate principaliter, potestate auctoritatis sacramenta instituisse. Suarez expresse idem docet art. 2. & art. 4. in commentario dicens id esse perspicuum. Et disp. 12. sect. 1. illo loco à contrario relato, idem dicit: ait namque. Licet Christus per humanitatem instituerit nostra sacramenta; hoc tamē non excludit, quia prima, & principalis causa, & ratio huius institutionis, fuerit voluntas diuina, ad quam Christus, ut homo, suam humanam voluntatem conformabat; atque ita in hoc est quedam æqualitas inter vetera, & noua sacramenta. *In hoc autem nostra superant, quod illa per purum hominem immediate data sunt; hæc vero per hominem Deum.* Fateatur ergo Suarez Christum, quatenus Deum, per increatam voluntatem immediate instituisse sacramenta.

Facile

8 Facile etiam cum D. Thoma art. 3. & 4. explicant Theologi qualiter Christus potuit simul instituire immediate ut homo, & immediate ut Deus, distinguendo in Christo duplicem potestatem. Vnam auctoritatis, quæ competit ei secundum quod Deus. Aliam potestatem habuit excellentiæ, quæ competit ei secundum quod homo. Seu est in Christo potestas natua, intrinseca, & principalis: & hæc ei continet in quantum Deus: & talis potestas nulli creaturæ potuit communicari. Alia est potestas ex commissione, instrumentalis, & ministerij excellentiæ. Et hæc conuenit ei in quantum homo. Et ita potuit instituire, & de facto instituit simul in quantum Deus homo.

9 Tantumque abest ut hæc doctrina de roget perfectioni sacramentorum nouæ legis, ut potius inde commendetur, & augeatur: nam ut constat ex D. Thoma art. 2. in argument. *Sed contra*, & ad 3. idem est sacramentorum institutor, ac legislator, nouique testamenti auctor. Vnde in forma consecrationis Calicis dicitur: *Nouum testamentum*: ad quam exponendam S. Thomas 3. p. q. 78. art. 3. ad 3. asserit verba Apost. ad Hebræos 9. *Ideo nouum testamentum mediator est Christus; ut morte intercedente, & promissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hereditatis.* Sed ut docet D. Thoma 1. 2. q. 98. art. 3. *conueniens fuit ut lex perfecta noui testamenti daretur immediate per ipsum Deum hominem factum; lex autem vetus per ministros Dei, scilicet, per Angelos, daretur hominibus.* Et per hunc modum Apost. 1. ad Hebræos probat eminentiam nouæ legis ad veterem: quia *in nouo testamento locutus est nobis Deus in filio suo; in veteri autem testamento est sermo factus per Angelos.* Ergo pariter noua sacramenta immediate per se ipsum Deus homo instituit. Nec arbitror tutum in fide hoc negare.

10 Sed instat Bernal sect. 2. §. 2. nu. 34. quia Christus ut homo non minus principaliter se habuit in instituendis sacramentis, quam se habeat humanus princeps in condendis legibus: at humani principis legislatio diuinam non sublequitur, sed præit: ergo & sacramentorum institutio à Christo homine facta, diuinam præcessit: non sublequitur. Obijcit deinde sect. 3. §. 2. n. 62. nominatim contra D. Thomam dicens. *Ceterum in hoc non potuimus S. Doctori assentiri, cum sit totius Scholæ sensus, & vox, Christum, ut hominem noua sacramenta instituisse. Nec aliquis necessarium existimet adiungere limitationem aliquam, aut modum quomodo instituerit, exempli gratia per excellen-*

tiam potestatem.

11 Facile responderetur negando assumptum utriusque argumenti: quod sine probatione gratis assumit, & nos cum fundamento auctoritatis D. Thomæ, & omnium Theologorum, & euidenti ratione iam assignata, negamus; quia principalis gratiæ auctor solus est Deus, & ipse solus iustificat, & auctoritate propria sacramenta instituit. Qualiter autem Christo conueniat? iam secunda conclusione explanamus cum Diuo Thoma.

§. III.

Christus, in quantum homo, etiam sacramentorum institutor.

12 **A**ltera ergo assertio D. Thomæ ab ipso explicata in tertio articulo est, quod sicut Christus in quantum Deus, habet potestatem auctoritatis in sacramentis: ita in quantum homo, habet potestatem ministerij principalis. Quod dicit probari quinque argumentis à principio positus. Nempe ex illo Ioan. 1. *Et uerbum, qui baptizatus in Spiritu Sancto.* De quo S. August. tract. 9. & 15. in Ioan. Et ex illo Math. 9. cum Dominus dicit: *Et autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata.* Et quia Christus sacramenta instituit. Et sine sacramentis contulit effectum sacramentorum Magdalenæ dicens: *Dimittuntur tibi peccata tua.* Et quia sacramenta habent virtutem ex passione eius: secundum illud 1. ad Cor. 1. *Nisi quia Paulus pro uobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?*

13 Subdit autem S. Thomas, quod hæc excellentia potestatis consistit in quatuor. Primo quidem, in hoc quod meritum, & virtus passionis eius operatur in sacramentis, ut dictum est q. 62. art. 5. Et quia virtus passionis copulatur nobis per fidem (secundum illud ad Rom. 3. *Quæ proposuit Deus pro purgatore per fidem in sanguine ipsius*) quam fidem per inuocationem nominis Christi protestamur. Ideo secundo ad potestatem excellentiæ, quam Christus habet in sacramentis, pertinet, quod in eius nomine sacramenta sanctificantur. Et quia ex eius institutione sacramenta virtutem obtinent: inde est, quod tertio ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse, qui dedit virtutem sacramentis, potuit instituire sacramenta. Et quia causa non dependet ab effectu, sed potius e conuerso, quarto ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse potuit effectum sacramentorum

sacramentorum sine exteriori sacramento conferre.

14 Videatur S. Thomas in 4. dist. 5. q. 1. art. 1. Et lib. 4. Contragent. cap. 74. ait D. Thomas. Sacramentorum institutio, & virtus à Christo initium habet: de ipso enim dicit Apostolus ad Ephes. 5. quod *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lauacro aqua in verbo vitæ.* Et infra. Christus autem ut dominus auctoritate, & virtute propria nostram salutem operatus est, in quantum fuit Deus, & homo, ut secundum id quod homo est, ad redemptionem nostram pateretur, secundum autem, quod Deus, passio eius nobis fieret salutaris.

15 Præterea idem est immediatus Sacramentorum institutor, qui est noster Redemptor: sed *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, ut dicit Apostolus ad Galat. 3.* Quia pretium redemptionis nostræ est sanguis Christi, quem pro nobis effudit. Vnde probat S. Thomas 3. p. q. 48. art. 5. quod esse immediate redemptorem, proprium est Christi, in quantum est homo. Quamvis ipsa redemptio possit attribui toti Trinitati, sicut primæ causæ. Non loquitur de primâ causâ generali, sed speciali, ut explicat ad 1. dicens, quod redemptio pertinet immediatè ad hominem Christum: *Principaliter autem ad Deum:* & ad 2. ait, quod pretium redemptionis nostræ homo Christus soluit immediatè, sed de mandato Patris, sicut primordialis auctor. Ergo pariter principaliter, & primordialiter Deus instituit sacramenta: & immediatè in quantum homo potestate excellentiæ ipse Christus, & in quantum Deus potestate auctoritatis.

16 Idem sumitur ex S. Dionysio cap. 1. de ecclesiâ Hierarch. n. 4. vbi de Christo, ait: *ipse sacramentorum auctor, ac princeps, non solum sanctissimam Hierarchiâ, ita potestati tradidit.* Et in libro de Hierarchia Eccles. cap. 3. n. 6. agens de cæna Dominica, ait: in qua etiam ipse sacramentorum institutor, & auctor. S. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. inquit. *Ergo sacramentorum auctor quis est, nisi Dominus Iesus?* De cælo ista sacramenta venerunt? Idem docet S. August. lib. 3. de doctrina Christiana cap. 9.

17 Docuit idem Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. assignans pro causâ meritoria iustificationis sanctissimam Christi passionem, quæ eam promeruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit: & pro causâ instrumentali sacramentum Baptismi. Et sess. 13. cap. 3. docet sacramentum Eucharistiæ in vlti-

ma cæna Redemptorem nostrum instituisse. Et de institutione sacramenti Poenitentia facta à Christo, loquitur Concilium sess. 14. cap. 1. Vniuersaliterque de omnibus sacramentis idem Concilium sess. 7. de Sacramentis in genere canone 1. ait. *Si quis dixerit sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta, &c. Anathema sit.* Ex quibus omnibus patet sacramenta omnia esse de iure diuino, & esse à Christo Domino nostro instituta.

18 Quod alia consideratione constat: nam sacramenta sunt fundamenta, & columnæ super quas Ecclesia fundatur: Ideoque eiuſdem est instituere sacramenta, & Ecclesiâ fundare. Quod videtur docere Apostolus ad Ephes. 5. verbis relatis à D. Thom. Sed Christus fundauit Ecclesiam: iuxta illud ad Eph. 1. *Ipsam dedit caput supra omnem Ecclesiam.* Ergo & ipse est sacramentorum institutor. Ideoque, quia sua morte nos redemit, & Ecclesiam fundauit, pretium redemptionis in sacramentis reliquit: in cuius signum de latere Christi apertum in Cruce fluxerunt sanguis, & aqua, quibus significatur Baptismus, qui est initium, & Eucharistia, quæ est finis, & consummatio Sacramentorum. Vnde S. August. tract. 120. ait. *Vigilanti verbo Euangelista usus est, ut non diceret: latus eius percussit, aut vulnerauit; sed aperuit: Ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, vnde sacramenta Ecclesiæ manauerunt, sine quibus ad vitam, quæ vere vita est, non intratur.*

§. IV.

Utrum sit de fide, quod omnia septem Sacramenta Christus immediatè instituit

19 Hæc certa sunt inter Catholicos. Fuit autem olim maximè dubium, vtrum Deus, & Christus immediatè per se omnia septem sacramenta instituerit, an vero aliquorum institutionem Apostolis commiserit? Hugo de S. Victore tomo 3. in eruditione Theologica de sacramentis lib. 2. par. 15. cap. 2. ait. *Sacramentorum Vnctionis infirmorum ab Apostolis institutum legitur.* Idem docet Magister Sententiarum in 4. dist. 23. cap. 2. Sacramenti Confirmationis institutionem factam fuisse ab Ecclesia in Concilio Meldensibus, dixerunt Alexander Aletensis 4. par. q. 24. membro 1. in noua editione q. 9. memb. 2. Et quoad vtrumque S. Bonaventura in 4. dist. 7. art. 1. q. 1. & dist. 23. art. 2. q. 2. Loquendo etiam de sacramento Poenitentia non

non immediatè à Christo Domino, sed ab Apostolis fuisse institutum, dicunt Alexander Aletensis 4. p. q. 5. membro 3. & S. Bonaventura in 4. dist. 17. art. 1. q. 3. Fuirque sententia Altitudorensis lib. 4. Summæ tit. 2. cap. 3. & Glossæ in cap. *Principio*, de Poenitentia dist. 5. asserentis sacramentum Poenitentia fuisse ab Ecclesia in Nizeno Concilio institutum.

20 Imò & post Concilium Tridentinum Ruardus Tapper Decanus Louanientis art. 1. contra Lutherum, §. *Potuisse tamen*: ita ait. *Quod alijs Christus Dominus non contulerit ministerium sacramenta instituendi quoad significationem, & determinationem materiae, & formæ, in quibus consistunt, & eorundem alteratio nem quando fidelium saluti expedire videretur, non satis ex Scripturis constat.* Et ideo quidam Doctores Catholici probabiliter docent, ab Apostolis quædam sacramenta, & Christi commissione, & suggestione spiritus eius esse instituta, & alterata in forma, & materia. De quo ibi, & art. 3. & 17. Pro eadem sententiâ referunt Ioannes Echius, & Beatus Rhenanus in Scholijs ad Tertulianum. Et Guillelmus Eltius in 4. Sententiarum dist. 1. §. 16. ver. *His assenti*, dicit ferendam opinionem eorum, qui alicuius Sacramenti institutionem Apostolis adscribunt. Et Christostomus Iuuenellus Philosphiæ Christianæ parte quinta tract. 6. c. 2. loquens de opinione asserente, quod totum Christus sacramentum Extremæ vnctionis instituit, solum ait. *Et hæc opinio venior reputatur.*

21 Suarez disp. 12. sec. 1. conc. 1. ita ait: Christus Dominus immediatè, ac per se ipsum instituit omnia sacramenta nouæ legis: Conclusio est omnino certa ex definitione Concil. sess. 7. can. 1. Vbi prætermisit Concilium illam particulam, *immediatè, & per se ipsum*: & ideo non dixi absolutè conclusionem esse de fide; tamen hanc fuisse Concilij mentem vix potest dubitari. Similia dicit to. 3. in 3. p. disp. 22. sect. 2. §. *Dicendum vero est*. Et to. 4. disp. 39. sect. 2. n. 2. Et fauet Cabrera art. 2. disp. vnica nu. 17. Imò Christophorus à S. Ioseph receptarum opinionum to. 1. de Poenitentia dub. 2. nu. 1. contrariam solum dicit temerariam.

22 Cæterum post Concilium Tridentinum, vel esse hæreticum, vel erroneum negare aliquod sacramentum immediatè fuisse à Christo Domino institutum, communiter tenent Theologi. Martinus Ledesma 1. p. 4. q. 3. art. 3. Petrus Ledesma 1. p. Summæ tract. 1. cap. 6. conc. 4. Nuño, Serra, & Cabrera art. 2. disp. vnica. Grauiña de Sacram-

Ordinis disp. 2. cap. 2. dub. 1. §. 2. nu. 8. vsq; ad 13. Philippus à Trinitate disp. 7. dub. 1. Couar. cap. *Alma mater*. 2. p. §. 2. n. 7. Sayrus lib. 2. de Sacramentis cap. 2. q. 2. ar. 1. §. *Ceterum*. Bellarm. lib. 1. de Sacramentis c. 23. Vazquez disp. 133. cap. 1. Granados tract. 3. disput. 1. nu. 4. Lugo, Albi, Torreb. & Reginaldus, quos refert, & sequitur Leader tract. 1. disp. 1. q. 6. & tract. 4. disp. 1. q. 3. & passim alij. Bernal disp. 16. sect. 1. §. 2. Basilius Pontius Relect. de Confirm. parte 1. cap. 4. numero 4.

23 Dico primo, ante Concilium Tridentinum non erat de fide sacramenta omnia esse immediatè à Christo instituta: quæuis esset hæreticum asserere solum esse de iure humano. Prior pars constat, nam illo tempore permittiebantur opiniones relatæ nu. 19. & propter illorum Doctorum auctoritatem, D. Thomas in 4. dist. 2. q. 1. art. 4. q. 4. ait post relatam opinionem Hugonis, & Magistri, & Aletensis, & S. Bonaventuræ. Sed quia institutio sacramentorum videtur ad potestatem plenitudinis in sacramentis pertinere, quam sibi Christus reservauit in Sacramentis, cum ex institutione sacramenta habeant, quod significat: *ideo alijs probabilis videtur*, quod sicut hominis puri non est sacramenta mutare, vel à sacramentis absolute; ita nec noua sacramenta instituere: & ideo omnia sacramenta nouæ legis ab ipso Christo institutionem habent.

24 Præterea idem docet S. Thomas in 4. dist. 23. q. 1. art. 1. quæstioncula 3. in argumentis *sea contra*. In primis, quia sacramenta nouæ legis sunt digniora, quam sacramenta veteris legis: sed omnia sacramenta veteris legis sunt ab ipso Deo instituta. Ergo multo fortius omnia sacramenta nouæ legis habent institutionem ab ipso Christo. Hac ratione confirmantur, quæ diximus §. 2. Præterea, eiuſdem est statuere, & statuta reuocare. Sed Ecclesia, quæ in successoribus Apostolorum habet eandem auctoritatem, quam Apostoli habuerunt, non posset auferre Sacramentum Extremæ vnctionis (nec quodlibet aliud) ergo Apostoli non instituerunt, sed ipse Christus.

25 In corpore opposita opinione relatæ, subdit S. Thomas. *Et ideo alijs dicunt, quod omnia sacramenta Christus instituit per se ipsum*: sed quædam per se ipsum promulgauit, quæ sunt maioris difficultatis ad credendum: quædam autem Apostolis promulgandæ referuauit, sicut Extremam vnctionem, & Confirmationem. *Et hæc opinio pro tanto probabilior videtur, quia sacramenta ad fundamen-*

ra legis pertinent: & ideo ad legislatorē pertinet eorum institutio. Et iterum, quia ex institutione efficaciam habent, quæ eis non nisi diuinitus inest. Videatur D. Thomas 4. Sentent. ad Anib. dist. 23. q. 1. art. 2. ad 1. Similiter Durādus in 4. dist. 2. q. 1. n. 6. & 7. solū ait hoc esse probabilius.

26 Secundam partem exprimit Soto in 4. dist. 1. q. 5. art. 2. conc. 2. & 3. & 4. (quāuis scripserit ante celebrationē scissionis septimæ Concilij Tridentini) nam de quinque sacramentis dicit *hæreticum* negare esse instituta à Christo, quia clarè institutio ex Sacra Scriptura à Christo facta colligitur. Vnde iā olim in quadam extranaganti condemnatione fuit de hoc errore quidam Hispanus Petrus Oxomensis, qui aiebat sacramentum confessionis non esse de iure diuino. Extranagans fuit Sixti 4. & refertur ab Archiepiscopo Toletano Bartholomæo Carrāca Miranda in Summa Conciliorum. Subdit Soto tertiam conclusionem. Non vsque adeo constat hæreticum esse, negare Sacramenta Confirmationis, & Extremæ vñtionis fuisse ore proprio Christi instituta: *Esset tamen hæreticum negare esse de iure diuino.* Nam etsi admitteretur Apostolos illa instituisse, id tamen ex Christi commissione fecerunt. Vnde nec à Summis Pontificibus, qui speciale hanc commissionem diuinam non habent, possent abrogari: ideoque nullus Catholicorum admisit Apostolos autoritate ordinaria ea instituisse. Nec id salua fide posset affirmari: quoniam Deus solus est, qui suapte autoritate sacramentorum institutor existit; atque adeo, nisi ex eius commissione speciali, viua voce à Christo facta, non possent Apostoli sacramenta instituire. Sed quia illa antiquorum opinio procedente tempore senescebat, & male sonabat; ideo tandem Soto proponit quartam conclusionē dicens. *Iam vero profecto temerarium esset negare omnia sacramenta fuisse à Christo instituta: nam sacramenta sunt Ecclesiæ fundamentum: quod, vt ait Paulus, nemo alius ponere potest, nisi Christus Iesus.* Eo potissimum, quod cum solus Deus virtutem sanctificandi possit illis tribuere; de quo nemo ambigit, neque citra insignem errorem ambigere potest, non est credibile, quod Deus eorum institutionem cuiquam commiserit.

27 Dico secundo, non est hæreticū asserere, adhuc post Concilium Tridentinum, aliqua sacramenta, quæ omnia sunt de iure diuino, esse ex speciali Christi commissione, ab Apostolis instituta. In hoc sensu admitto sententiam Suarez, & Cabrera relata m. nu.

21. Probat: nam Patres Concilij Tridentini optimè nouerant esse positum in opinione Theologorum (qui credebant esse septem sacramenta iuris diuini, & immutabilia ab Ecclesia) an omnia Christus per se ipsum, & immediatè, an vero aliqua Apostoli ex speciali commissione instituisent: & cum illam opinionem aperte possent expresse damnare apponendo illā particulā *immediatè, & per ipsum*, & illam consulto omiserint, videntur noluisse illam opinionem vt hæreticam damnare: sed solam hæresim Lutheranam, quæ negat dari in Ecclesia septē vera sacramenta iuris diuini.

28 Secundo, quia illa expositio Ruardī relata nu. 20. videtur verosimilis. Et quæ contra eam obijciuntur, solum procedunt de potestate ordinaria. De qua optimè ait Diuus Thomas art. 2. ad 3. *quod Apostoli, & eorum successores, sunt vicarij Dei, quantum ad regimen Ecclesiæ constituta per fidem, & fidei sacramenta. Vnde sicut non licet eis constituere aliam Ecclesiam, ita non licet eis tradere aliam fidem, neque instituire alia sacramenta, sed per sacramenta, quæ de latere Christi pendunt in Cruce fluxerunt, dicitur esse fabricata Ecclesia Christi.* Sed cū hoc stat ex speciali commissione aliquid potuisse statuere Apostolos, quod per Papā, & Concilia nequeat abrogari. Sicut docet S. Th. 3. p. q. 66. ar. 6. ad 1. *quod ex speciali Christi reuelatione, Apostoli in primitiua Ecclesia baptizabant in nomine Christi.* Et tamen talis Baptismus modo est inualidus, nec Papa valet eum declarare validū, quin potius Pelagius Papa, cap. *Si vera* 30. de consecratione dist. 4. declarat inualidum, & præcipit sic baptizatos sub consueta forma baptizandos. Et est exemplū: si aliquis à Rege constituatur Prorex ad gubernandum, & Procurator, vt eius nomine contrahat matrimonium cū puella designata; quamuis gubernet Regis nomine, & autoritate, & eius nomine contrahat matrimonium: & ambæ operationes Regis nomine fieri dicantur: Tamē matrimonium vere diceretur esse Regis, & illa esset eius vxor, quia commissione speciali, & eius nomine diceretur celebratum matrimonium, siquidē potest fieri per procuratorem: gubernatio vero tantū mediatè diceretur esse Regis, qui Proregi dedit potestatem. Ergo quāuis condere leges, & statuere sacramentalia, solum dicatur adiones Christi remotè, & mediatè: tamē dato casu, quod Apostoli habuissent commissionē speciale Christi ad sacramenta quæ dā instituenda, hæc sacramenta dicerentur iuris diuini, & ab omnibus inuariabilia. Sed quia Apostolos habuisse hanc specialem commissionem,

missio-

missionem Christi, non nisi diuinando dicitur. Ideo.

29 Dico tertio, post Concilium Tridentinum, est erroneum asserere aliqua sacramenta non esse immediatè à Christo instituta. Ita plures ex relatis n. 22. nam multi eorum, non dicunt determinatè esse hæresim; sed sub disiunctione, vel hæreticum, vel erroneum: & ad veritatem disiunctiuæ sufficit alteram partem esse veram. Probat autem: nam illud est erroneum, quod opponitur mediatè propositioni, quæ est immediatè de fide: quia propositio erronea directè opponitur conclusioni Theologicæ, quæ deducitur ex vna de fide, & altera euidenti, & per legitimam consequentiam. Sic enim docent S. Antonin. 2. p. tit. 1. 2. c. 5. Syluest. ver. *Hæresis*. q. 1. Bañ. 2. 2. q. 11. ar. 2. colum. 644. §. *Nihilominus*. Lorca disp. 40. num. 7. Quia hæresis est error manifestè contra fidem; erroneum autem est, quod reuera fidei contrariatur, sed non ita manifestè, quod non sit opus syllogismis, & deductionibus. Sic autē contingere in præsentī, probatur, quia in definitionibus Conciliorū dogmaticis verba accipienda sūt in strictissima, & propriissima significatione. At non propriè dicitur quis aliquid constituere, & instituere, quod generali potestate à Principe accepta constituit: neque etiam si illa potestas specialiter data sit ad aliquid instituendum. Sicut leges Regum sunt humanæ, quamuis dimanent à Deo: de quo scriptum est: *Ex me Reges regnant, & legum conditores iusta discernunt.* Ergo cum Concilium definiat sacramenta omnia à Christo instituta, de immediata omnium institutione debet intelligi.

30 Quod confirmat Grauiua n. 11. nam hæretici nostri temporis, illa quæ admittunt esse verè, & propriè sacramenta, à solo Christo instituta fuisse fateantur: sicque alij ea restringunt ad numerum binarium, alij ad ternarium, &c. Et propterea alia expugnant ex sacramentorum albo; quia ea aiunt carere diuina institutione, & mandato: quo præter xti Confirmationem, & Extremam vñtionem specialiter exhibitant. Ergo dum definiat Ecclesia septem esse verè, & propriè sacramenta à Christo instituta, omnia docuit etiam à Christo instituta immediatè; quod & hæretici in paucis illis, quæ admittebant, fatebantur, & ad cætera, quæ negabant, canone Concilij Tridentini conuincebantur ex æquali omnium septem sacramentorum diuinitus facta immediata institutione.

31 Secundo principaliter probatur: nam loquendo de sacramento Extremæ vñtionis,

nis (de cuius immediata institutione facta à Christo, fuit præcipua antiquorum Scholasticorum controuersia) Concilium Tridentinum ses. 14. cap. 1. ita ait. *Instituta est autem sacra hæc vñtio infirmorum, tamquam verè, & propriè Sacramentum noui testamenti, à Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatū, cap. 6. per Iacobum autem Apostolum, ac Dominum Fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum cap. 5. Et infra canone primo hoc ipsum definit his verbis. Siquis dixerit Extremam vñtionem non esse verè, & propriè sacramentum, à Christo Domino nostro institutum, & à Beato Iacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum; Anathema sit.* Nulla autem fuit alia causa distinguendi inter institutionem, & promulgationem Sacramenti, nisi tacitè docere, quod sicut Iacobus fuit immediatus promulgator, ita Christus fuit immediatus institutor. Et ad insinuandum cum D. Th. in 4. dist. 23. ad 2. modū excusandi antiquos: ait namque, *quod Magister dicit ab Apostolis institutum: quia per doctrinam Apostolorum nobis promulgata est eius institutio.* De qua promulgatione loquitur S. August. lib. 3. de doctrina Christ. cap. 9.

32 Tertio valde vrget ratio D. Thomæ in 4. dist. 23. relata num. 24. & hic art. 2. ad 3. *Quæ canonizata est à Concilio Tridentino ses. 21. cap. 2. docente Ecclesiam substantiam sacramentorum non posse mutare: quia Apostoli, & successores non fuerunt Domini, sed ministri, & dispensatores, vt docet Apostol. 1. ad Cor. 4. & 2. ad Cor. 6.* Ergo nec instituerunt sacramenta, sicut nec constituerunt Ecclesiam. Videantur quæ diximus q. 60. dub. 13.

33 Sed opponunt hæretici verba S. Cypriani sermone de ablutione pedum, non longè à principio dicētis. *Ipse Summus Sacerdos suus est sacramenti institutor, & auctor; in cæteris homines Spiritum Sanctum habuere Doctorem.* Ergo sentit solam Eucharistiam esse immediatè à Christo institutam. Respondeatur primo argumentum contra hæreticos militare, quia admittunt Baptismum à Christo institutum. Secundo dicitur S. Cyprianum non esse authorem illius sermonis; in quo alia difficilia continentur: & ideo illa auctoritate non præsumitur.

Vel sensus est, vt exponit Vazquez n. 13. & 14. quod quæ scriptores Canonici vt tales scripserunt, immutabilia sunt; quæ verò vt legislatores ordinauerunt, variari possunt. Videatur Grauiua: n. 11. Vel loquitur non de cæteris sacramentis, sed de reliquis ceremoniis,

nij, vt explicat Bellarminus.

34 Alia verba D. Augustini, quæ solent opponi ex epistola 118. cap. 1. late exponit Lugo disp. 7. sec. 1. à nu. 9. vsque ad 13. quod solum intendat S. Augustinus explicare suauitatem legis Euangelicæ, quæ solum continet præcepta sacramentorum, & virtutum, & præcepta alia positua non sunt diuina: sed humana: ad differentiam legis antiquæ, quæ multitudine præceptorum onerabat. Videatur S. Thomas 1. 2. q. 108. art. 1. exponens qualiter lex noua est lex perfectè libertatis.

DVBIVM III.

Vtrum Christus potestatem suam, quam habuit in sacramentis, potuerit ministris communicare?

§. I.

Varij modi defendendi partem negantem.

1 **D**iuersis vijs solet defendi sententia negatiua. Durandus in 4. dist. 2. q. 1. n. 4. & 5. eam probat eo quod Deus nequit committere creaturæ suam primariam auctoritatem iustificandi. Auctoritas verò commissionis solum potest se extendere vt minister eligeret res, & verba sacramentorum. Quod non esset propriè instituire. Non est autem creatura capax vt illi committatur virtus dandi gratiam sua virtute; nec per actionem diuinam adhibere gratiam sacramentorum: sed solum illa promulgare.

2 At verò Scotus in 4. dist. 1. q. 3. §. De secundo dico. Et Gabriel ibidem q. 2. art. 3. dubio 2. distinguunt in sacramento significationem practicam, & certitudinem: & asserunt, quod quantum ad significationem, fuit possibile, quod sacramentum institueretur ab aliqua creatura: quia posset imponere signum, quod practicè significaret Deum inuisibiliter agere. Quantum verò ad certitudinem, à solo Deo potest institui sacramentum, quia solus Deus potest se determinare ad causandum effectum sibi proprium, nempe gratiam.

3 Eidem sententiæ subscribit Vazquez disput. 135. cap. 2. n. 23. probans eo quod, propriè loquendo, potestas instituendi sacramenta ei solum conuenire potest, cui conuenire queat primum sacramenti decretum, seu initium illius; quia instituire est quasi ab initio statuere, seu incipere: hoc autem à solo Deo potest manare. Nam si creaturæ alicui eiusmodi potestas communicari posset, ea

pendere deberet ex primo Dei decreto circa sacramenta ipsa, & ex illo exordium sumeret: ergo à solo Deo propriè institui diceretur: homini autem solum designatio materiæ, & formæ adscribi posset, in quibus ex primario Dei decreto efficacitas, & virtus sacramentorum constaret. Quod totum videtur docere Sanctus Thomas articulo 2. probans solum Deum posse instituire sacramenta; quia solum ab illo est sacramentorum virtus. Et ideò articulo 4. est exponendum de institutione sacramentorum improprie sumpta, cum docet humanitati Christi fuisse communicatam; & puræ creaturæ potuisse se communicari potestatem instituendi sacramenta: ne S. Thomas sibi sit contrarius.

4 Tandem Bernal putans, & asserens, se nouum aliquid in commune commodum afferre, eidem subscribit sententiæ; eodem motiuo, magis confusse, & late, sed parum solide, stabilito. Tria ergo asserit disp. 16. sect. 3. §. 3. Pronunciat primo numero 64. non posse puram creaturam ita instituire sacramenta, vt Deus propriè, & strictè, illorum institutor non sit. Quia est sacramento essentialia à Deo institui, ex comuni Doctorum; siquidem asserit Vazquez disp. 128. nu. 37. neminè de hoc dubitasse. Nam si pura creatura posset instituire sacramenta, quæ Deus non instituerit, numquam exponeretur, aut solide propugnabitur, non esse in lege gratiæ plura, quam septem sacramenta, quia sacerdotium vestium acceptio sufficientissimi me significat gratiam: & sacramentum, vt sic non signat gratiam, vel futuram, vel præsentem.

Pronunciat secundo n. 76. non posse puram creaturam sacramentum instituire totaliter: nam alioqui Deus non institueret, sed sola creatura: & tamen de ratione sacramenti est esse à Deo propriè, seu strictè institutum.

5 Pronunciat tertio n. 77. quod nec potest pura creatura sacramentum instituire partialiter. Probat ob idem incommodum: quia institutor signi, vel sacramenti, solus ille absolute, & simpliciter est, qui formam de suo ponit. In illo autem euentu, nec pura creatura, nec Deus, sed ambo simul formam ponerent: Ergo nec pura creatura, nec Deus; sed ambo simul, essent illius signi institutores. Maior liquet: nam causa solum inducens partem effectus, non potest absolute dici causa ipsius. Sicut si vnus homo efficeret solam vnionem capitis, & alter solam vnionem cordis, & cætera eorum partium, neuter per se, & absolute generaret, sed binarius ipsorum.

Item,

Item, quia domum ædificare est domesticam formam materiæ tribuere; propterea si vnus artifex fundamenta dumtaxat iniiceret, alter solos parietes erigeret, & alius tectum imponeret, nullus illorum per se, & absolute esset illius domus fabricator, sed ipso rum ternarius. Vnde posset Deus committere creaturæ vt institueret signum sensibile practicum gratiæ, & pro toto Ecclesiæ statu, & tempore: non tamen posset committere, nec facere, quod pura creatura institueret sacramentum: nam hoc est essentialiter à Deo institutum. Sic posset puræ creaturæ concedere facultatem condendi leges, quæ cæteras omnes puras creaturas obligarent: non tamen condendi leges diuinas; quoniã diuina lex essentialiter habet, vt à Deo sit proprie, & proxime lata.

§. II.

Non omnis Christi potestas potuit puræ creaturæ communicari.

6 **V**erissima tamen est opposita sententia, asserens potuisse Christum ministris communicare potestatem, quã habuit instituendi sacramenta, & operandi interio rem effectum illorum: & potuisse Deum puræ creaturæ communicare, & committere vt tam vere, & propriè institueret sacramenta, ac de facto credimus Christum Dominum illa immediate instituisse. Ita S. Tho. hic articulo 4. & q. 8. art. 5. & 1. 2. q. 114. art. 6. Et in 4. dist. 5. q. 1. art. 3. q. 2. Soto in 4. dist. 1. q. 1. art. 4. §. *At forsan*. Nuño art. 4. difficult. 1. & Thomista omnes, vt ibi testatur, & sequitur Cabrera n. 5. & Philippus à Trinitate disput. 7. dub. 2. Ex antiquis D. Bonauentura in 4. dist. 5. art. 3. q. 1. Ricardus art. 1. q. 3. Ex recentioribus Suarez disp. 12. sect. 2. Sayrus lib. 2. c. 2. q. 8. Granado tract. 5. disput. 1. conc. 3. Lugo disp. 7. sec. 2. dicens *communem*. Et in simili Ripald. to. 2. lib. 4. de ente supernat. disput. 96. sect. 2. citas viginti duos Authores. Communicarique posse puræ creaturæ eandem potestatem, quam habuit Christus; sed non æquè perfectam, dicunt Coninch art. 4. dub. 2. Laymã lib. 5. q. 2. Castus Palaus tract. 18. disp. vnica punct. 4. n. 3. & absolute Palsqualigus disp. 71. sect. 3.

7 Dubium hoc esse de modo loquendi affirmat Nuño diff. 1. & dubitat Suarez sec. 2. Distincte magis Lugo nu. 22. aduertit questionem hanc duos habere posse sensus. Primus est, an Christus communicare potuerit alteri potestatem, quam ipse habuit. Et hæc videtur esse quæstio, quam tractat Sanctus Thomas art. 4. & absque dubio est quæ-

sio de re. Secundus sensus est, an ea potestas, quam Deus posset communicare creaturæ, satis esset vt illa creatura dicatur simpliciter instituire sacramenta. Et hæc quæstio est cū Scoto, Vazquez, & Bernal negantibus, & alijs affirmantibus. Et quoad hoc, quæstionem magis esse de nomine, quam de re, bene probat Lugo n. 19. nam vtrique consentiunt in hoc, quod potuerit aliquis ex delegatione Dei designare materias, & formas validas sacramentorum. Dissentiunt autem in eo, an hic homo ratione huius potestatis diceretur simpliciter instituire sacramenta: quod prima sententia negat, & secunda affirmat. Et in hoc puncto videtur esse differentia solum circa significationem, & proprietatem vocis, videlicet, quid significetur per institutorem, & authorem sacramentorum. Et hoc ipso quod difficultas sit de modo loquendi, communis sententia est præferenda, quia debemus obseruare modum loquendi à pluribus receptum.

8 Præterea obseruandum, quod de potestate Christi possumus loqui dupliciter. Primo adæquate, cum omni extensione, eminentia, & modo, quo de facto est in illo. Secundo inadæquate, & solum ex parte: sed tamen taliter, quod substantialiter, & essentialiter, id pro quo supponit potestas, sit ministris communicatum. Quod (vt notat Cabrera nu. 7. & 9.) potest intelligi dupliciter, quod in puro homine sit potestas, quæ est in Christo, ad instituendum, & operandum in sacramentis. Primo supposito Incarnationis mysterio, & quod Christus de facto sit caput, & quod sacramenta habeant virtutem ab eius Passione. Et in hoc sensu inquit Sanctus Thomas, ad 3. quod si Christus potestatem excellentiæ ministris communicasset, ipse esset caput principaliter; alij vero secundario. Secundo potest intelligi, quod purus homo sine ordine ad Christum, haberet hanc potestatem: quia per gratiã Dei posset constitui caput, & mereri alijs de condigno gratiam iustificantem.

9 Dico primo, Christus non potuit omnem potestatem suam ministris communicare: imò nec potestatem excellentiæ potuit communicare cum omni eminentia, & modo, & extensione, quo fuit in ipso. Priorem partem probat S. Tho. art. 4. dicens, quod si cut dictum est, Christus in sacramentis habuit duplicem potestatem. Vnam auctoritatis, quæ competit ei secundum quod Deus: & talis potestas nulli creaturæ potuit communicari, sicut nec diuina essentia. Idem probat S. Tho. in 4. dist. 5. quæst. 1. artic. 3. quæ-

tiuncula i. tali ratione. Quidquid communicatum alicui traheret ipsum extra terminos sue speciei, non potest sibi communicari: sicut equo non potest communicari, quod habeat rationem; quamuis hoc communicatum sit homini. Quod autem communicatum alicui, trahit ipsum extra terminos creaturæ, non potest alicui creaturæ communicari. Potestas ergo auctoritatis communicata alicui, traheret ipsum extra terminos creaturæ: quia non potest esse, quod creatura sit agens principate respectu nobilissimi effectus, quo ultimo fini coniungimur; cuius modi est gratia, per quam fit remissio peccatorum: Et ideo omnes dicunt, quod potestas auctoritatis nulli creaturæ communicari potuit. Et quia etiam post D. Thomæ tempora, nullus Theologus hoc negavit; ideo non oportet amplius firmare.

10 Secundam partem aliqui probant ex D. Thoma in 4. Sententiarum distinctione 20. q. 1. art. 2. quæstiuncula 3. ad 1. dicentes; Et ideo sicut unus non disponitur per actum alterius; ita unus alteri non meretur premium essentialiter; nisi meritum eius habeat efficaciam infinitam, sicut Christi, cuius merito solo pueri baptizati ad vitam æternam perueniunt. Sed auctoritas hæc, se sola, non multum urget: quia Angelicus Doctor ibi explicat solum quid eueniat de facto in hoc ordine rerum; non vero disputat quid fieri possit de potentia absoluta.

11 Melius probantur ambæ partes huius conclusionis, simul cum secunda assertione mox proponenda, ex eodem D. Thoma in 4. Sententiarum ad Anibaldum dist. 5. articulo tertio dicente, quod Christus aliquid conueniebat tripliciter. Vno modo ratione diuinitatis; & huiusmodi alijs hominibus communicari non potuit. Sic autem conueniebat ei potestas effectiue; & auctoritas dimittendi peccata. Alio modo ratione unionis humanæ naturæ ad diuinam; & huiusmodi etiam communicari non potuit alijs hominibus, nisi similiter ab aliqua persona diuina assisteretur. Et huiusmodi est potestas merendi alijs gratiam: quod esse non potest, nisi per meritum infinitum, in totam naturam potens: quod est Dei; & hominis. Tertio ratione humanitatis absolute; & huiusmodi potuit alijs communicare.

12 Ex quo sic probatur. Eminentia potestatis excellentiæ Christi est, quod est instrumentum coniunctum diuinitati; & alij ministri sunt instrumenta separata. Vnde S. Thomas art. 2. huius quæstionis ait. Sed tamē quia est instrumentum coniunctum diuinitati in persona, habet quandam principalem, & causalitatem respectu instrumentorum extrinsecorum, qui sunt ministri Ecclesiæ: iuxta dicta artic. 1.

& quæst. 62. art. 5. Sed implicat in terminis, quod purus homo sit instrumentum Diuinitati coniunctum. Ergo contradictionem implicat, quod potestas excellentiæ Christi communicetur alteri cum eminentia, quam in illo habet.

13 Secundo eminentia potestatis Christi includit infinitam dignitatem suæ personæ: nam ex quo erat caro Dei habebat dignitatem infinitam; & ideo passio Christi fuit superabundans satisfactio pro peccatis humani generis: iuxta illud i. Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. De quo S. Thomas 3. p. q. 48. art. 2. & etiam Conciliū Tridentinum ses. 6. cap. 7. Sed purus homo non potuit habere moralem dignitatem personæ infinitæ. Neque potuit satisfacere de rigore iustitiæ; imò neque ad æquivalentem arithmeticam reddere æquivalentem pro peccato, eo quod offensa est infinita contra infinitam maiestatem Dei: & quia si purus homo posset hoc modo satisfacere æquivalenter, non esset necessaria incarnatio Filij Dei ad satisfaciendum condigne pro peccatis: quod esse contra Patrum doctrinam; ostenditur 3. p. q. 1. artic. 2. ad 2. Ergo potestas excellentiæ cum modo ex persona desumpto, & cum extensione ad satisfaciendum pro peccatis simpliciter condigne, non potuit puræ creaturæ communicari. Valor autem desumptus ex persona Verbi; non potest transfundi in alios homines, quorum humanitates non sunt unitæ Deo personaliter: alioquin sine Incarnatione alij homines essent filij naturales Dei. Et quia de hoc puncto expressio disputatur in tractatu de Incarnatione; ideo non oportet modo detineri in illo.

§. III.

Potestas excellentiæ essentialiter potuit communicari creaturis.

14 Dico secundo, simpliciter est affirmandum quod potestas excellentiæ, quæ fuit in Christo ad instituenda sacramenta, & ad operandum effectum eorum, potuit puræ creaturæ communicari: vnde puro homini potuit à Deo communicari tanta gratia; vt mereretur decondigno virtutem, & effectum sacramentorum.

Priorem partem expressè docet, & probat D. Tho. art. 4. dicens, aliam potestatem habuit excellentiæ, quæ competit ei secundum quod homo. Et talem potestatem potuit ministris communicare, dando scilicet eis tantam gratiæ plenitudinem, vt eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectus

fectus: vt ad inuocationem nominum ipsorum, sanctificarentur sacramenta; & vt ipsi possent sacramenta instituere, & sine ritu sacramentorum, effectum sacramentorum conferre solo imperio. Potest enim instrumentum coniunctum, quanto fuerit fortius, tanto magis virtutem suam instrumento separato tribuere, sicut manus baculo. Hæc ibi.

Probaueratque in argumento sed contra: nam super illud Ioan. 1. Ego nesciebam eum: dicit August. trac. 5. in Ioan. Quod non nouerat potestatem Baptismi ipsum Dominum habiturum, & sibi retenturum. Hoc autem non ignorasset Ioannes, si talis potestas communicabilis non esset. Potuit ergo suam potestatem Christus ministris communicare.

15 Præerea in 4. Sentent. dist. 5. quæst. 1. art. 3. quæst. 2. id probat primo: nam quicquid competit Christo secundum quod homo, potest, & alij homini communicari: sed potestas excellentiæ, vt dictum est, competit Christo secundum quod homo est: ergo potest alijs omnibus communicari. Secundo, ad potestatem excellentiæ pertinet, quod ad inuocationem nominis Christi remissio peccatorum in Baptismo detur: sed potuit etiam hoc Deus conferre Petro, vel Paulo, vt ad inuocationem nominis eius Baptisma conferretur; vt dicit Glossa 1. ad Cor. 1. Ex quo infer, quod potestatem excellentiæ Deus homini puro conferre potuit. Sed tamen non fuit de cetero, ne spes in homine poneretur: & vt Ecclesiæ vnum caput esse ostenderetur; a quo omnia membra spirituales sensum, & motum reciperent. De quo hic art. 4. ad 1. & 3.

16 Quæ doctrina est desumpta ex Diuo Augustino trac. 8. in Ioannem inter principium, & medium, vbi inter alia ait: Potuit Iesus Christus, si vellet, dare potestatem alicui seruo suo, vt daret baptismum tamquam vice sua; & transferret à se baptizandi potestatem; & eam constitueret in seruo; & tantam vim daret baptismi translato in seruum; quantam vim haberet baptismus datus à Domino. Hoc noluit ideo vt in illo spes esset baptizatorum, à quo se baptizatos agnoscerent. Vbi S. Augustinus docet de facto puros homines solum baptizare per ministerium: de possibili vero potuisse baptizare per potestatem, & conferre gratiam nomine, & merito proprio: ita vt potuerit Christus ministris dare potestatem talem, ac tantam, quantam Christus vt homo habuit. Quæ est potestas excellentiæ.

17 Duas alias rationes indicat Sanctus Thomas illa dist. 5. nam ad 2. ait; quod ad hoc quod homo purus cooperaretur Deo in interiori emundatione modo predicto, non

oporteret, quod haberet efficaciam infinitam in merendo: quamuis Christus quodammodo habuerit infinitam in merendo: quia non cooperaretur respectu omnium; neque ita plene, sicut Christus. Et ad 3. ait, quod gratia capitis in Christo distinguitur à gratia vniuersis: quamuis ex ipsa vniuersione per quandam concordantiam plenitudo omnis gratiæ, & capitis, & singularis personæ in illa anima fuerit.

Ex quo sic arguitur. Potestas excellentiæ in Christo essentialiter est ipsa gratia capitis: quia vniuersumque agit in quantum est in actu: & in quantum est, caput virtutem habet influendi gratiam in omnia membra Ecclesiæ: secundum illud Ioan. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus. De quo S. Tho. 3. p. q. 8. ar. 1. Sed gratia capitis potuit puræ creaturæ communicari: quia gratia capitis eadem est secundum essentiam cum gratia personali, vt probat S. Tho. ibi art. 5. Quæ gratia cum sit aliquid creatum, & conueniens Christo in quantum homo est, non est cur puræ creaturæ non potuerit communicari. Ergo & potuit communicari potestas excellentiæ, quæ fuit in Christo.

18 Deinde perfectio moralis infinita, quæ prouenit à persona Verbi: & virtus se extendens ad satisfaciendum pro infinitis peccatis propter infinitatem personæ satisfaciētis, sunt quid realiter distinctum, & separabile à gratia Christi, & ab eius virtute merendi, quæ est per eius charitatem summam, sed creatam: ergo etiam si repugnet meritum, & satisfactionem puræ creaturæ habere infinitatem moralem; & satisfacere superabundanter pro peccatis, potuit essentialiter puræ creaturæ communicari. Probatur maior: quia persona Verbi, à qua sumitur infinitas, realiter distinguitur, & essentialiter connecta non est cum gratia habituali: dignitasque personæ quid distinctum est à qualitate residente in anima. Valorque satisfactorius sumitur à persona: at verò meritum, & perfectio charitatis est ab habitu, & ab obiecto: & in actu meritorio distinguunt Theologi valorem proueniētem à dignitate operis, à valore proueniētem à dignitate personæ.

19 Secundam conclusionis partem negat Durandus in 3. dist. 20. q. 3. & in 4. dist. 5. q. 4. Vazquez vbi supra num. 27. Imò ex Thomistis M. Ioannes Vincentius in Relectione de gratia Christi q. 6. dub. 2. ad 1. folio 763. & Araujo 3. p. q. 8. ar. 6. dub. unico, qui adducit auctoritates D. Tho. quæ solū probant primam conclusionem.

Nec video qualiter hæc secunda assertio

nis pars negari possit ab his, qui primam admittit (quam tamen omnes Thomistæ admittunt tenentur, cum sit, ut vidimus, expressa D. Thomæ) cum ex illa per legitimam consequentiam inferatur: siquidem eadem est potentia excellentiæ, quæ & gratia capitis, & quæ exiguntur conditiones ad unam, sufficiant ad alteram. Deinde, ut ponderant Caietanus, Soto, & Nuño, vel D. Tho. non soluit tertium argumentum, quod petebatur an possit potentia derivandi gratiam ad alios per meritum condignum creaturis communicari? Vel dicendum est in eius solutione id admisisse fuisse possibile: licet non fuerit expediens: *Nam ad hoc inconueniens videtur, ne multa capita in Ecclesia essent, Christus noluit potentiam suam excellentiæ ministris communicare.* Constat autem hoc inconueniens non sequi per solum meritum congruum, cum de facto vnus alteri mereatur de congruo primam gratiam, quin sit eius caput.

Deinde Diuus Thomas 1. 2. quæstione 14. artic. 6. probat, quod merito condigni nullus potest mereri alteri primam gratiam, nisi solus Christus: quia vnusquisque nostrum mouetur à Deo per donum gratiæ, ut ipse ad vitam eternam perueniat: & ideo meritum condigni ultra hanc rationem non se extendit. Ergo si Deus ordinaret, & acceptaret meritum vnus pro altero, ut potuit facere, se extenderet ut alij mereretur de condigno gratiam.

20 Et quoad hoc par ratio est de satisfactione pro pena alteri debita: quia patitur aliena sanctitas potest esse præmium operum iusti æquale, & condignum: ergo solum posito quod Deus puro homini contulerit gratiam capitis, omnia eius merita de condigno proderunt alijs. Quod totum desumitur ex Diuo Thoma 3. p. quæst. 48. artic. 2. ad 1. dicente, quod caput, & membra sunt quasi vna persona mystica; & ideo satisfactio Christi ad omnes fideles pertinet; sicut ad sua membra. In quantum etiam duo homines sunt vnus in charitate, vnus pro alio satisfacere potest. Applicatio ergo id quod de facto euenit in satisfactione Christi de iustitia pro nostris culpis, ad id quod fieri potest de potentia absoluta, secundum quam Deus potest esse contentus satisfactione solum æquali proportionaliter; & geometricè, quin exigat æqualitatem omnimodam mathematicam: & id quod dicitur de merito Christi de condigno pro alijs applicando merito puri hominis constituto in eminentia sanctitatis per gratiam capitis, aliena sanctitas est præmium condignum, quia opera illa æqualia sunt cum illo prælo.

21 Solet præterea probari à paritate contraria: nam purus homo potuit constitui caput ad demerendum, & transfundendum peccatum originale in posteros; sicut de facto constitutus fuit Adam: ergo & potuit constitui ut caput ad merendum.

Quam communem rationem cõtemnit Ripalda disp. 96. num. 20. & disp. 16. num. 43. Et impugnat primo, quia si Adam alijs mereretur, quia esset eorum caput, tunc alij non obtinerent gratiam ex merito alieno, sed ex proprio; quia meritum Adæ esset moraliter posterorum meritum per transfusionem voluntatum aliorum in voluntatē Adami: quemadmodum nunc pueri non dantur propter alienum Adami peccatum, sed propter peccatum originale vnique proprium. Secundo, quia est discriminē inter meritum condignum, & condignum demeritum: quia meritum condignum exigit dignitatem, seu sanctitatem personæ, meritum vero penæ solam complectitur malitiam moralem actus voluntarij. At licet affectus vnus possit reputari affectus aliorum per transfusionem voluntatum in illo; ceterum sanctitas, & dignitas habitualis vnus non potest sanctificare, & dignificare personas aliorum; quia gratia debet esse inhærens physice. Vnde quamuis meritum vnus possit de congruo reputari meritum alterius, non tamen de condigno. Et denique, quia incredibile apparet vnus Adami meritum continere condignitatem ad gradus gratiæ, & gloriæ syncategorematice infinitos, qui hominibus syncategorematice infinitis possint diffundi.

22 Sed ratio hæc insinuatur ab Apostolo ad Rom. 5. dicente. *Sicut per vnus delictum in omnes homines in condemnationem, sic per vnus iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* Quo testimonio Sanctus Thomas 3. p. quæst. 19. artic. 4. probat, quod sicut demeritum Adæ deriuatur ad condemnationem aliorum; ita multo magis meritum Christi ad alios deriuatur. Et ad 1. ait; quod peccatum Adæ, qui constitutus est à Deo principium totius nature; ad alios per carnis propagationem deriuatur. Et similiter meritum Christi, qui est à Deo constitutus caput omnium hominum, quantum ad gratiam; se extendit ad omnia eius membra. Nec sequitur, quod quia meritum Christi est infinitum, & meritum capitis, ita meritum aliorum; quia ut ait Diuus Thomas ad 2. alij de plenitudine Christi accipiunt, non quidem fontem gratiæ; sed quandam particularem gratiam: & ideo non oportet, quod alij homines possint alijs mereri sicut Christus.

Præterea

Præterea de facto Adamus fuit caput ad transfundendum peccatum, & ad transfundendam iustitiam, si non peccaret: sicut docet S. Thomas 1. p. q. 100. artic. 1. & 1. 2. q. 8. 1. artic. 2. ibi. *Vnde sicut illa originalis iustitia traducta fuisse in posteros simul cum natura; ita etiam inordinatio opposita.*

23 Igitur sicut transfunditur in membra Ecclesiæ gratia data per Christum, quin eius infinitum meritum transfundatur: ita transfunderetur iustitia originalis, quin transfunderetur in posteros Adami meritum. Vnde homo purus, qui esset caput; posset transfundere gratiam sicut de facto in nos causat Christus, quod sufficit ad intentum. Quod bene probatur illa paritate. Quidquid sit vtrum meritum vnus possit reputari meritum alterius? Quia non video cur tam asseritue Ripalda tueretur partē negatiuam; quia supposito quod sit vna persona mystica voluntatum alligatione: vnus voluntas pro vtraque reputatur, sicut quoad culpam, sic quoad meritum: & hoc posset reputari alterius moraliter intrinsecum, cum physice esset extrinsecum: Vel causare in alio formam sanctificantem intrinsecè, ut de facto contingit. Illa autem infinitas secundum quid; supposita vnione voluntatum, non repugnat gratiæ capitis, quia quamuis esset finita simpliciter, posset habere ex parte effectus infinitatem secundum quid.

24 Præterea, purus homo cum gratia summa creata haberet formam constituentem eum in esse capitis eiusdem speciei, imò & eiusdem intentionis cum gratia Christi: nam cum ista sit qualitas creata, conueniens Christo, in quantum est homo, non est cur non posset puræ creaturæ communicari: sicut ergo Christus per suam charitatem meruit alijs de condigno: ita & homo purus posset, si aliorum constitueretur caput.

25 Sed obijcies: potentia excellentiæ Christi, non solum se extendit ut mereatur gratiam alteri ea carenti, sed ut mereatur iustificationem impij: iuxta doctrinam Concilij Tridentini sess. 6. cap. 7. Et pater: quia ratione illius Christus nos redemit, ut dicitur ad Galat. 3. & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo; ut dicitur Apoc. 1. Et ideo ad Rom. 5. ait. *Commendat Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Vnde sacramentum Baptismi directe est institutum cõtra peccatum originale: & sacramentum Pœnitentiæ directe contra peccatum actuale mortale. Sed purus homo non potest de condigno mereri

iustificationem impij. Ergo nec purus homo potest habere potentiam excellentiæ, quæ est in Christo. Minor probatur primo: nam purus homo nequit de condigno satisfacere pro peccato mortali propter infinitatem offensiæ: ergo neque mereri de condigno eius iustificationem. Secundo: meritum condignum debet simpliciter æquari cum præmio: sed meritum finitum nequit æquari cum iustificatione impij. Quia bonitas, & æstimatio remissionis peccati est tanta, quanta est malitia, & vilitas peccati: eo quod bonitas, & æstimatio priuationis mali, est æqualis quantitati mali, quo priuat: sicut etiam malitia priuationis boni debiti par est omnino quantitati boni. Et tanta est amabilitas priuationis mali, quanta est odibilitas mali.

Tertio, quia si purus homo posset mereri iustificationem omnium hominum, male arguerent Sancti fuisse necessariam incarnationem Dei, ad merendam liberationem à peccato originali. Et tamen S. Leo Papa ser. 12. de Passione dicit. *Quia ergo primi hominis vniuersa posteritas vno simul vulnere sauciata corruerat; nec vlla Sanctorum merita conditio nec poterant illatae mortis euincere; venit à celo medicus singularis.*

Quarto idem probatur: nam si ad inuocationem puri hominis sacramenta sanctificarentur, ut concessimus cum Diuo Thoma, purus homo posset dicere se alium sanctificare. Sed hoc non admittit D. Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis c. 14. dicens. *Quisquis ausus fuerit dicere, iustificare; consequens est ut dicat etiam: crede in me.* Quod nemo Sanctorum rectè dicere potest, nisi Sanctus Sanctorum. Et demum concludit. *Sicut non est credendum nisi in solum Deum, ita nullam creaturam iustificare posse, nisi solum Deum.*

26 Ad hoc argumentum Ripalda, qui lib. 4. de ente supernat. disp. 96. sec. 5. docet probabile esse posse iustum mereri de condigno remissionem peccati condignitate arithmetica, & rei ad rem: quia bonitas remissionis non est tanta, quanta est malitia peccati: siquidem peccatum constituit in summa miseria: & remissio peccati non constituit in summa felicitate, cum subiaceat periculo iterum peccandi: & quia prius status non est tam bonus quam malum est peccatum.

Respondet sect. 6. negando minorem. Ad primam probationem negat consequentiã: quia ad condignitatem meriti sufficit æqualitas inter operis dignitatem, & bonitatem

remissionis. Ad satisfactionem verò condignam pro peccato requiritur æqualitas inter operis satisficientis bonitatem, & malitiam peccati, quã directe respicit satisfactio. Vel clarius, satisfactio petit æqualitatem personæ satisficientis cum persona offensa: meritum solum æqualitatem operis cum mercede.

27 Ad secundam negat minorem: quia carentia visionis hypostatice in natura lapsa non est infinitæ malitiæ; quamvis existentia illius sit bonitatis infinitæ: ut latè prosequitur sec. 7. n. 68. & quia bonitas actus præcepti nõ est tanta subiecto quãta est malitia peccati. Et concludit n. 71. quod tanta est bonitas in privatione malii, quanta est malitia in ipso malo extensivè, non vero intensivè.

28 Ad 3. respondet sec. 6. nu. 57. vique 63. quod agunt Patres de satisfactione condigna pro peccato, & non de merito condigno remissione peccati; sed agunt de merito satisfactorio: & de satisfactione condigna, quam Deus poterat exigere ex iustitia.

Ad ultimam, quod S. Augustinus loquitur de iustificante autoritate propria condonante offensa. Velloquitur de causalitate morali meritoria, & satisfactoria.

29 Sed quia S. Thomas relatus n. 11. & 3. p. q. 1. art. 2. ad 2. in puro homine non agnoscit virtutem per æquiparationem ad æqualem: nec æqualitatem agnoscit arithmetica, sed solum geometricam. Ideò multis huiusmodi solutionibus nõ indigemus: quia sicut in simili respondet S. Thom. ad 2. quod obicitur illa procedit de potestate auctoritatis, quæ convenit Christo secundum, quod est Deus: Ita aliæ objectiones procedunt de potestate excellentiæ cum modo, quo est in Christo. Et sic negamus purum hominem posse satisfacere, aut posse mereri de condigno condignitate arithmetica, quæ æquivalcat peccato, & multo minus malo totius naturæ: quia ad saluandam in puro homine potestatem excellentiæ, sufficit æqualitas proportionalis: nec requiritur, quod ita plenè faciat, sicut Christus, ut ait D. Thom. relatus n. 17.

§. IV.

Purus homo potuit instituere sacramenta.

30 **D**ico tertio, potest purus homo ex commissione Dei, vel Christi, verè, & proprie instituere sacramenta. Ita S. Thom. art. 4. docens, quod potuit Christus ministris communicare potestatem, ut ad invocationem nominis: foris sanctificarentur sacramenta, & ut ipsi possent sacramenta instituere.

Rationibusque factis ex D. Thoma, probatur: nam id quod convenit Christo in quantum est homo, potest puræ creaturæ humanæ communicari, quia potentia obedientialis eadè est in omnibus hominibus. Sed Christo, in quantum est homo, convenit sacramenta instituere, ut ostensum est dub. 2. n. 12. Ergo purus homo potuit sacramenta instituere per gratiam capitis.

31 Præterea id probat Lugo n. 24. nam Ecclesia, & Patres loquendo de Christo ut homine, dicunt instituisse sacramenta. Siquidem in hymno festi Corporis Christi de illo, qui operabatur actiones humanas, dicitur: *Accipere, & bibere*: dicitur: *Suæ sacrificium illud instituit*: nempe sacrificium, & sacramentum Eucharistiæ. Pariter Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 1. & 2. docet Redemptorem nostrum discessurum ex hoc mundo instituisse sacramentum: discessurum autem erat ut homo, & loquebatur ut homo. Similiaque dicit de sacramento Pœnitentiæ sess. 14. cap. 1. Nec de hoc loquendi modo dubitari potest, quia apud omnes vñtatisissimus est.

32 Rursus formaliter idè est institutor sacramentorum, qui est hominum Redemptor, ut ex Scriptura Concilijs, & Patribus constat: præcipuè ex illo ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*. Sed ut docet S. Thomas 3. p. q. 48. ar. 5. esse immediate Redemptorem proprium est Christi, in quantum est homo. Ergo in quantum est homo est sacramentorum institutor.

33 Deinde, sacramentum instituere, nihil aliud est quam imponere re aliquam externam ad significandum, vel aliud infalibilibiter gratiam, vel eam causandam. Sed nulla est repugnantia, quod Deus committeret creaturæ, non solum ut pro suo libito designaret materiam, & formam, sed etiam ut pro nutu suo daret gratiam ex Dei commissione, & infallibili assistentia, & principali causalitate: ergo purus homo posset sacramenta instituere.

34 Siggillatim contra fundamentum Vazquez arguitur: nam Summi Potestates: & omnes fideles vocant Sanctos Patriarchas Dominicum, & Franciscum, & alios huiusmodi Religionum institutores. Et tamen id fecerunt Deo volente, & inspirante. Ergo ut absolute quis dicatur institutor, non obest quod prima voluntas, & inspiratio à Deo processerit. ¶ Specialiter, nam Divus Thomas 3. part. quæst. 48. artic. 5. docet, quod nostra redemptio pertinet ad totam Trinitatem, sicut ad causam primam, & remotam: cuius

ius erat ipsa vita Christi, sicut primi au. Floris, & quæ inspiratum fuit ipsi homini Christo; ut patet verè pro nobis. Ergo quamvis inspiratio prima, & primaria voluntas instituendi sacramenta debeat esse à Deo, nõ inferitur, quod homo ille, cui hoc fuerit inspiratum; & committitur, non sit eorum institutor.

35 Arguit etiam Lugo nu. 26. ad hominem contra Vazquez, qui cap. 1. probat esse de fide Cassium omnia sacramenta instituisse, qui licet Concilium non utatur illa voce immediate, verbum tamen instituendi simpliciter prolatum significat institutionem immediatam non mediatam. Nam licet Ecclesia acceperit potestatem instituendi ritus sacramentorum, & ceremonias, quarum institutio pendet ex primo Christi decreto conferente hanc potestatem, verè dicitur immediate institui ab Ecclesia. Ergo pariter Christus in quantum homo, & purus homo potuit dici immediate institutor per potestatem a Deo acceptam.

36 In impugnanda sigillatim sententiâ Bernal, non est cur immereremur: Tu quia in substantia est eadem: Tam, quia tria eius asserta nituntur in primo: & illius potissimum fundamentum est auctoritas Doctorum; & tamen ostendimus dub. 2. §. 2. omnes contra eum stare. Denique, quia facillimè intelligitur, quod solus Deus virtute principali, & autoritate propria, & primaria possit sacramenta instituere, & sine illa non valeant institui: & tamen quod autoritate excellentiæ, secundaria, & delegata purus homo faciat, ita ut totum sacramentum sit principaliter à Deo, & totum sit instrumentaliter à Christo ut ab instrumento coniuncto, & totum à ministro ut ab instrumento separato.

37 Sed adhuc obijcies primo: nõ qui operatur ex autoritate sibi ab alio commissa, nõ potest simpliciter dici institutor: nam illius opera formaliter videntur esse delegatis, & materialiter ipsius exequentis; sicut qui mittit seruum ut ipsius nomine aliquid operetur, potius dominus dicitur operari; quam seruus ab eo missus, qui immediate operatur, & exequitur opus: siquidem actio, præcipuè in moralibus, nõ tam tribuitur instrumentis, quam principali agenti. Sed humana natura in Christo fuit instrumentum Divinitatis, ut dicit S. Damascenus lib. 2. fidei cap. 15. Et ad instituenda sacramenta solum habuit commissionem, & concursum instrumentalem: ergo, proprie loquendo, solum instituit sacramenta, in quantum Deus, quia ut probat S. Thomas art. 2. solus Deus

est sacramentorum institutor: ergo non instituit in quantum homo: & ideo potestas ea instituendi, non potuit puro homini communitari.

38 Respondetur, quod ut docet D. Th. 3. p. q. 7. art. 1. ad 3. *humanitas Christi est instrumentum divinitatis, non quidem sicut instrumentum inanimatum, quod nullo modo agit, sed solum agit, sed tanquam instrumentum animatum anima rationali, quod ita agit, quod etiam agitur*. Et ideo ad convenientiam actionis oportuit eum habere gratiam habitualem. Idcirco, quavis principaliter, & autoritative, & primario solus Deus fuerit institutor sacramentorum: Tamen, quia minister excellentiæ est agens liber, & suo merito condigno sacramentis virtutem contulit; & moraliter est eorum causa principalis immediata, cuius virtute sanctificantur, & ad cuius nominis invocationem gratia confertur; ideo in quantum homo est eorum institutor; & posset hanc virtutem subdelegare: sicut posset Deus puro homini, independenter à Christo, gratiam capitis influxui conferre. Quod potest explicari ex differentia commissionis, quando quis filio suo, aut amico dat suam auctoritatem; non determinando, quod utantur illa quoad illum, vel illum actum; isto, vel illo modo; vel quando mittit famulum, vel seruum, ut exequatur quod dominus determinavit; & determinavit quid, & qualiter sit faciendum: ministri sacramentorum, qui de facto sunt in Ecclesia, de facto se habent hoc secundum modo: Christus vero primo modo: nam dicit Apostolus ad Heb. 3. *Moses quidem fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus, in testimonium eorum, quæ dicenda erant. Christus vero tanquam filius in domo sua*.

39 Idcirco (ut advertit Cabrera n. 16.) est error in fide asserere potestatem excellentiæ de facto alij commissam, nec committendam, quam Christo: alij enim sunt ministri, & dispensatores mysteriorum Dei; nõ vero eorum institutores. Vnde ait D. Thomas art. 2. ad 3. quod sicut non licet eis constituere aliam Ecclesiam; ita non licet eis tradere aliam fidem, neque instituere alia sacramenta. Nec potest Ecclesia essentialia sacramentorum mutare, ut docent Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 2. & explicuimus q. 60. dub. 13. & hic dub. 2. n. 32. Et Apostolus 1. ad Corinth. 2. inquit. *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Et S. Augustinus tract. 8. in Ioann. & D. Thomas hic artic. 4. ad 1. dicunt Christum potestatem excellentiæ ministris non commicasse propter fidelium utilitatem, ne in homine

ne spem ponerent, & ne essent diuersa sacramenta, & multa capita in Ecclesia, vt etiam dicit ad 3.

40 Vltimo obijcies: nã super illud Ioã. 14. *Maiores horum faciet:* dicit S. Augustinus tract. 72. in Ioannem. *Provisus maior hoc esse dixerim, scilicet, vt ex impio iustus fiat, quã creare cœlum, & terram.* Sed Christus non potuit communicare discipulis, quod crearent cœlum, & terram. Ergo neque quod iustificarent impium. Cum igitur iustificatio impij fiat per potestatem Christi, quam habet in sacramentis, videtur quod potestatem suã, quam in sacramentis habuit, non potuerit ministris communicare. Ac per consequens nec purã creaturã potuit committi, quod instrueret sacramenta.

Respondet S. Thomas art. 4. ad 2. quod obiectio illa procedit de potestate auctoritatis, quã conuenit Christo secundũ quod est Deus. ¶ Cæterum non videtur, quod ista solutio euacuetur difficultas argumenti: nam eadẽ proportio est causæ instrumentalis ad suum effectum, sicut principalis ad suum, sed potestas instrumentalis creandi nõ potest communicari creaturæ: ergo nec potestas instrumentalis iustificandi: quã secundum S. August. est excellentior, quam potestas iustificandi.

41 Cessaret huius argumenti difficultas, si vera esset opinio Magistri Sententiarum in 4. dist. 5. docentis: quod etiã potestas creandi instrumentally est communicabilis creaturæ. Cuius sententiã probabilitatẽ in gratiam Magistri sustinet ibi S. Thomas q. 1. art. 3. q. 3.

Sed quia ibi S. Thomas dicit, quod *communis opinio habet, quod creatio non potest alieni creaturæ communicari.* Et hanc communẽ opinionem assertiuẽ tuetur ipse S. Thomas 1. p. q. 45. art. 5. Vt omnia suis reseruaret, noluit hoc loco de his opinionibus differere.

42 Ideo ad completam argumenti solutionem, addunt Nuño, & Suarez in comment. art. 4. quod cæteris paribus, eadẽ proportio est causæ instrumentalis ad suum effectum, sicut causæ instrumentalis ad suum. In præsentem autem non sunt cætera paria: nã ideò maior est iustificare impium, quã creare, quia in iustificatione impij maior ostenditur misericordia: creatio vero excedit, quia arguit infinitatem in causa creante, siue principali, siue instrumentali: quã infinitas creaturæ repugnat.

43 Seu vt inquit Cabrera art. 4. nu. 17. licet iustificatio, & creatio æqualem potestatem

requirant in principali operantẽ: & ideò vtrumque repugnet creaturæ. At vero respectu effectus quid maior est creare instrumentaliter, quam iustificare instrumentally: quia creatio importat infinitatem, cũ sit ex nihilo, & sine concursu subiecti: ac proinde creaturã etiam instrumentaliter conuenire non potest. Hanc autem infinitatẽ non importat iustificatio: & ideò communicari potest instrumentaliter creaturæ.

44 Melius tamen solutionem petem⁹ à D. Thoma in loco, vbi quæstionem ex professo disputat: nempe 1. 2. q. 113. art. 9. vbi docet, quod licet *ex parte facti* sit quid maior iustificatio impij, quã creatio: quia hæc terminatur ad esse naturale, illa ad formam supernaturalem: Tamen *ex parte modi* excedit creatio, & est maximum opus Dei, quia ex nihilo fit aliquid: & ex hac parte implicat in terminis, quod detur instrumentum physicum creationis: cum tamen de factis sacramenta sint instrumenta physica ad infusionem gratiæ, & iustificationem impij.

DVBIVM IV.

Vtrum per malos ministros sacramenta conferri possint?

§. I.

Existens in peccato mortali validum potest conferre sacramentum.

1 **D**E ministris peccatoribus duos articulos proponit S. Thomas. In quinto disputat an validè ministrent? Nam istũ esse sensum quæsti, explicat ad 3. Et in sexto exponit an ministrent licitè; vel potius peccent in peccato ministrando. Quia tamẽ in primo puncto sola est controuersia cum hæreticis; imò cũ solis antiquis hæreticis: quia vt probat Vazquez disp. 137. cap. 1. in finem. 15. ex hæreticis nostri temporis nullus fuit in hoc errore præter Anabaptistas: ideò à priori difficultate breuiter nos expedimus remittendo ad illos, qui diligentius de ea disputant.

2 Antiquorum hereticorum multi arbitrati sunt peccatores inualide baptizare. De Donatistis refert S. Augustinus libro secundo contra epistolam Parmeniani c. 10. sensisse baptizatos à peccatoribus manifestis, esse rebaptizandos. Cresconius Grammaticus id extendit ad baptismum collatum à quocũque peccatore, vt impugnat S. Augustinus.

gustinus libro secundo contra ipsum capite 28. Idem de vniuersis sacramentis, docuerunt hæretici dicti Apostolici, vt sumitur ex D. Bernardo sermone 66. in Cantica. De Albarenibus, seu Albigenibus idem refert S. Antoninus 4. parte Theologica tit. 1. i. cap. 7. §. 5. Malum etiã sacerdotem, seu existentem in peccato mortali, non consecrare, dixerunt Vualdenses, dicti Pauperes de Luzduno, vt refert S. Antonin⁹ ibidem §. 2. Imò nec d. fuerunt sæculo præcedenti hæretici horum temporum, qui idem dicerent, vt referunt Hosius in confess. cap. 2. Lyndanus cap. 2. Ruardus art. 1. Nec defuerunt alij, qui assererent, eos qui actu erant boni, & erant in gratia Dei, sed ab ipso præuidebantur futuri mali in fine vitæ, quia erant reprobi, perpetuo suspensos esse: ex quo videbatur deduci inualide baptizare. Ita de Ioãne Vualese refert Thomas Vualdensis tomo 2. cap. 14.

3 Nihilominus catholica sententia his verbis diffinitur in Concilio Tridentino sessione 7. canone 12. de Sacramentis in genere. *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, seruauerit; non conficere, aut conferre sacramentum; Anathema sit.* Diffinierat idẽ Constantinense Concilium sess. 8. contra Vualese, & sess. 15. contra Ioannem Hus. Affert quẽ S. Thomas libro 4. Contragentes cap. 77. rationes quinque. Et decem proponit Soto in 4. dist. 1. q. 5. ar. 5. Alias adducunt Sayrus lib. 2. cap. 6. q. vnica art. 2. & 3. Et Bellarminus lib. 1. de Sacramentis cap. 26. Cabrera hic art. 5.

4 Rationem demonstratiuam vanũ est quærere: quia vt notat Suarez in commẽt. art. 5. Et disp. 13. sect. 4. ratione tertia, per se notum est, quod Deus potuit vnum e duob⁹ decernere, & quod essent valida sacramenta, quamuis minister esset peccator, vt de facto decreuisse credimus; & quod essent inualida, vt hæretici dicunt. Quod ergo primum voluerit, non habet aliam primã rationem à priori, nisi Dei voluntatem. Hæc autẽ ex sola Sacra Scriptura probari non potest, vt notat S. Augustinus libro vnico de Baptismo cap. 11. Tamen habet fundamentum in illa: & antiquissima Ecclesiæ traditione apud fideles est perspicua.

5 Affert S. Thomas ar. 5. verba S. Augustini tract. 5. in Ioannem, dicentis. *Quid tibi facit malus minister; vti bonus est dominus?* Ex quo ralem format rationem. Ministri Ecclesiæ instrumentally operantur in sacramentis.

mentis: & ideò gratiam non conferunt propria virtute, sed virtute Dei, & Christi, à quo mouentur, sicut quædam instrumenta. Et ideò accidit instrumento, in quantum est instrumentum, qualẽcumque formam, vel virtutem habeat, præter id quod exigitur ad rationem instrumenti: Sicut quod corpus medici (quod est instrumentum, animæ habentis artem) sit sanum, vel infirmum: & sicut quod fistula per quam transit aqua, sit argentea, vel plũbea. Vnde ministri Ecclesiæ possunt sacramenta conferre etiam si sint mali.

6 Sed obijcies: nam si desit aliquid eorum, quæ debent esse in sacramentis, nõ perficitur sacramentum: sicut si desit debita forma, vel debita materia. Sed debitus minister sacramenti est ille, qui caret macula peccati; secundum illud Leuitici 21. *Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, neque accedet ad ministerium eius.* Ergo videtur, quod si minister sit malus, nihil efficiatur in sacramento.

Respondetur cum D. Thoma ad 3. quod aliquid est debitum esse in sacramento dupliciter. Vno modo sicut existens de necessitate sacramenti: quod quidem si desit, non perficitur sacramentum: sicut si desit debita forma, vel debita materia. Alio modo est aliquid debitum esse in sacramento secundũ quandam decentiam. Et hoc modo debitum est vt ministri sacramentorum sint boni.

7 Quod autem hæc decentia sit quid accidentale, & non de necessitate sacramenti, multis exemplis Sancti Patres declarant: nam vt ait S. Gregorius Nazianzenus in oratione de Baptismo, non minus rectè imprimit imaginem regis, sigillum ferreum, quam aureum. Similiter, vt notat S. Augustinus lib. 3. contra Cresconium cap. 8. ad efficaciam sementis parum refert an lotis manibus, an sordidis seminetur: nam si semẽ sit bonum, & terra fertilis, & dominus dederit benignitatem, dando pluuias tẽpore oportuno, & Solis conuenientem influxum, terra dabit fructum suum. Rursum vt aduertit S. Augustinus libro tertio de Baptismo cap. 3. lumen Solis, vel etiam lampadum non inquinatur, etiam si per lutum transeat, & loca cœnosa. Exemplum etiam D. Thomæ est D. Augustini tract. 5. in Ioannem, vbi docet parum referre, quod aqua ad areolas irrigandas per canale lapideum, vel per argenteũ transeat.

8 Præterea obijciunt hæretici: nam sacramenta nouæ legis ordinantur ad emundationem culpæ, & ad collationem gratiæ.

tiæ. Sed mali non possunt alios mundare, cū sint immundi: iuxta illud Eccles. 34. vers. 3. *Ab immundo quid mundabitur?* Et etiam cum gratiam non habeant, non videtur quod gratiam conferre possint: quia nullus dat, quod non habet. Non ergo per malos sacramenta conferri possunt. Vnde Ecclesiastici 34. vers. 30. dicitur: *Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lavatio illius?* Baptismus ergo illius, qui est mortuus spiritualiter per peccatum, nihil prodest.

Respondetur cum D. Tho. art. 5. ad 1. quod ministri Ecclesiæ, neque à peccatis mūdant homines ad sacramenta accedentes, neque gratiam conferunt sua virtute: sed hoc facit Christus sua potestate per eos, sicut per quædam instrumenta. Et ideo effectus consequitur in fœcipientibus sacramenta, non secundum similitudinem ministrorum, sed secundum configurationem ad Christū. De quo inquit ad 2. quod operatur in sacramentis, & per bonos tamquam per membra viuentia, & per malos tamquam per instrumenta carentia vita. ¶ In illo autem testimonio Ecclesiastici committunt hæretici illa verba: *Et iterum tangit mortuum: ex quibus constat ibi non esse sermonem de ministro sacramenti, sed de illo qui vrebatur caremonijs Iudaicis ad tollendam irregularitatem, quæ inducebatur contactu mortui: & secundo tactu iterum repetebatur. Et moraliter intelligitur de illis, qui redeunt ad peccata iam deplo-rata. Vnde subditur: sic homo qui ieiunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? Videatur S. Gregor. lib. 9. epist. 39. & super Psal. 50. ad illa verba: *sacrificium Deo spiritus, &c.**

9. Ex quo sequitur, quod peccatores non solum possunt valida sacramenta conferre imprimētia characterem, sed etiam conferentiā gratiam. Quod etiam docet S. Augustinus lib. 2. contra Litteras Petilianī cap. 6. & tract. 5. in Ioannem, quia cum sint ministri Christi, cuius virtus ex opere operato causat in sacramentis, si recipientes obicem non ponant, gratiam recipiunt, iuxta doctrinam Concilij Tridentini sess. 6. can. 6. & 7. Ideo que paruulus à peccatore baptizatus, si moreretur, statim in Cœlū euolaret. Quod idē est, si minister esset hæreticus, ut dicit D. Th. art. 9. Imo etiam si esset Paganus, & Gētilis, vel Excommunicatus, vel Degradatus: de quo agit S. Tho. q. 67. ar. 5. nam quilibet homo, vel mulier valide baptizat.

10. Denique obijciunt hæretici; nam Christus non omnibus ministris dedit potestatem remittendi peccata, sed solis illis, qui

bus dedit Spiritum Sanctum. Quod constat nam instituens ministros cū autoritate absoluendi à peccatis, dixit Ioannis 20. *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Sed peccatores Spiritum Sanctum non habent; sicut nec Charitatem: de qua dicitur 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ergo nec possunt remittere peccata, nec conferre sacramenta per quæ remittantur.

Respondet S. Ioānes Chrysostomus homilia 83. in Ioannem, per Spiritum Sanctum, eo loco intelligi ipsam potestatem dimittendi peccata: quæ potestas potest esse sine gratia gratum faciente.

Sed contra est: nam Concilium Tridentinum sess. 23. can. 4. ex similibus verbis colligit in sacramento Ordinis conferri, non tantum characterem, sed & gratiā: ergo ibi non solum est sermo de potestate, sed etiam de gratia Spiritus Sancti. Secundo: nam Spiritus Sanctus non datur ad actionem, quæ est peccatum mortale: sed actio ministri peccatoris est mortale peccatum, ut dicitur ex D. Tho. art. 6. Ergo ad eam exercendam non datur Spiritus Sanctus.

11. Nec sufficit, si dicatur Deum concurrere ad entitatem actus: & istam eleuari ad causandam gratiam. Nam concursus iste generalis Dei non exigit missionem specialem Spiritus Sancti, qui non dicitur mitti nisi ad effectus speciales: concursus autem primæ, & vniuersalissimæ causæ est communis, & omnia transcendens: vnde ut verificetur Spiritum Sanctum ad hoc dari, alius debet admitti concursus. Præterquam quod actio ministri sacramenti validi debet esse supernaturalis, quia essentialiter componit, & est pars sacramenti supernaturalis, & causa effectus supernaturalis: actio vero peccaminosa est naturalis, quia fit delectate gratia: ergo à peccatore validum non confertur sacramentum.

12. Respondetur, quod S. August. super illa verba Ioannis 20. & S. Ambros. ser. 10. in Psal. 118. intelligunt Spiritum sanctum dari ibi per donum gratiæ gratum facientis: iuxta illud Apostoli: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Et tunc Spiritus sanctus, & gratia sanctificas datur, non quidē ut requisita simpliciter ut sit minister, sed ut decenter, & bene ministret; iuxta dicta ex D. Thoma ad tertium. ¶ Expositio vero illa S. Ioannis Chrysostomi etiam est probabilis, quia cum Spiritus Sanctus principaliter moueat sacramentorum ministros, & det eis potestatem, cum illa

ista sint opera Spiritus Sancti, iuxta Apostolum 1. ad Cor. 12. Ideo potestas, & character nomine Spiritus Sancti possunt intelligi. Quia tamen ista dona aliquando sunt simul cum gratia, & charitate, & aliquando sine illa; ideo quandoque datur Spiritus Sanctus vtroque modo ut eleuet membra viuentia; quæ doque vero solum datur incompletè, ut eleuet instrumenta carētia vita, ut dicit S. Th. ad 2.

13. Ad primam replicam dicitur Concilium Tridentinum solum definisse in sacramento Ordinis dari Spiritum Sanctum, quia non solum imprimitur character, sed conferitur gratia: quod verum est etiam cum minister Ordinis est in peccato mortali, quia si ordinandus non ponat obicem gratiæ, ei confertur, & augetur.

Solutio in argumento relata, vera est: nā operatio carens vita gratiæ habet entitatē à Deo eleuabilem ad illud, quod ipse principaliter facit: sicut enim aqua instrumentaliter eleuata pertingit ad animam; ita operatio ministri carentis vita gratiæ, quam Deus principaliter, & Christi instrumentally operatur. Quia tamen docet S. Thomas q. 62. art. 1. ad 2. quod ut instrumentum exerceat actionem propriam, non indiget eleuatione, ac proinde nec ad hoc minister sacramenti indiget speciali missione Spiritus Sancti: Bene tamen ut exerceat operationem instrumenti ut instrumentum est: quia sic cooperatur Deo authori gratiæ. Vnde ibi interuenit supernaturalis eleuatio: & ideo aduenit motio, vel qualitas supernaturalis, quamuis actio naturalis possit esse receptiuum transeuntis qualitatis supernaturalis; vel illius quasi organum delatiuum. Et sic cessant ambæ replicæ.

§. II.

Vtrum ministri consecrati peccent ministrando sacramenta cum sunt in peccato mortali?

14. Inter Catholicos autem, quamuis D. Thomas ar. 6. dicat, quod non est dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei, & Ecclesie in dispensatione sacramentorum, peccent: Et Vazquez disp. 136. cap. 1. nu. 1. asserat. *Constitas autem, & indubitata apud Scholasticos sententia est, quemlibet ministrum sacramenti consecratum, qui in statu peccati mortalis sacramentum conficit, peccare mortaliter.* Cæterū, quia ipse Vazquez illo capite primo contendit non bene probari autoritate S. Dionysij, &


Gelasij, & S. Gregorij. Et cap. 2. rationes aliorum impugnat. Et rursus autoritates adductas à Vazquez, inrentum non conuincere, probat Lugo disp. 8. sect. 9. num. 146. v. que 148. Et Bernal disp. 17. sect. 6. §. 2. nu. 109. v. q. 12. omnes probationes ab autoritate, excepto testimonio S. Augustini, dicit inefficaces. Deinde Granada tract. 5. disp. 5. n. 6. ait; quod minister peccet mortaliter in administrandis sacramentis cum conscientia peccati mortalis, non est adeo exploratum, attentā efficacitate rationis: quia reuera nulla est ratio id omnino conuincens: licet certa sit propter autoritatem. Hæc ibi.

15. Ideo aliqui Recentiores conati sunt adstruere, esse probabile ministrum contratum; qui in mortali conficit sacramentū; non peccare mortaliter. Ita Hieronym. Llamas 1. p. iuxta Methodi cap. 1. §. 5. folio 4. & parte 2. cap. 2. §. 12. folio 260: Ludouic⁹ de Sancto Ioanne q. 8. de Pœnitentiā art. 4. dubio 1. diff. 2. fol. 303: & 304. Vtriusq; verba refert Leander tract. 1. de Sacram. disp. 4. q. 8. probans Ludouicum ibi contradicere: falso pro se citare Syluetrum, & Victoriā, cum expresse oppositum doceant: deinde falso id imponere Theologos omnibus: cum oppositum omnes fere doceant. Huius sententiæ probabilitatem latissimè conatur adstruere Croufers in Regulam S. Francisci c. 7. lect. 21. folio 620: Cuius verba refert; & improbat Diana parte 6. tract. 6. miscellan. resol. 33. Sed probabilis videtur Marco Vidal in Arca Theol. Moral. de ministro sacramenti inquisitione vnica nu. 69. & 73. Quæ refert; & rejicit Diana parte 10. tract. 16. & sexto miscellaneō resol. 27. Demum Christophorus à S. Iosepho tomo 1. receptarium opinionum, de Baptismo dubio 12. num. 9. ait; quod sententia Llamas non est eadem; ac sententia Croufers, & Ludouici: quia Llamas nullum admittit peccatum, imò equiparat talem administrationem bono operi exercito in mortali. Alij vero admittunt esse veniale, & petunt displicentiam peccatorum: & sic non est opinio prohibita. Subdit nu. 10. quod etiā aliquando illa opinio si bi vita fuerit probabilis; nunc autem (inquit) re bene perpenja; improbabilem iudico. Ita habetur folio 38: Sed quam bene perpenderit, expendi potest ex ipso tomo 1. folio 304. dubio 18. de sacramentis nu. 2. vbi fatetur de letam à Dominis inquisitoribus opinionem Llamas, & ipse opinionem Croufers, quæ pronunciauarat improbabilem, probat, & tui oblitus se remittit ad locū vbi oppositū docet: cum enim folio 38. scripserit, quod

retulimus, folio 304. col. 2. dub. 18. n. 2. ait. *Temperanda est hæc opinio, ut sacerdos debeat habere aliquem dolorem suorum peccatorum; quæ si non habeat, non erit nisi veniale, sic administrare, nõ vero mortale, ut nouissime docet Crousers. Vide me ipsum loco citato. Hæc ille.*

16 Hanc sententiam esse *improbabilem*, docuit Petrus Ledelma de sacramentis tractatu 1. cap. 6. conc. 6. folio 15. & dub. 3. post octauam conclusionem. Imo Luisius Turrianus in Selectis centuria 4. dub. 54. & 76. ait. Mihi quidem doctrina hæc, non solum *improbabilis* videtur; sed etiam *temeraria*, contra communem sensum Doctorum, sine idoneo fundamento: & multis apparet *scandalosa*, & quæ parum fauet sanctitati ministrorum. Hanc censuram refert, & approbat Leander to. 1. tract. 1. disp. 4. q. 9. quia priorem sententiam, ut omnino *improbabilem*, ad minus, deleri mandarunt ex summa Hieronymi Llamas 1. p. cap. 1. § 5. Censores fidei in Indice librorum expurgandorum edito in Hispania pro tota illa anno Domini 1640. Et Diana parte 6. tract. 6. resol. 53. in fine ait de sententia Crousers, quod est contra communem, & idem reiicienda. Et parte 10. tractatu 16. & 6. miscellaneo dicit in vendam esse nota *improbabilitatis*. Refertque, & approbat censuram Turriani, & Leandri.

17 Euasio autem illa, quæ excogitatur ad authoritatem Dominorum Inquisitorum, nullius momenti est: Tum, quia sententias illas esse diuersas, dicitur, sed parum solide probatur: Tum, quia illa displicentia, si non est vera contritio, est de fide, quod non ponit subiectum in statu gratiæ: cum ergo peccatum mortale sit in subiecto in utroque casu, vel dicendum est absque fundamento opinionem Llamas deletam esse, vel asserendum eandem rationem reprobandi esse in utroque casu. Denique, autoritates Scripturæ, & Patrum, & communis consensus Doctorum, vel probant hoc peccatum esse ex genere mortale, quia materia non est leuis, & actio, vel non est mala, vel est ex suo genere sacrilega, vel nihil probant. Ergo sicut D. Thomas primo docuit esse indubitatum hoc esse peccatum; ita immediatè asseruit hoc ex genere suo esse mortale. Vtrumque ergo cum communi Doctorum necesse est sustinere.



§. III.

Ex Sacra Scriptura, ex iure Canonico, ex Patribus Ecclesiæ probatur.

18 **V**erissima hæc D. Thomæ, & Doctorum communis sententia, ab ipsis probatur primo ex Sacra Scriptura adducta à D. Thoma art. 6. Ex qua constat, quod ministri sacramentorum debent domino confirmari: secundum illud Leuitici 19. *Sancti eritis, quoniam ego Sanctus: Et Ecclesiasti. 10. Secundum iudicem populi, sic & ministri eius.* Ergo secundum decentiam exigitur, quod ministri sint sancti, & secundum necessitatē debitæ dispositionis ad euadendum immunditiæ contaminationis exigitur, quod sint immunes à peccato. ¶ Affert etiam D. Thomas in 4. dist. 5. q. 2. ar. 2. q. 4. ad 3. Illa verba Deuter. 16. *Iuste, quod iustum est, exequeris.* Quod magis ponderat in 4. dist. 24. q. 1. art. 3. q. 5. dicens, quod lex præcipit, ut homo iuste ea quæ sunt, iustæ sequatur: & idem quicumque homo, quod sibi cõpetit ex ordine, facit iadigne, quod iustum est, iniuste exequitur, & cõtra præceptum legis facit: ac per hoc mortaliter peccat. Dices hoc præceptum fuisse legis veteris: quod modo non obligat. Euasione tamen hanc præcludit ibi S. Thomas ad secundum dicens, quod ius naturæ est indispensable: hoc autem est de iure naturali ut homo sancta sanctè pertractet: vnde cõtra hoc nullus potest dispensare.

19 Affert etiam S. Augustinus libro 4. de Trinitate cap. 14. ut probet *sacrificium nõ posse rite (id est, licite) offerri, nisi per Sacerdotè Sæctum, & iustum*: illud Exodi 19. *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percussam eos.* Et Leuitici 21. *Incensum, & panes offerunt Deo: & idem sancti erunt Deo suo.* Et c. 22. *Omnis, qui accesserit ad ea, quæ consecrata sũt, in quo est immunditiæ, peribit coram Domino.* Et illud Eisaie 66. *Facinorosus, qui sacrificat mihi vitulum, quasi qui eanem occidit.* Quæ testimonia, si non explicarent legem naturalem, vel si à paritate legis veteris non sumeretur argumentum ad sacerdotes nouæ legis, extra rem à D. Augustino adducerentur. ¶ Deinde illam legem Leuit. 21. & 22. *Homo de semine Aaron, qui habuerit maculam, non offeret hostias Deo suo, nec accedet ad ministerium eius:* Etiam ad sacerdotes nouæ legis applicat S. Hier. epist. ad Fabiolam, & S. Gregorius in 2. parte Pastoralis cap. 2. & 3. & lib. 1. Registri cap. 24. Et S. Thomas in 4. dist. 24. q. 1. ar. 3. q. 1. *quia per maculam, ut dicit Glossa, omne vitium intelli-*

intelligitur. Nam de ministris noui testamēti inquit Apostolus 1. ad Cor. 4. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Et 2. ad Cor. 4. *Exibeamus nos metipsos sicut Dei ministros.* Et de hac maiori excellentia ministrorum noui testamēti mentionem facit Apostolus 2. ad Cor. 3. ver. 6. *ibi. Qui & uobis nos fecit ministros noui testamēti.* & ad Hebræos 12. & alibi sæpe.

20 Vnde recte arguit Durandus in 4. dist. 5. q. 2. nu. 5. & alij multi, quos refert, & sequitur Bonacina disp. 1. q. 3. puncto 2. §. 1. n. 2. dicens esse argumētum à minori ad maius: nam erat peccatum mortale accedere ad ministrandum in sacramentis veteris legis cum immunditia carnali: ergo multo magis erit mortale peccatum accedere ad sacramenta nouæ legis ut eorum ministerium cum macula peccati mortalis.

21 Sed hanc rationem paruipendit Vazquez in fine capituli secundi: nam in veteri testamento diuina lege prohibitum erat cū immunditiæ carnalis accedere ad sacramenta illa. Nunc autem de simili lege positua circa munditiæ spirituales, pro administratione sacramentorum nouæ legis, non constat: quin potius sola lege naturali diuina id veritum est, cuius legis rationem oporteret assignare.

22 In primis hæc doctrina Patribus nõ consonat, qui argumentantur ex munditiæ carnalis requisita in sacramentis carnalibus ad eam, quæ requiritur, munditiæ in sacramentis spirituales in conferentibus gratiam. Secundo, argumentum non procedit ex lege positua, sed ex lege naturali; quam extate constat à fortiori ex suaui rerum dispositione: nam ut arguit Soto in 4. dist. 1. q. 5. art. 6. §. *Hanc conclusionem*, in fine. Si Sacerdotes antiquæ legis, qui egerant illa sacramenta, ut ait Paulus, nullatenus sanctificantia, tantà cum sanctitate ad altare accedere iuuebatur, quanto grauiori sacrilegio sacerdotes Euangelici commaculati creduntur, dum sacramenta, quæ de latere Christi ad sanctificandum animas effluerunt, non prodigitate contrectant?

23 Secundo principaliter probatur ex Summis Pontificibus: nempe ex Nicolao 1. relato 15. q. 8. cap. ultimo dicente, quod *mali bona ministrando, se tantummodo laedunt.* Et est ad cõsultam Bulgarorum tit. 1. cap. 71. & habetur tomo 3. Conciliorum. Cap. etiã 14. & 15. ait. *Et idem malus bona ministrando, nõ alijs, sed sibi detrimenti cumulum ingerit.* Vbi ut complete respondeat casui singulari, de quo erat cõsultus, rationem reddit vniuer-

salem in qua nostra continetur conclusio. Quod autem textus nimis non probent, dicenda monstrabunt. Nec debuit Bernal nu. 110. à textu expungere illa verba, *sed sibi*, cū in omnibus editionibus habeantur, & pertineant ad integritatem responsionis.

Deinde Gelasius Papa relatus cap. *Sacro-sancta* 1. q. 1. Et apud Iuonem 2. par. Decreti cap. 20. & 6. parte cap. 110. *Quomodo ad diuini mysterij consecrationem, cœlestis spiritus inuocatus adueniet, si sacerdos, qui eum adesse, deprecatur, criminosis plenus actionibus comprobetur?* Vbi cum non doceat sacerdotem criminofum inualide consecrare (idem enim est hæreticum) vult asserere illicite ad consecrandum accedere, & eius missam, & orationes ex opere operantis non valere. Quem sensum verborum Pontificis declarat D. Thomas 3. p. q. 82. art. 5. ad 2. dicens, quod ante illa verba Gelasius Papa præmittit: *Sacro-sancta religio, quæ catholicam continet disciplinam, tantam sibi reuerentiã vendicat, ut ad eam quilibet (nisi pura conscientia) non audeat peruenire.* Ex quo manifestè apparet eius intentionem esse; quod peccator sacerdos non debet ad hoc sacramentum accedere. Vnde per hoc, quod subdit: *Quomodo cœlestis spiritus inuocatus adueniet?* Intelligi oportet, quod non aduenit ex merito sacerdotis, sed ex virtute Christi, cuius verba profert Sacerdos. Hæc D. Thomas.

24 Sed occurrit Vazquez cap. 1. nu. 9. dicens. Quo circa ego sentio, Pontificem hoc loco nõ agere de digna administratione sacramentorum; sed de digna sacramentis Eucharistiæ receptione; quod vocat diuini mysterij consecrationem; cumque sacerdos ante consecrationem, & post illam deprecatur, ut corpus, & sanguis Christi sit ei in salutem animæ, sine dubio inuocat Spiritum Sanctum ad sui sanctificationem: de hac igitur inuocatione inquit Gelasius: *nam quomodo, &c.* nõ autem de inuocatione Dei ad sanctificationem eorum, quibus sacramentum ministratur. Hactenus Vazquez.

25 Eius tamen expositio est nimis extorta, è diametro textui opposita: nam ministerium sacerdotis, ut sacerdos est, consistit in Eucharistiæ consecratione: sed loquitur Gelasius expresse de inuocatione Spiritus Sancti ad diuini mysterij consecrationem: & non nisi verba detorquendo ad sensus improprios, nomine consecrationis potest intelligi digna receptio; cum secularis, qui nequeunt consecrare, possent digne recipere. Ergo non loquitur de digna receptione, sed de digna consecratione. Quomodo autem in Missa inuocatur

etur Deus ad consecrationem? Explicat D. Tho. 3. p. q. 83. ar. 4. ad 7.

26 Probat etiam Soto illo art. 6. §. Hæc conclusio, ex D. Gregorio Papa lib. 1. epist. 24. non logè à principio, & refertur cap. Necessè 1. q. 1. dicente. Necessè est ut esse munda studeat manus, quæ diluere sordes curat; ne tacta quæque deterius inquinat, si sordida ipsa stercoreis lutum tenet. ¶ Respondet Vazquez cap. 1. n. 10. & 11. hoc loco nō loqui S. Gregoriū de munditia necessaria, in ministro sacramentorum ut ea conferre possit dignè: nec verbum illud est in tota epistola, quod id leuiter indicet. Sed loquitur de præpositis, qui aliorum curam habent, & verbo atque exemplo illorum curam habent.

27 Sed contra est primo: nam solum sacerdos à peccatis absoluens, vel baptizans, dicitur in proprietate diluere sordes peccatorum: sed loquitur S. Gregorius de ministro, qui diluit sordes: ergo loquitur de ministro sacramentorum. Secundo, parum interest quod paulo ante loquutus fuerit de præpositis, ut dicamus in relatis verbis non loqui de sacerdotibus ministrantibus: Tū, quia ipsimet prælati solent esse sacerdotes; & idè admonendi sunt ut prælati, & ut sacerdotes: Tum, quia bene poterat congruo doctrinæ ordine, qui paulo ante intraxit prælatos, inmediate intruere omnes; Sacerdotes. Tertio, quia præpositi, si ministri sacramentorum non essent, non tenerentur ad tantam munditiam internam; sed solum ad peccata scandali externa vitanda. Quarto: nam S. Gregorius ad suæ doctrinæ confirmationem, affert illud Esaiæ 52. ver. 11. *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere: exite de medio eius, mundamini, qui fertis vasa Domini.* Quæ verba non pertinent tantum ad ministros antiquæ legis, sed multo magis ad ministros nouæ, quibus ait Apostolus 2. ad Corinth. 6. ver. 17. *Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundam ne tetigeritis.* In ipsaq; ordinatione nouæ legis Ecclesia utitur illis verbis Esaiæ: *Mundamini, qui fertis vasa Domini:* illorum sensum de munditia interna requisita ad decenter ministrandum, declarans.

28 Præterea ex Summo Pontifice Gregorio 9. duo habemus in iure testimonia ad eandem veritatem stabilendam. Primum ex cap. ult. de temporibus ordinationum, vbi cū loqueretur de Sacerdotibus, & alijs clericis, adulteris, periuris, homicidis, vel reis falsi testimonij, docet non posse post penitentiam impediri, ne in suo ordine ministrent, nisi il-

la crimina notoria sint, vel in iudicio comprobata. Et subiungit: *Quod si nō penituerint, monendi sunt, & sub interminatione diuini iudicij obtestandi, ut in testimonium suæ damnationis susceptis etiā Ordinibus non ministrent.* Hæc autem obtestatio aperte supponit, quod si ministrarent, mortaliter peccarent. Idè Papa cap. ult. de cohabitatione Clericorū, & mulierum, similiter docet, clericos concubinos, quorum crimē notorium non est, nō esse in diuinis officijs vitandos: *Et si quilibet pro mortali peccato, quoad se ipsum constet esse suspectum.* Illis verbis nostram doceri doctrinam, non solum Soto, Suarez, & alij fatentur: sed etiam Vazquez cap. 1. nu. 14. & Granados controu. 3. de sacramentis tract. 5. disp. 5. n. 4. & Castrus Palaus 4. tract. 18. disp. unica punct. 5. n. 8. fine.

29 Cæterum Lugo disp. 8. sect. 9. nu. 147. non iudicat efficaciam. Primo, quia vterque ille textus loquitur non solum de sacerdotibus, sed de omnibus Clericis expressè: cum tamen ipse Vazquez c. 4. doceat Diaconum, & Subdiaconum in statu peccati ministrantes non peccare mortaliter. Secundo dicit ibi non explicari singulas actiones in mortali esse mortale nouum; sed solum quod sit aliquod peccatum, & quidem graue ex genere suo, quod ob timorem diuini iudicij vitandum sit. Tertio, quia videntur illas functiones in testimonium suæ damnationis facere; sicut reprehendens in alio vitia, quæ in te habet, id videtur facere in testimonium suæ condemnationis. Tandem dicit fortasse ibi solum impediri exercitium completi ordinis: quia iuxta antiquos canones, qui nunc etiam ex parte obseruantur, ministri saltem Altaris communicabant in Missa solemni de manu celebrantis, ut constat ex canone 9. Apostolorum, quem citat, & renouat Anaclerus Papa, in cap. *Episcopus, de Consecratione*, dist. 1.

30 Hæc vltima solutio nullam habet veritatem: Tum, quia lex Anacleri Papæ solum loquitur de ministris assistentibus Episcopo celebranti solemni. At vero Gregorius nonus vniuersaliter loquitur: & eius tempore non erat illa lex in viridi obseruantia; liquidem fuit Papa anno Domini 1227. paucis annis post Lateranense Concilium, in quo annualis communio sub præcepto mādatur ob raram fidelium communionem. Nec modo ministri Altaris in Missa solemni communicare tenentur.

31 Prima etiā instātia parū vrget. Primo, quia ut postea dicitur, multi satis probabiliter sequelā admittūt. Secundo, quia qui

qui eam negant, dicunt esse veniale; & excusant à mortali, vel ob materiæ paruitatē: vel quia illi non sunt actus principales sacramenti Ordinis. Loquendo ergo de consecratione, vel absolutione, qui sunt actus principales ordinis, eos exercere in peccato mortali, erit peccatum mortale. ¶ Secunda etiā nullā continet appārentiā, quia ob peccata venialia nō sic solent loqui Summi Pontifices. Præcipuè in responsis in corpore iuris inferitis.

Tertia etiā vim infert verbis textus: nā qui reprehendit, vel exhortatur aliū, suis verbis testimonium dat suæ damnationis. Qui autē in peccato mortali sacramenta ministrat, si ministrando nō peccaret, nō est in quo daret suæ damnationis testimonium. Sed pro tanto id verificatur, quia quātū est de se cōtaminat, & iniuriam irrogat sanctitati sacramenti, & discordat ab institutis sanctitate: ideoque Summus Pontifex ait, quod *sub interminatione diuini iudicij obtestandi sunt, &c.*

32 Quo circa Bernal disp. 17. sec. 6. n. 100. tandē afferit. Quo circa respondeo, neutro in loco, Pontificē, verbis, quæ aduersarij proferunt, loqui ut Pontificē, quia de illo nō fuerat cōsultus: quia solū de notorijs peccatoribus, quod arceri debeāt ab exercitio sacerdotū ordinū, sufficit ut respondeat quæsitis. Qui verò Pontifices suis responsionib; immittet, si propositis quæstionibus necessaria nō sunt, ea non dicunt ut Pontifices, ut dixerat disp. 14. n. 75.

33 Cæterum, quando id quod obiter afferunt Pontifices, nō cōcordat doctrinæ receptæ, vel ab alijs Pontificibus definitæ, necessarium est ad illā recurrere doctrinā: ut in 7. Synodo act. 5. approbatur à Cōcilio sententia, quod *Angelos pingere oporteat, quando circū scribi possunt, & ut homines apparuerunt.* Vbi Concilij approbatio quoad conclusionē, facit eam necessario tenendā: licet ratio nō cōcordet veritati, & cōmuni Theologorum: quia ut cū Caño, & Grauiā, & cōmuni oīe dimus c. 31. Theol. Mor. q. 3. n. 38. Rationes Pontificū nō habēt eandē certitudinē, ac cōclusio definita. Verūtamen, quādo Pontifices in hoc casu assumunt doctrinā S. Aug. & D. Tho. & Theologorum cōmunē (ipso cōtrario fatente) asserere, quod loquantur ut Doctores particulares, & nō ut Pontifices, est irreuerentia non ferenda, quia minimè necessaria.

34 Deinde quæstiones Pontifici propositæ erant indistinctæ de omnibus peccatoribus manifestis, & occultis: ideoque ut illis respō-

deret, coactus est distinctione uti: & si præmissa distinctione, quæ erat omnino necessaria, iuxta vnū mēbru solū responderet, esset imperfecta respōtio: ergo de illo puncto, salte implicite, fuerat contulsus. Ergo loquitur ut Summus Pontifex, cuius ambæ decisiones, ut necessario amplectendæ inferuntur in corpore iuris. Ideoq; S. Inquisitionis Tribunal, his, & adducendis per motū, illā sententiam ut improbabilem, temerariā, & periculolam, merito delendam præcepit. Accedit authoritas Innocentij Tertij cap. de homine, tit. de celebratione Missarū, ibi: *Licet is, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignū, peccet grauius, si se ingerat irreuerentiter ad illud.* Vnde Suar. dif. 16. sec. 3. §. Vltimo reddenda, ait. Nā quod in Ecclesia sit hoc præceptū, dubitari nō potest; ut constat ex decretis, & testimonijs adductis.

35 Aliud principale assertionis fundamentum est Patrū auctoritas. Primus, & præcipuus assertor fuit S. Dionysius. Sed quia illi verba, quæ affert Suar. disp. 16. cōc. 1. sec. 3. conatur diuertere Vazq. a. n. 4. vsq; ad 7. Sufficiet ostendere, quod verba a D. Th. adducta ar. 6. nullā admittūt euasione. In primis c. 1. Eccles. hier. declinando ad finē, fol. mihl 93. expressè ait, quod *prophans ne signa quidē fas est contingere, & tractare: loquitur de sacramētis, quæ sunt signa sacra. Et nullum est verbū exhortationis. Quia potius nō solum ea tractare, & ministrare, sed ea tangere dicit esse nefas, & illicitum profanis, & peccatoribus.* Quod & postea docuit Papa Nicolaus 1. ad consulta Bulgarorum cap. 7. Deinde S. Dionysius Epist. 8. quæ est ad Demophilum Monachum ait. *Ac mihi quidem videtur audax, & temerarius, si quis ea sibi sumat, quæ sunt propria sacerdotum; neque metu, & pudore adiutorū tractatione præter captū, ac meritū, deterretur, putatque Deū ignorare, quæ ipse sibi est cōscius, & sperat se decepturū eū, qui à se falso nomine appellatur pater, & audet quæ scelestas suas, ut ita dicā, maledictiones (neque enim preces dixerim) in diuinis mysterijs Christi imitatione profere. Ita habetur iuxta translationē Perlonij: nā iuxta antiquam translationē alijs verbis habetur apud D. Tho. Sed sensus est idem; nempe audacē, & temerariū esse, qui cum conscientia peccati mortalis exercet officium sacerdotis.*

Respondet Vazquez nu. 7. in fine, quod præter meritū, & captum tractare diuina, non est in peccato mortali administrare sacramenta: sed est sine gradu, & ordine vitare ea, quæ propria sunt sacerdotum, & ipsi solum tractare, & exercere licet.

36 Evidenter tamen præcludunt hoc ef fugium verba, quæ antecedunt, & quæ suble quuntur, præmiserat enim. *Nolim autem ex lo co accipias propinquitatem, sed ex capiti diuinarum illustrationum. Quod si sacerdotum ordo illustrandi vim habet, profecto penitus abhorret à sacerdotum ordine, atque facultate, is qui illustrandi non est præditus: ac multo etiam magis, qui illustratus non est.* Ac si diceret: necessarium erat, quod vita sacerdotum concordaret cum loco, & hierarchia, quam habent in Ecclesia: multi tamen loco, & ordine appropinquant Deo; sed tamen insunt obscurati, & obtenebrati per peccatum: ideoque immunde, & indecentia magna tractant diuina, & licite, & conuenienter nequeunt alios illuminare.

Deinde ex subsequentibus manifestum est, quod loquatur de veris sacerdotibus, sed peccatoribus: subiungit namque. *Non tamen fas est Demophilo hoc corrigere.* Et infra. *Non tamè à nobis Demophile, sed per eos nobis ex Deo, & ipsis ab Angelis præstantur oribus.* Quod est dicere. Monachi (qui tunc non erant sacerdotes) officium non est corrigere malos sacerdotes, qui sunt Dei nuncij: sed ab alijs sacerdotibus, seu Episcopis, corrigendi sunt: notum enim est in Sacra Scriptura Angelorum nomine sacerdotes intelligi: iuxta illud Malachiae 2. ver. 7. *Labis enim sacerdotis custodient scientiam, & legem requireret ex ore eius: quia Angelus Domini exercebitur est.* Manifeste ergo loquitur de habentibus characterem sacerdotalem. Quia tamen peccata diuidunt inter nos, & Deum, cui & homines inuisos reddunt; ideo malorum sacerdotum benedictiones appellat S. Dionysius maledictiones, in quibus sunt actiones personales; non quatenus nomine Ecclesiae orat, & consecrat.

37 Idè docet S. Hieronymus tomo 6. Sophonie 3. ad illa verba: *Sacerdotes polluerunt San. lit: & refertur 1. q. 1. cap. Sacerdotes.* Et eius sensum declarat D. Tho. 3. p. q. 2. ar. 3. ad 1. dicens quod Hieronymus per illa verba improbat errorem sacerdotum, qui credebant se digne posse Eucharistiam consecrare, ex hoc solo, quod sunt sacerdotes, etiam si sint peccatores. Quod improbat Hieronymus per hoc quod maculati ad altare accedere prohibentur. Non tamè remouetur, quin si accesserint, sit verum sacrificium, quod offerunt. Hæc Sæctus Thomas.

38 Itè S. August. lib. 2. contra Epistolam Parmeniani cap. 10. circa mediū ait. *Omnia sacramenta, quæ obijunt indignè tractantibus, præstita tamen per eos digne sumuntur.* Idè dicit cap. 28. in fine. Et in Psalm. 103. ad illa verba: *Qui regis*

aquis superiora eius: ait. Videat quæ ratione hinc re dicitur coram Deo, qui sanctis non sancte vritur. Et refertur. 1. q. 1. cap. Omnia. Et cap. Per Esaiam. cap. Prophetant. Et lib. 4. de Trinitate cap. 14. & alibi sæpè.

39 Denique. Si status gratiæ non exigetur de præcepto administranda sacramenta, sed solū ad ea recipienda, non exigetur in sacerdotibus sanctior vita, quàm in secularibus: sed consequens est manifeste absurdum, siquidem Sancti Patres miris laudibus extollunt dignitatem sacerdotalem, & simul docent dignitatem debere correspondere sanctitati vitæ propter sanctitatem ministerij, quod exercet. S. Dionysius de celesti hierarchia cap. 1. *Qui sacerdotem dicit, augustiorè, profusiusque diuinum insinuat virtutem.* S. Ignatius Epist. 10. ad Smirnenes. *Sacerdotium est apex bonorum omnium, quæ sunt in hominibus.* Similiter S. Greg. Nazianzenus Orat. 12. ad ciues timore percussos, ait. *Num tibi honoris expers videtur hoc sacerdotium, quod ipsi quoque Angeli purissimi Dei cultores venerantur, tamquam ipsorum cultui minime impari?* S. Ambrosius libro de dignitate sacerdot. cap. 2. *Nihil est in hoc seculo excellentius sacerdotibus, si quod sumus professione, actione potius, quàm nomine demonstramus, ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini: ne sit nomen inane, & crimè inmane, ne sit honor sublimis, & vita deformis, ne sit despecta professio, & illicita actio.* S. Chrillos. lib. 3. de Sacerdotio, Inter alia ait. *Deus ipse ordinem huiusmodi disposuit: idcirco necesse est sacerdotem sic esse purum, ut si in caelis ipsis collocatus inter caelestes illas virtutes medius staret: terribilia namque, atque horrida fca sunt, quæ administrat.* Videatur hom. 3. & hom. 60. ad populū Antiochenū, & hom. 5. in cap. 6. Etia. S. Augustinus, vel qui est Author ser. 37. ad Fratres in Eremito. Beatus Laurentius Iustinianus sermone de corpore Christi, de sacerdotibus ait. *Verum Angelorum, siue adstantium, siue ministrantium, quoniam vice funguntur, potius Angelici, quàm humani debent conversationem habere.* Videantur multa, quæ doctre, & pie cõgerit Dominus Antonius de Molina Carrusianus de instructione sacerdotum trac. 1. cap. 5. & 6. & toto tractatu secundo per viginti capita. Et S. Hieronymus super Epist. ad Titum cap. 2. in fine, cuius verba affert S. Thom. in 4. dist. 24. q. 1. art. 3. q. 1. ait, quod *vehementer Ecclesiam Dei destruit, meliores esse laicos, quam clericos.*

Molestus fui in autoritatibus adducendis, quia video recetiores ad pauca respicietes, in sententiam Scripturæ, Pontificibus, & Patribus tam oppositam, & à Sancta Inquisitione damnatam, valde propensos: quia habet hoc conditio humanæ naturæ, ut aliud

nolit

nolit audire, quàm animo decreuerit exercere.

§. IV.

Rationibus stabilis sanctitatem ministri exigere ad ministrandum debet.

40 Ratione arguit S. Tho. art. 6. nam aliquis in agendo peccat ex hoc, quod operatur non secundum quod oportet, ut patet per Philosophum lib. 2. & 3. Ethicorum. Sed dictum est conueniens esse ut sacramentorum ministri sint iusti: quia ministri debent Domino conformari: secundum illud Leuitici 19. *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.* Et ideo non est dubium quin mali exhibentes se ministris Dei, & Ecclesiae in dispensatione sacramentorum peccent. Quod autem hoc peccatum sit ex genere suo mortale, probat D. Thom. quia hoc peccatum pertinet ad irreuerentiã Dei, & cõtaminationem sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris (licet sacramenta secundum se incontaminabilia sunt) consequens est quod tale peccatum ex genere suo sit mortale.

41 Sed obijcies: quia non seruare illa quæ expectant tantum ad decentiam, & non ad necessitatem, non est peccatum mortale, ut sumitur ex c. Magna, de voto, & Gloss. ibi, & Panormit. in Clementina 1. verbo Canonice de celebratione Missarum. Quia defectus conditionis accidentalis requiritur ad bene esse, solum tollit maiorem perfectionem, vel ponit culpam venialem, non vero inducit culpam mortalem. Sed bonitas ministri solum exigitur ex decentia ad bene esse sacramenti, ut dictum est ex D. Tho. art. 5. ad 3. Ergo peccatum mortale in ministro non inducit culpam nouam mortalem in exercitio sacramenti.

Respondet bene Caietanus §. Ad hoc dicitur, quod actio sacramentalis potest sumi dupliciter: vel secundum rationem operis operati: vel secundum rationem operis operantis. Primo modo non exigit bonitatem, vel malitiam ministri nisi secundum quandam decentiam: & propterea siue bonus, siue malus sit minister, sacramentum verum, & efficax est. At vero secundum rationem operis operantis exigit necessario bonitatem in ministro, quia debet cõformari sanctitati illius, cuius est minister: & ideo debitum secundum decentiam ad opus operatum, est debitum secundum necessitatem ad opus operantis ministri.

42 Secundo probat D. Tho. sol. ad 1. diceas. Sacramenta in se ipsis sanctificationem quandam habent per mysticam consecrationem: & ideo præxigitur in ministro sancti-

tas iustitiæ, ut congruat suo ministerio: & ideo incongrue agit, & peccat, si in peccato existens ad tale ministerium accedit. Cuius rationis, sensus est: nam actio sacramentalis ut sit recta, prout egreditur à ministro, debet esse cõformis, & Deo, cuius est minister, & sacramentis, quæ ministrat: nam ut explicat Caietanus §. Et cum adhuc: sacramenta secundum se in contaminabilia, contaminantur à ministro quando actio sacramentalis de se sancta tractatur ut non sancta, seu ut profana. Quam rationem tangit Apostolus. 1. ad Corint. 11. *Qui manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit, non diudicans corpus Domini.* Quis dicat: ideo recipit indigne, & mortaliter peccat, quia non discernit corpus Domini ab alijs cibis, sed sumit ipsum ut cibum profanum. Idem accidit in malo ministro: nam ministrans indigne sacramentum, dum non discernit, ut à se agredatur, à profanis actionibus, cõtaminat ex parte ministrantis. Et præsumptio ministri mali non est qualicumque, sed sacrilega præsumptio; sicut præsumptio audentis indigne recipere sacramenta, sacrilega est.

43 Explicatur hoc: quia Deus est sanctus, & mundus, vult sanctos esse ministros, sancta esse sacramenta, sanctam esse conscientiam recipientis: celebrari sacramentum vestibus sanctis, in domo sacra, & in vasis sacris: ita ut si veste profana, & vase profano, & loco non sacro celebraret, quàmuis solum de essent requisita ad decentiam, & non ad valorem sacramenti, committeretur peccatum mortale, quia sanctum tractaretur profane, & quia debitum secundum decentiam ad opus operatum, est debitum secundum necessitatem ad opus operantis. Sed hæc eadem sanctitas exigitur in ministro ut sancta sanctè pertractet, & iuste, quod iustum est, exequatur; & sit decens cooperator Dei: nam ut dicit S. Dionysius de celesti hierarc. cap. 3. *Omnia diuinorum diuinitatum est Dei cooperatorem fieri.* Ergo sanctitas ministri sub mortali peccati obligatione exigitur ad decentiam sacramenti. Quod à simili explicari potest ex his quæ docet Beatus Thomas à Villa noua conc. 3. de sacramento altaris. *Omnia munda vult author puritatis: mundam, & purissimam matrem elegit, virginem discipulum peccatoris dilexit: munda, & noua syndone inuoluti voluit, munda intumulo, in quo nondum quisque positus fuerat, tumulatus est: ab his qui sunt mundo corde videbitur, & ab his qui sunt mundo corpore possidentur.* Ergo à mundis, & sanctis sacerdotibus vult consecrari, & non ab imundis, & peccatoribus.

44 Quod confirmat Sorò in 4. dist. 1. q. 5. artic. 6. §. Et quidem: nam id quod sanctum est, indigne tractare, ratio ipsa naturalis statim admonet esse peccatum. Peccatori namque, ut est in Psalmo 49. dixit Deus: *Quare in enarras iniquitates meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Si enim lingua res sanctas tangere, delictum est; manu, & officio contrahere, grauius erit. Itē §. In contrarium, ex illo Ioannis 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remisistis peccata, &c.* Christus enim suis ministris gratiam impertitur, ut patet in collatione sacramenti Ordinis (quod definitur in Concilio Tridēntino sess. 23. can. 4.) ut sua menēra digne administrarent: sicut eandem conferunt in Baptismo, ut baptizati eadē sacramenta digne suscipiant. Itaque collatio illa gratiæ obligationem insinuat tum digne ministrandi, tum digne suscipiendi sacramenta: qua propter indigne id exequi peccatum est.

§. V.

Tribus difficultatibus respondetur.

45 **T**ria tamen circa hoc solent hic inquiri. Primo, qualiter se debeat disponere minister, qui est in mortali peccato, ut nō peccet ministrando sacramenta?

Sunt qui existiment necessarium esse præmittere confessionem. Sic Adrianus in 4. q. 3. de confessione §. *Pro huius*. Et Martinus in 4. q. 1. 2. art. 1. p. 3. casu 6. Citaturque Paludanus: sed male, ut probat Vazquez cap. 1. n. 2. ¶ Per aliud extremum alij, ut refert Nuño difficul. 3. (& tenent moderni relati nu. 15. & relecti n. 17.) arbitrāntur administranda omnia sacramenta, præter Eucharistiæ consecrationem, sufficere attritionem. Quod probant primo, quia contritio difficile habetur. Secundo, nam attritio sufficit ad recipiēda aliqua sacramenta: & non videtur exigi perfectior dispositio ad ministranda sacramenta, quam exigatur ad ea recipienda.

46 **A**liēdū tamē est, cū cōmuni Theologorum, quod non tenetur minister determinate ad præmitendam confessionē: quia nullo præcepto posituo diuino, vel humano ad hoc adstringitur. Et ut seruet præceptum diuinum cōnaturale sacramento de nō administrando illo indigne cum conscientia peccati mortalis, non tenetur ad confessionem in re, quia contritio, quæ habet confessionē in voto, sufficit ut adultus iustificetur.

47 **N**ec tamē sufficienter disponitur minister, qui est in mortali, qualicumque disciplina, etiam si habeat supernaturalem attritionem cognitam ut talem: quia ista sine sacramento Pœnitentiæ in re suscepto, non

iustificat, nec dat gratiam. Cum ergo ad digne ministrandum, teneatur minister probabiliter iudicare se esse in gratia: si cognoscit se solam habere attritionem, cognoscit se esse immūdum, & indignum ut ministret: & ministrando nouum peccatū mortale cōmittit.

48 Sufficit tamen quod probabiliter existimet se habere contritionem, quamuis in veritate contritus non sit: quia cum nullus possit esse certus se habere gratiam, aut vltimam dispositionem ad illam, quam semper ipsa committatur, si attritio reputata contritio non sufficeret, numquam posset homo, qui peccauit mortaliter, tuta cōscientia ministrare non præmissa confessione: quod tamen non esse necessarium, ostendimus.

49 Ad priorem rationem cōmuniter respondetur, quod contritio temper est moraliter possibilis cū diuino gratiæ auxilio: quod Deus paratus est dare conantibus, & perentibus ex alijs gratiæ auxilijs, quæ Deus offert. *Quia in instanti homo à diuina gratia emēdatur, ut ad intentum ait D. Tho. in 4. dist. 24. q. 1. art. 3. q. 5. ad 3.*

Addit tamē Nuño solutione ad 2. quod quando homo sentit specialem difficultatē ad habendam contritionem, currit præceptum cōfessionis: vnde si minister de facili habeat copiam cōfessoris, & non cōfiteatur, temper est periculum, quod non est sufficienter dispositus. Vnde si non cōteritur, ex suppositione non contritionis, & voluntate ministrandi, per accidens ad confessionem tenetur. Ut autem admonet D. Tho. hic ad 3. *Ille qui est in peccato mortali, non est perplexus simpliciter, si ex officio ei incumbat sacramenta dispensare: quia potest pœnitere de peccato, & licite ministrare. Non est autem in contritionem, quod sit perplexus supposito quodam, scilicet, quod velit remanere in peccato.*

50 Ad aliam rationē respondetur, quod quia Baptismus, & Pœnitentiā, per se loquēdo, non supponunt in subiecto primam gratiam, sed eam conferunt; ideo dispositio ad idonee illa sacramenta recipienda, est attritio supernaturalis. At verò non est idoneus minister ad sanctificandos alios, qui in se tantus non est. Vnde S. Dionys. 3. cap. Eccles. Hierat. circa finem, cuius verba refert Sanctus Thomas in 4. dist. 24. q. 1. art. 3. q. 1. ait: *Ut subtiliores, & clariore essentia replet & influat solariū splendorem lumen in eis supereminens, ad similitudinem solis in alia corpora invehunt: Sic in omni diuino non est audendum alijs hoc esse, nisi secundum omnem habitum suum factus Dei similes, & Deo simillimus. Quod adducit ut probet, quod sanctitas vitæ requiritur*

tur ad ordinem suscipiendum, & q. 5. ad ministrandum, & exercendum aliquod sacrum officium.

51 **S**ecundo inquiritur, vtrum duo peccata committat, qui ministrat sacramentum in peccato mortali? De illo, qui in mortali celebrat, quod duo peccata committat cōsecrando, & cōmunicando, nulli, qui cōmune tuerentur sententiam, potest esse dubium: & tanto grauiora, quanto excellentius est sacramentum. Admonet tamen Sorò ar. 6. §. *Ex his*, quod qui confitetur se celebrasse in mortali, ambo peccata vno verbo confitetur. In reliquis vero sacramentorum administrationibus ommissio contritionis non est peccatū distinctum ab ipso sacrilegio indigne administrationis: quia non tenetur minister cōteri nisi per accidens ratione administrationis. Quæ est cōmunis doctrina: de qua Nuño diffic. 1. ad 6. Suarez disp. 16. sec. 3. §. *Quæ etiam* potest: & alij frequentes.

52 **T**ertio inquiritur, vtrum semper cuiuslibet noui sacramenti administratio in mortali, sit nouum peccatum mortale?

Negat Emanuel Rodríguez in Summa tom. 2. cap. 44. nu. 23. & Diana 1. p. tract. 7. resol. 43. asserētes, quod qui in peccato mortali excipit confessiones multorum successiue sine notabili interruptione, vnicum peccatum in genere moris cōmittit; quæuis materialiter, & quasi physice sint multe: & ideo sufficienter confitetur dicendo: administravi sacramentū Pœnitentiæ in peccato mortali.

53 **S**ed hoc omnino reputo falsum: quia peccatum est actus moralis malus contra legem Dei: sed in isto euentu sunt formaliter in genere moris plures actus morales mali contra legem Dei: siquidem sunt plures numero actiones sacrilige inter se distincte, nō solum iuxta numerum personarum, quarū excipit confessiones, sed iuxta numerū absolutiōnū, quia vnū sacramentū nō cōtinuatur cū alio: ergo sunt plura numero peccata. Secūdo, qui illo eodē tēpore de rebus sacris, & in loco sacro à tribus, vel quatuor vicibus furaretur, quatuor furta, & sacrilegia cōmitteret: ergo pariter in sacrilegis administrationibus sacramentorum. ¶ Tertio, si per totum diem cum pluribus fornicaretur, vel cum eadem pluries, nō satisfaceret dicēdo: peccauit grauius cōtra sextum decalogi præceptum: quia inter alia tenetur, si recordatur, numerum peccatorū exprimere: ergo si recordatur, tenetur exprimere quot vicibus sacramentum administravit in peccato mortali.

54 **V**erum est tamen, quod in his casibus,

si numerum aliter explicare nō valet, satisfaciet explicando tēpore, quo fuit paratus excipere confessiones existens in peccato mortali: sed hoc non est, quia non multiplicentur peccata numero distincta: sed quia ea explicat, eo modo quo sunt in memoria, & cōscientia: de quo videatur quæ diximus cap. 2. Theologiæ Moralis q. 5. §. 3. n. 17.

§. VI.

Vtrum sit eadem ratio de ministris non consecratis?

55 **P**er se loquendo nullum esse discrimen inter ministrum consecratum, & non consecratum, sacerdotem, aut laicum, quoad obligationem existendi in gratia, cum ministrant sacramentū, videntur tenere, qui docent contrahentes matrimonium in peccato mortali, peccare dupliciter, & quia indigne ministrant sacramentum, & quia indigne illud recipiunt. Ita Nauarrus de Pœnit. dist. 5. cap. 1. §. *Sacerdos*. n. 10. Petrus Ledema de Matrim. q. 4. 2. art. 3. ad vltimum. Basilij Pontij lib. 1. de Matrim. c. 8. n. 11.

Sed magis expresse, & vniuersaliter tenēt Vazq. disp. 136. c. 3. n. 27. plures Antiquorū referens: quamuis fere nullus illorum ita absolūtē eam doceat, ut etiam notat Suar. vbi infra. Sequitur tamen Pontij vbi supra. Lugo disp. 3. sec. 9. n. 150. Casus Palaus to. 4. trac. 18. disp. vnica punct. 5. n. 10. & 11. Bernaldisp. 17. sec. 6. §. 1. & 2.

56 **E**am tamen sententiam limitant doctores, quod urgente necessitate, si periculum sit adeo imminens, ut ipaciū tēporis non concedat ad habendam contritionem, excusabitur minister in mortali ministrans. Quod de ministro Baptismi, docuerant Hæricus Quodlibeto 6. q. 30. lit. d. Durandus in 4. dist. 5. q. 2. n. 6. in fine: & alij quamuis non ita clare loquantur.

Extendunt etiam eandem doctrinā ad ministrum sacramenti Pœnitentiæ, Lugo. n. 151. & Bernald. n. 118. excusantes à peccato mortali Confessarium, qui præ tēporis angustia nō potest se præparare per actum contritionis ut absoluat sacramentaliter: quia absolutio aliquando est necessaria simpliciter ad salutem moribundi. Qui casus necessitatis frequentius potest euenire in absolutiōne Pœnitentiæ, quam in collatione Baptismi. Excusari autē sacerdotem peccatōrē à nouo peccato mortali, explicant Coninch dub. 1 in. 22. & Laymā lib. 5. trac. 1. c. 5. n. 8. & Casus Palaus to. 4. trac. 18. disp. vnica punct. 5. n. 9. quia cessat irreuerētia sacramenti ob celeberrimam illius administrationē, & proximi

ximi necessitatem: sicuti cessat, cū indigno sacramentum ministras, ne eum infames.

57 Dicendum tamen est, ministrum necessitatis, seu qui ad hoc non est ex officio consecratus, non teneri esse in gratia, cum ministrat sacramentum. Ita S. Th. hic ar. 6. ad 3. dicens. *In articulo tamen necessitatis, non peccaret baptizando, in casu in quo etiam posset laicus baptizare: sic enim patet, quod non exhiberet se ministrum Ecclesie, sed subueniret necessitatem patienti.* Et in 4. dist. 24. q. 1. artic. 3. q. 5. ad 4. idem dicit. Sequuntur omnes Thomistæ. Et Syluester verbo *Baptismus* 3. q. 4. dicit *Theologorum communem*. Specialiter videndi Caietanus ar. 6. ad 3. & Soto in 4. dist. 1. q. 5. ar. 6. & Cabrera q. 64. ar. 6. disp. 1. §. 4. n. 17. asserit *communiter recepta Theologis, paucis exceptis*. Scotus in 4. dist. 5. q. 2. ad 2. Suárez disp. 16. sect. 4. Granada tract. 5. disp. 5. n. 6. Alijque Authores, quos vsque ad viginti refert, & sequitur Leander tract. 1. disp. 4. q. 5. Auerfa sect. 4. & *Doctores communiter*, vt ait Trullench lib. 1. cap. 3. dub. 3. num. 4.

58 Sed contra rationem D. Thomæ instat Durandus nu. 6. nam quicumque baptizat, siue verus, siue paganus, baptizat vt minister principalis agētis, qui est Christus. Vnde S. Augustinus tractatu 5. in Ioannē: *Quid tibi facit malus minister, vbi bonus est Dominus?* Siquidē essentialiter requiruntur ad sacramentū due cause intrinsece, seu materia, & forma, & vna causa extrinseca, sed essentialiter requisita, nempe personā ministri: ideoquē Concilium Florentinum definit sacramenta *tribus perfici, materia, & forma, & ministro*: vnde sicut deficiente forma, non est sacramentum validum, si non esset persona ministri, non posset perfici sacramentum: ergo falso asserit D. Thomas, quod baptizans in necessitate, non exhibet se ministrum Ecclesie.

Respondet Caietanus circa ad 3. ministrū, de quo ostensum est, debere esse in gratia ad decenter ministrandum, esse solum ministrū ex officio, quia iste est simpliciter minister: alij vero solum sunt ministri solum secundū quid, quia gerunt personam ministerialiter subuenientis necessitatem patienti. Vel vt ait Suarez supra, obligatio hæc solum residet in ministro per se, non vero in illo, qui ex accidenti ministrat.

59 Replicat tamen Vazquez an. 3. i. v. que 3. 5. Primo quia semper ille, qui validum confert sacramentum, est minister ex institutione Dei, etique instructus autoritate. Quod autem hoc ministerium ei per accidens, aut per se contingat, parum interest: quia in vtroque euentu cum primario agente, &

cum sacramento debet concordare. Quæ est ratio, qua S. Th. in corpore articuli probat esse peccatū mortale peccatorem ministrare.

Secundo, sacerdos sine solemnitate in necessitate baptizans, non solum habet à Deo auctoritatem, sed id facit, non in defectum alterius, & loco illius; sed ratione potestatis, sibi primarie concessæ, non secundarie: ergo id facit ex officio, & per se. Tertio, solemnitas solum est caremonia accidentalis: ergo respectu substantiæ sacramenti, quibus à Deo est concessum validum conferre, conferunt ex officio in absentia alterius.

60 Respondetur quod sicut docet Sanctus Thomas q. 72. art. 5. ad 2. quod *confirmatus accipit potestatem publice fidem Christi verbis profiteri, quasi ex officio*. Ita ordinatus accipit potestatem consecrandi, absolvendi, & baptizandi ex officio, & per se ad hoc consecratus, & deputatus. Ad primam replicam respondetur, quod Deus instituit quosdam ministros ex officio, quibus ad hoc dat gratiam, & characterem: & ideo illis competit obligatio ritè, & sanctè ministrandi, & non abutendi gratia, & consecratione ad hoc ordinata: & ideo simpliciter, & per se gerunt Dei vicem. Instituit etiam alios ministros per accidens subuenientes necessitati. Quia ergo illi solum secundum quid sunt ministri, vt quid imperfectum in hoc genere, vt in tertio dubio ait Caietanus, ideo non peccant in necessitate ministrando: alioquin minus perfecte esset prouisum, si sacramentum summe necessitatis quilibet licite non posset ministrare.

61 Ad secundum dicitur, quod character sacerdotalis in illo euentu se habet per accidens, non præcise quia deest solemnitas: sed quia adest necessitas non expectandi ministrum ex officio. Vnde si necessitas non esset, sacerdos existens in peccato mortali, non excusaretur à nouo peccato mortali baptizans, etiam sine solemnitate: ac proinde defectus caremonie est signum, quod laicus posset: si enim necessitas non vrgeret, etiam si sine solemnitate baptizaret sacerdos peccator, peccaret non solum in omissione solennitatis: sed quia indebite ministraret existens in mortali. Per quæ patet ad tertium.

62 Secunda ratio sumitur ex D. Thomā ad 1. verbis relatis num. 42. quia cum sacramenta sint sancta, & minister ad illa consecratur: ideo præexigitur in ministro sanctitas iustitiæ vt congruat suo ministerio. At verò ministrare Deo in operibus virtutum, non præexigit sanctitatem, quia opera illa non sunt consecrata. Quæ doctrina, vt ait

Caieta-

Caietanus ibi, nicitur illa regula, *si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis*. Quæ regula solum habet locum in causis proprijs. Propria ergo ratio cur operatio ministri peccatoris est nouū peccatū mortale, est quia illa operatio est de numero consecratarum: ergo cum operatio non est de numero consecratarum, vt contingit in Baptismo necessitatis, vel cum ipsi contrahentes sunt ministri Matrimonij, minister non peccat mortaliter, etiam si ministrat existens in peccato mortali, cognito vt tali.

63 Obijcies sequi ex ista ratione, confirmatum, si publice ex officio confiteatur fidem, cū est in peccato mortali, peccare mortaliter: quia character ad hoc datur: & gratia sacramenti Confirmationis: quibus donis ab utitur exercens actionem characteris, & ministerij quasi prophanam, &c. Sequitur itē quod coniuges reddendo debitum, vel petendo in peccato mortali, mortaliter peccant: quia abutuntur gratia sacramentali, quæ datur ad rectum vsum matrimonij. Vtrumque aperte sequitur, & manifestum absurdum est: ergo non est tenenda doctrina ex qua sequuntur.

64 Reijctis solutionibus Suar. quas impugnat Vazq. n. 17. Legitimā solutionē tetigit S. Th. ad 1. dicens, quod *opera characteris non sunt aliqua consecratione sanctificata: sed ipsa pertinent ad iustitiæ sanctitatem, sicut quædam iustitiæ partes*: & ideo homo, qui se exhibet Deo ministrum in operibus charitatis, si sit iustus, amplius sanctificatur: si vero sit peccator, per hoc ad sanctitatem disponitur. Profiteri publice fidem, & reddere debitum vxori petenti, sunt opera virtutum: & ideo de illis idem dicendū ac de operibus charitatis dicit D. Thomas, quia quoad hoc, par ratio est de operibus iustitiæ, & castitatis, & externæ confessionis fidei, ac de operibus charitatis: quia nullum istorū operum ordinatur ad sanctificandum alium vt instrumentum Dei. At vero actiones ministri, quæ sunt partes sacramentorum, ex opere operato sanctificant, & sunt quid sacrum, & opus Dei, delatium diuinæ virtutis: ideo quæ si minister sit immundus, & peccator, quantum est ex parte sua illa contaminat; & ex hac parte probat S. Thomas, ex genere suo, hoc peccatum esse mortale. Parum autem refert dicere S. Thomam in articulo assignasse vnam rationem, vt contendit Vazquez, vel duas, vt melius dicit Caietanus, quia sunt rationes partiales, quarum vna fundatur in alia. Nec pertingit in reuerētia Dei ad culpam mortalem, nisi peccator quantum est ex parte sua immunde ex officio tractet

opus operatum Dei. Quo cessant nonnullæ replicæ, quæ hinc solent obijci.

65 Secundo obijciunt: nam minister necessitatis, si actualiter haberet odium, vel alium prauum affectum, sequeretur quod duō peccata committeret propter contaminationem sacramenti: ergo pariter eueniret dum existens in mortali, tunc accedit. Consequentia patet, quia non illius status peccati quam actuale peccatum opponitur dignæ administrationi sacramenti.

Hoc argumentum contra ipsum Vazquez militat: siquidem docet excusari à nouo peccato instantē necessitate, & non contaminari sacramentum peccato ministri: nā restat. videri an assignet differentiam inter peccatum habituale, & actuale ministri: & quidquid ipse dixerit, nostra responsio erit. Quare vsi negetur antecedens, cuius nullam proponunt probationem. Vel negetur consequentia: quia facilius est desistere ab actuali peccato, quam iustificari desendo peccata commissa. Denique, quia plus opponitur sanctitati sacramenti exercitium noui peccati, quam opponatur peccatum præteritum non retractatum, sed actu non influens in nouum actum.

66 Tertio conclusionem probat Syluester: nam existens in mortali, etiam si sit hæreticus, aut paganus, potest, imò tenetur baptizare puerum, ne decedat sine baptismo, sine quod non intrabit in Regnum Cælorum, vt concedit ius canonicum cap. *Constat*, de *Consecratione* dist. 4. & cap. *Mulier*, & cap. *In necessitate*. Quod autem sit iure Canonico concedente, non est peccatum, vt constat ex cap. *Qui peccat* 33. q. 4. Quando concessio non est mera permissio: vt est in presenti, quia est opus charitatis, & aliquando debitum iustitiæ. Nec ius supponit quod debeant ministri habere contritionem vt debite baptizent: quia hæretici, & pagani in suis sectis permanentes in casu necessitatis sunt idonei ministri.

67 Denique neque autoritates, neque rationes, quibus ostendimus sanctitatem ministri exigi ad licite ministranda sacramenta, procedunt nisi de ministris consecratis, & ex officio id munitis peragentibus. Quod si de omnibus loquerentur, etiam in casu necessitatis esset peccatum: siquidem præcepta negatiua iuris diuini obligant semper: & sicut in nullo euentu peccator in peccato existens potest celebrando sumere, vt dicit Innocentius Tertius cap. *de homine*, de *celebratione Missarum*: ea ratione. *Cum ergo falsa sint abijcienda remedia, quæ verisunt periculis grauiora.*

Nec poterit instante necessitate ministrare. Et sicut D. Tho. in 4. dist. 24. q. 1. art. 3. q. 5. ad 2. ait, quod in natura est indispensabile hoc autem est de iure naturali, ut homo sancta sancte pertractet: unde contra hoc nullus potest dispensare. Ita nec ulla necessitas potest licitum facere contaminare sacramentum, si eadem esset ratio de omnibus ministris.

68 Ex quibus elicitur primo, quod etiam sacerdos in casu necessitatis baptizans sine solemnitate, non peccat: quia non segerit formaliter ut ministrans ex officio, & perfecte, sed per accidens succurrit necessitati, sicut posset succurrere mulier. Sic fere omnes pro principali asserto adducti, & alij quos refert, & sequitur Leander q. 6. Quamvis alij dissentiant.

69 Sequitur secundo, quod qui contrahat matrimonium in peccato mortali, solum peccat, quia indigne recipiunt sacramentum; non vero quia illud indigne ministrant, quia non sunt ministri consecrati, sed ex natura contractus exacti. Et ita notat Soto in fine texti articuli. Tenentque Paludanus, Martinus Ledesma, Lopez, & Enriquez, quos refert, & sequitur Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 6. n. 3. & alij quos referunt, & sequuntur Diana 3. p. trac. 4. resol. 199. & Leander q. 7.

70 Possetque contra Vazquez, & alios formari argumentum, a quo non bene se extricat Bernal disp. 17. a nu. 119. vsque 129: quia ad sacramentum Pœnitentiæ licite accedit homo cum attritione cognita existens in peccato mortali, & tamen actus pœnitentis sunt partes sacramenti: quod totum est causa gratiæ: ergo pariter posset dici de ministro matrimonij.

Hoc ad hominem posset aliqualem habere appariantiam: sed simpliciter multum videtur probare, quia ad recipiendum sacramentum Pœnitentiæ, licite illo modo acceditur: & tamen nullus concedit, quod ad recipiendum sacramentum matrimonij licite in peccato accedatur. Vnde Saz, qui in priori editione verbo *Matrimonium* nu. 1. id admisit, expurgatus est in editione Romana, ut etiam notat Leander trac. 1. disp. 4. q. 7. in fine. In Pœnitentia actus ipsi quibus homo disponitur ut iustificetur, assumuntur a Deo ut causa instrumentalis iustificationis: & per se loquendo est sacramentum mortuorum, & dat primam gratiam: unde de illo non est eadem ratio ac de sacramentis viuorum.

71 Tertio deducitur sacerdotem in nullo casu excusari a nouo peccato mortali,

si existens in peccato mortali, absoluat mortuum; sicut eadem necessitas eum non excusaret ut in peccato mortali celebraret: quia moribundus defectum absolutionis potest contritione supplere, & absolutio non potest praestari nisi a ministro formaliter ut consecrato; quia in nullo casu potest sacramentaliter absolueri laicus. Et hoc est quod docet S. Thomas art. 6. ad 3. illis verbis. *Secus est autem in alijs sacramentis, quæ non sunt tanta necessitatis, sicut baptismus, ut infra patebit q. 65. art. 4. & q. 67. art. 3. & 4.* Non enim Christus instituit, quod in mortis articulo possit laicus sacramentaliter absolueri: & concessit, quod laicus, imò & mulier posset baptizare: unde patet non esse verumque eandem rationem. Vnde Vazquez nu. 37. asserit hoc corollarium necessario tenendum in omni sententia: in sua quia administrat in mortali in nostra vero, quia operatur ut minister consecratus, & ex officio. Quare ita tenent Nauarrus de horis canonicis cap. 6. n. 4. 1. & cap. 1. de Penit. dist. 6. §. *Sacerdos*. n. 17. Suarez disp. 16. sec. 4. §. *Atque hinc*, & de Penit. disp. 28. sec. 1. n. 3. Ruliz dub. 1. folio 311. Nuño diff. 1. conc. 4. Cabrera disp. 1. §. 4. n. 20. Trulléch. lib. 1. cap. 3. dub. 3. n. 8. & alij frequenter.

72 Addunt Henriquez lib. 6. cap. 18. n. 6. in Glossa lit. v. & Diana 1. p. trac. 7. resol. 47. Lugo vbi infra, & Leander tract. 3. disp. 11. q. 116. & Bernal disp. 17. sec. 7. n. 147. vsque 149. non esse peccatum mortale audire præcise confessionem in peccato, dummodo quis habeat propositum confitendi, vel habendi actum contritionis, antequam proferat verba absolutionis. Probat Diana, quia tunc sacerdos non administrat sacramentum, sed solum quando absoluit.

Sed de hoc ipso reddenda est ratio: nam Suarez in tomio de Pœnitentia disp. 28. sec. 1. num. 3. Bonacina de Pœnitentia sect. 2. punct. 2. §. 3. diff. 2. num. 8. & Corollarius de casibus reseruat. 1. p. sec. 2. artic. 1. num. 21. & Franciscus de Lugo de sacramentis in genere cap. 2. dicunt totum illud exercitiū esse aliquid sacramenti: unde sicut in alijs sacramentis non solum prælatio formæ, sed etiam ablutio, unctio, & alia huiusmodi exigunt statum gratiæ, ita & confessionem audire.

73 Quare Lugo disp. 8. sec. 9. n. 156. & Auerla de Pœnitentia q. 16. sec. 10. aliam addunt rationem: quia confessarius audiens confessionem, non agit, sed se habet passivè: ut de est actus iudicialis late sumptus; sed non est actio strictè Confessarij. Quamvis autem con-

confessio non sit valida, nisi fiat apud iudicem: iudex tamen non agit, nec operatur gratiā quatenus audit, sed quatenus operatur proferens sententiam absolutionis.

74 De actu vero imponendi Pœnitentiæ, an requirat Sacerdotem in statu gratiæ? Sub problemate reliquit Lugo num. 160. quia dependet ex modo quo implere satisfactionem confert gratiā; quod non est huius loci examinare. Præstat tamē in tomio de Pœnit. disp. 25. n. 2. fol. 574. tenet sententiam negativam: quam, & tenet Auerla illa sect. 10. & Bernal n. 130. licet aliorum impugnet rationes. Arguunt enim, quia satisfactio non confert gratiā, sed solum remittit penam. Vnde etiam si Sacerdos post prolatam absolutionem incidat in aliquem prauum consensum, & prolequatut satisfactionem imponens, non in hoc committet novum peccatum, & sacrilegiū. Sicut nec Prælati concedens Indulgentias.

Sed quia communior, & probabilior iudicatur sententia afferens satisfactionem sacramentalem conferre gratiā ex opere operato; ideo in hoc casu confessarium novum committere peccatum mortale imponendo pœnitentiā, dum est in peccato mortali, tanquam probabilius docet Leander tractu 3. disp. 11. q. 117. Et hæc doctrina est conformis D. Thomæ, & Caietano 3. p. q. 90. art. 2. ad 2. Et pro priori parte melior ratio sumi potest ex D. Thomæ 3. p. q. 84. art. 1. ad 2. & art. 3. Sed ne quæstiones a proprijs remoueamus sedibus; hæc suis locis examinanda referuamus.

§. VII.

De alijs sacris actionibus.

75 Vnt operationes aliquæ ministrorū; de quibus est difficultas, vtrum competant illis ex munere, & consecratione; an vero quoad illa exercitia solum per accidens se habeat consecratio? Ex quo determinandum est, vtrum ad hæc munia exercenda requiratur sub obligatione præcepti, quod minister non sit in peccato mortali. Et ideo de illis nunc determinandum. Inquiritur ergo primo, vtrum ministrare Eucharistiā in peccato mortali sit novum peccatum mortale?

Negatiuam sententiam docuit Henricus Gandauensis Quodlibeto 6. q. 30. Vazquez disp. 136. cap. 3. nu. 38. & alij, quos referunt, & sequuntur Diana 2. p. trac. 14. de celebratione Missarum resol. 23. & Bernal disp. 17.

sect. 6. §. 3. a nu. 122. vsque 128. Et ex Thomistis dicunt valde probabilem, aut probabiliorē, Martinus Ledesma 1. p. Quarti q. 5. art. 8. dub. 3. Petrus Ledesma tract. 1. cap. 6. conc. 8. diff. 3. Ioannes à Cruce, in Summa, de sacramentis in genere q. 4. dub. 3. Serra q. 84. art. 6. dub. 1. corollario 1. Cabrera disp. 1. §. 3. dicit valde probabilem. Et similiter ibi Syluius.

76 Probat Petrus Ledesma duobus argumentis: Primo, qui Eucharistiā præconsecratam ministrat, non causat immediatè gratiā; sed solum applicat sacramentum, quod eam causat, postquam ministratio sacerdotis omnino non est; ut nos cum communi diximus dub. 1. n. 29. Ergo in isto ministro non militat ratio, quibus cum D. Thoma ostensum est ministrum sacramentorum debere esse in gratia, quia facit sacramentum sanctum; quod suscipientem sanctificat. Secundo, quia iuxta Caietanum artic. 6. §. *Circa utramque*; duas conditiones assignat D. Thomæ ad hoc, quod minister peccet mortaliter ministrando, & quod exhibeat se ministrum Dei, & Christi: & quod tale ministerium sit actio sacramentalis. Ita quod si alterum horum defuerit, non habes hinc mortale peccatum in ministerijs sacris. Hæc autem secunda conditio in hoc casu defuit: nam actio sacramentalis est; qua conficitur sacramentum; & secundum D. Thomam; & communem Theologorum; Eucharistiæ sacramentum perficitur in consecratione materię, & adæquatè reperitur antequam ministraretur; vel sumatur: ergo etiam si ministrat in peccato mortali, non ideo mortaliter peccat. Eadē sunt rationes Vazquez, & aliorum.

77 Quas confirmat Bernal num. 123. In primis, quia si dum Christus infans erat, sciret Hebræus aliquis fore, ut infans ille Deus homo; si in domum insignis peccatoris inferretur; illum iustificaret: ipseque Hebræus in peccato existens infantem illum in vlnas sublatum in eam domum adduceret; sane tali actu non peccaret mortaliter. Ergo minister dum Christum, in ora fidelium inducit, ut eis gratiā augeat, licet id præstet existens in mortali, non peccabit mortaliter.

Secundo confirmat ab incommodo. Nam ex opposito fieret, ut minister in peccato mortali existens, qui toto matutino tempore sacrā impertiret Eucharistiā, ut in Paschate; & in festis quam plurimis contingit, tot peccata mortalia committeret, quot hostias sumendas tribueret. Quælibet enim est inte-

Integra Eucharistici sacramenti ministratio, & ut talis præuidetur: Ergo quælibet est mortale peccatum: ac proinde istud numero tam multiplex ac hostiæ, quas ille minister fidelibus tribueret. Sequela autem admittere, durissimum est: cumque probabili ratione vitari possit, vitandum est.

78 Afferendum tamen est sacerdotes in peccato mortali ministrantes hostias iam consecratas, peccare mortaliter. Ita Paludanus, & Soto in 4. dist. 13. q. 1. art. 3. & alij, quos referunt, & sequuntur Suarez disputatione 16. sect. 4. circa finem. Et disp. 82. sect. 4. §. Quarto ex parte. Valentia, Coninch, Villalobos, & Fillutius, quos refert Diana ubi supra. Imò Granados tract. 5. disp. 5. nu. 12. asserit se non legisse, qui aliter sentiat, præter Vazquez; quod quamuis sit scriptum ex minus diligenti lectione Authorum; tamen inde constat hanc esse communem. Vnde Cabrera disp. 1. §. 5. dicit *probabiliorem, & securiorem, & communiorem*. Et absolute sequitur Sayrus lib. 2. cap. 7. q. 1. art. 5. Bonacina disp. 1. q. 3. puncto 2. §. 1. circa finem. Castrius Palaus to 4. tract. 18. disp. v. ca. puncto 5. num. 12. Trullench lib. 1. cap. 3. dub. 3. numero 9.

79 Probatumque primo ex Nicolao Primo, Gregorio Nono, S. Dionysio, & alijs Patribus relatis §. 3. quia multi eorum loquuntur de sanctitate requisita ad ministrandum, & tangendum. Idem clarius sumitur ex Diuo Thoma 3. p. q. 80. art. 4. ad 1. & q. 82. art. 7. & 9. ubi ait, quod peccatores sunt suspensi, quantum ad se ex sententia diuina. Et in 4. dist. 24. q. 1. art. 3. q. 5. ubi inquit, *ut dicit S. Dionysius 1. cap. celestis hierarchiæ, immundis, nec symbola, id est, sacramentalia signa, tangere fas est. Vnde quando tangunt res sacras, quasi suo officio utentes, peccant mortaliter. Secus autem esset, si in aliqua necessitate aliquod sacrum contineret, vel ex aqueretur in illo casu, in quo etiam laicis liceret: sicut si baptizaret in articulo necessitatis; vel si corpus Christi in terra proiectum colligeret.* Hæc S. Thomas.

80 Cuius ratio est: nam peccatum mortale est in peccato mortali exercere actionem in qua ex officio, ad quod consecratur, gerit personam Christi, cuius sanctitati debet conformari in ministerio sacro: iuxta dicta §. 4. Sed Sacerdos præconsecratas hostias fidelibus porrigendo, gerit personam ministri ad hoc consecrati: ut patet ex capite *Peruenit, de Consecratione* dist. 2. Et probat S. Th. q. 82. art. 3. & in Concilio Tridentino sess. 13. cap. 8. dicitur, *mos ex traditione Apostolica descendens: ergo si est in mortali, peccat mor-*

raliter porrigendo. Præterquam quod, incredibile est, quod iure diuino maior sanctitas exigatur ad baptizandum, absolendum, vel vngedum infirmum, quam ad porrigendum illi viaticum, in quo fons sanctitatis, & munditiæ continetur.

81 Ad primum incontratum respondetur, quod illa est causa sufficiens; sed non est vnica, & adæquata: vnde illa cessante, militat alia iam assignata. Ad secundum dicitur, fallum esse, quod hic deficiat illa secunda conditio: siquidem non solum est actio sacramentalis illa, qua conficitur sacramentum; sed illa qua utimur sacramento, vel dando, vel accipiendo. Vnde sicut recipere Eucharistiam in peccato mortali, est mortale peccatum in suscipiente, ita, & da-

82 Ad primam confirmationem in primis dicitur, quod si aliquid conuinceret, ostenderet, quod sicut peccatores licite Christum in carne palpabili existentem, recipiebant ut ipsos, & suas domos sanctificaret; ita nunc liceret peccatori recipere sub sacramento existentem. Quod tamen nemo Catholicorum concederet. Respondet itaque D. Thomas q. 80. art. 4. ad 1. negando consequentiam, & reddendo disparitatem: nam *Christus in propria specie apparens, non exhibebat se tangendum hominibus in signum spiritualis unionis ad ipsum, sicut exhibetur sumendus in hoc sacramento.* Deinde, quia nunc non habet similitudinem carnis peccati propter gloriam resurrectionis. Et ideo peccatores, qui defectum fidei formatæ patiuntur circa Christum, repelluntur a contactu huius sacramenti. Tertio in illo casu non ministrabat Christum ex officio: sacerdotes vero nouæ legis consecrantur ad conficiendum, frangendum, & porrigendum: in cuius signum manus sacerdotum consecrantur, ut sumant, & dent cæteris. Videtur Cabrera n. 37.

Addunt alij, quos sequitur Castrius Palaus num. 12. Neque est simile de tangente Christum in terris existentem, quia ille contactus, sicuti, & contactus sacramenti, non esset sacramenti, & meritorum Christi, distributio, & communicatio: ac proinde non æqualem puritatem exposulare, sicut petit sacramenti distributio.

83 Ad secundum Henriquez lib. 1. cap. 29. nu. 4. lit. S. Et Emanuej Rodriguez in summa verbo *Missæ* cap. 249. conc. 26. Filliuti tract. 4. n. 271. & dicit valde probabile Trullench lib. 1. cap. 3. dub. 3. n. 9. asserunt solum peccare in singulis distributionibus, etiam si vna vice mille hostias consecratas distribuæ mille

mille hominibus, quia moraliter est vnus actus.

84 Magis tamen consequenter Coninch nu. 35. Bonacina q. 3. puncto 2. §. 1. nu. 15. Poucenus cap. 5. n. 59. & alij communiter admittunt sequelam: nec hoc est malus inueniens, quam quod sacerdos ex officio plurimos eadem die baptizans, sacramentaliter absolvens, vel inungens, aut si est Episcopus mille animas vna die ordinans, vel confirmans: dum est in peccato mortali, toties mortaliter peccat: quia vnitas successio nis non sufficit ibi adiones continuare moraliter, nec in bonum, nec in malum ipsius ministrantis: quia bonæ multa sunt merita, sicut multæ eleemosynæ successiue elargite, & actiones malæ plura sunt peccata. siquidem vnunquodque est vnum sacrilegium cum alio non continuatum.

85 Secundo inquiritur, vtrum Diaconi, & Subdiaconi ministrantes solemniter dum sunt in mortali, peccent de nouo mortaliter? Excusari a mortali, docent Soto in 4. dist. 1. q. 5. art. 6. §. Quo circa. Et dist. 24. q. 1. art. 4. Victoria, Martinus Ledelma, & Henriquez, quos refert, & sequitur Granados nu. 7. & alij, quos refert, & sequitur Diana 3. p. tract. 4. resol. 195. Palaus punct. 6. n. 4. Bernal sect. 7. n. 151. Auerla sect. 4. Serra art. 6. dub. 1. Ruyz dub. 3. conc. 2. quia eorum ministerium non est actio sacramentalis, in qua perficitur sacramentum. Et quia actio eorum non est perfecte sacra.

86 Addit tamen Suarez disp. 16. sect. 3. Et Filliutius tract. 1. cap. 6. nu. 87. consuetudinem exercendi hæc officia in peccato mortali esse peccatum mortale, quia videtur virtualis contemptus.

Quod tamen alij non admittunt, & specialiter impugnant Vazquez, Coninch, & Bonacina, quos refert, & sequitur Trullench lib. 1. cap. 3. dub. 3. num. 6. quia clauso scandalo, isti actus videntur separati, & non coalescere ad constituendam vnâ materiâ sufficientem ad peccatum mortale.

87 Imò Vazquez disp. 136. cap. 4. nu. 45. asserit Subdiaconum, & Diaconum in peccato mortaliter solemniter ministrantes; nec venialiter peccare: quia nullum extat præceptum: siquidem positium humanum obligans ad sanctitatem internam imponi non potest: & extare diuinum præceptum, efficaciter non probatur.

88 Afferendum tamen est Diaconos, & Subdiaconos peccare in mortaliter, si in peccato mortali in suis officijs solemniter ministrant. Imò de omnibus Clericis minorum Or-

dinum solemniter ministrantibus, id est, valde probabile. Hanc secundam partem videtur docere S. Thomas in 4. dist. 5. q. 2. art. 2. q. 4. & dist. 24. q. 1. art. 3. q. 5. ad 4. & ibidem Beatus Albertus Magnus. Et S. Antoninus 3. p. tit. 14. §. 6. Syluester verbo *Clericus* 2. n. 2. in fine. Et Nauarrus cap. 25. nu. 72. & cap. 27. num. 163. Et de horis Canonice cap. 7. n. 41. & Faber in 4. dist. 24. q. 1. disp. 1. cap. 3. nu. 80. Videturque probare textus in cap. vltimo, de temporibus ordinationum, verbis relatis num. 28. ubi Gregorius nonus loquitur de omnibus Clericis peccatoribus occultis, quos dicit *obtestandos sub interminatione diuini iudicij, ut in testimonium suæ damnationis in susceptis ordinibus non ministrarent.* Exponere autem, quod quantum ad Clericos minorum Ordinum prohibeat solum ne ad alios ordines ascendant, vel quod totum exhortatur, non solum est diuinare sine fundamento in textu; sed videtur violentiam inferri litteræ, ut huius, vel illius opinionem defendant.

89 Priorem vero partem, quæ de Diaconibus loquitur, docent Petrus Ledelma to. 1. cap. 6. conc. 8. dist. 6. conc. 3. Nuño art. 6. dist. 1. conc. 3. Syluius q. 1. c. 5. Cabrera disp. 1. §. 6. a nu. 41. vique 48. septem rationibus probans Late etiam probant Ioanes Medina Cod. de Pœnit. tract. 1. q. 6. & Sayrus lib. 2. cap. 7. q. 2. In primis eam indicat Apostolus 1. ad Thimor. 3. dicens: *Diaconos similiter puticos, &c. Et sic ministrant nullum crimen habentes.* Supponit eam D. Augustinus epist. 148. ad Valerium relatus cap. *Ante omnia* 40. dist. Verba dedimus cap. 19. Theolog. Moral. q. 3. nu. 30. Præterquam quod Leuitici 22. sub pœna mortis præcipitur Leuitis, ne aliqua immunditia infecti accederent ad altare: ut adumbraretur sanctitas, quæ requiritur in ministris tremendi sacrificij Missæ. Vnde in speculo exemplorum dist. 9. exemplo 110. refertur de quodam Diacono coram Carolo Magno solemniter ministrante, luxuria illa nocte inquinato, quod miraculose est occisus ab aranea, tertio coram omnibus caput eius pungente. Rationesque, & auctoritates, quæ procedunt de ministris consecratis, in hoc euentu vrgent: quia ad hoc consecrantur, & recipiunt characterem, & gratiam: nec tam parua res est, tam proxime ministrare ex officio Sacerdoti tremendi, & incrementi sacrificij Missæ.

90 Nec video, quæ probabilitatis specie possint a peccato, sicut veniali, excusari functiones, quæ secundum presentem Ecclesiæ statum totum ordini sacro annexæ sunt: etenim

et enim, vt contra Vazquez arguit Bernal disp. 17. sect. 7. nu. 155 eo ipso, quod sacro annectitur ordini, sacram præfert dignitatē, eamque sacram, tum in se, tum in suo principio, cui soli annectitur, vt cōsecrare Chriftma, oleum infirmorum benedicere, conferre tonsuram, Minoresque Ordines, cantare solemniter Euangelium, vel etiam epistolā eum in manipulo. Idque vel inde patet, quod excommunicatus, aut suspensus, actiones istas obiens, sit irregularis: *Euidens igitur est signum, eas functiones ab Ecclesia haberi vt sacras, & in agente postulare sacrationem, & exclusionem peccati mortalis. Quia debent Christo, & Ecclesie, & sancto ministerio cōformari. Et in Diacono puto clarius hoc esse mortale: quia suat supremi ministri, qui cooperantur Sacerdoti, vt docet S. Isidorus relatus cap. *Perlectis, de Consecratione* dist. 25. & à D. Thoma q. 7. art. 4. De alijs functionibus videantur Petrus Ledelma diff. 10. & Nuño diff. 2. conc. 3.*

91 Tertio inquiritur, vtrum prædicare in peccato mortali sit nouum peccatū mortale?

Afirmat Caietanus 2. 2. q. 87. ar. 1. & hic art. 6. §. *Hanc doctrinam*: quāuis to. 2. Opusc. tract. 10. dubitative loquatur: & in Summa verbo *Prædicatorum peccata*, ita moderatur, vt à mortali videatur excusare, nisi adsit cōtemptus. Docueruntque iam diu Paludanus in 4. dist. 19. q. 3. art. 3. & Angelus verb. *Prædicatio*: quos sequitur Nauarrus cap. 25. n. 141. Probant, quia prædicare ex officio est actus ordinis, ū non ex iure diuino, saltē ex Ecclesie statuto: quia laicis non licet prædicare, vt constat ex cap. *Sicut in vno, de hereticis*: & ad rationem sacrilegij est differentia per accidens, quod actus annectatur ordini lege diuina, vel lege Ecclesie: sicut extrahere hominem ab Ecclesia, sacrilegij formaliter est, licet ex institutione Ecclesie iste actus sit materia sacrilegij: quia est differentia originis, vel cause efficientis, & non est differentia formalis: ergo actus prædicandi est actus ordinis. Secundo probatur ex D. Augustino libro contra Parmeniarum capite 11. & ex D. Thoma in 4. dist. 19. q. 2. art. 2. q. 2. ad 4. vbi ait. *Eorum qui docent Sacram Scripturam, est idem finis, & eorum qui Sacram Scripturam ediderunt: vnde cum ad hoc ordine tur Scripturæ editio, vt ad vitam eternam homo perueniat, vt patet Ioannis 10. Quicumque impedit finem doctrinæ docendo, peccat. Impedit autem, qui Sacram Scripturam in peccato docet, quis ore se profiteretur nosse Deum, factis autem negat.*

Et 2. 2. q. 187. art. 1. docet S. Thomas peccatori non licere prædicare: quia peccatum hoc exercitium impedit: iuxta illud Psalmi 49. *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas? Sancti etiam frequenter dicunt rem esse monstruosam, cum operatio non cōcordat prædicationi. Et cum sint quasi legati, & ministri Dei, quasi Deo exortante per nos, tenentur se conformare sanctitati diuinæ.*

92 Alij tamen Authores communiter merito asserunt esse peccatum mortale, cum Prædicatoris peccatum est publicum, quia scandalizat audientes, & impedimentum præstat doctrinæ diuinæ: & sic ex Diuo Gregorio docet D. Thomas 2. ad Corinth. 6. lect. 1. ad illa verba: *Nemini dantes vllam offensionem*: & indicatur cap. *Infames*. 3. q. 7. Et huiusmodi peccatoribus publicis recte obijciuntur illa verba Psalmi: *Quare tu enarras iustitias meas? & assumis testamentum meum per os tuum?* Quia experientia compertum est illud Gregorij: *Necesse est, vt cuius vita despicitur, eius quoque prædicatio contemnatur.* Videatur etiam S. Chrilost. hom. 43. in cap. 23. Mathæi relat. cap. *Multi* dist. 40. Cæterum quando peccatum mortale est occultū, non peccat mortaliter prædicando, non solum quia iure antiquo liceret laicis prædicare; idēque S. Gregorius lib. 1. Dialogorū cap. 4. laudat Equilium laicum, eo quod populo prædicaret. Sed etiam, quia modo licet id sit prohibitum laicis, vt notat Syluester verbo *Prædicatio* q. 1. Soto art. 6. §. *De iure autem*, cap. *Adiecit* 27. q. 1. & cap. *Sicut præcipitur, de hereticis*. Et cap. *Excommunicamus* 1. eodem: & constat ex Concilio Lateranensi sub Leone 10. less. 10. Sed etiam, quia peccatoris occulti prædicatio potest esse fructuosa, vt ait Soto, §. *Sed forsitan*.

93 Potestque Prædicatoris officium committi Clerico, qui non sit in sacris Ordinibus constitutus, vt declarauit Sacra Congregatio Concilij 23. Iunii, anno 1580. vt refert Barbosa in Collectanea Bullarij, verbo *Prædicator* num. 5. quam declarationem etiam referunt alij quinque Authores, quos ipse Barbosa refert de potestate Episcopi 3. par. Alleg. 76. n. 45. Et Prædicationis munus potest committi Religiosis Societatis Iesu, etiam sacris Ordinibus non initiatis, vt concessit Gregorius 13. in Bulla 95. incipiente: *Vigore* 20. Februarij anni 1584. quāuis autē Barbosa de hoc privilegio dubitet: tamen absque omni dubio hoc illis fuit concessum: nā Bullam refert Suarez to. 4. de Religione libro 9. cap. 1. nu. 12. & habetur in Bullario

to. 3.

to. 3. ordine 95. & §. 1. dicit. *Vobis insuper cōcedentes, vt etiam Clerici vestri prima tantū tonura insigniti, prout hucusque fecerunt, valeant deinceps ipsum Dei verbum vbiq; populo prædicare.* Ex quo constat, quod nec iure diuino, nec ex statuto Ecclesie actus prædicandi est actus ordinis, nec sacri, nec non sacri. Ideoque, qui excommunicatus prædicat, non fit irregularis.

94 Nec omnia, quæ prohibentur secularibus, & à solis Clericis sunt licite, sacra tur ita vt sit mortale si exerceantur in peccato mortali: sicut excommunicare, aboluere ab excommunicatione, conferre indulgēcias, consecrare Ecclesiam, vel vestes non possunt fieri à laicis: & tamen non est peccatū mortale ea facere in peccato mortali; quia solū sunt actus sacri remotē, & secundario. Quāuis de consecratione Chriftmatis, benedictione olei Extremæ vntionis, & collatione Ordinum Minorum, rectē doceant Ioannes Medina, Nuño, Petrus Ledelma; & alij esse actus sacros, & proprios ordinis Episcopalis, & in eo requirant statum gratiæ: quāuis alij hoc negent; sicut & de ministerio Clericorum Ordinum Minorum.

95 Authoritates, vel loquuntur de peccatoribus publicis, vel solum explicant esse peccatum: ex quo non infertur esse peccatum mortale. Specialiter 2. 2. solum docet D. Thomas esse illicitum quod peccator prædicet: & non dicitur quod est peccatum mortale. Cum autem peccatum est occultum, non ponitur impedimentum manifestum, directum, & proximum: & sicut sculptor, vel pictor possunt formare, vel pingere imaginem maxime excitantem ad deuotionem, quāuis ipsi sint maximi peccatores; ita, & de prædicatoribus, qui bene prædicant, & male viuunt, asserendum est.

DVBIUM V.

Vtrum sit licitum recipere, aut petere sacramenta à malis ministris?

§. I.

Licet recipere à toleratis; secus à non toleratis.

Rationem dubitandi, quæ oritur ex dictis dubio præcedenti proponit D. Thomas art. 6. in secundo argumento: nā quicumque communicat alicui in peccato, etiam ipse est reus peccati: secundum il-

lud ad Rom. 1. *Digni sunt morte, non solum qui peccata faciunt, sed etiam qui consentiant facientibus.* Sed dictum est, quod mali ministrando peccant: ergo qui ab eis sacramenta recipiunt, eis in peccato communicant: ergo etiam ipsi peccant: quod est inconueniens: alioquin fideles tenerentur querere ministros qui essent in gratia: de quo tamen non inueniuntur vt eurent.

2 Respondet S. Thomas ad 2. quod ille, qui ad sacramenta accedit, suscipit sacramenta à ministro Ecclesie, non inquantū est talis persona, sed inquantū est minister Ecclesie. Et ideo quāuis ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille qui ab eo suscipit sacramentum, non communicat peccato eius; sed communicat Ecclesie, quæ cum tanquā ministrum exhibet. Si vero ab Ecclesia non toleratur (pauca, cum degradatur, vel excommunicatur, vel suspenditur) peccat, qui ab eo accipit sacramentum; quia communicat peccato ipsius. Hæc S. Thomas. Dubijs propositionibus respondens: quæ sic indistincte prolata, videntur communiter recepta.

3 Prima, quod à ministro malo tolerato ab Ecclesia, liceat sacramenta accipere, traditur à Nicolao primo cap. *Secundantibus* 15. q. 3. vbi concludit. *Sumite ergo ab omni Sacerdote intrepidè Chrifti mysteria.* Et Lucius Terrius in cap. *Vestra, de cohabitatione Clericorum, & mulierum*, ait. *Sine dubitatione teneatis, quod à Clericis, & Presbyteris, quāuis quā fornicarijs, quāuis tolerantur, & non habent operis euidentiam, licet diuina mysteria audiantur, & alia recipiantur Ecclesiastica sacramenta.* Probaturque à simili ex D. Augustino epist. 154. ad Publicolam relato in cap. *Monet* 22. q. 1. docente nos licite vti fidelitate illius, qui suum dictam confirmat iuramento per falsos Deos. Et S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 4. docet licite peti mutuū ab eo; qui sub vturis mutuaturus est: quia licet vti alterius malo in bonū propriū: sicut Deus permittit mala propter maius bonum.

4 Secunda propositio D. Thomæ etiam est certa; quia absolute Ecclesia suo præcepto obligante suo mortali cum ministris non toleratis non communicare in sacris: vnde sicut ipsi mortaliter peccant se ingerēdo; & ministrando; ita alij essent participes peccati eorum cum eis communicando. Quod intelligitur lectūo casu extremæ necessitatis; in quo inuit diuinū præceptum. Quod notat D. Thomas in 4. dist. 3. q. 2. art. 2. q. 5. dicens. *Malus minister si sit praesens ab Ecclesia, tunc peccat ab eo recipiens sacramentum, nisi sit necessi-*

necessitate, in qua posset etiam à pagano, vel à Iudæo suscipere. Quod & notat Caietanus hic art. 6. ad 2. §. In eadem: & communiter Theologi. Quia quando in articulo mortis instat diuinum præceptum baptismi, Pœnitentiæ, aut Eucharistiæ, Ecclesia omnibus concedit facultatem illa ministrandi, pro baptismo reputans idoneam fœminam, vel paganum: & pro Pœnitentiâ, & Eucharistiâ quemlibet sacerdotem, vt patet ex cap. Si quem 24. q. 1. Et ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 7. Ergo licitum est illa à quolibet ministro recipere. Et eadem ratione licet ipsis, quantum est ex præcepto Ecclesiæ, illa ministrare; quia vt ait Soto in 4. dist. 1. q. 5. art. 6. circa finem Ecclesiæ permittens vobis in extrema necessitate Baptismum à præcisus suscipere; subinde permittit ipsis illum conferre.

5 Addunt Coninch q. 64. art. 6. dub. 2. conc. 2. & Caltrus Palauis to. 4. tract. 18. disp. vnica puncto 15. num. 1. in fine, & Serra artic. 6. dub. 2. conc. 4. in fine, quod si aliquis esset sibi conscius peccati mortalis, & non possent sibi alia sacramenta conferri, quam ea, de quibus recipiendis nullum est diuinum præceptum, posse ea suscipere in extrema necessitate à ministro non tolerato, vt possit per ea iustificari, & fieri ex attrito contritus, si forte solam contritionem habeat: credendum est enim id merito placere Ecclesiæ, vt tali necessitati subueniatur.

6 Circa eisdem ministros non toleratos aduertendum, quod tempore D. Thom. quicumque excommunicatus, vel suspensus, non erat toleratus ab Ecclesia: Cæterum post Concilium Constantiense, & Bullam Martini Quinti, solum notorii percussores Clericorum, & nominatim excommunicati, vel suspensi, aut alia censura innodati nominatim, non sunt ab Ecclesia tolerati, vt notat Caietanus art. 6. ad 2. §. In eadem. Ideoque ab omnibus alijs licet sacramenta recipere, quantumuis mali ministri sint.

7 Excipit tamen Nauarrus cap. 25. n. 79. publicos concubinos ex cap. Siqui sūt 8. dist. 1. vbi Pontifex prohibet omnes officijs eorum presbyterorum interesse, qui sūt in publico concubinato. Quod & docet D. Thomas Quodl. 1. ar. 8. concludens, quod quicumque à fornicario publico audit Missam, peccat mortaliter. Et in 4. dist. 5. q. 2. art. 2. q. 4. & 3. p. q. 2. art. 9. affert ad id cap. Nullus dist. 32. vbi dicitur. Nullus Missam audiat sacerdotis, quem indubitanter concubinam nouit habere. Aduertit tamen S. Thomas ad 3. quod hoc intelligendum est de notorio, vel per sententiam, quæ fertur in concubinum, vel per confessio-

nem in iure factam, vel per euidentiã facti, quæ do non potest peccatum aliqua tergiversatione celari. Imò addit Soto dist. 1. q. 5. art. 6. §. In contrarium. Iam vero arbitror illud non esse in usu, quousque per sententiam condemnentur, imò si postea corrigantur, non sunt ipso iure suspensi, vt habet Glossa in dicto cap. Nullus. Et quod post Concilium Constantiense nullum omnino erit peccatum à publicis concubinarijs sacramenta recipere, vel eorum Missas audire: & quod Concilium Tridentinum non abrogauit moderationem Concilij Constantiensis, communiter contra Nauarrum tenent Doctores: nempe Caietanus, Soto, Victoria, Adrianus, Palatius, Suarez, Valentia, Nuño, & Ledesma, & omnes recentiores, vt refert, & sequitur Cabrera art. 6. disp. 2. §. 1. n. 8.

8 Excipit etiam Syluester verbo Excommunicatio 5. not. 4. publice, & notorie excommunicatos existimans eos hodie non esse toleratos. Quia sic est declarata hæc constitutio Martini 5. in Concilio Basiliensi sess. 20. Quam declarationem confirmauit Concilium Lateranense sub Leone 10. Sess. 12.

Verumtamen, quantumuis sint publice, & notorie excommunicati, si non sint manifesti percussores Clericorum, vel nominatim excommunicati, hodie sunt ab Ecclesia tolerati. Ita D. Antonius 3. p. tit. 25. c. 2. Caietanus hic, & in Summa verbo Excommunicatio. Soto vbi supra, & dist. 22. q. 1. art. 4. & alij communiter, vt refert, & sequitur Cabrera disp. 2. n. 2. Quia Concilium Constantiense voluit per illam moderationem timoris conscientijs fidelium prouidere: quod non obtinisset, si publice excommunicatos teneretur vitare, quia non facile agnoscitur quinam illi sint.

9 Illa autem declaratio Concilij Basiliensis non est confirmata: quia solum confirmauit Nicolaus Quintus ea quæ pertinebant ad distributiones beneficiorum, & dispensationes, & absolutiones à censuris: vt patet ex Bulla, quæ habetur in fine Concilij, & notat Turretemata, qui illi Concilio inter fuit, lib. 2. Summæ cap. 100. Nec illa declaratio Concilij Lateranensis fuit ab Ecclesia recepta; ideoque ommissa à Cardinali Caietano, qui fuit vnus ex Patribus illius Concilij.

10 Addunt etiam Nuño art. 6. in 2. p. notab. 3. fol. 230. Cabrera disp. 2. nu. 5. & 6. Serra dub. 2. post primam conclusionem, conclusionem Martini Quinti extendendam esse ad irregulares: Tum, quia facta fuit in fauorem fidelium: quibus tamen parum, aut nihil

nihil commodi afferret, si ab irregularibus non possent suscipere sacramenta; cum constet excommunicatos, si celebrant, aut exercent officium ordinis, statim effici irregulares. Tum etiam, quia multi doceant irregularitatem, quæ contrahitur propter culpam, censuræ rationem habere. Denique, quia extra controuersiam est, irregularitatem esse penam, vel sententiam à iure impositam. Refertur autem S. Antonius, Soto, & alij Martinum Quintum consensisse, quod nemo deinceps à communione aliquius in sacramentorum administratione, vel receptione, aut alijs quibuscumque diuinis, vel extra, prætextu cuiuscumque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, à iure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliqua vitare: nisi sententiæ, aut censuræ huiusmodi fuerint, vel contra personam, videlicet expressam. Ergo nullus tenebitur abstinere à receptione sacramentorum ab irregularibus, sicut nec ab excommunicatis, & suspensis, nisi nominatim tales sint.

§. II.

Quæ conditiones exigantur, vt liceat à ministris malis toleratis petere?

11 Sed restat difficultas, vtrum vt liceat petere, aut recipere à malis ministris, sed toleratis, exigantur aliquæ conditiones? Verbi gratia, an exigatur, quod non adsit alius minister bonus, an debeat ille esse paratus ad conferendum; & an expectanda sit petentis utilitas, vel necessitas? Siquidem S. Thomas sine vlla limitatione videtur absolue affirmare, & similiter Durandus in 4. dist. 5. q. 2. Et Paludanus dist. 5. q. 3. art. 1. Et Richardus art. 3. q. 4. & Syluester verbo Baptismus 3. num. 7. docentes licere accipere, & petere sacramenta à ministro malo tolerato. Caietanus hic art. 6. ad 2. Valentia q. 5. puncto 3. Sæ verbo Excommunicatio num. 35.

12 Specialiter, quod hoc liceat, etiam si sit alius minister, qui sine peccato possit ministrare, docet Soto in 4. dist. 1. q. 5. art. 6. §. Vtraque autem, dicens. Exempli gratia, licet mihi per diplomatis priuilegium, quæ maluero confessarium eligere, sunt plures ad audiendas confessiones sedentes, quorum Petrum ego scio in concubinato viuere, tunc quamuis possim eligere alium probum, licet etiam mihi eligere Petrum. Imò verò, si ille est doctior, qui sapientius valet meam conscientiam discutere, cōsultius fecero, si

eum præalij elegero. Verum est, quod si in ceteris omnes sint pares, nonnulla culpa erit illum præoptare: numquam tamen erit mortalis, nisi forsitan esset publicus peccator, vt mea eiusmodi confessio scandalum offerret populo. Et infra ait. Conclusio hæc vniuersalis est circa controuersiam assertissimam, atque hunc sensum facit prior propositio S. Thomæ, quam & eius ratio inducta demonstrat. Qui enim sic suscipit sacramentum, nullo modo cooperatur peccato alterius, nisi enim ille dicitur cooperari alteri, qui eius peccati causa est: in hoc autem casu, cum conferens sit paratissimus, & suscipiens nullatenus eum moueat, sit vt neque eius peccati sit causa. Eo potissime, quod non possit vt alter peccet; sed vt sacramentum det, quod potest respiciendo, iuste facere.

Adhibent nonnulli rationem, quod cum quilibet sit bonus existimandus, ille, qui petit, existimare debet peccatorem illum mente conuertendum antequam officium suum præstet. At vero hæc existimatio non est necessaria. Quinimo, quauis petens sciat, quod ille non sit contritionem habiturus, nihil refert, quia alter sibi solus est causa. Sicuti dum quis ab exposito usurario mutuam foenerato petit. Textus est expressus 15. q. 8. can. Sciscitantibus, vbi Nicolaus ad consulta Bullgarorum eandem conclusionem decernit. Hæc Soto.

13 Quem sequuntur Martinus Ledesma 1. p. Quarti q. 5. art. 6. dub. 12. proposit. 8. Et Petrus Ledesma to. 1. tract. 1. cap. 6. dub. 11. conc. 10. Ioannes à Cruce de sacramentis q. 4. dub. 4. conc. 1. & 2. Henriquez lib. 3. cap. 30. n. 2. lit. f. & Thomas Sanchez lib. 3. in Decalogum cap. 8. n. 23. Cabrera q. 64. artic. 6. disp. 2. §. 4. n. 24. & §. 9. n. 3. Cartagena de Sacramentis disp. 7. cap. 3. num. 3. Diana parte 3. tract. 4. resol. 59. & parte 4. tract. 4. miscellaneo resol. 21. & vt probabilem Escobar, & Mendoza lib. 8. Theologiæ Moralit. lect. 2. prob. 77. citans Fagundez, & Franciscum de Lugo, & problemate 78. n. 311. & assertiuè tenentur Rodriguez in Bullam Cruciatæ §. 9. nu. 29. Reginaldus lib. 1. cap. 14. lect. 3. n. 164. Fruitench lib. 1. in Bullam §. 7. cap. 1. dub. 11. n. 7. & lib. 1. praxis Sacramentorum cap. 3. dub. 4. n. 5. Calpenis tractatu 21. disp. 5. lect. 4. nu. 36. & 38. Christophorus à S. Ioseph to. 1. de Sacramentis dub. 20. n. 4. fol. 306.

14 Præterea asserunt alij, quod ad recipiendum, vel petendum sacramenta à malo ministro tolerato, nec opus est, quod sit paratus, nec quod sit proprius pastor, nec quod

quod sit extrema, vel vrgens necessitas, sed sufficit vtilitas non differendi nimis vsum sacramentorum Ita videntur tenere Soto lib. 6. de iust. q. 1. art. 5. Nauar. cap. 14. nu. 39. & cap. 17. n. 262. Et tenent Suarez disp. 18. sectione 1. Granados controu. 3. de sacramentis tract. 5. disp. vlt. n. 7. Sayrus lib. 2. cap. 8. q. 1. art. 5. in fine. Sanchez lib. 7. de Matrimonio disp. 9. n. 8. Bonacina disp. 2. de censuris q. 2. puncto 2. §. 3. nu. 4. Leander to. 1. tract. 1. disp. 5. q. 10. referens D. Thomam, Caiet. Nau. Raçon. Ioannem à Cruce, Becanū, Soto, & Saā. Et to. 4. tract. 2. disp. 7. q. 18. Citās Raynaudum, Prepositum, Diana, & Machado, Layman, & Bauny. Auerſa q. 64. scđ. 1. 1. §. *Melius tamen:* citans Suarez, Coninch ar. 6. dub. 2. Nuño ibi (cuius sententiam fideliter postea referem) & Bonacina disp. 1. q. 6. de Sacramentis puncto 5. num. 1. Sequitur Trullench lib. 1. cap. 3. dub. 4. n. 2. Ratio est, quia vtimur iure nostro petendo sic sacramenta: quia absolute hoc iure concedit. Et ex alio capite minister potest sancte, & religiose ea ministrare, & sibi imputandum, si indigne ministrat: qui autem vtitur iure suo, nemini facit iniuriam, l. *Iniuriarum*. D. de iniurijs. Et quando adest iusta causa eadem est ratio quod liceat petere à parato, & non parato: sicut in petitione iuramenti à iuramento per falsos Deos, & in petitione mutui ab usurario. Debet autem adesse nostra necessitas, vel vtilitas: quia ex charitate tenemur impedire ruinam, & peccatum nisi habeamus iustam causam, & rationabilem non impedire. Quæ iusta causa cessat, si possum aliū æquè vtilem inuenire.

15. Ceterum Soto in 4. dist. 1. q. 5. ar. 6. §. *Secunda propositio.* Ita ait. Nemini licet eiusmodi improbum ministrum non paratum, neque offerentem sacramentum, ad id inducere, nisi vel petentem necessitas cogat, vel exhibentem officium obliget. Probat, quia quempiam in peccatum inducere, peccatū est, eo quod sit causam dare peccandi. Et sicut de damno ait regula iuris, sic, & qui causam culpæ dat, culpam dedisse videtur. Quæ admodum neque licet eum, qui ad id non est paratus ad mutandum, cum fenore inducere. Et ad argumentum contrarium respondet, quod si ille, qui inducit, scit, aut credit alium non esse conuertendum, licet non concurret formaliter ad eius peccatum; concurrat tamen materialiter ad illud opus, quod scit in illo fore peccatum. Vt si quis delectationis gratia, & non ut faciat malum, succederet igne, quo scit aristas alienas tegetes, neutiquam à culpa eximeretur. Secus quan-

do ille est paratus, quia tunc petens, neque mouet ad crimen formaliter, neque materialiter.

16. Subijcit præterea Soto, cum Caietano, alias duas propositiones: nempe quod licitum est eum, qui non est præcisus, & quæ scio indigne administraturum sacramentum, inducere, si sit meus prælatus, vel parochus. Vel si non sit meus prælatus, nec paratus, si ego sum in necessitate. Ratio est, quia prælatus tenetur esse paratus conferre sacramentum, quoties prudenter petiero: ergo dum peto, & induco, & cogo, meo vtor iure: qui autem vtitur iure suo, nemini iniuriam facit. Nec hoc est inducere ad malum, sed inducere ad id quod ius est petentis: & quod alter facere tenetur: & si vult, bene facere potest, si conteratur. In calu autem necessitatis licitum est petere ab alio, etiam inducendo, ut faciat id quod fieri lex charitatis postulat: & quod si faciat, faciet actum iustitiæ, vel misericordiæ. Secus extra hos duos casus; nam tunc non habeo ius inducendi ad collationem sacramenti.

17. Hæc sententia in substantia fuit Scoti in 4. dist. 5. q. 2. art. 1. Et Adriani in 4. q. 3. de baptismo art. 3. & sequuntur alij multi, quos refert, & sequitur Cabrera art. 6. disp. 2. à §. 3. vsque ad 9. Et Nuño secunda parte articuli difficultate 1, per quatuor conclusiones, qui tamen in secunda non exigunt necessitatem; sed dicit sufficere petentis vtilitatem. Quod & docet Serra art. 6. dub. 2. cōc. 2. qui in vltima parte illius adijcit (id quod omnes sequuntur, exceptis relatis nu. 13.) quia sine vlla necessitate, aut vtilitate propria, neque malitia alterius vti licitum est: nam contra legem diuinæ amicitia est, non vitare offensam Dei, si possumus absque vilo incommodo, aut detrimento nostro. Vnde si comode posset quis sacramenta recipere ab alio non minus docto, & vtili, qui sine peccato ea conferat, ex charitate id facere teneretur, ut vitet alienum peccatum; quāuis non teneatur ex iustitia, si alter ex officio obligatur ad conferendum.

18. Videntur mihi omnes relatæ opinioniones pro praxi probabiles: hæc autem vltima reliquis probabilior. Quo autem summatim res ipsa, & mens D. Thomæ percipiatur, aduertendum, quod loquendo ex vi iurium, & legis positivæ directe respicientis intentū, absolute debet pronuciari, quod sicut extra necessitatem, non licet sacramenta recipere a non toleratis; ita licet ea recipere, & petere a toleratis: & sic respondit S. Thomas absolute ad intentum. Quātum verò

verò ad obligationem indirectam præceptorum naturalium religionis, iustitiæ, & charitatis, ut materialis cooperatio ad actionem sacrilegam ministri excusetur, opus est quod vel ipse teneatur, vel sit paratus, vel mea instet necessitas, vel vtilitas: alioquin ego peccarem, si inducerem ad sacrilegium. Vnde D. Tho. Quodlibeto decimo art. 8. ait. *Quicumque sacerdos in peccato mortali existens celebrat, peccat mortaliter: unde si constaret mihi eum esse in peccato mortali, & inducerem eum ad celebrandum, peccarem mortaliter. Et hoc est secedendum ipsum ius naturale, quia hoc est provocare eum ad peccatum mortale.* Et forte hoc solum intendunt Adrianus de Baptismo art. 3. in secundo argumento ad oppositum, & Caietano in Summa verbo *Absolutio* in pedimentum.

19. Quia verò impedimentum peccati mortalis tolli potest contritione, sicut ius positivum ex parte subditi concedit, quod sicut possit petere sacramenta a malis ministris toleratis, ita ab ipsis concedit quod licet, quantum est ex iure positivo, possint dare. Quod ex Concilio Constantiensi probat Soto illo art. 6. propositione 6. dicens. Cū enim consulendo timoratis conscientijs, in bonum petentium concessit illam communicatio nem cum excommunicatis, ex rei consequentia concessit ipsis excommunicatis, ut sacramenta præberet, quādo aliās tenerentur. Alioquin non satis fuisset petentibus consultū: quā tūc illi ministri perplexitate complicarentur, vtrinque scilicet, siue sacramentum præberent, siue secus, peccatum timentes. Imo possent se iuste defendere allegantes se non posse id facere sine scelere, quod nulla prorsus de causa vili fas est committere. Hæc Soto ibi. Et dist. 22. q. 1. ar. 4. §. *At vero,* & alij quos referunt, & sequuntur Sanchez lib. 7. de Matrimonio disp. 9. nu. 8. & Suarez disp. 11. de Censuris sec. 4. n. 2. & Diana parte 5. tract. 9. resol. 83. & esse communem, multis relatis probat Leander tom. 4. tract. 2. de excommunicat. disp. 6. quæst. 14.

20. Quod & probat Serra 3. p. q. 64. art. 6. dub. 2. post tertiam conclusionem: quia cū nulli sit licitum petere ab aliquo, quod ipse sine peccato prestare non potest, non liceret fidelibus petere a suo Parocho excommunicato, ut eis ministraret sacramenta, si hæc ministrando peccaret; inducerent enim illū ad peccandum: quia ipse non potest se ab excommunicatione liberare. Vnde quoties tenetur ex iustitia, vel misericordia ministrare, si non potest absolutionem ab excommunicatione superiori reservatam, obtinere, quia

eum adire non potest; ministrando non fiet irregularis; quia sicut excusatur a peccato, ita ab irregularitate. Si posset tamen, teneretur, vel petitionem sacramenti repellere, vel absolutionem obtinere ab excommunicatione antequam excommunicatus toleraret sacramenta ministraret. ¶ De obligatione ministri non conferendi sacramenta indignis, dicemus cum D. Thomā q. 68. art. 4. & q. 80. art. 6. Hic videndi Suarez disp. 18. sec. 2. & Lugo disp. 3. a sec. 10. vsque 14. Auerſa q. 64. sec. 10. Bonacina disp. 1. q. 6. puncto 4. & alij.

DVBIVM VI.

Vtrum Angeli possint sacramenta ministrare?

§. I.

Tres conclusiones ex D. Thoma.

1. Absolute videtur affirmare S. Augustin⁹ libro secundo contra epistolam Parmeniani capite 15. dicens. *Nemo ergo accipit sine dante: sed quod attinet ad Baptismi sanctitatem, adest Deus; qui det; & homo qui accipiat, siue per seipsū donante Deo, siue per Angelos.* Quia propter Scotus in 4. dist. 6. q. 1. §. *Respondet affirmat absolute Angelos posse esse sacramentorum ministros.* Imo impius Lutherus libro de abroganda missa priuata, non solum homines, & Angelos, sed etiam Demones asseruit esse ministros sacramentorum.

2. Tribus tamen assertionibus sitim dirimit Angelicus Doctor articulo septimo. Prima est, de lege ordinaria, soli homines, & non Angeli, sunt ministri sacramentorum. Probat ex illo ad Hebræos 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his qui sunt ad Deum.* Sanctus Ioannes Chrysostomus libro tertio de Sacerdotio inter alia ait. *Etenim ijs, qui terram incolunt, & in ea versantur, commissum est, ut ea quæ in caelis sunt, dispensent: ijs datum est ut potestatem habeant, quam Deus optimus, neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit. Neque enim ad illos dictum est: quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata, & in caelis; & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta, & in caelis.* De quo videatur homilia 85. in Ioannem. Ex quibus, ut ponderat hic Caietanus, magnum desumitur argumentum: nam si maximum ministerium Ecclesie soli homini continetur, ita quod Angelis denegatur (quale est Pontificatus) multo

magis minima ministeria Ecclesie Angelis negantur.

3 Deinde probat Diuus Thomas: nam tota virtus sacramentorum a passione Christi derivatur, quæ est Christi secundum quod est homo; cui in natura conformantur homines, non autem Angeli; sed potius secundum passionem dicitur modico ab Angelis minoratus, ut patet ad Hebræos 2. & ideo ad homines pertinere dispensare sacramenta, & in eis ministrare; non autem ad Angelos.

4 Ad idem arguit Sanctus Thomas in quarto distinct. 5. quæst. 2. artic. 3. quæst. 2. quia sacramenta pertinent ad Ecclesiam militantem. Sed Angeli non sunt, neque actu, neque potentia de Ecclesia militante: ergo neque sacramenta ministrare. Et quia non habent convenientiam cum sacramento sensibili; & cum Christo, qui est auctor sacramentorum in natura assumpta. Denique, quia ad necessitatem baptismi non valeret potestas Angelis concessa, cum non sint in promptu hominibus, nec per eos baptizarentur.

5 Gaetanus etiam articulo septimo arguit. Locutio requisita ad ministrum sacramenti, est actus vitalis loquentis: locutio autem Angeli in corpore assumpto, est motus corporis non viventis, ut patet: ergo solus homo, qui verè potest loqui, est minister sacramenti. Denique: nam oportet baptizantem esse Christi ministrum: ac per hoc Christo homine non maiorem, sed conformem in natura.

Quæ & aliæ rationes, si ad leges demonstrationum trutinantur, inveniuntur minus habentes. Supposita tamen Dei voluntate instituyente, quod soli homines sint ministri, sunt optimæ congruentiæ. Si autem de lege ordinaria posset Angeli baptizare, non tam frequenter relinquerent parvulos, quos custodiunt, mori sine baptismo. Similiter videmus regulariter prædicationis officium Angelis non fuisse commissum, nec catholicum præuium ad sacramenta: ergo nec sunt de lege ordinaria ministri sacramentorum.

6 Propter hæc, dicunt conclusionem esse certam secundum fidem, Nuño articulo 7. & Cabrera num. 4. & Vazquez disp. 138. cap. 1. num. 5. dicit veritatem catholicam, quæ sine errore nequit negari. Ad minus sine temeritate non impunabitur, propter communem consensum Theologorum: quia Scorum loqui de potentia absoluta, dicit Soto in 4. dist. 1. quæst. 5. artic. 7. §. Quæstionem habet. De facto autem Christus solis homini

bus præcepit ut baptizarent Mathæi 28. & ut consecraretur Lucæ 22. & ut peccata dimitterent, Ioann. 20. & infirmos vngerent Iacobi 5. Nec Sanctus Augustinus loquitur de ministro sacramentorum: quia Deus se solo non confert sacramenta: sed loquitur de sanctificatione, & illuminatione, quæ quandoque est a Deo solo, quandoque Angelis mediantribus. Nam ut ait D. Thomas ad primum, illud quod faciunt homines inferiori modo, scilicet per sensibilia sacramenta, quæ sunt proportionata naturæ ipsorum, faciunt Angeli tamquam superiores ministri, superiori modo, scilicet, inuisibiliter purgando, illuminando, & perficiendo. Vel loquitur Sanctus Augustinus ad sensum secundæ assertionis.

7 Secunda assertio D. Thomæ est, quod per miraculum, de potentia absoluta, possunt Angeli sacramenta ministrare. Probat Diuus Thomas: nam sicut Deus virtutem suam non alligavit sacramentis, quin possit sine sacramentis effectum sacramentorum conferre: ita etiam virtutem suam non alligavit Ecclesie ministris, quin etiam Angelis possit virtutem tribuere ministrandi in sacramentis. Et in 4. sententiarum dist. 5. quæst. 2. artic. 3. q. 2. ait. Sed sicut Deus potentiam suam sacramentis non alligavit; ita nec potestatem conferendi sacramenta alligavit aliquibus ministris. Unde qui dedit hanc potestatem hominibus, potest dare, & Angelis.

8 Sed obijciens. Contradictionem implicat, & a Deo fieri nequit, quod ferum essentialiter constant rebus, & verbis; ut explicuimus quæst. 60. dub. 9. & 10. Ergo sola illa persona, quæ loqui potest, valet sacramenta illa ministrare, quorum formæ sunt ipsa verba ministri. Sed Angeli nec in propria natura, neque in corporibus assumptis, vere loqui possunt, ut probat D. Thomas 1. p. q. 5. art. 3. ad 4. Sed solum formant sonos in aere similes vocibus humanis: quæ tamen non sunt vere voces: siquidem non sunt a principio in trinitate vitæ: ergo nec diuinitus Angeli possunt nostra sacramenta ministrare: sed solum possunt conferre effectum sacramenti sine ipso sacramento, sicut Christus fecit.

9 Propter hoc Nuño articulo 7. folio 236. & Cabrera num. 14. dicunt, quod licet Angeli possint conferre diuinitus gratiam, & characterem eiusdem rationis cum illis, quæ dantur per sacramenta: Tamen ipsum sacramentum factum ab Angelo, non elicit eiusdem rationis cum nostro, quoniam verba prolata ab ipso non essent verba. Unde idem

idem est dicendum de anima separata. Quod & sequitur Bernal disp. 17. sect. 1. num. 2. Tum quia pronomen, Ego, significans Angelum, diuersæ speciei est a pronomine, Ego, significante hominem. Tum etiam, quia tota oratio interna, quæ est forma, & quasi anima illorum sonorum, certissimè differt specie in homine, & Angelo: & secundum significationem spiritualem est forma.

10 Melius tamen respondetur, quod esset differentia in esse rei specifica, sed in esse signi sensibilis, esset differentia materialis: quia illi soni sensibiles haberent eandem significationem, & eandem virtutem, quam modo habent nostræ voces sacramentales. Quod desumo ex M. Soto illo artic. 7. §. Verumtamen, dicente. Respondetur autem satis esse, ut Angelus, tamquam Dei minister, baptizet, quod voces humanas nutu Dei efformatas, proferat, quibus Dei mentem, cuius potestate loquitur, significet: veluti de rubo, ut Exodi 3. legitur, locutus est Moyse: Ego sum Deus patris tui, &c. Quia etiam eadem ratione nihil obstat, quo minus animabus beatis possit idem Christus committere ut resumptis corporibus id perficiant. Hæc Soto.

11 Si autem Angeli spirituales absque corporibus assumptis, vel animæ separatae assumerentur a Deo ut instrumenta ad conferendam gratiam hominibus, vel characterem, vel esset dare effectus sacramentorum sine sacramentis: vel esset pro vna vice instituere signa spiritualia ut essent vera sacramenta, sed alterius rationis a sacramentis de facto institutis, prout docuimus quæstione 60. dubio 7. §. 2. & dub. 13. §. 5. Quod forte ita contingit in celebri illo miraculo consecrationis Sancti Amphiloehij: de quo Nizephorus libro 11. historiarum capite 20. ait. Angelos Deus misit, qui mystica, & arcana benedictione, & episcopali arrogatione eum dignitati intellectuali modo consecrarunt. Consecratio enim intellectualis, corpore assumpto ab Angelis, non indigebat.

12 Tertia conclusio D. Tho. est. Quia boni Angeli sunt nuncij veritatis, si aliquod sacramentale ministerium a bonis Angelis perficeretur, esset ratum habendum: quia deberet constare hoc fieri voluntate diuina. Sicut quædam templa dicuntur Angelico ministerio consecrata. Si verò Dæmones, qui sunt spiritus mendacij, aliquando sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum.

13 Idem probat S. Thomas in 4. dist. 5. q. 2. artic. 3. q. 1. quia est aliqua cõuentio ministerii sacramentorum ad Christum: sed nulla est cõuentio Christi ad Diabolum 2. ad Cor. 6. Ergo nequit esse minister. Item, quia non conuenit cum Christo in natura, ut de bonis Angelis dictum est num. 3. Denique specialiter de diabolo: Nam si baptizare seingeret, sepe esset timendum, quod non faceret intentione baptizandi, quæ ad sacramentum exigitur, sed intentione decipiendi: quia non esset probabile, quod tantum bonum homini procuraret, sicut est spiritualis regeneratio. Addit ibi ad 3. quod omnibus hominibus concessa est baptizandi potestas, hoc est propter necessitatem sacramenti, ut omnibus possit de facili adesse baptizans. Sed diaboli conuersatio non est cum hominibus: Unde non iuuaret ad necessitatem sacramenti, si sibi potestas illa concederetur.

14 Sed in casu, quod certissima reuelatione contasset, dæmonem in corpore assumpto, habuisse legitimam intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, & adhibuisse veram aquæ abluitionem, & protulisse omnia verba formæ, videndum an sit iudicandus baptizatus? Quia cum omnia, quæ sunt de essentia sacramenti, sint apposita, non videtur cur non debeat iudicari baptizatus.

Respondent Alexander Aletis 2. p. q. 16. membro 4. & Soto in sine illius artic. 7. & alij frequenter, quod non esset sacramentum. Et ratio est, quia cum lege a Christo hæc tenus edita, nullus sit minister sacramentorum, nisi homo institutus, nullus Angelorum, nisi ex eius speciali dispensatione est minister. Quare etsi liquido constaret conuenisse illuc materiam, & formam, & intentionem, deesset nihilominus legitimus minister, nisi apertissima reuelatione constaret, id dispensatione, & iussione Dei fuisse factum. Numquam tamen credendum est, Deum talibus sacramentorum ministris vsurum, quibus homines sanctificat.

§. II.

Vtrum de facto Angeli fuerint ministri sacramentorum?

15 Secundo inquires, vtrum de facto sacramentum aliquod factum fuerit ab Angelo, vel ab anima separata?

Negat Bernal disp. 17. lect. 1. §. 1. n. 15. dicens, quod nec per extraordinariam legem, seu priuilegium, inueniuntur Sanctos Ange-

los, aut animas beatas, aut separatas, causas fuisse efficientes sacramentorum. Legimus Sanctos Angelos, aut animas beatas sacram præbuisse Eucharistiam. Numquam tamen legimus illam consecrasse: ac proinde nec sacramentum effecisse. Et Baronius to. 3. anno 650. refert sanctum Petrum in Anglia apparuisse, & Ecclesiam consecrasse, & Episcopum admonuisse, ne iterum eam consecraret: *Sed suppleat* (inquit) *quod omisimus, Dominici corporis, & sanguinis sacrosancta mysteria.* Itaque anima S. Petri, cum ceremonias alias adhibuisset, sacramentum tamen non consecravit.

16 Quod si obijciatur illa ordinatio S. Amphilochoj per Angelos facta, relata à Nicephoro. Respondet Bernal n. 16. quod si vera est illa historia, & ut patet intelligatur, ex eadem constat, illud non fuisse sacramentum, quia pure intellectuale, siue spirituale. Dico si vera est, & ut patet, intelligatur illa narratio, quia mihi perdifficilis est creditur. Primo, quia singularissima in Ecclesia, ut patet. Secundo, quia citra necessitatem: si enim Episcopi aderant, vel statim adfuturi erant, quorsum Angeli ordinassent? Tertio, quia licet reuera ordinassent Angeli, debuissent profecto homines adijcere in Ecclesia ceremonias accidentales, ut populus eum pro Episcopo haberet, atque reciperet. Cumque hoc ibi non asseratur, sed potius negetur, suspecta michi est eiusmodi narratio. Hæc Bernal.

17 Cuius sententiam nouissime referēs Diana parte duodecima, tractatu de consecratione Episcoporum, resolutione centesima undecima, etiam refert, quod Ioannes Præpositus 3. p. q. 64. art. 4. dub. unico n. 10. etiam docet illam narrationem Nicephorini non esse interum probare. Contra quos solam affert, quod Suarez, Bellarminus, Henriquez, Becanus, Hurtadus, Surianus, Moradus, Gabriel à Sancto Vincentio, Sayrus, & alij supponunt, & admittunt illam historiam, ut refertur à Nicephoro: & dicunt hoc contigisse, non de lege ordinaria, sed de potentia absoluta. Quod & docent Nuño, Cabrera, & alij artic. 7.

Cæteram, quia Bernal totum hoc contentinet, quia dicit Theologos sumptisse ex Nicephoro, cuius narrationem dicit tibi suspectam. Ostendendum est veritatem hanc firmiorem habere radices, quæ euellinequeunt, nisi grauissimis authoribus omnem fidem negando.

18 In primis quoad templorum consecra-

tionem, Sanctus Thomas hic artic. 7. ait. *Sicut quædam tenent placuntur Angelico ministerio consecrata.* Et in 4. sententiarum dist. 5. quæst. 2. artic. 3. quæst. 2. ait. *Nec Angelus bonus baptizaret, nisi diuinitus potestate sibi concessa. Unde si baptizaret, non esset rebaptizandus; dummodo constaret, quod bonus Angelus esset. Sicut, & indicatum est templum, quod per Angelos consecratum est, non oportere per hominem consecrari, ut legitur in historia dedicationis Sancti Michaelis.* Ut notat Mag. Ioannes Nicolaus in Additionibus ad Raynerium verbo *Baptismus*, cap. 3. §. 12. sine folio 281. quod hic refert Diuus Thomas de historia Dedicationis sancti Michaelis, desumpsit ex legenda, quæ ad quintam Septembris pro S. Michaeli apud montem Garganum (quam nunc 7. Maij celebramus) eius tempore in Ecclesia legebatur. Ibi enim dicitur, quod post prædictam apparitionem *Mota est dubitatio inter Sipontinos quid de loco agant, an intrare debeant, vel dedicare illic Ecclesiam? Nocte ergo constituti iterum, ad hoc à Deo reuelandum (ideest, ad obtinendum ut hoc a Deo reuelaretur) Michael Sipontino Episcopo apparet: Non est, inquit, opus hanc dedicare Ecclesiam, ipse enim, qui condidit, dedicauit, ut haberet in Rituali per antiquo Prædicatorum ad annum 1256. scripto, quod in isto Conuentu Parisiensi tantum Jacobi asseruatur. Refert & illam historiam Surius tomo 5. ad 29. Septembris ex *homiliario Doctorum, antiquissimis Martyrologijs, & per vetustis codicibus manuscriptis, ut eius inscriptio præfert.* Hæc ibi.*

19 Quid simile narrat Gaguinus lib. 3. cap. 2. & 3. accidisse in dedicatione templi S. Dionysij. Episcopi enim Beati Dionysij fanum à Dagoberto Rege extructum dedicare sexto Kalendas Martij statuerant. Prædie Kalendarum quidam lepra admodum deformis, ab ædituis impetrauit in æde pernoctare: vbi dum vigil in oratione perleuerat, videt perspicue Christum, committantibus eum Petro, & Paulo, vna cum Diuis Martyribus Dionysio, Rustico, & Eleutherio, per fenestram in Basilicam advenire. Ergo candida veste amictus, dedicationis sacrum munus absoluit: deinde ad lepra contaminatum progressus Christus: Tu, inquit, homo dicit Pontificibus, cum castrina luce ad hæc ædem se conferent, eam à me consecratam. Cuius rei fidem fuit infirmi hominis cura. Nam contracta hominis facie lepram omnem Christus auferens, eam proximo lapidi agglutinavit. Quæ ad hanc usque diem per summam æmulationem

rationem visitur. Quo miraculo attoniti Præfules à dedicatione abstinerunt. Hæc causa est, quam obrem frequens admodum populus ad Ecclesiam ipsam sexto Kalendas Martij conueniat, firmissimè credēs id à Christo Deo fuisse perpetratum. Hæc ille. Idem Folg. lib. 1. cap. 6. & Laurentius Beyerlinch, in Theatro vitæ humanæ tomo 2. verbo *Diminatio* folio 227. lit. e. & fol. 233. lit. c.

Ad idem pertinet illa apparitio D. Petri in Anglia ad consecrandum templum, relata à Baronio tomo octauo, non anno 650. ut refert Bernal: sed anno 610. ex Ealredo Abbate in vita Sancti Eduardi apud Surium die 5. Ianuarij.

20 De Eucharistiæ sacrosancto sacramento ab Angelis ministrato, innumera habemus exempla. S. Onophrium Anachoretam ab Angelo Eucharistiam accipere testatur Dominico quoque die, ex Paphnutio Abbate teste oculari, refert Marulus lib. 1. cap. 10. & Sabel. lib. 2. cap. 2. & Volat. lib. 17. & passim alij. SS. Clemens Octauus in Bulla beatificationis B. Agnetis de Monte Politiano V. O. Præd. data 23. Februarij anni 1601. recitatur, quod *sepius eisdem Angelus Eucharistiam sua manu porrexit.* Ipsum Dominum Iesum, vel Angelos eius beatissimam Catharinam Senensem miraculose sacro synaxi paucis, constat, referuntque Beatus Raymundus Capuanus, & S. Antonius 3. p. Cron. tit. 23. cap. 14. §. 8. & alij passim. Omitto pluribus historijs confirmare, quia de ministracione Eucharistiæ ab hominibus consecrata, quod sit ab Angelis ministrata, nullus negat. Notissimum etiam est miraculum de ampulla Christiante sancto repleta rostro columbæ nunc candidioris cælitus delata S. Remigio in baptisio Clodouei Regis Francorum: de quo Hincmarus in vita S. Remigij cap. 31. & Baronius tomo 6. anno 499. numero 28.

21 Afferamus ergo miraculum de ipsa consecratione ab Angelo miraculose facta. Et quia res est grauissimæ, & recentiores sūt adeo increduli, oportet sanctissimis, & sapientissimis testimonijs comprobare. Sanctus Antonianus Archiepiscopus Florentinus tertia parte historiali titulo 24. cap. 13. §. 3. qui est de Sancto Proculo Martyre, ita ait. *Factum est autem vna die, cum Proculus coram Valentino Episcopo Missam celebraret, ecce Angelus Domini veniens, tulit Calicem, ac omnibus videntibus, qui aderant, deportauit in aera: & post spacijs duarum horarum rediens super altare repositus id dicens: Dominus Deus benedixit: tu tan-*

tum liba illum. Quo facto, magnas Deo omnes gratias rediderunt de tanto prodigio. Hæc ibi. Idem asserit Iacobus Bleda libro de miraculis SS. Sacramenti Eucharistiæ, miraculo ducentesimo vigesimo octauo. Et Petrus Episcopus Aquilinus libro 1. Catalogi Sanctorum cap. 15. ut refert Laurentius Beyerlinch in Teatro vitæ humanæ tomo 7. verbo *Sacrificium*, folio 31. lit. e. ita ait. *Proculus Episcopus, & martyr à Syria Romam venit tempore Iustini Imperatoris, & totamque Romanam Prouinciã percircuens, Christum prædicabat, miraculis, ac vitæ sanctitate resurgens. Is cum die quadam rem sacram faceret, præfente Valentino Episcopo Iteramenis, Angelus Domini acceptum de altari calicem in aera, videntibus omnibus subleuauit, ac deinde in altari repositus sanguine consecrato, sanctus autem Presbyter de mandato Angelis sanguinem consecratum libauit.*

22 Accedit alia mirabilis visio simul de sacrosancta Eucharistia, ac de sacramento Penitentiae cœlitus colatis Beato Alano Sponsio nouello B. Virginis, eximio, concionatori, virtutibus, ac miraculis clarissimo, Ordinis Prædicatorum, quam refert Magister F. Ioannes Andreas Compestein Mandalenis, in libro attributo *Beatus Alanus de Rupe redemptus*, parte quarta sermone tertio capite 26. fol. 335. narrans in die sancti Ioannis Baptistæ Deum immisisse illi extraxim, & eius totam ad supernam raptam euenisse mentem, qua vidit Dominum Iesum celebrantem: & quod illi præcipiebatur ut ad communionem se præpararet. *Admōto conterritus, heu me, exclamat, nec dum exomologest facta sum mentem extraxim. Alter adest illi, Sanctus Præcursor is erat Domini, & Baptista: inberque: Para viam Domino. Cui iste heu mihi confessione opus est. Sequere, ait, ocyus, cōfessionem ecce Beatissimum Apostolorum Principem Petrum. Aurem danti pœnitens adgeniculatus, se scrupulis exuit, tanta cum expiationis consolatione, ac luce, quanta alijs in vita nunquam. Simul ab eo ad mysteria libanda missus, cum accedit ara supplex adorans, & sacramentum, & Redemptorem Iesum. Et infra. Iesus ei ter sacram porrigebat synaxim. Continuo cernebat Dominum Iesum intra sese verissimè inesse medium, & multa familiarissimè, cum ineffabili suauitate, mentem audiebat, &c. Hæc & alia plurima consecutus est Beatus Alanus per electam Sanctissimam Deigenitricem pro eo interuenientem cum scrupulis vexaretur, & tentationibus Diaboli vrgeretur.*

23 Demum Beatus Humbertus Quintus Magister Generalis Ordinis Prædicatorum libro 4. de vitis fratrum (prolo est datus Va-

lentiæ hoc anno 1657. cura, & sollicitudine Fr. Nicolai Figueres, cui & debemus elaboratissimum Iudicem, & eruditissima fragmenta M. Thomæ Maluendæ) cap. 24. §. 9. folio 287. ita ait. *De quodam fratre iuvene Theuromico, honesto, & admodum deuoto, narrauit sanctæ memoriæ Magister Iordanis: quod Christus Dominus in die Cœnæ ipsum communicauit. Et in die Parasceues Passionem Christi totam in corpore suosensit. Eratque mirum quod dicebatur illi, ut se pararet ad illam, vel illam passionem, & neminem inferentem uidebat, sed tantum singulas sentiebat. Referunt etiam Ioannes Molitor parte 1. folio 155. & M. Thomas Maluenda in Annalibus Ordinis Prædicatorum anno 1237. cap. 13. folio 570.*

Rursum Ioannes Antonius Flaminius lib. 2. uitæ S. Dominici, cuius uerba refert Maluenda tom. 1. Anno 1221. folio 329. sic ait. *Et die quadam, cum B. Dominicus iacueret, uidebat hanc mulierem illum Christi sacris uulneribus, & spinæ corona insignitum, & Celi Reginam presentem, & assidentem. Post uero sacra hostia consecrationem, ipsum super altare Christum magna in Cruce extentum, & suo cruore, qui ex omnibus corporis manabat partibus, Beatum Dominicum affatim respergentem. Eodẽ momento temporis Dei genitricem, particulam ex Eucharistia sibi sumentem, ad edentem; similiter partem sanguinis de calice bibentem. Hæc & alia miranda, quæ ibi refert, deinde reuelata sunt Beato Alano de Rupe, ut ipse refert in libro de Plalterio B. Mariæ, & ex ipso M. Andreas Compestein parte quinta. cap. 60. folio 508. & deinceps, & folio 510. refert, quod Beatus Alanus testimonium perhibuit dicens. *Et de omnibus his fidem, & testimonium, sub iuramento fidei Trinitatis perhibeo, sub periculo omnis maledictionis mihi infligendæ, in casu quo deficio à ueritatis recto tramite.* Idcirco omnimodam fidem huic reuelationi perhibent Authores integræ fidei, M. Abraham Bzouius, M. Franciscus Mexia, M. Hieronimus Taix, quos refert, & sequitur Prædicator Generalis Ildefonsus Fernandez in Annalibus Ecclesiasticis, & in Prologo Analiu Rosarij in quarta, & quinta editione. Et quod in decem Authoribus id legit, testatur, & sequitur Præsentatus Franciscus Pinelius libro secundo uitæ S. Dominici cap. 12. folio 572. Tandem Beatus Alanus illo capite 6. in fine, apud Compestein folio 510. sic ait. *Igitur Missa sic miraculose consummata, in qua V. Maria partem hostiæ, & sanguinis Christi accipiens, Dominico sibi familiarissimo communicauit, in signum summæ, & singularissimæ amicitie, tamquam sponsa cum Sponso: eumque uisit ad ueritatem Ecclesiæ deponendum, & humili-**

ter ei ualefaciens, & Benedictam consignans (de qua prædicta acta sunt) cum gratissima facie disparuit. Hæc ibi. Similia legi possunt in uitis aliorum sanctorum: quia est Deus mirabilis in sanctis suis: & in rebus mirabiliter factis, tota ratio facti est potentia facientis, ut dicit S. Augustinus epist. 3. ad Volusianum.

24. Quæ in contrarium obijciuntur, parum uigent: quia sunt argumenta negatiua, & miraculum quod in uno euentu non accidit, alijs temporibus accidisse, retulimus. Nec tam facile neganda est hystoria illa Nicephori per tot sæcula in Ecclesiâ admissa, & à Theologis scholasticis, & Moralibus (qui diligentiùs res disputant, quam historici) recepta. Deinde, non minus miraculosum, & magis singulare est, quod Angeli sine corporibus assumptis appareant, & conferant effectum sacramenti, & characterem sacerdotalem sine sacramento (quia de lege ordinaria nullus est sacerdos non ordinatus sacramento Ecclesiæ militantis) quam quod Angeli sint ministri sacramentorum: ergo si hoc negat, non est cur primum concedat: vel si hoc concedit, non est cur primum neget. Similiter de lege ordinaria Ecclesiæ non consecratur nisi ab Episcopis, nec Eucharistia ministratur nisi ab hominibus, quia nec confertur nisi uiatoribus: & tamen ipse negare non potest hæc duo ministeria facta fuisse per Angelos: ergo & ministeria aliorum sacramentorum: quia omnium est par ratio.

25. Illam hystoriam non esse tam singularem, ex alijs simillimis iam ostendimus. Quod obijcitur contra necessitatem facile retorquetur: quia in illa apparitione S. Petri, quam ipse admittit, etiam aderant Episcopi, qui possent consecrare Ecclesiam: & uoluit ipse Christus per suum Apostolum, vel per Angelos consecrare, ut magis ostenderet quantum sibi placeret, & ut in maiori honore haberetur, & fideles maiorem acciperent fiduciam, quod ibi suæ orationes exaudirentur. Quod pariter uidere est in dedicatione S. Michaelis, & S. Dionisij. Et in miraculosa consecratione Calicis sumendi à S. Proculo, quamuis ipse, ut Presbyter, posset consecrare: sed uoluit Deus populo ostendere quantum sibi placebant illa sacrificia, ut fidem eius prædicationi præberent.

Quod autem in illis euentibus omnia fuerint ceremoniarum accidentales, parui momenti est: quia si reuelatio diuina externo miraculo confirmata, cogebat credere illam ordinationem diuinitus esse perfectam, populus alijs externis ceremonijs non indigebat, ut eum pro uero sacerdote admitteret; quia

testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. Admonet tamen S. Thomas in 4. ad Anibaldum dist. 17. q. 3. ar. 1. ad 2. quod priuilegia specialia non faciunt legem communem. Videantur quæ diximus q. 60. dub. 13. §. 5.

§. III.

Verum beati, ex uisitatione institutionis, possint sacramenta ministrare?

Tertio inquires de animabus beatorum, an dato miraculo, quod apparerent in corpore assumpto, vel miraculose resurgerent, absque nouo miraculo, possint sacramenta ministrare?

Negant Alexander Aletius 4. p. q. 16. membro 4. & Petrus Cabrera q. 64. art. 7. nu. 8. & 9. & 10. id probans. Primo, quia sicut tot homines uiatores sunt capaces sacramentorum; sic illi soli sunt ministri sacramentorum: quia sicut in illis character baptismalis non est de lege ordinaria potentia passiuæ ad recipienda sacramenta: sic etiam neque character ordinis est in illis potentia actiua ad sacramenta ministranda. Secundo, quia character ordinis est tantum potentia actiua in ordine ad Ecclesiam militantem: beati autem sunt extra Ecclesiam militantem, & pertinent ad triumphantem. Tertio, quia D. Petrus (& quicumque alius beatus) qui fuit Summus Pontifex, dum uixit, si modo resurgeret, nullam haberet potestatem iurisdictionis in Ecclesia: alias simul essent in Ecclesia plures summi Pontifices: quod est falsum: ergo neque haberet potestatem ordinis in Ecclesia militante: atque adeo nullum sacramentum conficere posset. Neque Eucharistiam posset consecrare, etiam si resuscitatus humana uerba proferret, & haberet characterem, & intentionem; quia cum sit extra statum uisitationis, nequit secundum legem ordinariam conficere sacramenta, quæ ex Christi institutione à solis uiatoribus, & pro statu uisitationis confici, administrari, atque suscipi queunt.

Nec D. Thomas oppositum docet solutio ne ad 2. quia solum id permittit, & quasi dicit, quod transeat, & negat consequentiam; quia dato, & non concessio, quod Beati homines de lege ordinaria possent conficere sacramenta, non sequitur intentum argumenti, quod Angeli quoque de lege ordinaria possint eadem sacramenta ministrare propter diuersitatem naturæ. Et anima separata, cum non sit homo, quamuis retineat characterem, non potest ualide ministrare in actu secundo, eo quod subiectum est improprietate ministerio sacramentorum: quod

solum concessum est hominibus uiatoribus. 27. Idem tenent Vazq. disp. 134. c. 5. n. 93. Coninch art. 7. n. 56. Ochagavia q. 16. n. 8. Mercerus, Vigiers, Hurtado, & Gabriel à S. Vincentio reati à Diara ille reioj. 111. Lugo disp. 8. sect. 1. n. 2. probas. Primo, quia post diem iudicij omnes sacerdotes retinebunt characterem suum: & tamen tunc non poterunt consecrare, quia solum acceperunt potestatem consecrandi in hoc mundo ante diem iudicij: iuxta illud 1. ad Corinth. 11. *Quicumque enim uis uisitationis panem hunc, & calicem bibentis, uisitationis Domini annuntiabit, donec ueniat.* Secundo, de Extrema unctio ne idem constat ex illo loco ubi 3. illis uerbis: *Tristis est Ecclesia: quod de solo uiatore uerificatur.* Requiritur etiam *Oratio fidei*: oratio Beati non procederet ex fide, sed ex uisione clara. De Matrimonio item certum est, non posse suscipi, aut ministrari, nisi à uiatoribus, cum eius uisculum non duret, nisi usque ad mortem conjugis, & per consequens sit proprium huius uitæ. Unde credi potest idem requiri in omnibus sacramentis.

Ratio à priori uidetur esse, quod sacramenta data sunt Ecclesiæ, ut ministrarentur ijs, qui sunt intra Ecclesiam ab ipsa Ecclesia uisibili militante per suos ministros: quales non sunt ijs, qui iam sunt extra hunc mundum, & qui nullo modo subiacent directe, vel indirecte Ecclesiæ. Denique, quis credat Episcopum damnatum, qui sit in inferno cum anima, & corpore, habere potestatem conferendi ordinem, vel sacramentum Confirmationis alteri damnato, qui ibi esset cum corpore, & anima? Certè, si id posset facere, faceret utique ex odio in Deum, ad irrogandum iniuriam sacramentis Christianis.

28. Eandem sententiam sequitur Bernal disp. 17. sect. 1. §. 2. nu. 21. dicens. Existimo Beatos, quantumuis corpore, & animo constantes, non habere potestatem ueram ministrandi sacramenta. Quam sententiam, diu postquam teneram, inueni in P. Coninch illo art. 7. n. 56. Et proba à priori: quia sacramentorum ministratio instituta est pro statu uisitationis. Et quia solus uiator potest illa recipere. Et quia uel aqua deberet in coelum deportari, uel uiator in coelum ascendere: quorum neutrum est de lege ordinaria. Denique, si potestas hæc esset in beatis ordinaria, incredibile est fere, ut tot homines absque sacramentis necessarijs morerentur. Quod si dicatur hoc euenire, quia beati non permittuntur ad terras descendere, inde inferitur, quod de lege ordinaria potestatem non habent, & sine fundamento oppositum asseritur.

Sed cum quinquaginta annis ante Bernal sententia hæc eisdem fundamentis à tot Authoribus sit tradita, & quadringentis ab hinc annis ab Alëi, mirum est Bernal velle, quod credamus ipsius fuisse excogitatore, & quod alium non habuit Authorem, quem pro ea refferret, nisi Coninch, cum ad manū ex sua Societate haberet Vazquez, Hurtado, Lugo, & alios. Et ex extraneis Caoteram, & alios iam relatos.

29 Contrariam sententiam aperte supponit D. Thomas art. 7. cum enim in articulo argumēto obiecit, quod hoc dicitur quod a similitudine Angelis in celo, ut dicitur Mathæi 22. Sed aliqui Sancti in celo existentes, possent ministrare in sacramentis: quia character sacramentalis est indelebilis, ut dixerat art. 5. Ergo etiam Angeli. Respondet ad 2. quod sancti, qui sunt in celo, sunt similes Angelis quantum ad participationem gratiæ, non autem quantum ad conditionem naturæ, & personæ sequens neque quantum ad sacramentum. Vbi S. Thomas non dicit, quod transeat minor: sed quod est concedenda, ut pote conformis rationi præcipua: articuli, & dicit art. 5.

30 Quare S. Thomam sic interpretantur, & sequuntur Soto in 4. dist. 1. q. 5. art. 7. §. Verumtamen, in fine dicens. Ino, si D. Petrus huc rediret, posset sine noua commissione ratione characteris, quem habet indelebiliter sacerdotalem, ministrare, sicut dum erat viator, ut ex solutione 2. colligimus. Hæc ibi. Et ad 2. ait. Cōcedit ergo D. Thomas, quod beati possunt, ut nouissime diximus, potestate ordinari sacramenta ministrare. Idem docent Martinus Ledesma 1. p. 4. q. 5. Syluester verbo Baptismus 3. q. 2. in fine: quamuis bene addat hæc difficultatem parum refferre ad proximum: quia mali homines sine diuino miraculo hic apparere non possunt: beati vero, si quid facerent, rarum esset, quia sine diuina voluntate non facerent. Tabiena verbo Baptismus 6. §. 4. Henriquez lib. 1. de sacramentis cap. 26. n. 2. lit. g. dicens esse communem. Et lib. 2. cap. 17. nu. 4. Suarez in cōm. art. 7. & disp. 13. sec. 1. Nuño art. 7. dub. vnic. Auerfa sec. 2. §. Tertio. Philiber. trac. 1. de ordine parte 3. cap. 6. n. 3. fol. 60. Leander trac. 1. disp. 3. q. 22. Trullench lib. 1. praxis sacramentorum cap. 3. dub. 1. n. 4. Dicastillus de Sacramētis to. 1. trac. 1. disp. 4. n. 38 Surianusto. 1. lib. 3. cap. 19. Diana parte duodecima trac. de consecratione Episcoporum resol. 111. Et Stephanus à S. Gregorio, de diuina pietatis visceribus, de sacramentis in genere cap. 67. n. 7. Philippus à Trinitate disp. 8. dub. 1.

31 Ratio sacramentalis est, quia beatus

resumens corpus, adhibere posset omnia essentialiter requisita ad valorem sacramenti, nempe posset apponere materiam, & formam, & habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Ex alia parte retinet characterem, & in corpore assumpto, esset in statu ut proximè exercere valeret. Ergo dato miraculo, quod assumeret corpus, postea potestate ordinaria eilet sacramentorum minister: quia in natura esset Christo conformis: & sicut ipse, quamuis comprehensor, nobiscum agens, nobis meruit gratiam; ita eius minister Beatus conferre eam posset medio sacramentum.

32 Vnico autem verbo omnia argumēta contraria ruunt; quia non est reuelatum in Scriptura, neque traditum in Concilijs, & Patribus, neque aliquo firmo argumēto Theologico, aut communi Theologorum cōsensu est arrium, quod Christus potestatem ministrandi in sacramentis ad solos viatores limitauerit. Dum autem hæc limitatio non probatur, remanet parui momenti reputatur. Et aliqua inuuantur, quia omnes admittunt, quod homo resurgens iterum moriturus valide ministraret: neque ergo abique fundamento ei denegatur potestas, quia restrictio firmiter non probatur; ita pariter de omnibus hominibus beatis est dicendum.

Admittimus tamen, id quod docet Lugo lib. 1. Responsorum Moralium dub. 16. quod si aliquis natus à S. Petro ablueretur, ueberet adhuc peccata illa confiteri iterum sacerdoti mortali; licet per abolutionem collatam à S. Petro maneret inuincibilis: quia eilet cum onere confitendi ministris Ecclesiæ uisibilis. Quod colligit ex Concil. Trid. sess. 14. c. 2. 5. & 6. & ex cap. Omnis uiriusque sexus, de pœnitentijs. quia nomine proprijs sacerdotis, viator intelligitur. Nisi expresse constaret de diuina dispensatione, quæ in dubio præsumi non debet.

Quamuis alijs videatur non improbabile, & conforme D. Thomæ & nostræ doctrinæ Authoribus, quod non teneretur iterum confiteri: quia beati ex vi præsentis institutionis possunt ministrare. Concilium autem, & Innocentius loquuntur de ministris, quos nos possumus adire, & miraculo non indigent ut ad nos veniant.

33 Ad primū dicimus, quod post mortem non est tempus merendi, neque acquirendi, nec augendi gratiam: & ideo pro tunc non sunt instituta sacramenta. At uero si Deo mittat eos, qui sunt in celo, ut nobiscum cōuersentur, mittit ut dent dona hominibus: & ideo supposito primo miraculo, licet ipsi non

non possent sacramenta recipere, possent ea ministrare. ¶ Ad secundum nego maiore, quæ gratis ibi supponitur. Vel ut ait Nuño ad 2. illa propositio est uera regulariter loquendo. Sed in nostro casu persona pertinet ad Ecclesiam triumphantem, posset uti characterem, quia pro tunc existit in Ecclesia militante.

34 Ad tertiam respondet Nuño ad primam, quod ille miraculose resuscitatus nullam haberet iurisdictionem: posset tamen conficere sacramenta, quæ non requirunt iurisdictionem. Et posset suscipere iurisdictionem ab Episcopis; & ita efficere omnia sacramenta. Vel dicatur casum esse metaphysicū, quia Deus, qui miraculose ad nos beatos mitteret, faceret ut illi à Deo mittere iurisdictionem haberent; & ideo non est cur ab omnibus eam pererent, aut emendicarent.

35 Ad ea quæ obijcit Lugo ex n. 27. dicitur, uerū esse post diem iudicij non futura sacramenta, nec modo esse in celo; & multo minus in inferno; quia sunt in termino, nec Christus pro beatis, aut pro damnatis ea instituit. Sed tamē bene potest ille, qui non est suscepturus sacramenta, alijs ministrare: sicut Christus instituit sacramenta; quæ ipse non recepit, excepta Eucharistia: à quo sacramentum non accepit gratiam, sed tantum aliquid accidentale. ¶ Sanctus autem Iacobus, ut notat Auerfa, nominauit Presbyteros, quos viatores possunt ad se vocare, & inducere, qui utique sunt de hac Ecclesia: non tamen quasi status uiatoris, aut conditio fidei per se requiratur in ministro.

Matrimonij etiam uis requirit corpus animale, quod possit generationi vacare: & in celo erit corpus quasi spirituale; & ideo non nubent, sed erunt sicut Angeli Dei. Inde uero, non inferitur, quod si beati homines, etiā impatiibiles, ad nos uenirent, quod non possent alia sacramenta ministrare, quæ non exigunt corpus passibile.

36 Ad rationem à priori dicitur, quod ut insinuat D. Thomas in 4. dist. 5. q. 2. art. 3. q. 1. in argum. Sed contra. Sacramenta pertinent ad Ecclesiam militantem: sed ministri debent esse, vel transeunter, vel permanentes de ea, quia sufficit quod, quoad exercitiū sint nobiscum, cum conficiunt. Vnde eo ipso, quod homo resuscitatus conuersaretur cum uiatoribus, posset sacramenta ministrare.

37 Ad ultimum dicitur, quod in inferno non est locus pœnitentiæ, nec tempus acquirendi gratiæ; quia sunt in termino miseris. Si autem damnati miraculose resurge-

rent, & essent apud nos, non est cur non ualide possent sacramenta ministrare: si cur de hæreticis; & paganis docet S. Th. artic. 9. Argumenta Bernal ex dictis nullam continent difficultatem.

DVBIVM VII.

Vtrum intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti?

§. I.

Doctorem sententia:

Non sumitur in præsentia intentio in illa rigurosa significatione, qua uisuratur à D. Thoma Prima Secundæ q. 12. pro actu uoluntatis efficaci circa finem. Sed accipitur in communi quadam acceptione; quæ illa, quæ sunt à proposito, dicuntur fieri ex intentione; & solum quæ à casu sunt; dicuntur fieri præter intentionem, ut notat S. Thomas art. 8. in argum. Sed contra. Vnde intentio apud Philosophum si accipitur communitate, denotat propositum uoluntatis, ut constat ex 6. Ethicorum, cap. 9. & 12; & libro 3. cap. 2. Accipitur ergo in præsentia intentio pro actu uoluntatis libero habente pro obiecto applicationem materiæ; & formæ, ex quibus constat sacramentum; ad aliquam personam, quæ dicitur ab eo sacramentum recipere.

2 Sed ut id melius intelligatur, addendum, ministrum alicuius sacramenti, exēpli gratia, baptismi, potest habere tres actus uoluntatis circa abolutionem aquæ faciendam, & uerba formæ proferenda. Primo enim potest solum uelle lauare exterius puerum, & lauando dicere uerba formæ consueta, nec cogitando, nec uolendo quod fiat sacramentum: sed solum considerando abolutionem, & prolationem uerborum pure materialiter, ita ut nec explicitè, nec implicitè cogitet, aut uelit ponere partes sacramenti ut partes sacramenti sunt. Secundo potest cogitare, & uelle; vel explicitè, vel implicitè, ponere duas illas actiones abluendi, & loquendi ut sacramentales sunt: & in quantum à Christo sunt institutæ, ut ex eis componatur, & fiat unum ex septem sacramentis Ecclesiæ, nihil cogitans, nec intendens, quod medio illo sacramentum conferatur gratia, & imprimatur character. Tertio potest quis intendere, & uelle perficere illas actiones, & proferre uerba externa formaliter ut ex eis perficiatur sacramentum;

mentum à Christo institutum ad significandā, & conferendā gratiam, & characterē: quod totū ipse in exercitio vult perficere, ut Christi, & Ecclesiæ minister ad faciendā sacramēta, & sanctificandā, & consecrandā animas.

3 Est hæresis Lutheri in libro de captiuitate babilonica, absolute negantis ad valorem sacramentorum requiri intentionem ministri, sed aliter sacramentum perfici, si apponantur res, & verba proferantur, etiā si minister ioco, aut irrisione, aut fide, & mendaciter totū id exterius peragat. Unde duo decimus articulus Lutheri fuit. Si Sacerdos, nō serio, sed ioco absoluerit, si amen credat quis se esse absolutum, verissime est absolutus. Tenuerūt eādem hæresin Kemnitius, & alij, quos refert, & confutat Bellarm. lib. 1. de sacramētis cap. 27.

4 Catholici vero Doctores omnes fatentur ad valorem sacramenti requiri aliquam intentionem ministri: sed tamen aliqui aut qui duas distinxerunt intentiones ministri conferentis sacramentum: alteram quidem publicā, & Ecclesiæ ipsius, quæ satis exprimitur in ipsius sacramētō formis: Ego te baptizo: Ego te absoluo: & per ly hoc, in verbis consecrationis: quæ intentio inseparabilis est ab ipsis verbis, si integre, & serio proferatur: & terminatur hæc intentio ad sacramentum materialiter, quoad materiam, & formam, quoad integritatem sensibilem, de qua audientes, & videntes possunt certificari. Altera intentio ministri est mentalis, & priuata, quæ sensibus percipi non valet, quia non solum cogitat rem illam externam serio agi, sed vult quod peragatur illud opus externum formaliter ut quid sacramentale est. Dicunt ergo, quod si minister non habeat hanc secundam intentionem explicite, vel implicite formaliter, vel virtualiter, peccabit mortaliter: sed tamen validum perficietur sacramentū, propter intentionē publicam Ecclesiæ, quæ per verba sensibilia exprimitur. Potissimū fundamentum est, quia intentio mentalis, & priuata, non est alijs hominibus nota: & cum Baptismus sit de necessitate salutis, & deest ille nec valet Sacramētum Ordinis, nūquam esse certi nos esse Christianos, & Sacerdotes, nec Episcopos valide ordinare, & ita semper anxiamur scrupulis, & de omni sacramento possimus merito dubitare an esset validum: & totus ordo Ecclesiæ militans turbaretur.

5 Tribuitur hæc positio D. Thomæ hic art. 3 ad 2. vbi ait. Alij melius dicunt, quod minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ,

enius est minister. In verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem sacramētī, nisi contrarium exterius exprimat ex parte ministri, vel recipientis sacramentum. Et in 4. Sentent. dist. 6. q. 1. ar. 2. q. 1. ad 2. ait, quod in Baptismo, & in alijs Sacramētis, quæ habent in forma actum exercitium, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta, &c. Videtur etiam esse sententia Sancti Bonaventuræ in 4. dist. 3. artic. 2. q. 2. dicentis, quod quia Baptismus non est sacramentum singularis personæ, ideo fides personæ nihil prodest, vel obest: sed est sacramentum Ecclesiæ Christi. Unde quidquid sit de fide cordis personæ baptizantis, iudicandum est, secundum expressionem oris.

6 Videturque tenere ibi Cardinalis Aureolus docens, quod oportet ministrum intendere, vel saltem appere, quod intendebat, baptizare. Similiter Patriarcha Petrus de Palude in 4. dist. 6. q. 2. n. 13. vsque ad 23. eam opinionem defendit ut probabilem: quamuis nu. 24. dicat, quod prima opinio opposita, tanquam communior, & tutior est tenenda. Ipsum refert, & sequitur S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus 3. p. Theolog. titulo 14. capite 13. §. 10. Inclinatque in eam, ut probabilem, Syluester verbo Baptismus 3. q. 12. & q. 16.

7 Exprofessoque tuetur assertiue Ambrosius Catharinus Archiepiscopus Consensensis, qui & Concilio Tridentino interfuit, in tegro opusculo de intentione ministri Sacramentorum. Et Alphonsus Salmeron, qui etiam fuit vnus ex Theologis Concilij tom. 13. in epistolā D. Pauli lib. 1. parte tertia dist. puracione secunda à folio 186. probans non uem rationibus, quas de verbo ad verbum, refert Diana parte 10. tract. 11. miscelaneo resol. 67. Vbi & refert idem nouissime sequutum Hieronymum Columbū, de Hierarchia Angelica, & humana lib. 4. cap. 20. Item tenet Ioannes Marius Scribonius Galus in Pantalitia, seu summa Theologiæ dist. putacione 1. de Sacramētis in genere q. 6. & 7. eius decem, & nouem argumenta refert, & diluit Lugo disp. 8. sect. 3. Nouissime sequitur Zacharias Pasqualigus Clericus Regularis tomo 2. sacre Moralē doctrinæ edito Venetijs anno 1650. disp. 72. sect. 4. folio 232. à n. 26. vsque 37.

8 Requirit tamen ad valorem sacramenti intentionem mentalem faciendi, quod factum est Ecclesiæ, tenent communiter Theologi cum Hugone de S. Victore lib. 2. de sacramētis parte 6. cap. 13. Et solum differunt in assignan-

gnando gradū certitudinis huius veritatis.

Multi dicunt hoc esse immediatè de fide, & sententiam immediatè nunc relatā, esse hæreticam. Ita Bellarminus lib. 1. de Sacramētis cap. 27. Vazquez disp. 138. capite 3. Nuño q. 64. ar. 8. diff. vltima. Philippus a Trinitate disp. 8. dub. 2. Ochagavia q. 22. cap. 2. nu. 3. Hurtado disp. 4. diff. 4. Auersa q. 64. sect. 3. & alij.

9 Dicunt alij saltem mediatè esse de fide, & oppositum esse manifestum errorem in fide. Sic Suarez disp. 13. ar. 2. §. secundo principali ex Cabrera q. 64. art. 8. disp. 1. §. 3. nu. 25. Petrus Ledesma to. 1. tract. 1. cap. 6. conc. 13. Serra dub. 1. conc. 1. §. Ex quibus patet. Sub dubio relinquens, an sit error in fide, vel hæresis. Franciscus de Lugo de sacramētis lib. 1. cap. 2. q. 4. n. 72. Quartus in Rubricas Missalis parte 3. tit. 7. dub. 4. Et Tannerus to. 4. disp. 3. q. 2. dub. 2. n. 21. Aliorum ceteras refert, & approbat Diana parte duodecima tractatu de consecratione Episcoporum resol. 37. Item Lugo disp. 8. sect. 2. nu. 15. ii cet fateatur sententiam relatam differre ab errore hæreticorum: sed ex fundamentis Conciliorum dicit ita clarè colligi eius falsitatē, ut merito censetur ab errore damnato non multum distare. Alios multos, qui eodē modo sentent, refert Diana etiam parte decima tractatu 11. Miscelaneo resolutione 67.

10 Demum alij solum reiiciunt ut falsissimam, & ab omnia alia Theologica censura abstinent. Ita Durandus in 4. dist. 6. q. 2. à nu. 5. vsque 12. Soto in 4. dist. 1. q. 5. ar. 3. ad 2. §. Durandus autem. Bonacina de Sacramētis in genere disp. 1. q. 3. puncto 2. §. 3. num. 6. Leander tract. 1. disp. 4. q. 12. Marti non de Sacramētis to. 1. disp. 22. sect. 3. nu. 28. Trullench lib. 1. praxis cap. 3. dub. 2. n. 3. Et exprofesso Bernal disp. 17. sect. 1. §. 2. & §. 3. n. 55. ait. Equidem illi doctrinæ nouam censuram non infligo, nec ab alijs infligat in specie refero, quod & sententiam eam sententiam esse S. Thomæ, prout demonstrat: & videam in tot Authoribus antiquis, & recentibus ab vniuersa Ecclesia toleratam. Reor tamen illam, & omnino falsam, & oppositam omnino certam, &c.

11 De mente etiam D. Thomæ non est eadem Expositorum intelligentia: nam illā priorem sententiam, ei tribuunt Adrianus in 4. q. 4. de Baptismo art. 3. §. Ad rationes. Et Alanus de Sacramētis cap. 55. dicit verba eius esse suspensionis plena: Vazquez etiam disp. 138. cap. 4. contendit nullam eam admittere: cum tamen nu. 44. plane

fateatur Vazquez, quod D. Thomas art. 10. huius quæstionis docuit communem Theologorum doctrinam. Cū autem ex alia parte Vazquez capite 3. persuaderet, nitatur illam sententiam esse hæreticam, cogitur fati vno solo folio interposito sibi, & sententiæ catholicæ Angelicæ Doctorem contradicere. Quod non habet pro inconuenienti Vazquez, qui à nu. 48. vsque ad 54. nititur probare, quod etiā S. Augustinus in hoc puncto cum hæreticis sentit. Suarez vero sectio ne secunda fatetur, quod D. Thomas in Summa communem docuit sententiam: sed tamen lib. 4. Sententiarum in oppositam fuit propensus. Denique Bernal à nu. 4. 1. vsq; ad 4. 4. contendit, quod in Summa, & in 4. Sect. perspicue eam docet.

12 Ceterum verba, & mentem D. Thomæ esse perspicuam pro communi, & vera sententia, non solum docent Caieranus, & Soto, & Thomæ omnes: ex quorum mente ait Cabrera nu. 25. quod immerito, & falso opposita sententia D. Thomæ imponitur: Sed etiam Bellarminus lib. 1. de Sacramētis capite 28. ad 4. Lae Suarez in commentariis ar. 8. Henriquez lib. 1. cap. 10. nu. 2. Grados tract. 5. disp. 4. sect. 1. n. 7. Lugo disp. 8. sect. 4. per totam, & passim alij.

§. II.

De fide est, ad valorem Sacramenti exigi intentionem ministri.

13 **D**ico primo, secundum fidem Catholicam est certum, ad valorem sacramentorum requiri in ministro intentionem saltē faciendi, quod facit Ecclesia. Probatur à priori ex voluntate Dei, & Christi instituentis, quod sacramenta valida non essent, nisi collata ab hominibus modo humano operantibus, deliberatione, & intentione. Quæ voluntas colligitur ex Sacra Scriptura: nam pariformiter Apostoli à Christo constituti sunt Doctores, & Prædicatores, ac ministri Baptismi Mathæi ultimo: *Docete omnes gentes, baptizantes eos: doctrina autem exigit de liberationem, & intentionem docentis: ergo & ministerium Baptismi.* Similiter eos, quos constituit iudices, constituit absolutio nis ministros Ioann. 20. Iudicium autem exerceri nequit nisi cognitione, & intentione iudicantis. Sacerdotibus etiam præcipit Christus Dominus Luca 22. *Hoc facite in meam commemorationem: quod implere non possunt nisi hæc intentione humana operando.* Et hæc est ratio D. Thomæ art. 8. in argu-

mento, *sed contra*: Nam ea, quæ sunt præter intentionem, sunt casualia. Quod non est dicendum de operatione sacramentorum. Ergo sacramenta requirunt intentionem ministris.

14 Secundo probatur ex Concilio Constantiensi sess. 45. in condemnatione Ioannis Viclephi, & Ioannis Hus, & in Bulla Martini Quinti in fine Concilij. Et in Concilio Florentino sess. vltima in Decreto Eugenij 4. ubi de sacramentis omnibus nouæ legis, ait: *Hæc omnia tribus perfici, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit, nõ perficitur sacramentum: ergo sicut deficientem materia, aut forma, aut ministro, non est validum sacramentum: ita si in ministro desit intentio faciendi, quod facit Ecclesia, sacramentum est nullum.* Tandem in Concilio Tridentino sessione 7. canone 11. dicitur: *Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt, non requiri intentionem, saltem faciendi, quod facit Ecclesia, Anathema sit.* Et sess. 14. can. 6. definitur: *Si Sacerdoti animo serio agendi, & vere absoluenti desit, penitentem non manere vere absolutum.* Et in Bulla Leonis Decimi contra Lutherum, damnatur eius articulus duodecimus relatus numero 3. vt hæreticus.

15 A simili idẽ definit Innocentius Tertius: nam par ratio est de intentione recipiendi Baptismum in baptizando, ac de intentione conferendi in baptizante. Sed non valet baptismus sine intentione recipientis, vt habetur cap. *Maiores, de baptismo*: ergo nec valet sine intentione conferentis. Nec enim Ecclesia habet maius fundamentum in Sacra Scriptura, aut canonica traditione vt definiat in vno casu valere, ac habet in alio. Ex alio item simili sumitur paritas: nam Innocentius Tertius cap. *Tua nos, de Sponsalibus*, docet, quod sine consensu nequeunt cetera hæc coniugale: ergo sine intentione dantis cetera nequeunt perficere sacramentum.

16 Ratione probat D. Thomas art. 8. nam quãdo aliquid se habet ad multa, oportet, quod per aliquid determinetur ad vnũ, si illud effici debeat. Ea vero, quæ in sacramentis aguntur, possunt diuersimodè agi: sicut ablutio aquæ, quæ fit in baptismo, potest ordinari, & ad munditiam corporalem, & ad sanitatem corporalem, & ad ludum, & ad multa alia huiusmodi. Et idẽ oportet, quod determinetur ad vnũ, idest, ad sacramentalem effectum, per intentionem abluentis.

17 Hæc ratio videtur non admodum efficax Scotõ in 4. dist. 6. q. 5. §. *ad istã quæstionem*: quia satis est quod ex institutione Dei ad placitum iam sint determinata, vt ex eis fiat vnũ sacramentum, quoties in exercitio ponantur vt vnũ signum, & vna causa gratiæ.

Facile tamen respondet Soto in 4. distinctione 1. q. 1. ar. 8. §. *At vero*, dicens: Attamen impugnationi hæc multo minus videtur habere efficaciam, quam ratio: quoniam minister habere potest intentionem aliam, quã fuerit diuina institutio: & idẽ requiritur in eo intentio similis intentioni Dei. Et idẽ rectè ait D. Thomas, quod opus est illam actionem abluendi, quæ de se indifferens est ad plura, per intentionem ministri determinari ad illum effectum, ad quem Deus illam instituit. Quamuis autem D. Thomas q. 60. art. 7. rectè dixerit ablutionem determinari per verba: sed tamen nisi res, & verba determinentur intentione ministri ad faciendum, quod facit Ecclesia, numquam ablutionem ad sanctificationem referent: Videatur etiam Cabrera disput. 1. a numero 20. vsque 22.

18 Accedit ratio D. Thomæ ad 1. quæ & argumenta contraria soluuntur: nam instrumentum inanimatum non habet aliquam intentionem respectu effectus; sed loco intentionis est motus, quo mouetur ad principale agente. Sed instrumentum animatum (sicut est minister) non solum mouetur, sed etiam quodammodo mouet se ipsum, in quantum sua voluntate mouet membra ad operandum. Et idẽ requiritur eius intentio, qua se subijciat principali agenti: vt scilicet intendat facere, quod facit Christus, & Ecclesia.

19 Ab inconuenienti etiam arguit Hugo de S. Victore, & alij multi: nam si non requiritur intentio ministri, sed sufficit, quod a casu proferantur verba super debitam materiam, sequitur, quod si mulier propter corporalem munditiam, abluat infantem, & abluendo dicat, ego te lavo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: vere baptizaret puerum: & si ille puer antea esset baptizatus, sequitur, quod incurreret poenas rebaptizantium: quod est ridiculum. Similiter sequitur, quod si sacerdos lector mensa in refectorio fratrum pronunciatet epistolam D. Pauli, vel Euangelium D. Mathæi, in quibus verba consecrationis panis habentur, si panis esset in mensa, vere maneret consecratus: si alia non exigitur intentio, quam voluntas casualis proferendi verba super materiam.

Quod

Quod tamen quam sit absurdum, probatio- ne non eget.

20 Sed obijciunt S. Chrysostomum homil. 85. in Ioannem dicentem. *Sacerdos, & linguam, & manus præbet: neque enim vitium est propter alterius malitiam ad salutem nostram accedentes offendi.* Ergo sentit non requiri de necessitate sacramenti intentionem ministris; ne salus hominum in arbitrio mali ministri constituatur. ¶ S. August. tract. 5. in Ioannem relatus cap. *Baptismus, de consecratione*, dist. 3. ait. *In baptismo non timeo ebriosum, nõ adulterũ, non homicidam.* Cum ergo ebriolus careat vsu rationis, caret intentione: & tamen ab illo datum Baptismum iudicat validum S. Augustinus.

Clarius ipse S. Augustinus lib. 7. de Baptismo contra Donatistas cap. 53. relatus capite: *Solet. De consecratione*, dist. 4. inquit. *Nequaquam dubitarem habere eos baptisma, qui vbiicumque, & a quibuscumque illud verbis Evangelicis consecratum sine sua simulatione, & cum aliqua fide accepisse: quamquam eis ad salutem spirituale non prodesset, si charitate caruissent.* Vbi nil curat de intentione dantis. Quinimo etiam si per iocum Baptismus conferatur, nõ audet sententiam suam pronuciare, & tale sacramentum nullum esse decernere.

21 Respondetur S. Ioannem Chrysostomum non agere de intentione ministri; sed de peccato ministri: quia iam ostensum est, quod per malos ministros sacramenta valide conferuntur. De bonitate ministri, nec ipse potest omnino esse certus: siquidem nemo scit vtrum odio, an amore dignus sit. De intentione ipse certus esse potest, & alij moraliter certificantur: quia de quolibet presumendum est non fingere, dum contrarium manifestis indicijs non probatur.

22 Ad priorem auctoritatem D. Augustini respondet D. Thomas in 4. dist. 6. q. 1. artic. 2. q. 1. ad 3. quod *quamuis actu ebrius intentionem habere non possit: tamen ebrius potest esse non actu ebrius, & intentionem baptizandi habens baptizare.* Addit ibi ad Anibaldum art. 2. ad 2. quod *talis, aut habet omnino ligatum visum rationis; & tunc non intendit, nec sacramentum baptismi confert: aut non; & tunc intendit; & baptizat. Vel dicendum, quod ebrius non se per esse actu ebrius: & idẽ intentionem baptizandi habere potest.*

23 Ad aliam auctoritatem Vazquez num. 48. contendit S. Augustinum loqui non solum de recipiente baptismum, sed etiã de ministrante: & quod dubitat S. Augustinus, an baptismus sine ministri intentione datus valeat? Et inclinat in eam partem, quod va-

let sine intentione dantis, dum addit fides aliqua, & intentio recipientis.

Bene tamen probat Lugo disp. 8. sect. 3. nu. 45. quod in ijs, quæ S. Augustinus ibi ex propria sententia in eo capite asseuerat, nihil est, quod cogat ad faciendum, quod S. Augustinus dixerit, validum esse baptismum absque ministri intentione collatum. Nam si totum caput attente legatur, apparebit Augustinum nomine, *fallaciter dantis, vel suscipientis*, non intellexisse dantem, vel suscipientem absque intentione; sed absque fide, aut existimatione requisita de veritate sacramenti, vel cum simulatione, fingendo se aliter sentire, quam reuera sentiat. Quod latè ex cõtextu probat, ex quo colligit, quod principalis quæstio ibi proposita oriebatur ex defectu credulitatis; & idẽ de hoc eodem defectu, & non de defectu intentionis accipiendus est Augustinus in reliquo capitis cõtextu, ne tanto Doctõri crassissimam ignorantiam labè concedamus.

§. III.

Est mediãtè de fide exigenda intentionem internam.

24 **D**ico secundo, nõ est immediatè de fidẽ ad valorem sacramenti exigendam intentionem faciendi, quod facit Ecclesia formalitè vt sacramentum est. Id tamen pertinet ad fidem mediãtè; vnde erroneum, vel errori proximum est, id negare. Prima pars probatur primo: nam testimonia Sacra Scriptura, & Conciliorum, & rationes Theologicae videntur sufficenter saluari exponendo de intentione publica, & externa: de qua exponitur a D. Thoma art. 8. in corpore, vbi postquam primam cõclusionem probauerat, inquit. *Et hæc intentio exprimitur per verba, quæ in sacramentis dicuntur, puta cum dicitur Ego te baptizo in nomine Patris.* Et hanc esse distinctam ab intentione purè mentali, ad secundum declarat.

25 Sed obijcit Durandus q. 2. nu. 8. nam in prima principali conclusione diximus, quod intentio ministri requiritur ad Baptismum: constat autem, quod intentio est actus interior, & mentalis: ergo si est immediatè de fide, quod requiritur intentio, erit immediatè de fide, quod requiritur intentio mentalis. Probat consequentiam Nuño folio 439. quia *in re conuertuntur intentio, & intentio interior.* Ideoque ex prima hæc cõclusio deducitur non argumentatione artificiali, sed sola explicatione terminorum: si- cut

cut quando definitur, quod homo est capax sacramentorum, diffinitur, quod verus homo est capax sacramentorum.

26 Hoc tamen argumentum laborat in equiuoco: quia non solum Catholici omnes, sed etiam hæretici fatentur sacramentum externum perfici non posse a ministro sine actu interno: quia nullus sanæ mentis potest membra externa mouere, & loqui, nisi actu interno velit abluere, & verba proferre: & de hoc non est difficultas. Sed utrum ultra voluntatem faciendi illum ritum externum, quæ vocatur intentio publica per verba expressa, sit opus alia intentione, quæ intendat facere sacramentum? Et in hoc sensu non videntur canones Conciliorum procedere.

27 Cæterum ex hoc ipso arguit Vazq. cap. 3. quia Cænes Concilij Tridentini editi sunt ad confutandos hæreticorum errores, ut constat ex Sessione 6. in fine capituli, & ex reliquis lectionibus: unde eo sensu accipiendi sunt, in quo constat hæreticos confutatos à suis Authoribus acceptas fuisse. Sed Lutherus, & sequaces non damnantur à Tridentino, quia aliam materiam, aut alia verba formæ, aut alium ritum externum serua-ret in Baptismo, quam seruat Ecclesia Romana; sed fatebantur requiri intentionem liberam hunc externum ritum faciendi materialiter: ergo si hoc ipsum dicunt Catherinus, & sequaces, eorum positio non differt ab hæreticis Lutherana in Concilio damnata.

28 Cõtra hoc est, quia ex articulo duodecimo Lutherano constat ipsum expresse affirmasse validum fore baptismum, etiam si à ministro irrisorie; & iocose tradatur. Unde patet, quod nullam prorsus intentionem exigebat faciendi, quod facit Ecclesia, nec intentionem publicam, nec priuatam. Authores Catholici exigunt non solum intentionem operis externi, & proferendi illa verba libere (quam intentionem nec hæretici excludebant) sed etiam intentionem faciendi illum actum, & loquendi eo modo quo præcipit Ecclesia ut exterius fiat; cum tali modo externo ostendente rem serio agi, & non iocandi gratia. Cum qua intentione efficaciter, & in opere exercito, compatitur, quod inefficaciter interius velit illudere, & nõ cõficere sacramentum. Quæ non tollit valorem sacramenti, quia non procedit in opus, & inuenit iam aliquid ex opere operato efficacem ex diuina institutione.

29 Vrgentius obijcit Soto illo art. 8. §. Durandus autem, dicens. Primum, si nulla est

set intentio necessaria faciendi, quod facit Ecclesia, vana esset assertio Doctorum, & Concilij Florentini, qua definitur præter materiam, & formam, requiri intentionem ministri: nam in hoc quod dicitur materia, & forma, intelligitur, quod velit tam materiam applicare, quam formam: actus enim exterior, & volitio interior pro eodem reputantur. Cum ergo insuper addatur requiri intentionem, alia intelligitur. Quod est dicere: distictæ veritates sunt quod materia, & forma debent libere poni à ministro, & quod ipse debet habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia: si enim eadem veritas esset, malè in Concilijs seorsum vtrumque exprimeretur. Sed in priori veritate habetur illa intentio publica terminata ad libere exteriori faciendum ritum illum materialiter: ergo cum ultra illam veritatem, etiã diffiniatur exigi intentionem, sermo est de intentione mentali.

30 Præterea sunt duæ ponderationes Suarez sect. 2. in secunda probatione: nõ solum Concilia definiunt requiri intentionem, sed declarant, & expriment obiectum, seu terminum intentionis saltem debere esse se vele facere, quod facit Ecclesia. Sed quod facit Ecclesia, formaliter, & proprie loquendo (ut necesse est verba doctrinalia Conciliorum intelligere) non est sola cæremonia exterior, quam materialiter sumpta: nõ hæc extra Ecclesiam Christi fieri valet à Pagano, imò à Simia, & Pstraco. Sed est de sacramentis, quæ sunt Ecclesiæ columnæ: ergo declaratur, quod voluntas, & intentio debent terminari intentione mentali ut fiat sacramentum.

Deinde Concilium illa Sess. 14. cap. 6. & can. 9. definit non perfici Sacramentum, si sacerdoti animus serio agendi, & vere absoluendi desit. Vbi declarantur præcedentia Conciliorum decreta: nõ animus serio agendi (Concilio interpretante) est animus vere absoluendi. Quod est animus habere perficiendi illam actionem formaliter ut est sacramenti perfectio. Quam intentionem non habet, qui solam vult actionem externam.

31 Hæc tria argumenta efficaciter probant secundam partem conclusionis, sed nõ opponuntur primæ, quia opus est discursu Theologico, ut distinctiones, & euasiones relatae præcludantur. De quibus multa Lugo à nu. 16. vsque ad 30. Licet autem argumenta ab inconuenienti expugnare contendat Bernalà num. 46. vsque 55. Tamen non in omnibus ponderandis possumus immorari. Videatur etiam Cabrera disp. 1. §. 5. Sed & pro

pro

pro secunda parte valide vrger ratio D. Thomæ in corpore, quæ solutione ad 1. de quibus egimus num. 16. & 18. Quia minister, & potest operari nomine proprio abluendo profane, vel mære naturaliter: & potest operari nomine Christi: & operatio, & loquutio externa de se sunt indifferentes: ut sint quid naturale, vel quid sacramentale: ergo necesse est, quod intentione determinetur ad hoc, quod fiat nomine Christi, & sit operatio Sacramenti. Sicut si Procurator Matrimonij sit coebs, nisi intentione determinet, quod contrahit nomine mittentis, consensus, & verba de præsentibus ista explicarent, & obligarent, & teneret contractus cum illa ut cum propria vxore. Similiter quis nõ emit Petro, cuius Procurator est, nisi habeat animum emendi pro ipso. Ergo nec quis cõfert sacramentum nomine Christi operans, nisi habeat animum faciendi, quod ipse præcepit, & instituit.

32 His argumentis occurrit Pasqualig. illa sect. 4. nu. 28. aduertens, quod in eo, qui operatur nomine alterius, duplex intentio considerari potest: alia quæ habet pro obiecto executionem actus iniuncti sibi à principali agente, seu actum externum iniunctum. Et alia, quæ habet pro obiecto non ipsam executionem, sed rem, seu actum, quem intendit principalis. Per primam intentionem se gerit ut ministrum, & agit nomine principalis. Et hæc sufficit ut actus sortiatur effectum, quia principalis iniungens actum alteri, solum ab ipso intendit executionem. Per secundam intentionem non se gerit ut ministrum; sed se conformat in volito cum principali. Ex quo fit, quod ad validitatem actus sufficiat prima intentio, quia reuera facit, quod sibi iniunctum est. Et quod secunda, licet contraria, non præiudicat validitati actus, quia non requiritur ad validitatem, quod se conformet in volito. In ministro ergo sacramentorum, cum agat nomine alterius, sufficit intentio exequenti actum volitum, quam habet, eo ipso, quod facit actum, secundum ritum Ecclesiæ, & institutionem Christi. Alia autem intentio, quæ expresse vult, quod intendit Ecclesia, est intentio, quæ conformatur in volito, cum ipsa Ecclesia, nepe in validitate sacramenti, quæ nõ est necessaria, ut sacramentum validum sit.

33 Ex hoc notabili putat facile omnia diuisi: & refert, & specialiter soluit sex argumenta. In particulari ad auctoritatem Concilij ex Sess. 14. responderet ad 2. num. 30. non esse validam absolutionem, si desit animus serio agendi, & absoluendi executione me-

do, quod adest eo ipso, quod facit actum externum institutum à Christo: secus autem si si desit alia intentio conformandi se in volito. Ad rationem respondet ad 6. nu. 34. dicens non posse ministrum operari, nomine Christi, nisi habeat animum operandi nomine ipsius directum, & in actu exercito; secus autem reflexum, & veluti in actu signato, à quo imperetur executio. Ut autem habeat animum directum in actu pratico, sufficit voluntas, quæ vult actum externum, secundum institutionem Christi, & ritum Ecclesiæ; nec requiritur alia voluntas, quæ velit facere hunc actum nomine Christi.

34 Cæterum, vel euasiones prædictæ vim argumentorum non euadunt, vel deserit Pasqualigus sententiam Catherini, quem defendendum suscepit, & relabatur in cõmunem, & veram sententiam. Hoc secundum patet ex vltimis verbis, quia Caietanus, qui cõmunem tueretur sententiam, expresse notat ar. 8. ad 3. notab. 2. quod cum D. Thomas ait, quod studiosè curare debet sacramenti minister, ut etiam actualem intentionem adhibeat, dicit Caietanus nõ esse intelligendum in actu signato, sed in actu exercito. Non enim studendum est, ut habeamus hoc in mente actualiter: Ego intendo consecrari: sed studendum ut actualiter mens nostra ad ea, quæ sunt cõsecrationis, attendat, ad prolationem distictam formæ, ad reuerentem cõtractationem materiæ, &c. Quod & cõmuniter tueretur Theologi, asserentes hanc esse attentionem, & intentionem actualem in exercitio, & quod ad validum sacramentum, nec requiritur actualis in actu signato, nec actualis in actu exercito; quia ut ait D. Thomas ad 3. Hoc non est: totaliter positum in hominis potestate: quia præter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare: secundum illud 1. 1. 39. Cor meum dereliquit me. Sed sufficit intentio virtualis, quam antiqui vocant habitualem. Ergo si solum vult Pasqualigus requiri intentionem formalem, vel virtualementem in actu exercito, in hoc nullus Theologus ab eo dissentit.

35 Secundò, vel illa exequenti actus, est actus in esse rei? Et sic reddunt omnia argumenta, quia dicere, quod minister debet libere proferre verba, explicabat quod debebat exequi, ut homo illud mandatum: unde frustra addiderunt Concilia, quod vltima hoc exigatur intentio. Vel est executio actus in esse sacramenti? Et sic relabatur in cõmunem sententiam, quia omnes cum D. Thomas art. 10. docent, quod etiam

si

si intentio sit peruersa ex parte finis, & non se conformet cum voluto Christi, & Dei, erit validum sacramentum: sed minister peccabit mortaliter.

Tertio, ipse fatetur, quod erit inualidum sacramentum Pœnitentiæ, si Sacerdoti desit animus absoluendi executiuo modo: sed hæc est intentio mentalis, & interior de Sacramento, imò, & de effectu illius: ergo plus concedit, quam argumenta intendebant: ergo verbis tantum defendere conatur sententiam illam tam sepultam, & tot grauissimorum Theologorum censuris percussam, & tabescentem, & vi veritatis conuictus, relabitur in communem sententiam: & eam probat præcipuum eius argumentum, vel nil probat. Sed quia alia argumenta amplius cõtendunt, oportet ea soluere.

§. III.

Argumenta soluuntur:

36 **O**bjicit ergo, seu cõfirmat. Primo, implicat, quod aliquis velit applicare causas intrinsecas, & principia constitutiva rei, & nolit rem constituere: & si habeat voluntatem constituendi, talis voluntas inefficax est, & frustratoria, ut potè contraria facto. Sic si artifex induceret formam in materiam, & nollet constituere artefactum, adhuc constitueret. Ergo cum minister applicet causas intrinsecas constitutivas sacramenti secundum ritum Ecclesiæ, adhuc constituet, etiam si habeat intentionem non constituti.

Secundo, quia minister agit nomine Christi, & Ecclesiæ: ergo pro validitate sacramenti sufficit, si habeat intentionem exercendi actum sibi vt ministro iniunctum à Christo, & Ecclesiâ. Quod stare potest, etiam si vt particularis persona nolit ponere sacramentum. Sicut si quis vt procurator obligaret actu publico principalem, obligatio teneret, quamuis haberet intentionem non obligandi: quia obligatio non dependet ab intentione ipsius respiciente obligationem, sed solum ab intentione ipsius exercendi actum iniunctum à principali, quo principalis intendit se obligare.

37 Tertio, facta declarant animum meliori modo, quam verba. *l. certum. D. si certum petatur.* Et *l. fin. D. de diuersijs.* Et *l. aulus. Et l. non tantum. D. Rem ratam haberi.* Et cap. *Existimant* 22. q. 2. cap. *Dilecti* 2. de appellacionibus. Et tradit communiter DD. Et ratio est, quia factum non potest esse sine voluntate

faciendi. Ergo cum habeamus factum à Christo institutum, voluntas contraria est inefficax.

Quarto, intentio non impedit actum, quando adest voluntas, licet coacta, faciendi illum actum: vnde si habeo actum coactum donandi, non impeditur donatio, etiam si habeam intentionem non donandi, vt inter alios notant Geminianus *conf. 110. n. 6. ver. Nec obstat.* Tutschus *lit. i. conc. 269. num. 26.* Ergo multo minus impedit, quando adest voluntas non coacta, qualis est, quando quis facit actum sacramenti secundum ritum Ecclesiæ, & institutionem Christi.

38 Hæc argumenta non solum non cõuincunt, sed facile retorquentur, & oppositum probare demonstratur. Primo, quia est communis Theologorum, & Canonistarum sententia; signa externa contractuum sine animo interno contrahendi, non sufficere ad perficiendum verum, & validum contractum. Ideoque Baldus contractum simulatum appellat *corpus sine spiritu*, vt diximus cap. 26. *Theol. Moral. q. 2. §. 1. nu. 5.* Pariter ergo Sacramentum externum sine intentione interna erit cadauer, vel simulacrum externum sacramenti, sine vera forma, & anima sacramenti.

39 Secundo ipse fatetur nu. 29. quod in remittendo debito, & absoluendo, nõ sufficit, si debitor serio exterius remittat, & iudex absoluat, nisi adsit interna intentio remittendi, & absoluendi: alioquin moraliter, & modo humano non erit facta remissio, & absolutio: ergo cum in Sacramento Pœnitentiæ Confessarij constituti sint iudices à Christo, valida non erit absolutio sine interna intentione absoluendi.

Tertio, si eius argumentum valet, quia facta declarant animum, meliori modo quam verba: ergo qui de facto contrahit, & consummat matrimonium sine consensu interno, perficiet contractum, & sacramentum: cuius contrarium definit Innocentius cap. *Tua nos, de sponsalibus.*

Respondet num. 29. vtriusque casus cõcedendo antecedens, & negando consequens. Quia est dispar ratio: nam debitor, & iudex operantur nomine proprio, vt principales; non nomine alterius vt minister sacramentorum. Similiter Matrimonium sine interno consensu esse nullum, quia nedum est sacramentum, sed etiam contractus: & ratione contractus contrahentes agunt nomine proprio. Et ideo nedum requiritur intentio exequendi, quod est institutum à Christo, sed etiam faciendi actum secundum eius naturam.

Prins

40 Prius fuerat hæc solutio tradita à Paludano illa q. 2. n. 13. & 16. pro probabilitate, quam olim nabuit illa sententia: sed postea ipse *communiorem, vt tutiorem* amplectens, ad illam respondet n. 24. dicens. Ideo ad prædicta dicendum, ad primum, quod si dominus nollet rei venditæ dominium transferri nisi per voluntatem serui; tunc defectus intentionis in seruo impediret translationem dominij. Sic autem est hic, quia voluntas Christi est secundum intentionem ministri sacramenta operari, vt patet per illud: *Quodcumque solueris super terram, &c. Et quorum remiseris peccata, &c.* Cui enim Dominus committit claves, committit potestatem secundum potestatem suam aperiendi, & claudendi. Hæc ibi.

41 Deinde ad idem facit ratio D. Th. ad 1. quia ministri sunt instrumenta animata libere se mouentia: & ideo intentione libera interna debent ministrare. Et vt inquit Lugo *sec. 3. n. 47.* in fine in sacramentis minister non est merus nuncius, sed quasi cõcõnomus, qui ex præscripto domini emit, aut vendit triticum, vel vinum, vel panem: ad quod non sufficit externa actio, nisi habeat intentionem transferendi dominium, non sibi, sed domino: sine qua intentione actus non est validus, sed apparens.

42 In speciali probatur, quod Pasqualigus in cõsequenter procedat, ex vna parte arguendo à paritate contractuum, & ex alia parte reddendo disparitatem inter voluntatem requisitam ad ministrum sacramenti. Rursus, quamuis iudex habeat authoritatem, non ordinariam, sed delegatam, si actus fiat sine ipsius voluntate, est inualidus, adhuc dato casu, quod ipse peccaret non sequendo mandatum, & institutionem domini mittentis: ergo pariter in præsentibus.

43 Ad primum ergo respondetur, quod res, & verba in esse entis, & materialiter, non sunt sacramentum, sed vt instituta à Christo, in cuius nomine debent fieri vt sint sacramentum. Implicat ergo, quod quis in executione illud concretum velit ponere formaliter vt institutum, & quod non faciat sacramentum: & hæc est intentio mentalis à Theologis requisita. Cæterum ponere illud concretum materialiter, prout posset poni à Demone, & proferre verba eo modo, quo proferre posset phitacus, nec est ponere causas intrinsecas formaliter, nec est facere sacramentum. Non quia intentio sit pars intrinseca, vt ostendimus q. 60. dub. 15. sed quia est conditio sine qua non, & dirigens vt in exercitio partes ponantur, eo modo, quo Christus instituit vt ponerentur.

44 Ad secundum iam diximus, quod agit nomine Christi vt instrumentum animatum se mouens, & iudicans humano modo. Vnde causa principalis, & instrumentum cõiunctum non vult esse ratum sine voluntate instrumenti separati. Ideoque in casu argumenti, si immediate exequenti nõ esset collata mera exequutio, sed iudicium, & electio, sine eius voluntate nil ratum esset.

Ad tertium dicitur, quod illa maior est vera pro foro externo, quia Ecclesia non iudicat de occultis. falsa autem pro foro cõsciencie: vt patet quod professus solemniter sine animo vouendi, propter verba externa cogitur perseverare in religione, quamuis in veritate professus non sit. Similiter sic cõtrauens centuris cogitur cohabitare, quamuis in rei veritate sine interno consensu nõ sit matrimonium. Addit tamen D. Thomas in 4. dist. 27. q. 1. art. 2. q. 4. ad 2. quod *probabiliter credit potest dolus non esse, nisi signa euidencia doli appareant: quia de quolibet est præsumendum bonum, nisi probetur contrarium.* Quod à fortiori procedit de ministro sacramenti ad hoc consecrato.

45 Ad quartum respondetur potius probare oppositum, quia quæ fiunt ex metu, & coactione, sunt voluntaria simpliciter, & in voluntaria secundum quid, vt docet D. Th. 1. 2. q. 6. art. 6. & nos cum communi Doctorum diximus cap. 26. q. 2. §. 3. Sine intentione vero externa, quamuis libere applicetur aqua, & proferantur verba: sed non fit locutio, & locutio sacramentalis, vt talis, & ideo defectu voluntatis simpliciter talis non perficitur sacramentum.

46 Argumenta Scribonij vsque ad 19. refert, & soluit Lugo. Argumenta Catherini referunt, & soluit Cabrera, & Vazquez: & in substantia eadem sunt cum nouem argumentis Salmeronij, & non multum differunt ab argumentis iam relatis, vel sunt argumenta hæreticorum. Ideo quatuor tantum soluenda restant, tria quæ obijciunt Theologi, & vltimum, quod opponunt hæretici.

In primis obijciunt. Nullus negare potest Christum potuisse sacramenta instituire vt ad eorum validitatem sufficeret sola exterior prolatio verborum supra legitimam materiam. Sed multo cõgruentius dicitur sic de facto instituisse: ergo de facto sic instituit, & valet sacramentum sine intentione interna ministri.

Maiores cõstat, quia significatio, & institutio sacramentorum est ad placitum Dei: & ideo pro suo libito potuit disponere, quod vno

Aa

vel

vel altero modo valeret, vel non valeret sacramentum. Minor vero probatur primo, quia si Christus instituit, quod interior intentio non exigeretur, tollerentur plura dubia, & pacantur conscientiarum fidelium. Secundo, sic instituendo magis ostenderet suam virtutem: quæ non impediret prava intentione ministri. Tertio sic melius ostenderetur, quod solus Deus est, qui principaliter operatur in sacramentis iuxta suam voluntatem, & quod puri homines sunt mera instrumenta, & sicut sua voluntate non dant virtutem, nec prava intentione virtutem diuinam valent impedire. Vnde cap. *Secundum Ecclesiam*, dist. 19. dicitur. *Quidquid ad hominibus profectum quilibet in Ecclesia ministri pro officio suo videntur operari, hoc totum contineri (id est, re ipsa perfici) implere diuinitatis effectum, id est, Deo cooperante, & defectum supplere.*

Quarto, nam sacramentum non habet suam significationem ab eo ministro, qui sacramento vtitur: ergo nec virtus causatiua pendet ab intentione ministri. Denique S. Thomas artic. 10. docet, quod minister, qui intendit dare sacramentum, & non dare effectum sacramenti, etiam effectum confert, quia id quod sacramentum facit ex opere operato, non pendet ex intentione particulari operantis: ergo si minister ponat materiam, & formam iuxta voluntatem à Christo, & iam si intendat non facere sacramentum, practice illud facit.

47 Respondetur maiorem esse veram, & minorem falsam, ut ostendimus ex Sacra Scriptura, & Concilijs. Nec fuisse expediens, quod sacramenta essent valida sine intentione ministri: quia assumit Deus homines rationales ut instrumenta se mouentia, & fuit conueniens ut quorundam sacramentorum non omnes essent ministri: quia ministrorum prudentia exigitur ut indignos remoueant, & dispositis conferant: quod prestare nequeunt sine discretionem rationis, & intentionem voluntatis. Qui actus etiam exiguntur ut iudicium sit rectum, & ad aperendum, & claudendum: & ut ministrando, Deum colant.

48 Ad primam probationem dicitur, quod etiam si non exigeretur aqua naturalis, vel non obstarer quælibet additio verborum, vel non exigeretur intentio publica faciendi, quod facit Ecclesia, plures dubitationes roterentur: & tamen est certum secundum fidem Deum de facto non ita disposito: ergo pariter dicere possumus de intentione interna,

Deinde ipsi argumentum tenentur solvere in Matrimonio, & Professione, & alijs contractibus, ad quorum valorem admittuntur requiri intentionem internam: Sicut ergo ibi ab scrupulis liberamur dicendo sufficere moralem certitudinem: quæ adest nisi signa euidens doli appareant, ut dictum est ex Diuo Thoma: ita pariter dicendum in presenti. Ad secundam dicitur, quod maioris virtutis, & sapientiæ opus est operari fortiter, & disponere omnia suauiter mouendo instrumentum rationale secundum modum suum.

49 Pariter dicitur ad tertiam, quod operatio agentis principalis semper est precipua, siue vtatur instrumento inanimato, siue animato: Sicut enim cum dicitur, *Solus faber facit custellum, non excluditur virtus martelli: ita per hoc quod Sanctus Damascenus lib. 4. fidei capit. 14. dicit, quod sola virtute Spiritus Sancti fit conuersio panis in Corpus Christi, non excluditur virtus instrumentalis sacerdotis, quæ est in forma verborum, ut ait D. Th. quæst. 78. artic. 4. ad 1. Ita quamuis Deus totum effectum sacramenti principaliter operetur, non quitur, quod non requiratur intentio ministri externa, & interna.*

Ad quartam, quod iam ostendimus, quod Deus instituit, quod valor sacramenti penderet essentialiter ab intentione, defectu cuius non est sacramentum: semel autem posito sacramento, operatur quasi agens naturale iuxta subiecti dispositionem.

50 Præterea arguunt: quia quamuis Christus potuerit instituire, quod non valerent sacramenta sine ministri intentione interna; tamen non constat de facto ita fecisse: quia cum misit discipulos ut baptizarent, non dixit eis, quod internam haberent intentionem. Nec Ecclesia eam exigit, alioquin non haberet fundamentum ad declarandum Baptismum datum à Iudæo esse validum: quia non posset præsumere, quod qui tanto odio prosequuntur Christianos, habeant internam intentionem faciendi, quod Christus fecit. Et tamen Nicolaus primus capit. *A quodam Iudæo, de consecratione distinctione 4. & refertur à Diuo Thoma 3. part. quæst. 66. articulo 6. ad 3. declarat Baptismum datum à Iudæo, esse validum, nil interrogans de intentione, sed mentionem faciens de sola materia, & forma.*

Nec Concilium Florentinum, & Tridentinum loquuntur de intentione mentali, cum exponi possint de intentione publica externa, quæ exprimitur per voces: & de qua exte-

exterior potest constare eo ipso quod videamus, & audiamus materiam, & formam integre, & serio apponi. Nec ut sacramentum discernatur ab actionibus profanis, & fiat nomine Christi, opus est aliud quam exequi opus, quod credit minister esse institutum, & præceptum à Christo: ad cuius valorem ministrantis priuata voluntas nil facit, nec obstat. Sicut si quis per interpretem confiteretur, vel contraheret per nuncium, dum interpret, vel nuncius externa verba profert, sacramentum perficeretur, etiam si ipse prava priuata voluntate contrarium intenderet; quia factum proualeret.

51 Retorquetur argumentum: quia Christus mitens baptizare, non monuit explicitè ut haberent intentionem publicam faciendi, quod ipse fecit, vel facit Ecclesia: & tamen hanc intentionem requirit, nullus catholicus admittens Conciliorum definitiones potest negare: ergo pariter dici posset de intentione interna.

Respondetur ergo, quod eo ipso, quod misit predicare, & baptizare, insinuauit requiri intentionem ministrorum, quia sine intentione non poterant docere, nec vt instrumenta se mouentia baptizare. Idem diximus colligi ex potestate clauium, & ex definitionibus Conciliorum. Nicolaus Papa ibi non fuit consultus de intentione, sed solum de fide ministri: & non obesse huius defectum, postea dicitur.

52 Illa expositio Conciliorum, quamuis sufficiat ad hoc ut illius opinionis Authores non dicamus omnino cum hæreticis consentire: tamen errare planè asseueramus, eo quod non longè absumt, cum non satisfaciât ponderationibus propositis numero 29. & 30.

Ad aliam ponderationem iam respondimus num. 41. & 43. quod non est merus nuncius, aut interpret, sed est instrumentum liberum, & quasi œconomus, & iudex proprio iudicio apertens, & claudens.

53 Adhuc obijciunt: nam minister personam, & vices gerit Ecclesie: sed Ecclesia verè iudicat esse baptizatum, quem exterius vidit rectè baptizari: ergo minister per intentionem internam Ecclesie non conformem, si habeat externam illi conformem, & faciat, quod ipsa facit, sacramentum irritate non potest.

54 Respondet Lugo num. 53. ministrum propriè loquendo, in sacramentis conficiendis magis esse ministrum Christi, quam Ecclesie: ipsumque Christum agnoscere opti-

me defectum intentionis, & quod homo tunc non vult agere nomine Christi: atque adeo Christus non habet ratum baptismum, v.g. tanquam suo nomine collatum.

55 Hæc solutio non satisfacit, quia est contraria doctrinæ Diui Thomæ artic. 8. ad 2. dicentis, quod *minister sacramenti agit in persona totius Ecclesie, cuius est minister.* Idem docet artic. 9. ad 1. Sequunturque communiter Theologi. Imo Cœcilia relata num. 14. quæ ad valorem sacramenti exigunt in ministro intentionem faciendi, quod facit Ecclesia; clare docent Ecclesiam agere in sacramentis: sed non agit nisi ministris: ergo sacramentorum ministri sunt propriè ministri Christi, & Ecclesie. Sicut Summus Pontifex est Vicarius Christi, & caput externum Ecclesie militantis, & nos sumus membra, & ministri Christi, & Ecclesie. Et fortè hæc de causa dicitur Iacobi 5. *Inducat Presbyteros Ecclesie.*

56 Secundo ergo melius respondet Lugo illo num. 53. quod licet operaretur nomine solius Ecclesie, adhuc actum fore inualidum ex defectu intentionis: prout accidere potest in absolutione ab excommunicatione, quæ datur a sacerdote nomine Ecclesie: & tamen si non habeat verè intentionem absoluendi, absolutio erit inualida; licet exterius ob errorem existimeretur valida.

Horum ratio est: nam Ecclesie iudicium in fidei veritatibus stabiliendis, est infallibile. Iudicium vero de factibus humanis, testimonij humanis nitens, falli potest iudicando secundum ea, quæ apparent. Quod non est inconueniens: sicut quando compellit eum furis aliquem cohabitare cum illa, cum qua fide contractit, defectu cõsensu, dicit Diuus Thomas in 4. dist. 27. quæst. 1. artic. 2. quæst. 4. ad 3. quod *Ecclesia iudicat secundum ea, quæ foris apparent; nec decipitur in iustitia, quamuis decipiatur in facto.*

§. IV.

De puero baptizante: & de Baptismo Sancti Genesij.

57 **R**estat soluere argumentum hæreticorum: nam Baptismus datus à puero Athanasio ludente cum alijs pueris, est declaratus validus ab Alexandro Patriarcha Alexandrino: ergo Baptismus datus Iudo, & Ioco, & non serio, validus est. Antecedens habetur cap. *Spiritus Sanctus*: 1. q. 1. vbi dicitur. *In Ecclesiastica historia legitur, quod Alexander Episcopus Alexandria, cum Petri Martyris so-*

lemnia celebraret, post expleta Missarum sacramenta vidit super oram maris puerorum ludum, iurantium (ut fieri solet) Episcopum, & gerentium ea, quæ in Ecclesia geruntur. Mox eos ad se perducti, & quid egissent, percuntatur. Illi rei orationem pandunt, baptizatos a se esse quosdam cathecumenos cõfitentur per Anastasium (Athanasium, legendum esset, ut legunt emendati codices, & alij Authores) puerum qui illis fuerat Episcopus simulatus. Vbi ex responsis eorum vidit secundum religionis nostræ ritum cuncta constare, statuit illis, quibus integris interrogationibus, & responsionibus aqua fuerat infusa, iterari baptismum non debere, sed adimplere ea, quæ facta sunt. Hæc ibi. Quod & referunt Rufin. Aquil. lib. 1. cap. 14. & Sozom. lib. 2. cap. 16. accidisse circa annum Domini 312. & Constantini Imperatoris septimum.

58 Respondet Hugo de S. Victore lib. 1. parte 6. cap. 13. & Sorb. in 4. dist. 1. q. 5. ar. 8. Vnde ad argumenta, & alij communiter, quod hominem quidpiam facere ioco, stat dupliciter. Vno modo fingendo se facere, quod non facit: ut cum quis in comædia fingit se lugere, & non luget: & per talem fictionem non fieret sacramentum. Altero modo vere id faciendõ, licet ioco: & isto modo faciebat Athanasius: ludendo enim intendebat facere, quod Episcopus faciebat, non solum applicare materiam, & formam: sed facere quidquid ille intendebat. Quod perinde valebat, ac si habuisset intentionem faciendi, quod facit Ecclesia: Secus si per merum iocum id fieret: Tunc enim non esset sacramentum, ut docet D. Thomas art. 10. ad 2. Quæ de causa etiam refert Nizephorus libro 3. historię cap. vlt. puerum ludæum ab alijs pueris per ludum baptizatum, quem etiam baptismum Ecclesia Constantinopolitana approbavit. Accedit quod Athanasius, & alij pueri volebant baptizare iam baptizatos, sed solum cathecumenos: Quod quidem signum erat voluntatis conferendi verum baptismum, & nõ fictum: huc enim possent etiam circa baptizatos æque bene tangere. Aduertit autem optime Caietanus art. 10. ad 2. quod ludus, & iocus relatus ad effectum, & finem sacramenti, non tollit intentionem ministrari, nec valorem sacramenti, sicut nec tolleret si consecraret hostiam, ut conculcasset: secus vero si ludus esset utingeret sacramentum, quod facere non intendebat.

59 Sed contra hanc communem solutionem videtur oblati, quod ut est Martyrologio Romano 25. Augusti, Roma Sanctus Genesius Martyr, primum sub gentilitate mimi,

cum in theatro spectante Diocletiano Imperatore, mysterijs Christianorum illuderet, à Deo inspiratus repente conuersus ad fidem, & baptizatus est. Quod Genesio accidit, Ardaleoni quoque pariter contigisse, eumque mimum ex ioco factum serio Christianum, & Martyrem, tã Græcorum, quam Latinorum tabulæ testantur, quæ eius natalem diem adscriptum habent decimo octauo Kalendas Maij (seu 14. Aprilis.) Est haud lõge dissimile illud, quod de Dioscoro Architeatro ad Alipium S. Augustinus scribit epist. 67. exemplum: qui in deridendis Christianorum rebus esse soleret effusus: effectus & ipse, licet sæpè frustra nitens, Christianus. Sicque plane accidit, quod scriptum est Prouerb. 3. Dominus illusiones deludet. Quos tres casus adducit Baronius tom. 2. anno Christi 303. n. 118. Forteque tacite illorum meminit Sanctus Augustinus libro 7. de Baptismo contra Donatistas cap. 53. Ex quibus omnibus videtur constare, quod etiam si minister sacramento velit illudere, & fiste tradere; si ex parte recipientis adit fides, & recipiendi voluntas, validum conficitur sacramentum. Ergo ad eius valorem non exigitur nisi materia, & forma, & non exigitur in ministro intentio faciendi, quod facit Ecclesia.

60 Respondent Bellarminus lib. 1. de sacramentis capit. 28. ad 1. Henriquez lib. 1. capit. 10. num. 4. & Vazquez hic disp. 138. num. 57. Sanctum Genesium baptizatum fuisse, non à sodalibus, sed à vero sacerdote Christiano: nam refert Ado Treherensis in Martyrologio octauo Kalendas Septembris, quod idem Imperatoris fuit accersitus Presbyter, & Exorcista; qui eum baptizaret. Vel ut ex Martyrologio Vsuari 25. Augusti refert Laurentius Beyerlinch in Teatro vite humanæ tom. 1. verbo Baptismus folio 15. historia sic contigit. Cum veller Diocletianus de mysterijs christianæ obseruatæ ludum exhiberi, huius rei gratia Genesius in medio Theatri quasi ægrotus, poscens se baptizari, mimum proposuit. Euocato autem Presbytero exorcista, repente à Deo inspiratus credidit. Cumque sacramentorum mysteria completent, & indutus esset vestibus albis, veluti per ludum à militibus raptus, & ad similitudinem sanctorum Martyrum de Christi nomine discutiendus Imperatori fisset exhibitus, & eodem modo historiam accidisse referunt Belvacensis lib. 13. capite 102. & eum referens Sanctus Antoninus prima parte Histor. titulo 8. capite primo, §. 19.

Hoc

61 Hoc tam incredibile videtur Lugo disp. 8. sect. 3. n. 40. quomodo eum sacerdos Christianus veniret absque ingenti sacrilegio ad cooperandum ludicri spectaculo; quod totum ad irrisionem legis Euangelicæ ordinabatur? Quomodo item auderet in publica luce coram Imperatore, Christi persecutore acerrimo, sese sacerdotem Christianum manifestare? Denique quomodo impune id fecit, & pacifice, peracto baptismo, domum redire permittitur?

Quibus adde, quod alij Historiographi probare fidei potius referunt S. Genesium baptizatum ab vno ex sodalibus irridente mysteria Christianorum in theatro, ut ex Suario tom. 4. refert Abraham Bzouius tom. 1. lib. 3. histor. Ecclesiast. anno 302. num. 27. Ribadeneira in Floribus Sanctorum tom. 2. die 25. Augusti in vita S. Genesij.

62 Respondet Lugo num. 42. quod facilius fortasse diceretur, quod licet baptismus ille non habuerit omnia, quæ reuera exiguntur ad valorem nostri Baptismi, Deum tamè prius excitasse Genesium, ad veram conversionem, & amorem sui; & desiderium salutis. Quod indicat Vincentius Belvacensis in speculo Historiali lib. 12. cap. 104. Et quæuis Angelus ante abluitionem illi apprensus promittere media illa aqua, remissionem omnium (uorum delictorum; quæ in libro omnia, & singula scripta legebantur. Tamè responderi potest illam abluitionem potuisse valere ad expiationem reatus poenæ, qui ad huc supererat; quam poenæ remissionem potuit Deus per modum Indulgentiæ alligare illi apparenti Baptismo; ut illam imaginem veri Baptismi honoraret. Porro illa remissio reatus poenæ sufficit, ut diceretur aqua delere peccata. Sic enim Actorum 22. dictum est ab Annania Paulo, qui iam per contritionem fuerat iustificatus: *Exurge, & baptizare; & ablue peccata tua*: quia nimirum adhuc poterat habere reatum poenæ temporalis. Nec nouum est quod intuitu baptismi invalidi in ratione baptismi, Deus concedat gratiam aliquam propter imaginem veri baptismi. Sic enim legimus in Prælo spirituali cap. 176. Iudæum quandam moribudum petiisse enixe ab itineris comitibus baptismum; cumque aqua nulla posset haberi, baptizatum ab illis arena loco aquæ, & statim ab omni profus ægitudine liberum iter cum eisdem fuisse prosequutum. Potuit ergo similiter Deus honorare illam imaginem veri Baptismi in Genesio propter affectum suscipientis; donando eidem Indulgentiam

plenam peccatorum etiam quoad poenam.

63 Sed contra est. Primo, quod Apostolus Paulus verè, & propriè fuit baptizatus ab Annania, sicut & alij adulti, qui contriti accedunt ad Baptismum, vel Pœnitentiam. Vnde si in Genesio similiter accidit; vere illa abluio sub præscripta verborum forma fuit sacramentum. Deinde, remissio culpæ, & poenæ facta media aqua sub forma verborum Baptismi consueta in Ecclesia; non video cur debeat appellari indulgentia, & nõ sacramentum Baptismi. Si autem recurritur ad miraculum ut dicatur indulgentia, eodem interueniente miraculo erit Baptismus; quia sicut miraculose excitauit Genesium ut pœniteret, & velet suscipere, ita ut inquit Bernal disp. 17. sec. 1. §. 1. in fine, profecto sicut Angelus Genesium monuit ut Baptismum illum serio, riteque reciperet: sic monere potuit, & monuisse credendus est ministrum; ut eum serio; pieque tribueret. Et hæc est prima solutio.

64 Respondet M. Ioannes Nicolai in addit. ad Raynerium ver. Baptismus cap. 5. §. 7. credibile esse mimos exteri facere voluisse, quod Christiani faciebant; licet ibi facerent: & sic verum Baptismum contulisse; ut ex ipso Angeli testimonio colligitur, qui Genesium certum fecit, quod hæc aqua peccata expiaret. Pariter respondent etiam alij quos sequitur Raphael Auersa quæst. 64. sec. 3. ad 2. commode etiam dici posse, eundem Paganum; qui Baptismum dedit, habuisse in mente animum faciendi; quod Christiani faciebant: quamuis non crederet esse remedium salutare, sed ex contemptu faceret.

Sed displicet hæc solutio Lugo, qui sectione 3. numero 41. inquit. Hoc difficile etiam creditur: nam nec Christiani ipsi, quando in scena agunt personam sacerdotis baptizantis, habent veram intentionem baptizandi, aut faciendi, quod facit Ecclesia, sed solum representandi, & fingendi illud: quanto minus paganus, qui Ecclesiam irridebat, existimabitur habuisse talem intentionem faciendi verum sacramentum?

65 Parum tamè urget hæc replicæ; imò & retorqueri potest in nostrum fauorem, quia Christiani mimi in scena quando agunt personam sacerdotis baptizantis, idè non habent veram intentionem, ne rebaptizent iam baptizatos, & ne irrideant sacramenta Christi. Vnde per oppositum Pagani magis irridebant sacramenta nostra faciendõ illa ut

faciebant Christiani, & postea illa sacramenta conculcando, & irridendo. Sicut magis peccaret depravatus sacerdos, qui vere consecraret, & converteret panem in corpus Christi, ut conculcasset hostiam à se consecratam; quam si fingeret se consecrare, & defectu intentionis non consecraret.

66 Adhuc tertio posset quis respondere, vel miraculose Angelum, qui libram in quo peccata Genesis scripta legebantur, ostendit, ipsum baptizare, & quæ exterius gerebantur, representabant ea, quæ fiebant per Angelum. Vel denique, cum fateamur conversionem fuisse miraculosam, eodem miraculo Deum supplevisse intentionem ministrum: quia illa sola requiritur per modum conditionis essentialis, rebus ut nunc, & de lege ordinata: non autem attendenda potentia Dei absoluta: quæ non est alligata huic rerum dispositioni in signis ad placitum divinæ voluntatis, qualia sunt sacramenta. Pro quo recolantur, quæ diximus dub. 6. Sed priores solutiones sunt faciliores.

§. V.

De mente D. Thomæ, an requiratur mentalis intentio ministri ad valorem sacramenti?

67 Solum respondere restat auctoritatibus. D. Thomæ obiectis n. 5. De cuius mente sunt opiniones relatæ n. 1. Mihi tamen certissimum videtur, quod sentiunt Auctores relati n. 1. nimirum Angelicum Doctorem, non solum in Summa Theologiæ hac Tertia Parte, sed etiam libro 4. Sententiarum scriptissime hæc tenent explicatam docuisse veram, & communem doctrinam. Quod manifestum fiet breviter eius testimonijs relatis. In primis conclusio, & ratio, & doctrina solutionis ad 1. & 3. huius articuli 8. adducta §. 2. Intentum persuadent. Secundo in articulo dicimus inquit, quod intentio ministri potest perverti dupliciter. Uno modo respectu ipsius sacramenti: puta cum aliquis non intendit sacramentum conferre, sed deorsum aliquid agere. Et talis pervertitas tollit veritatem sacramenti præcipue quæ ad suam intentionem exterius manifestat. Vbi S. Thomas docet, quod licet sit clarus, & magis notum, quod non perficitur sacramentum, cum minister exterius manifestat se non habere intentionem, vel exprimit derisorie agere, tamen si revera mentaliter interius non intendat sacramentum conferre, sed derisorie agere, etiam non valet sacramentum. Ergo sentit sacramentum esse invalidum, si minister mentalem intentionem non habet,

Tertio D. Thomas hoc art. 8. ad 2. in ipsis verbis, quæ a contrarijs obijciuntur, eandem rationem quoad hoc esse censet ex parte ministrum, vel ex parte recipientis sacramentum. Et ex natura rei eadem videtur ratio, quod exigatur intentio ministri dantis, sicut exigatur intentio suscipientis sacramentum. Sed D. Thomas q. 68. artic. 7. ad 2. ait, quod si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus. Ergo si ministro deesset intentio conferendi, denuo deberet dari.

Quarto ipse D. Thomas q. 60. artic. 7. ad 3. ait, quod ille, qui corrupte profert verba sacramentalia, si hoc ex industria facit, non videtur intendere facere, quod facit Ecclesia: & ita non videtur perfici sacramentum. Quinto idem docet ibi art. 8. in cor. & ad 3.

68 Præterea libro 4. Sententiarum dist. 5. q. 2. artic. 3. q. 1. probat D. Thomas quod Diabolo non est commissum, quod possit baptizare: Nam si baptizare se fingeret, semper esset timendum, quod non faceret intentione baptizandi, quæ ad sacramentum exigitur, sed intentione decipiendi. Quod & docet ibi Anibaldum art. 4. ad 6. Quæ ratio, si non procedit de intentione interna, nihil valet: ut patet, quia externam possemus agnoscere, & inconueniens vitare. Et dist. 6. q. 1. artic. 2. q. 1. & ibi ad Anibaldum toto art. 2. probat, quod ad sacramenti collationem requiritur intentio baptizantis. Et similitur: etiam in omnibus alijs sacramentis requiritur intentio ministri, cum debita materia, & forma, non solum ad effectum sacramenti consequendum, sed ad sacramenti perceptionem. Et ad 4. ibi. Dummodo prius intenderit, & contraria intentio non interuenerit, sacramentum non impeditur: quia operatur tunc in vi principalis intentionis. Ergo quando contraria intentio mentalis interuenit, sacramentum est irritum. De quo in simili de voluntate, & intentione recipiendi, videatur ibi quæstiuicula 3. ¶ Itē dist. 7. q. 3. ar. 1. q. 3. ad 3. ait, quod omnia sacramenta iudicentur equaliter intentione. Et dist. 8. q. 2. artic. 4. quæst. 3. ad primum ait, quod ad sacramentum requiritur intentio faciendi, quod facit Ecclesia in essentialibus sacramentis. Et distinctione 1. r. quæst. 2. artic. 1. q. 3. ad 1. ait. In sacramentis est duplex intentio. Una quæ ordinatur ad perfectionem sacramenti: Et hæc est essentialis sacramenti: unde ea prætermittitur non est sacramentum. Alia quæ ordinatur ad finem sacramenti. Et hæc consequitur sacramentum, ut ea posita, vel remota, nihilominus perficitur sacramentum. Sicut si aliquis intendat baptizare aliquem, ut lucrium temporale consequatur, sacramentum baptismi verum est: quia secundum primam intentionem conformatur intentioni Ecclesiæ; quamuis

non quantum ad secundam. In istis verbis loquitur de intentione interna, declarant exempla, & quia intentio interna est, quæ conformatur externæ intentioni Ecclesiæ, & de illa secundum quam conformatur, loquitur D. Thomas. Et tamen dicit, quod est essentialis sacramenti: unde ea prætermittitur, non est sacramentum. Ergo adhuc clarius, quam in 3. p. hoc asseruit D. Thomas in libro 4. Sententiarum.

Item dist. 27. q. 1. artic. 2. q. 4. in secundo argumento sed contra, ait. Intentio requiritur in omnibus sacramentis. Et tota q. 4. & ibi ad Anibaldum art. 2. ad 2. ait, quod sicut in alijs sacramentis requiritur intentio, ita & in isto. Unde sicut aliquis exterius baptizatus non recipere baptismi sacramentum, si intentio deesset; ita nec matrimonium contrahit, qui verba profert, sed consensum interiore non habet. Et dist. 28. artic. 3. ad 1. Demum dist. 30. q. 1. artic. 3. ad 3. ait, quod intentio Ecclesiæ, quæ intendit tradere sacramentum, est de necessitate cuiuslibet sacramenti, ita quod ea non observata, nihil in sacramentis agitur, &c. Et in omnibus istis locis eandem necessitatem intentionis agnoscit D. Thomas in ministro sacramenti, ac in suscipiente, & in consensu requisito ad matrimonium: sed hoc ipsi fatentur sine consensu esse invalidam: quia illa dist. 27. asserit D. Thomas Innocentium Tertium cap. Tuas nos, de Sponsalibus, dicentem. Sine consensu nequeunt cetera fedus perficere conjugale. Ergo ex mente Diui Thomæ, sine intentione mentali ministri, nequeunt cetera perficere validum sacramentum. Ecce sexdecim, & amplius D. Thomæ auctoritates pro duabus quæ pro parte contraria obijciuntur.

69 Quibus respondere oportet, ut omne dubium adimatur de mente D. Thomæ. Et in primis nec quoad apparientiam verba D. Thomæ sonant, quod quando minister habet contrariam intentionem internam, qua velit non facere sacramentum, adhuc sit validum, si cum effectu serio abluat, & verba proferat. Quod tamen erat præcipuum intentum sententiæ, quam impugnamus. Respondet ergo Lugo disp. 8. sec. 4. à nu. 66. usque 71. illis duobus locis solum agere Diui Thomam de necessitate intentionis internæ expressæ, & explicitæ: quæ si requireretur, videretur posse reddi dubium valorem sacramentorum, saltem apud alios, qui ignorarent, an minister talem intentionem habuerit specialem. Unde sensus verborum D. Thomæ est, quod quamuis minister non recorderetur alicuius intentionis habendæ, qua intendat facere sacramentum; eo tamen ipso, quod accedit ad operandum, ut minister

Ecclesiæ, iam vult implicite id quod vult Ecclesiæ: quod sufficit absque omni alio ad valorem sacramenti. Et hæc intentio semper adest, & præsumitur in ministro, nisi forte in actione, & verbis addat aliquid per quod destruat intentionem Ecclesiæ. In hoc sensu fortasse intellexerunt D. Thomam, qui in illa sol. ad 2. loco, mentalis intentionis, legebat, specialis intentionis, ut refert Soto in 4. dist. 1. q. 5. artic. 8. §. In secundo argumento. Nam si dubium solum procedit de necessitate specialis intentionis, responsio S. Thomæ non habet ullam difficultatem. Hunc esse sensum D. Thomæ, probat primo, quia numquam loquitur de habente intentionem contrariam internam. Secundo ex art. 10. Tertio ex art. 8. ad 3. quia solum exigit intentionem cõsulam, & ideo solum ait non requiri intentionem explicitam. Quarto ex D. Thomam in 4. dist. 6. q. 1. artic. 2. q. 1. ad 2. quia in sacramentis necessitatis actus baptizantis tam sollicitè expressus est ad intentionis expressionem: ut scilicet esset minus periculum defectus intentionis. Loquitur ergo, cum negat requiri intentionem mentalem, de intentione explicita.

70 Huic tamen solutioni obstat. Primo, quod ipse Soto ibi reprobatur illum modum legendi: nam, inquit, sed si ad litteram attendas, nullatenus legendum iudicabis nisi mentalis.

Deinde arguit Bernal disp. 17. sect. 1. §. 2. nu. 43. dicens. Hæc autem responsio, pacè tanti viri, manifestissime falsa est: nam S. Thomas in ambobus locis adductis, respondet ad argumentum secundum: argumentum vero pro necessitate actualis intentionis, non est secundum, sed tertium: ad quod S. Doctor longe aliter respondet, nempe, sufficere intentionem habituales, hoc est virtuales. Hæc ibi

71 Vrgentius etiam arguitur: nam in omnibus editionibus D. Thomæ legitur mentalis intentio: nec suspicandum est omnes codices esse mendosos, tam in summa, quam in Sententijs in utroque scripto, nempe inconsueto, & ibi ad Anibaldum artic. 2. ad 1. Demum nam ibi D. Thomas refert opinionem Theologorum requirentium ad valorem sacramenti intentionem mentalem; & ipse contrariam tuctur ut probabilior: sed nullus Theologorum requirit de necessitate sacramenti intentionem explicitam, vel in actu signato; aut actualem: ergo nec Diuus Thomas loquitur solum de intentione speciali, & explicita, vel in actu signato, & actuali.

72 Aliter respondet Caletanus, & Soto, & cõmuniter Thomistæ, & Cabrera nu. 68.

& alij relati n. 12. quod sensus D. Thomæ ex proposito ad quod loquitur, sumendus est. Intendit enim soluere difficultatem argumenti poscentis, quod si mentalis intentio ministri exigeretur, nullus esset certus se esse vere baptizatum. Ad hanc enim certitudinem nostram de susceptis sacramentis, intelligendum est sufficere intentionem Ecclesiæ per verba ministri expressam, nisi per ministrum, aut suscipientem contrarium exprimat. Ita quod non intendit D. Thomas quod hæc sufficiant ad perfectionem sacramenti simpliciter: sed ad perfectionem eius secundum humanam certitudinem: per hoc enim evitatur inconueniens, quod quilibet incertus posset dici de susceptis sacramentis.

73 Sed obijcit Vazquez cap. 4. nu. 42. quod si S. Thomas hoc sensisset, illud addere debuisset in sua solutione: neque posset refellere priorem responsionem eorum, qui dicunt, interiori intentionem, & non sola verba ad sacramenta requiri.

Facillime tamen respondetur, quod cum tam scribens, non debuit, nec potuit omnes explicationes suæ doctrinæ explicite proponere: ideoque est argumentum negativum nullius momenti, quod pro prima parte obijcit Vazquez. Nec plus urget, quod secundo addit, quia alij vt inconueniens argumenti vitent, admittunt Deum sine sacramento causare effectum sacramenti, non solum quoad gratiam, sed quantum ad characterem. D. autem Thomas, etiam negando quod Deus sine sacramento causet effectum sacramenti, dicit inconueniens non sequi, nec oportere ad incertas dispositiones diuinæ providentiæ recurrere; quia sufficientem certitudinem moralem habemus, & aliam non oportet querere. Et hoc modo respondet in simili S. Thomas in 4. dist. 27. q. 1. art. 2. q. 4. ad 2. de certitudine consensus, sine quo non est matrimonium.

74 Fere ad idem pertinet instantia, quæ arguit Lugon. 65. dicens, quod explicatio Caietani, & Thomistarum non omnino satisfacit: quia S. Thomas art. 8. non solum videtur loqui de sacramento valido in existimatione, sed de eius valore intrinseco. Quod probat: nam ait, quod in verbis, quæ profert minister, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimat, &c. Non autem, quod sufficit ad existimandum, quod sit perfectum: sed quæ sufficit ad perfectionem sacramenti: quæ verba non videntur posse ad perfectionem solum existimatum limitari, cum contrarium omnino sensum significant.

Respondetur, quod iuxta subiectam materiam, & conferendo solutionem cum argumento, satis colligitur ille sensus: quia cum tota difficultas esset de anxietate, quæ originatur ex eo quod ignoramus actus internos ministri, satis formaliter respondet D. Thomas, quod certificantur per verba, quæ representant intentionem Ecclesiæ: cui concordare ministrum, moraliter est certum, & vt tale habendum, dum doli signa euidentia non apparent.

75 Vltimo respondetur, quod intentionem non esse perfectam, contingit dupliciter: vel perfectione substantiali: vel perfectione totali: prima perfectio attenditur quoad ad finem proprium, vel essentiam sacramenti: secunda attenditur, quoad effectum ipsius sacramenti. Si prima perfectio desit, aut adsit contraria; non perficitur sacramentum. Si vero adsit prima perfectio; secunda suppletur ex intentione Ecclesiæ. Et solum in hoc sensu loquitur D. Thomas, colligitur ex eodem art. 9. ad 1. vbi se remittit ad ea, quæ dixerat artic. 8. & ita se ipsum videtur exponere, & pariter toto artic. 10. & quæst. 74. artic. 2. ad 2. Quam solutionem insinuat Viguerius in Introit. Theologicis c. 16. ver. 6.

§. VI.

Virum Deus suppleat defectum intentionis?

76 Sed tandem videndum restat an in casu quod minister non habeat intentionem substantiæ sacramenti, faciendi quod facit Ecclesia, Deus suppleat defectum, & conferat effectum sacramenti sine vero sacramento?

Afirmarunt olim Alexander Arelensis 4. p. q. 8. memb. 3. §. 1. ad 4. & in dubitatione incipiente: *Adhuc dubitatur.* S. Bonaventura in 4. dist. 6. in secunda parte art. 3. q. 1. ad 5. Durandus q. 2. n. 12. Gabriel q. 1. art. 3. dub. 2. Angelus verbo *Baptismus* 7. n. 12. Ex Thomistis Syueller verbo *Baptismus* 6. q. 3. & verbo *Baptismus* 1. q. 5. citans Paludanum, & Summam Confessorum lib. 3. tit. 24. q. 1. Iaculus de Baptismo, non cap. 4. n. 9. ver. *Tu tamen*, vt citat Leander, sed cap. 7. §. 7. ver. *si à forma*, fol. 56. in fine. Bartholinæ ab Angelis in examine, de sacram. Dialog. 1. §. 31. Michael Zanardus in Direct. p. 2. de Baptismo cap. 4. Ioannes Viguerius in Institutionibus cap. 16. ver. 6. dicens. Vbi autem sacerdos ex malitia in Baptismo, vel in Pœnitentia falleret; Deus (qui facienti quod in se est,

est, non deficit in necessariis, nec alligauit virtutem suam sacramentis) sua infinita bonitate suppleret: quamuis regulariter character non imprimatur nisi per sacramenta. Sed in tali casu, si Deus suppleat principalem effectum, qui est gratia, supplet etiam minus principalem: iuxta regulam Topicorum: Si id quod magis videtur inesse; inest; & id quod minus: Hæc ibi. Ex alijs Valentia to. 4. disp. 3. puncto 3. ait. Probabiliter arbitrantur Theologi, Deum in infantibus supplere defectum ministri; quando hic malitiose subtrahit intentionem: & in adultis eundem defectum ministri suppleri per deuotionem, & fidem ipsius suscipientis. Et Vualdus de Baptismo num. 17. fol. 47. & Mollesius trac. 4. cap. 2. num. 93. Et probabilem esse satis indicat Leander tract. 2. disp. 4. q. 25. solum dicens contrariam *longe probabilior*: & notans male pro ista referri D. Thomam, Tabienam, Armillam, & Vazquez: quamuis fateatur alios decem Authores eam tenere.

77 Imò fauet D. Thomas in 4. dist. 24. q. 1. art. 2. q. 3. ad 2. vbi in casu, quod non baptizatus promoueretur in Episcopum, ait D. Thomas. *Sed tamē pie credi potest, quod quantum ad vltimos effectus Sacramentorum; Summus Sacerdos supplet defectum; & quod non permitteret hæc ita latere, quod periculum Ecclesiæ imminere posset.* Et hac q. 64. art. 8. ad 2. relata opinione Arelensis, & S. Bonaventuræ, ait. *Sed hoc satis posset dici, quantum ad vltimum effectum, qui est iustificatio à peccatis; sed quantum ad effectum, qui est res; & sacramentum, scilicet, quantum ad characterem, non videtur, quod per deuotionem accedentis possit suppleri; quia character numquam imprimitur, nisi per Sacramentum.*

78 Absolutè tamen hæc sententiam impugnant Soto in 4. dist. 5. q. vnica art. 2. §. *Sed restat.* Vazquez disp. 138. cap. 4. nu. 45. Suarez, & alij in præsentem. & Recentiores communiter, quos referunt, & sequuntur Diana parte 3. tract. 4. resol. 17. & Auerfa q. 64. sect. 3. ad 3. quia nullum habetur ex Scriptura, vel Patribus fundamentum, vt afferamus, vel Deum dare effectum sacramenti sine sacramento: vel sacramenta, non habentia omnia essentialiter requisita, operari, ac sufficere. Imò Henriquez lib. 1. c. 10. num. 3. in fine ait. *Nec Christus supplet effectum gratiæ in pueris, vt saluentur propter generalem intentionem piæ matris Ecclesiæ, vt quidam imperite putant.* Quorum sententia omnino falsa est: quia illa non est vera intentio, sed simulatio intentionis, & it-

rifo. Hæc ille. Et Cabrera q. 64. art. 8. disput. 1. §. 6. num. 63. ait. *Tenerarium* est dicere, puerum in aliquo casu, vbi deficiunt essentialia baptismi, vel forma, vel intentio ministri, saluari sine actuali baptismo, per supplementum misericordiæ Dei; quia lex diuina est generalis Ioann. 3. *Nisi quis renatus;* &c. Quare sine fundamento asseritur, Deum supplere defectum intentionis ministri in sacramento.

79 De hoc puncto iterum dicitur q. 68. art. 2. Duo sunt indubitata. Alterum de potentia absolutâ Deum posse supplere defectum intentionis, quia virtutem suam huius rerum ordini non alligauit. Alterum, quod nulla est lex diuinitus reuelata, quod hoc se per fiat: & ita id absque vilo fundamento assereretur. Et similiter absque Dei reuelatione, non posset certo affirmari cum aliquo esse dispensatum in particulari. Incertum autem, vt in genere aliquando ex sua pietate Deus suppleat quoad gratiam. Quoad characterem, non solum id incertum, sed falsum: quia *character numquam imprimitur, nisi per Sacramentum*, vt ait D. Thomas: cuius sententiam hoc modo explicatam, amplectimur in art. autem 8. non loquitur nisi de adultis.

DVBIVM VIII.

De obiecto, & qualitate intentionis.

§. I.

Quid sit intendere facere, quod Ecclesia?

1 Circa primum, est certum, & indubitatum, non esse de necessitate sacramenti, quod minister intendat effectum sacramenti, neque proximum, nec remotum. Quod sumitur ex D. Augustino epist. ad Bonifacium, relato cap. *Non illud, de consecratione*, distinct. 4. vbi docet, quod si quis baptizet propter finem temporalem, verum tamen est Sacramentum, dum videlicet conformetur in primaria intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Probat etiam D. Thomas hic ar. 10. dicens. Alio modo potest perverti intentio ministri quantum ad id quod sequitur sacramentum: puta si Sacerdos intendat aliquam sceminam baptizare vt abutatur ea. Vel si intendat consecrare corpus Christi vt eo ad beneficia vtatur. Et quia prius non dependet à posteriori, inde est, quod talis intentio-

nis perversitas veritatem sacramenti non tollit. Sed ipse minister ex tali intentione gra-
uiter peccat.

2 Non oportet in hac veritate stabili-
lienda immorari, quia est Theologorum com-
munis. Quamvis enim in contrarium soleat
referri Scotus: sed id non docet: nam in 4. di-
stinct. 6. q. 5. §. Ad istam questionem. Verlic.
Dico ergo, ita ait. Requiritur tamen intentio
respectu finis proximi: & hoc vel in particu-
lari, vel in generali: in particulari ut si inten-
dat istum intrare legem Christianorum ser-
uandam; in generali, si intendit facere circa
illum, quod Christiani solent facere circa
suos. Hæc tibi. His ultimis verbis satis ex-
ponit præcedentia: nam docet sufficere il-
lam generalem intentionem. Eodem pacto
exponit Alensem, & Gabrielem, Bellarmi-
nus libro 1. de Sacramentis cap. 27. dicēs om-
nes Catholicos in hoc concordare. Quare
minus fideliter Vazquez disp. 138. nu. 35.
refert Richardum asseruisse ministrum ad va-
lorem sacramenti debere velle finem, seu ef-
fectum sacramenti. Richardus enim in 4. di-
stinct. 6. ar. 1. q. 2. ad 2. expressè ait, quod *quā-
vis fidelis in baptizando nihil creat baptismum
valeret nec intēdat, ut valeat in particulari, imò
contrarium: tamen in hoc, quod credit facere, &
intendit quod facit Ecclesia, credit, & intendit
aliquid facere in vniuersali: hæc intentio suf-
ficit. Unde bene dicunt dicentes, quod quātum
ad intentionem baptizantis sufficit, quod inten-
dat facere circa illum, qui baptizatur, illud quod
facit Ecclesia.* Ergo cum communi Theo-
logorum Richardus concordat. Melius pro
illa sententia refertur Valentia hic q. 3. pun-
cto 3. de quo dicit Auersa lect. 3. cōc. 4. quod
non debebat Valentia hoc tempore ita lo-
qui.

3 Quod autem hæreticus non credēs
effectum sacramenti, vel perversus non in-
tendens finem sacramenti, possit concorda-
re cum Ecclesiæ primaria, & substantiali in-
tentione, declarat S. Thomas ad 1. dicens,
quod Ecclesiæ intentio recta est, & quātum
ad sacramenti perfectionem, & quantum ad
sacramenti vsum. Sed prima rectitudo per-
ficit sacramentum; secunda operatur ad me-
ritum. Et ideo minister, qui conformat intē-
tionem suam Ecclesiæ quantum ad primā
rectitudinem, non autem quantum ad secū-
dam, perficit quidem sacramentum, sed nō
est sibi ad meritum. Videatur D. Th. in 4.
dist. 11. q. 2. ar. 1. q. 3. ad 1. & 3.

4 Sed adhuc inquires, quid intēdat, qui
vult facere, quod facit Ecclesia?

Respondet Scotus, quod non sufficit a-

bluere hominem, & hoc intendere, & verba
proferre: alioquin illa lotio non distinguere-
tur ab alijs profanis, nec esset intentio Chri-
sti, & Ecclesiæ. Requiritur ergo intentio fa-
ciendi hominem Christianū. Vel ut ait Vaz-
quez num. 35. & 36. debet minister intende-
re illam actionem, & verba, non tantum ut
res naturales sunt, sed etiam ut sunt cęremo-
nia quædam religiosa alicuius gentis, aut na-
tionis. Suarez vero in comment. art. 8. an-
te medium, dixit solum debere intendi con-
stitutionem sacramenti. Quod & docuit Du-
randus in 4. dist. 6. q. 2. n. 13. Esse quæ Theo-
logorum communem, notat Cabrera quæ-
stione 64. artic. 3. disput. 1. §. 4. à nu. 29. vi-
que 34.

5 Addit Soto in 4. dist. 1. q. 5. artic. 8. §.
Circa hoc, in fine. Quod neque ista intētio re-
quiritur expressa, & in particulari, sed cōfu-
sa, & in genere faciendi, quod Christus, &
Ecclesia facit, quidquid illud sit. Quare nec
duæ requiruntur expresse, scilicet, vna abluē-
di, & altera huius effectus, sed hæc sola gene-
ralis modo dicta. De qua sola meminit D.
Tho. & meminerunt Concilia.

6 Rursus sequenti, §. *Contra hoc, addit,*
quod non requiritur expressio Ecclesiæ Ro-
manæ, vel Catholicæ, sed sufficit generalis-
sima intentio faciendi, quod Christus insti-
tuit, vel orthodoxa Ecclesia quæcumque illa
sit. Quare, licet hæreticus erret sit ne sua Ec-
clesia, vel alia, vere baptizat. Imò nec requi-
ritur ut formaliter dicat, quod facit Ecclesia;
sed satis si intendat talem cęremoniam in
remissionem peccatorum facere, vel quod
per illam Deo sit ille dedicatus. Imò, ut de
Athanasio puero dictum est, satis est inten-
dere id facere, quod facit Episcopus, vel Sa-
cerdos: hæc enim omnia eandem habent vir-
tutem. Et §. *Multo autem, iterum ait,* quod
non requiritur semper intentio formalis hu-
ius, quod est facere, quod facit Christus, vel
Ecclesia, sed aliqua confusa, in qua hæc in-
cluditur. Quod etiam sequitur Vazquez n.
51. & alij communiter, ut referunt, & sequū-
tur Suarez disp. 13. lect. 2. Bonacina tom. 1.
disp. 1. q. 3. §. 1. puncto 2. num. 9. Trullench
lib. 1. c. 3. dub. 2. n. 5.

7 Sed occurrit Lugo disp. 8. lect. 2. nu.
32. dicens, ceterum, obiectum illius volun-
tatis videtur magis explicandum: dicere e-
nim, quod volumus constitutionem sacra-
menti, non explicat satis illud obiectū: pe-
timus enim quid includat constitutio sacra-
menti, quam volumus? An solum actionē,
& modum externum? Et hoc esset incidere
in sententiam supra dub. 7. impugnatam. An
ali-

aliquid etiam internum? Et hoc, vel est ipsa
met intentio? Et hæc non potest esse obiec-
tum intentionis debite: nam esset obiectū
tui ipsius. Vel est aliquid distinctum ab ipsa
intentione? Et de hoc inquirimus quid sit?
Nam de cęremonia religiosa idem fit argu-
mentum: nam vel est aliquid externum? Et
sic incidimus in sententiam Catharini. Vel
est aliquid internum distinctum ab intentio-
ne? Et quid hoc sit, inquirimus. Nec dici va-
let hoc internum esse institutionē: quia mi-
nister, dum confert sacramentum, non de-
bet, nec potest intendere institutionem sa-
cramenti: illud enim potest intendere, quod
ipse potest causare: ipse autem nullo modo
potest ponere, aut causare institutionem iā
factam sacramenti: hoc enim non pendet vl-
lo modo à ministro: ergo nec debet, nec po-
test intendere illam actionem, prout est cę-
remonia religiosa, & sacra.

8 Qua propter ipse Lugo nu. 35. ait;
quod aliter videtur hoc ipsum facilius posse
explicari, si dicamus, ministrum, dum vult
facere, quod facit Ecclesia, non velle solum
actionem externam, & verba; neque etiam
solum modum externum loquendi, & agē-
di serio in externa specie, ut dictum est: sed
aliquid aliud, scilicet loqui, & operari non
nomine proprio, sed Christi, & ut ministrum
Christi. Quod nihil est aliud, quā quod Chri-
stus deputauerit me ministrum suum per ta-
lem voluntatem, seu velleitatem, qua, quan-
tum est ex se, vellet meas actiones in tali,
vel tali genere esse æquiuales tuas in ordi-
ne ad tales, vel tales effectus. Et hac volun-
tate Christi posita, ego volo hæc actionem
meam reputari ab omnibus, non ut meam,
sed ut actionem Christi: in cuius nomine o-
peror.

9 Hæc doctrina placet, quoad id quod af-
firmat, sed displicet, quoad id quod impug-
nat, vel quod negat; & multo magis displicet,
si suam explicationem velit adæquatā:
hoc autem velle, est manifestum, quia ut sua
cogitationem stabiliat, communes Theolo-
gorum Expositiones impugnat argumento
laboranti in æqui uoco. Quod retorqueri po-
test contra arguentem: nam de illo, qui vult
operari nomine Christi, ut sua actio reputetur
Christi, inquiramus, quid velit opera-
ri, ut sciamus ipsam non esse Prælatum, qui
Imponit præcepta nomine Christi: iuxta
illud: *Qui vos audit, me audit.* Nec esse Prædi-
catorem: de quibus ait Apostolus: *Pro Chri-
sto legatione fungimur tanquam Deo exhortate
per nos, &c.* Nec esse Apostolum, à Deo mis-
sum: Nec Præcursores de quo scriptū est:

*Ecc ego mitto Angelum meum: Nec Prophe-
tam, qui dicebant: Hæc dicit Dominus. Et ta-
men ministerium sacramenti distinctum est
ab omnibus istis. Et ex parte facti vidēdam
an includat aliquid externum, vel internū?
Et cetera, quæ obijcit.*

10 Dicimus ergo, quod sicut ex parte
principij, seu ex parte ministri, actiones quę
dam sunt nomine proprio, & aliæ nomine
Christi, quæ moraliter reputantur Christi:
quia Deus instrumenta separata mouet me-
dio instrumento coniuncto, sicut calammum
mouemus brachio, & manu: & ideo sunt ac-
tiones nostra, & Christi, & Dei; ita ex parte
facti ablutio in esse naturæ correspondet mi-
nistro ut operanti nomine proprio: at vero
eadem ut pars sacramenti, & ut cęremonia
religiosa, & ut illa sacramur, vel sub alia ra-
tione explicata, vel implicita, correspondet
illi ut operanti nomine Christi. Et sic ope-
rans mouetur à principali agente, & ab ins-
trumento coniuncto, & ita ibi Christus agit.
Sed tamē etiam opus operatum est aliquid
religiosum, & sacramentum, & distinctū ab
actionibus profanis, & ex modo externo, &
ex actione, & intentione dirigente, & à vo-
luntate Christi instituyente, & eleuante. Vnde
S. Thomas art. 10. ad 3. hoc expressit di-
cens, quod *peruersa intentio pervertit opus in-
tendētis, non autem opus alterius. Et ideo ex per-
uersa intētionē ministri pervertitur id quod agit
in sacramentis, in quantum est opus eius, non in-
quantum est opus Christi, cuius est minister. Et est
simile, si minister alicuius hominis praua intentio
ne deferret pauperibus eleemosynam, quam do-
minus velle intentione mandaret.*

11 Ad argumentum ergo dicimus, quod
sicut operatio Christi nomine facta, differt
ab operatione propria: quia illa est manda-
ta, & instituta, & eleuata ad significandum,
& causandum, & non tam est operatio mi-
nistri, quam mittentis; ita opus intentū est
opus operatum, & institutum, & eleuatum,
ut significet, & causet, & consecret. Et hoc
non est intendere facere institutionem ex-
trinsecā: sed est facere opus institutum, seu
exercere id supra quod cadit antiquitus fa-
cta institutio. Sicut cudere moneta, nō est
facere institutionem, sed est ponere mate-
riam, quam extrinsece respicit institutio, &
supra quam consideramus formam mora-
lem: & velle loqui vocibus ad placitum sig-
nificantibus, non est de nouo velle, aut cau-
sare institutionem: sed exercere voces huma-
nas olim institutas. Aliter respondet Ber-
nal disp. 17. lect. 4. §. 4. in fine, quod licet mo-
dis prædictis non explicetur obiectura intē-
tio:

tionis diffinitione essentiali: quia in illis non exprimitur essentialis sacramenti diffinitio. Explicatur tamen sufficienter ad praxim, quia ignorando diffinitionem sacramenti potest habere intentionem requisitam, & sufficientem.

Adhuc autem si concederetur, quod aliquis intenderet suam intentionem, non esset inconueniens: quia homo in suis operationibus reflecti potest, & habere suos actus internos pro obiecto, vt docet S. Thomas 1. p. q. 87. art. 3. & 4. & omnes experimur. Sed quia intentiones prædictæ, nec debent esse ita explicitæ, & in actu signato, & cum tanta reflexione: ideo regulariter non opus est ad hæc recurrere.

§. II.

Vtrum sufficiat virtualis intentio, & quando sit talis?

12 **D**E qualitate autem intentionis inquiritur in primis, an sufficiat habitualis, vel virtualis?

Certum in primis est, quod admonet Sanctus Thomas art. 8. ad 3. quod minister studiosè curare debet, vt etiam actualem intentionem habeat. Certum itè est, id quod notat ibi Caietanus, & nos supra retulimus, quod hoc consilium non est de habenda intentione actuali reflexa, & explicita, & quæ vocant in actu signato: sed est de habenda actuali intentione exercita, iam explicata.

13 Item est certum, quod non est de necessitate sacramenti habere intentionem actualem. Tum, quia hoc est moraliter impossibile, vt ibi ait S. Thomas, quia præter intentionem, dum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare: secundum illud Psalmi: *Cor meum deuersiquit me.* Tum, quia ad actus perfectè humanos sufficit voluntas manens in aliquo opere externo, vel in aliquo alio actu ab ipsa imperato.

14 Aduertendum autem, quod tẽpore D. Thomæ, omnis intentio non actualis vocabatur habitualis. Sic enim loquitur S. Bonaventura in 2. dist. 41. art. 1. q. 3. ad 6. & etiam, quia omnis intentio non actualis, nõ irrationabiliter vocatur habitualis, vt ait Caietanus, quia per modum habitus in dormiente, & indistracto ad alia, perseverat. Et sic vocatur a D. Thoma hic art. 8. ad 3. Quamuis bene aduertant ibi Nuño diff. vnica ad 2. & Syluius, quod in quibusdam codicibus habetur in margine, *alias, virtualis.* Quod est con-

forme ipsi D. Thomæ, qui ad aliud intentum, diuidit intentionem in actualem, mere habituales, & virtuales, vt patet in 2. dist. 40. q. 1. art. 5. ad 6. Quamuis ergo intentio habitualis sit quid commune ad mere habituales, & virtuales; merito tamẽ Theologi communiter reliquerunt iam illud nomen ad significandam speciem minus perfectam, scilicet intentionem habituales non virtuales. Vnde nouissimè M. Ioannes Nicolai in additionibus ad Raynerium tit. de *Baptismo* cap. 1. §. 8. folio 259. dicit sibi certum videri, quod non intentionem *habituales*, sed potius intentionem *virtuales* ibi scripserit S. Thomas. Propter abbreviatos autẽ characteres, qui ex veteri scribendi vtu, similem formam præferunt, aut maximam affinitatẽ inter se habent, imprudenter, vel per oscitantiam *habituales* pro *virtuali* mutata est. Vnde quædam exëplaria anni 1540. *virtuales* legunt. Non enim solet D. Thomas *habituales*, cum *virtuali* confundere, sed vnum ab alio accurate distinguit, vt ex alijs exemplis patet 3. p. q. 87. art. 1. & q. vnica de Charitate art. 11. ad 3. & in 4. dist. 16. q. 2. art. 2. q. 2. & explicatio, & exempla huius solutionis ad 3. de sola *virtuali* verificatur. Ac propterea sine dubio dici posse (licet Syluius hic tantum dubitet) quod vere S. Thomas *virtuales*, & non *habituales* hic expresserit.

15 Et in hoc puncto distinctionẽ *virtuales*, distinctam ab *habituali*, & *actuali*, admittendam esse, probat Scotus in 4. dist. 6. q. 6. §. *Distinguitur.* Quia præter actum elicatum actualem, datur habitus inclinans ad actum actualem: & sic datur intentio habitualis. Et datur intentio mediã, quæ non pertingit ad actualem: & est plũquam illa, quæ est in dormiente, seu maior, quam habitualis: vt patet cũ quis accedit positua voluntate celebrandi, & postea præter intentionem ad alia diuagatur: ergo ponenda est intentio virtualis. Quæ est exiens in actum ex priore voluntate nunc actu, & formaliter non existente. Et licet alio vocabulo, de ista loquitur Sanctus Thomas art. 8. ad 3. vt constat ex exemplo, quod adducit. *Primo, cum sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum, quod facit Ecclesia. Vnde si postea in ipso exercitio actus, cogitatio eius ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis, perficitur sacramentum.* Quia prior intentio perseverat in virtute, dicitur intentio virtualis. Et quia vt notat Soto in 4. dist. 1. q. 5. art. 8. §. *Forsam*, potest esse *virtualis* intentio sine habitu: vt cum quis incipit ministrare sacramenta nõ-

dum

dum generato habitu, si mente ad alia distrahatur, præter intentionem, dicitur habere *virtuales intentionem.*

16 Respondet igitur cõmuniter Theologi, quod ad valorem sacramenti non sufficit mere habitualis intentio; sed sufficit virtualis. Priorem partem probant Scotus, & Soto: quia ostensum est ad sacramentum ministrandum requiri actum humanum delibèratum: ea autem, quæ sunt ex aliqua inclinatione, nulla præcedente aduertentia; nõ dicuntur fieri delibèrate: vt si quis habes artem curandi; faciat aliquid quo sanetur alius, si de illo nõ cogitauit medicus, aliõ nõ dicitur curatus per artem: ergo sola intentio habitualis non sufficit ad sacramentum. Vterius, nam dormientes, & amentes multa faciunt ex inclinatione; & habitibus præexistentibus: & tamen dicemus istos non posse validè ministrare.

Vrgentius idem probatur: nam character est potestas physica habitualiter permanens: & iurisdictionis est potestas moralis permanens inclinans ad exercitia suorum actuum: & tamen Concilia, & Theologi omnes in his, qui characterem, & iurisdictionem habent, dicunt sacramentum posse esse nullum defectu intentionis: ergo hæc non significat habitum, sed actum aliquem existentem formaliter, vel virtualiter.

17 Secundam partem docet S. Thomas art. 8. ad 3. Et habetur in Rituali Romano iussu Pauli Quinti edito in Rubrica de Sacramento, §. *Ad ministrandum*, vbi dicitur: *In ipsa administratione actualem attentionem habere student; vel saltem virtuale; cum intentione faciendi, quod in eo facit Ecclesia.* Loquitur generaliter de omnibus Sacramentis: Præterea probatur ratione D. Thomæ, quia Deus non obligat ad id quod regulariter non est in nostra potestate: & ideo nõ est necessaria actualis intentio, quia hoc nõ est semper in nostra potestate, vt diximus nu. 13. Ostensum est etiam, quod habitus nõ sufficit: ergo requiritur, & sufficit intentio virtualis. Sicut etiam docet D. Thomas 2. 2. q. 83. artic. 13. quod vt oratio sit meritoria sufficit virtualis attentio. Similiter ad impetrandum, & merendum sufficere virtuales relationem Charitatis, docet D. Thomas libro 3. Contragentes cap. 138. circa finem. Imò in omnimodo humano operandi, virtualis permanentia intentionis sufficit; vt sumitur ex Diuo Thoma 1. 2. quæst. 1. art. 6. ad 3.

18 Plus videtur esse difficultatis, an quilibet actus longissimo tempore præteritus,

sufficiat ad valide ministranda sacramenta?

Affirmat Henriquez lib. 1. cap. 10. nu. 2. dicens. Porro, dum quidam Doctores aiunt, habituales intentionem sufficere, minus propriè loquuntur; & vsurpant pro virtuali intentione: quæ sic dicenda est, quamuis non videatur fluxisse ex efficaci vi, & motiuo primæ intentionis: aut qui nec nunquam habuit intentionem sic explicitam, volo facere, quod Ecclesia Romana intendit, vel quod Christus instituit: habuit tamen cõfusam; vt si quis Ordines sacros suscepit, vt fiat Sacerdos; & Minister Ecclesiæ, & absque alia formali intentione (si nunquam habuit contrariam) consuevit celebrare, & ministrare sacramenta, etiam cum distractione mentis: hic enim conficit Eucharistiam, & alia sacramenta. Hæc Henriquez, referens Sotum, & Nauarrum. Quos id non tenere, probat Leander tract. 1. disp. 4. q. 16. Sicut neque Valentiam, quem alij citant. Tenet tamen Christophorus à S. Iosepho verbo *Sacramentum* dub. 17. n. 7. fol. 303.

19 Hæc sententia est omnino falsa. Primo, quia contra omnes Theologos: nam Sotus illo art. 8. §. *Ac forsam*, ponderat ad intentum verba D. Thomæ art. 8. ad 3. Iuxta quæ requiritur tam proxima intentio, vt illa moueat membra, vel ad eundem in Ecclesiam, vel ad præparandum se, &c. Ita vt tota illa actio sit actus humanus, in virtute prioris deliberationis. Plures alios refert Leander illa q. 16. & 17. & 18. Inter quos Fillutius tract. 1. num. 77. dicit, quod oppositum nemo nõ centeret absurdum. Alios referunt, & sequuntur Castrus Palaus puncto 5. nu. 4. & 5. Trullench lib. 1. cap. 3. dub. 2. num. 12. & 14. & 15. Secundo probant Lugo disp. 8. sect. 6. num. 90. quia illa intentio nõ sufficit vt actio illa dicatur fieri ex tali fine: cum ergo minister debeat operari, vt minister Christi, seu nomine Christi, necessaria est talis intentio, quæ possit denominare actionem factam esse à ministro nomine Christi. Ad hoc autẽ oportet, quod intentio influat in opus. Qui influxus nõ adest, quando est mera intentio habitualis: vel virtualis ita remota, quod longo tempore, vel magna distractione ad alia interrumpat influxum in opus.

20 Tertio probat Bernal cum alijs disputatione 17. sect. 2. §. 6. nam ad sacramenti validitatem requiritur intentio influens in sacramenti effectum humano, & moralis modo: qui influxus, sicut nõ adest solo habitu, ita nec volitione remota, quia eius virtus est limitata, & non continuatur cum

ope

opere, neque physicè, cum non sit, nec moraliter, quia non est in prudentum æstimatione, neque in aliquo physico à se relicto, nec in aliquo cum illa connexo. Quamuis ergo differentia sit in vocabulis, an debeat dici habitualis, vel virtualis remota: omnes dicunt non sufficere: quia non verificatur modo humano ut actio illa dicatur fieri propter illum finem: & est de fide, quod requiritur intentio saltem faciendi, quod facit Ecclesia.

21 Sed objicies primo: nam D. Thomas 1. 2. q. 114. ar. 4. requirit ut opus sit meritum, quod per actum charitatis referatur in Deum: & tamen ad hoc sufficit vnus actus charitatis, dum mortali peccato non retractatur, quia sola distantia temporis non sufficit discontinuare relationem charitatis, ut sumitur ex D. Thoma in 2. dist. 40. q. 1. artic. 5. ad 6. Ergo pariter ut quis dicatur habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia, sufficit, quod semel hoc intenderit, & non retractauerit.

Respondetur primo, quod non omnes Thomistæ illo modo explicat influxum Charitatis: nam Cano, & alij requirunt influxum ex actu proximè præcedente, ut refert Alvarez disp. 60. de auxilijs nu. 14.

22 Quia tamen sententia, de qua in argumento, videtur D. Thomæ ibi, & in 2. distinct. 38. q. 1. art. 1. ad 4. & q. 2. de Malo art. 5. ad 7. & 11. Tenentque Capreolus in 2. distinct. 40. q. 1. art. 3. ad 3. contra 2. & communiter Thomistæ, ut refert, & sequitur Serra 1. 2. q. 114. art. 4. dub. 2. folio 809. & Ioannes à S. Thoma ibi tom. 1. in 1. 2. disp. 1. ar. 6. folio 90. & tom. 2. disp. 30. art. 5. in fine folio 532. Ideo Medina 1. 2. q. 114. art. 4. ad 2. respondet, quod non confirmis intentio necessaria est in omnibus humanis negotijs: nam ad ineundam amicitiam, satis est semel motum consecrare in obsequium amici. Unde durat hæc intentio vsque dum per actum contrarium reuocetur.

23 Præterea, finis vltimus supernaturalis est finis eminentissimus, & vniuersalissimus, cui subleuiare possunt omnia bona naturalia, & supernaturalia: quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: vnde ex vi vnus actus Charitatis, omnia, quæ fiunt, & fieri possunt ab homine, exceptis peccatis venialibus, manent illi fini subordinata. At vero cum operationes sacramentales respiciant aliquos particulares fines: & de se sint indifferentes ut fiant sine naturali, vel ut partes sacramenti, ideo opus est intentio de dirigente, & applicante, ratione cuius ve-

rificetur fieri nomine Christi, & ut quid distinctum ab actionibus profanis, & ut sic sunt partes sacramenti, quod explicitè, vel implicitè intendit minister facere.

24 Secundo objicies: nam dum vnus actus præcelsit, quamuis remote, non est intentio mere habitualis, sed virtualis. Sed Theologi, & Rituale Pauli Quinti, absolute exigunt, & sufficere dicunt intentionem virtuales: ergo alia exigenda non est. Præcipue: nam si vltius oporteret inquirere an intentio, quæ formaliter non est, virtualiter proximè influat, vel non? Vix poterimus esse securi de valore sacramentorum: & datur occasio magnæ perplexitatis, & ansæ scrupulosis.

Respondetur, quod cum intentio, quæ fuit, ita distat, quod nec formaliter, nec virtualiter influat nunc in actum, erit differentia in solo modo loquendi, an tunc debeat dici intentio mere habitualis, vel virtualis remota? Quia reuera non est in rigore virtualis simpliciter, cum nil virtutis eius maneat: nec sit ratio faciendi hunc actum. Quidquid autem sit de modo loquendi, quoad rem ipsam, notat Granados controu. 3. de Sacram. tract. 5. disp. 4. sect. 2. num. 13. quod res quidæ in praxi, ni fallor, nullius scrupuli est. Rectè autem nonnulli dicunt, tunc censeri ministrum habere intentionem virtuales, quando si interrogaretur, quo fine, aut quare proferat verba, & applicet materiam, statim sine noua deliberatione responderet, se id facere, ut Sacramentum conficiat.

25 Addit Soto ar. 8. 6. *Acferam*, quod planè est, quod si Sacerdos illa die, qua nascitur infans, proponat illum baptizare: sed tamen in toto dierum octonario nunquam amplius de eo cogitet, sed sicut dū quis barbaram absque vlla cogitatione fricat, sic illum fortuito octauo die baptizet, profecto videtur baptismus ille absque legitima intentione fieri. Quod communiter Theologi sequuntur. Per hoc tamen, quod quis ex proposito, dum ministrat sacramenta, animum alio distraheret, peccaret quidè illicite ministrans: non tamen invalidum esset sacramentum: quia ut ait Bernal disp. 17. sect. 2. §. 6. num. 75. in fine: voluntas efficiendi sacramentum, non destruitur, aut reuocatur per voluntatem agendi animo prorsus ad alia distracto. Alioquin non infrequens esset invalida sacramenti confectio, cum pro humana fragilitate non infrequenter sic exerceatur cum voluntaria mentis euagatione, & totali distractione. Quod intelligendum, dum virtuales habeat attentionem exterius prof-

proferendi verba cum intentione Ecclesiæ, ut ex D. Thoma hic art. 8. ad 3. notatū est capite 30. Theolog. Moral. q. 8. num. 19. & num. 33.

26 Tertio objicies: nam si quis semel velit ex nunc pro tunc celebrare missas per totum annum pro aliquo defuncto; hæc intentio sufficit ut illi applicetur fructus sacrificij: & ut satisfiat pro obligatione, vel elemosynæ, vel capellanæ: quamuis illius amplius non recordetur: nec intentio præterita sit causa celebrandi: dum tamen non habeat contrariam intentionem. Ergo pariter sufficet ad valide ministranda sacramenta: Consequentia est manifesta: nam in Missa aduertitur ratio sacramenti, & sacrificij. Si autem ad supremum sacramentorum dicta intentio virtualis habitualiter perseverans sufficit, absque dubio sufficet in reliquis sacramentis.

27 Respondet Suarez disp. 13. sect. 3. conc. 2. Bonacina disp. 1. de Sacramentis q. 3. puncto 2. §. 3. num. 11. Molfesius, & Diana, quos refert, & sequitur Lugo disput. 8. sectione 6. num. 93. Bernal disp. 17. num. 74. concedendo antecedens, & negando consequentiam. Rationem disparitatis assignat Lugo: quia applicatio sacrificij est quali donatio, & dispensatio emolumentum: & ideo sequitur naturam donationum, & dispensationum: ad quartum valorem sufficit in humanis voluntas habitualis. At vero sacramentum est actio sacra, quæ dum fit, debet fieri ex intentione, saltem implicita, operandi nomine Christi: ideoque ut sit actio humana sacra nomine Christi debet procedere ex tali intentione.

28 Alij vero cum Vazquez cap. 6. nu. 74. & cum Granada num. 14. negant antecedens, contendentes vtriusque esse eandem rationem: quia offerre sacrificium est pro aliquo sacrum facere: vnde si ad celebrandum requiritur voluntas, seu intentio virtualis, & humana, etiam ad sacrificium. Respondet Lugo num. 94. distinguendam esse oblationem directam à reflexa. Oblatio directa exigit intentionem virtuales: ad oblationem vero reflexam sufficit intentio habitualis: quia ex nunc possum donare, ex suppositione, quod celebrè Missas. Quæ voluntas, licet sit oblatio reflexa sacrificij, non est necesse, quod sit efficax, & causa sacrificij, sed applicationis fructus illius.

29 Cæterum, licet istæ volitiones distinguantur: tamen tam actio humana est vna, ac alia: vnde non minus vna exigit intentionem, quam alia. Deinde, donationes hu-

manæ etiam exigunt operationem voluntariam, & simpliciter liberam. Ideoque etiã ex hac parte discrimen est nullum. Præterquamquod Christus Dominus, immediatus sacramentorum institutor, commisit voluntati ministrorum, sicut conficere sacramenta, & sacrificia, ita & applicare fructum thesauri ibi contenti pro se, & pro alijs. Sed non minus requiritur intentio ad operandum ea, quæ minister agit nomine domini mittentis, quam ad operandum ea, quæ suo arbitrio determinanda reliquit; quia etiã in his se mouet: ergo in sensu formali nulla est differentia.

30 Quare dicendum est, quod formaliter in vtroque casu exigitur intentio virtualis, nec sufficit mere habitualis, aut virtualis remota, quæ in actum non influat, sed requiritur virtualis, ut influat in actum. Quamuis materialiter sit differentia, quod quia pro varietate negotiorum intentio virtualis solet aliquando plurimum durare, & non opus est actus repetere, ad hoc ut censeatur ut illius fieri opus: aliquando vero, nisi intra breue tempus reuocentur actus, opus censeatur fieri casu. Ita in hoc sensu admitti potest, quod pro applicandis Missis censeatur virtualis voluntas, quæ non multum diu præcelsit, & non est retractata: at vero pro administrandis sacramentis exigitur, ut ipsa inchoatio non multum remota fiat virtute intentionis. Quod indicat S. Th. ar. 8. ad 3. in exemplo quod apponit:

31 Denique objicitur: nam si quis semel efficaciter delectaret Baptismum, etiam si per plures annos illius non recordaretur, dum tamen non habuisset contrariam intentionem, si dormiens baptizaretur, vere maneret baptizatus. Et tamen intentio suscipientis non minus est de necessitate sacramenti, quam sit intentio ministris. Ergo pariter, si Sacerdos dum ordinatur, intenderet semel, quod quoties in altari exterius dicit Missam, vult consecrare, etiam si per totam vitam non repetat intentionem internam, vere censebitur consecrare: & sic de alijs sacramentorum ministris.

32 Respondetur ad recipiendâ sacramenta sufficere consensum præteritum, ut habetur in Concilio Araucano 1. cap. 12. Quare in casu argumenti esset validus baptismus, quia ut dicitur in cap. *Matores*, de Baptismo: *Tunc characterem sacramentalis imprimi operatio, quando obicem contraria voluntatis non inuenit.* Ad recipiendum enim non exigitur, quod intentio suscipientis sit causa ponendi sacramentum: secus vero ad illud ministrandâ.

ministrandum. De quo q. 63. art. 7. Addit Soto, §. Ex his ergo, quod recipiens non est agens; & ideo sufficit quod obicem non ponat: minister vero est agens operans humano modo.

33. Sed circa idem, adhuc tertio inquiritur, qualiter intentio, quæ iam non existit, sed extitit, possit realiter nunc vere concurrere ad actum?

Respondet Richardus in 4. dist. 6. art. 1. q. 3. ad 2. dicens, quod voluntas per actum suum facit aliquam impressionem in virtute motiva, quæ durat ad tempus, etiam actu voluntatis non manente. Quæ expirante virtus motiva non exequeretur motum amplius, nisi renouaretur imperium voluntatis. Frequenter tamen manet homo in actuali voluntate itinerandi, quod ipse non advertit. Unde quando ex forti intentione ita se conuertit ad aliud, quod non actu cogitat de suo itinere, nec in universali, nec in particulari, cessat te impressione, quæ facta fuerat in virtute motiva per præcedentem voluntatis actum, statim cessat motus. Hæc ibi. Pariter Coninch art. 8. dub. 2. num. 71. docet aliquid præteritum actu in imaginatione relinquere ex intentione præterita. Lugo vero disp. 8. sect. 5. nu. 80. dicit requiri aliquem actum præteritum in imaginatiua saltem: quia potentia externa est in differens, & non possit se magis determinare ad hunc motum, quam ad illum, nisi actu cognoscendi, & appetendi. Deinde nu. 84. dicit non sufficere actus imaginatiuæ. Tum quia potentia externæ debent moueri à voluntate: eo quod in omnibus potentijs motiuis ordinatis secundum rationem non mouent, nisi virtute primi mouentis, vult Dicitur Thomas 1. p. q. 81. art. 3. Et quia aliquæ sunt operationes ad quas non videtur sufficere directio solius imaginatiuæ. Et operationes sacramentales, vt tales, non possunt proponere imaginatiua vt bonum proportionatum. Idem sequitur Auersa quæstione 64. sect. 3. concl. 3.

34. Reliqui vero Authores communiter, vt intentio præterita virtualiter perseveret, non exigunt actus formales, licet te-nerentur, intellectus, aut voluntatis, aut imaginatiuæ. Licet non vna via declarent intentionem perseverantiam. Scotus in 4. dist. 6. q. 1. arguitur. lit. e. ait. Possit ergo dici, quod in appetitu sensitivo, siue phantasia aliqua dispositio secundum quam mouetur ad actum voluntatis imperantis eis. Vel ad præteritum propositum, quod siue voluntas actu intendens, aliquid relinquat in potentijs inferioribus, siue non; ordinatè tamen habet suas volitiones respectu finis, & eorum,

quæ sunt ad finem: & cum ad aliquam istarum peruenerit, & actum potentia inferiori correspondentis imperauit; potest ille actus inferior imperatus manere; licet intentio, nec prima, nec secunda maneat. Et dum manet ille actus, voluntate, quantumcumque distracta, dicitur manere intentio virtualis. Et postea docet non oportere esse actu actionem immanentem, quando effectus exterior elicitur. Sicut manifestum est, quod multi effectus actu causantur, quando actualis motio causæ agentis per intellectum, à quo producuntur, non manet. Et posset poni exemplum in naturalibus: quia proiecto lapide in aqua, primus circulus est causa secundi circuli; & sic deinceps: non tamen semper manet primus quandiu cæteri. Ita etiam vniuersaliter in motu projectorum prius cessat pars motori propinquior, quam remota. Hæc Scotus. Quem sequitur Soto illo articulo 8. §. Est autem, oppositam vocans deridiculari, & ludicram opinionem; quoniam nihil est aliud manere in virtute, quam initio mouisse membra ad illum finem. Idem docet Suarez disp. 13. sect. 3. post 2. cõc. & Vazquez disp. 138. cap. 6. num. 78. explicans voluntatem virtualem per hoc quod intentio præterita sit causa remota huius actionis, quæ modo fit, quatenus fuit causa proxima actualis, cum quo sacramenti administratio connexa est.

35. Probatumque ex D. Thoma 2. 2. q. 83. art. 13. & hic art. 8. ad 3. & lib. 3. Contra gentes cap. 138. vbi ratione 3. ait. *Voluntas præcedens actum, manet virtute in tota confectione actus, & ipsum laudabile reddit, etiam quando de proposito voluntatis, propter quod actum incipit, in executione operis non cogitabat; non enim oportet, quod qui propter Deum aliquod iter arripuit, in qualibet parte itineris de Deo cogitet actum.* Similiter in 2. dist. 38. q. 1. art. 1. ad 4. ait. *Sed oportet, quod prius fuerit cogitatio de fine, qui est charitas, vel Deus, & quod ratio actiones sequentes in hunc finem ordinauerit: ita quod rectitudo illius ordinationis in actionibus sequentibus saluetur. Vt patet in exemplo, quod Auicena ponit de artifice, qui si dum opus suum exercet, semper de regula artis cogitaret, multum in opere impediretur: sed sicut prius excogitauit per regulas artis, ita post modum operatur: & sic in opere eius rectitudo artis saluetur.*

36. Probatumque primo duabus experiētis adductis à D. Thoma. Deinde, quia voluntas non operatur sine cognitione; neque appetitus sensitivus sine imaginatione. Sed actus intellectus, & imaginationis nostram cognitionem sensitivam, & intellectuam latere non

non possent. Ergo cum hos actus non cognoscamus manere toto tempore, quo manet virtualiter intentio, dicendum est neque actus voluntatis, & appetitus semper formaliter interuenire. ¶ Denique actus isti necessarii non sunt, quia diximus lib. 3. de Anima tota q. 32. voluntatem mouere alias potentias aliquid physicum eis imprimendo: & pariter virtute primæ intentionis poterit aliquid physicum imprimi, in quo ut virtus ipsa sit.

37. Sæpè non opus est hac virtute relicta ex prima intentione, quia supposita præterita intentione, ipsa volitio medijs, vel operis, aut loquutionis externæ, in quorū exercitio est sacramentum, est virtualis volitio, seu repetitio primæ intentionis, non solum virtute actus præteriti; sed quia qui vult aliquid ordinatum ad aliud vt ad finem, virtute dicitur velle finem: vt sumitur ex D. Th. 1. 2. q. 1. art. 6. ad 3. iuxta expositionem Medina ibi conc. 4. Conradi, Curiel §. 2. conc. 4. Aluarez disp. 8. & aliorū, quos ibi refert, & sequitur Baptista disp. 16. dub. 2. concl. 2. & 3.

38. Ex dictis elicitur quod ad ministrandum sacramentum, non sufficit voluntas interpretatiua. Quod omnes Doctores vniuersi consensu fatent, testatur Bernal disp. 17. sect. 2. n. 74. in fine: quia voluntas interpretatiua est multo minor voluntas, seu imperfectior, & improprior, quā habitualis: quia ibi nec est habitus, nec actus formalis, vel virtualis; præsumitur tamen quod adesset, si operaretur: ergo si habitualis, vel virtualis remota non sufficit, multo minus sufficit voluntas interpretatiua.

39. Secundo deducitur, quod voluntarium directum in causa non sufficit ad valide ministranda sacramenta: quia de causa, qui actu est dormiens, vel furiosus, vel ebrius inualide ministrat sacramenta, vt docet D. Th. in 4. distinct. 6. quæst. 1. artic. 2. q. 1. ad 3. & ibi ad Anibaldum art. 2. ad 2. Constatque à simili: nam furiosus lege naturæ non potest contrahere matrimonium, cap. Neque furiosus 32. q. 7. Cap. Dilectus, de sponsalibus.

40. Quæ doctrina omni prorsus difficultate caret in sententia asserente, quod omittit exterior solū imputatur ebrius, vel amentis, quando causam dedit, non vero quando fit: quia illa actio non est humana, cum non coniungatur humano modo cum voluntate præcedente, neque habet modum significandi humanum exprimendo mentem loquentis. Et sic integrum probant Suarez disp. 13. sect. 3. post 1. concl. Vazquez cap. 6. nu. 71.

& disp. 5. de Matrim. c. 3. n. 10. Basilius Pontius lib. 4. de Matrim. cap. 1. n. 16. Lugo hic disp. 8. lect. 6. n. 102. vsque 110. & Bernal disput. 17. lect. 2. §. 6. n. 75.

41. Cæterum, quia D. Th. 1. 2. q. 71. art. 5. & cum eo Theologi ferè communiter, docent omissionem imputari ebrius, vel amentis, non solum quando causam dedit, sed etiam in ipsa ebrietate, vel amentia quando actu omittit. Ideo rationem prædictam vt inefficacem rejicit Petrus Cornejo 1. 2. q. 71. disp. 3. dub. 13. ad 6. Imò Petrus Cabrera infra q. 68. art. 7. n. 6. ita ait. Sed obijciunt. Si minister, qui aliū baptizare proposuit, dormiens illum baptizaret, non conferret verum sacramentum Baptismi, etiam si in vigilia animam habuerit, baptizandi eundem: ergo neque similis voluntas sufficit ex parte baptizati. Aliqui Theologi probabiliter dicunt in calu antecedentis verum confici sacramentum; sufficereque virtualiter voluntatē ministrari. Præsertim, si illa actio, quam dormiens exequitur, ortum habeat ex efficaci voluntate conferendi baptismum, quam in vigilia habuit. Hæc solutio proculdubio est probabilis, nec poterit facile fallitatis conuinci: quoniam illa actio, quæ fit à dormiente, videtur voluntaria virtualiter in sua causa, nempe in voluntate habita in vigilia. Quare in tali casu existimo baptismum iterandum esse sub conditione. Hæc ibi.

42. Sed contrarium docuit ipse Cabrera q. 64. art. 8. disp. 1. §. 6. n. 47. dicens. Cum vero est actu ebrius, quia pro tunc caret vtu rationis, & intentionem habere non potest, sacramentum conficere nequit, etiam si materiam, & formam applicet, & ante ebrietatē intenderit applicare: quia illa actio ab ebrius, dum est in ebrietate, exercita, non est humana, cum ab eo exerceatur, qui non est sui compos, nec ratione vti potest. Et quamuis prior intentio ad illum actum, qui postea fit in ebrietate, comparatur vt actus interior ad suum obiectum: non tamen comparatur vt principium, seu causa moralis ad suum effectuum. Actio autem sacramenti debet procedere ab intentione ministrari, vt à principio operante. Hactenus ibi. Item Thomas Sanchez libro primo de Matrimonio disputatione octaua numero 15. & Diana tertia parte tractatu quarto resolutione 12. & communiter Theologos id merito negare, ait Lugo num. 102. quamuis duobus numeris præcedentibus dixisset im merito Theologos hunc casum omisisse; quam inconsequentiam in Lugo etiam notat Auersa quæstione 64. sectione 3.

43 Tenendo ergo illam sententiam D. Th. ratio disparitatis assignatur ab ipso 1. 2. q. 71. art. 5. ad 1. & q. 2. de Malo art. 1. ad 3. quod plura requiruntur ad bonum, quam ad malum: quia ut dicit S. Dionys. 4. c. de diu. nom. bonum ex integra causa, *malum autem ex particularibus defectibus*. Ad hoc ergo, quod sit meritum, requiritur quod sit actus voluntatis: sed ad hoc quod sit demeritum, sufficit hoc solum quod non velit bonum quando debet. Similiter inquit Cornejo ubi supra, licet in somno, vel ebrietate imputentur male operationes, sed tamē maius voluntarium requiritur ad ministranda sacramenta.

Secundo respondet Serra 1. 2. q. 71. ar. 5. dub. 5. ad 1. quod ministratio sacramenti consistit in actione humana, quā ebrius, & dormiens non potest habere: omisio verò consistit in cessatione ab humana operatione, ad quam ut sit peccatum sufficit ut sit voluntarium in sua causa. Eodem modo respondet Greg. Mart. ibi dub. 4. ad 2.

44 Aliæ duæ rationes disparitatis adhuc assignari possunt. In primis, quia nec in somno, nec in actuali ebrietate potest haberi presentia per se sensus, quæ sufficit ad consecrandum. Nec potest esse expedire usus rationis ad discernenda peccata, & ad iudicandum de poenitentis dispositione: & idē absolutio data a Confessario dormiente, est nulla; imò & mortalia, quæ coram eo dormiente protulit, sunt iterum confitenda: quia non sunt ministro habili manifestata. Denique vniuersalis ratio est: quia minister operatur nomine Christi. Sed non est rationi consonum Christum instituisse, quod in actuali somno, ebrietate, aut amentia operationes fiant nomine Christi: ergo voluntarium in causa non sufficit administranda sacramenta.

§. III.

Vtrum error circa personam irritet sacramentum defectu intentionis?

45 Certum est intentionem ministri debere esse circa materiam circa quam determinatam, & circa personam determinatam. Et circa primū S. Tho. in 4. dist. 11. q. 2. art. 1. q. 3. ad 1. ait, quod in consecratione ipsa forma pronome demonstratiuo viens, ostendit quod materia consecranda debet esse coram sacerdote. Pariter in Baptismo, & Poenitentia ipsæ formæ determinant personam: nam dicitur absolute: *baptizate*. Et ratio est: nam formæ sacramentorum nouæ legis efficiunt, quod significant: sed efficiunt circa determinatam materiam, & in determinata persona: eo quod actiones sunt circa singularia: ergo exigit in

tentio materiam, & personam determinatam.

46 Hinc oritur difficultas, vtrum error ministri circa personam irritet sacramentum?

Referunt Vazq. disp. 138. c. 7. n. 84. & Lugo disp. 8. sect. 7. n. 111. quod Syluester veruò *Baptismus* 3. q. 13. cum Hostiensis, existimare videtur Baptismum tunc nullum esse, cum minister putans se baptizare puerum; baptizat puellam, vel contra; quia talis error impedire videtur voluntarium, quod ad sacramenti administrationem, tanquam quid essenziale requiritur. Sed immerito hoc imponi his grauiſſimis Authoribus, Syluestri verbis relatis erit perspicuum. Illa enim q. 13. inquit, vtrum sit verum baptisma ubi interuenit error? Et dico, secundum Hostiensem, quod putans se baptizare puerum, imponens ei nomen Petrus, & baptizat puellam: si intendit baptizare personam cuiuscumque sexus; est baptizata: si verò marem tantum; non est baptizata. *Si autem simpliciter baptizat, scilicet, non cogitans de mari, aut femina, est baptizata: quia scilicet intendeat baptizare hanc personam, quidquid esset*. Et concordat S. Thomas dicens in 4. dist. 30. quæst. 1. art. 1. ad 3. *quod si quis baptizat Ioannem, credens se baptizare Petrum, nihilominus Ioannes est vere baptizatus*. Hæc ibi. Ex quibus patet Syluestrum non recedere à vera sententia S. Th. Theologorum communi.

47 Iuxta quam, Soto in 4. dist. 1. q. 5. ar. 8. §. *Postremū denique*, Suarez disp. 13. sec. 3. conc. 4. & alij communiter docent totum hoc dependere ex intentione ministri; quia si alligauit intentionem suam, ita ut intendat non consecrari sacramentum nisi tali indiuiduo in particulari, si quocumque euentu, alius supponatur, validum non est sacramentum. Si vero intentionem extendat volens dare sacramentum presenti, quicumque sit; quauis putet esse, qui non est, reuera sacramentum confert: quia ad hoc se extendebat intentio formaliter; quamuis interueniente errore materiali. Cæterum, per se loquendo, sacrilegium esset sic alligare intentionem, ab utendo potestate, & ministerio ordinato ad omnium periculum salutem: & exponitur periculo sine causa frustrandi sacramentum. Posset tamē grauiſſima interuenire causa propter quam posset, imò & teneretur sic alligare intentionem, quando timeretur quod subintraretur aliquis iam baptizatus, vel alius omnino indignus, vel incapax.

48 De vno casu in praxi frequentissimo, Authores qui de illo meminerunt, non vnam proferunt sententiam. Bernal enim disput. 17. sect. 2. §. 9. num. 82. explicans, quod retri

reſtriſio intentionis quandoque potest esse licita, & debita, inter alia, hoc exemplū proponit. Si Episcopus nosset aliquos accedere solitos ad recipiendum sacrum ordinem sine legitima approbatione, posset ad istam frangendam audaciam intentionem suam restringere ad solos approbatos; eamque restrictionem eunctis intimare, ac serio denunciare.

49 Melius tamen Lugo disp. 8. sect. 7. n. 119. ait. Ego quidem usum talis protestationis nullo modo probo: Tum quia in ritibus Ecclesiasticis fundamentum non habet: nam licet in Pontificalibus antiquis, & modernis apponatur formula, qua ordinandi moneantur ex parte Episcopi, ne vllus accedat irregularis, absque etate, vel facultate legitima, &c. In nullo tamen Pontificali inuenitur talis protestatio de defectu intentionis: quare Officiales Episcopi, dum illam protestationem addunt, id de suo addunt; & non iuxta formulam in Pontificali constitutam. Tum etiam, quia licet existente grauiſſima causa, posset aliquando Episcopus habere intentionem sub conditione (ut fatetur Vazq. c. 7. nu. 86. de ministro absolutionis) si v. g. aliquis simulans se alium, petat ordinari, cum multum referat, hunc non ordinari. Cæterum eiusmodi voluntas conditionata vniuersalis cum omnibus haberi non potest absque grauiſſimis inconuenientibus propter dubia, quæ inde oriuntur circa valorem Ordinis. Potest enim contingere in primis, quod aliquis tale impedimentum habeat, illudque vel ignoret, vel eius actu non recorderetur. Potest item suboriri dubium, an reuera habuerit aliquod ex his impedimentis. Denique, dato quod illud habuerit, & cognouerit, dubitauit merito de intentione Episcopi an fuerit conditionata, ut verba priora sonabant; an absoluta, prout debet esse. Non debet autē res adeo grauis his dubijs exponi. Hæc Cardinalis, recte conuincens, quod non expedit, quod Officiales Episcopi talem protestationem faciant.

50 Dato tamen casu, quod in praxi fiat, subiungit Lugo. Vnde, si casus accideret, ego Sacerdoti eo modo ordinato cum tali impedimento consulere, ut, si commode potest, adeat eundem Episcopum, eiusque intentionem exploret, qualis fuerit. Quod si hoc fieri non possit, recipiat iterum sub conditione Ordinem, ne maneat in illo dubio cum periculo inualiditatis aliorum sacramentorum, quæ ex Sacerdotio dependent. Hæc ibi. Et Molfes. tract. 2. c. 2. n. 45.

51 Hoc tamen non admittunt Ioannes Præpositus de Sacram. Ordinis dub. 17. nu.

171. quem refert, & sequitur Diana 5. p. tractat. 13. Misc. resol. 66. dicentes, quod ille protestationes intelliguntur de impedimentis ab Episcopo cognitis. Vnde habens impedimentum ignota Episcopo, non debet iterum sub conditione ordinari, quia verè intendit Episcopus ordinare illos, quorum defectus ignorat. Idem docere Nauarrum, Graſum, Rudericum, & Hugolinum, Phillibertum, & Saa, refert, & sequitur Leander 10. 2. tract. 6. disp. 4. q. 5.

52 Quorum sententia est probabilis: nam ut inquit Serra q. 64. artic. 8. dub. vnico ad 2. protestatio illa fit ad terrorem, & vt significet Episcopus se nolle excommunicatos admittere, aut cum illis habere communionem. Verum post factam sufficientem diligentiam, nullum adesse excommunicatum, intentionem habet, & habere tenetur, illud ordinandi, quem habet presentem. Sed non est certā opinio, quia habere intentionem restrictam pro non ordinandis solum sibi notis indignis, non est medium aptum ad occurrendum inconuenienti, quod vitare intendunt Episcopi, qui illam protestationem faciunt. Quare quando aliter veritas determinari nequit, videtur ordinatio sub conditione iteranda. Quare obsecrandi essent Episcopi ne talem protestationem faciant: & ne censuris arceat impeditos impedimento occulto. Imò deberet ad cautelam in generali eos absolueri, & cum eis dispensare, vt admonet Henriquez, Fillutius, & Peyrinis, quos refert, & sequitur Diana illa resol. 66. in fine. Sed de his alibi.

53 Sed redeundo ad principalem assertionem, à qua non inuilliter (vt arbitror) paululum digressi sumus, est contra eam communis obiectio: nam in Matrimonio error personæ est substantialis, & irritum reddit matrimonium iure naturali: ergo pariter in Baptismo, & Poenitentia, & in alijs sacramentis error circa personam reddet inualidum sacramentum.

54 Bernal disp. 17. sec. 2. §. 9. relatis, & reiectis sex aliorum dicendi modis, tandem concludit n. 85. quod licet in rebus moralibus, & communi hominum more magnū sit fundamentum ad assignandum discrimen inter Matrimonium & reliqua sacramenta: tamē hoc non satis videri ad istud discrimen solide constituendum: quia sacramentorum institutio, valor, & nullitas est de iure diuino: proinde non pendens essentialiter ex illo hominum agendi more, qui moraliter varius, & incertus esse potest.

Ex quo infert hoc discrimen Christi voluntate inductum esse. Nam omnes dicunt errorem personæ inualidare matrimonium,

& non ob stare validitati aliorum sacramentorum: sed hoc eis non competit ex solo hominum more, & instituto: consequens igitur est ita esse sola Christi institutione.

55 In primis hæc euasio est contra communem Theologorum: nam D. Thomas in 4. dist. 30. q. 1. art. 1. concludit, quod *error de iure naturali habet, quod euacuet Matrimonium*. Similia docent Sanchez lib. 7. de Matrimonio disp. 18. n. 12. referens viginti octo Auctores Basilius Pontius lib. 4. cap. 20. n. 7. & passim alij. Deinde ipse nullum affert Scripturæ, aut Patrum testimonium, ex quo constet alia sacramenta esse valida cum errore personæ: ergo si discrimen assignari non potest ex natura rei, gratis asseritur Christum ita instituisse: quia de tali institutione non constat, nisi ex rerum naturis. Ideoque hoc non est rationem assignare, sed principium petere, vel probandum supponere. Vnde cum Vazq. n. 89. similem rationem retulisset ex Ioanne Maiore in 4. dist. 6. q. 1. §. Tercio arguitur: eam confutat ut *frivolam*.

56 Deinde Vazq. c. 7. relatis, & reiectis quinque modis dicendi aliorum, ipse n. 91. respondet errorem in administratione aliorum sacramentorum esse accidentalem; in matrimonio vero esse substantialem: quia persona est substantialis circumstantia contractui matrimonij: quia ipsæ personæ sunt materia contractus Matrimonij. At vero hæc & illa persona cui sacramentum administratur, non est substantialis sacramentum: nam ad essentiam sacramenti solum requiritur, ut conferatur homini, ita ut si sit Baptismus; detur homini non baptizato; si autem sit aliud sacramentum, ministreretur homini baptizato.

57 Bene tamen impugnat Lugo sect. 7. n. 113. quia hæc responsio; nisi amplius explicetur, non potest satisfacere. Primo, quia in consecratione Eucharistiæ species panis sunt materia circa quam versatur: & tamen si ego accipiam unam hostiam, existimans esse aliam, quam prius ibi reposueram, adhuc consecratio erit valida. Secundo, non minus videtur pertinere ad substantiam persona, cui confertur absolutio, quam peccata: nam si non est hæc persona, non erunt hæc peccata; sed alia alterius personæ: ergo, si ego erro in persona, erro in peccatis: & percotequens in substantia materiæ. Denique, quod dicit baptismum solum requirere ad suam essentiam, quod conferatur homini, eodem modo videtur procedere in matrimonio; quod ad suam essentiam solum requirit, quod fiat inter marem, & foeminam. Sicut autem hoc matrimonium in particulari exigit hos co-

uges determinatos; sic hic Baptismus exigit determinatè hoc subiectum: alioquin enim non esset hæc absolutio, sed alia, & aliud sacramentum, ut constat. Hæc ibi. Pariter arguit Bernal n. 84. quod ratio Vazquez petit principium: quia tota difficultas est in probanda minore, & illius nullam reddit rationem: nam eadem videtur ratio in Matrimonio ac in alijs sacramentis. Adde, Vazquez supponere falsum, quod in Matrimonio ipsæ personæ sint materia proxima: nam ostendimus ipsos consensus contrahentium sensu biliter expressos proximè facere Matrimonium.

58 Recurrendum ergo ad communem rationem, quam indicant Soto in 4. dist. 3. q. unica art. 5. §. Sed contra hoc fit. Petrus Ledesma de Matrimonio quæst. 51. art. 2. dub. 2. ante sol. arg. Sanchez lib. 7. de Matrimonio disp. 18. n. 12. Basilius Pontius lib. 4. de Matrimonio cap. 20. n. 4. & Lugo hic sect. 7. n. 116. & 117. Serra art. 8. dub. unico ad 2. Cabrera disp. 1. §. 6. ad 7. n. 55. Quod differentia debet delumi ex natura contractus Matrimonij: in quo diuersitas substantialis, que in esse physico non variat speciem, in ordine ad voluntarium Matrimonij variat speciem: & ideo omnis diuersitas substantialis in matrimonio est inuoluntaria. Tum quia, ut ait Sanchez; conditiones individuales per se conducunt ad indiuiduam vitæ consuetudinem retinendam: per quod Matrimonium diffinitur. Tum quia à posteriori bene ait Soto, ideo errorem in matrimonio illud irritare, quia ex illo perpetuæ cohabitationis vinculum oritur. Tum quia, ut ait Basilius, potest contingere, ut aliquid sit circumstantia, & accidens respectu alicuius contractus, & tamen pertineat ad substantiam alterius. In Matrimonio autem datur corpus pro corpore. Vnde error in persona est substantialis, & æqualitatem aufert. Ideoque merito contrahentes matrimonium, alligant intentionem ad indiuiduam personam, quia ad vitam communem perpetuam maxime hoc conducit. Nec sufficit (inquit Lugo n. 117.) si detur alia vxor æque bona: quia cum hæc æqualitas non possit certo ab hominibus agnosci, & præiudici, & pendeat ex tot circumstantijs, quod placeat coniugi, vel displiceat, merito contrahentes alligant suam voluntatem ad talem personam determinatam, quia nolunt alieno iudicio fidere, sed suo in re tanti momenti.

Omnis ergo diuersitas substantialis in eo contractu est inuoluntaria. Imò in venditione serui, vel ancillæ, propter eandem rationem,

nem, error in persona efficit emptionem in validam, ut obseruat Molina tom. 2. de Iust. disp. 340. n. 21. quia variatio personæ in hominibus æquivaleret variationi speciei in alijs rebus propter rationem traditam.

59 Instat tamen Bernal sect. 2. num. 84. quia ad invalidandum contractus alios non est necessaria ista vitæ inseparabilitas: ut constat in donatione, & promissione, quarum valor impeditur errore circa donatarium, & promissarium: ergo hæc ratio non potest esse adæquata. Deinde, si adæquata esset, similem possemus in Baptismo cogitare, per quem scilicet ad Ecclesiam intratur in perpetuum. Vnde sicut ciues, aut equites non errantur sine delectu aliquo; sic nec adulti, qui baptizari cupiunt, sine delectu aliquo admittuntur. Ergo sicut error circa personam ciuis, aut equitis, certissimè impedit valorem creationis; ita error circa baptizandi personam, impediret valorem baptismi: quod tamen dici non potest.

60 Ad primum tam facile responderat Lugo h. m. 116. quod licet sit aliqua differentia materialis: si tamen formaliter, & cum proportionem applicetur regula vniuersalis aliorum contractuum, reperiemus nihil esse speciale quoad hoc in matrimonio. Regula enim vniuersalis est, quod quoties datur error in substantia, contractus sit nullus: qualis autem sit error in substantia; pendet ex diuersa natura, & sine vniuersaliq; contractus.

Secundo dicitur, quod potius inde habetur à fortiori intentum, quia si adhuc in donationibus non perpetuis propter errorem substantialem inuoluntantur; multo melius erit invalidus contractus de se perpetuus, ad indiuiduam vitæ consuetudinem retinendam.

61 Ad secundam respondetur, quod non est par ratio, quia Baptismus non est contractus inter duas personas, sicut est Matrimonium: sed est sacramentum, quo omnes efficiuntur filij Dei, & membra Christi: ideoque indifferenter ad omnes, qui in eum credere volunt, pertinet: nam ut dicitur ad Rom. 12. *Omnes vni corpus sumus in Christo*. Optimeque Apostolus ad Galatas 3. ver. 27. ait. *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudæus, neque Græcus: non est seruus, neque liber: non est masculus, neque foemina. Omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu*. Vbi S. Thomas lectione 9. rationem assignat. *Quia nihil potest esse in hominibus, quod faciat exceptionem à sacramento fidei Christi, & Baptismi*. Et ponit tres differentias hominum, ostendens, quod per eas nullus excipitur à fide Christi. Nec propter ritum: ne

que propter conditionem seruitutis, aut nobilitatis: neque propter differentiam sexuum. Affert illud Iob 3. *Paruus, & magnus ibi sunt, & seruus, & liber à Domino suo*. Ad Rom. 2. *Non est personarum acceptio apud Deum*. Ad Ephes. 4. *Vnum corpus, vnus spiritus*. Ioann. 17. *Volo Pater ut sint vnus*. Ex quibus constat errorem personæ esse differentiam per accidens in Baptizandis: non vero in contrahentibus matrimonium.

62 Aliam differentiam rationem, & solutionem ad principale argumentum, assignat Diuus Thomas in 4. dist. 30. q. 1. artic. 1. ad 3. dicens, quod *Character baptismalis non causatur ex intentione baptizantis directè; sed ex elemento materiali exteriori adhibito. Intentio autem operatur solum ut dirigens elementum materiale ad effectum proprium. Sed vinculum coniugale ex ipso consensu causatur directè. Et ideo non est simile*.

Hanc solutionem impugnat Vazquez disp. 138. cap. 7. num. 87. quia cum Intentio ministri sit necessaria ad constituendum sacramentum, character non solum per materiam, & formam sacramenti, sed etiam per intentionem ministri imprimitur.

63 Facile tamen dicitur, quod ipse Vazquez disp. 129. cap. 3. num. 39. in fine dixerat. *Manifestum autem est sacramentum non constare intentione ministri siquidem intentio non est pars: & nihil aliquo constare dicitur, nisi tamquam parte*. Diuersimode ergo est necessaria intentio, ac necessariae sunt aliæ partes sacramenti: nam illa est conditio essentialis extrinseca; istæ sunt partes intrinseca: illa non causat directè, sed solum indirectè, & remotè, & dirigens ut fiat; id quod à Deo assumitur ut causet, nempe sacramentum; quod est institutum, & eleuatur ad causandum.

64 Deinde sensus rationis Diui Thomæ est, quod intentio solum est directio, & applicatio, ut fiant, & coniungantur materia, & forma sacramenti: ideoque ad eam non pertinet materialiter alligare se ad hanc personam. At vero cum matrimonium sit vinculum, ad propriam eius causam pertinet causare, & determinare obligationem. Vnde in corpore articuli assumpserat pro medio: *quidquid impedit causam, de sui natura impedit, & effectum similiter. Consensus autem est causa Matrimonij, ut dixerat dist. 29. quæst. 1. artic. 3. quæst. 1. ad 1. & ideo quod euacuat consensum: euacuat Matrimonium*. Cum ergo per errorem directè tollatur consensus, & voluntarium, directè irritatur contractus. Cum autem intentio non sit propria causa; ideo de illa non militat eadem ratio.

Hunc esse sensum D. Thomæ, constat conferendo solutionem ad 3. cum doctrina corporis articuli. Et quia illa dist. 29. ad 1. ait, quod intentio non est causa efficiens sacramenti in Baptismo, sed solum eliciens actionem agentis: sed consensus est causa efficiens in Matrimonio: & ideo non est simile. Videatur in 4. ad Anibaldū dist. 30. artic. 2.

DVIVM IX.

Vtrum fides ministri sit de necessitate sacramenti?

Temporibus antiquis, non solum Catholicorum cum Hæreticis; sed inter ipsos Catholicos grauisima orta fuit controversia: nam vt refert Sanctus Vincentius Lyrenensis in Commonitorio capite 9. Venerabilis memoria Agrippinus Carthaginensis Episcopus, primus omnium mortalium, contra vniuersalis Ecclesie regulam, contra ciuicum canonem, contra morem, & instituta maiorum, rebaptizandum esse censebat, eos scilicet, qui ab Hæreticis baptizati essent. Idem docuerunt Episcopi Asiæ, vt refert Eusebius lib. 7. Historiæ capit. 6. ex epistola Dionysij Alexandrini. Sequutusque est Sanctus Cyprianus epistola 70. Imo epistola 73. refert ita statutum esse à septuaginta, & vno Episcopis in Concilio congregatis.

2 Eundem errorem amplexati sunt Donatistæ, vt constat ex quinque libris Sancti Augustini contra illos. Differebant à Catholicis, quia Hæretici in errore perdurabant post Ecclesie absolutam diffinitionem. Quam non viderunt Agrippinus, & Sanctus Cyprianus, vt refert Sanctus Augustinus libro 2. de Baptismo capite 7. & 9. & illi docuerunt sine pertinacia, isti sine illa. Vnde Sanctus Cyprianus epistola 72. testatur se hoc tenere, *saluo inter collegas pace, atque concordie vinculo.* De vario statu horum errorum, & de alijs ad historiam attinentibus latè Vazquez disp. 137. capit. 1. Idem error videtur non displicuisse Erasmo in præfatione ad S. Cyprianum.

3 Nihilominus conclusio fide catholica credenda est, quod infidelis potest verum sacramentum præbere; dummodo cætera ad sint, quæ sunt de necessitate sacramenti. Ita docuit Siricius Papa epist. 1. quæ est ad Himerium cap. 1. Innocentius Primus epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ capit. 5. Sanctus Leo Magnus Epistola 77. alias 79. ad

Nicetam capit. 7. Anastasius Secundus Epistola ad Anastasium Imperatorem. Sanctus Gregorius Magnus libro 9. epist. 61. Definitumque esse in Concilio Nizæno, sumitur ex S. Hieronymo Dialogo vltimo contra Luciferianos in fine: quod fuit, vel in canone 19. in quo iubentur Paulianistæ rebaptizari: quia vt testatur Innocentius. *Paulianistæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti minime baptizant:* nam si sic baptizarent, rebaptizandi non essent, sicut nec alij Hæretici iubentur baptizari. Vel id decreuit Conciliū Nizænum specialiori decreto: quod modo non extat. Idem docuit Concilium Cartag. 1. can. 1. & Arelatense primum sub S. Syluestro canone 8. Et denique Concilium Tridentinum Sess. 7. canone 4. de Baptismo, ait. *Siquis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit.*

4 Idem definierunt Pontifices, & Concilia, ex perpetua, & constanti Ecclesie traditione. Vnde Sanctus Stephanus Romanus Pontifex, vt refert sanctus Vincentius Lyrenensis vbi supra, tunc in Epistola ad Africanos ita sanxit. *Nihil innovandum, nisi quod traditum est.* Et sanctus August. libro 2. de Baptismo capit. 9. inquit. *Consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum: & hæc sola opposebatur inducere volentibus nouitatem.* Patrum testimonia, & rationes Theologicas diligenter proponunt Thomas Vvaldensis in 2. tom. per multa capita. Soto in 4. distinctione. 1. quæst. 5. artic. 5. & artic. 9. Bellarminus libro 1. de Sacramentis capite 26. Suarez disputatione 13. sectione 4. Vazquez disputatione 137. capite 2. & 3. Cabrera quæstione 64. articulo 9. à num. 1. vsque 14.

5 Nunc sufficit ratio Diui Thomæ articulo 9. nam sæpè dictum est, quod minister in sacramentis instrumentaliter operatur, & ideo non agit in virtute propria, sed in virtute Christi. Sicut autem pertinet ad propriam virtutem hominis Caritas, ita & fides. Vnde sicut non requiritur ad perfectionem sacramenti, quod minister sit in Charitate, sed possunt etiam peccatores sacramenta conferre, vt dictum est articulo 5. & 6. & nos dubio 3. Ita nõ requiritur ad perfectionem sacramenti fides eius: sed infidelis potest verum sacramentum præbere, dummodo cætera ad sint, quæ sunt de necessitate sacramenti.

Ad

6 Ad autoritatem S. Cypriani dicitur primo, quod refert S. Beda, vt habetur tom. 1. Conciliorum folio 406. correxiile tententiam. Et S. Augustinus libro 2. contra Donatistas cap. 4. fortasse, inquit, factum est vt suam correxerit sententiam: sed nescimus: neque enim omnia, quæ in eo tempore inter Episcopos gesta sunt, memorie, litterisque mandari potuerunt. Et rursum idem S. August. epist. 48. ait. *Non in congruenter de tali viro existimandum est; quod correxerit, & fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimis delectati sunt; & tanto velut patrocinio credere noluerunt.*

7 Secundo respondetur cum D. Thomæ ad secundum, quod S. Cyprianus nullo modo sacramentum conferre hæreticos potest, credebat: *Sed in hoc eius sententia non tenetur.* Vnde S. Augustinus lib. 1. contra Donatistas cap. 18. & libro 2. contra Creconium in fine, dicit Martyrem Cyprianum, qui apud hæreticos, vel schismaticos datum Baptismum noluit cognoscere, tãta merita vsque ad triumphum martyrij sequuta sunt, vt charitatis, quæ excelebat, luce, & umbratio illa fugaretur; & siquid purgandi erat, passionis falce toleretur. Quod exponit Caietanus debere intelligi de peccato veniali: Tum quia verba S. Augustini sonant magis illam non exclusisse Gratiã, & Charitã: Tum quia illo tempore error fuit inuincibilis, quando expressa diffinitio vniuersalis Ecclesie non extabat.

8 Tertio dici potest cum S. Augustino libro 2. contra Creconium cap. 3. vbi Hæretico obijcienti autoritatem tanti Doctoris, respondet S. Augustinus. *Primo esto in Ecclesia, quæ iam constat tenuisse, ac prædicasse Cyprianum, & tunc aude velut auctorem sententiæ tue nominare Cyprianum. Primo imitare pietatem, humilitatemque Cypriani; & tunc profer consilium Cypriani.* Et post multas Sancti Martyris laudes, sic tandem concludit S. Augustinus. *Non accipio quod de baptizandis hæreticis, & schismaticis Beatus Cyprianus sentit; quia hoc Ecclesia non accipit, pro quâ Beatus Cyprianus sanguinem fudit.* Videatur M. Dominicus Grauiña libro 4. Catholicarum Præscriptionum tom. 3. parte prima, de Patrum sensu, & autoritate quæst. 1. artic. 6. præcipue ad 6.

9 Solutione ad primum, inter alia, ait D. Thomas, quod si Hæreticus patiat fidei defectum circa ipsum sacramentum, quod exhibet, licet credat per id quod agitur exterius, nullum sequi interiore effectum; non tamen ignorat, quod Ecclesia Catholica intendit per huiusmodi quæ exterius aguntur, præ-

bere sacramentum. Vnde non obstante infidelitate, potest intendere facere id quod facit Ecclesia, licet æstimet id nihil esse. Et talis intentio sufficit ad sacramentum: quia posita primaria intentione; quæ minime agit in persona totius Ecclesie, ex cuius fide impletur id quod decet fidei ministri, vt dictum est dubio septimo. Ille casus facilis videtur. Sed omittit S. Thomas alium casum, quando Hæreticus minister non solum errat circa effectum sacramenti; sed etiam arbitratur sacramenta nihil esse, seu nõ dari sacramenta. Si tamen explicite, vel implicite intendat facere, quod facit Christus, vel Ecclesia; vel quod faciunt ministri Ecclesie Romanæ, ad hæc pertinet sacramentum. Vnde S. Thomas in 4. dist. 6. q. 1. artic. 3. q. 2. ad 1. ait; *quod quamuis ille, qui non credit Baptismum esse sacramentum; aut habere aliquam spirituales virtutes; non intendat, dum baptizat, conferre sacramentum: Tamen intendit facere quãdoque quod facit Ecclesia, et si illud reputet nihil esse. Et quia Ecclesia aliquid facit, ideo ex consequenti, & implicite intendit aliquid facere; quãuis nõ explicite.* Addit ad tertium, quod non requiritur fides personalis offerentium puerum ad Baptismum, nec alicuius persone determinatæ: sed solum fides Ecclesie Militantis: quam non est possibile deficere totaliter, Deo hæc ordinante; qui dixit Matthæi ultimo. *Eccæ ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.*

10 Disputant hic Suarez, Nuño, Lugo, Auersa, Bernal, & alij multi de sacramentorum subiecto. Hanc quæstionem omittit D. Thomas. Omittunt Soto, Araujo, Serra, Cabrera, Vazquez, & alij. Et merito quidem: nam in veritate solæ duæ dubitationes hic ingerunt difficultatem; & à prædijs pertractantur. Prima vtrum solus homo viator sit subiectum sacramentorum? Quam communiter Authores omittunt, vt rem exploratam, & per se notam: & quamuis Bernal disp. 1. sect. 1. contendat difficultate non carere. Tamen totum quod obijcit, iam diu ab antiquis disputabatur agendo de manducatione Eucharistiæ: ideoque referuatur ad quæst. 30. vbi est proprius locus.

11 Secundo disputant de intentione, & dispositione requisita ad valide, & licite recipienda sacramenta. Cæterum rectè ait Vazquez num. 93. Qualis autem viator capax sit cuiuscumque sacramenti, cum de singulis sacramentis agemus, patebit: ibique etiam de dispositione accessaria ex parte recipientis ad essentiam, & effectum sacramenti tractabimus.

Bb

Hanc

12 Hancque methodum obseruandam ab his, qui nolunt recedere Ab Angelico, mirifico ordine D. Thomæ (nisi easdem dubitationes, vel bis pertractare, vel extra proprias sedes dimouere, & collocare vellint) est manifestum: quia de Baptismo sigillatim id disputat quæst. 68. artic. 4. & de Confirmatione quæst. 72. artic. 8. & de Eucharistia a quæst. 79. vsque 83. & de Pœnitentiâ, & alijs

Sacramentis idem præstitit in libro 4. Sententiarum, prout habetur in Additionibus ad Tertiam partem. Ideoque nos quibus cordi est doctrinâ, & doctrinæ methodum vsq; ad minima sectari, non possumus nunc cōgruo doctrinæ ordine in his immo rari.



QVAEST.

QVAESTIO LXV.

DE NUMERO SACRAMENTORVM.



Rationem ordinis iam in præcedentibus assignauimus. Quatuor autem articulis quæstioni respondet D. Thomas. In primò statuit, quod cōuenienter ponuntur septem Sacramenta

Ecclesiæ Christianæ: nempe *Baptismus*, qui est spiritualis regeneratio; *Confirmatio*, in qua datur Spiritus Sanctus ad robur; *Eucharistia*, qua conseruatur in homine vita, & virtus; *Pœnitentiâ*, quæ sanitatem restituit; *Extrema Vnctio*, quæ remouet peccatorum reliquias; *Ordo*, in quo datur potestas regendi, & exercendi sacra; *Matrimonium* ad cōuenientem naturalem propâgationem. In secundo explicat sacramenta cōuenienter ordinari secundum modum prædictum. Probat in tertio, simpliciter loquendo, Sacramentum Eucharistiæ esse potissimum inter alia sacramenta: nam in eo continetur ipse Christus substantialiter: & omnia alia sacramenta ordinantur ad Eucharistiâ, sicut ad finem: & fere omnia sacramenta in Eucharistia cōsumantur. In ultimo articulo docet D. Thomas, quod loquendo de necessitate simpliciter, tria sacramenta sunt necessaria; duo quidem personæ singulari: Baptismus quidem simpliciter, & absolute: Pœnitentiâ autem supposito peccato mortali post Baptismum. Sacramentum autem Ordinis est necessariû Ecclesiæ. Loquendo vero de necessitate cōuenientis, sic sunt necessaria alia sacramenta.

DVBIVM I.

Vtrum sacramenta Ecclesiæ sint tantum septem?

§ I.

De fide est esse septem.

Hæreticorum proprium est fidem innouare, vt dicit S. Iræneus libro 4. cap. 69. Vn

de, vt ibi aduertit, penitus inspecta omnes hæreses in multis cum authoribus suis dissensionibus deprehendantur. Quod in hoc puncto facile est videre in mira dissensione hæreticorum in agnoscendo sacramentorum numero; ita vt octo ipsorum sectas referat Bellarminus lib. 2. de sacramentis toto capite 23. Quamvis ibi ostēdat magis receptam apud Lutheranos positionem tria solum sacramenta agnoscere, Baptismum, Eucharistiâ, & absolutionem. Frequenter tamen alij Sectarij sequuti Illiricum, tantum Cœnam Domini, & Baptismum inter sacramenta agnoscunt, vt ex Surio refert Grauius tomo. 1. Præscriptionum in Methodica Analyti, verbo, *Bis sacramentalis*. Et verbo, *Confessionis noui*. Et hanc esse communem Sectariorum sententiâ, testatur Valentia hic q. 6 puncto 2.

2 Dico primo, secundum fidem Ecclesiæ tenendum est, septem esse sacramenta Christianæ sacramenta. Ita habetur in Concilio Florentino, post sessionem vltimam, in decreto Eugenij Quarti. Et in Concilio Tridentino Sessione 7. de Sacramentis in genere Canone 1. illis verbis. Si quis dixerit sacramenta nouæ legis esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiâ, Pœnitentiâ, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium: aut etiam aliquid horum septem non esse verè, & propriè sacramentum; Anathema sit. Sumitur etiam. Ex Lucio Tertio cap. *Ad abolendam, de Hæreticis*. Habetur per pœtua Ecclesiæ traditione. Insinuat in Sacra Scriptura, & Patribus relatis a Bellarmino cap. 24. Sayro lib. 6. cap. 1. q. 1. Cabrera hic art. 1. à n. 6. vsque ad 13. & agendo de singulis adducuntur.

3 Breuiter ratione ex Scriptura, & Patribus petita, probat Granados trac. 6. disp. 2. n. 2. supponendo non esse necessariû, vt aliquid habeatur ab Ecclesia pro sacramento: haberi expresse in Scriptura significatum nomine sacramenti: nam nec aduertarij ostendere possunt Baptismum, vel Eucharistiâ

stiam alleubi in Sacra pagina sacramentum appellari. Satis ergo erit, si in Scriptura habeatur esse signum sensibile diuinitus institutum conferens gratiam: id enim est quod potissimum pertinet ad rationem sacramenti nouæ legis. Quo supposito sic arguit. Ex Scriptura constat hæc septem sacramenta esse signa sensibilia, & conferre gratiam: & de nulla alia re id constat: ergo septem sunt sacramenta, & non plura, nec pauciora. Antecedens probatur: nam quod nomine Baptismi significetur in Euangelio aliquid sensibile, & externum, Hæretici etiam concedunt. Deinde quod conferat gratiam, habetur Matthæi 3. dum dicitur Christus baptizare in Spiritu Sancto. Secundo, Confirmatio Actorum dicitur manus impositio: quæ est quid sensibile; & per illam dari Spiritum Sanctum. Tertio, de Eucharistia est id satis perpicuum. Ioan. 6. *qui manducat hunc panem, uiuet in æternum.* Quarto de Pœnitentiâ Ioannis 20. *Quorum remissentis peccata: utique per uocem sensibilem, & externam, ut iudices decet: remittentur eis.* Quinto, de Extrema Vnctione Iacobi 5. Vbi petitur externa olei unctio: & per illam dicuntur peccata remitti. Sexto, de Ordine; Apostolus 1. ad Timotheum 4. scribit, ut non negligat gratiam ipsi datam eum impositione manuum Presbyteri. Septimo, Matrimonium sensibilibus contractus est: & Apostolus ad Eph. 5. illud appellat sacramentum: sed non facimus vim in hac uoce, quæ multas habet significationes: sed in copiosius, quod serio ibi admonet coniuges, ut uxores diligant, sicut Christus Ecclesiam; in dicans esse rem sacram, quæ proinde gratiâ conferat. Ergo ex Scriptura colligitur septem esse Ecclesiæ sacramenta.

4. Fatemur aliqua ex his testimonijs expressa non esse: cæterum optime S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, ante medium, loquendo de Sacramento Confirmationis, respondet. *Exigis ubi scriptum sit in actibus Apostolorum: Et etiam si Scriptura auctoritas non subesset, totius Orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.*

5. Sed instant Hæretici: nam nullus ex Patribus expressit septenarium numerum sacramentorum: ergo est nouiter inuentus à Pontificibus, & Theologis Scholasticis.

Respondetur, quod nullus Patrum illum numerum negat. Quamuis quia de illo non disputabant, aliquando exempli gratia meminerint duorum, vel trium sacramentorum, & in alijs locis aliorum. Vnde S. Augustinus Concione 1. in Psalm. 103. circa illa uerba: *Qui regis aquis superiora eius: inquit. Respice ad*

munera Ecclesiæ, munus sacramentorum in Baptismo, & in Eucharistia, & in cæteris sanctis sacramentis. De quibus alibi mentionem facit.

6. Theologi Scholastici non propoluerunt septenarium sacramentorum numerum, ut doctrinam à se excogitatam, & nouiter inuentam: sed ut de fide creditam ab omnibus Orthodoxis, & in Scholis Theologica methodo tractandam. Nullumque temporis initium apparet, post Christi, & Apostolorum tempora, quo hæc sacramentorum introductio in Ecclesia cæperit: ergo ut in simili ait D. Thomas 3. p. q. 78. art. 3. ad 9. *Ex traditione Domini habetur, quæ ad Ecclesiam per Apostolos peruenit: secundum illud 1. ad Cor. 11. Ego accepi à Domino, quod & tradidi uobis. Et q. 64. art. 2. ad 1. ait. Ea uero, quæ sunt de necessitate sacramenti, ab ipso Christo instituta sunt, qui est Deus, & homo. Et licet non sint omnia tradita in Scripturis; habet tamen ea Ecclesia ex familiaris Apostolorum traditione: sicut Apostolus dicit. 1. ad Corinthios 11. Cætera, cum uenero, disponam.*

7. Ratio à priori demonstratiua uariè quæreretur in facto dependente à libera uoluntate Dei; & Christi. Tres optimas congruentias proponit D. Thomas: sed quia tertia uidetur ex aliorum mente assignata: ut constat ex illis uerbis: *Quidam uero, & c.* Sufficiet duas proponere uerbis ipsis D. Thom. nam sacramenta Ecclesiæ ordinantur ad duo, scilicet ad perficiendum hominem in his, quæ pertinent ad cultum Dei secundum religionem Christianæ uitæ, & etiam in remedium contra defectum peccati. Vtroque autem modo conuenienter ponuntur septem sacramenta. Vita enim spiritualis conformitatem aliquam habet ad uitam corporalem: sicut & cætera corporalia conformitatem quandam spiritualium habent. In uita autem corporali dupliciter aliquid perficitur: Vno modo quantum ad personam propriam: alio modo per respectum ad totam communitatem societatis, in qua uiuit: quia homo naturaliter est animal sociale. Respectu autem sui ipsius perficitur homo in uita corporali dupliciter: Vno modo per se, acquirendo scilicet aliquam uitæ perfectionem: alio modo per accidens, scilicet, remouendo impedimenta uitæ, puta, & agilitates, vel aliquid huiusmodi.

8. Per se autem perficitur corporalis uita tripliciter. Primo quidem per generationem, per quam homo incipit esse, & uiuere. Et loco huius in spirituali uita est Baptismus, qui est spiritualis regeneratio: secundum illud ad Titum 3. *Per lauacrum regenerationis, & c.*

Secun-

Secundo, per augmentum, quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatem, & uirtutem. Et loco huius in spirituali uita est Confirmatio, in qua datur Spiritus Sanctus ad robur. Vnde dicitur discipulis iam baptizatis Lucæ ultimo: *Sedete in ciuitate, quoad usque, inquam uirtute ex alto.* Tertio, per nutritionem, qua conseruatur in homine uita, & uirtus. Et loco huius in uita spirituali est Eucharistia: unde dicitur Ioannis 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis.*

9. Et hoc quidem sufficeret homini si haberet, & corporaliter, & spiritualiter impassibilem uitam. Sed quia homo incurrit interdum, & corporalem infirmitatem, & spirituales, scilicet peccatum; ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate. Quæ quidem est duplex: una quidem est sanatio, quæ sanitatem restituit. Et loco huius in spirituali uita est Pœnitentiâ: secundum illud Psalmi 40. *Sana animam meam, quia peccauit tibi.* Alia autem est restitutio ualitudinis pristinae per conuenientem dietam, & exercitium. Et loco huius in spirituali uita est Extrema Unctio, quæ remouet reliquias, & hominem paratum reddit ad finalem gloriam: unde dicitur Iacobi 5. *Et si in peccatis sit, dimittentur ei.*

10. Perficitur autem in homo in ordine ad totam communitatem dupliciter. Vno modo per hoc quod accipit potestatem regendi multitudinem, & exercendi actus publicos: & loco huius in spirituali uita est sacramentum Ordinis: secundum illud ad Hebræos 7. quod sacerdotes hostias offerunt, non solum pro se, sed etiam pro populo. Secundo quantum ad naturalem propagationem: quod fit per Matrimonium, tam in corporali, quam in spirituali uita; eo quod est non solum sacramentum, sed naturæ officium. Hæc D. Thomas, uidendus libro 4. Contragentes capit. 58.

11. Hæc ratio D. Thomæ canonizata est in Concilio Florentino in sæpè relato decreto: nam S. Quinto Ecclesiasticorum, dicitur. *Et uero quinque prima ad spirituales uniuscuiusque hominis in se ipso perfectionem: duo uero ultima ad totius Ecclesiæ regimen, multiplicationemque ordinata sunt: Per Baptismum enim spiritualiter renascimur: per Confirmationem augemur in gratia; & roboramur in fide: renati autem, & roborati nutrimur diuina Eucharistia alimonia. Quod si per peccatum agilitatem incurrimus animæ; per Pœnitentiâ spiritualiter sanamur: spiritualiter etiam, & corporaliter (prout anima expedit) per Extremam unctionem. Per Ordinem uero Ecclesia multiplicatur, & gubernatur spiritualiter.*

ter: per Matrimonium corporaliter augetur. Hæc ibi.

12. Ex quibus patet ista sacramenta esse formaliter, & specificè distincta: nam si de distinctione pure materiali esset sermo, nec esset exacta diuisio; nec oporteret diuersa sacramentorum fines assignare: nec in eis diuersas materias, & formas oporteret assignare. Quamuis enim in omnibus sit eadè Dei uirtus, & merita passionis Christi: Tamen rectè ait D. Thomas ad 1. quod idem agens principale uirtutis diuersis instrumentis ad diuersos effectus, secundum congruentiam operum. Et similiter uirtus diuina, & passio Christi operantur in nobis per diuersa sacramenta, quasi per diuersa instrumenta. Quare rectè dixit Soto in 4. dist. 1. q. 6. art. 1. post sol. ad 5. extinguitam esse positionem Guillelmi Rubion arbitratis solum tria sacramenta formaliter distincta; eo quod solum sunt tria genera peccatorum ueniale, mortale, & originale. Cui rectè responderat S. Thomas ad 2. quod culpa, & pœna diuersitatem habent, & secundum speciem, in quantum sunt diuersæ species culpæ, & pœnarum; & secundum diuersos hominum status, & habitudines. Et ideo quamuis genera peccatorum sint tria: tamen oportuit sacramenta esse septem.

13. Præterquam quod bene addit Diuus Thomas ad 7. quod ad deletionem uenialis peccati non requiritur infusio gratiæ. Vnde cum in quolibet sacramento nouæ legis gratia infundatur, nullum sacramentum nouæ legis instituitur directè contra ueniale: quod tollitur per quædam sacramentalia: puta per aquam benedictam, & alia huiusmodi.

14. Secunda ratio D. Thomæ deducit numerum sacramentorum, secundum quod ordinantur contra defectum peccati. Nam Baptismus ordinatur contra carentiam uitæ spiritualis: Confirmatio contra infirmitatem animi, quæ in duper natis inuenitur. Eucharistia contra labilitatem animi ad peccandum: Pœnitentiâ contra actuale peccatum, post Baptismum committum: Extrema unctio contra reliquias peccatorum, quæ scilicet non sunt sufficienter per Pœnitentiâ sublata, aut ex negligentia, aut ex ignorantia: Ordo contra dissolutionem multitudinis: Matrimonium in remedium contra concupiscentiam personalem, & contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit. Ergo sunt septem sacramenta contra septem defectus peccati.

15. Sed obijcies: nam luxuria non est grauius inter cætera peccata: ut docet S. Thomas

mas 2.2. q. 154. art. 3. siquidem sunt grauiora, quæ sunt cōtra virtutes Theologicas. Sed contra alia peccata non instituitur aliquod sacramentum: ergo neque contra luxuriam debuit institui sacramentum Matrimonij.

Respondet S. Thomas ad 5. quod contra concupiscentiam venereorum oportuit specialiter remedium adhiberi per aliquod sacramentum. Primo quidem quia per huiusmodi concupiscentiam, non solum vitiatur persona, sed etiam natura. Secundo propter vehementiam eius, qua rationem absorbet.

16 Terciam rationem sufficientiæ assignat S. Thomas ex mente Alexandri Alensis 4. p. q. 8. membro 7. art. 2. Quam etiam proposuit D. Thomas in 4. dist. 2. q. 1. art. 2. & quia erat suo tempore communis, noluit hic omittare. Sed loquitur ex aliorum mente, quia ut ait Soto in 4. dist. 1. q. 6. artic. 1. §. *Igitur*. Aliæ rationes multo luculentius rem expriment. Sicut enim Deus septem dierum curriculo mundum creauit, sic & Christus septem sacramentorum ordine recreationis mysterium nobis impertitur: quæ illuminandis, perficiendisquæ nostris septem virtutibus, ceu septem splendidissimæ Planetarum stellæ sub fidei firmamento nobis irradiarēt; nostrisque medendis sceleribus, quæ per septem plagas Ægypti designantur, salutifera essent medicamina.

17 Quartam adijcit rationem M. Chrysostomus Iuallus Philosophiæ Christianæ quinta parte trac. 1. cap. 5. in fine, quam dicit desumptam ex antiquis Patribus Theologis ad declarandum diuinorum operum effectuum celsitudinem. Hæc enim vt in pluribus septenario numero continentur, prout ex diuinis Scripturis manifestè deducemus. Nam Deus sex diebus mundum fabricauit, & in septimo quieuit: Genes. 1. Septem diebus præcepit azyma comedi: Exodi cap. 12. Septem agnos anniculos præcepit immolari: Leuitici cap. 13. Septem lucernas præcepit poni super candelabrum in Sanctuario: Num. cap. 3. solemnitatem Tabernaculorū præcepit celebrari septem diebus: Deuter. cap. 16. Septem instituit tubas Iubilæi: Iosue cap. 6. In septem capillis locauit Sansonis fortitudinem: Iudicum cap. 16. Septem vicibus præcepit Heliseus Naamam Syrum lauari in Iordane, & sanatus est à lepra sua: in 2. Regum cap. 2. Sapientia excidit columnas septem: Prou. cap. 9. Septem panibus satiavit Christus tot millia hominum: Mathæi cap. 15. Septem Dæmonia elecit à Maria Magdalena: Marci cap. 16. Septem spiritus in cōspectu throni eius sunt: Apocal. 1. Septem cæ-

delabra aurea vidit Ioannes: ibi. Septem stellæ in dextera Filij hominis, idest, Iesu Christi: ibidem. Si ergo diuina bonitas in effectibus suis, in obseruantijs, in ceremonijs, in miraculis, septenarium numerū adeo magnificat, sapientissime certe, disposuit, & septem sacramenta in Ecclesia sua, vt septem riuulos ex fonte Charitatis filij sui pro nobis passi effluere. Hæc fuit primorū Patrū, & Doctorum Ecclesiæ contemplatio. Non ergo debuit Lutherus pro libito suo sacrum septenarium numerum sacramentorum negare. Hæc ibi.

§. III.

De fide est non esse plura.

18 **D**ico secundo, etiam est certum secundum fidem, Christiana sacramenta non esse plura, quam septem. Ita expresse habetur in Concilio Tridentino can. 1. relato ex sess. 7. illis verbis; *aut esse plura, vel pauciora, quam septem, &c.* Vnde canonem non legerat, vel memoria lapsus fuit, qui hic ad 1. scripsit conclusionem esse de fide; licet nō habeatur expresse in Concilijs hæc propositio: *sacramenta non sunt plura, quàm septem*: constat enim Concilium vtrumque expresse posuisse, & quod nō sunt pauciora, & quod non sunt plura, quam septem. Illud verissimum quod adhuc ante Concilij tam perspicuam definitionem, vtrumque erat immediate de fide: sicut enim erat de fide Trinitas Personarum in Deo, quia Christus Dominus tres expressit, & alias omisit: ideoque quaternitas damnata est in Concilio Lateranensi: & nunc est de fide non esse alium mundum; quia de vno solo habemus notitiā. reuelatam: quia in rebus tanti momenti numerus determinatus plus, & minus abhorret: ita pariter traditio Ecclesiæ de institutione Christi de numero septenario sacramentorum, facit semper fuisse de fide, quod sunt septem, & quod sicut esset hæreticus, qui diceret esse pauciora, ita pariter, qui contenderet esse plura, quam septem nouæ legis sacramenta.

19 Obijcies primo, nam sacramentum est signum rei sacræ sanctificantis nos: sed aqua benedicta est signum sensibile ordinatum ad nostram sanctificationem: ideoque vocatur sacramentum ab Alexandro 1. epist. 1. & S. Augustinus lib. 19. cōtra Faustum cap. 14. & super Psal. 141. signum Crucis vocat Sacramentum: ergo sunt plura quam septem.

Respondetur cum D. Thoma solutione

ad

ad 6. quod aqua benedicta, & aliæ consecrationes non dicuntur sacramenta; quia non perducunt ad sacramenti effectum, qui est gratiæ consequutio. Sed sunt dispositiones quædam ad sacramenta, vel remouendo prohibens: sicut aqua benedicta ordinatur contra insidias Dæmonum, & contra peccata venialia: vel etiam idoneitatem quandam faciendo ad sacramenti perfectionē, & perceptionem: sicut consecratur altare, & vasa propter reuerentiam Eucharistiæ.

20 Patres autem loquuntur de sacramento in latiori significatione sumpto pro signis, & ceremonijs mysticis, etiam si non habeat cōferre gratiā ex opere operato: quod exigitur ad nouæ legis sacramentum. Illud que esse sensum D. Augustini, constat, quia cum Baptismus sit ianua sacramentorum, ante Baptismum alia sacramenta non recipiuntur: & tamen ceremonias, & exorcismos Cathecumenorū vocat sacramenta libro 4. de symbolo cap. 1. & de pane benedicto eodem modo loquitur lib. 2. de peccatorum meritis cap. 26. & epist. 5. ad Marcellinum, de signis ait. *Cum ad sacras res pertinent, sacramenta appellantur.*

21 Obijcies secundo: nam ablutio pedum discipulorum facta à Christo Ioannis 13. & mandata ab ipso: illis verbis: *vos debetis alter alterius lauare pedes*: videtur habere omnia requisita vt sit sacramentum: siquidem est à Christo instituta, & præcepta, & est signum sensibile gratiæ: nam dixit Christus Petro lauare reculanti: *Si non laueris te, non habebis partem mecum*. Esseque sacramentū docet S. Ambrosius libro 3. de sacramentis cap. 1. & S. Bernardus sermone in Cæna Domini, & Author sermonis de ablutione pedum, apud S. Cyprianum.

Respondetur cum Bellarmino cap. 24. in fine, non fuisse pedum ablutionem sacramentum proprie dictum: quia illis verbis: *Si non laueris te, non habebis partem mecum*: non tantum fuit promissio gratiæ; quam comminatio pænæ in obedientiæ D. Petri: iuxta Sanctos Patres Chrysostomum, Cyrillum, & Basilium. Nec ceremonia illa fuit à Christo mandata, & instituta vt sacramentum; sed vt actio humilitationis, & vt charitatum obsequium consuetum fieri etiam à Principibus secularibus, & sic habet Ecclesiæ traditio.

22 Nec S. Ambrosius loquitur de sacramento strictè sumpto: siquidem fatetur illā ceremoniam, de qua ipse loquitur, non esse in vltima Ecclesiæ Romanæ. Vel ergo loquitur de ceremonia mystica à Christo facta, quam decet nos imitari. Vel loquitur de aliquo

præuio, vel subsequito ad Baptismum: & in illis ceremonijs, quæ ad idoneitatem sacramenti pertinent, illo tempore diuersæ Ecclesiæ diuersos ritus obseruabant, vt etiam refert S. Augustinus Epist. 119. capit. 18. & ideo S. Ambrosius non loquitur de sacramento, sed de ceremonia sacramentali. Vnde in fine libri tertij protestatur se in illo non egisse de sacramentis, cum librum claudat his verbis. *Satis sit quod dictum est hodie: Crastino die, si Domino placet, de sacramentis ipsis tractabitur.*

23 Multa, quæ circa hoc scribit Vazquez disp. 139. toto cap. 2. lege, si vacat: & latissimè Bernal disp. 19. sect. 2. vsque ad 49. vbi cōcludit, quod si S. Ambrosius existimasset (quod nunquam concedam) Ecclesiam Romanam falso censuisse, nullum in pedum ablutione esse mysterium; à S. Augustino fuit correctus illo cap. 18. & cap. 19. illis verbis. *Quod autem instituitur præter consuetudinem (nempe vniuersalem, seu catholicā in rebus ad sacramenta pertinentibus) vt quasi obseruatio sacramenti sit, approbare non possum.* Dixerat tamen Bernal num. 47. S. Ambrosium docuisse à Romanis omitti ablutionem pedum ob multitudinem baptizandorum, vt constat ex illis verbis. *Vide ergo ne propter multitudinē declinauerit.* Ipse tamen merito iudicauit pedes lauandos, quia Mediolani non est tanta multitudo baptizandorum. Et hoc est quod ait: *Sed tamen, & nos homines se sum habemus. Ideo quod alibi rectius seruetur, & nos rectè custodimus.*

24 Sed planior, & facillior sensus est, quod Ecclesia Romana inuenerit cum multis Ecclesijs non lauare pedes baptizatorū, quam cum Mediolanensi, & alijs eos lauare. S. autem Ambrosius in hoc voluit suæ, & quarundam Ecclesiarum ceremoniam seruare: quia licet non iudicauerit esse sacramentum, strictè sumptum, iudicauit esse ceremoniam sacramentalem: & tunc temporis nō erat tanta vniuersalitas in sacris ritibus, vt nō potuerit hæc diuersitas absque fidei, aut reuerentiæ detrimento permitti; sicut nunc permittuntur ritus Græcorum; & Toleti adhuc in quibusdam Ecclesijs permittitur officium Mozaraue: & Breuiarium Ambrosianum diuersum est a Romano: & sic de similibus. Et cum concordia in substantia sacramentorum, potest esse diuersitas in solemnitate, & idoneitate ceremoniarum: & in illis tunc potuit S. Ambrosius abundare in sensu suo, & in alijs hanc doctrinæ Romanæ Ecclesiæ: ait namque: *Hoc dico, non quod alio reprehendam (nempe Ecclesiam Romanam)*

397

cuius typum, & formam in omnibus sequimur. Et rursum: In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam.

25 Tertio obijcies: nam S. Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia cap. 6. parte 3. inter sacramenta nominat monasticam coenationem, siue consecrationem: sed non computatur inter septem sacramenta hic: ergo sunt plura quam septem.

Et confirmatur: nam sacramenta sunt ex immediata institutione Christi: status autem religiosus immediatè est à Christo Domino institutus, ut cum cõmuni Patrum, & Theologorum, diximus cap. 3. Theol. Moral. q. 3. §. 3. n. 4. 1. & ex alia parte ad statum Prælatorum instituit sacramentum Ordinis, pro statu conjugatorum instituit sacramentum Matrimonij: ergo pro statu religionis debuit institui aliud sacramentum.

26 Respondet S. Thomas in 4. dist. 2. q. 1. art. 2. ad 9. quod ad quamlibet eminentiã status datur aliqua sanctificatio; cum sit necessarium speciale auxilium gratiæ: sicut in consecratione Regum, & Monachorum, & idè sunt actiones hierarchiæ: & propter hoc S. Dionysius de eis determinat. Non tamè habent rationem sacramenti, sed solum illam eminentiam per quam homo efficitur sacrorum dispensator. Hæc Sanctus Thomas.

27 Addit Suarez art. 1. in fine, quod nõ fait necessarium pro statu religioso speciale institui sacramentum: quia in eo nullum est speciale ministerium, seu spiritualis potestas, sicut est in Ordine: sed est via, & schola perfectionis acquirendæ: ad quam sufficiunt communia sacramenta, si frequentius, & dignius eis utamur. In Matrimonio, & significatur coniunctio Christi, & Ecclesiæ, & militant duæ rationes D. Thomæ ad 5. de quibus egimus n. 15. & videatur Nuño art. 1. ad 4. & 5. Latè Bernal disp. 19. sect. 2. §. 4. à nu. 50. vsque 59. docens, quod actio personam religiosam constituens, non est sacramentum, quia non est ut tale institutum: quia potuit sic institui, sed de facto noluit Christus, nec fuit necessarium: nam conjugij onera mentem Deo distrahunt: & religiosus status mente Deo unit, & per se affert plurima animi præsidia.

28 Addimus quod D. Thomas verbis relatis solum concedit dari aliquam sanctificationem ex orationibus Ecclesiæ, sicut est in consecratione Regum: quia cæremonia, & solemnitates illæ plus valent nomine Ecclesiæ factæ, quam si fierent à privata persona: quia ubi sunt duo vel tres in nomine meo congregati, in medio eorum sum, ut promissit Chri-

stus Dominus. Sed non dant gratiam ex opere operato, eo modo quo conferunt sacramenta strictè sumpta, quia ut talia sunt instituta.

29 Vtrum Martyrium sit sacramentum. Exponetur q. 66. art. 1. 2. Nunc respondet Soto dist. 1. q. 6. art. 1. in fine, quod non confert gratiam tamquam signum eius ad id institutum: sed per modum meriti tamquam actus fortitudinis: sacramenta vero sunt signa ex institutione diuina, gratiæ quæ sub illis confertur.

30 Demum aduertit, quod Vazquez hic cap. 1. & tom. 3. disp. 168. cap. 1. n. 3. asserit sufficienter verificari Concilij diffinitionem asserendo esse septem species subalternas sacramentorum: nam multi ponunt sub sacramento Ordinis contineri plures sacramentorum species infimas: quod pariter opinantur de pluribus speciebus Eucharistiæ.

31 Soto vero in solutione ad penultimam dicit esse plura sacramenta solum partialiter. Nuño etiam ad 2. & Suarez art. 1. con. 2. dicunt non esse de fide, quod sint species infimæ, vel subalternæ, quia id non est diffinitum. Quamuis probabilius sit, omnia esse vltimas species sacramentorum: nam si qua est varietas, vel multitudo, tota ordinatur ad vnum integrum sacramentum perficiendum, ut suo loco dicitur. Idem obseruat Grana-dos tract. 6. disp. 3. n. 1. & alij frequenter.

DVBIVM II.

Vtrum sacramenta convenienter ordinantur secundum ordinem prædictum?

Respondet D. Thomas art. 2. sacramenta convenienter ordinari modo prædicto. Quod probat quia communiter ab omnibus sic ordinantur. Secundo probat ratione desumpta ex dictis art. 1. Nam sicut vnum est prius, quam multitudo, ita sacramenta, quæ ordinantur ad perfectionem vnius personæ, naturaliter præcedunt ea, quæ ordinantur ad perfectionem multitudinis. Et idè vltimo inter sacramenta ponuntur Ordo, & Matrimonium, quæ ordinantur ad multitudinis perfectionem. Matrimonium tamen post Ordinem, eo quod minus participat de ratione spiritualis vitæ, ad quam ordinantur sacramenta. Inter ea vero, quæ ordinantur ad perfectionem vnius personæ, naturaliter sunt priora illa, quæ per se ordinantur ad perfectionem spiritualis vitæ, quam illa, quæ ordinantur per accidens, scilicet, ad remouendum accidens nocivum superueniens,

niens, cuius modi sunt Poenitentia, & Extremaunctio. Posterior tamen est naturaliter Extremaunctio, quæ consumat sanationem, Poenitentia, quæ inchoat. Inter alia vero tria manifestum est, quod Baptismus, qui est spiritualis regeneratio, est prius, & deinde confirmatio, quæ ordinatur ad formalem perfectionem virtutis, & post modum Eucharistia, quæ ordinatur ad perfectionem finis.

2 Circa hanc conclusionem, & rationem D. Thomæ, inquiri solet, de quo ordine loquitur D. Thomas? Non enim loquitur de ordine perfectionis: siquidem de isto agit articulo 3. Nec de ordine necessitatis: quia de hoc in art. 4. tractat. Nec de ordine naturæ, seu causalitatis, quia vnum sacramentum non est causa alterius. Neque est sermo de ordine temporis: quia non est necesse sacramenta eo ordine suscipi, quo numerata sunt.

3 Respondet Suarez in commentario art. 2. hunc ordinem præcipue videri sumptum ex finibus sacramentorum, quatenus ad spirituales vitam ordinantur, vel cum illa coniunctionem habent. Hinc vero fit, ut hic ordo partim conflurgat ex maiori necessitate, vel in ordine ad effectum, vel in ordine ad vsum aliorum sacramentorum: sic enim Baptismus est simpliciter primus inter omnia sacramenta. Partim vero ex ordine ad vsum, vel necessarium, vel convenientiorem. Partim denique ex maiori perfectione, seu spiritualitate, ut D. Thomas loquitur. Et idè ait ad 1. quod quia Matrimonium minimum habet de spiritualitate, vltimo ponitur inter sacramenta. Solum ergo hoc articulo 2. videtur D. Thomas voluisse reddere rationem illius ordinis, quem in disputatione de sacramentis Scriptores tenere consueverunt.

4 Raphael Auersa sec. 2. ait, quod Diuus Thomas agit de ordine numerationis, seu connexionis. Et quantum attinet ad ordinem susceptionis, sic ex parte, eodem ordine suscipiuntur sacramenta, quo antea numerata sunt. Loquendo vero de ordine tractationis, & doctrinæ in considerandis deinceps singulis sacramentis, refert, quod aliqui primo loco considerandum putarunt, ob præcellentiam dignitatis, sacramentum Eucharistiæ. Et ita seruauit Valdensis tomo 2. de Sacramentis. D. Dionysius libris de Ecclesiastica Hierarchia, primo egit de Baptismo, secundo de Eucharistia, tertio de Confirmatione. Nuper Concilium Senonense, ante Eucharistiam præmisit ordinem. Vazquez tomo tertio in 3. p. post Eucharistiam tractauit de Ordine ante Poenitentiam. Concilium Colonicense præmisit Poenitentiam Eucharisti-

& sane non deerant rationes ad vno vel alio modo hanc totam tractationem disponendam, & ordinandam. Optima tamen omnium ratione idem ordo seruandus erit tractationis, & doctrinæ, quo superius sacramenta numerata sunt. Quem communiter Theologi retinent. Magister, & Scholastici in 4. Sententiarum. S. Thomas, & alij hoc loco. Atque Hugo de S. Victore libro 2. de Sacramentis: Et Concilium ipsum Tridentinum hoc eodem ordine de sacramentis singulis pertractauit. Considerando enim simul, & vsu suscipiendi, & necessitatem sacramentorum, & dignitatem eorum, aliasque comparationes, omnibus pensatis, commodissimum apparet, hoc modo sacramenta disponere. Hæc ibi.

5 Cæterum licet hæc vera sint, non tamen penitus declarant mentem Diui Thomæ, quam à nullo alio melius petere possumus, quam ab ipso: Qui in 4. dist. 2. q. 1. art. 3. ait, quod prius, & posterius multipliciter dicitur: sed in his, quæ ad actiones pertinent, prius quoad nos est illud, quod est prius in via generationis: & idè secundum hanc viam Magister sacramenta, quæ sanctificationes quædam sunt, ordinat. Prius enim in via generationis est bonum priuatum, quod commune, quod confurgit ex bonis singulorum: sicut homo est prior domo, & domus ciuitate. Et idè sacramenta, quæ in remedium vnius personæ ordinantur, prius ponuntur, &c. Loquitur ergo D. Thomas de ordine generationis, & receptionis: & inde deducit convenientem ordinem doctrinæ. Sed loquitur de ordine per se, non de illo, qui est per accidens. Vnde subdit. Sed resurgere a peccato accidit huic progressui ex parte subiecti. Quod & docet ibi ad 5. & ad 6. ait, quod Dionysius considerauit in eis ordinem magis quantum ad dispensationem, eorum, quæ quantum ad effectum: quia Eucharistia statim baptizatis datur, si sint adulti, non autem Confirmatio: idè post Baptismum immediatè Eucharistiam posuit.

6 Item Distinctione 8. in expositione textus ad 1. ait D. Thomas, quod sacramenta sunt ordinata ad vsum fidelium: unde ordo sacramentorum non attenditur secundum contentum ordinem: sed secundum quod veniunt in vsum fidelium: & idè Baptismus ante Eucharistiam ab omnibus ponitur. Et ibi ad secundum ait, quod Dionysius determinat de sacramentis secundum quod sunt actiones hierarchiæ, ut supra dist. 2. q. 1. art. 2. dictum est, & idè ordinem sacramentorum attendit secundum quod per ea distinguuntur persone, ut in Hierarchia, & ordine. Et quia Eucharistia non importat aliquam distinctionem supra Baptismum, cui ex hoc ipso quod baptizatur aliquis, ad

ad Eucharistia perceptionem deputetur, Confirmatio autem addit: ideo præmittit Eucharistiam Confirmationi, sicut commune ad proprium. Magister autem determinat de sacramentis secundum quod sacramenta sunt medicina quædam sanctificantes: & ideo secundum ordinem sanctificationis ordinat sacramenta: & quia amplioris sanctificationis est Eucharistia, quam Confirmatio; ideo postremo de ea determinat. Et dist. 7. q. 1. art. 1. q. 3. & in hoc artic. 2. ad 3. quod nutrimentum, & præcedit augmentum, sicut causa eius, & subsequitur augmentum, sicut conservans hominem in perfecta quantitate, & virtute. Et ideo potest Eucharistia præmitti Confirmationi, ut Dionysius facit in libro de Eccles. hierar. & potest postponi, sicut Magister facit in 4. Sententiarum dist. 7. & 8.

7 Cum etiam in quarto argumento sibi obieisset S. Thomas, quod Pœnitentia præparat hominem ad Eucharistiam: sed dispositio præcedit perfectionem: ergo Pœnitentia debet præcedere Eucharistiam. Respondet ad 4. quod ratio illa rectè procederet, si Pœnitentia ex necessitate requireretur ut præparatoria ad Eucharistiam. Sed hoc non est verum: nam si aliquis esset sine peccato mortali, non indigeret Pœnitentia ad sumptionem Eucharistia. Et sic patet, quod per accidens Pœnitentia præparat ad Eucharistiam, scilicet, supposito peccato: Unde dicitur 2. Paralipomenon ultimo: Tu domine iustitiam, non posuisti Pœnitentiam iustis. Hæc omnia ex D. Thoma ideo attuli, ut videat lector in illo omnia haberi, & conclusionis sensum: & eius rationem, & argumentorum solutionem: & legitimum sensum S. Dionysij, & in quo differat, & in quo cum eo concordet Magister Sententiarum. Et quod per distinctionem de ordine per accidens, & de ordine per se, qui esset convenientior ex natura rei, soluitur argumentum Suarez.

8 Unde iam olim Soto in 4. dist. 1. q. 6. art. 2. §. Res est (ait) clarissima, quæ nulla indiget discussione, si hoc dumtaxat animadverras, quod hic non exploratur perfectionis ordo inter sacramenta, de hoc enim art. proximo dicendum restat. Neque vero ordo generationis eorum accidentarius. Nam præter Baptismum, qui necessario primum requiritur, quippe sine quo nullum aliud potest recipi, inter reliqua nullus est necessarius ordo. Potest enim Pœnitentia recipi ante Confirmationem; imò & Eucharistia. Rursus & Matrimonium potest esse validum absque Eucharistia, vel Pœnitentia. Sed constitutum ordinem, qui ex natura rei colligitur. Et post Baptismum (ut vsu primitivæ Ecclesiæ docemur) illico, si Episcopus aderat, neophytus confirmabatur; ac subinde porrigebatur Eu-

charistia: quia qui post Baptismum non incidit in mortale, nullo indiget sacramento Pœnitentiæ. Errant ergo, qui sacramentum Pœnitentiæ ordine administrationis Eucharistiæ præferunt. Hæc Soto. Qui & videndus dist. 12. q. 1. art. 3. ad 2. & dist. 39. q. unica art. 2. & quæ ex illo notat Cabrera hic n. 1. & 2.

DVBIVM III.

De comparatione sacramentorum in perfectione.

§. I.

Eucharistia excellentissimum sacramentorum, etiam in conferendo gratiam.

1 **C**um omnia, quæ specie distinguuntur sint inæqualia perfectione physica: quia dicit Philosophus 8. Metaphis. textu 10. quod species rerum sunt sicut numeri: ideo quæ perfectione physica essentiali inæquales, ut docet D. Thomas 1. p. q. 76. art. 3. Cuius dictum sit sacramenta omnia novæ legis specie distingui; ideo manifestè infertur nõ omnia esse æqualia in perfectione physica. Sed quoad usum humanum deputari deterius, & minus appetibile: Hæc distinctio hic locum non habet, quia totum esse sacramentorum est in ordine ad nostram sanctificationem: ideo quæ quod fuerit nobilius in esse sacramenti, erit nobilius quoad nos, & moraliter quoad usum.

2 Cæterum notat benè D. Thomas in 4. dist. 7. q. 1. artic. 1. q. 3. quod quinque modis unum sacramentum dicitur esse dignius alio. Uno modo quoad rem sacramenti, siue effectum eius. Et sic Baptismus, qui delet omnem culpam, & aufert omnem pœnam, est maximè sacramentorum. Alio modo quantum ad id quod continetur in sacramento. Et sic Eucharistia est nobilissimum, in qua continetur ipse Christus. Tertio quantum ad gradum dignitatis in quo constituit. Et sic ordo est dignissimum sacramentum. Quarto, quantum ad ministrum. Et sic Confirmatio, & etiam Ordo sunt dignissima, quia non nisi per Episcopum ministrantur. Quinto, quantum ad signatum, & non contentum. Et sic Matrimonium est dignissimum, quia signat coniunctionem duarum naturarum in persona Christi.

3 Si tamen hæc dignitates ad invicem compar-

comparamus, inveniunt illa dignitas potissima, quam sacramentum habet ex contento, quia est essentialior. Et ideo sacramentum Eucharistiæ est simpliciter dignissimum; & ad ipsum quodammodo alia sacramenta ordinantur. Dignitas autem, quæ est in efficiendo, prævalet ei, quæ est in significando: & illa, quæ est in efficiendo respectu boni, simpliciter loquendo prævalet ei, quæ est in amotione mali: & ideo simpliciter loquendo, post Eucharistiam nobilissimum sacramentum est Ordo, per quod homo in gratia, & in gradu dignitatis ponitur. Et post hoc Confirmatio, per quam perfectio gratiæ confertur: & post Baptismus, per quæ fit plena remissio culpæ, & pœnæ: & post Matrimonium, quod habet maximam significationem. Pœnitentia autem, & Extrema unctio ponuntur inter Baptismum, & Matrimonium: quia ordinantur directè ad remotionem mali. Quamvis in hoc Pœnitentia habeat minorem efficaciam, quam Baptismus: quia ordinatur contra culpam actualem tantum, & non delet totaliter pœnã: & adhuc minorem Extrema unctio, quæ contra reliquias peccati ordinatur.

4 Hæc D. Thomæ verba deseruire possunt pro commentario articuli 3. D. Thomæ. Cuius prima conclusio etiam probatur ab ipso in 4. dist. 8. q. 1. art. 1. quæst. 1. & lib. 4. Contra gentes cap. 61. & cap. 74. & q. 27. de Veritate art. 4. in fine corporis. Imò propter eam in Concilio Tridentino Sess. 7. can. 3. dicitur. Si quis dixerit hæc septem sacramenta, ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit. Et sessione 13. cap. 3. docet, quod illud in Eucharistia excellens, & singulare reperitur, quod in Eucharistia ipse sanctitatis author ante usum est. De quo Bellarminus libro 2. de Sacramentis capite 28. Et Suarez in commentario art. 3. notat ex definitionibus Concilij non colligi tamquam de fide certum omnia sacramenta esse inæqualia in perfectione: sed hoc solum non omnia esse æqualia: quod saltem est de fide certum, quia necesse est confiteri, simpliciter loquendo, sacramentum Eucharistiæ esse perfectissimum inter omnia sacramenta. Quod tripliciter probat D. Thomas. Cuius rationes exponunt Caietanus, & Soto, & latius Nuño diffice. unica.

5 Comparando autem sacramenta, quoad virtutem conferendi gratiam, inquit Suarez articulo tertio. §. De certis, quod D. Thomas nil dixit, nec in illo quicquam certum, aut definitum inveniri: nam licet propter Christi præsentiam videatur probabile,

sacramentum Eucharistiæ (stante æquali dispositione subiecti) maiorem gratiam conferre, quam cætera. Tamen aliunde, quia hoc sacramentum institutum est, veluti ad continuam nutritionem: & consequenter, ut sæpius, ac frequentius recipiatur; ideo non videtur necessarium, ut quoties recipitur, toties maiorem gratiam conferat, quam Baptismus semel susceptus, vel quam Confirmatio, aut Ordo. Est itaque res incerta. D. Thomas autem videtur priorèrem partem insinuare: nam simpliciter præfert Eucharistiam omnibus sacramentis: postea vero comparat cætera inter se: quæ comparatio maxime videtur quoad effectum intelligenda: ergo in eadem re præfert Eucharistiam cæteris. Hæc Suarez.

6 Verumtamen, quod Eucharistia excedat in virtute conferendi gratiam, etiam affirmat D. Thomas Opusculo 57. quod est Officium in festo Corporis Christi, lectione tertia, quæ modò est sexta, illis verbis. Nullum etiam Sacramentum est isto salubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, & mens omnium spiritualium carismatum abundantia impinguatur. Si autem aliud sacramentum maiorem gratiam conferret, illud esset isto salubrius. Idem docet D. Thomas in quarto Sententiarum ubi supra: & hic ad 3. & ibi Soto, & Nuño ad 2. Vazquez articulo 3. num. 4. & Granada tract. 6. disput. 3. numero 5. Quia gratia est præcipuus effectus Sacramentorum: ergo Sacramentum, quod est perfectius simpliciter, habere debet vim conferendi maiorem gratiam, cæteris paribus.

Ad argumentum Suarez respondet Granada, negando consequentiam, quia potius in hoc consistit maior perfectio huius sacramenti, quod licet frequenter recipi possit, etiam cum semel suscipitur, vim habeat conferendi maiorem gratiam, quam illud, quod iterari non valet. Aliam etiam instantiam proponit Nuño retorquens idem argumentum: & addens in hoc commendari charitatem, & liberalitatem, & magnificentiam Dei, qui voluit quotidie posse accipi, quod tantumumentibus prodesse potest.

7 Subscribit huic communi sententiæ Bernal disput. 20. lect. 2. §. 1. num. 35. & 41. (quamvis male referat hoc à solo Vazquez esse factum; cum tot Authores relati de hoc puncto cum D. Thoma expressè egerint) primas deferens Eucharistiæ: Tum quia continet Christum, toti gratia fontem; ideo quæ est sacramentorum longè præstantissimum. Tum etiam, quia præbet gratiam, nosque spiritualiter nutrit per modum cibi, & potus,

rus, seu conuiuij: cibi autem, & potus proprium est viuens substantiam eximiè fouere, singulariterque corroborare, & maximè augere.

§. II.

Sex Sacramenta comparantur in perfectione.

Post stabilitam eminentiam Eucharistia supra reliqua sacramenta, subdit D. Thomas art. 3. Quod aliorum Sacramentorum comparatio adiuuicè, potest esse multiplex. Ad in via necessitatis Baptismus est potissimum Sacramentorum. In via autem perfectionis Sacramentum Ordinis, &c. Et ad 4. ait. Sicut enim Baptismus, cum sit maxima necessitatis, est potissimum Sacramentorum, sic Ordo, & Confirmatio habent quamdam excellentiam ratione ministerij, & Matrimonium ratione significationis. Nihil enim prohibet aliquid esse secundum quid dignus: quod tamen non est dignus simpliciter.

Ex quo infert Soto in 4. dist. 1. q. 6. art. 3. conclus. 2. quod sex sacramenta, secundum duas qualitates habent se, sicut excedens, & excessum: & quod attèta necessitate, Baptismus est omnium potissimum, eo quod sine illo, neque poterit esse salus, neque vllū aliud recipi sacramentum. Si verò comparantur in perfectione, iuxta D. Thomam, sic debent ordinari. Ordo post Eucharistiam alijs præcellit. Deinde Confirmatio, post Baptismus, per quem fit plena remissio culpæ, & poenæ. Post verò Poenitentia est maioris necessitatis, sed Extrema vñctio est maioris perfectionis: quia comparatur ad Poenitentiam, sicut Confirmatio ad Baptismus: quia purificat etiam peccatorum reliquias. Et in 4. Sententiarum verbis relatis num. 3. post Baptismus collocat Matrimonium, quod habet maximam significationem. Quamuis Suarez in com. art. 3. & Gran. disp. 3. nu. 2. & Auerfa sec. 2. vltimo collocet Matrimonium, quod est minus spirituale, & ad corporalem propagationem ordinatur. Imò S. Thomas art. 2. ad 3. ait, quia minimum habet de spiritualitate, vltimo ponitur inter sacramenta. Quamuis ibi loquatur de ordine tractatus, & artic. 3. loquitur de ordine perfectionis.

10 Sed occurrit Bernal disp. 20. sec. 1. §. 3. num. 24. dicens. Me tamen iudice S. D. non comparat omnia hæc sacramenta in ratione perfectionis: ad summum ait Ordinem esse

sacramentum perfectius alijs quinque: & inter ista vnum, vel alterum, esse altero, vel alijs perfectius: ordinem tamen perfectionis, ad dignitatis inter omnia lex non assignat, quippe qui in multis illorum non meminit perfectionis, sed necessitatis, & conuictionis cum vita Christiana. Subdit vero n. 26. quod nec S. Thomas nec vllus alius rationem assignauit, cur Ordo post Eucharistiam præcellat reliqua sacramenta. Ratioque vni ea est, quia confert characterem, seu potestatem ad producendum Christum in Eucharistia, & ad absolendum. Addit n. 30. quod Baptismus perfectione præcellit Confirmationi, & alijs: quia producit characterem Christianitatis, perfectiorem characterem Confirmationis; confert primam gratiam: & remittit ex opere operato omnem poenam temporalem. Subdit n. 31. quod quartum in ordine perfectionis est Poenitentia, proxime sequens Baptismus, Confirmationi autem, Vñctioni, & Matrimonio præcellens: quia producere primam gratiam, præstantius multo est, quam & characterem, & gratiam secundam simul producere. Quatio collocat Confirmationem: quia imprimit characterem, & confert augmentum gratiæ copiosum. Sexto Extremam Vñctionem, quia per singulas vñctiones singulas confert gratias: Matrimonium verò vnicam ad onera Matrimonij sustinenda: Vñctio ad omnes vincendas tentationes, & ad patienter, & suaviter moriendum: et si expediat, affert corpori sanitatem.

11 Hæc omnia, non minus aperte opponuntur D. Thomæ, quam manifeste aduersentur veritati: & nullis fretus autoritate, debilissimis motus rationibus, gaudet Bernal à cõmuni Theologorum aberrare. In primis, quod D. Thomas loquatur de ordine perfectionis in articulo tertio, euidenter constat ex duobus. Primo, quia in priori parte articuli loquutus fuerat de perfectione Eucharistia, quam dixerat sacramentorum potissimum: In secunda parte explicitè meminit de comparatione necessitatis, & perfectionis: & nisi omnium perfectionem explicuisset, diminuta esset doctrina: quia ne esset imperfecta, proposuit specialiter articulum 4. de omnium necessitate: & idè si hic explicat quorundam, & non omnium perfectionem, cum in alio articulo non explicet, nec sit perie nota, diminutè processisset. Secundo id constat ex illis verbis. In via autem perfectionis, &c. Nam vsque ad finem corporis de hac sola comparatione loquitur.

Si

12 Si Bernal legisset S. Thomam in libro 4. Sententiarum, numquam scripsisset, quod D. Thomas rationem non assignauit præminentia Ordinis: nec illam debilissimam rationem ipse vt vnicam proposuisset. Recolantur verba D. Thomæ relata num. 3. & nulla erit opus ponderatione. Propriissima enim ratio D. Thomæ est, quod dignitas, quæ est in efficiendo, præualet ei, quæ est in significando: & illa, quæ est in efficiendo respectu boni, simpliciter præualet ei, quæ est in significando mali: & idè simpliciter loquendo, post Eucharistiam nobilissimum sacramentum est Ordo, per quod homo in gratia, & in gradu dignitatis ponitur.

13 Hinc tertio fit perperam Bernal dicere, quod Baptismus præcellat Confirmationi. Oppositum enim immediate docet S. Thomas adiciens. Et post hoc Confirmatio, per quam perfectio gratiæ confertur: & post Baptismus per quem fit plena remissio culpæ, & poenæ. Idem docet hic art. 3. & quæst. 72. art. 1. ad 2. rationem contrariam diluit his verbis, dicendum quod sacramentum Baptismi est efficacius, quam hoc sacramentum quantum ad remotionem mali: quod est spiritualis generatio, quæ est mutatio de non esse ad esse. Hoc autem Sacramentum Confirmationis est efficacius ad proficiendum in bono: quia est quoddam spirituale augmentum de esse imperfecto ad esse perfectum: & idè hoc sacramentum digniori ministerio committitur. Idem docet ad 3.

14 Quarto deficiit Bernal, dum Poenitentiam præfert Confirmationi. Et quatio falsum asserit, dum Poenitentiam ponit præcedere Extremam vñctionem in perfectione. Vtrumque impugnat S. Thomas art. 3. nam postquam egit de Eucharistia, Ordine, Confirmatione, & Baptismo in via perfectionis: subiungit. Sacramentum verò Poenitentia, & Extrema vñctionis sunt inferioris gradus (clare loquitur de gradu perfectionis) à prædictis sacramentis: quia, sicut dictum est art. 1. ordinatur ad vitam Christianam, non per se, sed quasi per accidens, scilicet in remedium superuenientis defectus. Inter que tamen Extrema vñctio comparatur ad Poenitentiam, sicut Confirmatio ad Baptismus: ita scilicet, quod Poenitentia est maioris necessitatis, sed Extrema vñctio est maioris perfectionis.

15 Addit Soto citato art. 3. conclus. 2. Perspicua hæc omnia sunt, & cuique per via. Neque ex maiori necessitate argui simpliciter maiorem perfectionem, dicit esse comperitissimum: alias eadem ratione diceret Poenitentiam esse pariter perfectiorem Eucha-

ristia, quia existenti in peccato magis est necessaria. Et quod fortitudo est magis perfecta, quam iustitia, quia in bello est magis necessaria. In summa, quod pecunia est magis perfecta sapientia, quia pauperi est magis necessaria. Quæ omnia falsissima sunt.

16 Denique deficiit Bernal, quia sine probatione assumit, vel supponit plura, quæ communiter improbantur de effectibus singulorum sacramentorum, vel abique solido fundamento adstruuntur: nam numero 30. ait, quod Poenitentia solum tribuit speciale ius recipiendi gratias auxiliantes aduersus illud genus peccatorum, quod per ipsam hinc, & illuc dicitur. Quod nec in Concilijs, nec in Diuo Thoma, aut antiquis Theologis inuenio: quia Poenitentia directe est ad absolendum: præsertim correspondet Eucharistia, & robur datur per Confirmationem.

Num. 31. insinuat, quod Confirmatio solum confert auxilia: & tamen Melchisedes Papa in Epistola ad Hispaniarum Episcopos, & Sanctus Thomas quæst. 72. art. 7. & cum eis communiter Theologi docent, quod in Confirmatione datur gratia gratum faciens.

Num. 33. quasi per se notum supponit, quod singula vñctiones singulas conferunt gratias: quod tamen communior Theologorum negat. Et subdit Vñctionem dari ad patienter, & suaviter sustinendam mortem: quod non probat: & hæc omnia suis locis examinanda referuantur.

§. III.

Comparantur sex sacramenta in efficiencia gratiæ.

17 Hæc comparatio, si fiat inter duo sacramenta eiusdem speciei, & solo numero distincta, subiectis eodem modo se habentibus, & qualem gratiam conferunt, in æqualem vero, si cum inæquali recipiant dispositione. Quod loquendo de Baptismo, docet D. Thomas q. 69. art. 8. dicens. Adulti vero, qui per propriam fidem ad Baptismus accedunt, non equaliter se habent ad Baptismus: quidam enim cum maiori, quidam cum minori deuotione ad Baptismus accedunt: & idè quidam plus, quidam minus de gratia nouitatis accipiunt. Sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat: licet ignis quantum est de se, equaliter ad omnes suum calorem effundat.

Cc2

Ideo

Ideoque supposita institutione Dei, & applicatione meritorum Christi, sacramenta hæc habent adinstar causarum naturalium, quæ inæqualiter operantur in subiectis inæqualiter dispositis, & approximatis: æqualiter vero in subiectis æqualiter dispositis, & nullum habentibus impedimentum.

18 Quod communiter tenent Theologi, specialiter disputando de Baptismo, aduersus Paludanum in 4. dist. 4. q. 1. art. 2. docent omnes paruulos, qui cum sola gratia Baptismi decedunt, futuros inæquales in gloria, quia inæqualem gratiã recipiunt, sine inæqualitate subiecti. Et aduersus Alexandrum Alesensem parte 4. q. 21. membro 3. & Ioannem Maiorem in 4. dist. 4. q. 3. propos. 5. asserentes omnem gratiam baptismalem esse æqualem cuiquamque alteri gratiæ baptismali: quoad id quod ei conuenit ex opere operato. Quia passio Christi exhibitã, est causa gratiæ baptismalis in noua lege: quæ æqualiter applicatur omnibus.

19 Comune doctrinam probant Nuño q. 62 art. 1. diff. 4. conc. 2. Serra ibi duo. 4. conc. 2. Cabrera disp. 6. n. 8. Suarez, Vazquez, Lugo disp. 9. sec. 2. n. 12. & 18. & omnes communiter, ex Concilio Tridentino Sessione 6. nam a cap. 4. vsque ad 8. tractat de sola iustificatione adultorum per Baptismum: & cap. 7. agens de causis iustificationis, inter alia ait. *Iustitiam in nobis recipientes, vniuersis que suam, secundum mensuram, quam spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem.* Si ergo prima gratia confertur per Baptismum adultis iuxta cuiusque dispositionem: Ergo iuxta maiorem dispositionem non confertur maior, & iuxta minorem minor. Et quoad hoc par ratio est de omnibus sacramentis.

20 Cæterum Bernal disp. 20. de Sacramento sec. 2. §. 3. n. 61. ita ait. *Ego vero numquam in animum induxi, sententiam istã a Concilio, vel definitam, vel assertam, vel etiam obiter memoratam.* Quia licet a cap. 4. vsque ad 6. de sola adultorum per Baptismum iustificatione disserat; tamen in cap. 7. non docet quanta sit, sed quid sit iustificatio: inscriptio enim capituli est. *Quid sit iustificatio impij, & quis habeat causas?* Et doctrina est communis ad iustificationem infantium. Et Concilium nullam occasionem, nedum necessitatem habuit eius inæqualitatis definiendæ, vel in memoriam reuocandæ; cum nec apud omnes esset Catholicos indubitata; nec Ecclesiæ cum Hæreticis controuersia. E contra ve-

ro vt definiret, vel in memoriam adduceret, conferri adultis extra sacramentum maiorem gratiam pro maiori dispositione, nõ solum occasionem, sed etiam necessitatem habuit Sanctus Synodus, nempe aduersus Nouatores: qui sicut omnia sacramenta paræ dignitatis, ita omnes iustos paræ Sanctitatis efficiunt, vt potè extrinsecè iustos ipsa Dei iustitia, & Sanctitate.

Addit num. 66. quod si Concilium id definiisset, loqueretur de dispositione perseverante post Baptismum; ac proinde tunc meritoria vterioris gratiæ. Et loquitur de solo Baptismo: quare non continuo de fide esset in cæteris sacramentis. Tandem num. 68. dicit, quod verborum Concilij propria expositio est: quod in illis verbis: *partitur singulis prout vult*: loquatur de iustificatione per Baptismum; & in altero membro: *& iuxta propriam cuiusque dispositionem*: agat de iustificatione extra sacramentum: doctrinam vturpans in tota Ecclesia receptissimam.

21 Cæterum hæc falsa sunt, & nullius apparentiæ, & multo minus allucini soliditatis, & succi. In primis, quia doctrina Conciliorum debet esse clara, & manifesta; vt potè per quam determinantur dubia, & finiuntur controuersie cū Hæreticis; & terminantur quæstiones Catholicorum. Ille autem sensus minimè est clarus; vt potè, qui vsque modo in nullus mentem venerit; & mirum est, quod integro sæculo sensus Concilij in Ecclesia latuerit. Deinde, non tantum non est assignatus a Doctoribus; sed ab omnibus reiectus: ideoque Nuño oppositam sententiam vocat *periculosam in fide*; & ipse Bernal num. 79. fatetur *temerariam*: quamuis autem plures dicant hoc vopdum esse a Concilio definitum: quia obiter assertum: nullus tamen est, qui non dicat ibi sermonem esse de iustificatione adultorum per Baptismum. Ergo omnes Theologi, qui post Concilium Tridentinum scripserunt, è diametro opponuntur Bernal, qui numquam credere vult hoc ibi aut definitum, aut assertum, aut obiter memoratum.

22 Secundo, ex canonibus Concilij, & ex Bellarmino, & alijs, qui contra Hæreticos sæculi præcedentis scripserunt, contra ipsos asseruisse sacramenta esse paria in se, & in effectu: ergo habuit Concilium, vel occasionem, vel necessitatem explicandi causas inæqualitatis iustificationis, quæ sit per sacramentum: quia vel est voluntas Dei, vel inæqualitas dispositionis; vel inæqualitas sacramenti.

Tertio,

Tertio, particula, &, facit sensum copulatiuum, & cõiungit cum clausula immediata antecedenti, & eam declarat: vt cum communi Doctorum docet Barbosa in dictionibus, & alij passim.

23 Quarto ad complementum doctrinæ visum fuit Concilio de omnibus iustificationis causis doctrinam Catholicam exponere. quamuis in aliquibus Hæreticis non errarent: non enim negabant Deum esse causã principalem: & de ista ibi docemur. Cui ergo inæqualitas dispositionis antecederet, & in Baptismo, & in Pœnitentia, & in reliquis sacramentis valde conducatur ad agnoscendam inæqualitatem iustificationis, satis oportune hoc ibi tradit. Quamuis ergo nõ sit de fide, id tamen debet esse indubitatum, & certum; ita vt oppositum sit temerariũ, & parum tutum in fide, & propter Concilij auctoritatem, & cõsensum Theologorum, & firmissimã rationem D. Tho. & S. Ioãnis Damasceni lib. 4. de fide cap. 10. quam explicat Clichtouxus ibi. Et tandem ipse Bernal amplectitur, & explanat a nu. 74. vsque 78. quia sacramenta agunt instar causæ naturalis: & hoc implicite declarat Tridentinũ, cum diffinit dare gratiam ex opere operato.

24 Comparando vero sacramenta specie distincta, iam diximus Eucharistiã reliqua excedere, sicut & in perfectione, ita & in virtute conferendi gratiam. Comparando vero reliqua inter se, id quod diximus de comparatione in perfectione, dicendum venit de comparatione in virtute causandi. Vnde S. Thomas ex vno aliud intelligendum voluit. Expressitque in 4. Sent. verbis relatis n. 3. dicens. *Dignitas autem, quæ est in efficiendo præualeat ei, quæ est in significando.* Et insinuat hic art. 3. in cor. & ad 3. & q. 72. art. 11. ad 2. & ad 3. ait, *propter potiorẽ effectum unctio criminis Episcopis reservatur.*

25 Probatque Granado tract. 6. disp. 3. n. 5. dicens, videri probabilius, sacramenta ipsa septem conferre inæqualem gratiam subiectis æque dispositis: ac proinde illud quod perfectius est, conferre maiorem; minore vero illud, quod minõ perfectum est. Probatur, quia gratia est præcipuus effectus sacramentorum: ergo sacramentum, quod est perfectius, habere debet vim conferendi maiorem gratiam, cæteris paribus.

Quæ ratio magnã vim habet ex dictis q. 62. nam sacramenta nouæ legis efficiunt, quod significat: & sunt signa, & causæ gratiæ; ergo quo crescunt in ratione sacramen-

torum nouæ legis, crescunt in virtute collatiua gratiæ. Ideoque vt producant gratiam, solum requirunt quod obex non ponatur: vt vero maiorem, requirunt ampliolem dispositionem: sed cæteris paribus, nobilissimã datã maiorem, & non solum sacramentalem, sed & sanctificantem.

26 Duo addit Nuño q. 62. art. 1. diff. 4. conc. 2. folio 74. columna secunda, quæ vñ sunt digna vt hic inserantur. Alterum est, quod cognoscere non possumus, quis accipiat maiorem gratiam, qui accedit ad sacramentum excellentius eum minore dispositione, an vero, qui accedit ad sacramentum minus perfectum cum maiori dispositione. Quis enim cognouit sensum Domini; aut quis consiliarius eius fuit? Nec enim agnoscimus naturam graduum, qui dantur ex opere operato, & comparatione cum gradibus datis ex opere operantis. Hoc videtur certum, quod si vnus accedat cum contritione quantumcumque remissa; alius vero cum attritione quantumcumque intensa ad idem sacramentum; quod ille accipit maiorem gratiam, quam qui habet attritionem. Quia differunt specie: & quia contritio conuertit immediate, & perfecte ad Deum; & se habet sicut species substantiales; quarum altera, etiam in indiuiduo, non potest peruenire ad perfectionem alterius.

27 Rursus notat, quod in omnibus sacramentis datur minima gratia, quam possunt causare, maior, vel minor secundum maiorem, vel minorem perfectionem sacramenti: vnde numquam causat aliam minorem. Non tamè datur maxima gratia, quam possunt causare: sed sicut potest crescere dispositio, ita similiter potest crescere in infinitum synchategorematice gratia illa, quæ ex opere operato confertur in sacramentis.

28 Cum communi doctrina videtur cõcordare Bernal disp. 20. de sacramentis sect. 2. §. 5. n. 80. & 81. & n. 92. dicens, sacramenta diuersa, & inæqualia in perfectione, v.g. Eucharistia, & Vnctio, & Ordo, & Matrimonium, ferunt per se, & ex opere operato in æquales gratiarum effectus; quando cætera sunt paria in ijs subiectis, quibus conferuntur.

29 Cæterum §. 1. num. 38. præmisserat sacramenta viuorum plus intentionis gratiæ dare, quam mortuorum. Ratione duplici: vna quasi phytica, quia scilicet iustus recipiens sacramenta viuorum, hoc ipso quod iustus est, magis est dispositus ad recipiendos plures gradus iustitiæ, & gratiæ. Altera est

moralis: quia beneficium conferendi primam gratiam, inuoluit abolitionem offensæ, & conciliationem amicitie diuinæ: proinde est bonum longè maius qualibet gratiæ intentione: cum igitur in hoc tanto bono tribuendo, Baptismus, & Pœnitentia præstent viuorum sacramentis; par est ut hæc illis excellent in conferendis pluribus intentionis gradibus.

Subiungit num. 41. quod inter sacramenta viuorum Eucharistia plus gratiæ continet: post Eucharistiam Ordo: quia constituit Patres spirituales, & rectores in ordine ad actus nobilissimos, & difficillimos: deinde Confirmatio, quæ responder aduentui Spiritus Sancti in die Pentecostes: postea Vnctio, & denique Matrimonium: & num. 44. concludit, quod Baptismus plus gratiæ confert, quàm Pœnitentia, quia ista est iterabilis, & per eam merita reuolunt: atque adeo in hoc excelsit Baptismus: cumque ille antecellat perfectione, par est ut etiam excellat in intensiore gratiæ tribuenda.

30 Hæc doctrina Bernal non videtur, nec sibi, nec veritati constans: Nō sibi, quia ex maiori perfectione non semel intrēdit de ducere tribuere intensiorem gratiam: & tamen nō eodem ordine numerat sacramenta quoad gradus perfectionis, & quoad causalitatem. Nec etiam, quæ dicit §. 5. consonant his, quæ dixerat §. 1. Non congruit veritati: Tum, quia congruentiæ, quæ non sumuntur ex significatione & causalitate, solum probant excessum secundum quid: Tū, quia non respondent rationi nostræ propositæ num. 25. Vnde omnino standum ordini assignato ex D. Thoma.

DVBIVM IV.

Utrum omnia Sacramenta sint de necessitate salutis.

VT respondeat, præmittit D. Thomas art. 4. quod necessarium respectu finis (de quo nunc loquimur, quia est sermo de medicinis, & instrumentis à Deo institutis ad hominum spiritualem salutem) dicitur aliquid dupliciter. Vno modo sine quo non potest haberi finis: sicut cibus est necessarius vitæ humanæ: & hoc est simpliciter necessarium ad finem. Alio modo dicitur esse necessarium id sine quo non haberetur finis ita conueniēter: sicut equus necessarius est ad iter. Hoc autem non est simpliciter necessarium ad finem. Hoc notato, quas statuit conclusio

2 Prima assertio, primo modo necessitatis sunt tria sacramenta necessaria; duo quidem personæ singulari; Baptismus quidem simpliciter, & absolute; Pœnitentia autem supposito peccato mortali post Baptismum. Sacramentum autem Ordinis est necessarium Ecclesiæ: quia ubi non est gubernator, populus corrūet, ut dicitur Prover. 11.

3 Secunda conclusio: secundo modo sunt necessaria alia sacramenta: nam Confirmatio quodammodo perficit Baptismum: Extremaunctio Pœnitentiam: Matrimonium vero Ecclesiæ multitudinem per propagationem conseruat.

4 Ex quo deducit S. Thomas solutione ad primum, nullum sacramentum a Christo institutum esse superfluum: ad hoc enim quod aliquid non sit superfluum, sufficit quod sit necessarium primo, vel secundo modo: & sic sunt necessaria omnia sacramenta per distributionem accommodant. Quod totum breuissimè complectitur Concilium Tridentinum Sessio 7. canone 4. Illis verbis: *Siquis dixerit sacramenta nouæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, &c.* Posteriori particula loquitur de necessitate ad melius esse: at vero prioribus verbis loquitur de necessitate simpliciter.

5 Distinximus, & explicuimus cap. 7. Theol. Moral. q. 2. §. 1. quod ad salutem aliquid est necessarium, & necessitate mediæ, & etiam necessitate mediæ, & præcepti simul. Notat ergo Soto in 4. dist. 1. q. 6. art. 4. §. *Ad hunc* quod tria sacramenta, de quibus in prima conclusione, sunt necessaria necessitate mediæ: & etiam Eucharistia quantum ad manducationem spiritualem per fidem: & sic exponit S. Thomas hic à 2. cum D. Augustino tract. 26. & 27. in Ioan. rem illud Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ideoque distincto modo est Eucharistia necessaria, ac sit necessarius Baptismus, ut declarat S. Thomas q. 73. artic. 3. de quo ibi. Quamuis autem Matrimonium ut est officium naturæ, sit simpliciter Reipublice necessarium: tamen ratione spiritualitatis, quatenus est sacramentum, non est simpliciter necessarium. Ideoque in lege naturæ erat in officium naturæ, sed non sacramentum. Et ideo bene inquit Soto §. *Neque*, quod hæc de causa non connumeratur à D.

Thoma inter ea sacramenta nouæ legis, quæ sunt simpliciter necessaria.

DVB.

DVBIVM VLTIMUM.

De Sacramentalibus.

DE Sacramentalibus non agit D. Thomas in communi: quia loquendo de ritu Baptismi 3. p. q. 86. art. 10. tres causas assignat cur Ecclesia, quæ regitur Spiritu Sancto, qui nihil inordinatum operatur, adhibeat sacramentalia, quæ pertinent ad solemnitatem Sacramentorum. Et quæst. 72. ar. 12. agit de ritu Confirmationis, dicens: *Firmiter tenendum est, quod ordinationes Ecclesiæ dirigantur secundum sapientiam Christi. Et propter hoc certum esse debet, ritus, quos Ecclesia obseruat, in hoc, & in alijs Sacramentis, esse conuenientes.* Et de ritu Eucharistiæ agit quæst. 83. per sex articulos. Et sic de alijs aliorum Sacramentorum ritibus. Et quod poterat esse difficultatis, quomodo sacramentalia remittant peccata venialia; reseruat disputandum D. Thomas usque ad quæst. 87. art. 3. Quare vix restat, quid hic in communi possit disputari, non inuertendo miraculorum ordinem docendi obseruatum à D. Thoma.

2 Solum obseruandum, & notandum est canon vltimus Sessio 7. Concilij


Tridentini, qui sic habet. *Siquis dixerit receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemnitate Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris prohibito omitti, aut in nouos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse; anathema sit.* De quibus latius Thomas Valdesis tomo integro de Sacramentalibus, Bellarminus lib. 2. de Sacramentis in genere à cap. 29. Suarez disp. 15. Gran. tract. 7. Nuño hic dub. vnico, & alij.

3 Imò addit Cæsar Carena de Officio S. Inquisitionis parte 2. tit. 17. §. 2. n. 9. contemptores ceremoniarum, & rituum Ecclesiæ, ut suspectos in fide, puniendos esse à Sancta Inquisitione: ubi circa hoc duos affert casus singulares. Contemptus ergo semper est mortale peccatum. Et pariter mutatio in nouum ritum scienter facta. Omissio verò ex genere est peccatum mortale; licet ex materiæ paruitate excusetur à mortali, & aliquando tā parua possit esse ceremoniæ, omissio, quod excusetur à veniali: licet hoc raro accedat. Et hæc de Sacramentis in genere, ad laudem Sanctissimæ Trinitatis, & Deigenitricis Virginis **MARIAE.**



Cc 4

TRACTA-



TRACTATUS
 SECVNDVS
 DE BAPTISMO.
 QVAESTIO SEXAGESIMASEXTA,
 DE PERTINENTIBVS AD SACRAMENTVM

BAPTISMI.

DESCENDENS
 S. Thomas ad con-
 siderandum de sin-
 gulis Sacramentis
 in speciali, merito
 primo agit de Bap-
 tismo, qui est ia-
 nuā Sacramento-

rum, quia per eum confertur regeneratio, quae est prima spiritualis natiuitas. Vnde S. Gregorius Nazianzenus orat. in S. Baptisma; ait: *Baptismus omnium Dei beneficiorum praclarissimum est; & praestantissimum; huic gratulatur caeli; hunc Angeli propter splendoris cognitione celebrant; hic futurae beatitudinis imaginē gerit; hunc praedicare quidem, & laudibus ornare gestimus; verum pro rei dignitate non possumus.* Similia S. Basilius hom. i. de Baptismo parte 2. & Tertulianus de Baptismo aduersus Quintillam foeminam cap. i. & S. Basilius exortat. ad baptiz. baptismum vocat *tesseram militum Christi; amictum splendentem.* Et S. Dionys. cap. 2. de Eccles. Hier. asserit, quod est *principium; & ianuā sacramentorum;* quia per eum fit homo capax recipiendi reliqua sacramenta.

De Baptismo autem D. Thomas sex proponit quaestiones: in prima agit de materia, & forma Sacramenti, & de alijs requisitis, & ad eum pertinentibus: in secunda disputat de ministris Baptismi: mox subsequitur in tertia congruo doctrinae ordine tractare de suscipientibus hoc sacramentum: indeque solum restat vt in quarta eius exponat effectus.

In duabus vero vltimis quaestionibus tractat de preparatorijs ad Baptismum: nempe in q. 70. de Circūcisione, quae fuit antiqua preparatio ad Baptismi institutionem: & q. 71. de preparatorijs, quae simul exercentur; & concurrunt cum vsu sacramenti a Christo in noua lege instituti.

2. Igitur, quaestionem Baptismi primā, quae ordine est 66. S. Thomas duodecim distinxit articulis. In priori exponit definitionem Baptismi, nempe, quod est ablutio corporis exterioris, facta sub forma praescripta verborum. Determinat in secundo; quod Baptismus tunc vere fuit institutus; quantum ad ipsum sacramentum, quando Christus est baptizatus, sed necessitas vtendi hoc sacramento iudicata fuit hominibus post passionem, & resurrectionem. Rationes quatuor congruentiae assignat articulo 3. cui ex institutione diuina aqua est propria materia Baptismi: subiinde exponit in quarto, quod in qualibet aqua qualitercumque transmutata, dummodo non soluatur species aquae, potest fieri Baptismus: secus vero si soluatur species aquae. Deinde articulo quinto docet, quod haec est conueniens forma Baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti;* & addit in sexto, quod quicquid deest ad plenam invocationem Trinitatis, tollit integritatem Baptismi: vnde non valet si vna persona omittatur; vel dicatur in nomine Christi.

3. Explicata forma, & materia Baptismi, ab articulo septimo de alijs ad eum pertinentibus.

inentibus agit. Et in primis ostendit, quod Immersio non est de necessitate Baptismi: addit articulo 8. quod communiter obseruatur in Baptismo trina immersio: & ideo grauius peccaret aliter baptizans; quamuis ualeret Baptismus. Quatuor rationes assignat articulo nono cur Baptismus iterari non potest. Explicat articulo decimo conuenientes esse ritus, quos obseruat Ecclesia ad quædam solemnitate Sacramenti. Diuidit, & distinguit articulo undecimo, tria Baptismata, scilicet, aquæ, & sanguinis, & flaminis. Et denique in ultimo articulo probat, Baptismum sanguinis esse potissimum inter alia Baptismata.

DVBIVM PRIMVM:

Quid sit Baptismus?

Baptismus est vox Græca, quæ immersionem, aut ablutionem significat: & usu Ecclesiæ aptatur sacris ablutionibus: ut illis, quæ erant in veteri lege, de quibus Apostolus ad Hebr. 9. & Baptismo Ioannis, de quo infra: & potissime, propter antiquitatem, hanc vocem tenet ad denotandum sacramentorum primum. Elus quatuor nomina ex S. Ioanne Damasceno, & alijs Patribus, declarat D. Thomas ad 1. & ibi Nuño, & Suarez, & Vazquez disp. 140. cap. 1. an. 1. usque ad 5. Cabrera num. 15. & 16.

§. I.

Cur Baptismus diffiniatur, non per aquam, sed per ablutionem?

In tradenda autem diffinitione quid reuoluitur esse differentia: nam Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis part. 6. cap. 2. ait. *Si ergo queritur, quid sit Baptismus? Dicitur, quod Baptismus est aqua, diluendis criminibus sanctificata per uerbum Dei.* Vbi Baptismum non definit per materiam proximam, quæ est ablutio; sed per materiam remotam, quæ est aqua.

At uero Magister in 4. Sent. dist. 3. in principio, diffinit per materiam proximam, dicens, quod *Baptismus est ablutio corporis exterior, facta sub forma prescripta uerborum.* Quam diffinitionem primam esse præferendam, probat D. Thomas art. 1. Cum enim sacramenta nouæ legis sanctificationem quædam operentur, ibi perficitur sacramentum, ubi perficitur sanctificatio. In aqua autem non perficitur sanctificatio: sed est ibi quædam sanc-

ctificationis uirtus instrumentalis, non permanens; sed fluens in hominem, qui est uere sanctificationis subiectum. Et ideo sacramentum non perficitur in ipsa aqua; sed in applicatione aquæ ad hominem, quæ est ablutio. Ideoque melius definitur per ablutionem, quam per aquam.

Sed obijcies: nam si maior D. Thomas est uera, nempe, *ibi perficitur sacramentum, ubi perficitur sanctificatio:* ex illa potest inferri, quod ablutio non est sacramentum, quia in ea non perficitur sanctificatio: ablutio enim non sanctificatur per Baptismum; sed homo, qui abluatur.

Respondet Caietanus, quod quia unum quodque est in aliquo secundum modum recipientis: ideo diuerso modo sanctificatur aqua, ac sanctificetur ablutio: cum aqua sit res permanens, si in illa perficeretur sanctificatio sequeretur, quod aqua esset sacra, quia pro se permanenter sanctificaretur. Cum uero ablutio sit transiens, & non sit in se ipsa, sed in abluto: ideo sanctificatur ut ablutus sanctificetur per ipsam deferentem sanctificationem in ablutum; & ideo perficitur sanctificatio in termino inclusio in ablutione: quia non aqua, sed ablutio fluit, & transit. Eodem modo respondet Ruiz art. 1. dub. 2.

Melius respondent Cabrera art. 1. nu. 13. Serra §. Non esse uero. Auerſa sect. 3. paulo post initium, & alij, quod sicut sanitas est formaliter in animali tamquam in subiecto; in medicina uero tamquam in causa: ita sanctificatio est formaliter in homine baptizato, in quo tamquam in subiecto suscipitur sanitas: in ablutione uero est sanctificatio; non tamquam in subiecto cui sanitas insit: sed tamquam in causa proxima instrumentaliter sanctificante. Et quia proxime eleuatur ablutio, quam aqua: siquidem hoc sacramentum consistit in actione transiente, quæ est applicatio, & motus aquæ ad hominem sanctificandum: ideo melius definitur per ablutionem, quæ est materia proxima, quæ per aquam, quæ est materia remota.

Quod docuit S. Thomas in 4. dist. 3. q. 1. art. 1. q. 1. ad 2. dicens, quod sacramentum nouæ legis est signum, & causa gratiæ, unde secundum hoc est sacramentum, secundum quod habet significare, & causare: *Aqua autem non habet significare, & causare effectum Baptismi, nisi secundum quod est abluens.* Unde essentialiter Baptismus est ipsa ablutio: quia ad ablutionem interiorem causandam institutus est; quam signando causat ipsa exterior ablutio. *Sed aqua est materia eius remota; & ablutio ipsa est materiale Baptismi; sed uerbum uirtus*

est forma completiua sacramenti. Augustinus autem tract. 15. in Ioan. & Magister diffiniunt Baptismum *per materiam proximam;* quæ prædicatur proprie de Baptismo; sicut materia de artificialibus, ut phiala est argentum: sed Hugo diffiniuit per materiam remotam; quæ non ita proprie prædicatur, nisi per causam remotam. Hæc S. Thomas; Et ibi post articulum 5. in expositione textus ait. *Sciendum est; quod Baptizare in Græco; idem est, quod lauare; à lauando enim duo dicuntur; scilicet lauacrum; quod significat aquam in qua fit lotio humano artificio præparatam; alio modo lotio, quæ significat uisum lauacri.* Baptismus ergo potest significare ipsam aquam, quæ dicitur lauacrum: Unde dicitur ad Titum 2. *Per lauacrum regenerationis;* & c. Et potest significare ipsam ablutionem. Marci 7. *Tenentes baptismata hominum;* & calicum; & uinceorum, id est; ablutiones. Et ideo Hugo de S. Vic. lib. 1. de sac. parte 9. cap. 2. diffiniuit Baptismum per aquam quantum ad primam acceptionem; Magister uero per ablutionem quantum ad secundam. *Sed hæc diffinitio est magis propria; quia aqua non significat mundationem; neque causat; nisi secundum quod est abluens.* Hæc ibi.

§. II.

Utrum supponat pro ablutione?

Secundo obijcies: nam ablutio est pars sacramenti Baptismi: siquidem sacramenta consistant rebus, & uerbis: & S. Aug. tract. 80. in Ioannem dicit: *Accedit uerbum ad elementum; & fit sacramentum;* unde integrum sacramentum est compositum ex ablutione, & prolatione uerborum. Sed pars non prædicatur de toto; neque in physicis, neque in artificialibus: neque enim dicimus, quod homo est corpus: neque quod domus est fundamentum; uero neque Baptismus est ablutio.

Hoc argumento conuincitur Marcellus in 4. q. 3. art. 1. conc. 2. ut dicat in proprietate loquutionem hanc fore negandam: Baptismus est ablutio. Scotus etiam in 4. dist. 3. q. 1. licet utramque partem probabilem exitimet: Tamen probabilius exitimat, quod Baptismus supponit pro toto aggregato ex aqua, ablutione, & uerbis.

Suarez etiam in commentario art. 1. & Vazquez disp. 140. cap. 1. n. 8. Auerſa sect. 3. & alij dicunt, uerum quidem esse, in rigore, & proprietate sermonis, & seculi figura, qua per Synedochem, pars sumitur pro toto Baptismum non posse dici ablutionem,

ut argumentum probat: sicut non potest dici, quod Baptismus sit hæc uerba: *Ego te baptizo;* quia sicut non est una pars; ita neque altera; sed compositum ex utraque. Neque D. Thomas, aut Magister aliter sunt loquuti; non enim dicunt, Baptismum simpliciter esse se ablutionem; sed esse ablutionem sub præscripta forma uerborum; quibus uerbis significare uoluerunt, Baptismum esse quid constitutum ex ablutione, & uerbis.

Ceterum S. Thomas in 4. dist. 3. q. 1. art. 1. q. 1. ad 2. respondet; quod *Baptismus in quantum est sacramentum, est in genere signi, uel causæ; & in hoc genere constituitur per formam uerborum, à qua habet significationem, & efficaciam sacramentalem; sicut autem artificialia non ponuntur in genere ex forma simpliciter, sed ex materia (non enim dicimus; quod domus sit in genere qualitatis, nisi in quantum artificiale figuratum; sed dicitur esse in genere substantiæ) ita etiam est de sacramentis: Baptismus enim simpliciter est in genere ablutionis; sed secundum quid, scilicet in quantum est sacramentum, est in genere relationis.* Hæc S. Thomas. ¶ Qui in corpore dixerat. Et sciendum quod S. Augustinus tract. 15. in Ioan. ponit eandem diffinitionem, quamuis sub alijs uerbis: dicit enim. *Baptismus est tinctio in aqua, uerbo uirtus sanctificata;*

Eodem modo respondent ibi Ricardus art. 1. q. 1. ad 2. & Soto art. 1. ad 3. dicens, quod contra oppositum tenuera, & Theologia, & Philologia una uoce reclamant: nam Baptismus non est uelut compositum in genere substantiæ; sed sicut res artificialis, cuius tota substantia est ipsa materia. Statua enim non supponit pro aggregato ex ære, & forma, ueluti homo pro corpore, & anima; sed pro ære habente talem formam: sicut album non est compositum ex papyro, & albedine; sed corpus habens albedinem. Similiter Baptismus est ablutio, & ideo supponit pro ablutione, connotando fieri sub tali forma: & in ablutione, quatenus sub illis sit uerbis, est relatio sacramenti forma. Pariter respondent Nuño ad 2. & Serra ad 1. quod in entibus artificialibus materia de toto prædicatur, eo quod est nobilior, poniturque ad modum substantiæ. Tenereque Alexandrum Alentem 4. p. q. 12. & omnes Thomistas, refert, & sequitur Cabrera art. 1. n. 9. quia Baptismus est terminus connotatiuus, qui non supponit pro aggregato ex subiecto, & forma, sed pro solo subiecto, & materia: & connotatiua, & artificialia supponunt pro materia, quatenus subest formæ.

Sed instat Suarez, nam in omnibus sacramentis, præsertim in his, quæ in usu consistunt,

sistunt, materia, & forma sunt partes essentielles componentes sacramentum. Ergo Baptismus essentialiter constat ex ablutione, & verbis, quæ licet inter se sint quasi materia, & forma; tamen istæ partes comparatæ ad relationem signi, totum illud compositum est subiectum eius: & ita comparatur ad illam quasi materiale ad formale. In quo, tanto habent verba potiores partes, quanto expressius significant.

Deinde, quando res artificialis diffinitur per materiam loco generis; non pars materia, sed tota materia, quæ subest propriæ formæ artificiali, constituenda est loco generis, ut possit de re artificiali prædicari: ut non dicitur domus esse fundamentum, aut lignum; sed dicitur esse hæc omnia sub tali figura. In sacramento autem propria forma quasi artificialis est significatio, cuius integra materia est compositum ex ablutione, & verbis: atque hoc sensu ablutio est pars materia. Ergo in nullo sensu potest vere dici, quod Baptismus sit ablutio.

12 Respondet Ruiz toto dubio i. quod in compositis accidentalibus ex compositione non resultat aliqua vna natura posita in vno genere: neque forma dat esse simpliciter, sed solum secundum quid. Et in compositione significatur principaliter, & in recto materia, & in obliquo forma. Quamuis autem ablutio non sit tota materia quasi metaphysica, est tamen tota materia in compositione physica: quia nulla alia materia reperitur nisi ablutio; sicut non est alia forma physica, nisi verba. Quia igitur compositum physicum, utpote notius quoad nos, diffinitur per materiam; ideo bene diffinitur Baptismus per ablutionem in recto, & per verba ut ablutionem determinantia.

13 Nos explicatius ex dictis q. 60. dub. 10. & 11. fatemur, quod si loquamur de directo significato Baptismi, essentialiter, & directe significat compositum ex ablutione, & verbis ut substantiam ultimæ formæ. Vnde D. Thomas in 4. Sent. dist. 3. art. 1. q. 1. in corpore, ut exponat hæc Baptismi diffinitionem, præmittit, quod diffinitio materialis eius erit, quæ comprehendit materiam, & formam eius, & efficientem. Quod adaptat ad intentum asserens. Et sic diffinitio, quam Magister in littera ponit, est materialis. Continet enim materiam, in hoc quod dicitur: ablutio exterior: & innuit efficientem, in hoc quod dicitur: facta: Et ponit formam in hoc quod dicitur: sub forma verborum, &c. Et S. August. tract. 18. in Ioan. similiter dixit. Quid est Baptismus? Est lavacrum aquæ in verbo: tolle aquam, non est Baptismus: tolle verbum, non est Baptif-

mus. Ergo loquendo de essentiali significato Baptismi, & diffinitionis eius, importantur, & significantur directe materia, & forma, quæ sunt eius partes essentielles physice intrinsecæ, & efficiens est causa extrinsecæ. Loquendo vero de illo pro quo supponit, omnia hucusque adducta ostendunt supponere pro ablutione ut determinata per verba, ut latius loco citato loquendo de omnibus sacramentis.

§. III.

Verum ablutio sit actio, vel passio, vel utrumque?

14 Tertia difficultas est: nam omnia sacramenta, præter Eucharistiã, quod est sacramentum permanens, consistunt in actione: sed ablutio non est actio, sed potius passio baptizati: ergo Baptismus non est essentialiter ablutio.

15 Respondet Suarez disp. 20. sec. 2. ad rem Theologicam difficultatem esse parvum momenti, & utilitatis. Si tamen physicè velimus rem perpendere, dicendum est in rigore nullam physicam passionem requiri in corpore baptizati, ut fiat ablutio ad Baptismum necessaria: quia nec est necessaria emundatio corporalis; nec alteratio, quæ est per accidens ad ablutionem: neque est necessaria motio corporis baptizati. Contactus autem aquæ nullam passionem dicitur receptam in corpore; sed solâ denominationem extrinsecam, vel relationem. Non ergo ablutio dicitur, aut includit passionem: sed consistit in contactu successivo cum motu locali aquæ per corpus, vel corporis subintrantis aquam. Potestque probari: nam prolatio verborum prout est actio à proferente constituit sacramentum: ergo similiter ablutio. Juxta hoc Tannerus 10. 4. disp. 4. q. 1. dub. 2. n. 44. infert valere Baptismum ex niue, aut glacie, si in aquam resoluitur in manibus baptizantis, antequam applicetur corpori eius, qui baptizatus est: non tamen si resoluantur post applicationem: quia tunc esset ablutio passiva tantum.

16 Per oppositum Scotus in 4. dist. 6. q. 2. §. Respondeo plures. Vers. Ex isto videtur. Et Soto dist. 3. q. vniea art. 1. §. Ex quo fit, docet, quod Baptismus potius est ablutio, quatenus passio recepta in homine, qui abluatur: quando quidem in ipso recipitur sacramentum. Sunt enim sacramenta cæremoniæ illæ, quibus iustificatur: atque ad eas actiones quatenus in nobis recipiuntur. Vnde si quis simul eadem aquæ aspersione plures baptiza-

baptizaret, tot multiplicarentur baptismata, quot essent homines illa recipientes.

Idem docent Nuño art. 4. notab. ultimo, & Serra art. 1. & art. 3. Villalobos tract. 3. dist. 1. n. 2. nam certum est Baptismum; ac per consequens materiam eius proximam, pro qua supponit, & per quam diffinitur, esse in baptizato: sed non est certum actionem abluendi esse in baptizato; cum probabilis opinio sit actionem, etiam transcurrentem, non esse in passio, sed in agente: ergo, &c. Confirmatur: nam ablutio, quæ est materia proxima Baptismi, non baptizantem, sed baptizatam denominat: ergo cum actio, etiam si sit in passio, non denominat formaliter passum, sed agentem; ablutio ut materia proxima Baptismi non consistit in actione, sed in passione. Ut actio vero solum erit causa talis materiae, & Baptismi, sicut & minister, cuius est actio: & hoc indicant verba illa: *Ego te baptizo.* Addit Valentia puncto 1. prope finem, hoc esse extra controversiam, quia constat ablutionem habere rationem sacramenti, quatenus in baptizato recipitur. Ideo quæ contra Suarez notat Nuño, impossibile esse, quod sit contactus physicus, & quod non sit vera actio, & vera passio: ipsum namque tangere, est agere; & ipsum tangi, est pati. Vnde, qui tangitur, semper recipit, aliquam entitatem, vel aliquem modum rei, ratione cuius vere patitur: aliàs non realiter, sed tantum intentionaliter pateretur.

17 Deinde Ricardus in 4. dist. 3. art. 1. q. 2. & Vazquez disp. 141. cap. 2. n. 14. & dicit probabilis Cabrera art. 1. n. 12. & Granada tract. 1. dist. 4. n. 1. Coninch art. 3. dub. 2. Abra. disp. 2. sec. 1. q. 3. art. 1. Aversa q. 66. sec. 3. & alij dicunt, ablutionem, ut actio abluendi est, atque baptizatum denominat, esse sacramentum Baptismi; eo quod ablutio eatenus materia censeri debet (ait Vazquez) quatenus verbis formæ denotatur: verba autem formæ denotant illam, prout actionem: sic enim ait minister: *Ego te baptizo.* Tum etiam denotare illam possunt, prout passio denominantem baptizatam: sic enim significat forma illa Græcorum: *Baptizetur servus Christi.* Ergo utrumque ad rationem sacramenti pertinet. Idem probat Cabrera: nam ablutio in hac diffinitione sumitur pro motu, quatenus includit, & actionem, & passionem: Et baptizo utrumque significat: ergo Baptismus principaliter importat motum, pro illoque supponit, cum respectu ad actionem, & passionem.

18 Aversa id probat, quia pariter de necessitate Baptismi est, ut aliquis abluatur, &

aliquis abluatur: ergo pariter penes utrumque respectum dici debet abluendo esse de ratione Baptismi. Et adhuc si magis formaliter loqui velimus, sacramentum ipsum potest sic considerari dupliciter: & quatenus suscipitur, & quatenus conficitur. Sacramentum ergo quatenus suscipitur, directe dicitur ablutionem prout receptam in baptizato: quatenus conficitur directe dicitur ablutionem prout receptam in baptizante. Addit quod quoad praxim valeret adhuc Baptismus, si niix, aut glacies per applicationem ad corpore baptizandi resolueretur in aquam, dummodo rite coniungeretur prolatio formæ: quia ipse minister applicando niuem, aut glaciem, in suo modo active ablueret: & sic non desisset ablutio etiam activa.

19 Mihi ex his sententijs prima videtur falsa: & secunda omnino vera in rigore Theologicæ, quia loquitur de constitutio in intrinseco sacramenti. Quia tamen tertia loquitur de essentialiter requisitis, siue intrinsecè per modum materiae, & formæ, siue extrinsecè per modum efficientis; sicut S. Thomas exposuit in diffinitione materiali esse mentionem de materia, & forma, & de causa efficiente; ideo, quia passio non potest esse sine actione, nec sacramentum sine actione ministerii: Ideo verum est ablutionem essentialiter importare actionem, & passionem, ut dicit tertia sententia. Sed hoc non negat secunda; sed solum recte advertit, quod sicut intentio requiritur essentialiter, & tamen non est pars intrinseca sacramenti, sed dirigens causam efficientem extrinsecam; ita ablutio, ut actio, essentialiter requiritur ut conficiatur sacramentum: quod tamen in intrinsecè non componitur ex ablutione, nisi ut sit motus passioe receptus in eo, qui baptizatur.

§. IV.

De alijs diffinitionibus.

20 Quarta difficultas est: nam diffinitio debet conuenire cum diffinito: sed potest esse ablutio corporis exterior facta sub præscripta verborum forma, & tamen non erit Baptismus: sicut si quis se ipsum baptizaret, aut certe alium; sed tamen vel inuitum, vel iam baptizatum, vel sine legitima intentione: aut si baptizaret aqua rosacea, vel humore, aut vino, aut oleo: Ergo hæc non est competens Baptismi diffinitio.

21 Propter huiusmodi argutias Scotus in 4. dist. 3. q. 1. lit. e. docet Baptismum sic

sic posse diffiniri. *Baptismus est sacramentum ablutionis animæ à peccato, consistens in ablutione hominis aliquo modo consentiens, facta in aqua, ab alio ablutente; & in verbis certis similiter ab eodem ablutente, cum debita intentione prolatis.* Et Gabriel addit, quod sit *ablutio hominis, viatoris, facta in aqua elementari, fluida, ab alio, cum legitima intentione, &c.* Quos ex parte sequitur Nauarrus in Manuali cap. 23. n. 3. diffiniens Baptismum, quod est *sacramentum aque naturalis, quæ vnus ab alio, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, cum debita intentione, abluuntur.*

22 Merito tamen reijcit Soto in 4. dist. 1. q. 1. art. 2. §. Igitur. Et dist. 3. q. vnica artic. 1. ad 6. ita dicens. Huiusmodi autem comatas diffinitiones, iam diximus esse à Peripa teticis diffinendi arte alienas, quippe quæ *suffar cin ationes* potius existunt vniuersorum, de quibus agillatim disputandum est, quam diffinitiones, quæ communes debent esse animi conceptiones; atque adeò nihil dubie ratis continetes. Enimvero vtrum quis possit se ipsum baptizare, aut si requiritur consensus positus baptizari, & similia, in disputationem postmodum sunt proferenda. Præterquamquod Gabriel plurima in definitione inculcat non necessaria: quia clarum est in patria non futura sacramenta. Et quæ non est elementaris, & fluida non est aqua.

23 Dupliciter ergo idem Soto ad argumentum responderi primo, quod in definitione intelligitur genus, quod est *sacramenti*: in casibus autem argumenti, non est sacramentum: atque adeò nec Baptismus. Secundo responderi, quod formam falsò profert, qui se ipsum baptizat: & qui baptizat in aqua, quæ non sit vera aqua: nam illa non est ablutio: & qui sine legitima intentione baptizat: quoniam verba debent esse cõceptu signa, vt ait Philosophus lib. 1. Perih. & qui inuitum, vel iam baptizatum baptizat: siquidem accusatiuus, re, non solum alium significat à baptizante; verum illum præcise, qui legitima est materia Baptismi.

24 Quod si sub alia forma quis velit Baptismum diffinire, præter diffinitiones S. Donyij 2. cap. cælel. hierarchiæ, & Hugonis de S. Victore lib. 2. de Sacramentis parte 6. cap. 2. initio, quas latè exponit D. Thomas in 4. dist. 3. q. 1. art. 1. quæstiuicula secunda, & tertia, duas alias exacte tradit Soto in 4. dist. 3. in textu cap. 1. & art. 1. §. At vero Baptismus est sacramentum regenerationis ex aqua, & Spiritu Sancto. Vel, est ablutio aquæ in verbo vite ab originali culpa. Quæ colliguntur ex Scriptura Ioan. 3. & ad Ephes. 5. & ex S. Au-

gust. trac. 15. & 20. in Ioannem. Ideoque in Catechismo Pij dicitur *Baptismus, rectè, & apposite diffiniri, esse sacramentum regenerationis per aquam in verbo.* Quam & frequenter acceptant iam omnes Theologi: quia in ea explicatur genus, & potissima differentia: quia vt ait S. Thom. in 4. illo art. 1. q. 1. diffinitio formalis declarat rei finem: & hoc præcipue accidit in instrumentis; quia in eis quæ si tota ratio speciei à fine sumitur. Et ad 4. ait, quod finis ad quem est sacramentum, est vltimum formale ipsius; à quo sumitur formalis diffinitio. Hoc autem rectè explanat prædicra diffinitio: vnde ibi subditur. *Natura enim ex Adam filij iræ nascimur; per Baptismum vero in Christo Filij misericordie renascimur: siquidem dedit hominibus potestatem filios Dei fieri, ijs, qui credunt in nomine eius; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, vt dicitur Ioan. 1.*

25 Quamuis autem quandoque Baptismus sit validus, & defectu dispositionis, recipiens non iustificetur, neque renascatur vt filius Dei per gratiam tamen sacramentum de se illam confert: & hoc est quod in definitione exprimitur. Vnde D. Thomas in 4. quæstiuicula 2. ad 4. ait, quod idem numero quandoque est effectus alicuius, & finis: sicut sanitas est effectus, & finis medicantis: sed effectus secundum quod producit per actum medici, finis autem secundum quod est intentum à medico. *Medicus autem potest impediri à productione sanitatis, sed nõ ab intentione: & ideo sanitas potest poni in diffinitione vt est finis, non autem vt est effectus: & similiter dilu- rio criminum in diffinitione sacramenti. Pariterque regeneratio, quæ fit per gratiam, & inchoatio nouæ vitæ spiritualis ponitur in diffinitione Baptismi, quia ad hunc finem ordinatur: & hoc de se præstat, ablutione aquæ quæ est materia proxima, & verbis formæ à Christo institutis, & eleuatis.*

DVBIVM II.

Quando Baptismus fuerit institutus?

§. I.

Fuit institutus ante passionem.

1 **C**hristum Dominum sacramentum Baptismi instituisse, omnes Catholici credunt: Imò, vt notat Vazquez cap. 2. disp. 140. n. 9. nemo etiam hereticus, qui fidem habuit Euangelio, & aliqua admittit sacramenta,

menta; hucusque negauit. Ideoque neque D. Thomas, nec Concilium Tridentinum specialiter de hoc agunt; præter id quod ex illis dictum est de omnibus sacramentis. De tempore autem institutionis est inter Catholicos differentia.

2 Multi dicunt non fuisse institutum ante Resurrectionem. In primis Tertulianus libro de Baptismo cap. 12. asserit Apostolos ante mortem Christi Domini non baptizasse, nisi Baptismo Ioannis. S. Ioannes Chritostomus hom. 28. in Ioannem, docet Apostolos non baptizasse Baptismo Christi: quia tunc non conferebat gratiam; neque Spiritum Sanctum: quia vt dicitur Ioannis 7. *non dum erat Spiritus datus, cum Iesus non esset glorificatus.* Præterea S. Leo Papa in Epist. 4. cap. 3. & est ad Episcopos Siciliae, & refertur can. Proprie. Et can. si quis. De Consec. dist. 4. sic ait. *Dominus Iesus Christus postea quam resurrexit, discipulis suis formam, & potestatem tradidit baptizandi; de quo viique eos ante passionem potuisset instruere, nisi proprie voluisset intellegere, regenerationis gratiam ex sua regeneratione cepisse.* Idem docent Rupertus lib. 4. in cap. 3. Ioan. & ibi Theophilatus. Sententiæque esse probabilem, & nullo modo ab Ecclesia damnatam, docet Cano lib. 8. de locis cap. 5. §. Quare, si longiore. Videturque docuisse Beatus Albertus Magnus in 4. dist. 3. & Art. 4. p. q. 8. membro 2. artic. 3.

3 Præterea D. Thomas in 4. dist. 3. q. 1. art. 5. q. 2. ait, quod *multiplex fuit Baptismi institutio. Fuit enim primo institutus quantum ad materiam in Baptismo Christi. Quæ videtur solum institutio secundum quid.* Vnde postea dist. 8. q. 1. art. 3. q. 3. ad 2. ait, quod *Baptismus etiam ante passionem institutus est quantum ad aliquid, vt supra dictum est: nempe dist. 3. q. 1. art. 5. q. 2.* Quod pariter ad idem intentum docet hac 3. p. q. 73. art. 5. ad 4. dicens, quod *institutio responderi ordini intentionis. Sacramentum autè Euchariæ, quamuis sit posterius Baptismo in perceptione, est tamen prius in intentione. Et ideo debuit prius institui.*

4 Ratio præcipua est: nam causa præcedit effectum. Sed passio Christi operatur in sacramentis nouæ legis. Ergo passio Christi præcedit institutionem sacramentorum nouæ legis. Et præcipue institutionem Baptismi, cum Apostolus dicat ad Rom. 6. *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, &c.*

Deinde non est simpliciter sacramentum institutum, quando non est instituta forma eius, quia sine illa non est essentialiter totum sacramentum; cum forma det speciem rei.

Sed ante resurrectionem Christi nusquam legitur à Christo instituta; neque in vsu posita explicita invocatio Trinitatis, quæ est forma sacramenti: ergo dicendum, quod simpliciter, & complete, & formaliter hoc sacramentum non fuerit institutum vsque dum Christus Mathæi vltimo dixit discipulis: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

5 Dico primo, Baptismus est à Christo institutus ante suam passionem. Ita D. Augustinus. trac. 5. in Ioannem, ante finem; & trac. 13. ad illa verba: *Post hæc venit Iesus.* Et trac. 15. non longe a principio. Et tom. 7. libro de origine animæ cap. 9. & tom. 2. Epist. 108. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioannem cap. 57. Hugo de S. Victore libro 2. de Sacramentis parte 6. cap. 4. Item Magister in 4. dist. 3. & ibi S. Thomas, & S. Bonaventura; & communiter antiqui Scholastici S. Thomas hic artic. 2. & ibi Commentatores omnes. Item Catechismus Pij Quinti titulo de Baptismo.

6 Probatumque primo ex Euangelio Ioan. 3. ver. 22. vbi dicitur. *Post hæc venit Iesus, & discipuli eius in Iudæam terram, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat: Erat autè, & Ioannes baptizans in Æon, iuxta Salim.* Ex quibus constat Baptismum illum Christi fuisse distinctum à Baptismo Ioannis: vnde inter vtriusque discipulos orta fuit quæstio de comparatione Baptismatum vtriusque; ideoque ver. 25. subditur. *Facta est autem quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de Purificatione. Et venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti; ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Quibus verbis, vt exponunt D. Thomas, Caietanus, & alij, discipuli Ioannis inuidiam, & indignationem suam manifestant quasi ferendum non esset Baptismum Christi anteponi Baptismo Ioannis. Idemque constat ex Ioan. 4. ver. 1. vbi dicitur. *Vt ergo cognouit Iesus: quia audierunt Pharisei, quod Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quam Ioannes (quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius) Discipulos enim tunc baptizasse, non Baptismo Ioannis, sed Baptismo Christi, plane docet S. Augustinus illa epist. 108. exponens hæc verba Ioannis 4. & dicens. *Vtrumque de Domino dictum est, & quia baptizabat plures, quam Ioannes, & quia ipse non baptizabat, sed discipuli eius, vt intelligeremus, & ipsum quidem baptizasse presentia maiestatis, non tamen ipsum baptizasse manibus suis: ipse enim erat Baptismi sacramentum; ad discipulos autem baptizandi ministerium pertinebat.* Deinde id probat*

bat Soto in 4. dist. 3. q. vnica art. 2. §. *Enimue*. Quonia cum ipse non baptizaret, sed discipuli eius; si illud esset Baptisma Ioannis, potius Ioannes, quam Christus diceretur baptizare. Et §. *His verumtamen*, docet esse sententiam S. Augustini, & S. Bedæ, & Glossæ, & communem omnium opinionem, quæ ex Euangelio colligitur: & neutquam aliud defendi posse, quam quod Apostoli ante passionem baptizarent Baptismo Christi.

7 Imo nonnulli Patres affirmant ipsum Christum Dominum aliquos suis manibus baptizasse. Nam Enochus Episcopus Antiochenus in epistola, quam *Lumen* inscripsit, apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. ait. *Christus manibus suis Petrum tantummodo baptizauit, Petrus vero Andream, & filios Zebedæi. Clemens apud Sophronium in Prato spirituali c. 76. inquit. Christus dicitur Petrum solum baptizasse, Petrus Andream, Iacobum, & Ioannem. Ad dem Euthimius Ioan. 3. Scribunt Apostolorum temporibus proximi, quod Christus Petrum, ac Virginem Matrem baptizauerit. S. Vincentius Ferrerius ser. Feriæ 6. post: *Iudicat* ait. *Ioannes Baptista, & Virgo Maria voluerunt baptizari Christo.* Videatur verba S. Augustini epist. 108. ad Seleucianum, & authoris Imperfecti hom. 4. in Martham, quæ refert D. Thomas 3. p. q. 38. art. 6. ad 2. & 3. quibus confirmatur, quod Christus Ioannem baptizauit. Quod & docet S. Gregorius Nazianzenus orati. in sancta lunina. Imò omnes Apostolos à Christo baptizatos asserit S. August. illa epist. 108. & de origine animæ cap. 9. ait forte bonum latronem fuisse baptismo Christi baptizatum antequam crucifigeretur. Fortasse etiam colligi Apostolos fuisse baptizatos ex illis verbis Christi Domini Ioannis 13. *Qui locus est, non indiget, nisi ut pedes lauet. Que vera non essent, si ante Christi mortem, Christi Baptismus non fuisset institutus.**

8 Scio S. Chrysostomum hom. 28. in Ioannem. Rupertum lib. 4. in Ioan. Theophili. Caiet & alios plures Ioan. 3. & 4. docere, Christum numquam per se ipsum baptizasse: quia Ioannis 4. dicitur. *Quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius.* Ideo autem non baptizabat, quia excellentius ministerium erat prædicare: iuxta illud 1. Cor. 1. *Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare.* Et ut ait D. Thomas Ioannis 4. lec. 1. lit. b. *Per hoc autem quod Christus non semper baptizauit, dat nobis exemplum, quod maiores Ecclesiarum prælati, in his quæ per alios fieri possunt, non occupentur, sed ea minoribus facienda relinquunt.* Illud verbum D. Thomæ: *Non semper* satis indicat responsionem Maldonati Ioan-

nis 3. & Vazquez hic disp. 140. cap. 5. in fine, quod non fuerit solitus Christus per se baptizare, hoc est, non frequenter: licet aliquando immediate per se ipsum baptizauerit: ut docet etiam Soto, Nuño, & Serra, & Ruiz ibi dub. 1. Toletus, & Henriquez, quos refert, & sequitur Granados tract. 1. disp. 2. num. 5.

9 Solum quis posset Scripturæ, & Patrum autoritates subterfugere, dicendo ex illis constare Christum per se, vel per discipulos suos baptizasse: & ideo inde haberi institutam materiam, & remotam, & proximam Baptismi. Imò inde colligi habuissimam regenerandi, & conferendi Spiritum Sanctum, ut tunc verificetur, quod prædixerat Ioannes cap. 1. vers. 33. *Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Per hoc autem non videtur adhuc ante Resurrectionem completè, & essentialiter nostrum Baptisma esse institutum: quia deerat illi forma, quæ numquam legitur reuelata, aut instituta ante Resurrectionem. Quare numquam videntur Apostoli antea illa fuisse vli.

10 Respondet egregie M. Soto in 4. dist. 3. q. vn. ar. 2. ad quartum de forma, qua tunc temporis utebantur Apostoli, nulla est in Euangelio scripta memoria. Neque vero tenuem egomet mihi coniecturam fecerim, quod forte tunc baptizarent in nomine Christi, de qua forma dicturi sumus art. 6. Et coniectura mea est, quod cum Ioannes, ut Actorum 10. legitur, baptizaret dicens, *ut in eum, qui venturus esset post ipsum, crederent*: forsitan docuit illos Christus baptizare in nomine suo ipsius, ut se illum ostenderet; de quo loquebatur Ioannes. Atque hac fortasse ratione acriori inuidia remordebantur discipuli Ioannis; ideoque missi sunt ab illo sciscitatum à Christo, an esset ille, qui venturus erat. Ac proinde forsitan (ut ait Leo) primum data est forma baptizandi in nomine Patris Mathæi 28. postquam Christus resurrexit.

11 Magister vero Sententiarum in 4. dist. 3. ait, quod illam formam illis tradiderat ante passionem. Quod forte est probabilis, ut pote quo videtur D. Thomas alludere hic inferius in calce art. 6. Nec desunt rationes. Prima, quod Ioanni reuelatum fuerat eum baptizaturum in Spiritu Sancto. Secunda, quod illic tora, ut diximus, comparuit Trinitas. Tertia, quod si Christus, ut illic dicimus, quem piam Apostolorum baptizauit, non est credendum dixisse, baptizo-

re in nomine meo, sed in nomine Patris, &c. Hæc vltima responsio est communis, & vera: & expressa D. Tho. in 4. dist. 3. q. 1. art. 5. q. 2. in fine, vbi ait. *Tamen sciendum, quod Mathæi vltimo non fuit forma instituta, cum ante passionem in eadem forma baptizauerint, sicut in littera dicitur; sed fuit iterata.*

12 Tertiam rationem conclusionis indicat D. Thomas in 4. dist. 8. q. 1. art. 3. q. 3. ad 2. dicens: *Eucharistia est quodammodo vniuersum Baptismi, quia per Baptismum aliquis consecratur ad Eucharistia perceptionem; sicut per ordinem ad eius consecrationem.* Et 3. p. q. 73. art. 5. ad 4. in 2. sol. formatur ergo sic. Ex institutione Christi Domini Baptismus est ianua cæterorum Sacramentorum: Neque valet recipere Eucharistiam, aut Sacramentum Ordinis, qui baptizatus non est. Sed Apostoli ante Christi Domini passionem receperunt sacramentum Eucharistia, ut constat ex Euangelio Mathæi 26. & Marci 14. vers. 23. & *bibebunt ex illo omnes.* Et Lucæ 22. vers. 17. *Accipite, & dividite inter vos.* Fueruntque ordinati sacerdotes, ut docet Concilium Tridentinum ses. 21. cap. 1. in vltima cœna, cum Christus eis dixit Lucæ 22. vers. 19. *Hoc facite in meam commemorationem:* Ergo prius erant baptizati: ac proinde prius institutum fuerat sacramentum Baptismi Christi, quod fuerunt baptizati. Neque vllum est fundamentum ut dicatur in hoc dispensasse Christum Dominum cum Apostolis; cum nulla sit ratio ad id asserendum, & ad limitandam, vel relaxandam communem legem.

§. II.

Quando Christus fuit baptizatus.

13 Sed tamen certum sit ante passionem institutum hoc sacramentum, non tamen ita perspicue constat quando; & ideo id nunc sequitur determinandum. Valentia q. 1. de Baptismo puncto 4. cenet non esse improbabile, fuisse tunc institutum, quando Christus dixit Nicodemo Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

14 Scotus tamen in 4. dist. 3. q. 4. §. *Ista quæstio*, docet quod non est verisimile tam necessarium sacramentum in conclauis coram persona priuata institui: quæ non debuit esse præco institutionis illius. Nec etiam fuit institutum quando Christus baptizatus fuit à Ioanne: quia ille non fuit Baptismus Christi, id est, in forma Christi, sed in forma Ioannis. Tamen Christus dedicauit tunc aquam tantquam materiam idoneam suo Baptismo

ex contractu sue mundissimæ carnis. Cum autem discipuli Christi ante passionem baptizarent Baptismo Christi, conuincitur tempus institutionis fuisse ante illud tempus, quod discipuli Christi baptizabant: licet præcise hora institutionis non legatur in Euangelio. Idem docet Gabriel q. vnica art. 3. dub. vlt. 15. Pariter Suarez disp. 19. lec. 2. in fine, docet quod licet in Baptismo Christi fuerit materia, & forma, & effectus nostri Baptismi designatus, & quasi proxime instantis institutionis promissio: non tamen ex hoc potest inferri tunc fuisse institutum: quia non fuit impositio ceremoniæ exterioris ad conferendum effectum sacramenti: nec si Christus tunc voluntatem internam habuit, cum exterius manifestauit: atque de ea re stabilem legem statuit: quod requireretur ad rationem sacramenti visibilis, & sensibilis, quia est respectu Ecclesiæ visibilis. Idem sequuntur Cōinch art. 2. n. 14. Gaspar Hurtado disp. 1. diff. 13. & Auertia lec. 1. sine. dicit, quod non satis constat ex factis, & verbis Christi apud Iordanem, tunc præcise fuisse ab eo institutum sacramentum baptismi: quia id in Euangelio non narratur. Et verba illa Christi: *sine modo*, non persuadent, Christum immediate post baptizasse Ioannem: atque adeo instituisse, & contulisse suum Baptismum. At tamen ob autoritatem Theologorum, & Patrum, retineri potest, tunc quoque fuisse suum Baptismum institutum à Christo.

16 Dico secundo, Baptismus est institutus, quando Christus in Iordane fuit baptizatus. Ita Magister in 4. dist. 3. de institutione Baptismi dicens. *Commodius dicitur institutio facta, quando Christus à Ioanne baptizatus, &c. Tunc ergo innotato nomine Trinitatis institutus est Baptismus Christi, in quo Trinitas, cuius mysterium ibi innotuit, interius homines baptizat.* Sequitur ibi D. Tho. ar. 3. q. 2. & hac 3. p. q. 38. art. 6. ad 2. & 3. & q. 73. art. 5. ad 4. & clarius q. 66. ar. 2. dicens. *Sicut supra dictum est, sacramenta ex sui institutione habent, quod conferant gratiam. Unde tunc videtur aliquod sacramentum institui, quando accepit virtutem producendi suum effectum. Hæc autem virtutem accepit Baptismus, quando Christus est baptizatus. Unde tunc verè Baptismus institutus fuit, quantum ad ipsum sacramentum.* Quæ sequuntur Palud. Capreol. Sor. Martin. Ledet. in 4. Sent. Caiet. Nuño, Pet. Ledet. Seraphin. Ioan. à Cruce, Serra, Ruyz Cabrera, & Sylu. & omnes Thomistæ in præsentia. Vazquez disputat. 140. cap. 6. & alij quindecim Authores, quos refert, & sequitur Leander tract. 2. disp. 1. q. 4. & 5. & est aliorum communis.

17. Probat D. Thom. minorem suæ rationis (in qua erat tota difficultas) ex D. August. ser. 36. de tempore, qui est primus de Baptismo Christi, ubi ait. *Ex quo Christus aqua immersus, ex eo omnium peccata abluit aqua.* Et ibi comparat aquam Iordanis puritati B. Virginis, & eius fecunditati: *Quia filium genuit Mater, & casta est, & quia Christum unda lauit, & sancta est: nam sicut post partum glorificata est Maria castificatio; ita post Baptismum aqua est purificatio comprobata. Nisi quod penè maiori munere, quam Maria, unda dicitur est: illa enim sibi tantum meruit castitatem, ista nobis contulit sanctificationem: illa meruit ne peccaret; ista ut peccata purgaret: illa propria delicta à se repudiat; ista in se per Dei gratiam aliena cōdonat: illi est collata virginitas; isti donata fecunditas.* Similia dicit Author de mirabilibus sacrae Scripturae apud S. August. lib. 3. cap. 5. S. Hilarius cap. 2. Mathæi ad illa verba: *Tunc venit Iesus.* Ibi S. Hieronymus, & Dialogo contra Luciferianos n. 12. S. Beda Mathæi 3. & Marci. 1. & Lucæ 3. Tertulianus aduersus Iudæos cap. 8. nu. 79. S. Ambrosius lib. 2. in Lucam cap. ultimo, quod est de Iesu baptizato, parum à principio ait. *Baptizatus est ergo Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas, ut abluta per carnem Christi, quæ peccatū non cognouit, Baptizatus ius haberent.* S. Gregor. Nazianzenus oratione 38. & 39. post medium. Quem affert S. Thomas 3. p. q. 39. artic. 2. *Accedit Christus ad Baptismum Ioannis sanctificaturus Baptismum.* Et S. Damascenus lib. 4. de fide cap. 10.

18. Horum Patrum authoritatem non euadi solutione relata Suarez, probat Vazquez cap. 6. à num. 39. vsque 41. quia per solam destinationem aquarum in Baptismū, seu promissionem huius sacramenti, non rectè dicitur aquas fuisse sanctificatas, seu mūdatas, aut ius Baptismi induisse, sicut Patres citati dicunt: alioquin idem posset dici cū Ioannes Baptista prophetauit Mathæi 3. *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne.* Similiter dici posset Apostolos sanctificatos ad absoluendum, cum Dominus Mathæi 16. & 18. promisit eis se daturum claves: quod tamen est falsum, quia id non impleuit, nisi Ioan. 20. cum dixit: *Accipite Spiritum Sanctū, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Nec Petrus, aut alij Apostoli antea ius ad hoc habuerunt. Cum igitur Patres dicunt, aquas ius induisse Baptismi: & tactu Christi fuisse sanctificatas, loquuntur de iure propinquo, & de sanctificatione, quæ post cōpletam institutionem sacramenti cōuenit.

19. Sed dices, virtutem Baptismi, non

esse permanentem, sed transeuntem, vt docet D. Thomas hic artic. 1. & quæst. 62. art. 4. atque adeo est virtus consistens in vsu, & applicatione aquæ: ergo in Baptismo Christi nulla fuit aqua impressa qualitas: ergo falsum est quod in Baptismo Christi noster Baptismus acceperit virtutem producendi suum effectum.

Respondet Soto art. 2. §. Quod si arguas. Quod esto ita sit, nihilo feci⁹ tactus ille, quo aquam designauit in materiam Baptismi, dicitur quodammodo virtus: atque adeo factio ipso consecrauit ipsum vsu aquæ in illa effectum: factio in quā, non Ioannes baptizantis, sed suo proprio tangens aquam. Tamen D. Thomas non dicat factio solo sacramentum instituisse. Imò credendum est, illic explicuisse formam sui Baptismi, quia (vt ait Ioannes) multa fecit Iesus, quæ non sunt scripta in Euangelio. Quare tunc apparuit Trinitas; nempe vox Patris, persona Filij, & columba Spiritus Sancti: cuius quidē Trinitatis nomine consecratur Baptisma, apertique sunt Cœli, ad quod nos transmittit. Et quoniam datum fuerat Ioanni lignum, vt super quem videret columbam descendentem, ipse foret, qui baptizaturus erat in Spiritu Sancto, consequens fit, vt illic Christus formam sui Baptismi præscriberet. Hæc Soto.

20. Quod declarans Serra art. 2. cone. 2. ratione 2. aduertit virtutem producendi suū effectum, quam accipit sacramentum, quando instituitur, non esse physicam, & permanentem, nec aliquid distinctum ab ipsa institutione: solum enim est designatio, & consecratio materiae ad talem effectū, per illam, & non per aliam rem producendum. Quando autem D. Thomas docet virtutem sacramentorum esse morionem, & qualitatem transeuntem, loquitur de virtute, qua eleuatur in actu secundo: nam de virtute, qua sunt habilia in actu primo vt assumantur, sunt inter Thomistas opinionēs à nobis relatæ, & examinatæ q. 62. dub. 4. §. 1.

Opinionemque, quam ibi sequuti sumus, confirmat doctrina D. Thomæ hic art. 3 ad 4. docentis, quod virtus Christi derivata est ad omnem aquam, non propter continuitatem loci, sed propter similitudinem speciei. Ad quod affert verba D. August. ser. 36. qui est. 1. Dominice infra octau. Epiphania. Similitudo autem speciei non sufficit vt aliquid physicum omni aquæ imprimeretur. Vnde aqua in actu primo est assumptibilis sola institutione Christi, & similitudine exemplari, quia hæc aqua est similis illi, quam Christus tangendo sacra-

facrauit. Ideoque D. Thomas in 4. dist. 3. q. 1. a. 3. q. 3. ad 1. ait, quod Dominus tangendo illā aquam, dedit vim regeneratiuam in tota specie aquæ instituens eam instrumentum Baptismi.

21. Addit Serra in fine rationis quartæ, quod si quando Christus baptizatus est, non instituit Baptismum, Euangelistæ nō tacuissent tempus, in quo postea instituit. Præcipue, cum vt notat D. Thomas 3. p. q. 73. art. 5. ad 4. referatur Ioannis 3. quod aliqui ipso Christi Baptismo fuerunt baptizati. Et institutio discipulorum de ritu Baptismi, illum iam institutum supponit.

22. Confirmat etiam Vazquez n. 45. & 46. quia statim Christo baptizato, Ioannes etiam à Christo baptizatus est, Baptismo à Christo instituto, vt indicant S. Hieronim⁹, S. Chrisof. S. Greg. Naz. S. Thomas, & alij Patres. Et quamuis ex Partibus, à Maldonato adductis, contendat Vazquez id clare nō haberi; tamen cōtendit id ex Euangelio colligi ex illis verbis: *Sine modo: nam cum antea dixisset Ioannes Christo: Ego à te debeo baptizari; & tu venis ad me? Cum postea respondit Christus: Sine modo, &c. Non obscure indicauit se statim ipsum baptizaturum: modo autem permitte (inquit) me à te baptizari, quia sic expedit. Quod si Christus Ioannē baptizauit Baptismo corporeo, non est credendum in sola aqua ipsum baptizasse; sed in aqua, & Spiritu Sancto; sicut ipse Ioannes de Christo prædixerat. Igitur sacramentum Baptismi institutum erat. Hæc expositio est valde probabilis, quia ex Patribus traditur à D. Thoma Mathæi 3. ad illa verba: *Sine modo: ait namque. Et dicit: modo: quia secundum Chrysostomum, Ioannes post modum baptizatus est à Christo; non solum Baptismo fluminis, sed etiam aquæ. Vel sine modo: Hoc dicit, quia post modum baptizatus est Ioannes Baptismo Spiritus Sancti.* Quia tamen etiam duas alias expositiones ex Patribus adijcit Diuus Thomas; non posset, qui nostram conclusionem negaret, hoc solo testimonio conuinci.*

23. Ad authoritatem S. Leonis, & aliorum Patrum adductam nu. 2. contendit Vazquez disp. 140. cap. 2. nullam admittere expositionem. Et de S. Chrysostomo, & Tertuliano, idem dicit Granados disp. 2. nu. 9. adijciens, Sanctus vero Leo solum vult solemnem promulgationem præcepti Baptismi, & potestatem omnes omnino baptizandi factam fuisse Apostolis post resurrectionem; licet antea fuerit sacramentum institutum. Alij dicunt rem hanc non docuisse Sanctum Pontificem ex professo, sed solum obiter, & dum aliud ageret: ac proinde mirum

non esse si in hac re minus probetur eius sententia.

24. Melius respondet Soto art. 2. ad 4. dicens. Ad authoritatem autem Leonis respondetur, quod cum passio antequam esset exhibitā, nō potuisset esse causa efficiens gratiæ, sed solum finalis; & Baptismus non habuerit perfectam rationem sacramenti regenerationis vt cœli claustra refereret, nisi per passionem; ideo ait, quod illuc utque non fuit institutum sacramentum in sua plenaria potestate: ac subinde cum vi obligatoria. Ad quod etiam alludit illud 1. Petri: *Regenerauit nos in spem viuam per Resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.* Arque illud ad Ephes. 5. *Tradit semetipsum pro ea (scilicet, Ecclesia) mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Et ita plenaria potestas sacramentorum dicitur fluxisse de latere Christi in genere causæ efficientis. Hæc ibi. Quo etiam exponi possunt authoritates D. Thomæ.

25. Ad priorem rationem ibi obiectantem (quæ sola indiget solatione, cum securus iam sit responsum §. 1.) respondet D. Thomas hic art. 2. ad 1. quod etiam ante passionem Christi Baptismus habebat efficaciam à Christi passione, in quantum eam præfigurabat. Aliter tamen quam sacramenta veteris legis: nam illa erant figura tantum: Baptismus autem ab ipso Christo virtutem habebat institucandi, per cuius virtutem ipsa etiam passio saluificata fuit. Ex quo patet, quod in Baptismo ante mortem Christi ministrato, influebat humanitas Christi vt instrumentum coniunctum Diuinitatis influxu effectiuo instrumentali physico: sed tunc mors Christi solum influebat finaliter.

26. Addit Soto ad 1. quod tunc viuenti Christo, passio quodammodo erat inchoata; tota enim eius vita fuit nobis meritoria. Quare cum per Baptismum illa merita applicarentur, erat quoddam instrumentum passionis. Tamen ianuam cœli nequaquam aperiebat: hoc enim non habuit quouisqne Christus resurrexit à mortuis.

27. Rursum addit Cabrera art. 2. n. 10. quod in institutione Baptismi iam erat Christi passio inchoata: quæ quidem in inchoatio in duobus potissimū posita fuit. Primo in eo quod omnis pœnalitas, quam Christus toto vitæ decursu pertulit, erat quædam passio, & dispositio ad vltimam passionem, quæ morte fuit cōsummata. Secundo in eo quod Christus in primo instāri suæ Incarnationis libera voluntate præceptum moriendi pro hominibus accepit, vt ex Psalmo 39. docet Apostolus ad Hebr. 10. subiungens: *In qua volun-*

rate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi: ibi enim fuit meritum, quod morte consummatum est. Iam ergo Baptismus habebat efficaciam à voluntate Christi acceptante mortem. Quam tamen in consummatione perfecit: & ideo nunc ianuam cæli aperit, quam tunc non aperiebat. Quod late exponit vsque ad num. 15.

§. III.

Quando fuit præceptum Baptismi?

28 **A**liam proponit D. Thom. art. 2. conclusionem, qua & auctoritates Sanctorum, & res ipsa magis exponatur, inquit enim. Sed necessitas utendi hoc sacramento indicta fuit hominibus post passionem, & resurrectionem. Tum quia in passione Christi terminata sunt figurata sacramenta, quibus succedit Baptismus, & alia sacramenta nouæ legis. Tum etiam, quia per Baptismum configuratur homo passioni, & resurrectioni Christi, in quantum moritur peccato, & incipit nouam iustitiæ viam. Et ideo oportuit Christum prius pati, & resurgere, quam hominibus indiceretur necessitas se configurandi morti, & resurrectioni eius.

29 Quod magis declarat ad 2. adiciens, quod Christus ante passionem Baptismum institutum non posuit sub præcepto, sed voluit ad eius exercitium homines alluceri, & præcipue in populo Iudæorum, apud quem omnia facta figurata erant, ut dicit S. August. lib. 4. contra Faustum cap. 2. Post passionem vero, & resurrectionem, non solum Iudæis, sed etiam Gentilibus sub præcepto necessitatem Baptismi imposuit, dicens Mathæi ultimo: *Euntes docete omnes gentes.* Quod si aliquis infert hoc præceptum ante passionem impositum Ioan. 3. Respondet D. Thomas ad 3. quod enim Dominus ante passionem Nicodemo dixit Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei:* magis videtur ad futurum respicere, quam ad præsens tempus.

30 Circa hanc Doctrinam D. Thomæ notat Soto in 4. dist. 3. q. unica art. 2. §. *Art. 2. p. 1.* quod gessit se in hac re Christus instar medici, qui prius apud pharmacopolam saluterum conficit pharmacum, virtutem habens quoscumque sanandi, qui illo utantur. Postmodum præcepto iubet ægrotis illo uti, tamquam eis ad salutem necessario. Postea vero conclusione secunda late disputat Soto de tempore cessationis legalium, obligationeque legis nouæ. De quo late hic disputant Nuño dub. 2. & 3. & Ruiz dub. 2. & Cabrera a num. 16. vsque ad 49. Sed quia de

hoc puncto differit D. Thomas 1. 2. q. 103. art. 3. & 4. & ibi Expositores. Et ipse Soto lib. 2. de iustitia, & iure q. 5. art. 4. & iterum de necessitate Baptismi dicemus cū Dico Thomæ infra q. 68. art. 1. & 2. Ideo non est cur nunc in hoc puncto immoremur.

DVBIUM III.
De materia Baptismi.

§. I.

De fide est requiri veram aquam,

Circa materiam remotam Baptismi, de qua nunc loquimur, diuersis vijs hæretici aberrarunt. Quidam Gnostici, ut refert S. Iræneus lib. 1. aduersus hæreses cap. 18. n. 7. aquam in Baptismo superuacaneam esse ceniebant: sed admittentes aquam, & oleum, cum quibusdam profanis dictionibus, non baptizabant, seu abluiebant, sed ungebant capita eorum, qui sacrabantur, & hoc dicebant esse redemptionem. Et de alijs Gnosticis refert S. Iræneus ibi n. 9. qui mysterium nostræ iustificationis per visibiles creaturas fieri oportere, omnino negarēt. Refert etiā S. Augustinus libro de hæresibus cap. 46. circa finem, quod Manichæi dicebant Baptismum in aqua nihil salutis asserere posse: & ita neminem uorum baptizabant: quamuis non constet, utrum alium Baptismum pro Baptismo aquæ haberent.

2 Philastrius etiam libro de hæresibus, capite de Seleuci, & Heretiæ hæresi, ait. *Illo Baptismo (nempè aquæ, quo nos utimur) non utitur, propter verbum hoc, quod dixit Ioannes Baptista, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne.* Quamuis autem Castro verbo Baptismus hæretici referat Seleucianos vltosuisse Baptismo ignis corporalis, tamen Vazquez disp. 14. cap. 1. num. 3. contendit non posse hoc affirmari, cum id ex nullo antiquo Authore certo posset colligi: quia licet non viderentur Baptismo aquæ, quia verba illa Ioannis spiritualiter intelligebant: inde tamen non constat eos uti solitos alio Baptismate, aut ignis, aut aeris, aut alterius materie.

3 De Iacobitis refert noster Bernardus Luzemburgensis in catalogo Hæreticorum lib. 2. verbo *Iacobite*, quod adustione quadam in fronte, vel in gennis paruulorum impressa pro Baptismo vterentur. Idem verbo *flagellantes* in 9. errore, refert hæresim flagellantium, qui dicebant Baptismum aquæ suo tempore cessasse, & Baptismum proprii sanguinis successisse: quia iactabant se in mundum missos iussu Dei, ut se flagellarent, litteris ad hoc de

de coclo pet Angelos Romam missis, quæ super altare Beati Apostoli Petri apparuerunt. Ideoque hanc ceremoniam Baptismo aquæ præferbant.

4 Demum Lutherus in colloquijs symposiacis cap. 17. rogat, utrum deficiente aqua, liceret lacte baptizare, aut ceruisia? Primum respondit iudicio diuino id esse reseruandum. Deinde ausus est dicere, quidquid balnei nomine nuncupari posset, ad Sacramentum Baptismi idoneum esse. Constat autem balneum non tantum aqua, sed etiā vino, oleo, lacte, ceruisia, & quouis alio liquore fieri posse. Ac proinde arbitratur non esse de necessitate Baptismi, quod fiat in aqua. De his erroribus videatur Bellarminus, Suarez, & Vazq. & Cabrera hic, & Laurentius Beyerlinch in Theatro vitæ humanæ ver. *Baptismus.* fol. 11. Manichæi etiā noui Baptismum in aqua non esse necessariū ganniuor, ut SuuëcKfeldius, ut refert Grauin. to. 1. in Methodica Analyti folio 92.

5 Nihilominus asserendum est, secundum fidem catholicam esse certum, aquam veram, & naturalem esse propriam, & necessariam materiam sacramenti Baptismi. Ita definitur ab Eugenio 4. in Conc. Florēt. in decreto fidei §. *Primum omnium.* Et in Conc. Trid. sess. 7. can. 2. illis verbis. *Siquis dixerit aquam veram, & naturalem, non esse de necessitate Baptismi, atque adeo verba illa Domini nostri Iesu Christi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.* Idem habetur ex Apost. ad Ephes. 5. *Mundans eam Lauacro aqua in verbo vitæ.* Et Actorum 8. de Baptismo Eunuchi refertur, quod fuit in vera aqua. Et similia Actorum 10. & 19. Idque constat ex Ecclesiæ usu perperuo, & traditione, & Patrum sensu, & auctoritate, quos refert Suar. disp. 20. sec. 1. Vbi & varias refert expositiones illius loci Matth. 3. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne.* Tres assignat D. Tho. ad 1.

6 Quatuor congruentias assignat D. Thom. art. 3. propter quas ex institutione diuina, aqua est propria materia Baptismi. Sufficiet primam, & vltimam referre. Prima est: nam Baptismus est regeneratio in spiritualem vitam: quod maximè congruit aquæ. Vnde & semina, ex quibus generantur omnia viuentia, scilicet plantæ, & animalia, humida sunt, & ad aquam pertinent. Propter quod quidam Philosophi, ut dicitur. 1. Physicorum, posuerunt aquam omnium rerum principium. Et ut dicit S. Thomas in 4. dist. 3. q. 1. art. 3. ut dicitur lib. 4. de gener. anim. cap. 2. aqua maximè competit generationi, & augmentatio

ni rerum viuentium. Vnde & in principio Mundi ex aqua primitus animalia producta sunt: & sic competit Baptismo in quantum est regeneratio in spiritualem vitam. Sic enim reparatio creationi respondet. Nam in creatione Mundi Spiritus Domini commemoratur primo super aquas ferri: & ex aquis primitus animam viuentem produxisse. Et sic Baptismus in aqua fieri debet, nam est principium nouæ spiritualis vitæ, & per quod primitias spiritus accepimus. De quo S. Hieronymus epist. ad Oceanum, & S. Ambros. lib. 1. & 2. de sacramentis.

7 Huc etiam pertinet, inquit Soto in 4. dist. 3. q. unica art. 3. rat. 1. quod plantata illa paradiso terrestri, fons illico in quatuor celeberrima flumina ad quatuor mundi plagas erupit, qui diuersam illic arborum varietatem procreando viuificaret. Veluti sacrosanctus Ecclesiæ fons ad quatuor mundi partes promanans, cunctis nationibus vitam perhibet sempiternam. Hac namque ratio ne in benedictione sacri fontis illorum sit mentio quatuor fluminum. Atque in huius figuram Ezequielis cap. 47. aquas egredi cõpexit subterlimen domus ab oriente, ad quas vniuersi venientes sanabuntur, inquit, & viuent. Qua propter in Paschate Ecclesiæ super baptizatos viuionem illam egredietis aquæ de templo, canit. Hæc ibi.

8 Vltima Diui Thomæ congruentia, & quasi literalis ratio est, quia ratione suæ communitatis, & abundantia est conueniens materia necessitati huius sacramenti: potest enim vbique defacili haberi.

9 Notat etiam Diuus Thomas solutione ad 3. quod in tolemani Baptismo illa benedictio, quæ adhibetur aquæ, non est de necessitate Baptismi, sed pertinet ad quandam solemnitatem, per quam excitatur deuotio fidelium, & impeditur astutia demonis, ne impediatur Baptismi effectus. Quo excluditur error Hemnitij, qui in examine Trident. sess. 7. can. 2. asseruit non esse aquam exorcizandam, & benedicendam pro Baptismo, quia satis est, si ea sit naturalis. Quamuis enim de essentia sacramenti id satis sit: tamen ad bene esse, & ad solemnitatem, & ad effectus, quos Diuus Thomas assignat, benedictio, & exorcizatio aquæ requiritur secundum fidem, & consuetudinem Ecclesiæ Catholicæ.

10 Aliam congruentiam rationem, notatione dignam, addit Soto in fine illius art. 3. dicens. Accedit, & demum ratio, si Euangelij cultores cū Patribus vetustæ legis conferamus. Illi siquidem, cum ut ait ad Gal. 4. Paulus, veluti carnales, serui essent, in timore ser-

in metallo ferreo illo, aut petriño, Circumcisio nis sacramento congruè exercebatur: quod videri illo eos remissæ culpæ admoneret. Nos autē, qui vt ait idem Apost. ad Rom. 8. *Nō accepimus spiritū seruilitatis in timore, sed spiritū adoptionis filiorum*; nō quidē talibus instrumentis; sed suauissimo sacramēto; quod fit in aqua, donari debemus. Quæ quidē aqua de latere Christi exiit, qui est vera petra, quā (vt Exodi 8. refertur) Moyses virga fidei percussit, aqua manauit, vt populus in deserto sitibundus potaretur. Hæc Soto.

§. II.

Verum requiratur aqua simplex?

Respondet S. Th. hac vniuersali, & certissima, & Theologorum cōmuni, cōclusionē. In qualibet aqua, qualitercumque transmutata, siue mixtionē alterius corporis, siue alterationē; dum modo nō soluat species aquæ, potest fieri Baptismus: si verò soluat species aquæ, non potest fieri Baptismus. Ratio vtriusque est facilis: nā est de fide, quod ad Baptismū sufficit, & requiritur vera aqua naturalis: quæ adest dum non soluitur species; & deest, eo ipso quod species aquæ transmutetur.

12 Ad cognoscendum autē, quando soluat species aquæ, talē assignat regulā art. 4. quæcumque transmutatio circa aquam facta est per artem, siue commiscendo, siue alterando, non transmutatur species aquæ: vnde in rari aqua potest fieri Baptismus. Ratio est: nam ars deficit ab operatione: quia natura dat formam substantialem, quod ars facere non potest: sed omnes formæ artificiales sunt accidentales. Aduertit tamē arte posse induci formam substantialem, non virtute artis; sed virtute naturæ; & arte applicando actiua passiuæ, apponendo proprium agens ad propriam materiam; sicut ignem combustibili. Per quē modum à quibusdam quædam animalia per putrefactionem generantur.

13 Secundo ait D. Tho. quod transmutatio, quæ fit à natura, quandoque quidem speciem aquæ soluit: & hoc fit quādo aqua efficitur per naturā de substantia alicuius corporis mixti: sicut aqua cōuersa in liquorē vni, est vni: vnde non habet speciem aquæ. Aliquando autem fit per naturam transmutatio aquæ sine solutione speciei. Et hoc rā per alterationē (sicut patet de aqua calefacta à sole) quam etiam per mixtionē: sicut patet de aqua fluminis, turbida ex permixtione terrestrium partium. Imò aduertit Beatus Albertus Magnus in 4. dist. 3. quod melius est, quod sacerdos adhibeat aquam calidam pro

pueris; quia pueri aliquādo ita frigore cōtra huntur, quod infirmantur, & moriuntur. Quæuis de necessitate sacramēti nec frigida, nec calida sit. Vnde in Concilio Florentino dicitur. *Materia huius sacramēti est aqua vera, & naturalis; nec refert frigida ne sit, nec calida.*

14 Aliud signū ad idē assignat D. Tho. in 4. dist. 3. q. 1. art. 3. q. 2. dicens. Vt autem cognoscatur, quādo sic, vel sic permixta est aqua, sciendum est, quod sicut diuersitatem speciei in animalibus iudicamus ex diuersitate figurarū, ita etiam diuersitatem speciei in elementis cognoscimus ex diuersitate rari, & de. si. Et idē si fiat tanta alteratio, vel permixtio aquæ, quod recedatur à termino raritatis, & densitatis aquæ, vel in actu, vel in potentia, signū est, quod sit species aquæ transmutata. Et dico in potentia quādo humor aliquis non condensatur, & rarefit calido, & frigido sicut aqua, sed alter: sicut patet in vino, oleo, lacte, & huiusmodi.

15 Ex quibus deducit ibi quæstionem tertiā, quod diuersitas aquarum, quæ est per loca, & situs est differentiā accidentalis: vnde non mutat speciem aquæ. Et idē in qualibet aqua huiusmodi, vel maris, vel fluminis, vel cisternæ, vel fontis, vel stagni, potest fieri Baptismus. Vnde Honorius Augustodunensis in *Gemma animæ* lib. 3. c. 16. to. 10. Bibliothecæ Patrum, ait. *Sciendū est, quod Apostoli, & eorū Discipuli, in fluminibus, vel fontibus, vel stagnis baptizabant.* Et quæst. 2. ad 3. dixerat, D. Thom. quod quamuis aqua, quæ est apud nos, sit aliquo modo alterata, & habens aliquid de permixtione aliorū elementorum; non tamen amittit speciem propriam.

16 Et solutione ad 5. in fine ait. De lixiuio autem quidā dicunt, quod speciem aquæ amittit: vnde Baptismi materia esse non potest. Sed hoc non videtur, quia eadē ratione nec aqua trāsiens per mineras sulphureas, & terras combustas, posset esse materia Baptismi: quod falsū est. Lixiuuū enim ab alia aqua nō differt, nisi in hoc quod cineres trāsit. Vnde videtur auster dicēdū, quod Baptismus potest fieri in lixiuio, sicut & in aquis sulphureis. & in alijs aquis, quæ ex terra, per quam transeunt, immutantur. Hæc D. Th.

Quamuis in merito id negent Aureolus in 4. dist. 3. q. 3. & ibi Paludanus quaest. 3. Grassius p. 2. lib. 1. cap. 3. n. 17. & Molseus in Summa tract. 4. cap. 1. nu. 34. Imò & Nuño art. 4. corol. 1. ait, quod non est certum, & idcirco deberet iterari Baptisma sub conditione. Cæterum sententia D. Thomæ est Theologorum communis: viginti duos refert, & sequitur Leander tract. 2. dist. 2. q. 9. &

& videndi Ruiz, & Serra, & alij, & Soto ad 4. aduertit oppositum nulla ratio probari. Tamēsi negari non possit, quin tantum possit commisceri cinerum in aqua, tantumque exultionis fieri, vt lixiuū alia sit species quam aqua: Et M. Ioannes Nicolai in Additionibus ad Raynerium tit. de Baptismo appendice ad cap. 2. §. 4. in fine ait, quod aqua per cinerem colata, vt in lixiuio contingit, ablutiua maximè, ac purgatiua reddi solet: proindeque apta Baptismo: licet habita ratione congruitatis, decenter non adhibeatur, ita illud Ezeq. 36. ver. 2. *Effundam super vos aquam mundam*: iuxta S. Cyprianum, & Glossam. Vnde aquam asperfusionis, vel expiationis, quæ Num. 19. simul cum vacce rusæ cineribus permixta purgandis legalibus immunditijs adhiberi iubetur, ad Baptismum applicat S. Augustinus quæst. 33. in Numeros, & ex eodem Gloia refert. Atque id quidem de lixiuū aqua per cineres colata certissimum videtur esse, quod ad Baptismum sufficiat. Vnde non licet sub conditione iterare.

17 Sed in communi circa S. Thomæ doctrinā hæc aduertit Soto in 4. dist. 3. quæst. vnica artic. 4. §. *Hic primum*, quod quamuis fere omnes aduertant ad Baptismum requiri aquam elementarem: Diuus Thomas prudenter illud subicit: quia forsitan quis contenderet aquam, quæ est pure elementum, specie ab aqua maris, & ab alia nostra vsuali id distare, quod purum elementum à quibuscumque secundis qualitatibus purum est: vsualis vero aqua illis plurimum est infecta. At vero siue specie differant, siue conueniant impertinens est ad nostrum propositum, nā cum tam elementaris, quam nostra vere sit aqua, vtraque sufficiens est ad Baptismum; quamuis nostra non esset elementaris. Enim vero (vt in materia Eucharistiæ videbimus) siue vinum rubrum, & album eiusdem sint speciei, siue specie differant, in vtroque potest Eucharistia celebrari; quia vtrumque est verè vinum. Quare, vt bene ait Sotus dist. 3. quæst. 3. differentias nosse specificas rerū, nec Theologo incumbit, nec Decretoꝝ prudenti, sed Physico. Idem notant Suarez, Nuño, Ruiz, & alij hic artic. 4.

18 Deinde aduertit Soto §. *At fortasse*, quod Nominales concedere non hæsitant omnipotentie Dei minime repugnare duas aquas creare specie differētes. Quod impugnat Soto, & alij relati. Enimvero, inquit, si aqua nomen est speciei specialissimæ, vt hic Diuus Thomas sapienter arbitrat, repugnantia est manifesta Deum

id posse facere: nā species specialissima non est per aliam differentiam substantialem cōtrahibilis. Quare Deus homines duos specie differentes nequaquam cōdere potest: aut enim vterque esset præcise animal rationale: & tunc non differrent specie: aut alter eorum præter rationalitatem aliam viterius substantiæ differentiam haberet: & tunc certè ille non esset homo; sed quidpiam aliud. Quare bene ait S. Thomas, quod vbi solueretur species aquæ per aliam substantialem differentiam, non esset verè aqua: arbitratur quippe aquam esse speciem specialissimam. Qui autem diceret elementum aquæ, & aquam maris, aut quamlibet aliam differre specie, fateri teneretur aquam esse speciem subalternā; sicut est canis, quæ in plures species dispartitur.

19 Tertio notat Soto eodem articulo ad 4. §. *Est verumtamen*, communiter receptus, quod cum in quibusdam casibus non satis deprehendi valeat, sit ne vera aqua; dū ras est dubia, cauendum est ne in huiusmodi liquoribus quispiam baptizetur. Quod si forsitan fuerit baptizatus, solemnè remediū vtrèdum est, vt huiusmodi puer sub illa conditione baptizetur: *si non es baptizatus, &c.*

§. III.

Applicatur doctrina ad casus speciales.

Non oportere inuitiores quæstiones de huiusmodi rebus, & materijs sigillatim discutere, in hoc pūcto notat Suarez disputatione 20. sect. 1. conclus. 2. Per aliud extremum Leander tract. 2. disput. 2. proponit decem, & octo quæstiones de materia remota Baptismi, & tredecim alias de materia proxima. Nos ab vtroque extremo declinando, nonnullis corolarijs præcipuas quæstionculas circa hoc exortas, determinare curabimus.

21 In primis sequitur ex diuisis, quod quando parua aqua miscetur liquorī alteri speciei quo absorbetur, etiam si physice retineat speciem aquæ antequam sit perfecta mixtio, pro tunc non potest in illa fieri Baptismus. Ita S. Thomas artic. 4. in corpore illis verbis. Nisi fortè aqua admisceatur per artem in tam parua quantitate alicui corpori, quod compositum magis sit aliud, quam aqua: sicut lutum magis est terra, quàm aqua; & vinum lymphatum magis est vinum, quàm aqua. Vnde nec in luto, neque in aqua vine mixta potest fieri Baptismus; nisi arte aqua separaretur à vino antequam species transmutetur.

22 Secundo deducitur, quod in iure car-
nium sæpè valet Baptismus. Sumitur ex D.
Thoma art. 4. ad 2. dicente, quod admixtio
chrismatis non soluit speciẽ aquæ: sicut ne-
que etiam aqua decoctionis carnum, aut
aliorum huiusmodi. Nisi fortè sit facta tan-
ta resolutio lixatorum in aqua, quod liquor
plus habeat de aliena substantia, quam de
aqua: quod ex spissitudine percipi potest.
Si tamen ex liquore sic inspissato expri-
matur aqua subtilis, potest in ea fieri Baptis-
mus: sicut & in aqua, quæ exprimitur ex lu-
to; licet in luto Baptismus fieri non possit.

23 Tertio, de glacie, rore, vel niue, quæ
diu resoluta non sunt, posse validum confer-
ri Baptismus, & instante necessitate cum
hac materia sine scrupulo posse baptizari,
docent Puteanus, Ioannes Præpositus, & Gas-
par Hurtado, quorum verba refert, & non
improbat Diana 5. p. tract. 3. resol. 3. Sequi-
turque Leander q. 7. quia hæc omnia sunt
verè aqua secundum substantiam. Secundo,
quia plures cõcedunt, quod digito aqua ma-
defacto potest quis baptizare alium: cum er-
go niue, rore, & glacie possit puer madefieri,
in istis validus erit Baptismus. Tertio,
quia huiusmodi facillimè ex contactu cor-
porum resoluuntur.

24 Verissima tamen, & Doctorum cõ-
munis sententia, est quam optimè docet So-
to art. 4. ad 1. in hæc verba. De niue autem,
& gelu, & grandine, diuersa est ratio. Sunt
enim, qui arbitrantur non differre speciẽ ab
aqua: sed ob id tantum non posse in illis cele-
brari Baptisma, quod non sunt liquida. At re-
vera hæc nõ est causa, quia in niue bene pos-
set puer madefieri. Causa ergo est, quod
nix, & grando reuera non sunt completè a-
qua: & ideo nec sunt lotioni aptæ. Sanctus
verò Thomas cõseret differre speciẽ; idque
ego crediderim, vt spissitudo, & dẽsitas ma-
nifesto sunt documento. At verò quoniam
sunt species imperfectissimæ, facillima alte-
ratione transmutantur in aquam. Et ideo il-
la aqua, in quam nix, & grando resoluitur,
Baptismus fieri potest: sicuti in vapore, &
rore eleuato è terra, dum ad iustam conden-
sationem aquæ peruenit. Hæc ibi.

25 Pro praxi autem aduerte, quod instã-
te necessitate nulla est sententiarum differẽ-
tia, nam id quod illi concedunt, eo quod ve-
ra sit aqua, & ablutio, alij admittunt propter
facilem transmutationem. Vnde Aueria sec-
tione 4. assertionẽ 3. in fine ait. Similiter li-
citur esset in tali necessitate vt niue, aut
glacie, non quia dubitandum sit, si fortè in
tali statu hæc sit materia apta, vt non rectè

dicunt Puteanus, & Præpositus vbi supra:
sed potius quia non solum dubitari, sed pe-
rari, & credi potest, perfricatione, & calefac-
tione parum quid aquæ resoluendum; quod
valeat ad Baptismus.

26 Quarto, aqua ex tale resoluta validè
perfici Baptismus, docent Armilla verbo
Baptismus n. 24. Candidus dilq. 16. ar. 2. dub.
1. Henriquez lib. 2. cap. 6. nu. 1. Bonacina q.
2. de Baptismo punc. 3. n. 4. Diana parte 3.
tract. 4. resol. 5. & tredecim Authores, quos
refert, & sequitur Leander q. 5. dicens esse
*communem sententiam: & ideo immerito di-
xit Egidius sibi videri improbabilem.* Sed
aduerte Leandrum male referre Soto: quia
illo articulo 4. de hoc puncto non agit. Pro-
bant primo, quia talis est aqua maris conge-
lata, vt sumitur ex Aristotele libro 2. Mete-
reorum cap. 3. Secundo ab experientia: nã
aqua maris calore solis concreuit in sal: qua
re sicut valet ad Baptismus aqua maris, ita
valebit aqua resoluta ex sale. Addit Armi-
lla, quod quia hoc habet dubitationem, con-
sulendum ne quis faceret, nisi in articulo ne-
cessitatis, & vtrum valeat, sub dubio relin-
quit Serra art. 4. in fine.

27 Omnino tamen negant valere Bap-
tismus Syluester verbo Baptismus 2. in fi-
ne. Angelus verbo Baptismus 4. n. 3. Aureo-
lus in 4. dist. 3. q. 3. Samuel Lubinus ver-
Baptismus n. 2. Egidius hic dub. 1. n. 22. Lay-
mã cap. 3. de Baptismo nu. 1. Castrus Palaus
punc. 3. n. 2. Aueria sec. 4. assert. 3. quia sal est
mixtum quoddam diuersæ naturæ ab aqua:
& non est sicut nix, & glacies: quare siue cõ-
cretum, siue liquidum, non est substantialiter
aqua, quasi differat solum in qualitate sal-
sedinis. In aqua autem maris immixtum est
sal liquidum, tamquam liquor, & succus es-
sentialiter diuersus ab aqua. Ex aqua autem
maris fit sal, dũ calore Solis consumitur, &
euaporatur id quod est aqua, & remanet id
quod est sal; ideoquè concreuit. Et hoc tan-
tũ voluit Aristoteles, & probat experientia.
Sicut etiam laccharum liquescit in aqua, &
consumpta aqua concreuit: nec propterea
si per se liqueat, est apta materia ad Bap-
tismus, quia prorsus est diuersæ rationis ab
aqua.

Hæc sententia mihi magis probatur: nã
Philosophus libro de sensu, & sensato inquit,
Sal enim quoddam terræ species est. Vbi S. Tho-
mas lect. 10. lit. b. ait. *Nec hoc debet videri mirum,
quia sal est quoddam species terræ, sicut & alumẽ,
vel sulfur.* Vnde & quidam montes inueniuntur
de sale.

28 Quinto, bene notat D. Thom. ar. 4.
ad

ad 3. & art. 3. ad 3. quod aqua fluens de late-
re Christi pendens in Cruce, non fuit hu-
mor phlegmaticus. in tali enim humore nõ
posset fieri Baptismus: sicut nec in sanguine
animalis, aut in vino, aut quocumque aqua
re alicuius plantæ. Veram autem aqua du-
xisset de latere Christi, definit Innocen-
tius 3. cap. *In quadam, de celebratione Missarum.*
Adiicit Soto art. 4. ad 3. quod sudor, & la-
chrymæ nullatenus aquæ sunt ad Baptismus
idoneæ: nam & si sint resolutiones corporũ;
non tamen aquæ puræ, vt illa quæ de latere
Christi exiit. Et multo minus yrina: est en-
nim digestionis egestio. Pari ratione in sali-
ua Baptismus non valere, dicitur in cap.
Non vt apponeres, de Baptismo, & eius effectus:
vbi declarat Põtifex non fuisse legitime bap-
tizatos, quos in articulo mortis cõmunitos, prop-
ter aquæ penuriam, aliquorum simplicitas in ca-
put, & pectus, ac inter scapulas, pro Baptismo sa-
lutiæ consperione tenuit. Et sic de omni alio si-
mili liquore diuerso substantialiter ab aqua
sentiendum est.

Vnde Beatus Albertus Magnus in 4. di-
stinct. 3. inquit. Si aliquis in articulo mortis
baptizaretur in vino, vel in oleo, vel in lac-
te, vel in sanguine, vel in alio liquore, prop-
ter defectum aquæ, non esset verè baptiza-
tus. Et ratio huius est propter institutionem
diuinam: quia Dominus instituit aquam esse
materiam Baptismi; non alium liquorẽ.
Et propter illud verbum: *Nisi quis renatus fue-
rit ex aqua, &c.* Non etiam contulit alijs li-
quoribus virtutem regeneratiuam, sicut a-
quæ, quando in Iordane baptizatus est.

Sed obijcies: nam Stephanus Secundus
Papa, cum in villa Carisiaco apud Gallias
veritaretur, inter alia respõta, quæ Monachis
Britaniaci Monasterij rescripte dicitur (vt
refertur à Sirmundo tomo secundo Conci-
liorum Gallicanorum, quæ curauit edenda)
sic ait vndecimo capite. *Si in vino quis, prop-
terea quod aquam non inueniebat, omnino pericli-
tatem infantem baptizauit, nulla ei exinde ascri-
bitur culpa. Infantes sic permancant in ipso Bap-
tismo. Nam si aqua adfuit presens, ille Presbyter
excommunicatur, & penitentia submitatur;*
quia contra Canonum sententiam agere presump-
sit. Infantes autem sic in Baptismo perma-
nere non desiniret, nisi verè putaret baptiza-
tos: Ergo in vino potest dari Baptismus.

Respõdent aliqui, quod Stephanus Pa-
pa addidit illud: *Infantes sic permancant in ipso Baptismo;* non vt Pontifex, & ex
Cathedra loquens adiecerit; quia de hoc in-
terrogatus non fuerat, sed vt priuam ratio-
nem loquens: ac proinde nihil in hac parte

præiudicet sententiæ communi. ¶ Mirum
tamen, si tam expressam veritatem de abso-
luta necessitate aquæ ad materiam Bap-
tismi potuit ignorare, vel in dubium reuoca-
re.

Hæc ergo reiecta euasione, respondet
eruditus M. Ioannes Nicolaus in additionib⁹
ad Raynerium tit. *de Baptismo*, appendice ad
caput 2. §. 3. in fine fol. 268. colun. 2. in hæc
verba. Respondeo, & dico totum illud res-
criptum fictitium, & frivolum videri; cum
simpliciter ex codice S. Mariæ Laudunensis
abique alio testimonio proferatur: & idem
alij Siricio tribuant ex Codice S. Martini
Turonensis. Planè frivolum esse modus ip-
se loquendi manifestat: aut ei saltem aliquid
esse interiectum, quod Pontificis mentem,
ac intentum deprauet; nempe illud: *Infantes
sic permancant in ipso Baptismo.* Quid enim est
hoc, & ad constructionem, & ad sententiam? Ni-
si fortè sic legi oporteat: *Nulla ei exinde ad-
scribitur culpa, si sic infantes in Baptismo ipso per-
mancant:* id est, si non postea periculo elapso
verum Baptismus suscipiant, sed iam præ-
sumptivè suscepto contenti sint: Nam de
baptizantis culpa solum ibi agitur, non de
Baptismi veritate. Atque adeo nihil aliud
ibi dicendum fuit, nisi eum qui tunc defectu
aquæ vinum ad baptizandum adhiberet, ig-
norans non licere in tali casu id præstare, vel
quam absolute necessariam esse nesciens,
non esse causam cur non postea baptizetur,
qui sic nullum Baptismus susceperunt, &c.
Hæc ibi.

29 Sexto, rectè adiecit Soto ad 4. dicẽs.
De ceruisia vero, & prisana, atque id genus
potabilibus liquoribus, quorum in multis
partibus frequens est usus, ambigere non li-
cet, quin sint aliæ species ab aqua; in quibus
id circo sacramentum Baptismi perfici non
potest. Quoniam neque illi, qui voto astric-
ti sunt ieiunare in pane, & aqua possunt hu-
iusmodi potibus uti. Quod & notant Bona-
cina q. 2. de Baptismo puncto 3. n. 2. Aueria
sec. 4. vt. tertio. Pari ratione neque in pota-
bili chocolate, vt nũc est in vsu, valeret Bap-
tismus: quia plus habet de aliena substantia,
quam de aqua: quod ex spissitudine constat.
Nisi quis (prolequitur Soto) de prisana du-
bitet, propterea, quod non est nisi aqua ex
hordõ, quod est frumẽtũ, expressa. Sed ta-
men neq; illa in tali ieiunio admitterem: nã
vere est potus ab aqua differens. Imo neq; si
ex pane cocto calido distillaretur aqua, vt so-
let officio ignis, admittenda esset in Bap-
tismo: quoniam non est certũ esse veram aquã.

30 Septimo, S. Thomas solutione ad 5.
rectè

rectè docet, quod aqua rosacea est liquor rose resolutus. Vnde in ea non potest fieri Baptismus. Loquitur D. Thomas, vt explicat M. Ioan. Nicolai §. 6. de aquis distillatis ex rosas, quas *stillatus* vocant, vt contextus præfere, non quibus rosæ quomodolibet admixtæ sunt. Et eadē ratione neque in aquis alchymicis, sicut nec in vino. De istis nullam esse dubitandi rationem, notat Soto ad 5. palā enim est non esse aquas: tamen cum addito, propter apparentiam sic æquiuoce appellentur: sed sunt expressiones omnium humorum, ex quibus herbæ componuntur. Ars vero alchymica numquam ad hoc pertingit vt possit formam veram substantialem auri, vel aquæ, vt natura ipsa, producere.

31 Octauo, quod guttæ aquæ, quæ colliguntur ex vaporibus densatis, & in tegumento ollæ reperiuntur, sint apta materia Baptismi. Imò idem esse affirmandum de illa aqua, quæ hyemali tēpore, ex parietibus, & lapidibus fluit; quia vere sunt aquæ, aere humido in aquam veris, tenent Moure in 3. p. examinis cap. 11. §. 2. nu. 3. & Diana 3. p. trac. 4. resol. 5. & Leander disp. 2. q. 10. Cæterum Trullench lib. 2. praxis cap. 1. dub. 3. n. 3. in fine ait. Ego vero maximè dubito has esse veras aquas; idè nullo modo in ijs esse conferendum Baptismus; nisi in extrema necessitate; & tunc sub conditione. Sed prior sententia est probabilior, & conformior D. Thomæ art. 4. ad 2. dicenti. *Si tamen ex liquore sic inspissato exprimat aqua subtilis, potest in ea fieri Baptismus.*

32 Nono, satis insinuat Agidius dub. 1. nu. 24. instante necessitate posse ministrari Baptisma in sudore, & similibus humoribus. Similiter instante necessitate posse quæ baptizari aqua rosacea, & similibus, affirmant Puteanus, Præpositus, Tanerus, & Chamerota, apud Dianam 5. p. trac. 3. resol. 2. Sequitur Castrus Palans de Baptismo puncto 3. nu. 2. & Stephanus Bauny trac. 2. q. 4. & alij ex Societate Iesu, vt testatur Diana 6. par. trac. 7. resol. 18. q. 1. & Trullench lib. 2. Praxis cap. 1. dub. 3. n. 30. Sed hæc sententia non solum est contra communem Doctorum, vt sexaginta relatis ostendit Diana illa resol. 2. Sed etiam est contra decisionem Pōtini relatis num. 28. cap. penultimo, de Baptismo: & in secundo casu nullam esse variationem dubitandi, rectè ait Soto relatus n. 30. Quare Auerla sect. 4. *audacia* notat oppositū affirmantes. Aseritque id nullatenus admittendum; nisi quādo aliquod dubium fuerit, si forte in illo liquore sit aliqua pars aquæ naturalis admixta, ratione cuius posset perfici

Baptismus: vt contingere potest in distillatione aquæ ex floribus cū admixtione aquæ naturalis. Alioquin si certum sit illum liquorem esse purum succum eductum ex distis corporibus, satis certum quoque est differre substantialiter à vera aqua: & iam diffinitū est, solam veram, & naturalem aquam esse idoneam Baptismi materiam.

33 Deinde, sicut docet Suarez disp. 20. sect. 2. §. Quare, quod non est probabile minorē abluitionem sufficere ad validum sacramentum Baptismi in extrema necessitate, quæ non sufficeret extra illam: quia ablutio est res quædam physica, quæ non variat rationē suam, ex eo quod subiectum sit in necessitate, vel extra illam. Ita pariter dicendum est de aqua quantum ad valorem: licet quoad licitum vsum, extra necessitatem, est peccatum mortale adhibere materiam dubiam: quando tamen in necessitate non est alia, licet, & sæpè necesse est eam adhibere, saltem sub conditione.

34 Aduertit tamen Lugo disp. 8. de sacramentis sect. 9. n. 140. & Diana 5. p. trac. 3. resol. 2. in fine, quod in extrema necessitate, non inuenta aqua certa, sed liquore aliquo, de quo dubium esset an esset aqua, nec posset id examinari (pone enim esse locum obsecrum; nec odore, aut gustu posse id percipi) tunc, inquam, propter necessitatem proximi posset sub conditione baptizari: quia summa indigentia proximi, cui aliter subuenire non possumus, præponderat reuerentiæ debitæ sacramento, & præcepto non vtendi materia dubia, & reddit licitam talem operationem propter necessitatem.

35 Decimo, & ultimo restat determinanda illa difficultas, vtum minima pars aquæ sufficiat ad Baptismus? Innocentius 4. & Panormitanus in cap. *Debitum, de Baptismo, & eius effectu.* Rossella verbo Baptismus nu. 1. quos refert, & sequitur Vazquez disp. 145. cap. 4. n. 32. arbitrantur quamcumque stillam aquæ sufficere, vt verum fiat sacramentum: quia licet in verbis sit præscripta forma certa, in aqua non est præscripta, & diffinita aliqua quantitas pro materia huius sacramenti. Deinde, quia ablutio, quæ est materia proxima, potest fieri aspersione, & tinctione. Quacumque autem parua quantitate aquæ homo baptizetur, vere dicitur aspersus, aut tinctus aqua. Ergo quacumque parua quantitate verum poterit recipere sacramentum. Idem tenet Henriquez lib. 2. cap. 7. n. 2. & cap. 21. n. 4. male pro se referens D. Thomam, & Sotum, vbi de hoc puncto non tractant. Fauet Diana 3. p. trac. 4. resol.

sol. 5. & expressius 5. p. trac. 3. resol. 5. Tenentque Hurtadus, Ochogauia, & Marati, quos refert, & sequitur Leander trac. 2. disp. 2. q. 3. Auerla sect. 4. Trullench lib. 2. cap. 1. dub. 3. n. 7. pro se referens Bonacina: quia in prima editione oppositum docuit: sed in secunda, huic parti fauet.

36 Ex quo inferunt Comitulus lib. 1. Resp. Mor. q. 12 & Fillutius tom. 1. trac. 2. cap. 2. nu. 34 Diana parte 3. trac. 4. resol. 5. Candidus disq. 16. art. 2. dub. 1. folio 81. Bonacina in ult. edit. disp. 2. punct. 3. nu. 14. Leander q. 4. Auerla, & Trullench, validum fuisse Baptismus, quem contulit quædam mulier infanti moribundo, imprimendo illi signum Crucis in fronte, digito aqua madefacto: quia ille erat modus quidam abluitionis. Addit Auerla. Non tamen esset putandus validus Baptismus, quem mulier etiam quædam contulit, inringendo extremum digiti sui in aqua, & inspergendo in vultum infantis: quia tenuissima stilla, quæ peruenire poterant in vultum infantis, non poterant per carnem defluere, sed statim potius siccabantur.

37 Cæterum Soto in 4. dist. 5. q. unica art. 7. ad 3. §. *Atque idem*, ait. Si quis habitauerit, an sit certa quantitas necessaria? Respondendum, inquam, illam esse necessariam, quæ sufficit vt homo dicatur ablu. Si autem tam exiles essent, tamque paucæ guttæ, vt reuera non conferretur ablutio, non esset sacramentum. Et aliquando etiam maneret res dubia, vt esset sub conditione iterandū. Idem docent Suarez disp. 20. sec. 2. §. *Quare.* Nuño art. 8. conc. 2. Ruiz art. 7. dub. 2. Candidus disq. 16. art. 2. dub. 6. & alij duodecim Authores, quos refert Leander illa q. 3. Imò eam aperte insinuant S. Phi. in 4. dist. 6. q. 1. ar. 1. q. 1. & Alexander Aletius 4. p. q. 8. n. 3. art. 2. §. 2. & alij. Estque omnino tenenda.

38 Probatque Granadus trac. 1. disp. 4. n. 12 ita dicens. Probat, quia materia proxima Baptismi est ablutio: sed quādo unica, vel pauculæ guttulæ tangunt corpus, nō dicitur ibi esse ablutio: ergo neque materia Baptismi. Minor patet, quia nullus dicit se lauari, nisi mediocri saltem quantitate aque tinctus: neque habetur vlla ratio minimæ guttæ, quæ vix effunditur, cum exsiccat. Ex quo patet ad fundamentum contrariæ opinionis. Nec viget exemplum de minima particula panis, quæ valide consecratur, quia nomen panis conuenit cuius parti minimæ: nomen vero abluitionis non ita. Saltemque illud indubitatum est, debere scilicet

et iterari Baptismus, qui in prædicta minima quantitate exerceatur: sicut dicemus de illo, qui in minima parte corporis baptizatur.

39 Idem probat nouissime M. Ioannes Nicolai in Addit. ad Raynerium de Baptismo cap. 2. §. 9. in fine dicens. Denique licet non tantum aquæ in articulo necessitatis requiratur vt in eam caput immergi possit, requiritur nihilominus tanta vt non quomodolibet aspergi sufficiat, sed quātum ad propriam abluitionis rationem sufficere videatur; nec in minori quantitate abluitionem illam perficere tutum est. Vnde nec sola gutta, siue stilla, sufficiens, aut certa dici debet: quia inuis non valde magna quantitas requiratur; quia stilla, vel gutta, veræ abluitioni non sufficit. Aut sub dubio saltem reiterari debet asperio, quæ certior videri possit. Nec stillam vtiq; sufficere Innocentius Tertius, cap. *Delitum*, vel vmbra tenus meminit, quidquid ei quidam affigant. Sed *corpus exterius baptizari* exprimit, *et cor interius ex aqua, & spiritu sancto mundari*, &c. Hæc ibi. Et in margine. Ita incaute Vazquez disp. 145. cap. 4. vbi, & ficticiam Innocentij probationem, vt ex eodem capite delumptam affert. Cæterum Vazquez non ex textu Innocentij Tertij, sed ex Commemario Innocentij Quarti, qui vt doctor priuat usque per illum textum scripsit, illam rationem affert. Vnde hæc incaute, nec ficticie retulit.

40 Casum autem propositum n. 36. de Baptismo collato infanti digito aqua madefacto imprimendo in fronte signum Crucis, vel linteo frontem madefacendo; indubitatum iudicarem in casu quo quantitas illa defactionis esset talis, quæ sufficeret ad abluitionem capitis: nam linteo puri tolerari iuari: & sic iudicauit in casu contingenti Baptismus validum linteum madefacti aqua abluitione.

DVBIVM IV.

De forma sacramenti Baptismi.

§. I.

Contra errores hereticorum veritas catholica stabilitur.

Varios errores Hereticorum circa formam Baptismi, referunt Bellarminus tom. 2. lib. de Baptismo cap. 3. & latus Vazquez disp. 142. toto capite 1. & Laurentius Beierlinch in Teatro vitæ humanæ verbo

Baptismus fol. 1. Solum de præcipuis ad rē pertinentibus mētionem breuem faciemus. Quidam tempore Apostolorum in forma Baptismi non exprimebant tres diuinas personas; sed aut tres ingenitos, aut tres filios; vel tres paraclytos. Qui error refellitur in can. 48. aliās 49. Apostolorum.

2. Secundus error fuit quorundam Gnosticorum, qui vt refert S. Irenæus libro 1. aduersus hæreses cap. 18. baptizabant in nomē Patris ignoti omnium, in veritatem Matrem omnium, & in descendente Iesum. Qui hæretici fuerunt dicti Marcotij à quodam Hæresiarcha Marco, vt docent S. Epiphanius hæres. 34. non lōge à fine. Theodoretus lib. 1. cap. de Marco, & Eusebius lib. 4. Hist. cap. 10. & 11. Alij ex eisdem, vt refert S. Irenæus, Hæbraicis quibuidam vocibus baptizabant ad stuporem, & terrorem adstantium. Et notat Feuardenus ibi scolio 5. verba illa arte magica conficta erant. De quo, & Ihesonius Castro lib. 3. aduersus hereses ver. *Baptismus*.

3. Paulianistæ, & Cataphrygæ, vt refert S. Augustinus lib. de hæres. cap. 44. regulam Baptismi non habuerunt: quia vt ait Innocentius 1. epist. 22. capit. 5. in nomine trinum personarum non baptizabant; quia erant Sabelliani, qui tres personas negant. Ideoque denuo baptizati iubentur in Concilio Nizæno canone 19. Arrianus quidam Episcopus Deuterius nomine, tempore Simachi Papæ circa formam Baptismi errabat: nam cum quædam nomine Barbam Constantino poli baptizaret, dixit: *Baptizatur Barba in nomine Patris, per Filium, in Spiritu Sancto: Qua forma cum præter constitutum morem abolens Christi traditionem, vsus fuisset, vnda quæ in sacro lauacro erat, repente disparuit vt refert Nizephorus lib. 16. Historiæ capit. 35. post medium.*

4. Eunomiani, non in nomē Trinitatis, sed in mortem Christi baptizabant, vt refert Socrates lib. 9. Tripartitæ capit. 40. & Theodoretus lib. 4. hæreticarum fabularum cap. de Eunomio. Et iuxta hoc Concilium Constantinopolitanum. 1. can. 7. damnat Eunomium, eo quod vna mersione baptizaret. Qui error erat tempore Apostolorum: si quidem canone 50. aliās 49. damnatur, qui mersione vna, non inuocata Trinitate, sed in mortem domini baptizauerit. Et damnatur a Pelagio Papa epist. ad Gaudentium, vt refertur cap. *Multi de Consecratione. Dist. 4.*

5. Priscillianistæ etiam volebant vti duplici distinctione inter personas Sanctissimæ Trinitatis; sed ita formam pronuntiabant: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij*

Spiritus Sancti personam, Filij, & Spiritus Sancti, velut vnā designantes. Ita refert Cardinalis Baronius tom. 7. Annalium ad annum Christi 537. cap. 24.

6. Ex nouioribus hæreticis Lutherus in libro de captiuitate Babylonica cap. de Baptismo, inquit Baptismum quibuscumque verbis collatum, ratum, & firmum esse, dum modo in nomine Dei conferatur. Imò etiā si in nomine Dei suscipiatur, quamuis in nomine Dei non detur. Idem dicit Zuuinglius lib. de vera relig. cap. de Baptismo. Brentius in Chatechismo cap. de Baptismo, dicit validum, si minister post recitatum symbolum à catechumeno, dicat: *In hanc igitur confessionem, intidg: te in aquam, vt hoc signaculo certus sis, te esse insertum Christo, vade in pace.*

7. Cōclusio tamen fide Catholicis omnibus credenda est, quod hæc est conueniens forma Baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Huius non potest esse alia ratio quam voluntas Dei, & Christi instituentis: quæ colligitur probabiliter ex Euangelio Matthæi 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti:* addita communi Ecclesiæ traditione, iuxta quam, non sola inuocatio explicita trium personarum, sed etiam ministerium baptizandi debet necessario in verbis formæ Baptismi exprimi. Vnde D. Thomas in 4. dist. 3. q. 1. art. 2. q. 1. ad 3. ait, *quod in verbis illis Dominus principaliter non intendit tradere formam sacramenti: quia prius eis tradiderat, quando baptizabant etiam ante passionem: sed intendit eis præcipere actum baptizandi secundum formam prius eis traditam: & ideo ex verbis illis potest probabiliter accipi forma prædicta, quamuis non expresse ibi ponatur.* Igitur vt conclusio sit de fide ultra verba Scripturæ, oportet ad Apostolicam traditionem recurrere. Quod & diffinitur in Concilio Florentino in decreto Eugenij Quarti §. *Primum omnium*, & ab Alexandro Primo cap. 1. de Baptismo, & eius effectu.

8. Conuenientiæ rationem assignat D. Thomas art. 5. his verbis. *Baptismus per suā formā consecratur, secundū illud ad Ephes. 5. Mundans eam lauacro aque, in verbo viæ: & August. dixit lib. 6. de Baptif. cap. 25. & lib. 4. cap. 15. & refertur cap. Satis ostenditur de Consecratione dist. 4. quod Baptismus verbis Euāgelicis consecratur.* Et ideo oportet, quod in forma Baptismi exprimat causa Baptismi. Est autem eius duplex causa: vna quidē principalis, a qua virtutē habet, quæ est Sancta Trinitas: alia autem instrumentalis, scilicet minister, qui tradit exterius sacramentum.

tum. Et ideo oportet in forma Baptismi de vtraque fieri mentionem. Minister autem tangitur, cum dicitur: *Ego te baptizo*: Causa autem principalis, cum dicitur: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Vnde hæc est conueniens forma Baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

9. Sed obijciēs ex hac ratione D. Thomas sequi in omnibus formis sacramentorum exprimendam causam principalem, & instrumentalem: si quidem omnia sacramenta per verba formæ consecrantur: & in omnibus reperitur illa duplex causa principalis, & instrumentalis. Consequens est fallum: nam in forma Pœnitentiæ non exprimitur Trinitas, quæ est causa principalis: & in forma Extremæ unctionis non exprimitur persona ministri: neque in alijs sacramentis. Neque in Baptismo exprimere personam ministri, est de essentia formæ, vt ait D. Thomas ad 1. & augetur difficultas: nam sacramentum potius est signum sui effectus, quæ causa, a qua manat talis effectus: ergo conuenientiæ formæ, potius ex hac significatiōne, quam ex causarum expressiōne sumenda est.

10. Respondet Suarez in com. art. 5. D. Thomam supponere Christi Domini institutionem probatam in argumento *Sed contra.* Qua institutione supposita, solum vult assignare congruentiam eius quæ non est in eo se tu intelligenda, qui in obiectione facta infirmatur, videlicet, vt forma sacramenti sit conueniens, necessarium esse, quod in ea sacramenti causæ exprimentur. Sed è contrario, quod ea forma, in qua huiusmodi causæ exprimentur, hoc ipso iudicanda est conueniens; quia exprimendo causam principalem sacramenti, indicatur origo totius sanctificationis, & consecrationis sacramenti, & sit principalis quædam fidei Christianæ professio. Explicando autem ministerium, declaratur etiam actus eius, qui est materia sacramenti, scilicet, ablutio: & significando hunc actum, consequenter significatur effectus eius, scilicet, spiritualis, & interior ablutio, quæ per exteriorem significatur: atque ita recte explicatur nihil deesse tali formæ vt sit conueniens, & aptissima. Quamuis non omnia ista necessaria sint in omni forma cuiusvis sacramenti: pauciora enim sufficere possunt, quia non in omnibus est eadem ratio institutionis, vt suis locis dicitur. Hæc Suarez satis probabiliter, & Ruiz ibidem.

11. Cæterum eadem congruentia potest etiam explicari ex D. Thomas in 4. dist. 3. q. 1. art. 2. q. 1. dicente. *Forma completi-*

ua rei media est quodammodo inter materiam, quam perficit, & causam efficientem, a qua producit, vt virtus efficientis mediā te forma ad materiam traducatur. Et quia mediū complectitur aliquomodo vtrumque extremorum: ideo forma Baptismi continet, & principale efficiēs, vnde Baptismus efficaciam habet; & materiam Baptismi proximam, quæ est actus ablutionis: & ideo ponitur: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* tamquam principale efficiens, a quo Baptismus efficaciam habet: & ponitur actus materialis in ea, quæ circumstant ipsum, scilicet conferens, & recipiens, in hoc quod dicit: *Ego baptizo te.* Tres alias rationes congruentiæ assignant Maldonatus Mathæi ult. & Granados tract. 1. disp. 5. n. 8. quia cum Baptismus sit ianua sacramentorum, in illo oportuit explicare vnde haberet efficaciam. Secunda, vt qui baptizatur agnoscat se recipere aliquid diuinum. Et tertio vt ait S. Fulgentius de fide ad Donatum cap. 9. *Baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, saluator noster edocuit, vt sicut Trinitatis opere inuitum conditionis accepimus, sic in nomine Trinitatis, diuine adoptionis gratia frui mereamur.* Quia oportuit in nomine Trinitatis generari eos, qui in nomine eiusdem Sanctissimæ Triados geniti, seu creati sumus. Sed quia rationes congruentiæ non sunt ita conuincentes, ac rationes demonstratiuæ; ideo nō est cur amplius inuicemur in istis rationibus examinandis, & ponderandis.

§. II.

De forma Baptismi Græcorum.

12. Veritate catholica stabilita, difficultates speculatiuæ, & practica inter Catholicos disputata sunt examinanda. Primo inquiritur, vtrum Græci valide, & licite mutent formam Baptismi?

Innocentius Quartus capite primo de Baptismo, & eius effectu, docet quod Græci valide baptizant: si tamen apud Latinos quis Græcorum formam vteretur, invalide baptizaret. Idem docet Cardinalis Fr. Constantinus Sarnanus in Summa Theologiæ loco 6. vbi de forma Baptismi folio 130. ¶ Rursus S. Thomas in 4. dist. 3. art. 2. q. 2. ad 1. refert opinionem Theologorum adherentium Græcos non baptizare valide: ait namque. *Vtrum autem ipsi mouent aliquid quod est de substantia formæ, vt sic oporteat rebaptizari, quamuis quidam dicant hoc, non tamen est determinatum, sed dubium apud quosdam, &c.* Et infra concludit,

cludit, tangens illum casum, cum Latinus baptizaret in forma Græcorum, & dicens. *Et ideo non licet, præcipue Latinis, in forma Græcorum baptizare: quod si præsumerent, secundum quosdam non esset Baptismus, secundum quosdam autem esset, sed grauer peccarent.* Ideoque Angelus verbo Baptismus 2. nu. 18. & Siluester verbo Baptismus 1. in fine docent in hoc casu Baptismum iterandum sub conditione: *Quod & docuerat Aletis 4. p. q. 8. membro 3. art. 3. §. 4.*

13 Addit Gaspar Hurtado disp. 1. de Sacramento Baptismi difficult. 8. quod qui baptizaret dicendo: *Baptizatur talis seruus Christi, &c.* Invalide baptizaret: quia Eugenius Quartus in suo decreto fidei, quamvis tradat ut sufficientem hanc formam Græcorum: *Baptizetur talis seruus Christi, &c.* Non tamen hæc: *Baptizatur in nomine Patris, &c.* Nisi addendo *manibus meis.*

14 Per aliud extremum Filliucius trac. 2. cap. 3. n. 42. & Lugo disp. 2. de sacramentis in genere sec. 6. n. 109. ex lectione Græca intendunt probare, quod forma Baptismi non est illa, quæ communiter circumfertur: *Baptizetur seruus Christi:* sed illa: *Baptizatur seruus Christi, &c.*

15 Sed communi Theologorum acquiescendo, in primis dico apud Græcos consuetum vno vel altero modo formam Baptismi exprimere. Constat ex D. Thoma 3. p. q. 60. art. 8. in arg. *sed contra*, ubi ait Græci baptizant sub ista forma: *Baptizetur seruus Christi. Non in nomine Patris.* Et q. 66. artic. 5. ad 1. ait Græci non attribuunt actum Baptismi ministris, ad euitandum antiquorum errorem, qui virtutem Baptismi baptizantibus attribuebant, dicentes: *Ego sum Pauli, & ego Cepha.* Et ideo dicunt: *Baptizetur seruus Christi, talis, in nomine Patris, &c.* Et in 4. dist. 5. illa solutione ad 1. de Græcis ait. Et ideo differunt in forma à nobis quantum ad tria. Primo, quia personam ministri in forma non exprimunt. Et hoc dicunt ad remouendum errorem, qui fuit in primitiua Ecclesia, quæ efficaciam Baptismi baptizanti attribuebat, ut patet 1. ad Corinth. 3. Secundo in hoc, quod significant actum sub alia persona, scilicet tertia, & sub alio modo scilicet, subiunctiuo, vel optatiuo: ad signandum, quod actus exterior expectatur ab extra. Tertio, quia personam baptizatam ponunt in nominatiuo casu, & in tertia persona: quia quandoque baptizatus non habet intellectum, ut ad eum possit dirigi sermo. Hæc D. Thomas, & communiter Theologi. Constatque ex decreto Eugenij mox referendo,

16 Dico secundo, Græci valde baptizant, dicendo *Baptizetur, vel Baptizatur.* Ita S. Thomas art. 5. ad 1. illis verbis. *Et quia exprimitur actus exercitus per ministrum, tum in hocatione Trinitatis, verum perficitur sacramentum.* Et communiter Theologi. Constatque ex Decreto Eugenij 4. in Concilio Florentino, ubi sic habetur. *Non tamen negamus, quod per illa verba: Baptizetur (vel, ut habetur in margine: & notat M. Ioannes Nicolai in additionibus ad Raynerium verbo Baptismus cap. 1. §. 5. folio 257. quod vtrumque insinuat in decreto: Baptizatur) talis, seruus Christi, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Vel baptizatur manibus meis, talis, in nomine, &c. Verum perficitur Baptisma, &c.* Quare Suarez disp. 21. sec. 1. in fine dicit esse de fide. Et Nuño artic. 5. diff. 1. conc. 1. dicit. Credo esse erroneum, vel proximum errorem nostris temporibus asserere, quod talis Baptismus non sit validus. Quamuis autem alij Theologi a centura abstineant, quia Pontifex non videtur ibi diffinire, sed permittere: quia tamē permittere in hac parte esset error animabus perniciosus, quia decederet sine vero Baptismo: ideo hoc est indubitatum: & neque etiā sub conditione esset iterandus Baptismus apud illos illa forma datus.

17 Vtrum autem Græci peccent? Scotus dist. 3. q. 2. ar. 2. dicit, quod aliquando eis fuit licitum propter permissionem Ecclesie. Si autem Ecclesia Latina id prohibuit, peccant. Cæterum Soto dist. 3. q. vnica artic. 5. §. *De culpa vero*, bene aduertit, quod nusquam talis prohibitio legitur, & ideo non peccant. In eo forsitan peccarent utendo nostra forma, propter scandalum, quod apud illos oriretur. Imò Cabrera art. 5. n. 10. ait, quod Græcus cessante scandalo, nec venialiter peccaret baptizando in forma Latina: quia est magna decencia, quod membra capiti concordent. Et Ecclesia Romana est omnium Ecclesiarum mater. Et quia non ex præcepto, sed tantum ex permissione possunt ritum suæ Ecclesie retinere.

18 Dico tertio, si quis apud Latinos uteretur forma Græcorum, valide baptizaret. Ita latè ostendimus q. 60. dub. 13. & oppositum nullam habere probabilitatem, cum Adriano q. 1. de Baptismo art. 3. §. *Ad videndum*, notat Soto art. 5. §. *Multa*, & Vazquez disp. 142. cap. 3. n. 30. & disp. 129. cap. 5. Neque vero (inquit Soto) obstat illa forma per tertiam personam: *Baptizet te Christus:* nā si per passiuam quis dicere potest: *Baptizetur seruus Christi à Christo Iesu, ut intelligunt Græci, cur non poterit verbum verbi*

in vocem actiuam?

19 Addit columna sequenti §. *De culpa vero*, quod si quis apud nos uteretur forma Græcorum intendens introducere eorum errorem, quod nos perperam baptizamus, grauissimo delinqueret peccato. Quin vero licet eundem errorem non incederet, sed prohibito suo vellet uti illa forma, vix posset propter scandalum, & suspicionem eximi à mortali. Quamuis fortasse secluso scandalo in secreto non esset grauius, quam veniale. Nihilominus Ecclesia grauer faceret ob suspensionem puniret.

20 Rarius addit S. Thomas in 4. dist. 3. q. 1. artic. 2. q. 2. ad 1. Hoc autem certum est, quod forma, qua nos utimur, melior est: Tum quia perfectior est, ut patet ex supra dictis: Tum quia magis consonat verbis Euangelij, quod ministros baptizantes dicit. Tum propter authoritatem Ecclesie, quæ hanc formam tradit, quæ numquam à vera fide legitur declinasse, hanc formam ab Apostolis retinens: & ideo non licet, præcipue Latinis, in forma Græcorum baptizare. ¶ Videatur Ruiz art. 5. dub. 2.

§. III.

De expressione ministri.

21 Secundo inquiritur, vtrum expressio personæ ministri requiratur ad Baptismum?

Respondetur conuenienter in Baptismo fieri explicitam mentionem ministri: sed tamen non est de eius essentia, quod explicetur nec immediate per *ly, ego*, nec mediate per verbum primæ personæ: bene tamen, quod explicetur virtualiter, & indirectè. Totā conclusio est communis. Priorem partem probat D. Thomas art. 5. ad 1. nam actio attribuitur instrumento sicut immediate agenti: attribuitur autem huiusmodi actio principali agenti, sicut in cuius virtute instrumentum agit. Et ideo in forma Baptismi conuenienter significatur minister, ut exercens actum Baptismi; per hoc quod dicitur: *Ego te baptizo.* Sicut & ipse Dominus baptizandi actum attribuit ministris, dicens: *Baptizate eos, &c.*

22 Secundam partem docet D. Thomas in fine solutionis ad primum dicens. Quod autem additur, *ego*, in forma nostra, non est de substantia formæ, sed ponitur ad maiorem expressionem intentionis. Et ratio est, quia hæc particula in antecedentibus intelligi potest, quia secundum Grammaticos, in verbis

primæ; & secundæ personæ intelligitur nominatiuus certus, & determinatus. & ideo in re idem significat, *Baptizo, ac, ego baptizo.*

23 Tertia pars constat ex dictis de validitate formæ Græcorum. Vltimam partem exprimit Soto art. 5. ad 1. §. *Colligi ergo*, ita dicens. De essentia Baptismi est ut exprimat actus, qui exercetur à ministro, cum inuocatione Trinitatis, ut habetur in Concilio Florentino: nam illic virtualiter subnotatur minister. Quando autem per primam personam exprimitur actus, illic virtute ipsius locutionis subintelligitur minister. Ut si quis dicat, *Baptizo te in nomine Patris, &c.* In verbo subintelligitur pronomen. Quare, *Ego*, non est de essentia, sed de congruentia ad maiorem expressionem.

24 Quod si contra hoc postremum assertum obieceris illud Alexandri Tertij, de Baptismo, & eius effectu, cap. *Si quis puerum*, ubi ait, quod si quis puerum in aqua immerferit, in nomine Patris, &c. Et non dixerit: *Ego te baptizo; non est puer baptizatus.* Respondetur vim illic quæstionis non consistere in pronome, *Ego*; sed in expressione actus. Vult ergo diffinire Pontifex, quod licet quis mergat in nomine Patris, &c. Non exprimendo verbo actum baptizandi, non baptizat. Si vero dicat, *baptizo te*, sufficit ad essentiam.

25 Subiungit ibi Soto. Quod si scisciteris quanta esset culpa baptizare sine expressione pronominis? Profecto censo non esse mortalem; nisi fortasse graue suboriretur scandalum: quod numquam arbitror posse tam magnum oriri. Quæ doctrina est communis, aduersus Robertum Olchot. in 4. q. 1. de Baptismo art. 2. absolute pronunciantem esse peccatum mortale omittente *ly, Ego.* Et aduersus Filliucium tract. 2. n. 49. idem affirmantem, casu quo illam omittat in publico, & solemnè Baptismo. Sed multis reletis aſserit Leander tract. 2. disp. 3. q. 3. quod si scandalum inde oriretur, potius passiuum, quàm actiuum foret. Sed rectius dicitur scandalum non esse in parte substantiali, vel ita magna, quod pertingeret ad culpam mortalem. De quo Henriquez, Bonacina, & Diana, quos refert, & sequitur Trullench lib. 2. praxis cap. 1. dub. 4. num. 4.

26 Sed ex vltima parte assertionis nascitur alia quæstio, an sufficienter exprimat persona ministri dicendo, *Baptizet te Deus, vel Christus, vel baptizet, in nomine Patris, &c.* Negant Alexander Aletis 4. p. q. 8. membro 3. art. 3. §. 2. ver. *Consequenter quæritur.* Et Vazquez disp. 142. cap. 2. n. 16. & 18. & Granados tract. 1. disp. 5. n. 3. Probant primo,

primo, quia sine per modum indicatiui, siue per modum deprecationis fiat, per illam ita tribuitur actio baptizandi, & effectus spiritalis illius Deo, vt nihil reteruatur ministro per modum ministrantis sacramentum, sed solum per modum deprecantis, perinde ac si ipse sacramentum non ministraret, vel ministerium, quod in sacramento adhibet, nihil operaretur. Tum etiam, quia inuocatio illa Trinitatis inepte additur illis verbis; baptizat te, si baptizat te Deus, &c. Eo quod eis solum explicatur actus baptizandi prout actio Dei: Deo autem non conuenit baptizare in nomine Patris, &c. Hoc est, auctoritate Patris; sed tantum ministro: etenim hic modus loquendi denotat inferiorem, qui nomine alterius baptizat, & superiorem, in cuius nomine baptizat.

27. Contraria sententia est communis, & vera quam docuit Adrianus in 4. q. 2. de Baptismo §. Ad videndum ver. dicitur. Et Soto art. 5. ad 1. §. Multum, & §. de forsan. Nuño art. 5. artic. 1. ad 3. Serra conc. 1. & in fine. Ruiz dub. 1. Cabrera nu. 5. & 7. & 8. Auera sec. 5. §. Tertio. ver. Et in sequenti. I. c. Henriquez, Suarez, Egidius, Layman, quos refert, & sequitur Cattrus Palaus tract. 19. dist. unica puncto 3. nu. 4. & alij. Probat Soto: nam si per passiuam quis dicere potest baptizetur seruus Christi a Christo lesu, vt intelligunt Græci, cur non poterit verbum verti in vocem actiuam? Eo præsertim, quod in Confirmatione Constantini Imperatoris, vt patet in Prologo ante Synodum Nizænam, vius est S. Syluester illa forma, Signat te Deus sigillo fidei in nomine Patris, &c. Quæ utique ratione in sacramento Penitentia, licet quis diceret, absoluit te, vel absoluat te Christus; vere absolueret, quamuis peccaret. Nam & forma Extreme unctionis est: Indulgeat tibi Deus, &c. In summa, si expressio solius ministri sufficit vt exercetis actum, Ego te baptizo, cur non sufficiat expressio Christi, qui per suum ministrum baptizat?

28. Addit §. de forsan, in fine. Siquis in forma actionem ministri excluderet, dicens, Baptizat te Deus, vel absoluat te Deus, vel Christus, quæ ego nullatenus baptizo, aut quem ego non absoluo, profecto non baptizaret: quia aduertaretur intentioni Christi, & Ecclesie. Sed si illa non fiat exclusio, sufficiens est forma exprimendo solum Christum, qui intelligitur per suum ministrum baptizare. Quo fit, vt si forma Græcorum esset, baptizetur seruus Christi a Christo, & nullatenus a me, certe Ecclesia illum errorem non toleraret, sed toleratur subicere nomē ministri, cuius tamen

actio illis intelligitur. Hæc ibi.

29. Cattrus Paulus idem probat, & contraria diluit nu. 4. ita scribens. Etenim cum potestas delegata sit a Christo Domino docendi gentes, & baptizandi eas in nomine, &c. Exprimens minister vt Deus, eas baptizat, clare denotat vt Deus per illum eam abluitionem exercentem, tamquam per suum ministrum baptizet. Sicuti si a principe quis accepit potestatem distribuendi aliquam pecuniam, quibus vellet, & cum eam distribuit, diceret; hanc pecuniam princeps tradit vobis; sane non solum sui principis donationem, sed suam propriam minister idem traditionem significaret. Ex qua ratione constat imperium hac forma significatum, proprie imperium esse non potest, sed est vltus absolutus potestatis concessæ circa creaturas rationales. Ideoque non ad Deum, sed ad abluitionem, & effectum per ipsam significatum dirigi: facitque hunc sensum, abluaris a Christo tamquam a principali causa, & sacramentorum auctore, & a me tamquam eius ministro. Secundum hunc vltimum sensum non inepte dicitur Deum in nomine suo baptizare, quatenus scilicet baptizat medio ministro per potestatem illi collatam.

30. Fauent illa verba Ioannis 1. vbi de Christo ait. Etia est, qui baptizat in Spiritu Sancto. Quæ exponens S. Augustinus to. 9. tract. 6. in Ioan. ait. Petrus baptizat: hic (nempe Christus) est, qui baptizat: Paulus baptizat: hic est, qui baptizat, &c.

31. Notat etiam Soto §. Longe autem, im probabile esse, quod docuit Innocentius Quartus, quod non esset Baptismus, si quis diceret: Ego Petrus, aut ego sacerdos baptizo te, & baptizetur seruus Christi a me Petro, se se designando. Quia hic nil sane de essentia formæ variatur. Imò quamuis baptizans crederet illam esse necessariam formam, ita quod sine illa expressione forma non esset sufficiens, illa ignorantia non tolleretur veritatem sacramenti: quia licet esset contrarietas Ecclesie, potest tamen cum illa ignorantia extare legitima intentio faciendi, quod facit Ecclesia. Et §. At vero, in fine notat, quod pro baptizo posset dicere Episcopus baptizamus, & pro te, vos, si Regem baptizaret. Imò persona particularis, si idem vellet significare ac significat persona in dignitate constituta, cum illo modo loquitur. De alijs autem mutationibus, additionibus, & transpositionibus, & interruptione formæ, constat ex dictis de omnibus sacramentis q. 60.

§. IV.

De actu baptizandi, an exprimi debeant in forma?

32. Q. Varto inquitur, vtrum de essentia formæ Baptismi sit, quod in ea exprimat actus baptizandi? Razio dubitandi est: quia non est necessarium, quod qui aliquem actum exercet, de actu exercito in opere faciat mentionem in verbis: sicut ille, qui docet, non oportet, & multo minus necessarium est, quod dicat: Ego vos doceo: Dominus autem simul tradidit præceptum baptizandi, & docendi, dicens Mathæi vltimo: Euntes docete omnes Gentes baptizantes, &c. Et sicut ille qui se munit signo Crucis, non opus est vt dicat: Ego me signo: sed faciendū signum se signat. Similiter in sacramento Eucharistia consecrans non dicit: Ego consecro. Ergo quando Christus præcipit, docete, baptizantes; non præcepit vt id dicerent, sed vt id facerent.

Respondet optime Sanctus Thomas ar. 5. ad 2. quod quia abluio hominis in aqua propter multa fieri potest, oportet quod de terminetur in verbis formæ ad quid fiat. Quod quidem non fit per hoc quod dicitur in nomine Patris, &c. Quia omnia in tali nomine facere debemus, vt habetur ad Col. 3. & ideo si non exprimat actus Baptismi, vel per modum nostrum, vel per modum Græcorum, non perficitur sacramentum, secundum illam Decretalem Alexandri 3. c. 1. de Baptismo, & eius effectus: si quis puerum ter in aqua immerferit in nomine Patris, &c. Et non dixerit: Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: Amen: non est puer baptizatus.

33. Idem, ratione eadem Diui Thomæ, docet Eugenius Quartus in Concilio Florentino, post vltimam sessionem §. Primum omnium, ibi. Si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sancta Trinitatis inuocatione, persistit in sacramentum. Quæ ratio nulla esset, si sacramentum esset validum absque eo, quod in forma explicaretur actus, qui per ipsum exercetur ministrum. Huius ratio a priori non est alia, quam Dei institutio, quæ constat traditione Ecclesie, & decretis Pontificum, & consensu Theologorum. Quorum nil militat in sacramento Eucharistia, de quo diuersa est ratio: nam illud non consistit in vltu, & applicatione sacramenti, sed in consecratione, quæ fit per verba a Christo instituta.

34. Addunt Innocentius Quartus cap.

1. de Baptismo, non esse Baptismum, si quis dicat loco de ly baptizo, balneo, vel ablutio. Et Glossa cap. Multum de Consecratione, distinctione 4. ait non esse sacramentum, si quis dicat: Ego te mergo. Et Inter Theologos Alexander 4. part. quæst. 13. membro 3. artic. 3. & Gabriel in 4. dist. 3. quæst. unica dubio 3. circa finem. Et Alensis 1. par. Summæ libro lib. 4. tit. de Baptismo fol. 178.

35. Cæterum Soto in quarto dist. 1. quæstione 1. artic. 8. §. Hæc de erroribus, & distinctione 3. quæst. unica art. 3. ad 1. §. At vero, ita ait. Licet vti verbis, loco verbi, baptizo, exprimentibus eundem actum, & effectum: nam tunc nihil mutatur, quod sit de essentia sacramenti. Quando quidem etiam Christus Hebraicè protulerit illam formam, nihilominus Ecclesia retinuit verbum Græcum, baptizo, rationibus per nos dist. 1. allatis. Et Hieron. eodem loco super Mathæum, pro, baptizantes, semper legit, tingentes. Et August. Baptismus, inquit, est rictio aque, &c. Tutius ergo possumus dicere, abluo, vt pote, quod explicatius significat naturam Baptismi, quam tingo. Eo potissimum, quod cum vnusquisque possit in sua lingua baptizare, atque adeo nomina Patris, & Filij maternis vocibus pronuntiare, non est cur non & verbum baptizo, possit alia voce exprimere. Ad hæc, cum Apost. ad Ephes. 5. Baptismum appelleret lauacrum aque, nullus sit reliquus merus, quin pro baptizo, dicere liceat, lau, sicuti seculares in extrema necessitate baptizantes dicere non nunquam consueverunt. Imò vt art. 7. videbimus, cum quis per effusionem, vel asperisionem baptizat, quauis non dicat nisi: Ego te aqua, vel infundō, vel aspergo, erat Baptismus.

36. De verbo autem, mergo, obscurius esset dubium: quia mergere non tam proprie significat abluere, aut intingere, cum fiat etiam ad suffocandum, & ad alios effectus. Attamen ex accommodatione vsus, quando fit sub illa forma, idem valet, quod abluo. Imò, baptizo, omnia illa significat. Vnde quamuis verba non sint omnino synonyma, eodem prorsus modo significantia, satis est vt eundem sanctum effectum ex vsu accommodatione repræsentent. Quo circa, si quis diceret, Ego te balneo, non ita tuto atere auderem esse Baptismum: quia balneare alium effectum significat. Multo autem minus si quis diceret: Ego te mitto, aut conijcio in aqua: non enim vique adeo laxanda est licentia. Quare hoc modo baptizatos consilium esset sub conditione aenuo baptizare.

Qui autem diceret: *Ego te mundo ab originali*, non baptizaret: quia Baptismus non quomodocumque mundat, sed per formam ablutiois; quæ ideo explicanda est. Sicut in sacramento Poenitentiae, non licet dicere: *Ego te abluo à peccatis tuis, sed ego te absoluo*. Hæc Soto, solita sapientia, & elegantia, cum claritate, & breuitate, & eruditione coniuncta multos casus paucis retoluens.

Quem sequuntur Nuño, Cabrera, Serra, Ruiz, & alij Thomistæ hic. Item communiter Theologi, vt quatuordecim relatis ostendit Leander tract. 2. disp. 3. quæst. 10. Trullench lib. 2. cap. 1. dub. 4. num. 20. & Auerfa sectione quinta adiciens, quod ex consuetudine Ecclesiae debet sub ipso verbo, *baptizandi*, hæc forma proferri: & alio verbo ex industria vti, non vacaret graui culpa.

Denique notat Syluester verbo Baptismus. 1. quæst. 11. conclus. 3. cum Aureolo, quod non esset Baptismus, si loco de *ly baptizo*, diceret, *ego te lino*: quia isto verbo non exprimitur ablutio.

37 Ex dictis sequitur, quod si quis apud Latinos diceret: *Ego te Chriſtizo*, vel *te Chriſtianum facio*, in nomine Patris, &c. & omitteret verbum *baptizo*, absque dubio inualide baptizaret: quia expressio actus baptizandi, vel illo verbo, *baptizo*, vel alio æquiualentis, est de essentia formæ: ista verba, vt constat, non sunt æquivalentia. Secundo, quia eadem ratio est huius formæ, ac illius: *Ego te mundo ab originali*: quam ratio facta, & communis consensus Theologorum probat non sufficere ad validum Baptismum.

38 Sed contra hoc posset opponi: nam Dalmatæ lingua sua vulgari baptizant dicunt: *la tebe Karſtim*, &c. quod vltimum verbum deriuatur à verbo Dalmatico significante Iesum Christum: & ita videtur propositio significare idem, ac apud nos. *Ego te Chriſtizo*, vel *Chriſtianum facio*. Sed isti valide baptizant: nec enim damanda est consuetudo illius Ecclesiae ab immemoriali obseruata in tot Prouincijs, quæ sub ea comprehenduntur: nec dicendum est eos per tot sæcula caruisse vero Baptismo: præsertim apud quos vera fides illibata, cum pietate simul conspicua coniuncta, perseuerauit, & floruit. Ergo pariter apud nos sub simili forma Baptismus valeret.

39 Huic difficultati rectè satisfacit Cardinalis de Lugo libro 1. Responsorum Moralium dub. 3. ex viro docto Dalmata, & illius Linguae satis perito, certum esse, quod verbum *Karſtim* apud Dalmatas impositum

est ad significandam ablutioem sacram: ac proinde idem significat, quod, *baptizo*; nullo autem modo *Chriſtizo*, vel *Chriſtianum facio*. Quod probat tripliciter. Sed præcipue, quia ad nominandum S. Ioannem Baptistam, & eius Baptismum, eodem vocabulo Dalmatæ vtuntur. Sicut nos retinemus verbum Græcum, *baptizo*, quod quidem non bene vturpatur pro profana ablutioe: & solum retinetur ad significandam ablutioem sacram, & mysticam. Imò (quod mirum esse posset) idem verbum in lingua vulgari qualibet retinetur ad idem significandum, & in forma Baptismi adhibetur, etiam si forma vulgari lingua proferatur. Aded vt etiã apud Indos Occidentales, quorum idiomata tam varia, & à lingua Latina omnino diuersa, remoraque sunt, idem verbum, *baptizo*, in eo sacramento vturpatur, etiam si forma proferatur vulgari idiomate ab ijs apud quos nullo modo verbum illud ablutioem profanam significare posset. Idem obiter docet Diana parte 10. tract. 16. & 6. misc. resol. 92. in fine.

40 Quid simile notat Soto in fine illius articuli quinti, nam cum vltimo obieciſſet, quod Cantabri non dicunt Deum, sed iuper num Dominum, & Galli non dicunt auum, sed magnum patrem: quare baptizantes in illa lingua non dicunt: *Patris*, &c. Respondet, quod *qui non habent nomen proprium Patris, aut Filij, non coguntur vti, nisi illo, quod proprio ducunt*. Præterea doctissimus noster M. Ioannes Paulus Nazarius tomo 3. opusculo 3. casu 3. fol. 342. refert, quod Chaldæi baptizant, dicendo: *Baptizatus est, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: de cuius formæ valore dubitatum fuit Romæ anno 1630. Ipseque conclus. 4. & 5. dicit posse dictam formam vt substantialiter sufficientem probabiliter tolerari ad vitanda scandala. Quia verba illa correspondent imperatiuis: & ita vtraque persona tam baptizantis quam baptizati, saltem virtualiter, & implicite significari. Et quia verba sacramentorum practica sunt, & non supponunt, sed faciunt rem significatam: & ideo intelligenda sunt secundum vltimum instans in quo terminantur. Sicut in consecratione: & etiam in forma Baptismi Græcorum, quia ipso Baptismo efficitur seruus Christi.

¶ Quod mihi valde probabile etiam videtur propter hæc argumenta, quidquid sit de alijs. Nec video cur Diana parte 10. tractatu 16. & 6. Miscellaneo resolutione 92. dicat hanc sententiam admittendam non esse:

esse: quia communiter Theologi, & traditio Ecclesiae declarant quod personæ baptizandæ debent exprimi. Responderat enim Nazarius exprimi, sicut baptizans exprimitur per *ly baptizo*.

40 Et in alio casu S. Thom. in 4. dist. 3. q. 1. art. 2. q. 2. ad 6. ait. Quando sensus loquutionis aliquomodo manet, tunc quamuis mutetur forma quantum ad sonum sensibilem; non tamen mutatur quantum ad significationem: quia quamuis oratio corrupte prolata nihil significet ex veritate impositionis, significat tamē ex accommodatione vsus. Idem docet 3. p. q. 60. art. 7. ad 3. & art. 8. & nos ibi, iuxta id quod determinat Zacharias Papa cap. *Retulerunt, de Consecrat.* dist. 4. de illo, qui sic formam proferebat: *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: quod quia recta intentione Ecclesiae dicebat, valide baptizabat. Vnde & Sayrus lib. 1. cap. 4. art. 4. & 5. ait. Quando subtrahitur aliqua syllaba, vel littera per syncopam, non destruitur propter hoc forma: dummodo remaneat sensus ex accommodatione. Vnde si quis diceret: *Ego te batizo*, pro, *baptizo*: vel in nomine *Patri*, vel *Pati*, pro, *Patris*, non tollitur sacramentum.

§. V.

De persona, quæ baptizatur.

41 QVinto inquiritur, vtrum in forma Baptismi debeat exprimi persona, quæ baptizatur?

Videtur quod non. Primo: nam in decreto Concilij Florentini dicitur. *Et quia exprimitur actus exercitus per ministrum, cum in uocatione Trinitatis, verum perficitur sacramentum*. Sed hæc dno explicari possunt, non explicando personam baptizandam: ergo quod in forma ista exprimat, non est de necessitate sacramenti.

Secundo, hoc videtur ex modo loquendi, quo Dominus vsus est, proponens baptizandos in tertia persona, dicens, *baptizantes eos*.

Tertio: nam ille, qui baptizatur, quandoque non intelligit verba; vt si sit surdus; aut puerulus. Frustra autem ad talem sermo dirigitur: secundum illud Eccles. 32. *Vbi non est auditus, non effundas sermonem*: Ergo inconuenienter dicitur: *Ego te baptizo*, sermone directo ad eum, qui baptizatur.

42 Responderetur esse de necessitate sa-

cramenti Baptismi exprimere in forma, per *ly, te*, vel per aliquid æquiualens, personam distinctam, quæ baptizatur. Sumitur ex D. Thoma art. 5. ad 3. & 4. & quod hoc est extra controuersiam, notat Soto ibi §. *Ex hac*. Et quod Scholastici omnes vno ore, id fatentur, aduertit Vazquez disp. 142. cap. 3. num. 30. Quinquaginta Authores, qui hoc doceant, refert, & sequitur Diana p. 16. trac. 16. & 6. miscellaneo resol. 92. Videtur autem lapsus memoria Nuño, cum art. 5. dist. 3. scribit, quod hoc habetur expresse in Concilio Florentino, & Tridentino: ibi enim hoc, nec exprimitur, nec negatur. Similiter defuit Henriquez lib. 2. cap. 8. nu. 4. lit. z. dicens, quod Concilium Florentinum solum ait explicandam personam, quæ baptizatur. Hoc non exprimit Concilium. Quare rectè Nazarium. 8. opus. 3. casu 3. folio 342. conc. 3. asserit: nullam me hæc inuenire potuisse alicuius Summi Pontificis definitonem asserentem Baptismum nullum esse, si in eius forma non exprimat personam baptizati. Et in forma Græcorum apponitur ad maiorem expressionem, vt similior esset formæ nostræ, quæ est omnium perfectissima. Admittit tamen id esse cõforme Scripture, & tradi à D. Thoma, & à Catechismo Pij Quinti, & à communi, & vera Theologorum sententia. Videantur quæ diximus su. 40. & explicentur iuxta dicta nu. 22. ex D. Thoma ad 1. Per quæ excluditur Caramuel in Theologia Fundamentali cap. 7. funda. 64. num. 1288. asserens formam essentialem solum esse: *Baptizo, nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti*.

43 Rectè autem oppositum probat Soto, dicens. Neque de hoc controuersia est; sed est firma sententia. Quæ quidem primò colligitur ex verbis Christi, *baptizantes eos*. Item ex natura ipsius sacramenti eruitur, quæ consistit in vtu, & applicatione materię ad subiectum: quare nisi illud exprimat, non in forma, non satis exprimitur actus. Atque idem patet in Sacramento Confirmationis, Poenitentiae, & Extreme Vnctionis: non enim satis esset dicere: *Ego Chriſmo*, vel *absoluo*, nisi adderes, *te*. Pari modo non esset Baptismus, si solummodo diceres: *Ego baptizo in nomine Patris, &c.*

44 Adiecit ibi, & bene. Potest tamē per palsiuam exprimi: *Tu baptizaris à me*: licet culpa esset formam sic mutare. Vel in tertia persona sub communi nomine, vel vt Græci dicunt, *Baptizetur seruus Christi*. Quo circa pariter esset Baptismus, si quis loco pronominis diceret: *Baptizo hunc*, vel *Ioannem*, vt

ait Gabriel in 4. dist. 3. q. unica circa finē: nā illa expressio tanta est, quanta quæ per pronomen fit. Quod communiter sequatur Theologi aduersus Alexandrū Alensem 4. p. q. 8. memb. 3. art. 3. §. 2. docētem, quod si quis diceret, *Baptizo Iohannem, vel eum*, nō indiciendo illum pronomen *te*, nullum foret sacramentum.

45 Per oppositum refert Henricus Henriquez lib. 2. c. 8. n. 4. lit. z. quod Scotus in 4. dist. 3. dicit melius esse ut dicatur *Baptizo Petrum*, quam *te*. Quod tamen, inquit Henriquez, esse contra morem Ecclesiæ Latinæ.

Cæterum Henriquez nō videtur legisse Scotum, vel eius verba considerasse: nam illa dist. 3. q. 2. ar. 2. docet, quod non potest vitare peccatum minister, qui non vitur verbis Ecclesiæ Romanæ, si sit minister ex officio, quia tenetur scire ea, quæ sunt sui officij, ad quod deputatur. Loquendo vero de ministro Ecclesiæ Græcæ, & quoad illa verba, *seruus Christi*, sic ait, ante lit. d. *Verumtamen melius potuisset suscipiens fuisse sic expressus, quæ per hoc, seruus Christi, scilicet, nomine proprio non enim iam seruus Christi baptizatur: sed baptizatur ut sit seruus Christi: loquendo de seruitio spirituali, quo Christianus est seruus Christi. Nō ergo loquitur de ministro Ecclesiæ Romanæ; nec de mutatione particulæ *te*.*

46 Refert etiam Leander tract. 2. disp. 3. q. 3. quod Angelus ver. Baptismus nu. 2. & Armilla n. 5. Vigaldus, & alij dicunt peccare mortaliter, qui loco *te*, poneret nomen proprium baptizati. Sed Armillam falsō citat: siquidem verba eius sunt. *Si tamen locos *te*, poneretur nomen proprium, ut dicendo, Ego baptizo Petrum. Tabiena dicit se credere, quod valeat; quamuis peccaret; cum Græci ponant nomen proprium dicendo, baptizetur Petrus, &c.* Hæc ibi. Solum ergo esset peccatum veniale, quia sit cōtra morem Ecclesiæ Romanæ; sed non peruertendo sensum, nec ritum substantialem. Et ita cōmuniter tenent Auctores. Videatur Candidus disp. 16. ar. 4. dub. 4.

47 Ex dictis infertur etiam mutari sensum formæ, & invalidum fore sacramentū, si diceretur: *Ego baptizo me*. Et ideo, inquit D. Tho. ar. 5. ad 4. nullus potest baptizare se ipsum: propter quod & Christus a Iohāne voluit baptizari, ut dicitur *Extra. de Baptismo, & eius effectu, & cap. Debitum, ex Innocentio 3. lib. 3. Decret. tit. 42. c. 4. De quo latius Auctores, quos refert Bonacina de Baptif. disp. 2. q. 2. punct. 4. n. 20. Addit tamen Innocentius 3. in eodē cap. Debitum, quod Iudas, qui se ipsum in aqua sub forma Baptismi immerfit, si absq; alio Baptismo de vita decessisset,*

ad patriam protinus euasisset propter sacramenti fidem: at non propter fidei sacramentum.

48 Ad primam rationē dubitandi recte respondet Soto, & Vazq. nu. 3. verba illius decreti sic intelligēda esse, ut exprimaturs actus, & eius applicatio ad recipientem: quia non satis exprimitur actus, nisi exprimaturs subiectum in quod terminatur. Hoc autem Eugenius 4. explicite non notauit, eo quod manifestum esset, & sine controversia inter Græcos, & Latinos non esse differentiā, nec discriminē in nomināda persona, sed in modo exprimiendi actum baptizandi.

49 Ad secundū respondetur cum D. Th. in 4. dist. 3. q. 1. ar. 2. q. 1. ad 6. quod Dominus præcipiebat actum Baptismi ut absentium: & ideo oportebat, quod vteretur tertia persona: secus autem est de illis, qui exercent actum illum in præsentibus.

50 Ad tertium respondet D. Th. ibi ad 5. & hic ar. 5. ad 3. quod verba, quæ proferuntur in formis sacramentorum, non pronunciantur solum causa significandi, sed etiam causa efficiendi, in quantum habent efficaciam ab illo verbo, per quod facta sunt omnia. Et ideo conuenienter dirigitur, non solum ad homines non intelligētes, sed etiam ad creaturas insensibiles: ut cū dicitur: *Exortizo te creatura salis.*

51 Aduertendum autē, quod si ob dignitatē baptizandi, baptizās diceret: *Ego baptizo vos, vel maiestatem vestram*, validus esset baptismus, ut notat Soto dist. 3. a. 5. §. *At vero.* Notauerat autem dist. 1. q. 1. a. 8. §. *Adde,* quod ridiculus esset, qui illa reuerentia vteretur in baptizando, vel absolūendo Rege. Ratio istorum est, quod vbi est idem verborum sensus, eadē existimatur forma. Cū ergo accommodatio vltis vim in secularibus sermonibus obtineat, non est cur non eandem quoque retineat in sacramentis.

52 Rursus addit D. Th. art. 5. ad 4. quod cū in casu necessitatis vnus plures baptizat, quilibet reciperet vnū Baptismū. Sed tūc oportebit dicere: *Ego baptizo vos*. Nec erit mutatio formæ: quia *vos*, nihil aliud est, quā *te*, & *te*.

§. VI.

De inuocatione trium Personarum

53 **D**E illa particula, *In*, Syluester verbo *Baptismus*. 1. n. 6. q. 11. concl. 4. ait. *Si intermitteretur *ly, in*, non est Baptismus, secundum Gualdensē. Et ratio esse potest: quia non stat sensus verus, cum significetur, quod id quo quis abluit, vel baptizat, sit nomen Trinitatis. Idem docent Angelus verbo *Baptismus**

tismus. 2. nu. 6. Maior in 4. dist. 2. §. *Iam visio.* Gabriel dist. 4. q. unica dub. 3. Nauarrus cap. 22. n. 5. Tolerus lib. 2. cap. 19. n. 5. Paulus Comitulus lib. 2. q. 9. Bartholomeus ab Angelis Dialogo 2. §. 115. Auersa hic q. 66. sec. 5. §. *Quarto*, dicens, quod non valeret dicere, baptizo te nomine Patris, &c. vel *cum nomine, aut per nomen.* Quia *ly, in*, habet vim quādam, & energiam authoritatiuē inuocandi Deum. Et videtur latini sermonis proprietate requiri. Quare non solum grauitur peccaret, qui hanc particulam prætermittet: sed etiam esset sub conditione reiterandus Baptismus, ob periculum nullitatis. Videtur tamen æquiualeter se habere, si dicatur, *sub nomine*, ac in nomine.

54 Non desunt tamen, qui dicant Baptismum esse validum omīssa illa particula; imō nec esse peccatum mortale, sed solum veniale illam omītere ob materiæ paruitatem. Ita Henriquez lib. 2. cap. 8. n. 6. Agidi q. 66. art. 5. n. 61. Bonacina disp. 2. de Baptifmo q. 2. punct. 4. nu. 16. Diana 2. p. tract. 15. resol. 47. Leander tract. 2. disput. 3. q. 11. & 12. Candidus disp. 16. art. 4. dub. 5. folio 84. Et Serra q. 66. art. 5. concl. 4. dicit non esse improbableē: nam idem omnino est sensus, siue dicatur, *in nomine*, siue *nomine Patris*. Supposita autem identitate significationis, mutatio non videtur grauis. Quamuis autē in proprietate Latini sermonis non omnino idem significent, quia ex vltis accommodatione, iuxta subiectam materiam, audientes eundem sensum percipient, videtur sententia hæc satis probabilis.

55 Notat autem Magister Sententiarū in 4. dist. 3. quod cum dicitur, *in nomine*, idē est, ac *in inuocatione*, vel *in confessione* Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Inuocatur enim ibi tota Trinitas, ut inuisibiliter ibi operetur per se, licet extra visibiliter per ministeriū. Quod & docuit Hugo de S. Victore lib. 2. de sacram. parte 6. cap. 2. Alexander Alensis 4. p. q. 8. membro 3. art. 3. §. 2.

56 Sancti autem Patres frequenter docent significare authoritatem, & naturā Deitatis. Ita S. Greg. Nazianzen. orat. 40. & ibi Nizetas S. Hieronymus ad illa verba ad Ephes. 4. *Vnus Dominus*. Et Marth. 28. ad illa verba: *Baptizantes eos*. S. Ambros. lib. 2. de sacram. cap. 7. & lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 14. S. Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 32. circa finem. S. Fulgentius de Incarnatione cap. 11. S. Thomas hic art. 5. ad 6. dicit denotare virtutem diuinam. Vt hanc Patrum expositionem sequatur Vazquez disp. 143. c. 5. num. 33. & 34. quatuor argumen-

tis præcedentem expositionem impugnat.

57 Cæterum D. Thomas vtramque simul coniunxit. Præterea quidem in 4. dist. 3. q. 1. art. 2. q. 1. ad 9. dicens, quod nomen non competit voci, nisi secundum quod facit notitiam de re: nomen enim dicitur quasi notitiam. Notitiam autem habemus de Trinitate per fidem. Et quia est vna fides Trinitatis, & vna confessio Dei, quamuis sint diuersæ voces signantes tres personas; ideo dicitur in nomine, quasi in inuocatione, quæ fit per professionem exteriorem interioris fidei. Posteriorē verō expositionem sequitur D. Thomas hic art. 6. ad 5. Vtramque verō bene coniungit, & exponit Soto dist. 3. c. unica art. 5. ad 6. nam relata priorē expositione Hugonis, & Magistri, ait. *At vero, quæuis expositio hæc legitima sit, quam Alexad. 4. p. quæst. 13. in antiqua edit. membro 32. & D. Thomas in 4. dist. 3. art. 2. secuti sunt: Nihilominus non ineptè exponi etiam potest, in nomine, hoc est in authoritate, potestate, & virtute Patris, &c. Quod in præsentiarum D. Thomas insinuat. Quemadmodum Prætor id quod facit, nomine, id est, authoritate Regis facit. Enimvero non solum hac confessione Deum Trinum confitemur, verum, & eius potestate, & fauore, salutem, atque nos eius gratiam per Baptismum consequimur. Id quod designamus etiam dicentes, in nomine Patris, &c. secundum illud Psalmi 119. *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus.* Atque illud: *Deus in nomine tuo saluum me fac.* Quod quidem nomen omnipotentiam Dei significat.*

58 Ex quo sequitur, quod si quis diceret: *Ego te baptizo in nominibus, &c.* validum nō perficeret sacramentum: Cuius rationem assignat D. Thom. art. 5. ad 6. dicens. Virtus diuina, quæ operatur in Baptismo, ad essentiā pertinet: & ideo dicitur in nomine, & non in nominibus. Quia sic significaretur non esse eandem essentiā, & virtutem trium personarum: & in Baptismo vnitas, & Trinitas Dei est exprimienda: & ad vnitatem pertinet virtus diuina, quæ operatur in Baptismo.

Vnde omnes reiiciunt ut improbabile sententiam Marsilij, qui in 4. q. 3. art. 4. ait, quod si quis saltem ex ignorantia, vel lapsu linguæ, pro eo quod est, *in nomine*, diceret, *in nominibus*, esset sacramentum, si intentionem habere Ecclesiæ: nam forte, inquit, Deus ratū haberet.

Recte tamen reiicit Soto ad 6. §. *Vt ergo.* Nam si ille, qui sciens, & prudens sic lo-

queretur, non perficeret sacramentum, profecto neque si ex ignorantia id proferat. Ignorantia enim non supplet id sine quo scilicet non fit Baptismus: ut patet si omitteret ignoranter explicare in forma actum baptizandi, vel tres personas, vel si ex ignorantia baptizaret aqua rosacea, abique dubio non perficeret sacramentum.

59 Addit Bonacina disp. 2. q. 2. punct. 4. n. 5. quod si quis dicat, *te baptizo in nomine Patris, in nomine Filij, in nomine Spiritus Sancti*, inualidè baptizat, ut multi Doctores testantur. ¶ Verumtamen Soto illo art. 5. ad 6. §. Vnde, ait, fateor, quod licet quis dicat, *in nomine Patris, & in nomine Filij, & in nomine Spiritus Sancti*, perficeret quidem sacramentum: quia nõ ideo asserit esse plura nomina, sicut qui diceret, *in nominibus*: sed idem essentiale nomen Dei repetit commune tribus. Quo circa, qui diceret, *in nomine hoc, quod est Pater, & in nomine, quod est Filius, & in nomine, quod est Spiritus Sanctus*, non baptizaret. Bene tamen, qui diceret, *in nomine Dei Patris, &c.* quia nomen nõ refertur ad illa personalia, sed ad hoc essentiale. Hanc sententiam esse communem Doctorum, & malè Bonacina Authores citare pro se, probat Leander tract. 2. disp. 3. q. 15. Videantur Auerla sect. 5. Ruyz dub. 5. Serra conc. 4. in fine. Cabrera nu. 22. & Bauny tract. 2. q. 8. dicit, quod res est huiusmodi, quæ dubitatione non ferat: licet in contrarium citet Comitolum, & Layman.

Nunõ verò diff. 4. in fine inquit, quod illa verba sunt æquiuoca: si enim illa inutili repetitione intendatur significare, quod in diuinis est tantum vnum nomen essentiale, verum est sacramentum: & illa repetitio singularis nõ æquiualeat plurali. Si verò accipiantur ut repetitio utilis, ad significandũ, quod sunt in diuinis multa nomina, æquiualeat plurali: & non est validum sacramentum. Vnde si de intentione non constat, Baptismus est iterandus sub conditione.

Sed absque omni distinctione, & ambiguitate, communis sententia est vera: & talia verba nullo modo significant plura nomina esse in diuinis, sed quod in omnibus, & singulis personis est vera Deitas: sicut cum dicimus, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, nullatenus concedimus esse tres Deos.

60 Si autem non diceret, in nomine, sed in virtute Patris, &c. Ait Innocentius cap. 1. de Baptismo, non perficere sacramentum, quia virtus non dicit totum, quod nomen. Negant etiam Filliutius tract. 2. nu. 54. Archangelus dist. 3. folio 55. Reginaldus ro.

1. lib. 27. cap. 4. n. 30. Tullench lib. 2. praxis cap. 1. dub. 4. n. 7. quia non æquiualeant. Absolute tamen æquiualeant affirmat Hurtado disp. 1. diff. 7. pag. 47.

61 Cæterum Soto artic. 5. ad 6. in fine ait. Cum nomen suo ambitu, & fidè sonet, & virtutem, & auctoritatem, & potestatem, &c. Nefas esset aliquod illorum loco huius, quod est nomen subrogare. Imò præterquã, quod esset crimè, nequaquam esset tutum illud existimare sacramentum. Imò deberet sub conditione iterari. Cabrera art. 5. n. 21. dicit hoc apud omnes esse certissimum Baptismus esse dubium, & sub conditione iterandum. Idem docent Henriquez, Agidius, Bonazina, Yribarne, & Layman, quos refert, & sequitur Leander disp. 3. q. 18. Auerla, Castrus Palaus, Serra, Ruiz, & alij.

62 Sunt etiam qui affirmant *ly in nomine* valide posse omitti. Ideoque Paulus Comitolum lib. 1. q. 10. & Guillelmus Estius in 4. dist. 3. §. 6. dicunt validè baptizari aicendo: *Ego te baptizo cum Patre, cum Filio, &c.* Vel, *in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto.*

Oppositum docet Suarez disp. 21. sec. 3. conc. 2. Vazquez disp. 143. cap. 5. n. 37. contra Suarez notans nullum antiquorum hoc expressisse, præter Altisiodorès lib. 3. tract. 3. cap. 4. q. 4. Sequuntur tamen Authores communiter, quia Baptismus est fidè Sacramentum: & Trinitas sine essentia unitate non explicat rectam Ecclesiæ fidem. Valeret tamen si diceret, *ego te baptizo in vnum Deũ, Patrem, vel in vno Deo Patre, &c.* Quia sic exprimentur personæ ut causæ effectus Baptismi.

63 Adijcit Innocentius, quem refert, & sequitur Syluester verbo *Baptismus*. 1. q. 11. in fine n. 6. non valere Baptismus, si intermitatur *ly, &*, nisi loco eius ponatur *ly quæ*, quod æquipollet. Idem docet Bauny tract. 2. q. 9. citans Soto, qui id non docet: nec alij omnes, quos ibi refert.

Cæterum Authores relati n. 54. sicut de *ly in*, ita, & de *ly, &*, & de vtraque particula simul dicunt posse valide omitti, & absque reatu mortalis culpæ, & solum peccando venialiter: quia sine illis retinetur sensus, & variatio non est magni momenti. Quodiã diximus satis probabile.

64 Illud verbum *Amen* esse de præcepto ponendum, constat ex Alexandro 3. cap. si quis puerum, & ex Diuo Thoma artic. 5. ad 2. Sed frequenter Authores notant non esse de essentia, nec de substantia. Imò nec esse culpam mortalem, sed solum venialem id omittente, propter materiæ paruitatem.

§. 7.

§. VII.
Verum sufficientia sint nomina æquiualentia?
65 Sequitur examinanda huius puncti præcipua difficultas, quæ tangitur à Diuo Thoma in septimo argumento. In qua omnes supponunt ad essentiam formæ Baptismi necessarium esse exprimere tres personas Sanctissimæ Trinitatis. Quod docet Concilium Florentinũ. Et colligitur ex illo Matthæi vlt. vers. 19. *Baptizates eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Vnde S. Fulgentius libro ad Donatum, non multo ante finem, ait. *Mysterium Redemptionis humanæ nulla ratione perficitur, nisi in Baptismo, vel Filij, vel Spiritus Sancti vocabulum subrahatur*. Et lib. de Incarnatione cap. 11. & lib. de Trinit. cap. 11. & S. Damascenus lib. 3. Fidei cap. 10. inquit. *Nos baptizari necesse est, ut à Domino dictũ est, in nomine Patris, &c. Quibus verbis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti confessionem edocemur*.

66 Secundo, omnes admittunt esse peccatũ mortale omittere ista nomina, & alia loco istorum substituere: quia sic ut præcepit Christus Dominus. Et propter ratione D. Thomæ ad 7. dicentis, *quod sicut aqua sumitur ad Baptismus, quia eius usus est communior ad abluendum; ita ad significandum tres personas in forma Baptismi assumuntur illa nomina, quibus communiter consueuerunt nominari persone in illa lingua. Quam rationem efficacem esse ad probandam necessitatem præcepti, fatetur Caeteranus in fine articuli quinti.*

67 Solum ergo querendum restat, an casu quo quis loco Patris baptizaret in nomine Inuisibilis, & Genitoris, & loco Filij, vteretur nomine, Verbi, & Imaginis, & Geniti, & loco Spiritus Sancti, apponeret Donum, vel Amorem procedentem, validum perficeret sacramentum?

Affirmat Caeteranus q. 66. art. 5. ad 7. probans quatuor rationibus. Victoria in summa de Baptismo q. 14. Martinus Ledesma, 1. p. quarti q. 7. art. 5. dub. vlt. propol. 2. Glossa in cap. *Multitudo Consecratione* Dist. 5. Agidius in hac q. art. 6. dub. vnico nu. 55. Vinaldus de Baptismo cap. 3. n. 17. & 18. Leander tract. 2. disp. 3. q. 22.

68 Probat Caeteranus, quia tunc solum variatur forma essentialiter, quando variatur formæ significatum. Tunc autem solum fit variatio nominum quoad significatum, quando variatur significatum quoad id ad quod ex accommodatione usus in forma sacramenti applicatur. Ideoque dixit Diuus Thomas q. 60. artic. 7. ad 3. quod licet verba corrupte prolata nihil significant ex virtute impositionis, tamè ex accommodatione usus

accipiuntur ut significantia, & ideo dixit Zacharias Papa, quod perficitur sacramentum dicendo, *In nomine Patris, &c.* Sed si loco Patris, ponatur Genitor, & loco Filij, ponatur Genitus, eadem personæ significantur, quantumcumque sub alia, & alia ratione significantur, sed non variatur quantum ad illud ad quod ex accommodatione usus significandum applicatum est: Ergo in prædicta forma validum perficitur sacramentum.

69 Minorem probat quinque medijs. Primo ex Nicolao Papa cap. *A quidam In deo, de Consecratione*, Dist. 4. Secundo ex S. Ambrosio lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 3. Vtriusque verba refert S. Thomas artic. 6. Tertio ex decreto Eugenij Quarti in Concilio Florentino, vbi dicitur. *Si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministerium, cum Sancta Trinitatis inuocatione, perficitur Sacramentum*. Quarto, ex communi Ecclesiæ confessione: fatemur enim omnes Sanctam Trinitatem nos inuocare, laudare, confiteri, etiã in iudicio, non solum dictis nominibus vtendo, sed etiam vtendo æquipollentibus; puta, genitore, omnipotente, genitoque ab ipso, & procedente ab vtroque, dono, & similibus. Quinto, ex acceptis casibus: nam si quis diceret: *Ego te baptizo, in nomine Patris, Iesu Christi, & Spiritus Sancti*: proculdubio omnium sapientum iudicio, perfectum esset sacramentum; ita quod non esset locus reiterationi. Et tamen constat, quod variatur significatũ ex vi nominis. Similiter si quis diceret: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Paraclæti*: proculdubio eorũdem iudicio, verum esset Baptisma: & tamen constat variari ex vi nominis significatum. Vnde Saluator instituit formam Baptismi, *In nomine Patris, &c.* Nõ est intelligendus arctasse virtutem formæ ad formalia significata ex vi nominum per hæc nomina: sed ad significata illa ad quæ significanda hæc nomina accommodata sunt.

70 In eiusdem opinionis fauorem adijcit Soto in 4. dist. 3. q. vnica art. 5. ad 7. & quidem fatet argumenta nonnulla præ se ferre probabilitatem. Eo vel maxime, quod sacramentum Pœnitentiæ, quod Christus instituisse videtur sub illis verbis Ioan. 20. *Quorum remisistis peccata, &c.* Ecclesiã admittit sub illo verbo, *Abi luo*.

Ac demum arguitur. In quacumque lingua licet proprijs nominibus personarũ vtatur. Esse tamen potest aliqua, in qua non est proprium nomen patris, sed per periphrasim explicatur. Sicut Cantabri non dicunt Deum, sed supernum Dominum: & Galli non dicunt auum, sed magnum patrem. Quare baptizã

Ec 4 tes

tes in illa lingua, non dicent, Patris: & nihilominus perficiant sacramentum. Cur ergo non liceat dicere *Genitoris*? Atque ob id potissimum, quod etiam Latini sæpè pro patre dicunt *Genitor*. Hæc ibi.

71 Nihilominus sub tali forma sacramentum esse nullum, docet D. Thom. art. 5. ad 7. illis verbis. *Nec in alijs nominibus perficitur sacramentum.* Glossa enim Caietani, quod nō loquitur de perfectione quoad essentiā, sed quantum ad præceptum: manifestè, ut ait Soto, aduertatur textui. Nam ubi unq; aiat Doctores non perfici sacramentum, intelligunt nullum esse. Quare D. Tho. voluit tenere cum toto cetero Doctorum: neque arbitratus est hoc cadere in dubium. Deinde, ut ponderat Serra conc. 5. cum D. Thomas ad 1. ait, *verum perficitur sacramentum*, in forma Græcorum, ipse Caietanus, & omnes accipiunt de valido sacramento: ergo per oppositum, cum ad 5. ait non perfici sacramentum, intelligit esse nullum.

72 Idem docuit in 4. dist. 3. q. 1. art. 2. q. 2. ad 5. dicens, quod *genitor* non signat personam *Patris*, sicut hypostasim subsistentem, ut hoc nomen, *Pater*, sed per modum actus: & ideo non est eadem significatio, si dicatur, in nomine *Genitoris*, & in nomine *Patris*: & si milis ratio est de alijs. Quamvis autem non sit eadem vox in Græco, & Latino; tamen est eadem vocis significatio: & in qualibet lingua verba illa pertinent ad formam, quæ principaliter sunt instituta ad signandum personam illas. Tertio expressè id docet D. Th. in 4. ad Anibaldum dist. 3. q. unica art. 2. ad 4. inquit dicendum, quod *genitor*, cū sit nomen verbale, non significat personam ut hypostasim subsistentem; sed magis per modum actus. Vnde, si dicatur *in nomine Genitoris*, & *Geniti*, non erit *Baptismus*. Et similiter quæcūque alia nomina ponantur, præter ea, quib; principaliter in vnaquaque lingua personæ diuinæ signantur.

73 Eadem est communis Theologorum: nam ex antiquis tenent Antiochensis lib. 3. Summæ trac. 3. cap. 4. q. 4. Alexander Alensis, S. Bonaventura, Scotus, & Richardus, Durandus Paludanus, Gabriel, & Soto, quos refert, & sequitur Vazquez disp. 144. cap. 2. Sequunturque recentiores omnes, præter paucos relatos pro prima sententia. In huius fauorem refert Suarez disp. 21. sect. 4. S. Athanasium oratione 2. cōtra Arianos post medium. S. Epiphanium hæres. 73. Contendit tamen Vazquez nu. 5. & 6. quod longe aliud est institutum, & mens istorum Patri.

74 Præter duas rationes in verbis Diui

Thomæ assignatas, aliam cum Altiſiodorensi proponit Soto his verbis. Et ratio Altiſiodorensis est, quam omnes sequuntur, quod forma sacramenti virtutem habet ex Christi institutione: cōstituit autem Christus virtutem hanc in forma Baptismi illis peculiariter verbis impertiri, quæ hypostases personarum significant: ideo quod cū illa habeatur in omni lingua tamquam propria personarum nomina, condecensissimum ergo fuit, ut sacramentum, in quo professio fidei fit, ad confessionem sub illis nominibus esset coartatum.

75 Aliter rationem format Vazquez ex Alensu, Richardo, & D. Thoma: quia nomina *Pater*, & *Filius*, & *Spiritus Sanctus*, sunt nomina personarum: Nomina vero *Genitor*, & *Genitus*, & *Procedens*, sunt nomina notionum, seu personarum sub ratione notionum. Fides autem vniuersalis Ecclesiæ apud omnes fideles est trium personarum sub ratione personarum: sub ratione vero notionum est solum apud Theologos, & doctos. In Baptismo autem debet exprimi fides pro ijs qui inſtituantur, & docti non sunt, & qui subtilitates Scholæ percipere non possunt.

76 Respondet tamen Ægidius nu. 56. quod si abſtrahamus ab authoritate Doctorum eam affirmantium, illud argumentum ad summum probaret, hoc potuit convenire à Christo inſtitui: non autem fuisse ita inſtitutum; quia eque convenienter ob alias causas Christus potuisset aliter inſtituere.

77 Effugium hoc præcluserat Soto ante præmitens. At vero quoniam in verbis sacramentalibus nō licet ad libitum loqui: neque forsitan tam rationibus enitendum est, quam testimonijs sacris, secundum vniuersorum Doctorum interpretamenta expositis; ideo ad cognoscendum, quod de facto ita Christus inſtituit, sufficiunt eius verba, quia præcepit baptizare nominibus consuetis, & quod aliter faciendo non valeat sacramentum, consensus Doctorum declarat, & allatæ congruentiæ persuadent. Ratioque D. Thomæ vrget: nam Christus inſtituit nomina propria personarum: sic enim in proprietate, & rigore verba Euangelij intelliguntur. Personæ autem diuinæ non constituuntur per actus notionales, sed per relationes: quare illarum nomina habentur pro nominibus proprijs.

78 Consideratis vtriusque sententiæ fundamentis, pater vtramque esse probabilem. Vnde cōcludit Soto, saltem problema conſequere relinquitur dubium, ut si casus accideret, quod quis sub alijs nominibus, quam Pa-

tris,

tris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizaretur, esset iterato sub conditione baptizandus. Quare excoſit Gaspar Ruiz qui hic q. 66. artic. 5. dub. 5. conc. 2. ait, quod etiam speculariue loquendo, parum, aut nihil probabilitatis habet opinio Caietani, imò falsa mihi apparet. Sed excoſit valde. In primis, quia eius argumenta iam erant à Caietano soluta: & dum solutiones non impugnat, gratis sic iudicat. Deinde, quia ut notat Serra art. 5. cōc. 5. nullus est Theologus, qui neget probabilem esse opinionem Caietani. Vnde cōtra omnes Theologos loquitur, qui audeat dicere esse improbabilem. S. ggi latim ex Thomistis Martinus, & Petrus Ledesma, Nuño, Cruz, Candidus probabilem dicunt. Item Cabrera, Syluius, Auerſa, quibus adde Suarez, Coninch, Sayrum, Viualdum, & Mofesum, quos refert, & sequitur Bonacina disp. 2. q. 2. pūcto. 4. n. 12. Castrus Palaus tract. 19. punc. 5. nu. 14. Trullench. lib. 2. cap. 1. dub. 4. n. 9. & omnes alij. Quia tamen omnes isti amplectuntur opinionem D. Thomæ ut probabiliore, ut talis omnino est præferenda.

79 Argumenta ex dictis solui possunt: & sigillatim diluunt Soto, Vazquez, Nuño, & Ruiz. In quinta probatione tangitur casus scilicet necessarius. Respondet Soto in fine art. 5. ad 5. quod si loco *Filij* quis dicat, *Iesu Christi*, non coartando ad id quod est in quantum homo, plenum est sacramentum: quia *Iesus Christus* etiam est nomen personæ, diuinæ, sicut *Filius*; sed in quantum homo habet creatam potestatem; quæ non est illa essentialis communis tribus: & ideo non esset sacramentum.

Vazquez vero cap. 4. n. 14. & 15. & Ruiz dub. 5. ad 5. Auerſa sec. 5. Hurtado disp. 1. diff. 10. dicunt invalidum, vel quia non exprimitur sub nomine proprio personæ diuinæ. Vel quia explicite solum significatur hic singularis homo. Et ad minus Baptismum esse dubium, & iterandum sub conditione, dicit Nuño artic. 5. diff. 6. ad 3.

80 Sed absolute Baptismum esse validum, docent nouem Doctores, quos refert, & sequitur Leander trac. 2. disp. 3. q. 24. Trullench dub. 4. n. 8. Castrus Palaus punc. 5. n. 16. quia vox *Iesu Christi* satis explicat, tum personam Filij, tum eius humanam, & diuinam naturam.

81 Addit Iauellus Philosophiæ Christi n. 5. parte tract. 2. cap. 4. in fine quod si ex ignorantia omitteretur *ly sanctus*, esset validus Baptismus. Quod & affirmat Vazquez cap. 4. n. 16. quia *spiritus* est nomen, quo cōmuniter vtimur pro tertia persona, ad dnm

autem *sanctus* tamquam epitheton illius. Et Martinus de S. Ioseph tract. 2. de Baptismo n. 7. cum Hurtado disp. 1. diff. 10.

82 Cæterum Nauarrus lib. 3. de Baptismo consil. 3. Filius tract. 2. n. 55. & Leander q. 25. rectè dicunt Baptismum non valere, quia non exprimitur tertia persona, quæ vno nomine dicitur *Spiritus Sanctus*, ut docet D. Thomas 1. p. q. 36. artic. 1.

83 Denique Alexander Alensis 4. p. Summæ q. 8. membro 3. artic. 3. §. 2. & Layman tract. 2. cap. 4. n. 6. & Castrus Palaus punc. 5. n. 17. in fine dicunt mutationem substantialem esse, si quis diceret; *Ego te baptizo in nomine Spiritus Sancti, Patris, & Filij*; quia non significatur Spiritus Sanctus qualis ipse est, sed qualis non est; significatur enim Spiritum Sanctum esse Patris, & Filij principium; cū tamen a Patre, & Filio procedat.

84 Sed communis, & vera sententia docet Baptismum esse validum, eo quod substantialis sensus non varietur: nam ordinè originis, qui est in diuinis, satis exprimitur ipsa nomina personalia quocumque locali ordine proferantur. Ita quindecim Authores, quos refert, & sequitur Leander q. 27. & alij quos refert, & sequitur Bonacina nu. 15. & Auerſa sec. 5. §. octauo, & passim alij. Estque expressa D. Thomæ in 4. dist. 3. q. 1. art. 2. q. 4. ad 2. ubi relata priori opinione, secundam refert, & sequitur his verbis. Alij vero dicunt, quod qualitercumque mutetur ordo verborum, non videtur intellectus mutari; & ideo erit Baptismus; quamvis peccet transponens. Et secundum hoc dicendum, quod ordo personarum non est quo vna sit prior altera, sed quo vna est ex altera, quem ordinem ista nomina personarum ostendunt quocumque ordine proferantur. Hæc ibi. Et ad Anibaldum eadem dist. artic. 2. ad 7.

DVBIVM V.

Vtrum in nomine Christi possit dari Baptismus?

§. I.

Refertur sententia affirmans.

NON solum Apostolorum tempore, sed etiam modò, validum esse Baptismum ministratum sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Christi*, expresse videntur ex Patribus docuisse S. Ambrosius lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 3. S. Athanasius in lib. de Trinitate, & Spiritu Sancto. S. Cyprianus epist. ad Quirinum.

rium. S. Beda super Lucæ cap. 2. & in cap. 10. Actorū in fine. Author Imperfecti hom. 3. super Mathæum. Et venerabilis Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramētis parte 6. cap. 3. & S. Bernardus epist. 340. quæ est ad Henricum Diaconum, ubi interrogatus, an valeat Baptismus, qui datus fuerat sub ista forma: *Baptizo te in nomine Dei, & Sanctæ, & vere Crucis?* Respondet. *Ego vere hunc baptizatum puto: nec sonum vocis veritati fidei, & pietati intentionis præiudicare potuisse.*

2. Ex Scholasticis idē sequutus fuit Magister in 4. dist. 3. cap. Ex his. Adrianus in 4. q. 2. de Baptismo, quæ incipit: *Secundo videndum est, in sol. ad 1. §. Ad rationes.* Caietanus q. 66. art. 6. & super cap. 2. Actuum Apostolorū ver. 3. 8. ad illa verba: *In nomine Iesu Christi* dicens. Hinc apparet idem esse baptizari in nomine Iesu Christi, & in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Apostoli siquidem, quibus mandatum erat à Christo baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, non mutassent substantialem formam Baptismi (vt aliud docerent, & aliud facerent) si alia esset forma hæc, & illa. Licet enim diuersæ sint, quoad verba; sunt tamen eadem quoad significatum. Et Glossa in cap. *A quodam.* Et in cap. *Multi, de Consecratione, dist. 4.* Iabellus dicto. trac. 2. cap. 4. dub. 2. Multique alij inclinant, vel sub dubio relinquunt. Scotus in 4. dist. 3. q. 2. n. 9. lit. K. ait. *Quid ergo? Non audeo dicere, quod baptizatus hodie in nomine Christi esset baptizatus. Sed nec audeo dicere, quod non esset baptizatus: quia non lego ubi fuerit illa dispensatio reuocata. In hoc ergo casu reputo dubium an talis sit baptizatus?* Similiter Richardus in 4. dist. 3. artic. 2. q. 3. ad 3. concludit, quod si modo sic aliquis baptizaretur; deberet rebaptizari sub conditione. Quod & affirmat Angelus verbo Baptismus 2. n. 8. & Binsfeldius de Baptismo §. 3. & Vuidus cap. 3. n. 20. Etique hodie probabilē, affirmant Ioannes Maior in 4. dist. 2. q. 2. & Martinus Ledesma 1. p. 4. q. 7. art. 6. & Martinus à S. Iosepho trac. 2. de Baptismo n. 7.

3. Fundamenta omnia huius sententiæ reducuntur ad tria, quæ sibi opponit S. Thomas hic art. 6. Primum est: Sicut vna est fides, ita vnum baptisma, vt dicitur ad Ephes. 4. Sed Actorum 8. dicitur, quod in nomine Christi baptizabantur viri, & mulieres. Ergo etiam nunc potest dari Baptismus in nomine Christi.

Secundo: S. Ambrosius tom. 3. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 3. dicit. *Si Christum dicas, & Patrem, à quo vnctus est, & ipsum, qui vnctus est, Filium, & Spiritum Sanctum, quo vnctus est, designasti. Sed in nomine Trinitatis po-*

test fieri Baptismus. Ergo & in nomine Christi. ¶ Tertio probatur autoritate Nicolai Papæ cap. *A quodam Iudæo, de Consecratione, Dist. 4.* qui respondens ad consulta Bulgarorum, dicit. *Qui in nomine Sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi (sicut in Act. Apostolorum legitur) baptizati sunt (vnum quippe, idemque est, vt S. ait Ambrosius) rebaptizari non debent. Rebaptizarentur autem, si in hac forma baptizati, sacramentum Baptismi non reciperent. Ergo potest conferri Baptismus in nomine Christi, sub hac forma: Ego te baptizo in nomine Christi.*

4. Confirmatur autoritate Stephani Papæ: nam vt ait Baronius to. 1. Anno Christi 34. cap. 2. 18. ita sensisse refert S. Cyprianus. Verba Baronij hæc sunt. *Ceterum ex Ecclesiæ antiqua traditione ratum fuisse Baptismum in nomine tantum Christi collatum, scripsisse Stephanum Romanum Pontificem, idem Cyprianus in epistola ad Iubaianum, licet ab eo differerit, aperte testatur. Non memini in illa epistola me legisse nomē Stephani Papæ, forte in n. 56. ad eum alludit, licet non nominet illa epistola 73. ad Iubaianum, sed solum epistola 72. antecedente, quæ est ad Papam Stephanum.*

5. Omniumque est vnica ratio: nam ex Scriptura, & Patribus constat, quod in forma Baptismi debet inuocari Sancta Trinitas; non autem constat quibus verbis hæc inuocatio debeat esse: ergo sufficiunt verba, in quibus audientes implicite, vel explicitè Sanctissimam Trinitatem intelligant. Sed hoc intelligunt baptizando in nomine Sanctæ Trinitatis, vel in nomine Christi: quia ibi intelligitur Pater vngens, & Filius in humanitate vnctus, & Spiritus Sanctus, quo vnctus est, vt ait S. Ambrosius: ergo vtroque modo validum sit sacramentum.

§. II.

Non est Baptismus dicendo, in nomine Trinitatis.

6. Dico primo, modo Baptismus datus in hac forma: *Ego te baptizo in nomine Sanctæ Trinitatis, est invalidus.* Ita S. Thomas in 4. dist. 3. q. 1. ar. 2. q. 2. ad 4. inquit, dicendum, quod in nomine Trinitatis non exprimentur ipse persona, sed solum numerus personarum: & idcirco non sufficit dicere, *In nomine Trinitatis, nec esset Baptismus, si diceretur.*

7. Probationes omnes doctè, & eleganter proponit Soto: & idcirco eius verba transcribere placet, & legenti non erit molestū, sed proficuum. Inquit ergo in 4. dist. 3. q. vni

Dub. 5. Vtrum valeat in nomine Christi?

ca art. 6. §. At profecto. Iussit Christus baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ubi singularum personarum nomina exprimentur, atque eadem, quæ relationes significant, quibus hypostases constituuntur: quo ergo abvltū quis sufficere dicat, vt cōfuso nomine Trinitatis personæ implicite de notentur, ac si nihil inter expressissimam illam prolationem, & generalissimam Trinitatis vocem intersit?

8. Accedunt expressa Sanctorum testimonia, vt est illud S. Fulgentij ad Donatum iam supra relatū. Et Didymi libro 2. de Spiritu Sancto hic à D. Thoma ar. 6. propositum. Atque sententia omnium expressissima Zachariæ Pontificis in epistola 11. quæ est ad Bonifacium Episcopum, in secundo tomo epistolarum Pontificum, & refertur caone, In Synodo, de Consecratione, Dist. 4. ubi parum à principio facit mentionem Synodi Anglicanæ tempore Theodori Archiepiscopi, & ait. *In illa tale decretum, & iudicium firmum esse, & diligenter demonstratum esse dignoscitur, vt quicumque sine inuocatione Trinitatis lotus fuisset, quod sacramentum regenerationis non haberet. Quod omnino verum est, quia si meus in fonte Baptismatis quis fuit sine inuocatione Trinitatis, perfectus non est, nisi fuerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizatus.* Et infra. *Modo vero incognitum esse, vtrum baptizantes Trinitatem dixissent, an non? Et timent illi qui vni sunt, quod in tali ministerio non sint baptizati.* Quibus respondens iussit omnes baptizantes: hoc quoque obseruare in dicta Synodo, & eodē capite, vt qui vel vnā de Trinitate personam in Baptismo non nominaret, illud Baptisma esse non posse. Quod pro certo verum est. Sed vide lepīdam Caietani Glossam, ait quippe Papam ibi intelligere, si quis Trinitatem explicitè, vel implicite non nominauerit. Ait Papa nō esse verum Christianum, nisi qui baptizatur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: & quod si vna præmittatur persona, non est verum Baptisma. Vbi planè docet sigillatim singulas Trinitatis personas necessario exprimentas; & reclamatur Caietanum fat esse eas implicite nominare.

9. Adiungitur demum, & autoritas Iuris Canonici, vbi cumque enim ibidem legitur in nomine Trinitatis, intelligitur personarum expressio. Idem quod prudens Innocentius, de Summa Trin. & fide catholica, cap. firmiter, sapienter admonet, dicens, sacramentum Baptismi, quod ad Dei inuocationem (aludens ad illud, in nomine) indiuiduæ Trinitatis, videlicet, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, consecratur in aqua, &c. Vnde quod ca-

non, *A quodam, de Consecratione dist. 4.* Nicolaus Papa in nomine Sanctæ Trinitatis valere Baptismum inquit: id in can. *Myri.* Ea dist. explicat Pelagius dicens, quod *Christus nos admonuit in nomine Trinitatis mergere, dicens in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Atque idem lib. 4. cap. 10. docuit Damascenus. Hæc ibi. Et post pauca. Iam vero rationem huius veritatis subiiciamus. Enimvero cum sacramentum Baptismi sit sacramentum fidei, necesse est in illo integram fidem confiteri, & profiteri. Sub nomine autem Trinitatis solum significatur personarum numerus, non autem ordo, & habitudo earum, & proprietates. Non scilicet exprimitur an personæ sint fratres, an vero nullum habentes ordinem. Ad fidem autem non modo necessarium est confiteri esse tres, verum & eo ordine distinguere, vt sint Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Idem docet S. Aug. relatus cap. *Prima igitur, de Consecratione Dist. 4.*

10. Sed inquirens, qua certitudine tenenda sit hæc assertio? Vazq. disp. 143. c. 3. dicit esse de fide, quia diffinita est à Summis Pontificibus Pelagio, & Zacharia à cathedra loquentibus: quia de hoc fuerunt consulti: & in istis nequeunt errare; neque in confirmandis decretis Concilij Provincialis, vt in hoc puncto processit Zacharias Papa. Idem docet Coninch art. 6. dub. vnico nu. 3. & Stephanus Bauny tract. 2. q. 7. dicit prope ad fidem hoc pertinere.

Cabrera art. 6. nu. 2. dicit, quod doctrina Caietani est contra omnes Theologos; & idcirco sublata est ab hoc articulo, tamquam minus probabilis, & parum tuta, in impressione facta Romæ iussu Pij Quinti.

11. At vero Suarez disp. 21. sec. 4. & Nuno artic. 5. diff. 5. solum vt improbabilem relinquunt priorem sententiam. ¶ Imò alij multi hanc sequuntur, & nullam notam oppositæ apponunt. Ita Petrus Ledesma trac. 2. cap. 4. dub. 5. & multos referens Bonacina disp. 2. q. 2. puncto 4. nu. 7. Trullenich lib. 2. cap. 1. dub. 4. n. 8. Auerfa sec. 5. & Leāder disp. 3. q. 19. relatis viginti Authoribus, solum amplectitur vt communem, & longe probabiliorē. Ego vero nullam in priori opinione video probabilitatem: quamuis expresse diffinitam affirmare non audeam: quia non constat de isto casu fuisse consultos Summos Pontifices, qui ei fauent. Quare si casus accideret absque conditione esset baptizandus, vt notat Syluester verbo *Baptismus* 1. q. 4. in fine; quia communiter, secundum omnes fere Theologos, nisi tota Trinitas inuocetur explicitè, nihil fit. Et Soto tandem concludit.

Igitur de Baptismate in nomine Trinitatis nullatenus arbitror hæsitandum, sed negandum prorsus validum esse. Quare ego sic baptizatum, non sub conditione, ut in re dubia, sed absolute tamquam non baptizatum baptizarem. Quamvis Cano, & Suarez in fine sec. 3. aduertant Pontifices de questione hæc nil ex professo, ac de fide definiisse.

§. III.

Modo non valet Baptismus in nomine Christi.

12 **D**ico secundo, his temporibus non est Baptismus, si minister dicat: *Ego te baptizo in nomine Christi, vel Iesu Christi, vel Filij Dei Iesu Christi.* Probat D. Thomas art. 6. ex Pelagio Papa relato in cap. *Multri.* Et cap. *Si reuera, de Consecratione* dist. 4. ubi respondens Gaudentio Episcopo ait. *Multri sunt, qui in nomine solum Christi, vna etiam mersione, se afferunt baptizatos: Euangelicum vero præceptum, ipso Deo, & Domino Salvatore nostro Iesu Christo tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis, tria etiam mersione, Sanctum Baptisma unicuique tribuere; dicente Domino, ite, baptizate omnes gentes, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Si reuera hi de hæreticis, qui in locis tue dilectionis vicinis commorari dicuntur, solum modo se in nomine Domini baptizatos fuisse, forsitan consentirent, sine cuiusque dubitationis ambiguo, eos ad catholicam fidem venientes, in Sanctæ Trinitatis nomine baptizabis.*

13 Respondet Caietanus Summum Pontificem non negare Baptismum datum in nomine Christi, valere: sed solum asserit esse inualidum, si detur in nomine Domini. Nec dicit Baptismum datum, in nomine Christi, esse inualidum; sed solum quod est præferendus Baptismus datus explicita inuocatione triū personarum illi, qui fit in nomine Christi.

14 Bene tamen id refellit Soto art. 6. §. *Sed, & de nomine:* quia numquam ad Pontificem delatum est aliquos baptizatos fuisse præcise, in nomine Domini: quia nullus vnquam talis extitit vsus apud Apostolos; sed semper in nomine Iesu Christi, ut patet Actorum 2. & 8. & 10. At quoniam mos erat Apostolis solemniter Christum appellare Dominum: ut cum post Resurrectionem apparuit eis: *Dominus*, inquit, est: Pontifex pro eodem accepit, in nomine Iesu Christi, & in nomine Domini. Quod autem Actorum 2. & 19. allegatur quodam baptizatos in nomine Domini Iesu, vel intelligitur Iesu Christi; vel si satis erat dicere in nomine Domini Iesu, eadem est censura, quæ de nomine Christi. Itaque quouis te

veritas, pro eodem accipit Pontifex nomen Domini, & nomen Domini Iesu, seu Iesu Christi: & neurrum censet sufficere iam modo ad Baptismum. Deinde, cum Pontifex dicat de hoc Euangelicum extare præceptum; non tantum dicit hoc esse melius, sed esse necessarium necessitate præcepti Euangelici de forma baptizandi. Profecto textus sunt apertissimi in fauorem assertionis S. Thomæ. Nec video, inquit, quomodo eorum sensus valeant aliorum diuersti.

15 Insuper probatur ex Zacharia Papa, Alexandro Tertio, Innocentio Tertio in cap. *firmiter*, Eugenio Quarto in Concilio Florentino: quia cum pro forma essentiali Baptismi assignent explicitam, & specialiter inuocationem Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: profecto censent in nomine solum Christi Baptismum validum non esse.

16 Tertio idem probatur ex S. Cypriano epist. 73. quæ est ad Iubaianum, longe post medium, ubi ait. *Quomodo ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam, imò & contra Ecclesiam, modo in nomine Iesu Christi ubicumque Gentile baptizatum remissionem peccatorum consequi posses; quando Christus gentes baptizare iubet in plena, & adunata Trinitate?* S. Beda libro *variarum*, q. 14. ait. *Notandum, si quis baptizans dicat, Baptizo te in Christo Iesu, & non dicat, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, sicut Dominus instituit, non est verus Baptismus.* S. Isidorus lib. 2. de diuinis officijs cap. 30. in medio ait. *Proinde, si omnia qualibet Trinitatis persona, Baptisma detur, non amitte in regenerationis aqua nil agitur.* Idem docent S. Clemens Romanus lib. 7. Const. Apost. cap. 23. S. Dionys. 3. cap. de Eccles. hier. circa finem, seu cap. 2. parte 2. S. Iustinus Apologia 2. pro Christianis, non longe à fine. Orig. lib. 5. in Epist. ad Rom. cap. 6. ad illa verba: *Quicumque in Christo baptizatus fuerit, &c.* S. Athan. serm. 3. contra Arrianos non longe a medio. S. Basilus lib. 2. de Spiritu Sancto. S. Damascenus lib. 4. cap. 10. & Theophilus in cap. ult. Lucæ. Tertul. de Præscrip. cap. 20. num. 115. & de Baptismo cap. 13. num. 96. & contra Praxeam cap. 26. S. August. lib. 6. contra Donat. cap. 25. S. Greg. lib. 9. epist. 61. Gaudentius to. 7. Bibliot. trac. 9. post medium. Quorum verba, post alios, refert Vazquez disp. 143. cap. 3.

17 Quarto, ex hac communi Patrum explicatione, apparet efficacia rationis D. Thomæ: cum enim totum hoc pendeat ex Dei institutione: & hæc non possit innotescere nisi ex Sacra Scriptura, & traditione Patrum,

trum, Pontificum, & Theologorum, supposita explicatione Scripturæ in isto sensu, sic format D. Thomas rationem. Sacramenta habent efficaciam ab institutione Christi. Et ideo si prætermittatur aliquid eorum, quæ Christus instituit circa aliquod sacramentum (si iudicet illud ut essentialiter) efficacia caret. Christus autem instituit sacramentum Baptismi dari cum inuocatione Trinitatis: & quod sine illa sacramentum nullum, supra adducta demonstrant. Et ideo quidquid desit ad plenam inuocationem Trinitatis, tollit integritatem Baptismi.

Duas autem solutiones, quæ colliguntur ex fundamentis primæ sententiæ, impugnat D. Thomas subiungens. Neque obstat, quod in nomine vnus personæ intelligitur alia (si cut in nomine Patris, intelligitur Filius) aut quod ille, qui nōminat vnā personam, potest habere rectam fidem de tribus: quia sicut ad sacramentum requiritur materia sensibilis, ita & forma sensibilis. Vnde non sufficit intellectus, vel fides Trinitatis ad perfectionem sacramenti, nisi sensibilibus verbis Trinitas exprimat. Vnde & in Baptismo Christi (vbi fuit origo sanctificationis nostri Baptismi) affuit Trinitas in sensibilibus signis, scilicet, Pater in voce, Filius in humana natura, Spiritus Sanctus in columba.

18 Quæuis autem hanc assertionem Vazquez existimet esse de fide. Quia tamen decretum, quo potissime nititur, assertur à D. Thoma, & omnibus antiquis Theologis, quorum nullus talem censuram adhibuit; ideo ab illa est abstinendum. Vnde D. Thomas in 4. dist. 3. q. 1. artic. 2. q. 2. ad 3. concludit. *Et modo non esset Baptismus; si quis in Christi nomine baptizaret, ut communiter dicitur; quæuis quidam contrarium dicant.* Per oppositum Cabreta art. 6. n. 8. & alij, quos refert, & sequitur Leander tract. 2. disp. 3. q. 20. solum sequuntur ut multo probabiliores. Sed mihi magis placet, quod dicunt Syluester verbo *Baptismus*. 1. q. 4. & Nuño artic. 6. dub. 1. Petrus Ledesma tract. 2. cap. 4. dub. 6. conc. 2. & Suarez disp. 21. sec. 3. conc. 1. corol. 3. & alij, contrariam sententiam nullo modo esse probabilem: ideoque Baptismum simpliciter esse conferendum absque vlla conditione. Fateor tamen hoc non esse tam certum, propter auctoritatem Nicolai Papæ, quæ est in contrarium, ac id affirmabamus in casu primæ conclusionis, ideoque prudenter Soto in fine articuli sexti ita concludit. *In summa ergo, aut nulla profecto est in contraria opinione probabilitas; aut certe tenuissima.* Quare non solum qui modo baptizaretur in nomi-

ne Christi, rebaptizandus esset; ut Richardus, & Scotus aiunt; verum fortasse etiam tamquam non baptizatus absque adhibita conditione. Ex quo fit consequens, ut postquam Ecclesia tam multis retroactis sæculis illam formam respuit, & sola, quæ exprimitur in Euangelio, vtitur, proculdubio esset nunc lethale facinus sub prædicta formâ in nomine Christi baptizare. Et quod hoc vltimum omnes admittant Theologi, iam in illi diximus dub. 4. §. 7. num. 66.

§. IV.

Probabile est, quod numquam fuit validum.

19 **D**ico tertio, valde probabile est, quod nunquam, neque Apostolorum tempore, fuit validus Baptismus dicendo: *Ego te baptizo in nomine Christi, vel Iesu Christi Filij Dei.* Ita ex Thomæ Cano lib. 6. de Locis cap. 8. ad 7. Soto in 4. dist. 3. q. vnica artic. 6. ad 1. §. *Vbi ait.* Petrus Ledesma trac. 2. cap. 4. dub. 6. conc. 2. & Bartholomæus Ledes. de Baptismo dist. 6. Nuño artic. 6. dub. 2. Cabrera ibi nu. 10. M. Ioannes Nicolai in additionibus ad Raynerium tit. de Baptismo cap. 1. §. 1. folio 253. coldana 2. Ex alijs tenent Armachanus lib. 8. de quæst. Armenorum à cap. 3. Baronius tom. 1. Anno 34. cap. 218. Suarez disp. 21. sect. 3. Vazquez disp. 143. cap. 2. Granada trac. 1. disp. 7. nu. 3. referens Salmeronem, Maldonatum, Bellarminum, & Henriquez. Castrus Palauus trac. 19. puncto 5. n. 11. & 12. Agidius, Filiutius, Hurrado, & Reginaldus, & Estius, & Bonacina, quos citat, & sequitur Leander trac. 2. disp. 3. q. 21. Auersa sect. 5. & alij.

Probât primo ex canone 49. vel 50. Apostolorum, vbi damnatur error eorum, qui baptizabant in morte Christi, seu Domini; & rationem reddit canon cur eos damnet. *Non enim dixit Dominus, in mortem meam baptizate; sed ambulantes docete omnes gentes, baptizantes ipsos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Quæ ratio euidenter supponit, & illos sæper præceptum illud, & formam obseruasse, & omnem aliam, etiam si sit in nomine Domini, vel Christi, insufficientem iudicasse.

20 Secundo solet probari auctoritatibus Patrum, quas refer Suarez: Sed quia plurimas parum vigere fatetur Vazquez. Clariora sunt duo testimonia. Alterum S. Cypriani epist. 73. nam declarans verba illa capit. 2. vbi S. Petrus baptizari præcepit in nomine Iesu Christi. Iesu Christi (inquit) *men-*

tionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adiungeretur. Alterum est S. Hieronymi in illud Ioelis 2. Effundam de Spiritu meo: ubi agens de illis quos Apostolus Actorum 19. baptizari iussit, ait. Qui baptizati erant Baptismate Ioannis in nomine Domini Iesu, iterum baptizantur, quia sine Spiritu Sancto, & misterio Trinitatis, quidquid in vna, & alteram personam accipitur, imperfectum est. Idem dicit Theophilus in Lucam prope finem.

21 Tertio ratione arguit Suarez, quia nulla fuit in primitiua Ecclesia probabilis causa dispensationis: quia etiã si demus fuisse tunc expediens, nomẽ Iesu Christi expressè in forma proferre; nulla tamen ostendi potest ut illicitas in subtrahendis nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Et alioqui sine euidenti necessitate non oportebat dispensare in lege maximè necessaria: cuius observatio erat veluti ianua ad totam Christi legem suscipiendam, quæ tunc promulgabatur. Adde, explicitam fidem Trinitatis omnibus fuisse in præcepto ab initio prædicationis Euangelicæ: ergo non erat tantum mysterium occultandum, aut in forma Baptismi omittendũ.

22 Quarto, & potissimè probatur: quia testimonia Sacræ Scripturæ, propter quæ exponenda, recurritur ad specialem dispensationem, ad hoc minime cogunt. Respondet enim Cano illa sol. ad 7. dicens. Nec si Scriptura dicit, quicquam in Christi nomine fuisse gestum, statim cogimur existimare, his conceptis verbis rem gestam, administratamque fuisse. Exempla sũt in diuina litteris plurima. Illud est in præcepto. In te intimescos nostros ventis labimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nos. Item, Casus denũciauerunt ne omnino loquerentur in nomine Iesu: Actorum 5. Item Paulus dicitur fiducialiter egisse in nomine Iesu, Actorum 9. Hebræis porro id in alicuius nomine fit, quod autoritate, ac virtute cuiuspiam transigitur. Quare qui Regis loco, & tamquam illius minister quidpiam agit, hic in nomine Regis eam rē dicitur agere. Rectè igitur, qui tamquam Christi administrat in aqua, & Spiritu homines sanctificabant, eos in nomine Christi Baptismi gratiã exhibuisse interpretamur. Non ergo necesse est sentire, quod Apostoli Baptismi formam à Christo præscriptam immutarunt. Nã & hodie nos vere in Christi nomine, hoc est, loco, vi, & autoritate Baptisma conficimus.

23 Subiungit secundam solutionem adiiciens. Ac si præscripta illa formula nominis Iesu Christi Apostoli baptizarunt, non putã

di sunt tamen Spiritus Sancti, Patrisque nomen omisisse: sed in nomine Patris, & Filij eius Iesu Christi, & Spiritus Sancti baptizasse. Quod alterius loci est demonstrare.

24 Iuxta hanc secundam solutionem Soto §. Quod si hæc, bene notat non opus esset recurrere ad reuelationem, utpote sine qua illi poterant eiusmodi adiectionem facere. Neque vero dubium est, quin & id ipsum modo liceret. Quinimò in Infidelis, vel inter infideles, ubi noua fieret Euangelij prædicatio, non solum nulla esset culpa, verum forte esset opere pretium baptizare dicendo, In nomine Patris, & Filij, qui est Iesus Christus, & Spiritus Sancti.

25 Tertia explicatio, quæ est ea, quæ primo traditur à Soto, asserit quod in Actis Apostolorum, baptizare in nomine Iesu, est baptizari in fidem eius. Quod colligitur ex capite 19. Sicut enim S. Ioannes Baptista nõ baptizabat sub illa forma: Baptizo te in nomine venturi, sed dam baptizabat, admonēbat, ut crederent in eum, qui venturus esset: sic baptizare in nomine Domini Iesu, erat baptizare in fidem eius: sicut ait ad Corinthios Paulus: Quotquot baptizati estis, in Christo Iesu baptizati estis (1. ad Cor. 12. ver. 13. ait. Etenim in vno spiritu omnes vos in vnum corpus baptizati sumus. Et ad Rom. 6. ver. 3. An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Et ad Gal. 3. ver. 27. Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis) & ad id pertinet videtur illud Actorum 8. de Eunuchis Respondisset: Credo Filium Dei esse Iesum Christum: baptizauit eum Philippus, in nomine forsan eiusdem Iesu Christi, modo exposito. Et forsan huic sententiæ applaudit Damascenus lib. 4. cap. 10. dicens, quod baptizari in Christo significat, credentes in Christum abluui: confessionem tamen edoctos in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, quasi hæc sit forma Baptismi. Qua propter Apostoli remotas gentes forte nõ baptizabant, nisi simpliciter in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Illa enim forma Abdias Babylonicus Episcopus, refert Thomã Apostolum Indiæ Regem baptizasse. Et hæc expositionem etiam sequitur Suarez. Licet Vazquez, & alij magis probent secundam expositionem.

26 Demum M. Ioannes Nicolai in additionibus ad Rayneriũ ver. Baptismus. cap. 1. §. 1. folio 253. ita ait. Nam in nomine Christi baptizari, rectè intelligitur in fide Christi, siue professione fidei Christianæ, quæ a Christi

no denominatur, ut à proximo institutore, vel obiecto: iuxta illud Actorum 16. ver. 31. Crede in Dominum Iesum, &c. Et Actorum 19. ver. 4. Ioannes baptizauit Baptismo Penitentia populum, dicens, in eũ, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Iesum. Vbi, & adiungitur eos, quibus hæc Paulus loquebatur, ipsi auditis baptizatos in nomine Domini Iesu: quasi diceretur in fide illa Iesu, &c. Ita ut in nomine Iesu, non sit intelligendum ex parte baptizantis, quantum ad formam baptizandi, sed ex parte solius baptizati quantum ad professionem fidei, quam in Baptismo emittebat. Quia in ipsa fide Christi continebatur implicite fides totius Trinitatis, omniumque salutis nostræ mysteriorum, quæ operatus erat Christus, & quæ tuis propoluerat credenda, seu per ipsam sui nominis professionem confitenda, &c. Adiecit in margine. Facillima, quantum arbitror, explicatio, quam miror Authores omnes præterisse: cum tam obuia esse potuerit, & antiquo vsu Ecclesiæ baptizandos interrogantis de fide, &c. Mirari tamen desineret, si Sotum, & Suarez legisset, qui eã approbant, & Vazquez disp. 143. cap. 2. n. 16. qui eã refert, licet alias expositiones magis probet.

§. V.

Validum fuit ex Dei dispensatione, & reuelatione speciali.

27 Dico quarto, probabilius est Apostolos ex Dei speciali dispensatione baptizasse in nomine Christi. Ita S. I. h. art. 6. in cor. ibi. Nisi ex speciali dispensatione eius, qui virtutem suam Sacramentis non alligauit. Et ad 1. ait, quod ex speciali Christi reuelatione, Apostoli in primitiua Ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi (quod erat odiosum Iudeis, & Gentilibus) honorabile redderetur, per hoc, quod ad eius invocationem Spiritus Sanctus dabatur in Baptismo. Et hac via ad 2. & 3. exponit verba S. Ambrosij, & Nicolai Papæ relata in secundo, & tertio argumento. Idem docet in 4. dist. 3. q. vnica art. 2. q. 2. ad 3. & q. 3. ad 4. Docueruntque Antifidorensis lib. 3. Summæ tit. 3. cap. 4. q. 2. Alẽsis 4. p. q. 8. membro 3. art. 3. §. 4. S. Bonauentura in 4. dist. 3. 1. p. art. 2. q. 2. ad 3. Richardus art. 2. q. 3. ad 10. Durandus q. 1. num. 8. & 9. Paludanus q. 1. n. 10. & 11. Gabriel q. vnica art. 2. post 4. conc. & collor. 1. Maior in 4. dist. 2. q. 2. Marsilius q. 3. art. 3. conc. 2. Soto dist. q. vnica art. 6. ad 1. §. Verumtamen, dicens, quod solutio D. Thomæ, est sepe genera

lis omnium. Martinus Ledesma 1. p. 4. q. 7. ar. 6. Petrus Soto de Baptismo lect. 1. Syluester verbo Baptismus 1. q. 4. Tabiena ver. Baptismus 3. §. 10. Armilla num. 6. Lublinus n. 1. Victoria q. 15. Bartholomæus ab Angelis §. 120. Nuño hic art. 6. dub. 2. Cabrera nu. 11. ibi Serra, Ruyz, Ioannes a Cruce, & alij. Cãdidus dist. 16. art. 3. num. 12. ad 2. Thomas Hurtado tom. 2. variarum tract. 13. resolut. 8. §. 4. num. 394. dicens esse sententiã omnium antiquorum. Franciscus Lõgo ad can. 49. Apostolorum, quem refert, & tandem sequitur Stephanus Bauny tom. 1. Theologiæ Moral. tract. 2. q. 7. ad 1. in fine. Item Valentia q. 1. puncto 3. §. Ad secundum respondeo. Toletus lib. 2. cap. 19. Binsfeldius §. 3. Franciscus Pitigianus in 4. dist. 3. q. 2. art. 10. cõc. 1. & vt probabilem tradunt Bonacina disp. 2. q. 2. p. act. 4. nu. 8. (non bene refertẽs Vazquez) & Villalobos tom. 1. trac. 5. dist. 5. num. 8. Trullench lib. 2. cap. 1. dub. 4. n. 8. & Bassus ver. Baptismus 2. nu. 15.

28 Huius conclusionis fundamenta sũt ipsa argumenta §. 1. obiecta. sic enim magis proprie verificatur illud Actorum 8. ver. 12. In nomine Iesu Christi baptizabantur viri, & mulieres. Item cap. 2. ver. 38. Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi. Et iterum cap. 8. ver. 16. Sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Et cap. 10. ver. 48. S. Petrus iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi. Cap. 19. ver. 5. Baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Quod autem Apostoli hac forma vterentur ex speciali dispensatione, & reuelatione, probat Soto quatuor argumentis. Primo ex ratione D. Thomæ, Christus præcepit baptizare, in nomine Patris, &c. Contra institutionem autem Christi, cum sit diuina, nemo, nisi ex eius dispensatione agere potest: ergo tunc erat dispensatum. Secundo, quia certũ est, & omnes admittũt, quod sacrilegium esset baptizare nunc in nomine Christi: quia est peccatum mortale certa forma omilla, dubiam vlturpare. Ecclesia autẽ nullam fecit prohibitionem huius specialem; sed ceniet talem Baptismum fieri contra præceptum Christi, vt expresse habetur cap. Multi sunt, de Consecratione dist. 4. Contra quod quidem præceptum non fiebat tempore Apostolorum. Hæc autem varietas esse nõ potest, nisi quia tunc erat dispensatũ, & modo non.

29 Tertio. Si Apostoli illo sæculo nõ ex dispensatione, & iussu Christi illa forma vterentur, sed quia æquipollebat alij euangelicæ sibi propolite; conlequitur vt promittentur vnã, aut altera, ita vt quando que

que baptizarent, *in nomine Patris*, &c. Et tamen illo tempore, quod refertur in Actibus Apostolorum prope Ascensionem Domini, nunquam leguntur baptizasse, nisi *in nomine Iesu Christi*. Ergo signum est aliquo tempore habuisse mandatum sic baptizandi. Quo forte ipsis viuētibus cessante, cæperunt in alijs regionibus solemniter baptizare, *In nomine Patris*, &c. Et quarto tandem confirmatur, quia si tunc ille usus non ex dispensatione manebat, sed quia idem est *in nomine Christi*, & *in nomine Patris*, &c. Reuera nulla apparet ratio, cur nunc non permittat absque vilo discrimine vtramque formam. Baptizabant ergo sub illa forma ex reuelatione.

30 Addit D. Thomas in 4. Sententiarum illa q. 2. ad 3. *Et quia illius mutationis causa fuit conueniens illi tempori; ideo cessante causa cessat effectus; & modo non cessat Baptismus, si quis in Christi nomine baptizaret.* Per quæ responsum est primo argumento prioris sententia, desumpto ex autoritate Sacrae Scripturae.

§. VI.

Argumenta soluuntur.

31 **A**d autoritatem S. Ambrosij, & aliorum, qui ex illo acceperunt, refert S. Thomas in 4. dist. art. 2. q. 3. ad 4. plures antiquorum expositiones his verbis. Ad verbum Ambrosij multipliciter respondetur. Quidam enim dicunt, quod cum dicit: *Plenum sit Sacramentum*: ponit sacramentum pro fide: quia qui vnā tantum personam confiteretur, si alias corde teneat, plenā habet fidem. Quidam vero dicunt, quod intelligitur quantum ad plenitudinem ipsius sacramenti, quam habet ex fide: quod patet ex hoc, quod dicit: *Plenum est fidei Sacramentum*. Vel quod intelligatur secundum quosdam in casu, quando vna persona nominata, puer, vel Sacerdos moreretur: creditur enim, quod inuisibilis Sacerdos suppleret defectum. Vel in casu simili, in quo Apostoli in nomine Christi baptizabant. Et hoc magis consonat verbis eius. Hæc D. Thomas. Qui in hoc art. 6. ad 2. hæc solam adhibet solutionem dicens, quod Ambrosius assignat rationem quare conuenienter talis dispensatio fieri potuit in primitiua Ecclesia: quia scilicet in nomine Christi tota Trinitas intelligitur. Et ideo seruabatur ad minus integritate intelligibili forma, quam Christus tradidit in Euangelio.

32 Yazquez disp. 143. cap. 4. post rela-

tas, & reiectas plures explicationes nu. 25. loquens de interpretatione D. Thomæ ait, quod difficilis est: quia S. Ambrosius non tantum de illo tempore, sed de quouis alio a parte loquitur: nec tantummodo existimat ratum sacramentum, in quo solus Christus, sed etiam in quo quæcumq; alia Trinitatis persona sola inuocatur. Concludit ergo nu. 28. S. Ambrosiam, & alios nullo modo excusari posse.

33 Mitius tamē Soto ad 2. docet, quod cum S. Ambrosius censeat valere Baptismum in nomine vnus personæ alijs omisissis (in quo sensu, neque Hugo, neque Magister, nec vllus antiquorum Ambrosio de hac re subscribere ausus est: ideo nihil mirum, si neq; in expositione de nomine Christi, simpliciter trilineatur. Sed vel glossetur, vel cum omni veneratione eius autoritas quisimuletur, postquam Euangelium, & dicta aliorum Sanctorum reclamant.

34 Ad autoritatem Nicolai respondet Cano illa solut. ad 7. dicens. Nicolaus nihil eo loco, quod ad hanc quæstionem attineat decreuit. Non enim illi proposita fuerat quæstio, an Baptismus in nomine Christi collatus esset validus? Sed an baptizatus à Pagano, vel Iudæo, verum Baptismi Sacramentum suscepisset. Obiter autem, & in transcurfu, cum huic quæstioni propositæ responderet, de suo, non interrogatus, adiecit, Baptisma in nomine Christi conferri. Quia in re falli sine dubio potuit.

35 Non solum hanc solutionem probat Soto ad 3. sed ad eam flectit, & accommodat solutionem D. Thomæ ad tertium. Videtur enim dicere, quod postquam Nicolaus Papa solui vsui Apostolorum, & Autoritati S. Ambrosij tubnixus est, noluit Papa maiorem sibi arrogare fidem, quam habuit Ambrosius. Et ideo licet reuera arbitratus fuerit Pontifex, quod tempore suo valeret Baptismus in nomine Christi, non hoc decreuit tanquam articulum fidei, sed solum tanquam opinionem, quam putauit esse Ambrosij. Et ideo non obitante sua assertionem, teneri potest, & debet contraria opinio, quæ autoritate Euangelij, & aliorum Pontificum, & Sanctorum Patrum validius comprobatur. Idem late Yazquez cap. 4. nu. 28. Suarez, Valentia, & Henriquez, quos refert, & sequitur Granados disp. 6. num. 6. & alij communiter. De quo Granina Apologia pro sacro deposito fidei cap. 14. nu. 33. & tom. 4. Catholicarum Precriptionum de potestate Papæ in definiendo q. 2. art. 14. cōc. 5. & Cano lib. 5. de locis cap. 4. ad vltimum.

Paris

stoll in primitiua Ecclesia baptizantur in nomine Christi.

Pariterque respondetur ad autoritatem Stephani, si ita est, vt ibi refertur: quia in his, quæ obiter Pontifices docent, vel non diffiniunt vt de fide, non est inconueniens, quod priuatas opiniones sequantur, quibus potest subesse fallum. Sicut etiam in facto, & gubernatione solent sequi opiniones solum probabiles. Sicut si dispensarent (inquit Soto) in voto solemnij, & in Matrimonio rato non consummato, non propterea cōdemnarent contrariam opinionem tamquam erroneam: sed sequantur illam opinionem, quam alij Pontifices forte non sequerentur. De quo videantur, quæ diximus cap. 31. Theologiae Moralium, 14. §. 5. Ad rationem patet ex dictis.

36 Sed contra vltimam conclusionem adhuc obijcies: nam ex verbis Sacrae Scripturae non colligitur Apostolos baptizatis tantum in nomine Christi: ait namque S. Augustinus libro 3. contra Maximum cap. 17. loquendo baptizatis tempore Apostolorum Actorum 2. *In nomine Iesu Christi iusti sunt baptizati: & tamen intelliguntur non baptizati nisi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Respondet bene M. Serra art. 6. ad 2. folio 166. quod ly intelliguntur, solam implicitam inuocationem triū personarum denotat: quia in Christi nomine tota Trinitas intelligitur, vt cū Magistro Sententiarum inquit D. Thomas in 4. vbi supra. Vnde S. Augustinus in media te subdit: *Cur non sic audis de Filio Dei, omnia per ipsum facta sunt; vt & non nominatum intelligas ibi Spiritum Sanctum? Ex quo patet sentire, illos, qui iusti sunt baptizari in nomine Christi, eodem modo intelligi baptizatos in nomine Patris, & Spiritus Sancti, quo Spiritus Sanctus intelligitur in illis verbis Ioan. 1. ver. 3. *Omnia per ipsum facta sunt.* Ac proinde solum implicitè. Illa enim verba expresse de solo Verbo loquuntur, implicitè tamē in illis intelligitur Spiritus Sanctus, quia æqualis est, & eiusdem virtutis cum Verbo, seu Filio: sicque, vt ibidem subdit S. Augustinus: *Quod de vno dicitur, & de altero tacetur, de vtroque intelligitur.**

37 Vltimo arguitur. Nam vna fides, & vnum Baptisma, vt dicit Apostolus ad Ephesios 4. ver. 5. & in Symbolo confitemur vnum Baptisma. Sed plura essent, si Apostoli in nomine Christi baptizassent: siquidem forma illa diuersa esset ab illa, qua nūc baptizamus *In nomine Patris, &c.* Polita autem forma diuersa, res diuersificatur; quia formæ rerum dant eis speciem: ergo nec ex dispensatione Apo-

38 Respondet Nuno art. 6. diff. 2. ad 5. quod Christus Dominus potuit pro illo tempore imponere istam vocem, *Christus*, vt significaret idem, quod *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*: & sic esset eadem forma formaliter loquendo; cum altera: atque adeo semper fasset eam Baptisma. Modo autem id non habet illæ terminus illam significationem, sed significat Iesum Christum. Et ideo non valet nunc Baptismus in nomine Christi. Idem sequitur Ruiz ad 3. Qui & addit, quod cum tale nomen significet Patrem vngentem, & Spiritum Sanctum, tamquam id quod vnus est Filius, potuit Christus dispensare: quod in mutatio esset accidentalij; quia retinebatur eadem significatio substantialis personarum diuinarum, vt distinctarum inter se.

39 Sed quia Christus dispensando, quod suo nomine baptizarent; non mutauit vocem, significationem; sed solum fecit, quod voces, quæ non erant institutæ vt forma sacramenti, haberent eadem vim, ac illæ quæ de facto sunt institutæ.

40 Deinde, vt arguit Soto art. 6. ad 2. §. *Verumtamen*, in fine, quod in nomine Christi intelligatur Pater vngens, & Spiritus, in quo vngitur, nimis reconditum mysterium est. Primum enim quamuis nō esset vnus a Patre, sed vel à Propheta, vel ab Angelo, fuisset verè vnus. Et Platimus non dicit, nisi: *Vixit te Deus, Deus tuus dico Latini*: nihil inter Patrem, & Spiritum Sanctum diuinguens.

Quamuis Actorum 10. dicatur, *quem vnxit Deus spiritu Sancto*. Imo quicquid christum, vel vnctionis Christus, in quantum homo, percepit, à tota Trinitate suscepit, cuius opera vnus extra indiuita. Ad hæc quæ forte non opus erat Apostolis exprimere nomen Christus: nam vt habetur Actorum 2. & 19. & alijs locis etiam sæpè habetur, quod baptizabatur *in nomine Domini Iesu*. Quid quid autem de hoc sit, certè nō baptizabant in nomine Christi, propter mysterium illud; sed vt amabile illud nomen redderetur: atque adeo ex dispensatione id faciebant.

41 Igitur ad argumentum respondet Serra artic. 6. ad 2. folio 167. Baptisma dici vnum, vt colligitur ex D. Thomæ art. 9. quia iterari non potest; & nequit nisi semel suscipi. Vel quia, vt alij exponunt, licet sint plures ministri baptizantes exterius, vnus est,

Ff

qui

qui in cruce baptizat, scilicet Christus. Et quamvis forma, qua vtebantur Apostoli baptizantes in nomine Christi diuersa sit materialiter ab ea, qua nunc vtimur baptizantes in nomine Patris, &c. formaliter tamen eadem est. Sicut enim qui ex dispensatione, seu privilegio in Quadragesima ieiunant oua, & lacticia comedentes, formam ieiunij seruare dicuntur, quam non seruarent sine tali dispensatione: ita Apostoli baptizantes in nomine Christi ex Dei privilegio, & dispensatione, formam Baptismi seruauerunt: quia implicite idem significabat illa forma; ac ea qua nunc vtimur; & solum ab ea differt per implicitam, & explicitam significationem. Quam formam non seruarent sine tali dispensatione. Recolantur, quæ diximus quæst. 60. dub. 1. §. 5.

DVBIVM VI.

Utrum in casu necessitatis valeat Baptismus sine verbis?

Casus est vulgaris, si concurrant mutus, & mancus, & mutus abluat, & mancus verba formæ proferat: vel in forma Græcorum, mutus immergente, dicat: Baptizetur seruus Christi: vel dicat: iste baptizet te: forma verificatur: cum enim expressio ministri non sit necessaria, non refert in quacumque persona exprimat in prima, vel in tertia persona. Vel potest dici quod solus mutus baptizabit: & quod non potest dicere verbo, dicat nutus, & sufficit. Quod probatur, quia verba non sunt magis de essentia huius sacramenti, quam aliorum: sed videmus in sacramento Pœnitentiæ, quod mutus potest confiteri: & forte etiam absolueri per nutus, & signa, quæ sunt verba interpretatiua: quia sacramentum necessitatis debet esse omnibus commune. Nec refert utrum populus voluntatem suam declarat verbis, aut factis: ergo idem potest dici in Baptismo.

Idem constat, nam Matrimonium, quod non est sacramentum necessitatis, potest perfici per nutus, vt cum mutus contrahit. Vel cum puella præ verecundia tacet, & signis contentum exprimit. Ergo multo magis in sacramento necessitatis.

2. Pro sententia affirmante, solent referri ex antiquis, Paludanus, & Durandus; & ex modernis, Valentia. Sed apud nullum eorum ego inuenio. Paludanus enim in 4. dist. 3. quæst. 2. art. 2. hæc argumenta refert a nu-

15. vsque ad 23. Sed tamen num. 24. ita ait: Quod tamen argutum est posse baptizari in necessitate per nutus sine verbo, non intelligatur dictum assertiue, nec etiam optatiue, sed disputando, & inquirendo sub dubio, relinquendo Ecclesiæ declarandum; &c. & n. 25. inquit. Securius tamen est tenere, quod nullo modo mutus potest baptizare, nec solus, nec cum manco. Et hoc magis ex determinatione Ecclesiæ, quam ex ratione: quia Ecclesia tenet, quod si vetula baptizauerit puerum, & omiserit per ignorantiam aliquid de substantia, quod puer de nouo baptizetur. Et sic necessitas baptizandi, & nescientia baptizantis, non faciunt quod substantialia verborum possint dimitti, &c. Ergo, nec vt opinionem, illam doctrinam admittit Paludanus: & hanc censet ab Ecclesia determinatam. Et in 4. dist. 17. q. 2. art. 1. n. 7. loquendo, quando in casu necessitatis absolutio daretur scripto, non censet absolutionem fore sacramentalem: sed solum ait: Et valet absolutio quando vterque sic est infirmus, vel clausus, plusquam si fieret laico.

3. Durandus vero non solum illam sententiam non sequitur, sed vt videbimus, eam censurat. Valentiam etiam male pro hac sententia referre Ludouicum de S. Iuan quæst. 1. de Baptismo difficult. 7. pag. 35. ostendit Leander tract. 2. disp. 3. q. 2. male referens vt verba Paludani quædam, quæ in illo non reperiuntur, nisi pro ratione dubitandi: & adhuc forma diuersa: & ita apparet Paludanum non legit Leandrum: & ideo non bene, nec integre reculisse.

4. Fauet tamen non parum Trullench. lib. 4. Praxis Sacramentorum cap. 2. dub. 4. num. 11. in fine dicens. Quod si in articulo, vel periculo mortis aliquis poenitens doctus sit constitutus, & solum ibi adsit confessorius mutus, dicatque ei poenitens: hæc sunt mea peccata, quibus satisfactio hæc imponenda est; iniungis illam, & absoluis me? Videri autem potest tenere absolutionem: nam et si confessio regulariter faciendâ sit verbo; in casu necessitatis sufficit nutu, vel signis: videtur etiam idem dici posse in hoc casu; sed hoc iudicant auct. Idem olim docuerat Adrianus in 4. de cõsel. q. 1. & Nagart. in cap. Quem poenitet: & in Manuali cap. 21. nu. 36. Sed retractauit cap. Fratres de Poenit. dist. 5. nu. 94. Fernandez de Heredia de Baptismo par. 5. dub. 9. dicit in articulo mortis ne ministransum sub conditione. Pro qua sententia refert Diana 5. parte. tract. 3. resolut. 6. Caietanum, Marianum, & Chapeauilla. De quo infra q. 67. dub. 2.

Sed

DVBIVM VII.

Utrum immerlio tria in aqua sit de necessitate Baptismi?

Item de necessitate Baptismi.

Immerlio non est de necessitate Baptismi.

Dico primo, immerlio non est de necessitate Baptismi. Est communis Theologorum. Quam probat D. Thomas art. 7. Nam aqua assumitur in sacramento Baptismi ad vnam abluionem corporalis, per quam significatur interior ablutio peccatorum. Ablutio autem fieri potest per aquam, non solum per modum immersionis, sed etiam per modum asperisionis, vel effusionis. Et ideo quamvis latus sit baptizare per modum immersionis, quia hoc habet communior vtilitas, potest tamen fieri Baptismus per modum asperisionis, vel etiam per modum effusionis, secundum illud Ezeq. 36. Effundam super vos aquam mundam: Sicut Beatus Laurentius legitur baptizasse. Et hoc præcipue propter necessitatem: vel quia est magna multitudo baptizandorum; vt patet Actoru 2. & 4. vbi dicitur, quod crediderunt vna die tria milia, & alia die quinque milia. Quandoque autem potest imminere necessitas propter paucitatem aquæ; vel propter debilitatem ministri, qui non potest sustentare baptizandum: vel propter debilitatem baptizandi, cui posset imminere periculum mortis ex immersione. Et ideo dicendum est, quod immerlio non est de necessitate Baptismi.

2. Quod confirmat solutione ad 1. nam casus sunt per accidens, non variant substantiam rei. Per se autem requiritur ad Baptismum corporalis ablutio per aquam: unde & Baptismus lauacri nominatur ad Ephel. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Sed quod fiat ablutio hoc vel illo modo accidit Baptismo. Et ideo talis diuersitas non tollit unitatem Baptismi.

3. Hoc idem docuit S. Cyprianus epist. 76. seu lib. 1. epist. 6. & refertur de Consecratione dist. 4. cap. *Nec quemquam.* Quamuis enim Soto dist. 3. art. 7. ad 2. dicat quod potius de asperisione aquæ benedictæ super egros videtur loqui, quam de aqua Baptismi: ex illis verbis: *Nec quemquam mouerit acher, quod aspergit, vel perfundi videntur agri, cum gratiam dominicam consequuntur.*

Et 2. Ceterum

4. Sed quia de absolutione per nutus, non est iste locus disputandi, sed in tractatu de Pœnitentiâ, ideo resolutionem dubij proponam, relatis verbis Durandi, & Soti trademus, quia præcipuas continent probationes: Durandus enim in 4. dist. 3. q. 3. num. 9. sic ait: Quod autem procedunt vterius, quod solus mutus immergens, & aspergens puerum, & nihil dicens, sed vteas nutibus pro verbis, vt baptizaret, *erroneum est, & contrarium dictis sacre scripturæ, & Sanctorum, & determinationi Ecclesiæ dicitur enim Math. vlt. Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Ergo in uocatio Trinitatis est de necessitate Baptismi: ergo non sufficit nutus. Item Apostolus ad Eph. 5. dixit, quod Christus dilexit Ecclesiam, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Igitur illud verbum requiritur ad Baptismum. Itē S. Augustinus tract. 80. super Ioan. dicit. *Desine verbum, & quæstio est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Ergo sine verbo nullus est Baptismus. Ad idem est determinatio Ecclesiæ, quæ dicit, quod sine inuocatione trinitatis personarum, & sine expressione actus baptizandi, non est Baptismus verus, vt cap. in Synodo, de Consecratione, dist. 4. & cap. *Siquis puerum de Baptismo, & eius effectum.* Similitudo autem, quam isti inducunt de Consecratione, & Matrimonio, quæ sine verbis possunt fieri, non valet, vt inferius suo loco dicitur. Absolutio autem sacramentalis non potest fieri sine verbis, sicut ipse periculum est confingunt. Hæc Durandus. Et Soto in 4. dist. 4. quæst. 1. artic. 4. ad 3. ait, quod sententia, quod mutus posset nutibus baptizare, est hæretica error. De quo Adrianus in 4. q. 1. de Baptismo art. 3. ad vlt. & Henriquez lib. 1. cap. 8. n. 3. in Glossa lit. hait, quod opposita sententia est periculo plena, & quod Soto, & Recentiores dicunt oppositum esse hæreticum, contra communem consensum Ecclesiæ, & Concilliorum. Idem Henriquez lib. 2. cap. 8. nu. 1. lit. d. referens Paludanum in 4. dist. 3. q. 1. pag. 60. *Non est in articulo mortis, nec conuictus, aut traditus Ecclesiæ, aut fidelium vltus vnquam admittit, quod in Baptismo, aut Pœnitentiâ sufficiat verba interpretatiua: & ideo sicut sine vera, & naturali aqua non valet Baptismus, ita nec validus sine verbis formalibus esse potest, quia sic Christus instituisse, tradidit Ecclesiæ declarat. Quam traditionem extat, & auctoritates relatæ probant. Et priorem sententiam non esse probabilem dicit Diana parte*

3. trac. 4. resolut. 11.

Ceterum ex toto contextu Epistolæ apparet loqui de Baptismo ægris collato per aspersionem: siue hæc quæstio ei proposita fuerit occasione Baptismi Nouati, vt putat Pamellius in annotatione num. 5. Siue alia longè diuersa, vt contendit Vazquez disp. 145. cap. 2. num. 13. & 14. quod ad rem parū attinet. Pro intelligentia tamen verborum S. Cypriani, & accurata eorum lectioe, videndus M. Ioannes Nicolai in additionibus ad Raynerium tom. 1. verbo Baptismus cap. 2. §. 9.

Potissimeque probatur ex vsu Ecclesiæ, quem probat S. Thomas exemplo S. Laurentij, qui Beatorum Romanum Ira legitur baptizasse, cum in craticula supra, potius affert ad se aquam iussit, vt autem ponderat, in 4. Sententiarum dist. 8. art. 4. quæst. 1. legitur quod Romanus à B. Laurentio baptizatus, vt cum aquæ attulit, in quo conflat, quod immergi non poterat. Et in corpore ibi ait. Et videtur quod Apostoli hoc modo baptizarent, cū legatur, quod simul vna die conuerſi sunt quinque millia, & alia tria millia Actorum 2. & 3.

14. Ex quo infert Soto art. 7. §. 9. Ex his igitur (quem sequuntur Cabrera art. 7. nu. 14. Nuño art. 8. concl. 7. & alij) mentionem esse in Baptismo vsque adq̄ congruentem, vt nisi ob aliquam causam necessariam, vel saltem honestam, & rationi consonam, non debeat aliter fieri. Si autē, absque vlla prorsus causa fiat, vel per aspersionem, vel per effusionem, erit nihilominus sacramentū, culpā tamē baptizans committet. Tametsi in nullo casu crediderim esse mortale. Neque verò hæc sola causa, quas hic D. Thomas recenset, excusare à culpa non mergendi possunt: nam & honestas excusabit. Et enim dum vir adultus baptizatur, non est immergendus, sicut Christus non fuit immerſus, sed per effusionem baptizatus. Imò si Filij, Principis eodem honore baptizentur, nulla esset culpa. At verò non ob quamcumque causam est immerſio præmittenda, scilicet, quia infantulus nimis est parentibus dilectus, ne frigeat, aut ne ploret, &c. Quod ergo ait Diuus Thomas tutius esse baptizare per modum immerſionis, quia hoc habet communior vsus: intellige extra articulum necessitatis, & honestatis: nam dum infantulus infirmatur, tutius est non mergere: & cum adultus baptizatur, decentius est aquam superfundere. Tametsi, vt ait ad Neophitos Sanctus Augustinus, & refertur de Consecratione, dist. 4. cap. Prima. Toti tunc honeste nudi intingebantur in fonte.

5. Ar vero in Catechismo Pij Quinti ad Parochos, titulo de Baptismo, ita dicitur: Breuiter explicandum, communis Ecclesiæ more, & consuetudine receptum esse, vt Baptisma vno aliquo ex tribus modis confici possit: nam qui hoc sacramentū Initiari debet, vel in aqua merguntur, vel aqua in eos infunditur, vel aqua aspersione tinguntur. Omnibus istis modis Baptisma valere, probat ratione Diui Thomæ: quia ablutio, non magis fit cum aliquis aqua mergitur (quod diu à primis temporibus in Ecclesia obseruatum animaduertimus) quam vel aqua effusione (quod nunc infrequenti vsu positum videmus) vel aspersione, quemadmodum à Petro factum esse colligitur, cum vpo die tria millia hominum ad fidei veritatem traduxit, & baptizauit. In his verbis non

6. Addit Vazquez disp. 145. cap. 2. nu. 15. quod consuetudo mergendi durauit tempore Sancti Gregorij, & erat frequentior tempore Diui Thomæ. Et nunc etiam (vt fertur) apud Anglos perseverat, sicut obuiait Erasmus in margine epist. 76. Sancti Cypriani. Iam vero in Occidente omnibus, tam adultis, quam paruulis per effusionem hoc sacramentum confertur. Cæpit autem hæc consuetudo ob teneritudinem infantium, cum iam rarissimus esset adultorum Baptismus, qui multo melius immersionem ferre poterant. Atque hæc de causa in manuali Tolitano ad Parochos, modus baptizandi ita præscribitur, vt sacerdos, patris infantem tenens, sumat aquam de fonte, & effundat super caput infantis, vel ipse sacerdos infantem in manibus tenens, semel, aut ter mergat in fonte. Vbi indifferenter vnum, aut aliud fieri conceditur. Quo circa ego non video (inquit Vazquez num. 16.) qua ratione Sotus in 4. dist. 3. quæst. vnica artic. 7. §. 2. Ex his igitur conclusionibus, dicat Baptisma ita debere fieri immersione, vt non nisi ob aliquam causam necessariam, vel honestam, & rationi consentaneam, aliter fieri liceat: quasi adhuc perueniret, tamquam necessarius mos ille mergendi, & non nisi ob nouam aliquam causam eum omittere liceat: cum reuera nunc ob communem causam, quam diximus, omnibus permissus sit modus baptizandi per effusionem: nam per aspersionem in viu non est: & ita sine causa aliqua vituperari non potest absque peccato. Hæc Vazquez.

7. Melius tamē in Catechismo Pij Quinti dicitur, quod retinendus est a fidelibus vsus, quem vnus quisque in sua Ecclesia seruari animaduertit. Et pro illis Ecclesijs vbi est ritus immersionis, notanda est doctrina M. Soto, vt absque

absque sepulchro in illis, & similibus casibus immerſio dimittatur, & recurratur ad effusionem, quæ nunc est communior, vt notat Serra articulo 7. initio. Sed cum à tempore, quo scripsit Soto, plusquam centum anni sint trãfacti, fortè tunc idem vigeat vsus, qui tempore D. Thomæ erat communior. Vnde non est differentia doctrinæ, sed diuersitas temporum, & consuetudinum.

8. Sed obijcies: significare explicitè sepulturam Christi est de necessitate Baptismi: iuxta illud Apostoli ad Romanos 6. Qui cumque baptizatus sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum illo per Baptisma in mortem. Sed hoc fit per immerſionem: dicit enim Sanctus Chrysostomus homil. 24. in illud Ioann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. Sicut in quodam sepulchro, in aqua submergentibus nobis capita, verus homo sepelitur, & submersus deorsum occulatur, deinde nouus rursus ascendit. Ergo videtur quod immerſio sit de necessitate Baptismi.

Respondet Diuus Thomas ad secundum, quod in immerſione expressius repræsentatur figura sepulturæ Christi: & ideo hic modus baptizandi est communior, & laudabilior. Sed in alijs modis baptizandi repræsentatur aliquomodo, licet non ita expressè. Nam quocūque modo fiat ablutio, corpus hominis, vel aliqua pars eius, aquæ supponitur: sicut corpus Christi sub terra fuit positum. Et in 4. Sententiarum artic. 4. q. 1. ad 1. ait, quod etiam in effusione aquæ homo quodammodo sub aqua ponitur: & ideo quodammodo Christo per Baptisma consepelitur. Eandem solutionem adhibeat Richardus ibi dist. 4. artic. 4. casu 2. Soto dist. 3. artic. 7. ad 2. Syluester ver. Baptismus 5. q. 1. & alij.

9. Paludanus tamen in 4. dist. 3. quæst. 3. num. 10. ait, quod representatio sepulturæ Christi non est de necessitate sacramenti, sed solum de congruitate, sicut res extrinseca. Ad idem pertinet, quod ait Vazquez disp. 145. cap. 2. num. 17. Baptismo primarie, & expresse denotari ablutionem maculæ spiritualis, quæ est mors peccati, quam sepultura consequitur: quolibet autem ablutio est emundatio, & extinctio maculæ: extinctio vero mors quædam est, quam consequitur sepultura: & expressior significatio sepulturæ Christi necessaria non est ad sacramentum, sed ablutio, & emundatio macularum. Refert verba Originis in cap. 6. epist. ad Romanos.

Sed expositio Diui Thomæ magis consonat verbis Apostoli relatis, & S. Basilio libro de Spiritu Sancto cap. 13. post medium. Et ad figuram aliqualem, & non expressam, vt faretur Diuus Thomas hic incedere, quæuis, quantumuis minima, proportio, aut similitudo sufficit.

9. II.

Trina immerſio non requiritur, nec de præcepto.

10. Dico secundo, trina immerſio non est de necessitate Baptismi. Sequitur ex dictis, quia si immerſio non est de Baptismi necessitate, multo minus trina immerſio erit essentialiter requirita. Secundo id docet S. Gregorius Papa lib. 1. epist. 4. 1. post medium, & refertur cap. de trina, de Consecratione distinc. 4. Probat etiam Diuus Thomas artic. 8. quia ad Baptisma per se requiritur ablutio aquæ, quæ est de necessitate sacramenti: modus autem abluitionis per accidens se habet ad sacramentum. Et ideo vt dicit S. Gregorius, quantum est de se, vtrumque licite fieri potest, scilicet, & semel, & ter immergere, quia vnica immerſione significatur vnitas mortis Christi, & vnitas Deitatis: per trinam autem immerſionem significatur triduum sepulturæ Christi, & etiam Trinitas personarum. Quod & docet S. Dionysius, S. Damascenus, & S. Augustinus, & alij Patres, quos refert, & sequitur Diuus Thomas in 4. dist. 3. artic. 4. quæst. 2. & 3. & hic artic. 8. ad 1.

11. Dico tertio, trina immerſio, rebus vt nunc, non est de necessitate præcepti. Notat Sanctus Thomas artic. 8. quod diuersis ex causis secundum ordinationem Ecclesiæ diuersi modi baptizandi sunt præcepti. Quia enim à principio nascentis Ecclesiæ, quidē de Trinitate malè sentiebant, ideo non baptizabant in nomine Trinitatis, sed in commemoratione mortis Christi, & vna immerſione. Quod reprobatur fuit in primitiua Ecclesia. Vnde in Canonibus Apostolorum can. 49. alias 50. vt refertur de Consecratione, dist. 4. cap. Siquis presbyter, dicitur. Siquis Presbyter, aut Episcopus non trinam immerſionem vnus mysterij celebret, sed semel mergat in baptis male (quod dari à quibusdam dicitur in morte Domini) deponatur. Non enim nobis dixit Dominus: In morte mea baptizate: sed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

Postmodum verò inoleuit quorundam Schismaticorum, & Hæreticorum error, homines rebaptizantium: sicut de Donatistis Sanctus Augustinus narrat tract. 11. in Ioan- nem: & ideo in detestationem erroris eorum in Concilio Toletano 4. can. 5. & refer- tur cap. Propter, de consecratione distinctione 4. sic statuitur. *Propter vitandum schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplem teneamus Baptismi immersionem.*

12 Sed cessante tali causa, tempore D. Thomæ communiter obseruabatur in Bap- tismo tria immersio. Et ideo, ipse subdit, quod grauius peccaret aliter baptizans, quasi ritum Ecclesiæ non obseruans: nihilominus tamen esset Baptismus. Sed quia temporibus istis rari adulti baptizantur, & communior, & expedientior vsus pro infantibus est, quod nec vna nec trina immersione, sed infusione aquæ baptizentur: & in Catechismo Pij Quinti instrumur, quod retinendus est à fidelibus is ritus, quem vnusquisque in sua Ecclesia seruari animaduertit: ideo vbi consuetudo est trinam immersionem omittendi, absque vilo peccato, etiam veniali, omittitur. Quod supponitur in Concilio Prouinciali Medio- lanensi 4. in quo præcipitur, quod ad aquam Baptismi fundendam, vas proprium seu cochlea- re adhibeatur, & item ad excipiendam eandem. Quo opus non esset in Baptismo per trinam immersionem celebrato.

13 Sed obijcies Pelagium Papam, in Epistola ad Gaudentium Episcopum, rela- tum canone, *Multi, de consecratione, dist. 4. vbi docet trinam immersionem in Baptismo fuisse à Christo Domino præceptam. Verba eius sunt. Multisunt, qui in nomine solum Chri- sti, vna etiam immersione, seasserunt baptizatos: Euangelicum vero præceptum, ipso Deo, & Domino Salvatore nostro Iesu Christo tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis, trina etiam immersione, Sanctum Baptisma vniuersique tribuere; dicente Domino, ite, baptizate omnes gentes, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Simili- ter Theodoretus lib. 4. hæreticarum fabula- rum, capite de Eunomio, & Aetio, vocat tri- nam immersionem ritum à Domino, & ab Apo- stolis traditum. De Eunomio enim refert: Ipse quoque subuertit Sancti Baptismi ritum, à Domino, & Apostolis ab initio traditum; & con- trariam legem aperte tulit, dicens, non oportere iter mergere eum, qui baptizatur; nec Trinitatem inuocare, sed semel baptizare in mortem Christi. Et hac de causa, inter alias, damnatus vide- tur idem Eunomius in Concilio 1. Constan- tinopolitano canone 7. quod nimirum vna*

tantum immersione baptizaret.

14 Responder Soto in 4. dist. 3. q. vnica artic. 8. ad 2. quod cum ait Pontifex, *Euangelicum præceptum*, solum fertur in illud, quod Baptismus fiat in nomine Trinitatis. Quod vero subditur, *trina etiam immersione*, con- gruentia dumtaxat est, quæ ex dicto præcep- to colligitur. Fere eodem modo responder Suarez disp. 20. sect. 3. in fine, vbi & addit, quod Concilium Constantinopolitanum dam- nat Eunomium, quoniam hæretico spiritu, & ad introducendos falsos errores, aufere- bat illam cæremoniam. In substantia eadem est responsio Vazquez disp. 145. cap. 1. nu. 8. & 9.

15 Sed quia modus loquendi Papæ pla- nè videtur præceptum Domini ad vtrum- que extendere, & ad inuocationem trium personarum, & ad trinam immersionem, Diu- Thomas pie interpretatur, intelligendo de præcepto riguroso, cum loquitur de inuoca- tione Trinitatis, & de præcepto solum in exemplari facto, cum loquitur de trina immersione, quæ tunc erat in vsu, & in præcepto. Ideoque solutione ad primum, disparitate assignat, cur explicita inuocatio trium personarum sit necessario exprimens in for- ma Baptismi: quia sic Christus instituit: eo quod Trinitas est sicut agens principale in Baptismo: similitudo autem agentis peruenit ad effectum secundum formam, & non secundum materiam. Et ideo significatio Trinitatis fit in Baptismo per verba formæ. Nec est de necessitate, quod significetur Tri- nitas per vsu materiam: sed hoc fit ad maio- rem expressionem. Indeque ad secundum ex- ponit auctoritatem Papæ, dicens, quod Pe- lagius Papa intelligit trinam immersionem esse de mandato Christi, in suo simili, in hoc scilicet, quod Christus præcepit baptizari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: Non tamen est similis ratio de forma, & vsu materiam, vt dictum est. Trina ergo immer- sio non est directè, & immediatè a Christo præcepta, sed est deducta à simili ab alio præcepto Christi. Et istum esse sensum D. Tho- mæ, notat Serra.

§. III.

Vtrum immersioni debeat succedere emersio?

16 Sed circa conclusiones prædictas emer- gunt aliqua difficultates. Prima, vtrum immer-

immersio debeat succedere emersio, vt Baptismus sit validus? Casus est vulgaris de illo, qui est morti proximus, & aliunde non potest haberi aqua, nisi proiciatur in puteum, vel in flumen. Et in primis videndum quid liceat, vtrum si aqua per aliam artem hauriri nequit, potius sit puer sine Bap- tismo mori permittendus, quam cum certo, vel multo probabili periculo mortis baptizetur?

Ochagui quæst. 7. nu. 2. affirmat, nec mortaliter, nec venialiter peccare, qui sic baptizaret. Imò videtur, quod ad hoc tene- remur: quoniam vita spiritualis præferenda est temporali: & illi puero nulla, nisi per Bap- tismum patet salutis via.

17 Histamen non obstantibus (inquit Soto artic. 8. in fine) *proculdubio* in nullo casu vilis est cum tali periculo mortis baptizatus, videlicet, vt baptismus sit ei causa, vel mortis, vel multæ eius accelerationis: præ- fertim quandiu spes eius vitæ durat: quare in his multa opus est prudentia. Sed censendum est de illo, ac si nulla esset aquæ copia. Nec mirum si perire sinatur postquam om- nis homo nascitur filius iræ. Deus enim satis prouidit aquam, quæ communissimum est elementum. Si autem sine periculo mor- tis applicari non potest, iudicium Dei aby- sus multa, qui Iacob dilexit, Esau autè odio habuit.

Aduertit autem Vazquez cap. 3. nu. 24. hoc apud omnes citrà controuersiam esse: quia nullo modo licet aliquem occidere, vt baptizetur, & per Baptismum saluetur: neque enim facienda sunt mala, vt inde eueniant bona. Quare nec excusabitur ab irregularita- te, iuxta communem Doctorum: de quo Leã- der tract. 2. disp. 2. quæst. 29. Hoc tamen li- mitant iuxta relata verba M. Soto Serra in si- ne art. 7. dicens. Nisi fortè minima esset ac- celeratio, quia iam nulla esset spes vitæ pue- ri. Quod & docent ibi Mercerus quæst. 3. & Lessius dub. 3. nu. 34. dicens. Quod si mors omnino instabat, & aliter baptizari non po- terat, non videtur homicidij crimen. Quod non audet vt improbable damnare Dia- na par. 10. tract. 16. & 6. Miscell. resol. 20. li- cet dicat difficile videri.

18 Casu ergo, quo in flumen, vel puteum proiciatur, cum intentione baptizandi, sed cum voluntate inde non educendi, non manere baptizatum, opinantur Scotus in 4. dist. 3. q. 3. parum à principio. Ricardus dist. 4. art. 4. casu 2. Marilius q. 4. art. 4. dub. 8. An- gelus ver. Baptism. 4. initio. Henriquez lib. 2. cap. 7. Ludouicus de S. Ioanne art. 3. dub.

1. folio 51. Ex Thomis Paludanus in 4. dist. 6. q. 1. art. 3. n. 24. (non dist. 3. q. 3. vt ma- le refert Leander) S. Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 13. Syluester verbo Baptismus 4. q. 10. n. 8. Tabiena ver. Baptismus 5. n. 7. Armilla ibi n. 30. Lublinus n. 24. esseque communè recetiorum, & probabiliorum, dicit Cabre- ra 2. 7. n. 17. & 18. ¶ Probat Scotus, quia Bap- tismus ex sui institutione est ablutio relata ad vitam baptizati: hæc autem profectio or- dinatur ad mortem. Ricardus arguit: quia hic non est ablutio: quia ad hanc requiritur vt abluendus tegatur aequaliter, vt sic deno- tet sepulturam Christi, & postea appareat, vt significet eius Resurrectionem. Syluester idem probat: quia in casu illo non fuit ablu- tio, sed submersio, & extinctio, vel pericu- lum extinctionis. Armilla arguit: quia ibi baptizans baptizatum non tetigit, nec proxime, nec remote: quod ad Baptismum re- quiritur. ¶ Soto art. 8. in fine §. Quo autem, propositione secunda, idem docet, & probat: quia cum illa proectio non habeat for- mam immersionis, quippe quam nulla succe- dit emersio: neque a perfusionis; neque infu- sionis aquæ, fit vt neque formam gerat ablu- tionis: quæ est ad Baptismum necessaria.

19 Probabilior tamen est sententia af- firmans validum fore Baptismum. Primo, quia est communior: eam docuerunt Panor- mitanus cap. *Vt non apponeres, de Baptismo, & eius effectu.* Gabriel in 4. dist. 4. q. 2. artic. 3. dub. 4. Latè Vazquez disp. 145. toto cap. 3. Suarez disp. 20. sect. 3. & alij tredecim Au- thores, quos refert, & sequitur Leãder trac. 2. disp. 2. q. 28. Granados trac. 1. disp. 4. n. 5. Castrus Palaus puncto 4. nu. 10. Diana parte 5. trac. 3. resol. 14. Ex Thomis Victoria de Baptismo q. 14. Petrus Ledesma trac. 2. cap. 3. Nuño art. 8. conc. 5. Candidus disquis. 16. arr. 2. dub. 8. pagina 82. Serra art. 7. in fine. Ruiz ibi bub. 3. Probat, quia vbi omnia concurrunt, quæ sunt de necessitate sacramen- ti, validum est sacramentum. At in hoc casu adest forma, & intentio ministri, & aqua, & ablutio: quia per accidens est, quod adsit suf- focatio. Sicut Soto docet, quod si dum quis intendit puerum baptizare, eius proeuret mortem, videlicet, nimio rigore frigoris, aut caloris aquæ eum offendendo. Ergo etiã si intendat suffocare, manebit baptizatus.

Deinde, ipse Soto propositione 3. admit- tit, quod si dum manibus sacerdos puerum mer- git, casu elaberetur in aquam, tunc Baptismus est, & culpa caveret. Sed eadem est ratio, ac in nostro casu: quia in vtroque immersioni nõ suc- cederet emersio, seu eleuatio,

Demum: nam res, quæ in aquam projicitur, vere dicitur lauta, seu abluta, siue ex aquis extrahatur, siue non: tingitur enim aqua, quæ non minus, sed magis incorporatur, & adhæret corpori, quam si extraheretur. Reliqua autem, quæ opponuntur, per accidens se habent, & impertinenter ad rationem abluionis, & lauacri, cum priusquam ille moriatur, aut suffocetur, sit lautus.

20 Cæterum, quia prior opinio vere est probabilis, & Doctorum suffragiis, & rationibus pro ea allatis; ideo notat Serra, quod omnes conueniunt Doctores, quod prudens consilium esset, baptizare sub conditione, si forte superstes esset, qui modo prædicto projiceretur in flumen, dum baptizatur.

21 Addit Soto propositione 5. & Vazquez n. 25. Aueria, & cum alijs Caius Palaus n. 14. & alij, quod si timeretur ex Baptismo per multum temporis acceleratio mortis, genus esset homicidij, & nunquam liceret baptizare: quia non sunt facièda mala ut inde eueniant bona. Quando vero minima esset acceleratio, non cenetur homicidium, quia minimum pro nihilo reputatur. Ex quo fit, quod ubi aqua præsto est ad manum, accidere non potest tantum periculi: nam si dum infans moritur, mergi non potest, satis est ut tenuissimis guttis aspergatur. Asperio autem illa non potest sensibile temporis mortem anticipare. Neque vero esset ambigendum, quin puer posset cum periculo aliqualis accelerationis mortis ad locum asportari, ubi esset aqua: haud enim sunt hæc adeo scrupulose tractanda.

22 Ex dictis infert Leander disp. 2. q. 30. quod si quis videns puerum labentem, aut ab alio proiectum in flumen, proferat formam Baptismi, valide baptizaret. Probat primo, quia eadem est ratio in isto casu, ac in alio, quem ex Soto, & communi Doctorum admittimus, cum puer è manibus baptizantis forte elapsus esset. Secundo, quia formaliter tunc verificarentur verba Baptismi, licet materialiter ab ipso baptizante non esset puer ablutus. Refert Sotum, & Peña, & Syluestrum. Tertio, quia iuxta communem Doctorum, valet Baptismus, quando quis aquæ defluentis è recto submittit puerum abluendum, & verba Baptismi profert: quia applicans vere dicitur abluere.

23 Hæc tamen sententia falsa est, & contra omnes Doctores; quia Soto, & alij à Leandro relati, loquuntur quando ablutio est voluntaria proferenti verba, secus vero summersio, vel suffocatio: & ad essentiam Bap-

tismi exigitur, quod minister ipse abluat. Quare nominatim hoc impugnant, Petrus Ledesma, & Candidus ubi supra, & Bonacina disp. 2. quæst. 2. punct. 4. num. 28. Vnde Trullench lib. 2. cap. 1. dub. 3. num. 11. in fine sic ait. Hoc tamen existimo certum, si casu puere manibus tenentis in aquam caderet, & postea verba proferret, non esse Baptismus; quia iniectio illa non est humana, sed casus fortuitus. Esset tamen Baptismus si quis puerum submitteret aquæ defluentis è recto, aut alio loco; quia puer dicitur ablutus ab opponente: secus tamen dicendum, si quis tenet puerum, altero aquam infundente: nam tunc non cenetur ablutus: & sic non verificatur forma. Hæc ibi, & Diana parte 10. tract. 16. & 6. miscellaneo resol. 20. §. Nota vero, cum Dicastillo.

24 Deinde Diuus Thomas art. 5. ad 4. ait, quod plures simul non possunt unum baptizare: quia actus multiplicatur secundum multiplicationem agentium, si perfecte ab unoquoque agatur. Et sic si conuenirent duo, quorum unus esset mutus, qui non posset proferre verba, & alius carens manibus, qui non posset exercere actum, non possent ambo simul baptizare, uno dicente verba, & alio exercente actum.

Quæ doctrina est Theologorum communis: quia verba formæ non verificarentur, si ipse qui loquitur, non abluit: sed in casu quo puer a casu labatur, vel ab alio projiciatur in aquam, etiam est falsum, quod loquens abluat: ergo absque dubio non est Baptismus: & ideo absque omni conditione esset ministrandus.

§. IV.

Utrum sufficiat ablutio cuiuscumque minimæ partis?

25 **A**ltera difficultas est, utrum Baptismus sit validus, si quælibet, quantumuis minima pars hominis abluatur? Sententiam affirmantem satis indicat Durandus in 4. dist. 6. q. 1. nu. 6. Item Victoria de Baptismo q. 32. in fine, sic ait. Panormitanus, & Innocentius, in cap. Debitum, de Baptismo, videtur sentire, quod quælibet pars sufficiat ad Baptismus: & vere est in hoc magna apparenzia. Idem tenent Nanarr. conc. 2. de Baptismo, & in Manuali cap. 22. in fine. Vazquez disput. 145. cap. 4. referens D. Thomam, & plures alios, qui id non docent. Probat, quia Baptismus potest fieri asperione, & tinctio: & in quavis parte corporis aqua contin-

gat,

gat, dicitur homo aspersus, aut tinctus: ergo in quacumque parte Baptismus recipere potest. Idem probant Durandus, & Scotus in 4. dist. 4. q. 3. §. Ad questionem. Et Gabriel q. 2. art. 3. dubio 2. post medium, quia anima, quæ contra peccatum originale, quod deletur Baptismo, est in quavis parte hominis; licet ibi non vigeant omnes eius operationes. Idem tenent Ochagavia, Henriquez, Hurtado, Fillutius, Lubinius, Diana, & Archangelus Rubens, quos refert, & sequitur Leander disput. 2. q. 25. Cabrera art. 7. a num. 4. usque ad 6. Balthus Pontius de Matrimonio lib. 4. c. 25. num. 7. Aueria q. 66. lect. 4. §. Septimo, dicens, quod ipeculatiue loquendo dici potest iustificere. Et auctiue Trullench lib. 2. cap. 1. dub. 3. n. 9. & dub. 6. nu. 5.

26 Secunda sententia est M. Soto dist. 3. art. 7. ad 3. §. sed arguis, docentis esse certum Baptismus; si totum peccus, aut scapula infunderentur. Quod & docent Valeria q. 1. puncto 2. §. Quamquam recte, Suarez disp. 20. lect. 2. §. Quia propter. Dicens esse certam, & indubitam materiam. Et Aueria lect. 4. §. Septimo. Nuño articulo 8. conclus. 9. & alij, quos refert, & sequitur Palaus punct. 4. n. 5.

27 Cæterum probabilior, & tutior est sententia D. Thomæ, qui Baptismus capitis abluione ministratum, docet esse validum, & certum; & ideo, nec sub conditione iterandum; in qualibet vero alia parte non carere dubio; & ideo sanum consilium, & aliquando obligationem esse, iterum ministrare. Priorem partem docet S. Thomas hic art. 7. ad 3. dicens, quod principalis pars corporis, præcipue quantum ad exteriora membra, est caput, in quo vigent omnes sensus, & interiores, & exteriores. Et ideo si totum corpus aqua non possit perfundi, propter aquæ paruitatem, vel propter aliquam aliam causam, oportet caput perfunderi: in quo manifestatur principium animæ vitæ.

28 Utramque vero partem docet ipse D. Thomas, infra q. 68. art. 11. ad 4. inquit, dicendum, quod expectanda est totalis egressio pueri ex utero ad Baptismus; nisi mors immineat. Si tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari periculo imminente: & non est postea rebaptizandus, si eum perfecte non contigerit. Et videtur idem faciendum quæcumque alia pars egrediatur, periculo imminente. Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita consistit, sicut in capite, videtur quibusdam, quod propter dubium, quacumque alia parte corporis ablata, puer post perfectam natiuitatem sit baptizandus sub hac forma: Si non

es baptizatus, ego te baptizo. Quam opinionem ipsum D. Thomam fuisse sequutum constat ex ipso in 4. Sententiarum dist. 6. q. 1. ar. 1. q. 1. ad 3. ubi ait. Si tamen postea plenarie nascatur, non est rebaptizandus; secundum quosdam: sed nihil periculi accidit, si ad maiorem cautelam baptizetur sub hac forma: Si non es baptizatus, ego te baptizo, &c. Idem tenent S. Antonius 3. p. tit. 14. cap. 13. §. 1. col. 2. Syluest. verb. Baptismus 4. q. 1. Armilla ver. Baptismus num. 27. Petrus de Soto de Baptismo lect. 1. §. De suscipiente vero. Serra hic art. 7. Imò est communis Doctorum, ut multis relatis ostendit Leander tract. 2. disp. 2. q. 26. & 27. dicens, sic haberi in ritualibus Ecclesiasticis: & quod sic præcepit Clemens Octauus obseruari. Bonacina disp. 2. q. 2. puncto 3. num. 25. Esleque communem Theologorum, dicit Aueria lect. 4. §. Attamen, multos referens.

29 Hanc communem sententiã sequitur, & bene probat Granado Controu. 4. de Baptismo tract. 1. disp. 4. num. 9. ita asserens. Hæc doctrina est probabilior, si recte declaratur. Acquertendum igitur est in hæc, quæ est tanti momenti ad salutem æternam, aliud esse quid speculatiue sit probabilius, & videatur verum; aliud vero quid in praxi securum sit. Et quidem cum materia Baptismi sit ablutio corporis humani, illa erit omnino certa, & indubitata materia, quæ sufficit ut corpus absolute, & simpliciter dicatur ablutum, cum autem caput sit præcipua pars hominis, in qua resident sensus, & maxime elucet rationis vis, nemo dubitat, quin abluo capite, homo dicatur ablutus absolute: ac proinde talis Baptismus, nullatenus iterari potest. Pro quo facit lex, Cum in diuersis. De re religiosis, & sumptibus funerum: reputat enim illud esse sepulchrum hominis, ubi caput eius sepultum est. Quod notauerat Diuus Thomas in 4. dist. 3. q. 1. art. 4. q. 1. ad 2. dicens. ideo si sit caput aspersum aqua, in toto corpore asperio reputatur: sicut etiam Iurista dicunt, quod ubi caput hominis iacet, reputatur ac si totus homo sepultus esset ibidem: non sic autem est de alijs partibus.

30 Deinde (prosequitur Granado) quod attinet ad reliquas, licet si totum corpus, capite excepto, lauaretur, vix videatur posse dubitari de talis Baptismi veritate: cum ea sit propriissima ablutio corporis humani: nihilominus nulla alia pars, v.g. pes, brachium, pectus, & similes, videntur sufficere, ut Baptismus sit indubitatus. Primo, quia ita sentiunt graues Doctores, & non pauci: Catholimusque Rijk Quinti admonet, præcipue

puè lauandum esse caput. Secundo, quia ratio, propter quam Authores indubitati reputant Baptismum, dum caput abluatur, est quia ibi vigent sensus, & ea veluti gerit totius corporis vices: sed nulla alia corporis pars id habet: ergo Baptismus in illis exercitus non est omnino certus. Licet ergo in casu necessitatis liceat in prædictis partibus baptizare: & forte probabilius sit in pectore, aut simili parte, validum esse; adhuc sub conditione iterari potest, & debet, ne homo suæ salutis remedio destituatur. Hæc ibi.

§. V.

Utrum immediatè debeat caro ablu?

31 **T**ertio inquiritur, utrum si aqua solum abluat capillos, censetur homo baptizatus?

Negant Rodriguez 1. p. cap. 25. conc. 2. Villalobos to. 1. tract. 5. diff. 4. nu. 3. Ioannes à Cruce in Directorio 2. p. q. 1. de Baptismo dub. 2. conc. 1. §. Et nota in fine. Franciscus Syluius 3. p. q. 66. ar. 7. Bonacina disp. 2. q. 2. puncto 3. nu. 21. Melchior Zambanus cap. 1. de Baptismo dub. 3. nu. 7. Petrus Canedo cap. 2. de Baptismo. Turreblanca libro 2. prac. cap. 5. nu. 31. Vega tom. 1. cap. 33. casu 62. in fine. Martinus à S. Ioseph tractatu 1. de Baptismo num. 12. Quam sententiam esse communem, & probabilem dicit Casirus Palaus tract. 19. disp. vnica punct. 4. nu. 7. quia capilli non sunt partes hominis, sed illius excrementum; neque anima rationali viuificati. Non igitur ex eorum lotionem lotus dici potest, & animus rationalis sanctificatus.

32 Rectè tamen difficultatem diluit Soto dist. 3. art. 7. ad 3. dicens. Ec quid autem si tantum capilli capitis aqua perfundantur? Quæ neque ad carnem, neque ad faciè, neque omnino ad cutem corporis descendat? Apparet enim ex vna parte esse baptismum: quoniam vulgari idiomate caput, tunc dicitur ablu. Ex altera vero apparet non esse Baptismum, eo quod aqua verè corpus non tangit: & tamen Augustinus ait: Quæ est ista virtus aquæ, quæ corpus tangit, & cor abluat? Reuera hæc non sunt adeo certa, vt absq; vilo scrupulo definiri queat. Crediderim tamen esse Baptismum: quia capilli suo modo partes sunt capitis: nam licet sint eius excrementa; viuunt tamen si-

ne sensu, quando quidem crescunt. Non tamen omnino scrupulosum hominem condemnarem, si cum conditione eiusmodi baptizatum rebaptizaret. Hæc Soto. Igitur in hoc casu, Baptismum esse validum est communis sententia. Quindecim Authores refert, & sequitur Leander tract. 2. disp. 2. q. 24. & alios afferunt, & sequuntur Aversa sectione 4. §. Dum vero. Casirus Palaus puncto 4. nu. 7. Diana parte 3. tract. 3. resol. 4. & 11. Late Lugo lib. 1. Responsorum Moraliū dub. 1. à nu. 3. vsq; ad 10. Vbi tamen bene aduertit, quod si ablutio vnus digiti pedis non sufficit ad Baptismum, iuxta communem sententiam, multo minus sufficit ablutio extremæ partis commè pendētis. Quod & docet Dicastillus tom. 1. de Sacram. trac. 21. disp. 1. dub. 3. nu. 32. & 33. cuius verba refert, & sequitur Diana parte 10. tract. 10. & 6. miscellaneo resol. 18. Sed principalis assertio.

33 Posset probari. Primo, quia vt cū D. Thoma, & pluribus Patribus, & Philologis, ostendimus lib. 2. de Anima q. 8. §. 3. capilli informantur anima secundum gradum vegetatiuum: quia nutriuntur, & augentur. Sed quia illam opinionem non omnes admittunt: idèd quamuis eam sequatur Lugo, dicit num. 5. quod ad casum istum abstinendum est ab ea controuersia: quia quamuis non informantur anima: tamen sunt vera pars hominis: & in corpore glorioso resurgunt: iuxta Christi promissionem: *Capilli de capite vestro non peribit*: Vnde S. Thom. in 4. dist. 44. q. 1. art. 2. q. 2. ad 3. ait, quod *capilli, & unguis sunt in homine ad custodiam aliarum partium: vnde sunt de secunda perfectione corporis humani, quamuis non de prima.*

Deinde, quia sicut cutis capitis capillis tegitur: ita & cute tegitur caput: & cutis externa tegit internam: sicut ergo non opus est vt aqua penetret internam cutem, ita nec opus est vt tangat cutem, vel carnem. Habent enim se capilli respectu capitis, sicut pellis in oue, vel sicut pennæ in aue; nemo autem dicit non esse propriè, & in omni rigore madefactam ouem, vel auem, quarum pellis, vel lana, vel pennæ madefactæ sunt. Et qui capitis capillos tangit, dicitur tangere caput; secus vero si capillorum extremitates pendentes tangeret: De quo Lugo num. 9.

34 Quod autem talis Baptismus possit, & debeat iterari sub conditione, dicunt Authores, quos refert, & sequitur Granados num. 10. & Diana: & late Lugo num. 10. & 11. & 12. quia in Baptismo, Sacerdotio, & Episcopatu,

Episcopatu, propter eorum necessitatè, & damnum irreparabile, quod ex eorum inuiditate conlequeretur, debemus, quoties fieri potest, certam, & securam viam amplecti: non est autem omnino certus valor baptismi in casu præsentis, vt patet ex Authoribus pro contraria sententia relatis; & adhuc qui nostram tenent, fatentur esse incertam. Deinde, quia nulla fit iniuria sacramèto, vel irreuerentia, quando prudenter aliquis operatur: quia autem in re tantæ necessitatis, non contentus medio periculis exposito, vitatur via tutiori ad maiorem cautelam, prudenter operatur: ergo rectè facit.

35 Hæc tamen rationes, bene perpense, probant, quod ita facere liceat: non tamen, quod ita facere teneamur; quia qui diceret Baptismum esse moraliter certum, non teneretur sub conditione iterare. Nec docto iniecit obligationem reiterandi, sed permittit id pro scrupulosis. Quare certius iudico, quod licet sub conditione repetere; quæ affirmare, quod ad hoc teneamur. De quo q. 8. nu. 31.

36 Addunt Syluester verb. *Baptismus* 4. nu. 2. cum Aureolo: & Armilla nu. 38. & Vazquez disp. 145. cap. 4. nu. 31. & Granados nu. 10. Quod infans recentè natus cū pelle, quam dicunt secundinam, in casu necessitatis baptizari potest: quamuis si alias inclusus esset in corio, vel alio vase, & aqua corium, vel vas, illud solum contingeret, non censeretur baptizatus. Ratio verò est, quia pellis illa secundina est veluti pars infantis; corium autem, aut vas non item. Idem admittunt Agidius, & Layman, quos sequitur Casirus Palaus aduertens, quod extra necessitatem non licet sic ministrare; quia est materia dubia; ideoque cessante necessitate, Baptismus omnino sub conditione repetendus, vt est compertum apud omnes. Et quamuis Bonacina disp. 2. q. 2. puncto 3. nu. 21. & Candidus dist. 16. art. 2. dub. 10. concludit. 17. hoc solum admittant; si secundina sit porosa, & aqua perueniat ad carnes infantis; secus vero si non sit porosa. Sed Authores alij talè non apponunt limitationem; quare in casu necessitatis ita posset practicari, vt admittit etiam Serra art. 7. dum tractata necessitate sub conditione baptizentur. Quamuis absolute neget Leander quæstione 22. alios referens: sed male D. Thom. & Soto.

37 Rursus Soto in fine articuli 7. docet, quod si dum aqua, vel effusa, vel aspersa, nullam corporis partem attingit; neque vero capillos, sed dumtaxat vestes, quod tu-

tius est affirmare non esse baptizatum: quia secundum Augustinum, aqua corpus rãgit, & cor abluat. Et S. Thomas q. 68. art. 1. docet, quod de necessitate Baptismi est, quod corpus baptizati aqua aliquomodo abluatur: alioquin falsa esset forma.

38 Neque obstat si obijciatur, quod capite 2. & 4. Actorum referuntur tot hominum millia vna die baptizata; vbi apparet per aspersionem fuisse celebratum Baptismum: atque adeo non attigisse aquam omnes, nisi vique ad vestes. Respondetur, nullatenus credendum ita temere fuisse aspersos; sed transibant coram ministro: (nam plures erant ministri) bini, & bini, aut forte terni, vel quaterni, vt super singulorum capita certo iactu, vel effusione caderet aqua, sub illa forma: Ego te, aut vos baptizo, in nomine Patris, &c. ¶ Addit M. Ioannes Nicolaus in additionibus ad Raynerium, verb. *Baptismus* cap. 1. §. 4. in margine lit. A. quod de his tribus millibus baptizatis, aperte satis constat ex Act. 2. ver. 11. De aliorum quinque millium simultaneo Baptismo, non sic expresse licet expresse tamen de conuersione illorum conuenit Actorum 4.

39 Quamuis autem Soto in casu prædicto, quo aqua solas tangat vestes, sententiam negatiuam solum vocet tutiorem: & subiungat, *Saltem crediderim huiusmodi hominem sub conditione baptizandum.* Cæterum Petrus Ledesma tract. 2. cap. 3. conc. 3. dub. 2. Candidus dist. 16. art. 2. dub. 10. conc. 17. Ruyz q. 66. art. 7. dub. 1. & Authores communiter, quos referunt, & sequuntur Leander q. 23. Bonacina puncto 3. nu. 22. & Casirus Palaus puncto 4. n. 6. vt indubitati tradunt istum non esse Baptismum: & idèd sine conditione baptizandum: quia propriè indumentum hominis, & non ipse homo, dicitur illa aspersione lauari.

40 Denum in casu, quo quis intendat baptizare trina immersione, si ad finem primæ iam protulit verba, & intentionem non restringat, vel suspendat, iam perficit sacramentum, & alia duæ immersiones se habent accidentaliter: quia quod de se accidentale est, recta intentione non fit necessarium. Cæterum, si totius formæ prolatio non perficiatur vique ad tertiam immersionem, illuc usq; non confertur sacramentalis gratia, licet virtute omnium, tunc infundatur: iuxta D. Thomam art. 8. ad 3. & in 4. dist. 3. ar. 4. q. 3. vt declarant Caietanus, & Soto, & alij communiter. Si tamen minister ita intendat trinam immersionem, vt absolute intendat non baptizare sine tribus immersionibus,

nibus, & ante tertiam formam absolueret, inualide baptizaret. Sed iste intendendi modus non præsumitur, quia non est reus, & raro adest. Eodemque modo exponendus Paludanus in 4. dist. 3. q. 2. nu. 9. cui immerito tribui solet oppositum.

DVBIUM VIII.

Vtrum Baptismus possit iterari?

§. I.

De fide est iterari non posse.

Marcionistæ, ut referunt S. Epiphanius hæres. 4. 2. longe ante mediū, & S. Damascenus libro de hæresibus, tria Baptismata eidem homini concesserunt, si post primum in alia peccata laberetur: vnum in infantia ad delendum peccatum originale: & alia duo in adulta ætate ad imitationem Christi, qui & Baptismo Ioannis, & postea proprio sanguine baptizatus est. Quidam etiam ex Anabatistis huius ætatis, ut refert Valentia q. 1. puncto 4. rebaptizabant eos, qui post semel susceptum Baptismum, Eadem abnegarunt. Quamuis Vazquez disput. 146. cap. 2. num. 4. notet, quod hoc non pertinet error Donatistarum, qui ut refert S. Augustinus cap. 69. baptizatos à Catholicis rebaptizabant: Nec error antiquorum Anabatistarum, qui pueros baptizatos in infantia, postea adultos baptizabant: nam isti putabant primum Baptismum invalidum: & idè non affirmabant Baptismum semel ratum, & firmum, posse repeti, ut sumitur ex D. August. lib. 2. contra lit. Peril. cap. 25.

Verum tamen D. Thomas lib. 4. Contra gent. cap. 59. in fine ait. Vnde cum Baptismus sit quædam consecratio hominis baptizati, non est iterandum Baptisma. Per quod excluditur error Donatistarum, vel Baptizantium. De istis S. August. tom. 6. lib. de hæres. cap. 69. refert. Audent etiam rebaptizare Catholicos. Et quamuis ipsi contenderent nos, ut reos, verum non habere Baptisma; & nos in sanitate, quia apud Catholicos, & hæreticos admitterebamus baptismum multiplicari. Tamen S. Augustinus tom. 2. lib. 2. contra Petilianum Donatistam cap. 27. ait. In vos ista dicitis, sed in janedo nascitis. Illi enim dicunt duo Baptismata, qui aliud existimant habere in vos, aliud iniquos, cum neque istorum sit, neque aliorum, sed sit Christus, in vtriusque vnum. Ergo

quamuis Donatistæ velent esse immunes ab hæresi rebaptizantium, ab illa non recedebant: & idè possunt hic referri.

2. Conclusio certa secundum fidem est, quod Baptismus iterari non potest: & si hoc attentetur, peccatum committitur mortale; & secundus non est Baptismus. Ita habetur ex Canone 47. alias 46. Apostolorum, in quo dicitur. *Episcopus, aut Presbyter, si eum, qui secundum veritatem habuerit Baptismi, de novo baptizauerit, deponatur.* Idem sumitur ex Concilio Carthag. 1. can. 1. & definit S. Leo Papa 1. epist. 37. ad Ravenatam, alias 35. cap. 1. & epist. 79. ad Nicetam, alias 77. Et Eugenius 4. in Concilio Florentino in Decreto fidei post ultimam Sessionem. 6. *Quinto Ecclesiasticorum*, loquendo de isto Sacramento, & de alijs duobus imprimis Characterem. Pariterque de his tribus idem definit Concilium Tridentinum Sess. 7. can. 9. de Sacramentis in genere. Et de Baptismo can. 11. ait. *Si quis dixerit, verum, & recte collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negauerit; cum ad Poenitentiam conuerteritur, anathema sit.*

3. Probat D. Thomas art. 9. ex illo ad Ephes. 4. ver. 5. *Vnus Dominus, una fides, vnum Baptisma.* Quo testimonio utitur S. Leo 1. ubi supra relatus de Consecratione, dist. 4. cap. Cum itaque, dicens. *Scimus quidem inexplabile esse facinus, quoties iuxta hæreticorum dogmata, contra Sanctorum Patrum instituta, cogitur aliquis lauacrum, quod regenerandis semel tributum est, bis subire, Apostolica reclamante sententia, quæ nobis unam prædicat in Trinitate Deitatem, unam in fide confessionem, vnum in Baptismate Sacramentum.* Item illam epist. 79. *Hanc regulam seruandam omnibus Ecclesijs prædicamus, ut lauacrum semel initium, nulla iteratione violetur, dicente Apostolo, vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma.* Eodem modo exponunt Apostoli verba S. Ambrosii lib. 2. de Poenit. cap. 2. Optatus lib. 3. contra Parmenianum. S. Damascenus lib. 4. de Fide capite 10. initio. S. Isidorus lib. 2. de Diuin. Offic. cap. de Baptismo, post medium. S. Anselmus ad Ephes. 4. ver. 5. & alij.

4. Adhuc tamen post tantam interpositam nubem testium, inquit Vazquez disput. 146. cap. 3. num. 5. Apostolum id significare voluisse, cum ad Ephes. 4. dixit, *Vnum Baptisma*, mihi non satis persuasum est. Nam S. Hieronymus tom. 6. in magnis Comm. & S. Chrysost. tom. 1. in Epist. ad Ephes. ante medium, locum interpretantur de unitate Baptismi quasi secundum speciem. Quæ expositio confirmatur ex instituto Apostolici

qui;

quidem intendit argumentum sumere ex unitate Dei, Fidei, & Baptismatis, ut & ipsi inter se seruent unitatem spiritus in viscero patris: ad hoc autem nihil omnino referebat unitas illa Baptismi, quod nimirum repeti ab eodem homine non posset. Quis hoc non videt? Multum autem intererat unitas Baptismi secundum speciem, ut quemadmodum ipsi eodem modo baptizabantur, & eodem modo credebant, & in hoc non discrepabant: ita etiam moribus contrarij non essent, sed omnino conuenirent.

5. Cæterum per hoc, quod Apostolus loquitur de unitate credibilium, non tollitur quod etiam loquatur de unitate numerica Baptismi in eodem homine. Vnde S. Theodorus ad Ephes. 4. lect. 2. ait. *Baptisma dicitur vni triplici ratione. Primo, quia Baptismata non differunt secundum baptizantes, quia a quo cumque conferantur, uniformem virtutem habent, quia qui baptizat interior, vnus est, scilicet, Christus Ioann. 1. Super quem uideris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in spiritu sancto.* Secundo dicitur vnum, quia datur in nomine vnus, scilicet Trinitatis. Math. ult. *Baptizate eos, &c.* Tertio, quia iterari non potest. Poenitentia autem, Matrimonium, & Eucharistia, & Extrema unctio, iterari possunt; non autem Baptismus. Heb. 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati (scilicet per Baptismum) gustauerunt autem donum cælestis, & participes facti sunt spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sancti venturi, & prolapsum sunt (scilicet per peccatum) renouari rursum ad Poenitentiam.* Non iteratur autem Baptismus, vel propter characterem, vel quia causa eius non iteratur. Rom. 6. *Consepulsi enim sumus eum illo per Baptismum in mortem, &c.* Nunc autem Christus semel pro peccatis mortuus est, ut dicitur 1. Petri 3. Hæc S. Thomas. Pariterque exponunt Glossa Interlinealis. Et Cardines Hugo, & Caietanus, & passim alij.

Præferendaque hanc expositionem duplici motiuo constat. Primo si Apostolus, non solum loquatur de unitate specifica, sed de unitate numerica in vnoquoque, melius currant exempla, quia Dei unitas, & unitas credibilium vna omnino est: siquidem Deus est vnus, & omnes eadem credimus magis, vel minus explicite: & spes nostre vocationis, sumpta obiectiue, ut sumit Apostolus, vna est: siquidem omnes Beati vident Deum Trinum, & vnum. Secundo specialius de Baptismo affirmat Apostolus, quod in vno, quod non affirmat de Matrimonio, & Eua-

charistia: quia sicut Corpus Christi sit vnus species sacramentalis sunt plures: & ita pe ab eodem percipiuntur: ergo conuenienter etiam de unitate initerabilitatis loquitur Apostolus. Præcipue cum in hoc sensu Pontifices, & Patres eius verba intellexerint.

6. Verba etiam illa Apostoli ad Hebræos 6. sic exponit ipse D. Thomas ibi lectione 1. sequitur S. Hieronymus, S. Chrysostomus, Theophilus, & Theodor. in eodem loco. Et S. Ambrosius lib. 2. de Poenit. cap. 2. S. Augustinus lib. 1. de vera, & falsa Poenit. cap. 3. S. Epiphanius hæres. 59. non longe à principio, & alios. Cæterum Vazquez 1. p. disp. 79. capite 1. & hic disp. 146. cap. 3. num. 13. ut ab errore liberet, etiam in libro de Pudicitia cap. 20. Patribus se opponit, per Poenitentiam docens eo loco non intelligi Baptismum, & eundem, sed Poenitentiam, quæ baptizatis peccantibus conceditur: *Impossibile autem accipi pro eo, quod difficile est, atque in moribus impossibile solet appellari.*

8. Expositionem tamen Patrum esse genuinam, constat in primis, quia illud aduerbium *impossibile*, non dicitur à propriissima significatione, ut facit Vazquez. Deinde, verba sequentia: *Rupis crucifigentes sibi membris filium Dei*, omnino cogunt, ut antecedentia loquantur, & improben iterationem Baptismatum. Quod subtiliter probat Caietanus ibi ver. 6. dicens. *Sensus est: Impossibile est semel baptizatos rursus renouari ad Poenitentiam, reuocari quæ dicitur sibi membris filium Dei. Reuocatio namque modum renouandi explicat. Perinde ac si dixisset, impossibile est rursus renouari ad Poenitentiam per Baptismum. Iteratum enim Baptisma: reuocatio nem sibi membris filii Dei appellat. Et subditur, ac docet, ad significandum rationem, quare non potest iterari reuocatio per Baptismum: quia esset reuocatio filium Dei, non in carne propria ipsius filii Dei, sed in semetipsis, qui rebaptizarentur: nam baptizatur in morte Christi, & consepelitur illi per Baptismum, & emergimus ex Baptismo in nouitatem vite: correlurgentes Christo: ac per hoc iterare Baptisma, est reuocare Christum immortalem: non in se ipso (ut dicitur) sed in eo, qui rebaptizatur. Cum tamen debeat conformare esse signum significatio: ac per hoc, sicut semel Christus mortuus est: & resurrexit, non amplius moriturus: ita semel debet nobis crucifigi, & semel conuocatum est surgere cum ipso in nouam vitam. Hæc Caietanus, qui & aduertit, quod nisi*

nisi aliqui tunc temporis fuissent iterantes baptisma, non tam acurate Apostolus hanc materiam interloquendo tractasset. Similiter Soto hic art. 9. circa secundam rationem ait, quod hæc est receptissima Doctorum expositio: nam verbum illud: *iterantes* demonstrare videtur non esse nisi sensum de iteratione baptismi. Et conformatur: quoniam Paulus illic contra quosdam sermonem ierat, qui perinde de Baptismo censebant, ac de baptismatibus antiquæ legis, quæ cum ad ablutionem corporaliū foridum instituta fuissent, iterum, atque iterum reperebantur. Amouet ergo error illum: quoniam Baptismus, cum omnem profus peccatam, & culpam diluat, iterari non indiget: imò nec vere potest, sicut non potest homo renasci corporaliter.



9. Quamuis autem Venerabilis Hugo lib. 2. de Sacramentis parte 6. cap. 13. videtur indicare hanc solum esse institutionem Sanctorum Patrum, & ita non esse de iure diuino. Ait namque. *Apostolus dicitur: vnum est, vnum Baptisma: hac enim auctoritate vniuersi vtuntur. Quod ergo vnum est, geminari non potest: quia propter valde rationabili diffinitione à Sanctis Patribus institutum est, ut qui semel Sacramentum Baptismi percepisse cognoscitur, nulla ratione illud iterato accipiat, siue in Ecclesia, siue extra Ecclesiam, hoc est, siue à Catholico, siue ab hæretico fuerit baptizatus.*

10. Cateri tamen Theologi merito docent hoc esse de iure diuino. Vnde Soto in 4. dist. 3. q. unica art. 9. ait. *Crediderim tamen hoc dogma ab ipso Apostolorum tempore fuisse certissimum. Imò non solum iure Pontificio, sed & iure diuino, vt Scotus ianuit, constabit. Verba autem Hugonis, vel pie exponenda: nam quod ait *Institutum est*: est ac si diceretur, traditum, declaratum, ac diffinitum est. Alioquin enim certum est, propriam huius rei causam in Christi Domini voluntate, & institutione esse positam: nam quæ sunt de necessitate Sacramentorum, cum ex sola rei natura statuta non sint, ex voluntate instituentis orta sunt. Ideoque iure diuino baptizatus est incapax, vt iterum valide baptizetur. Videtur*

deatur Cabrera art.

9. num. 4.

& 5.



6. *Ubi dicitur: iterantes. Rationes, Dni Thomæ deservunt, vt duntaxat, vt duntaxat, vt duntaxat.*

11. **Q**uæritur autem ad rationes, Scotus in 4. dist. 6. q. 7. impugnat secundam, & tertiam rationem D. Thomæ: & subiungit. *Dico igitur, quod ratio iterabilitatis Baptismi est institutio dei, cuius non est alia causa prior, nisi voluntas eius: & ita ista institutio est rationabilis. Vt utique prima, & quarta ratio D. Thomæ, & ipse aliam tertiam adijcit.*

Suarez in comment. ar. 9. & disp. 22. sectione 2. rationes D. Thomæ solum vt congruentias accipiat. Similiter Granados controu. 4. tract. 1. disp. 8. num. 5. sic ait. *Et quidem S. Thomas optimas huius rei congruentias afferit. Nos in materia de Sacramentis in genere tract. 1. disp. 1. ex Tridentino Concilio diximus, optimam huius rei rationem esse, quia Baptismus imprimat characterem omnino indelebilem. Sed quoniam hæc, & ceteræ rationes non conuincunt fuisse omnino impossibilem Baptisum iterari, siue quia post primam susceptionem non imprimet characterem, sed illum supponeret: siue quia posset illum augere, sicut alia sacramenta repetita augent gratiam, quam in prima eorum receptione conferunt: ideo ratio conuincens desumenda est ex institutione Christi Domini: de qua constat nobis sufficienter ex auctoritate Scripturæ, Conciliorum, & Patrum. Ad probandum vero fuisse congruam hanc Saluatoris institutionem deieruunt rationes S. Thomæ.*

12. Nihilominus Caietanus, & Soto artic. 9. §. *Crediderim*, docent rationes D. Thomæ, non solum tanquam congruentes esse auscultandas, sed tanquam necessarias iuxta naturam Sacramenti. Natura enim ipsa generationis spiritalis, Christianæque professionis, secum intinere adest, vt non nisi semel fiat. Quo circa vbi Christus Ioan. 3. dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, appellas Baptisum regeneratione, docuit non posse bis eidem ministrari. Et hæc est prima ratio D. Thomæ: quia Baptismus est quadam spiritalis regeneratio. Vnius autem non est, nisi vna generatio: & ideo non potest Baptismus iterari, sicut nec carnalis generatio. Vnde S. August. trac. 11. super illud Ioan. 3. *Num quid potest, in ventre matris sua iterato parere, & renasci. Sic tu, inquit, intellige naturam spiritus, quomodo intellexit Nicodemus naturam carnis: quomodo**

de enim verus non potest repeti, sic nec Baptismus.

13. Secunda ratio D. Thomæ est, quia in morte Christi baptizamur; per quã morimur peccato, & resurgimus in nouitatem vitæ: Christus autem semel tantum mortuus est: & ideo baptismus iterari non debet. Propter quod ad Hebræos 6. contra quosdam rebaptizari volentes dicitur: *Rursus crucifigentes sibi metipsos Filium Dei: vbi Glossa ord. dicit: Vna Christi mors, vnum Baptisma consecravit.*

14. Hanc rationem impugnat Scotus illa q. 7. dicens. *Sed hæc ratio non concludit, quia & Pœnitentia virtutem habet à passione Christi: Absolutio autem, vel prima gratia non datur inimico, nisi per meritum nec diatoris: & tamen Pœnitentia iteratur: Hęc ille.*

15. Cui facillimè respondet Caietanus ad primum, quod vis rationis consistit in representatione (quia scilicet in Baptismo representatur mors Christi) & non in efficacia virtutis à passione Christi, vt arguens refert: vnde argumentum nihil obstat, quoniã Pœnitentia non assimilat hominem Christo mortuo: sed Baptismus cõtempens Christo mortuo hominem, qui baptizatur. Nec tam debili argumento erat deserenda ratio D. Thomæ, quæ est Patrum communis: eadem enim vtuntur S. Clemens Romanus libro 6. Apost. const. cap. 15. S. Basilius lib. de spiritu sancto cap. 15. S. Damascenus libro 4. de fide cap. 10. S. Ambros. lib. 2. de pœnitentia cap. 2. S. Isidorus lib. 2. de diuin. offic. cap. de Baptismo, post medium. Et plerique Scholastici in 4. dist. 6. vt notat Vazq. hic disput. 146. c. 3. n. 14.

16. Tertia ratio D. Thomæ est, quia Baptismus imprimat characterem, qui est indelebilis, & cum quadam consecratione datur: vnde sicut alia consecrationes non iterantur in Ecclesia, ita nec Baptismus. Et hæc est ratio D. Augustini libro 2. contra Parmenianum cap. 13. tom. 7. & epist. 50. ad Bonifacium tom. 2. & to. 9. tract. 5. in Ioannem post medium.

17. Sed eam parvipendit Scotus dicens, quod probat propositum manifestè per iur manifestius: a principio enim ex quo Baptismus fuit institutus, fuit manifestum de eo, quod non licuit cum iterari. Quod autem character imprimatur, non est notum ex prima eius institutione; neque ex tota Scriptura; neque etiam ex multis auctoritatibus Sacrorum.

18. Respondet bene Caietanus ad 2.

quod si D. Thomas reprehendendus est, oportet quoque reprehendere Synodum Florentinam: nam in Decreto Eugenij Quarti, sæpe relato dicitur: *Tria sunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id est, spirituale signum, imprimunt in anima indelebile: vnde in eadem persona non iterantur. Licet ergo ex posterius manifestis rationem reddere eorum; quæ prius tempore nota fuerint: de multis enim conclusionibus notis apud præcos, potiores adiuuenerunt propter quid.*

Præterquam quod respondet Scotus, quod etiam nomen characteris non fuerit forsitan ita notum, & frequens in Ecclesia ante tempus Augustini: nihilominus res ipsa fuerat semper confessissima: nempe, quod per quadam sacramenta consecrabatur suscipientes ad aliqua obeunda munia: & ideo illa non erant iterabilia: quia consecrationes illæ erant indelebiles: quas vero postea Ecclesia appellauit characteres. Præterea: nã iam q. 63. dub. 1. §. 2. ostendimus assertionem characteris ex Sacra Scriptura colligi, & §. 3. diximus esse Apostolicam traditionem, expressam à D. Dionyso, & alijs Patribus: & ideo ex hac parte non arguitur ex aliquo minus noto. Demum aduerte iufficere D. Thomæ, quod eius ratio habetur in Concilio Tridentino sess. 7. de Sacramentis in genere illis verbis can. 9. *si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima: hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, vnde ea iterari non possunt, anathema sit.*

19. Quarta ratio D. Thomæ est, quia Baptismus principaliter datur contra originale peccatum: & ideo sicut originale peccatum non iteratur, ita etiam nec Baptismus iteratur: quia vt dicitur ad Rom. 3. *Sicut per vnum delictum in omnes homines in condemnationem, sic per vnum iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* Eadem ratione vtitur Diuus Thomas in 4. distinctione 6. & libro 4. Contrag. cap. 39. Hanc rationem primo loco proponit Scotus. Sed Vazquez cap. 3. nu. 16. inquit, quod hæc ratio Scholastici solummodo vtuntur: neque apud vltimum Patrem eam inuenisse potui, & me quidem iudice, duabus alijs æquanda non est. Melius tamen Soto inquit art. 9. Quarta ratio negari non potest, sicut nec prima, quia est æquali euidencia manifesta. Duas objectiones contra eam refert, & diluit Suarez disput. 22. sect. 2. circa finem.


20. Accedit, & ratio secunda D. Thomæ in 4. dist. 6. q. 2. art. 1. q. 1. dicens. *Secundum sumitur ex re Sacramentis: quia in Baptismo de*

letur culpa; & poena totaliter. Unde si frequenter liceret homini Baptismum suscipere, esset quædam pronocatio ad peccandum: quia facilitas venie in incentiuum præbet delinquendi, ut dicit S. Greg. Ratio hæc est, quæ apud Scotum est secunda; ex fine, seu effectu huius Sacramenti: confert enim plenam remissionem poenæ, & culpæ; si autem posset homo habere frequenter talem remissionem plenam ab utroque, esset magnum incentiuum delinquendi. Nec hoc inconueniens militat in frequentatione Sacramenti. Intentia: quia ibi non est remissio poenæ, nisi iuxta proportionem doloris: & non est apud aliquos grauamen parui momenti exprimere alteri homini peccata occulta, etiam interiores cogitationes, & affectiones cordis. Quorum neutrum est in sacramento Baptismi.

21. Obijcies: nam S. Cyprianus lib. 2. epist. 3. quæ est ad Cæciliū, & nunc est 63. n. 3. in fine ait de Baptismo. *Quem sui reuerentia non patitur iterari.* Constat autem ex Diuo Thoma q. 65. art. 4. quod Eucharistia est perfectius sacramentum, quam Baptismus: & quod sacramentum Eucharistiæ quotidie iteratur. Ergo videtur, quod multo magis Baptismus possit iterari.

Respondent Scotus illa q. 7. in fine, & Soto art. 9. §. Contra hoc, quod consecratio Eucharistiæ non iteratur sub eadem materia: & in hoc est Baptismati similis.

22. Melius respondet S. Thomas art. 9. ad 5. quod utrumque sacramentum, scilicet Baptismi, & Eucharistiæ est representatiuum Dominicæ mortis, & passionis. Alio tamen, & aliter: nam in Baptismo commemoratur mors Christi in quantum homo Christo commoritur, & in nouam vitam regeneratur. Sed in Sacramento Eucharistiæ commemoratur mors Christi in quantum ipse Christus passus exhibetur nobis, quasi patiale conuiuium: secundum illud 1. ad Corinth. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus: utraque epulemur.* Et quia homo semel nascitur: multoties autem cibatur: semel tantum datur Baptismus; multoties autem Eucharistia.



§. III.

Qua ratione Baptismus sub conditione non iterari possit?

23. **I**n solutione ad 4. affert D. Thomas verba Alexandri Tertij, cap. de quibus de Baptismo; & eius effectum, sic dicentis. *De quibus dubium est, an baptizati fuerint; baptizentur his verbis premisis: Si baptizatus es, ego te baptizo; sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo; &c. Non enim videtur iterari, quod nescitur esse factum.* Quæ quidem doctrina maxime conducit ad præxim, & ideo diligentius est explicanda.

24. In primis certum est, peccatum esse mortale rebaptizare eum, quem constat esse baptizatum valde. Unde S. Augustinus ad Maximum, relatus cap. *Rebaptizare. De consecratione. Dist. 4. ait. Rebaptizare hæreticum hominem; peccatum est; rebaptizare autem Catholicum hominem, immanissimum scelus est.* Et ibidem can. *Non licet.* Ex Concil. Cartag. 4. Quorum canonum sententiam bene declarat Soto art. 9. §. *Conclusio.* Nam quod quis rebaptizari, aut rebaptizare contendat, bifariam contingit. Aut quia baptizatus est ab hæreticis; & quia per tale baptismum gratia non suscipitur; rebaptizari procurat. Et hæc fuit Donatistarum secta: de qua q. seq. Atq; hoc licet sit peccatum, videtur tamen non nihil exculpationis habere. Aut quia abique vlla causa id procurat; & propter hoc dicitur *immanissimum scelus*, quod ex suspitione defectus Baptismi nascitur, quasi vnus non sit sufficiens ad iustitiam. Unde D. Thomas in 4. dist. 6. q. 2. art. 1. q. 1. ait. *Vnde fieret iniuria sacramento, si Baptismus iteraretur: quasi prima sanctificatione non sufficisset.* Et ad 1. dicit. *Vnde sicut fieret iniuria Eucharistiæ, si hostia consecrata consecraretur iterum, ita fit iniuria Baptismo, si aliquis semel baptizatus, iterum baptizetur.* Et hoc est contra Anabaptistas, seu rebaptizatores. Et est in odium Donatistarum iniuncta irregularitatis poena: tam rebaptizatis, quam rebaptizantibus. Quin vero, & lege Ciuili extat Codex. *Ne sanctum iteretur baptisma.* Vbi, & rebaptizantem irregularem esse supponitur, cum de illo dicitur: *Sacerdotio indignum esse censemus.* Peccaretque mortaliter, etiam si Baptismus conferret sub conditione, ut notat Soto ad 4. & Suarez disputatione 31. sect. 6. initio. Vazquez cap. 4. numero 30. & alij communiter, propter abusum sacrilegum sacramenti, sicut peccat, qui species consecratas iterum consecrare tentaret: vel viuente vxore alteram duceret.

Specia:

Specialiterque est contra significationem huius sacramenti: de qua D. Thomas in secunda ratione; & ideo qui Baptismus iterat, quantum in se est, iterum Christum Crucifigit: iuxta ea quæ adduximus ex Apostolo ad Hebræos 6. Videatur D. Thomas 4. Contra gent. c. 71.

25. Addit Nuño artic. 9. conc. 3. quod si baptizetur sub conditione ille, qui certo non erat baptizatus, non est peccatum mortale: quia cum talis forma sufficiat ad vere baptizandum, non sequitur aliquod magnum inconueniens; neque exhibetur sacramento notabilis irreuerentia. Esset tamen peccatum veniale graue; quia nimis otiose, & frustra ponitur conditio illa in re grauissima. Sequitur Petrus Ledelma tract. 2. de Baptismo cap. 5. dub. 1. conc. 2. Villalobos tract. 5. diff. 7. n. 2. Ludouicus a S. Ioan. q. 1. ar. 8. dub. 2. conc. 1. folio 61. Diana 3. p. in Adit. resol. 6. in fine. Leander trac. 2. disp. 3. q. 47.

26. Merito tamen alij, vel supponunt, vel affirmant esse probabilius istum peccatum moraliter; quia est notabilis irreuerentia sacramento in ipsius forma proponere ut dubiam eam, quæ est certa. Tum quia sic videtur militare rationes, quas in alio casu (de conferente Baptismo sub conditione ei, qui scit iam baptizatum) proponit Suarez disp. 31. sec. 6. initio: quia etiam hoc modo fit magna irreuerentia sacramento: & illa conditio est impertinens, & moraliter haberi potest pro non adiecta: quid enim interest addere conditionem, quando constat re ipsa non esse baptizatum? Imò videtur fere impossibile, tunc habere actualem intentionem sub tali conditione, sub verbo indicatiuo: *In tendo te baptizare; si non es baptizatus:* quia si video puerum recenter natum a nullo baptizatum, si habeo rectam fidem de Baptismo, & eius effectu, non possum vere, & ex corde de presenti intendere sub conditione operari: sed ad sumum conditionali de futuro: *Intendo te baptizare, quia baptizatus non es, & ideo intendere, si prudenter dubitaueris ab alio baptizatum, vel non.* Quæ rationes æque probant, eam conditionem apponitur in Baptismo illius, qui certo est baptizatus, cum adijciuntur in casu, quo constat euidenter non esse baptizatum. Imò iam ostendimus cap. 1. Theologie Moralise q. 10. cum communi Doctorum, aduersus vnum singularem, esse peccatum mortale baptizare sub conditione eum, qui scrupulis vexatur an sit baptizatus, vel non? Si nullam sui scrupuli causam afferat.

27. Præterea est certum, quod quando

non est dubium, sed sola ignorantia, quia ex nulla parte coniecturæ sunt, sed solum non constat, nec villo modo constare potest de Baptismo recepto, tunc absque vlla conditione Baptismus est conferendus, ut habetur in Concilio Cartagin. 4. cap. 6. & docet Summus Pontifex S. Leo primus epist. illa 37. alias 35. cap. 1. illis verbis: *Cum utraque baptizatum se esse, nec ille recordetur; qui regeneratio nis est cupidus; nec aliter attestari de eo possit, quod nesciat consecratum, nihil consecrat, quo peccatum possit obrepere; cum in hac parte conscientie, nec ille reus sit, qui consecratur; nec ille, qui consecrat.* Quia videlicet peccatum rebaptizandi committere nequeunt, qui nec sciunt, nec dubitant de Baptismo collato: quamuis enim peccatum sacrilegij sit Baptismus iterare: *Sed in hoc (inquit) nihil simile formidatur, quoniam non potest in iterationis crimen deuenire, quod factum esse omnino nescitur.* Et ut ait D. Tho. in 4. dist. 6. q. 2. art. 1. q. 1. *Quod autem nescitur esse factum, non iteratur.* Quia de Baptismo valido, nec scientiam, nec prudentiam potest habere dubitationem.

28. Tertio est certum, quod quando dubium est an quis baptizatus fuerit, eius Baptismus potest, & debet sub conditione iterari, iuxta doctrinam relatum Alexandri Tertij. Et omnes Doctores dicunt eandem rationem esse cum dubium est an Baptismus collatus fuerit validus. Nec semper totam illam conditionem exprimere est necesse: sed sufficit posterior pars ipsius, ut docet D. Tho. & per se patet æquiuale. Notat verò Suar. disp. 22. sec. 2. §. *Sed quæres,* & alij communiter, hunc rebaptizandi modum seruari debere in Baptismo publico, aut quando dubium est publicum, ut ita scandalum euitetur, & in omnium noticiam veniat eum de cuius Baptismo dubitatur, esse iam legitime baptizatum. Seclulo vero scandalo, & in secreto Baptismo, sufficere prædictam conditionem mente retinere, & exterius solam consuetam formam proferre.

29. Quarto est certum, quod quando sunt opiniones probabiles, quod primus Baptismus fuit inualidus ex materia, vel ex forma, vel ex intentione, vel ex ministro, vel ex recipiente, iterari potest, & debet sub conditione. Ita sumitur ex D. Th. 3. p. q. 68. ar. 1. ad 4. & in 4. dist. 6. q. 1. ar. 1. q. 1. & communiter Doctores in casu quo minima hominis pars sit aqua perfusa: *Quia nihil periculi accidit, si ad maiorem cautelam baptizetur sub hac forma, si non es baptizatus, ego te baptizo.* Vniuersaliterque idem docent Angelus, & Suarez, & Valentia, & Zambrana, quos refert, & sequitur Granado cõtrou. 4. de Baptismo

Gg

tract.

tract. 1. disp. 8. n. 7. Nuño art. 9. conc. 1. Vazquez disp. 146. c. 4. n. 27. dicens hoc ab Ecclesia distinctum non esse; nec ab Scholasticis expressè traditum: quamvis ex sententia non paruorum sequatur. Cæterū Auerſa hic sec. 6. §. Sexto; aduertit Scholasticos satis expresse, & cōmuniter adnotasse debere Baptismū sub conditione repeti, in ijs casibus, in quib⁹ certum non est, sed controuersum de validitate sacramenti: siquidem per dubiū intellexerunt, non solum merè negatiuum, quādo pro neutra parte vlla occurrit ratio, quæ magis urgeat; sed ample acceperunt dubiū pro eo quod non est certum, quamvis occurrant vtrinque probabiles rationes.

30 Igitur quod in istis casibus possit, & debeat iterari Baptismus, post alios sic probat Granado. Baptismus est medium necessariū ad salutem, & sine quo realiter suscepto infans non potest salutem æternam adipisci, nisi fortè martyrio coronetur: adultus vero, licet cum eius voto possit saluari, nihilo minus, & eiusmodi voto nō ita facile habetur: & licet habeatur, priuatur fructu aliorū sacramentorum, quæ homini non baptizato nihil omnino profunt. Vnde dicitur in Concilio Florentino in decreto Eugenij 4. *Primum omnium sacramentorum locum tenet, quod vitæ est ritualis tanua est: per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficiuntur Ecclesie.* Et cap. *veniens, de Presbytero non baptizato.* Cum Baptismus sit fundamentum omnium sacramentorum, ante susceptionem Baptismi, non suscipitur aliud sacramentum; quoniam ubi fundamentum non est, super edificari non potest. Ergo qui moralè certitudinē non habet de receptione huius sacramenti; imò potius propter probabilem opinionem, potest sibi persuadere se non esse baptizatum, potest, imò & tenetur, iterū accedere ad Baptismum: alioqui enim iudicabitur parum curare æternam animi sui salutem.

Confirmatur: quia in hoc nulla irrogatur iniuria sacramento: si enim iam homo sit baptizatus, secundum Baptisma non est validum: nec minister, illud iterat, proprie loquēdo, quia vt dicitur in cap. ultimo; *de Presbytero non baptizato, non intelligitur esse iteratum, quod ambigitur an sit datum.* Si vero non sit baptizatus, confertur illi sacramentum, quod tam necessarium est ad salutem: ergo non est cur negetur iterari posse.

31 Addit Vazquez cap. 4. n. 29. quod licet in his casibus paruulis, non solum sit licitum, sed debitum sub conditione dare Baptismum: tamen adultus non tenetur in hoc casu iterum baptizari: nam adultus obliga-

tionem recipiendi sacramenta satisfaciet sequens opinionem probabilem tantum, licet non sequatur tutiorem: eo quod nullus in operatione sua sequi debet tutiorem: sed sufficit secundum probabilem operari, vt dixerat 1. 2. disp. 63. cap. 3. quia peculiari obligatione erga se ipsum ex misericordia, aut charitate non tenetur ad remedium, quod est sine controversia quærendum; sed tantū obligatione cæterarum virtutum, aut charitatis erga Deum ad iustificationem quærendam:

32 Hanc doctrinam impugnant Cōinch art. 9. n. 104. & Casirus Palus tract. 19. puncto 13 nu. 1. docentes istum teneri quoties probabiliter dubitat de suo Baptismo iterū sub conditione baptizari: Tum ob reuerentiam sacramento debitam: Tum præcipue ob charitatem propriam: quilibet enim tenetur pro sacramentis suscipiendis esse dispositus dispositione ab Ecclesia præscripta. Vna autē, & præcipua dispositio pro sacramentorum susceptione est Baptismi cert⁹, & nō dubius, & probabilis: siquidē stāte dubio, & opinione probabili præscribitur reperendus. Deniq; quia exponitur periculo damnationis æternæ, si Baptismus reipta est inualidus, nec contritionem habet. Quam nequit habere, si absque graui causa renuat incertitudinem sui Baptismi tollere, certū recipiendo. Idem docet Lugo lib. 1. Responſ. Moral. dub. 1. n. 1. quia in Baptismo, Sacerdotio, & Episcopatu, propter eorum ineluctatam, & damnū irreparabile, quod ex eorū inualiditate conlequeretur, debemus, quoties fieri potest, certam, & securam viā amplecti. Videnterque tenent multi Authores a nobis relati cap. 1. Theol. Mor. q. 6. nu. 1. & 4. qui vel in omnibus sacramētis, vel in inuiterabilibus, & de necessitate salutis, dicunt nos teneri amplecti viam tutiorem, nec posse nos sequi minus tutā probabilem, aut probabiliorem.

Notat autem Quintana Dueñas to. 1. tract. 1. singul. 12. nu. 2. quodcumque dubiū, siue iuris, siue facti, siue practicum, siue speculatiuum, siue negatiuum, siue positiuum, siue leue, siue grauius, extet Religioſo de sui Baptismi valore (quamvis nulla sit eius professio: quia sine baptismo vouens non constituitur in statu religionis ab Ecclesia approbata) nullo modo ei liceret Religionem deterrere: quia melior est conditio Religionis, quæ possidet. Donec illi certitudine moraliter constaret non esse baptizatum.

33 Addunt Cōinch conclus. 3. & 4. & Auerſa lect. 6. §. Tenebitur, in fine, adultū dubitan-

bitantem ob varietatem opinionum de validitate sui Baptismi, non solum teneri de nouo procurare sub conditione modo tuto baptizari; sed interim absque graui cautā non posse licite, recipere vllum aliud sacramentum: quia dispositio ad alia est Baptismus certo receptus. Ex quo vterius sequitur, talem per se loquendo, non teneri confiteri illa peccata, quæ commisit ante securam susceptionem validi Baptismi: quia si fortè prior Baptismus fuit validus, ac proinde secundus inualidus, dum confitebitur peccata commissa post hunc secundum Baptismum, conlequetur etiam indirecte remissionem antecedentium peccatorum: sicut de peccatis probabiliter non confessis. Licet Sylluius 3. p. q. 66. ar. 9. quæſ. 3. & Balteus verbo Baptismus 4. n. 10. dicant, quod adulti, qui conditionaliter baptizantur, debent confiteri peccata post primum Baptismum commissa, ne si fortè primus ille fuisset validus, secundus nil efficere; ideoque nec peccata remitteret. Quod videtur probabilius. Sed redeundo ad casum principale;

34 Quamuis totus iste discursus sit probabilis: sed non est certus. Primo, quia cap. 1. Theologiae Moral. q. 6. §. 2. vniuersaliter diximus, quod etiam circa sacramenta licet sequi opiniones probabiles, vel probabiliores; quamuis minus tutas. Quam doctrinam late tuetur ipse Casirus Palus tract. 1. de Conscientia disp. 2. punct. 3. n. 4. citans Vazquez, Salas, Perez, Sanchez, Villalobos, Sayrum, Basilium Pontium, Salōn, & alios ab eisdē relatos: quamvis multi apponant limitaciones, quas ipse non apponit: sed solum probat ab incōuenienti: quia alioqui graue onus inuoluntariis sacramenta imponeretur. Quamuis autem omnes dicant nō licere sequi opinionem cōtuerſine, vel specialiter aliquo decreto Ecclesie prohibitam. Tamen in hoc puncto Ecclesia solum prohibuit, quod dubius de suo Baptismo, non suscipiat alia, nisi prius baptizetur: quod tamen exponi, quod ad obligationem, potest de dubio formaliter licet quoad hoc quod est licere, de omni dubio etiam probabilis; est cautela licita, & vt talis a D. Tho. docetur, & ab Antiquis, sed non vt obligatoria.

35 Præterea ipse Lugo disp. 7. de Pœnitentia sec. 13. docet nobiscum vniuersaliter, quod circa sacramenta, etiam initerabilia, & necessaria ad salutem, & in mortis articulo sufficit sequi opinionem probabilem, & nō tenemur tutiorem sequi. Et n. 269. assignat rationem a priori, & exemplificat in nostro casu. Nam præcepta hominibus imposi-

ta, nō obligant, nisi humano modo; hoc est, iuxta hominum cōditionem, iuxta quā nō obligatur ad exquisitam, & metaphisicā diligentiam, sed ad humanam, & moralē. Alioquin intolerabilia erent, & supra humanas vires: numquam enim ita iustitiam esset, vt non deberet maior diligentia adhiberi, vt certius satisfaceret. Vnde nec paruulis nec adultis potest conferri Baptismus, etiam sub conditione, nisi sit dubium morale de eius valore. Sæpe autem opiniones probabiles, aut probabiliores, etiam circa Baptismum, habent tam valida fundamenta vt excludant morale dubium: vt exemplificat ipse n. 275. de illis opinionibus an verba, & ablutio debeant coexistere phisice, vel sufficit quod moraliter coexistat. Et si enim pro vtraque sententia sint rationes, & Authores, non tamen sufficiunt vt in praxi teneamur Baptismū repetere: ergo pariter dicendū in similibus casibus. Quapropter Dicastillus to. 1. de Sacramento tract. 2. disp. 1. dub. 9. n. 216 citius verba refert, & nō improbat Diana partē 10. tract. 16. & 6. miscellaneo resol. 19. docet istum posse cum eadē probabilitate aliqua sacramenta recipere, maxime, quæ non sunt, aut possunt esse in damnum aliorum, v.g. Matrimonium, Pœnitentiam Confirmationem, & Eucharistiam; & par ratio est de Extrema Vnctione: Secus vero de Ordine Sacerdotis, & Episcopi, & administratione Pœnitentiæ, & Ordinis.

36 Adijcit præterea Granados Controu. 4. tract. 1. disp. 8. n. 3. Rogabis, an sit necessarium apponere conditionem saltem in mēte, quando propter probabilitatem opinionum iteraretur Baptismus? Respondetur tutius esse id facere; sed non videtur certum id requiri, quia qui probabiliter credit primū Baptismum non fuisse validum, prudenter potest sibi persuadere fuisse omnino nullū: ergo prudenter poterit se gerere perinde, ac si prius non fuisset baptizatus: vnde sicut si non fuisset baptizatus, non oporteret apponere conditionem: ita nec in prædicto euentu. Secus vero est in casu dubij, de quo supra, nam tunc in nullā partem propendet intellectus; nec potest homo prudenter sibi persuadere, primum Baptismum fuisse nullū: ac proinde non potest se gerere perinde ac si homo non fuisset baptizatus; sed debet conditionē apponere. Hæc illa. Sed in praxi probabiliter: Sed quia facillimū est, voce, vel mēte conditionem apponere; nō est cur ad has redigamur quæſtiunculas: Quia tamē restant alij casus satis practici. Ideo vterius.

§. IV.

Qualiter possit cognosci dubium?

37 Inquiritur primo, qualiter cognosci possit rationale adesse dubium, ut possit dari Baptismus? Circa hoc norant Armilla ver. *Baptismus* n. 33. & Suarez disp. 22. sec. 2. in fine. Nuño ar. 9. §. Pro cuius veritate, & alij communiter, quod duplex potest esse hoc dubium: vnum iuris, quando constat adhibitam esse materiam, vel formam dubiam. Aliud est dubium facti, quando absolute incertum est an datus sit Baptismus: siue sit dubium omnino negatiuum, quia nulla sunt indicia ad iudicandum hominem esse baptizatum; siue sit dubium positiuum, ut contingit, quando sunt aliqua apparentia indicia ad credendum hominem esse baptizatum; non tamen sufficientia: & aliunde sunt etiam apparentes coniecturae, quae oppositum perluadeant.

38 Haec doctrina displicet Vazquez disp. 146. cap. 4. nu. 20. nam si loquamur de dubio, quod vere dubium est, prout ab ipso fuerat definitum. 1. 2. disp. 65. cap. 1. in praesenti solum potest esse dubium facti, quod nulla diligentia vinci possit: nam de materia, & forma, quae certo constat fuisse adhibitam, numquam contingit esse dubium, quod vinci non possit; licet contingat esse varias opiniones: quod longe diuersum est. Dubium igitur iuris, licet accidere possit rudibus, & ignaris; tamen non potest accidere Theologis: quia vel scient illam materiam, & formam sufficere, vel non sufficere, vel in controuersia id positum esse: controuersia autem, & opinio non sunt idem ac dubium pro vtraque parte aequè anceps ut nulli nullum assensum praebet.

39 Parui tamen momenti hoc est, ut deferatur communis doctrina: Tum quia diximus, quod licet Alexander Tertius solum expresse loquutus sit de dubio strictè sumpto, tamen Theologi merito dixerunt etiam licere repetere in dubio latè sumpto ut comprehendit opinionem: tum quia praedictam distinctionem adhibentes, non dicunt, quod Baptismi dubium debeat esse solum inter Theologos; quia potest esse inter plebeios; quia omnes Baptismo indigent: & tunc pro claritate doctrinae nosse iuuat distinctionem dubij iuris, & dubij facti. Denique nā Theologi ipsi saepe dubij sunt de vera opinionum practica probabilitate: saepe enim quod vnde dicit esse probabile, alius dicit esse certum, alius dicit esse certo falsum, & improbabile; & merito alius dubitat, & omnino anceps est an reuera sit probabile: sicut ergo opi-

nio, ita & dubium possunt esse iuris, & facti.

40 Hoc praemisso, loquendo de adultis, natis ex Christianis parentibus, & inter eos enutritis, omnem scrupulum tollunt verba Innocentij Tertij, cap. vltimo, de Presbytero non baptizato, dicitis. *Certe de illo, qui natus de Christianis parentibus, & inter Christianos est fideliter conuersatus, tam violentè praesumitur, quod fuerit baptizatus, ut habet praesumptio pro certitudine se habenda, donec euidentissimis forsitan argumentis contrarium probaretur.* De quo vide Doctores à nobis relatos cap. 1. Theol. Mor. q. 10.

41 Deinde est certum, quod si ipse Praesbyter, qui baptizauit, vel vnus testis omnium exceptione maior, vel ipsa mulier, qui baptizauit, vel quae vidisse testatur, asserant puerum, vel adultum esse baptizatum, absque dubitatione est credendum, ut notat Paludanus in 4. dist. 6. q. 4. ar. 1. tr. 6. in fine. S. Antonius 3. p. tit. 14. c. 13. §. 12. Syluester verbo Testis. q. 5. Soto in 4. dist. 3. q. vnica ar. 9. ad 4. §. Quod si scisciteris, dices vnum testem sufficere, ut vetulam, quae baptizauit, ut non sit licitum puerum amplius baptizare. Tamen si ad condemnandum eum, qui rebaptizauit, vel rebaptizatus est, cum sit actus iudicis, duo, aut tres exigantur. Probat idem Vazquez illa disp. 146. c. 4. n. 20. ex S. Leone 1. Epist. 35. alias 37. c. 1. ibi. *Cum itaque Baptismus sui nihil recorderur, qui regenerationis est cupidus, nec alter attestari de eo, qui sciat consecratum, nec ille, qui consecratus, &c.* Idemque docet Greg. tertius relatus in c. Paruulos, de Consecratione, dist. 4. docentque communiter Doctores.

42 Quod non solum in foro conscientiae, sed etiam in foro exteriori verum habet: quia iuxta communem sententiam, in ijs, quae alteri non praeddicant, vnico teste plena sit probatio: de quo Mascardus de Probationibus in prooemio q. 1. num. 14. Farinacius in Praxi Crimin. q. 63. n. 26. & loquendo de Baptismo, Comitulus lib. 1. q. 1. n. 5. & Castrus Palautio. 4. trac. 19. puncto 13. nu. 9. & Glossa in cap. Placuit, 1. 11. verbo Testentur. Et in cap. Cum itaque de Consecrat. dist. 4. & iterum Mascardus de Probationibus cōc. n. 1. & 2. & plures relati à Barbosa in cap. Placuit, iam relato, de Consecratione dist. 4.

43 Quod si obijcias: nam Conciliū Carthaginense 5. c. 6. cuius sunt verba illius capituli, inquit. *Placuit de infantibus, quoties non inueniuntur verissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per atatem idonei de traditis sibi sacramentis respondere, absque illo scrupulo baptizandos esse.* Et in 6. Synod. can. 84. *Quoties non inueniuntur firmi testes, qui illos*

§. V.

Vtrum baptizati in casu necessitatis à laicis sint denuo baptizandi?

46 Secundo inquiritur, vtrum omnes instantes à laicis in casu necessitatis baptizati, debeant iterum sub conditione baptizari?

Affirmant Bartolus in l. Siquis. Cod. Ne Baptismus reiteretur, dicens. Bonum consiliū esse baptizare puerum sub conditione, qui baptizatus est domi propter periculum mortis. Et Molanus trac. 4. practicae cap. 3. & Syluius hic art. 9. dub. 2. Probans quia semper licet ea forma conditionata vti, quando est dubium de Baptismo ritè collato; quando autem obstetrices domi baptizarunt, saepe est eiusmodi dubium; ne vel subito necessitatis casu turbat, aliter, quam referant, dixerint; aut semel, & iterum apprehensæ, quod bene baptizarint, deinceps maliciose errent; ac nihilominus asserat se more solito baptizasse. Et quia experientia notum est multas in materia, & forma errare. Interdū vero per malitiam: quia sunt sortilegæ; vel ob aliud. Idem sequuntur Leander tom. 1. tract. 2. de Sacramento Baptismi disp. 3. quæst. 45. & Antonius Quintana Dueñas tract. 1. Singulari quinto hæc latius expendens; sed argumēta omnia solum expendunt causas turbationis, occasiones malitiæ, & praxim ignorantiae eorū; & quia S. Bernardus epist. ad Henricum narrat quendam laicum suo tempore ex imperitia plurimos baptizasse, in nomine Dei, & Sanctæ, ac viuificæ Crucis. Et S. Vincentius Ferrer cōc. 2. Dominicæ 3. Quadragesimæ, narrat quod cum Theologus quidam eximiam concionem habuisset, accedens quædam vetula manus ei ex osculata est dicens: *Benedicta sit dies, in qua vos baptizastis in nomine S. Trinitatis, B. Mariæ Virginis, & omnium Angelorum.* Itaque se non baptizatum cognoscens, denuo baptizari curauit. Simile quid accidisse cuidam sacerdoti Societatis refert ibi Quintana Dueñas: & num. 7. affert verba Sancti Clementis Romani lib. 3. Const. cap. 9. *De mulieribus vero baptizatis, scitote, quæ hoc tentant, non mediocriter periculum eas incurrere, quam obrem non hoc consilium demus; periculosum enim est: imò vero præter legem, & imperium.* Licet enim Baptismus sit validus, ut docet Urbanus Secundus 36. quæst. 3. & in casu necessitatis licitus ex capit. *Mulier, de Consecratione, distinctione quarta.* Dicitur tamen periculosus, ob turbationem, & ignorantiam mulierum. Affert etiam

illos absque vlla dubitatione baptizatos esse dicant, neque ipsi propter atatem de tradito mysterio aptè respondere possint, debere baptizari. Et in Concilio Africano cap. 39. & in Concilio Vormatiensi. c. 70. Ergo non sufficit vnus testis, cum hæc Concilia plures requirant.

44 Respondent Vazquez num. 24. & Palautio num. 9. quod Concilia explicant, quid faciendum sit pluribus testibus examinatis de Baptismo non deponentibus; nihil tamen mea dixerunt, quando vnus ex illis certo deponeret. Etenim cum nullus deponit, verissimum est certissimos testes non inueniri.

Vel ut ait Serra 3. par. quæst. 66. art. 9. folio 174. illud: *certissimi testes*; exponendum est respectiue pro diuersis testimonijs, & temporibus: non quod pro Baptismo cuiuslibet infantis plures testes requirantur: sicut nec illud: *de traditis sibi sacramentis*: denotat vnicuique infanti tradita fuisse plura sacramenta.

Vel, ut dicunt Suarez sect. 2. & Grana-dos disp. 3. num. 9. & Auerla lect. 6. circa finem, in plurali numero loquuntur loco singularis: Vel exigunt plures testes, quando vnus ob speciales rationes non esset fide dignus, nec sufficeret dare certitudinem moralem.

45 Præterea est certum, quod cum est motiuum dubitandi de valido Baptismo, Parochi, & Parentes tenentur diligenter id inquirere. Vnde S. Leo Papa cap. *Cum itaque, de Consecratione, dist. 4.* *Quoties talis persona incidit (de cuius scilicet Baptismo dubitetur) sollicita primum examinatione discutite, & longo tempore (nisi forte supremus finis imminet) indagare, &c.* Idem habetur cap. *Paruulos, & cap. Cum itaque, ibidem.* Quamuis autem non opus sit diligentia exacta metaphisicè, aut phisicè; necessaria tamen est magna humana exacta diligentia, quia à Baptismo, qui est ianua Sacramentorum, æterna salus, & validitas aliorum sacramentorum pendet. Notatque rectè Vazquez cap. 4. num. 31. quod *periculum repetendi Baptismum, quod videtur esse contra Religionem, minorem obligationem inducit, ut à repetitione absteineamus; quam periculum salutis proximi, ut ei iterum concedamus: & ita maior ratio habenda est huius utilitatis proximi, quam religionis debet à Sacramento; cum in remedium illius ut in finem, omnia sacramenta ut media instituta sint.*



etiam num. 8. verba Synodi Granatensis: quæ tamen potius sunt ad oppositum; vt legenti erit perspicuum.

47 Oppositam nihilominus sententiam communem, & veram omnino reputo, & adeo certam, quod priorem sententiam, ita generaliter prolatam, nullatenus in praxi probabilem iudicem. Vnde Victoria de Baptismo q. 36. oppositum vocat abulum pessimum, magnum, nec tolerandum. Et D. Thomas 3. p. q. 67. art. 3. ad 1. loquendo de baptizato à laico ait. *Nec est rebaptizandus ille, qui sic est baptizatus.* Quod perluadet eleganter, & neruose M. Soto in 4. dist. 3. q. unica art. 9. ad 4. §. *Circa hanc*, ita scribens. De duobus abusus, qui inter ignavos sacerdotes creberrimi sunt, admonendum est maxime. Sunt, inquam, qui nullum periculum imminere putant, dummodo sub conditione rebaptizent: & ideo non solum non admodum pericrurari curant, sit ne puer baptizatus; verum etiam si cõstet esse domi baptizatum, iterum sub conditione solemniter eum in Ecclesia facto fonte baptizant: *Quod est immane sacrilegium.* Neque vllò pacto à cõtura irregularitatis huiusmodi sacerdotes excusantur (quod tamẽ postea examinabitur) nam forma hæc baptizandi solum in illis permittitur (vt ait Canon) de quibus dubium est. Quare nisi morale sit dubium, hoc est, quod dum controuersia oritur, facta diligenti indagine, definiri non valeat, puerum eue baptizatum, necne, nemo est rebaptizandus; quãvis sub conditione fiat. Audi S. Augustinum can. *Solet*, de Consecratione, Dist. 4. Ait quippè, quod quando quis ludrice, & mimice, & ioculariter fuisset baptizatus, deberet diuinum iudicium per miraculum alicuius reuelationis explorari antequam ad rebaptizationem recurreretur. Non dico in vsu esse postulare huiusmodi reuelationes: sed eatenus hoc meminere, vt admonitos habeam sacerdotes quanta sit diligentia adhibenda prorsusquam conditionalis baptizatio fiat.

48 Quod si mihi Scotum obieceris dist. 6. q. 8. dicentem, non teneri quemcumque sacerdotem facere strictam diligentiam, & exquisitioem, an vetula infantulum baptizauerit. Intelligitur quando de hoc nulla est quæstio. Tamen si cõsiliu sit hoc interrogare. Noui namque in quibusdam Ecclesijs tantam moleuisse huius rei peruersitatem, vt fere omnes domi baptizati, in Ecclesijs rebaptizentur. Adeo vt viderim inter quendam ciuem, & suum plebanum hanc contettatam item, quod quamuis constantissimum esset

filium suum baptizatum domi, nihilominus exposulabat, vt iterum in Ecclesia baptizaretur; quia sic erat consuetum. Qua de re reuente sacerdotem coram Episcopo in iudicium euocauit, parumque abfuit, vt causam vinceret. Hæc ibi M. Soto: cuius doctrinam sequuntur, & valde commendat Suarez disp. 3. l. 6. §. *De quo præcepto.* Vazquez cap. 4. n. 30. Ruiz art. 9. Bonacina de sacramentis in genere disp. 1. q. 2. puncto. 1. n. 39. Et sicque communem, refert, & sequitur Trullench lib. 2. cap. 1. dub. 5. nu. 13. & alij frequenter.

49 Imò totum expressè habetur in Cautechismo Pij Quinti par. 2. c. 2. §. 43. his verbis. *Qua in re tamen diligenter à Pastoribus aliqua prouidenda sunt, in quibus fere quotidie, non sine maxima sacramenti iniuria peccatur.* Neque enim desunt, qui nullum scelus admitti posse arbitrantur, si quemuis sine delectu cum adiunctione illa baptizent: quare si infans ad eos deferatur, nihil prorsus querendum putat, an is prius ablutus fuerit; sed statim ei baptismum tribuunt. Quin etiam quamuis exploratum habeant, domi sacramentum administratum esse; tamen sacra ablutionem in Ecclesia, adhibita solemnitate, cum adiunctione repetere non dubitant. *Quod quidem sine sacrilegio facere non possunt: & eam maculam suscipiunt, quam diuinarum rerum scriptores irregularitatem vocant.* Nam ea Baptismi forma, ex Alexandri Papæ autoritate, in illis tantum permittitur, de quibus, re diligenter perquisita, dubium relinquatur; an baptismum rite susceperint. Aliter vero nunquam fas est, etiam cum adiunctione, baptismum alicui iterum administrare. Hactenus Catheticismus, omnino consone ad doctrinam relictam Magistri Soto.

50 Valde tamen probabiliter hoc limitant Egidius Coninch art. 9. n. 95. & Laymã tract. 2. de Baptismo cap. 5. n. 3. dicens. In quibusdam locis, vbi experientia consilii obstetrices, non raro à Diabolo deceptas, in ipsius nomine baptizare solitas, consuetudo obtinuit, vt omnes infantes, quos mulier affirmat se domi baptizasse, iterum sub conditione baptizantur. Quam ego consuetudinem reprobare non audeo: Imò approbatam reperio in pastoralis Romano edito Antuerpiæ anno 1607. pagina 20. & 31. Cum reuera aliquod dubium, & periculum animæ subit; ideoquè cesset irreuerentia sacramenti. Quod approbant Leander illa quæst. 45. & Cairus Palus tom. 4. tract. 19. puncto 13. num. 7.

Sed

Sed hæc doctrina licet sæpè habeat locum in regionibus hæresi infectis, quia regulariter adest hoc periculum: & in casu dubij semper in fauorem animarum inclinandum. Sed in Hispania casus rarissimus est: vnde sola ministratio ab obstetrice, vel ab alio in casu necessitatis, non præstat sufficientem dubitanter rationem de illius inualiditate: ideoque nec sub conditione licet repetere.

§. VI.

De infantibus expositis.

31 Tertio inquiritur, vtrum omnes infantes expositi debeant sub conditione baptizari?

Certum est, quod quando nec per aetatem, nec per scriptum, nec per alicuius testimonium, constat de eorū Baptismo, quod baptizandi sunt, vt determinatur cap. *Paruulos*; & cap. *Placuit, de Consecr. dist. 4.* & hoc admittunt omnes Doctores, & est manifestum ex dictis.

52 Casu autem quo infans expositus afferat schedulam, vel scriptum, quo asseratur esse baptizatum: aliqui asserunt fore sub conditione baptizandum, si ex alio magis legitimo testimonio non cõstitit de recto; & vero Baptismo. Ita Turreblanca lib. 2. Practicum cap. 4. & Marchantius in Candelabro sacram. tract. 2. de Bapt. c. 2. q. 4. Cuius verba refert Diana 5. p. trac. 13. Miscellan. ref. 85. Sed non approbat, nec ibi, nec 3. p. in addit. resol. 6. & 10. vt legenti erit perspicuum: vnde male Authores huius sententiæ cum pro se referunt. Postea tamen p. 9. trac. 6. Misc. resol. 35. refert pro eadem sententia Adamū Opatoium de Baptismo disp. 1. q. 6. n. 40. & concludit. Itaque ex his omnibus apparet sententiam P. Quintanæ esse satis probabilem; & præsertim ex subscriptione Doctissimorum illorum virorum ex Societate, quos ipse adducit. Sed par. 10. tract. 16. & 6. Miscellan. resol. 19. §. *Notandum*, eam reliquerat vt nimis scrupulosam. Verum postea eadem parte 10. eodem tract. 16. resol. 87. dicit *satis probabilem.* Ita varius est, & in omne latius severtens. Tenet tamen Leander tomo 1. tract. 2. disp. 3. quæst. 44. male pro se referens Bartolum, & Gabrielem; vt patet attenti verba ipsorum, quæ ipse Leander refert. Item tenent Antonius Quintana Duënas tract. 1. singulari 9. & Ioãnes Henriquez in quæstionibus practicis sect. 19. quæst. 10. & latissime Didacus Antonius Frances Vri tigoiti in foro conscientiæ parte 2. tract. vni

co. quæst. 4. & 5: non rectè pro se referens, Portellum, Zabram, & Grilenzonium: vt eorum lectione constabit.

53 Probat Marchantius ex Synodo Cameracensi. Et quia tale testimonium non est ita certum, vt fidei indubiam faciat. Secundo, quia dato quod illud scriptum faceret aliquam fidem, quod sit baptizatus talis infans; cum tamen ignoretur a quo, & quomodo; siue an debita forma, & a persona, quæ sciret Baptismi ritum essentialem; imò contingat talibus casibus quæri tenebras; & ab idiotis mulierculis rem occulte, & cum defectu essentiali peragi; non mirum si dicatur hic aliquid ambiguitatis remanere; quæ sufficiat ad reiterationem sub conditione.

54 Quintana Duënas probat ex cap. *Placuit*, & alijs iam relatis, & expositis nu. 43. & 44. & cum istorum textuum communis intelligentia eum non latuerit, vt patet singulari. 1. num. 4. & 5. mirum est quomodo illis testimonijs nunc vtatur. Confirmat ex rituali Pauli 5. §. *De Baptismo paruulorum*, vbi statuitur, quod infantes expositi, & inuenti, si re diligenter inuestigata; de eorum Baptismo non constet, sub conditione baptizentur. Vbi notandum verbum, *constet*, quod significat claram probationem, vt notat Mascardus de probat. conq. 75. num. 21. Scheda autem, vel scriptura, quæ non est publica manu confecta, vel subscripta, quæ non habet sigillum authenticum, vel non est in iudicio facta, neque de mandato iudicis, non probat, vt cum alijs docet Cardin. Tuschus to. 7. concl. 76. num. 10. ait, quod scriptura priuata, & non subscripta, & non recognita, nil probat, iuxta cap. 1. & 2. de fide instrum. & Doctores communiter.

55 Secundo probat ex Concilio tertio Mediolanensi sub S. Carolo Borromæo titulo *de Baptismo infantum*, in fine, vbi dicitur. *Infans expositus; licet appenjum collo scriptum habeat, quo ille baptizatus significetur, si tamen re diligenter prærequiritur, quemadmodum in Concilio Romano; adhuc dubium sit eum baptizatum esse, ea conditionis forma baptizetur: si tu es baptizatus, &c.* Idem statutum est in Synodo Cameracensi, & Cordubensi. Et obseruatur in pluribus Xenodochijs generalibus.

Tertio probat autoritate tredecim Patrum Societatis: quorum subscriptiones dicit apud se habere. Et autoritate Marchantij, & Dianæ, & Leandri. Quarto, quia istæ faminae non sunt obstetrices; sed ignaræ formæ Baptismi. Et sunt sagæ, vel Morischæ: quorum testimonium non sufficit in re tanti momenti,

56 Quod si ei opponatur cōmunis Doctorum consensus, qui est in contrarium. Respondet Quintana Duenas n. 10. non ex maiori Doctorum numero communiorem, aut certiore opinionem sentendam; sed ex eorum grauitate, & fundamentorum verisimilitudine. Vnde Thomas Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 9. n. 9. ait: Non dicitur opinio cōmunis ex Authorum numero; qui priorum vestigia, inquit ouium; sequentes; nulla excusatione præmissa; eam affirmant: sed communis dicitur, si pauciores Doctores habeat; qui vtriusque partis rationibus discussis, & perpensis, eam affirmant: sic in præsentia.

57 Addit Antonius Francesq. 5. nu. 33 omnes Auctores communis sententiæ nihil de nouo addidit, sed fere eisdem verbis vti; & eodem fundamento niti: at vero suam defendentes sententiã, aliqua noua fundamenta adducunt: & ipse aliqua iuri Canonico, & Ciuili consona excogitauit: Et ideo plures numero, non arithmetico, sed iuridico, suã tenent sententiã, quã maioribus, validioribus, & efficacioribus argumentis fulcitur.

Sed exentiens, quæ superaddit, solum inuenio textum in *l. in vniuersa* §. C. de probationibus, vbi dicitur: *Instrumenta domestica; siue privata testatio, seu annotatio, si non alijs quoque aduinculis adiuuentur, sola non sufficiunt; &c.* Et cap. licet. §. §. finali, de crimine falsi. Et cap. super eo, eodem. Et cap. Nuper. 7. q. 2. in veris quod tamen, vbi exigitur certum, manifestum que documentum: quia de tanta re nõ segnius agere dicitur, &c. Et notat ibi Glossa verbo *Segnius*; quod in rebus magnis diligentior inquisitio faciendã est. Deinde Greg. Tertius epist. 3. ad Bonifacium, requirit vt sit qui testificetur de Baptismo paruulorum. Sed verbum illud respicitur, de iure sonat, vel instrumentum authenticum, vel testes legitime probentes, vt in *l. Testium* §. *Idem dicitur*, & §. *sequentes*. D. de testib. & probat Barbosa in trac. de claus. claus. 161. n. 3. & claus. 263. n. 1. Reliqua que congerit tota q. 5. potius videntur adducta ad ostendendam eruditionem sacrorum canonum, quam ad augendam aliquam vim argumentis factis.

58 Si hæc sententiã procedat, quando infans crederetur expositus à Sarracenis, aut Iudæis, qui execrantur Baptisma Christianorum, omnino admittenda esset, prout eam admittit Vazquez disp. 146. cap. 4. n. 26. dicens sub dubio baptizandum esse, etiam si testimonium eiusmodi secum haberet: quia est suspecta fidei testificatio. Et hoc idem intendunt Auctores, quos refert, & sequitur Diana 3. p. Addit. 2. resol. 10. & 5. p. trac. 13.

miscellaneo ref. 85. & cum alijs notat Christoforus à S. Ioseph. to. 1. receptarũ verbo *Baptismus* dub. 8. n. 2. Sicut etiam Patres citati n. 43. & 54. planè loquuntur de illis, qui in parua ætate à Barbaris capti fuerunt, vt certum non esset, in ea baptizari à fidelibus parentibus consueuisse. De his etiam solum loquitur Greg. 3. in Epistola ad Bonifaciũ, vt refertur de Consecratione dist. 4. canone, *Paruulos*, cum ait paruulos à parentibus subtractos, de quibus nescitur, an fuerint baptizati, baptizandos esse, si non inueniatur, qui testificentur de eorum Baptismo; prout notant Vazquez n. 25. in fine, & alij frequenter. Similiter vt ait Soto in 4. dist. 3. q. vnica art. 9. ad 4. §. *Fit præterea*, in fine, illi qui inter infideles nati sunt, etiam ex parentibus Christianis, & postea redemptis parentibus, aut mortuis, superstites sunt, post modum cum ad nos veniunt, nisi manifestis indicijs contet esse baptizatos, baptizandi sunt: nã præsumptio est non fuisse baptizatos. Et de istis intelligendi veniunt canones, *Paruulus. Placuit. Cuius itaque. Si nulla*, de Consecratione dist. 4.

59 Cæterum loquendo, vt recentiores loquuntur, de infantibus expositis inter fideles, & in Hispania, vbi iam, Dei gratia, nec Iudæi, nec Hæretici, nec alij in fide suspecti commaniter inueniuntur, centesimo omnino falsam, & impracticabilem. Primo, quia est contra Ecclesiæ vniuersalis receptissimã cōsuetudinem: siquidem cum casus sit frequentissimus: & ipsi fateantur moderni, quod ipsorum industria, cœpit Baptismus iterari, cū antea nullus id auderet; vel coguntur fateri canones antiquos, quos adducunt; alium sensum facere, & ita frustra adduci; vel illorum intelligentiam, sibi solis reseruãtam; vel per mille sexcentos, & amplius annos Ecclesiã paruulos multos sine remedio scienter relictos: quod non admittent: nam vt ait Casianus lib. 5. cap. 13. *Quidquid extra consuetudinem præsumitur, vsusque communem, vt vanitatis, & gloriæ, atque ostentationis morbo pollutum, antiquissima Patrum traditio tenet.* De quo D. Tho. 2. 2. q. 10. art. 12.

60 Secundo est contra communem Doctorum sententiã, qui ex professio ante quatuor sæcula de hoc casu disputarunt, & omnes (alioquin in rebus maioris, & minoris momenti discordantes) in sententiã negatiua, vt certa concordarunt, tam antiqui, quã moderni. Ex nostris Thomistis Palud. in 4. dist. 6. q. 4. a. 1. n. 5. & 6 S. Anton. 3. p. tit. 14. c. 13. §. 12. Sylu. ver. Baptismus 4. q. 9. Ibi Tabiena, Armilla, vterque Ledesma, Zanardus, Lumblinus, Barthol. ab Angelis: & Soto in

4. dist. 3. q. vnica art. 9. ad 4. §. *Fit præterea*, dicens. *Expositi vero infantuli, si inscriptum fuerit fuisse baptizatos, quauis nomen testis non prodatur, nullatenus sunt rebaptizandi.* Quod sequitur omnes Thomistæ, nullo, quẽ sciam, depro: Itẽ docuit Scotus in 4. dist. 4. q. 8. ibi Richar. Marsilius; Angelus, Rossela, Villalobos, & omnes sacri Ordinis Minorum. Itẽ Gabr. Vuald. Ochag. & Nauarr. capite 27. numero 248.

Rursum ex Patribus Societatis omnes ante prædictum modernum, & post ipsam; vt patet apud Suárez, Vazquez, Hèriquez, Comitolum, Granado, Conineli, Tannerũ, & Præpositum, Layman, Zambrana, Hurtado, Caltrum Palauin, Bauuy, Franciscum de Lugo, Hermanum Busembaum. Quod si Antonius Quintanaduenas hos excludit, vt nõ graues, videat, in quibus grauitatẽ, & antiquorum sapientiam exquirat? Cum autẽ ex omnibus sint scholis, non vnus agni, vt oues, sequuntur vestigia, sed vi rationis conuicti. Quod autem Francesq. opponit Auctores communis sententiæ rationes non multiplicasse: facile respondemus in re tunc peruia, & minimè controuersa nõ opus fuisse multis argumentis. Præterquam quod rectè ait Angelicus Doctor 1. p. q. 47. art. 1. ad 3. *quod in speculatiuis medijs demonstrationis, quod perfeciẽ demonstrat conclusionem, est vnum tantum, sed media probabilia sunt multa. Et similiter in operatiuis, quando id quod est ad finem, adæquat (vt ita dixerim) finem, non requiritur, quod sit nisi vnum tantum.*

61 Vnica ergo ratio adæquata prædictæ veritatis est. Cum adest moralis certitudo de Baptismo valide collato, sacrilegium est baptizare iterum, etiam sub conditione. Sed cū infantuli expositi inter fideles scriptum ferunt, quod testatur eos esse baptizatos, adest moralis certitudo, & euidentiã, quod sunt baptizati valide. Ergo sacrilegiũ est eos, etiam sub cõditione baptizare. Probat minor, quia certitudo de Baptismo, non potest inter homines esse metaphysica, nec physica; quia hoc modo non possumus esse certi de intentione baptizatis: sed sufficit, quod sit certitudo humana, & moralis. Et non opus est, quod sit certitudo iuridica fori externi: quia Summi Põtifces S. Leo Primus, & Gregoriũ Tertius, & omnes Theologi, & Canonistæ iam supra relati, dicunt vnum testem dare in hoc puncto certitudinem moralem; cum tamen alijs materijs fori externi vnus testis singularis non sufficiat se solo ad probationem: sed in hac materia Baptismi, quæ est pro foro conscientie, &

in his, quæ nulli præiudicant, vnus testis regulariter sufficit. Quod probat Nũño 3. p. q. 66. art. 9. conc. 2. *quia nua est credendum aliquem mentiri in re tanti momenti: unde hæc censetur euidentiã moralis.* Sed infantuli expositi afferentes scriptum testificans de suo Baptismo, afferunt certitudinem moralem de illo: quia inter fideles non est credendum, nec baptizantem, nec scribentem mentiri in re tanti momenti. Imò non est vnus testis: quia regulariter obstetrices nesciunt scribere: & regulariter ipse sciunt baptismum conferre: & quando luppetit tempus scribendi, qui vocatur ad scribendum, & scit baptizare (quod facilius inter Christianos scitur, quã ars scribendi) ipse baptizat. Sæpissimè etiam exponuntur baptizati, etiam non imminente periculo mortis, nec matris, nec paruuli: sed solum ad occultandum peccatum: vel ob magnam indigentiam, & paupertatem: sed quia vident multos transire dies, vocant Sacerdotem, vel Religiosum, qui paruulum baptizent: & istud viderandam rebaptizationem, testimonium deferunt de priori Baptismo: quamuis nõ deferant testimonium sub scriptum, vel iuridicum, ne ex circumstantijs personæ manifestentur. Ergo indistinctè proferre, quod omnes expositi, quamuis scriptum deferant testificans, de suo Baptismo, sunt baptizati, probabile non est.

62 Et multo minus, quod vltimo proponit Quintanaduenas singulari nono in fine, quod etiam si viginti, aut triginta diebus à natiuitate exponantur infantibus cum scheda, baptizari debent. Constat enim, quod tunc non est suspicio turbationis: & est fundamentum, quod vir, vel Sacerdos baptizauit: de quo nulla est dubitandi ratio.

63 Quinimò adhuc cū non affert schedulam, ait Soto, quod si per ætatem iudicarentur ante mentem, aut viginti dies nati, ego neuiquam auderem eos baptizare: ætas enim sufficiens esset testimonium suscepti Baptismi inter Christianos. Nil ex colore, vel indicio suspicio oriretur vehemens, esse prolem infidelis serui. Quod & sequuntur Vazquez n. 26. & Henriquez cap. 31. n. 1. & Auerla sect. 6. in fine, Fillutius, Ochagania, & alij multi.

64 Quamuis Granado tract. 1. disp. 8. nu. 10. dicat. Alijs autem non videtur ea certitudo sufficiens, vt non possint, & debeant sub conditione rebaptizari. Quod quidem fundamentum habet in Canone, *Cum itaq; Et Can. Si nulla*. De Consecratione. Et tanquam magis securum poterit in praxi serua

ri. Quod & docent Villalobos tomo 1. trac. 5. diffi. 7. num. 4. & Diana 3. p. addit. 2. reio- lur. 6. quia sola aetas non dat certitudinẽ mo- ralem Baptismi. Et quia in tam tenera æta- te difficillimum est iudicare, an sit recen- ter natus, vel ante mensẽ: quia aliqui gran- diores nascuntur, quam sint alij bimes- tres.


65 Redeundo ad casum principalem, alterum, & præcipuum motiuum commu- nis sententiæ, est debilitas argumentorũ op- positæ: siquidem non solum cõuincencia nõ sunt, sed bene expensa, potius nostram pro- bant, vt paret discurrendo per singula. Ca- nones antiquos, & rationem à priori, iam of- tendimus nil conuincere, vel pro nobis esse. Rituale Pauli Quinti pro nobis est: siquidem adhuc cum infantuli non afferunt scriptum testificans de eorum Baptismo, præcipit v̄ diligenter inuestigari, antequam sub conditio- ne baptizentur: ergo è diametro opponitur istis asserentibus non opus esse aliquid inue- stigari: quia omnes expositos, imò omnes in necessitate domi baptizatos à mulieribus, dicunt denuo baptizandos. Iam autem ostẽ- dimus istis constare pro foro conscientiæ, quãdo inter fideles scriptum testatur de Bap- tismo.

66 Eadem via Conciliorum Prouin- cialium autoritates pro nobis sunt. Specia- liter verba Concilij Mediolanẽsis Tertij sub S. Carolo Borromæo non referuntur fide- liter à Quintanadueñas: nõa tomo quinto Cõ- ciliorum in editione Veneta, anni 1585. (quam solam nunc ad manum habeo) sic ha- betur folio 590. *Infans expositus, licet appensũ collo scriptum habeat, quo ille baptizatus signi- ficetur, si tamen, re diligenter perquisita, quemad- modum Cathedismo Romano expressum est, ad- huc dubium sit eum baptizatum esse, ea conditio- nis formula baptizetur, &c.* Vbi non solum præcipit rem diligenter perquiri antequam deueniatur ad baptizatiõnem conditiona- lem: sed asserit hoc faciendum esse, eo mo- do, quo est expressum in Cathedismo Ro- mano: cuius in hoc puncto doctrinam ipse Quintanadueñas reuulerat, & impugnaue- rat toto singulari quinto: & modo ea vtitur pro se: & ne fraus detegeretur, ipse fraudulẽ- ter verba Concilij, quæ mentionem faciunt de Cathedismo Romano, mutat, & peruer- rit legens: *Quemadmodum in Concilio Romano: cum tamen nullum tale extet Concilium Romanum hoc exprimens. Quare cũ Gra- nados tract. 1. disp. 8. num. 10. asserat Conci- lium Mediolanense: tamen docet nobiscum infantes expositos nõ debere rebaptizari, si*

secum deferant schedulam Baptismi, vel si vnus testis bene examinatus, & non suspec- tus, id certo assermet.

67 Autoritati Modernorum opponi- mus illud S. Paciani epist. 1. ad Sempronium. *Et nostram potius auctoritatem Patres sequen- tur? Et emendanda Sãctorum cedit antiquitas? Et iam putrescẽtia vitijs tempora canos Apostolicæ antiquitatis eradent?* Quod non tantum pro- casu presentis, sed & pro alijs maioris momẽ- ti adnotatum velim. Recolantur, quæ scrip- simus tomo 1. Theol. Moral. cap. 15. q. 18. Nec aliqui facillẽ credunt illas subscriptio- nes fuisse, vt easus practicaretur (cũ in quin- decim Authoribus Societatis impressis op- positum vt certum legamus: nec facillẽ per- suaderi potest, tot Recẽtiores a doctrina suo- rum omnium maiorum, tam leuiter recessisse) sed ad alicuius instantiam, qui time- bant nouitiolam opinionem cõtemnendã, vel censurandã, illas inscriptiones vi pre- cum, vel hominũ fauore fuerunt extortæ. Re- liqua probant id quod docuimus numero 58.

68 Qui inducuntur textus num. 57. procedunt in causis criminalibus, vel ciuili- bus; cum tamen nunc tractemus de foro conscientiæ, & de Sacramento Baptismi: de quo Glossa in cap. *Placuit* 1. verbo *Testen- tur*. De Consecrat. dist. 4. & communiter Doctores dicunt sufficienter vno teste con- stare. Vnde Malcardus de Probat. cõf. 163. numero 1. ait: *Baptizatum quem esse, satis esse, si probetur per vnum testem.* Et num. 2. reddit rationem. *Quia Baptismus cum vno tes- te fieri potest. Si autem textus illi ad rem obi- cerentur, probarent vtrique, quod si Par- rochus sine alijs testibus baptizaret infantẽ, eius asserio non esse moraliter certi: si- quidem est priuata testificatio: & quæ in alijs causis ciuilibus, vel criminalibus non suf- ficeret: cum ergo hoc sit absurdum; si adum est communi sententiæ. Nec apud nos fre- quens est, sed rarissimẽ contingens, quod in- ueniantur Morisichæ, & Sagæ, & aliæ id ge- nus muliercularum. In terris autem, in qui- bus est illarum frequentia, vel suspicio pru- dens, quod testimonium non est fide- dignum, iam admissimus in- fantulum sub condi- tione baptizan- dum.*



§. VII.

De Baptismo ab infidelibus dato, an debeat iterari?

69 Quarto cõsequenter inquiritur, v- trum omnes baptizati ab Hæreti- cis, Iudæis, Sarracenis, vel Morisichis, vel ex eis descendentibus, sint sub conditione bap- tizandi?

Sapientissimus Laurentius Beyerlinch in Theatro vitæ humanæ tomo 1. verb. *Bap- tismus*, folio 14. col. 1. littera B. ita ait. Quia nihilominus hæretici detrectant comuni- care in ritibus Sacramentorũ cum Catho- licis, & nullo negotio reiiciunt Ecclesiæ tra- ditiones, ac rerum nouitatem se ipsi duci- bus vsũ sectantur: merito illorum Baptismus de nullitate suspectus haberi debet. Vnde, & Synodus Prouincialis Mechliniensis in Bel- gio decreuit, ab hæreticis baptizatos, sub cõ- ditione, saltem esse rebaptizandos. Mouit autem Synodum, quod initio tumultuũ Bel- gicorum, plerisque locis, Ministri Reforma- tionis Euangelij ita baptizarent, vt vnusa- quam funderet, & alius ex Cathedra formã pronuncians, irritum Baptismum mētiẽdo conferret. Hæc ibi.

70 Item in Pastoralis Mechliniensis, edi- to anno 1608 canone 11. de Baptismo, iu- betur baptizatos ab hæreticis, iterum sub conditione baptizari, vt referunt, & appro- bant Molanus Practicæ tract. 4. cap. 3. n. 30. Franciscus Syluius hac 3. p. q. 66. art. 9. quæ- sitio 3. quia cum incredibili odio ferantur in Ecclesiam, & sacramentorum formas per- uertunt, & materiam contempnunt, & ab Ec- clesiæ intentione mentem alienam habet. Imò, & inuenitur alicubi, alius quidem ver- borum formam proferre, alius autem ablue- re. Sæpẽ deprehensum est, ait Molanus, necessariam eis in baptizando defuisse intẽ- tionem. Idem sequitur ibi Ioannes præposi- tus dub. 2. n. 99. & Eligius Bassæus verb. *Bap- tismus* 4. n. 10.

71 Tenerque Quintanadueñas tract. 1. singulari 3. quamuis nullũ ex quatuor re- latis Authoribus referat. Probat, quia Paga- ni, Iudæi, & Sarraceni, negant, vel odio pro- sequuntur Baptismum, & Ecclesiam. Hære- ticorum vix vnus reperitur in quocumq; he- resum gremio, qui in aliquo ex essentialib; ad Baptismi valorem perniciosissimẽ non erret: formam, aut materiam mutant, & le- gitima intentione carent. Ideoque plures fi- lios Longobardorum ab hæreticis baptiza- tos, fecit iterum baptizari S. Greg. vt constat

ex lib. 1. Registri epist. 17. & Greg. 2. epist. ad Bonifacium, vt refertur cap. *Quos à Paganis, de Consecrat. dist. 4.* ait. *Quos à Paganis baptiza- tos esse asseruisti, si ita habetur, vt denuo bap- tizentur nomine Trinitatis, mandamus.* Quia es- sentialia requisita non obseruabant. Afferit etiã verba Concilij primi Carraginensis in res- ponsione Cæcilij. Sed in illis non potest fieri vis: quia videntur sonare nõ posse esse va- lidum Baptismum ab hæreticis collatum: de quo sequenti quæstione. Sequuntur hanc sē- tentiam Adamus Opatouius de Baptismo disp. 1. q. 6. nu. 49. Cuius verba refert Diana parte 9. tract. 6. miscellaneo resol. 35. & ap- probare videtur. Quamuis postea parte 10. tract. 16. & 6. miscellaneo resol. 19. §. *Notan- dum*, cum hanc opinionem cum alijs retulisset, solum ait. *Sed aliqua ex his nimis scrupulo- sè dicta videntur.*

72 Præceter hoc dubium resoluit Car- dinalis de Lugo lib. 1. Responsorum Moral. dub. 2. nu. 4. dicens. Ego hoc dubium, & con- trouersiam totam non puto esse de iure, sed de facto: nam loquendo de iure non est du- bium, Baptismum ab hæreticis collatum, va- lidum esse; neque esse reiterandum, si debi- to ritu circa materiam, & formam, & debi- ta intentione baptizant: vt docent Eugeni- 4. in Concilio Florentino post vltimam Sess. in Decreto pro Armenis. Et Leo, & Gelasi- 2. relati in cap. *Hi de quibus*. Et cap. *Si reuera*. Et ex S. August. lib. 6. contra Donatistas c. 25. & ex S. Iudoro, & Nicolao Primo, relatis in cap. *A quodam Iudæo*. Et cap. *Romanus*. De Cõ- consecratione. Dist. 4. Cum hoc tamen stat, posse, & debere baptizari iterum eos sub conditio- ne, si alicubi tales sint circumstantiæ, vt pru- denter dubitari, aut formidari possit de de- fectu materiæ, vel formæ, aut intẽtionis de- bitæ. An vero circumstantiæ tales sint, pen- det ex facto, & vsu, locis, & personis: quæ omnia prudenter examinari, & considerari debent. Beyerlinch, Molanus, Syluius, Præ- positus, & Bassæus sunt Belgæ, Opatouius legebat Cracouia: atque ad id potuerunt me- lius mores, & circumstantias vicinorum hæ- reticorum nosse, vt possent de- cernere ad factum perti- nente iudi- care.



DVBIVM IX.

De irregularitate in poenam rebaptizantium.

§. I.

Certa præmittuntur.

1 Quamvis non sine magno fundamēto aliqui hoc referent explicandū ad tractatum de Censuris, & poenis Ecclesiasticis: quia tamen antiqui Theologi, & Soto, Nuño, Ruyz, & Serra, & alij ex Thomistis, cum multis Expositoribus, illum iudicant locum opportunum breuiter de sola ista irregularitate disputandi, ideo & nō potuimus non aliquas difficultates, quæ circa illam occurrunt examinare.

2 Certum est eum, qui scienter rebaptizat, manere irregularem. Quod solet probari ex cap. qui bis. Cap. Eos quos. De Consecrat. dist. 4.

3 Item est certum ipsum rebaptizatū irregularitatem incurrere, vt statuit S. Leo Primus epist. 3. ad Ianuarium. Felix Tertius epist. 6. relatus illo cap. Eos quos. Concilium Cartageniense Quintū cap. 11. & Concilium Toletanum 4. cap. 18. Quod statutum est propter reuerentiam Sacramenti, & ad vitandum sacrilegium reiterationis. Imò Soto in 4. dist. 3. q. vnica art. 9. ad 4. §. Vnum hic, notat, quod quamuis poena irregularitatis Ecclesiastica sit, de qua constituenda nihil ad Cæsarem: Tamen tunc tantum erat odiū Hæreticorum Donatistarum, vt iure etiā Ciuili à rebaptizatione, tam atrociter arceretur, vt in Codice. Ne Sanctum Baptisma iteretur. l. 1. dicat Cæsar. Antistitem, qui sanctitatem Baptismatis illicita usurpatione geminauerit, sacerdotio indignum esse censemus. Et lege secunda, supplicio etiam capitis addicitur, tam rebaptizans, quam rebaptizatus.

4 Tertio certum est etiam fieri irregularem, qui ex officio ministrat rebaptizanti: quia de Acolyto publicè ministrante secundo Baptismo, id decernit Alexand. Tertius, cap. Ex litterarum, de Apostatis. Et Glosa l. 1. C. Ne Sanctum Baptisma. & communiter Doctores merito docent a fortiori idem dicendum de Diacono, vel Subdiacono solemniter ministrantibus secundo Baptismo. Imò Vgolinus cap. 35. §. 3. num. 6. Et Maiolus lib. 3. cap. 14. num. 6. id extendunt ad Cōpatres, si scienter assistant; quia sunt baptizationis secundæ participes, cum sint fidei iussores. Cap. Vos autem, de Consecratione, dist. 4.

5 Sed hæc ampliatio nullum in iure habet fundamentum: siquidem ex Accolyto, licet bene arguatur ad Diaconum, & Subdiaconum, propter identitatem rationis, quia ex officio solemniter ministrant rebaptizanti: tamen malè arguetur ad cōpatres, cū hæc ratio in illis nō procedat: & ex alia parte certum est, quod irregularitas non contrahitur, nisi in casibus in iure expressis, cū odia sint restringenda. Quare illam extensionem impugnant Bonacina de Irregul. q. 3. punct. 2. num. 1. Gibalinus cap. 5. q. 1. num. 6. in fine, Leander tom. 5. tract. 2. disp. 18. q. 3. Eademque ratione, neque hanc irregularitatem incurrunr parentes, qui suos filios rebaptizandos offerunt, vel procurant rebaptizari nec qui id consulunt.

§. II.

Vtrum rebaptizatio debeat esse sollemnis?

6 Hæc cum certa sint, difficultas prima occurrit, vtrum hæc irregularitas incurrat in rebaptizatione occulta, priuata, & non sollemnis?

Sunt tres opiniones. Prior affirmat in omni casu incurri. Ita Scorius in 4. dist. 6. q. 8. docens vtroque casu incurri: cum hoc discrimine, quod si crimen sit publicum, solus Papa dispensat: si vero occultum sit, Episcopus dispensare valet. Cum quo videtur consentire Soto in 4. dist. 3. q. vnica art. 9. in fine, quāuis differat in eo, quod velit Episcopum in neutro casu dispensare posse, sed solum Papam. Quantū vero ad id in quo cōueniunt, hanc esse communem, & receptam sententiam, refert, & sequitur Sayrus libro 7. capite 8. num. 6. citans Henriquez lib. 14. capite 4. §. 5. & cap. 20. §. 3. Sequiturque Bonacina disp. 7. de Irregul. q. 3. punct. 3. num. 9. non bene referens Auilam, Coninch, & Toletum, vt ex dicendis erit conspicuum. Tenetque Trullench lib. 2. praxis Sacram. cap. 1. dub. 5. n. 16.

Probat Sayrus: nam Felix Tertius, cap. Qui in qualibet 1. q. 7. & cap. Eos quos, de Consecratione dist. 4. Et penitētiāle Theodori cap. Qui bis, ibidem, non distinguunt inter eum, qui publicè, vel occultè delinquit: ergo nec nos distinguere debemus. Maxime cum in materia morali standum sit vni, & consuetudini communi, quæ est optima legum interpretres.

7 Alij cum hac sententia conueniunt quoad rebaptizantem, & rebaptizatos; quo ad

ad Accolytam, & alios ministros, dicunt nō incurrere irregularitatem, nisi ministratio sit sollemnis, & delictum sit publicum. Ita Panormitanus cap. 2. de Apostatis nu. 1. Syluester verbo Irregularitas q. 4. & hæc videtur sententia Henriquez num. 14. Tenetque Auila parte 7. disp. 7. dub. 1. quia de solo Accolytho loquitur Alexand. Tertius cap. 2. de Apostatis, cum dixit: Ad superiores ordines promoueri (si publicum est, quod proponitur) non valebit, &c. Vnde ex hoc textu non licet poenam contrahere, quæ in alijs textibus, & cōmuni Doctōrum est taxata pro delictis occultis.

8 Vltima, & iam recentiorum communis, sententia docet, quod vt hæc irregularitas contrahatur, requiritur vt rebaptizatio sit sollemnis, & publica: nam si sit priuata, nec rebaptizans, nec rebaptizatus eam incurrent. Ita tenent, licet cum formidine, & aliqua cautione, Suarez de Baptismo disp. 3. l. 1. §. 6. dub. 3. Egidius nu. 36. Cabreraz 3. p. q. 66. ar. 9. num. 16. Ruyz ibi ad 4. §. Ceterum, folio 579. Layman lib. 1. tract. 5. p. 5. cap. 2. num. 1. Gibalinus cap. 5. de Irregul. q. 1. num. 1. & 7. in fine, male à Leandro profecunda relatus: cum hæc expressè tueatur: si etiā & Toletus lib. 1. Summa cap. 70. num. 4. & 5. Palaus disp. 6. punct. 16. num. 3. Gaspar Hurtado, & Pelizarius, quos refert, & sequitur Leander tom. 5. tract. 2. disp. 18. q. 4. vbi tamen malè refert Panormitanum, Syluestrum, & Paludanum.

9 Probat Toletus: quia non est canō, quo ea irregularitas probetur: nam quos allegat Glosa, ad quam Doctores se remittunt, non continet, nisi solam prohibitionem, ne quis Baptismum reiteret (vt specialiter patet, cap. Non licet. Cap. Rebaptizare, De Consecrat. Dist. 4.) Caput autem allegatum de Apostatis expressè non loquitur, nisi de Acolyto, qui ministrat scienter bis baptizanti presbytero; quo casu responderet Papa, si crimen est publicum, ne ad maiores promoueretur: si vero occultum, permittatur promoueri absque vlla dispensatione, vt notat Innocentius, cap. Ex tenore de repositis ord. Et id ipsum verba capitis indicant, sicque interpretatur Ancharanus cum alijs. De eo autem, qui bis baptizauit, nil disponit, nisi argumen tum sit a fortiori. Non ergo videtur bis baptizans irregularis esse; nisi quando crimen est notorium: tūc enim ex criminis notorietate est irregularitas, quia est graue scelus. Fauet etiam, quia nullus est canō expresse faciens irregularem bis baptizantem: referunt Speculator, aut S. Antoninus,

qui de irregularitatibus diligenter tractauerunt.

10 Suarez vero probat, quia textus, quando crimen est occultum, nullam superioris dispensationem requirit: sed absolute dicit, quod promoueri poterit: sicut autem verba, quæ continent poenam publici delicti, scilicet, promoueri non valebit, Doctores intelligunt absolute, nulla expectata iudicis sententia, vel declaratione: ergo multo magis verba, quæ continent fauorem, cum fauores sint ampliandi, & odia restringenda.

Deinde: nam hæc irregularitas non est alibi in iure expressa: nisi in illo textu, in quo ibi est explicitè, sed solum propter identitatem rationis de Acolyto, & ministro: ergo sub eadem distinctione, & limitatione de vtroque accipienda est. Et iuxta hunc textum omnes alij sunt exponendi.

11 Hæc sententia est probabilis, & in praxi iam tuta, sed qui primam vellet defendere, posset respondere cum Sayro numero 7. sensum illius textus esse, quod cum alias in Accolyto, qui baptizanti ministrum præbuit, si delictum publicum fuerit, nullo modo dispensandum eiber: omnino ab Episcopo, sed à solo Papa: si tamen Accolytus ille ad Religionem transire voluerit, permittit Pontifex vt fauore Religionis ipsius, circa eum valeat dispensari, scilicet, ab Episcopo. Secus autem si Religionem intrare noluerit, tunc enim si delictum publicum fuerit, non poterit Episcopus cum eo dispensare. Si vero delictum occultum fuerit, etiā si noluerit Religionem intrare, poterit Episcopus cum eo dispensare, vt sic excessum suū, postea dignis poenitentiae fructibus, expiare possit. Et hunc putat Sayrus esse genuinum sensum illius capituli. Et hanc sententiam, vt communem proponit M. Ioānes à S. Th. in explicacione doctrinæ Christianæ, de irregularit. ex delicto n. 1.

§. III.

Vtrum debeat esse peccatum vt incurratur poena irregularitatis?

12 Secunda difficultas est, vtrum causa quæ excusant rebaptizationem à peccato mortali, excusent etiam ab incurso irregularitatis?

Pars affirmatiua videtur probari ex verbis Felicis Papæ Tertij, epist. 1. cap. 5. relatis in cap. Qui in qualibet 1. q. 7. in quibus habetur,

berur, & statuitur: *Ne unquam, qui in qualibet ætate, alibi quàm in Ecclesia Catholica baptizati, aut rebaptizati sunt, ad Ecclesiasticam militiam profusus permittantur accedere.* Ergo infantes rebaptizatos absque vlu rationis, ac perconsequens absque proprio peccato, statuit esse irregulares.

Deinde ignorantia inuincibilis iuris, aut facti, omnino excusat à peccato: quia sine cognitione non est voluntarium, & sine voluntate non committitur peccatum. Sed in cap. *Qui bis. De Consecratione. Dist. 4.* ignorantem rebaptizatus arcetur ab ordinibus sacris: ergo quæ excusant peccatum rebaptizationis, non excusant contrahi irregularitatem.

13 Propter verba huius textus, Paludanus in 4. dist. 6. q. 4. art. 1. conc. 2. a. num. 8. vlt. que ad 17. sustinet vt probabilem opinionem, quod rebaptizatus sine sua culpa sit irregularis: siue habuerit ignorantiam iuris, vel facti, præcipue si postquam sciuerit, ratum habuit. Idem tenent D. Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 13. §. 12. Item Richardus, Gofredus, Angelus, & Viualdus, quos refert Sayrus li. 7. cap. 8. n. 8. Quos sequitur Hugolinus cap. 35. §. 2.

14 Loquendo vero de ignorantia iuris Scotus in 4. dist. 6. q. 8. initio inquit, quod ad propositum non oportet, quod ignorantia iuris in facto illo, siue in suscipiente, siue in conferente excuset: aut enim potest intelligi de ignorantia iuris diuini prohibentis Baptismum iterari. Et patet, quod ignorantia talis præcepti non excusat à peccato nec à poena infligenda à Deo pro peccato. Aut intelligitur ignorantia iuris Canonici infligentis penam. Et nec ista ignorantia excusat, quin pena illa incurratur, quando enim super aliquo, quod est ex iure diuino illicitum additur poena canonica, vt illud amplius euitetur, non est necessarium ad hoc, vt incurratur illa poena, aliqua scientia iuris Canonici, sed sufficit quod teneatur scire præceptum diuinum: sed si illud transgrediat, incurrit poenam Canonice; etiam si nesciat à iure Canonico penam esse infligendam. Hoc enim modo percutiēs clericum, cū faciat contra præceptum diuinum de charitate fraterna; et si nesciret excommunicationem latam à canone super tali facto; tamen incurreret eam. Et occidens hominem, licet nesciret canonem punientem homicidam poena irregularitatis; tamen irregularis esset. Et eadem est ratio in omnibus istis: quia talis dat operam rei illicitæ, de qua re debet scire, quod sit illicita; & si nesciat, nullo modo debet illam e-

xequi, quovsq̄ue consulat peritos, per quos potest scire illam esse illicitam. Sic ergo non oportet distinguere in proposito, nisi de re ratione scienter facta, vel ignorantem, loquendo de scientia, vel ignorantia facti, hoc est, vt si ignoretur istum fuisse baptizatū, nunc iterum baptizari. Hæc Scotus.

15 Pariter Syluester verbo *Irregularitas* num. 6. q. 4. ita ait. Si vero quis rebaptizatur scienter, est irregularis. Si vero ignorantem ignorantia iuris, similiter est irregularis. Et similiter est irregularis, si fuit ignorantia facti, & postquam sciuit, habuit ratum. Cap. *Confirmandum. Dist. 50.* Et cap. *Quin qualibet* 1. q. 7. Si vero non habuit ratum, est irregularis, secundum Gofredum, indigēs dispensatione Episcopi. Sed, verius dicit Hostiensis, & sequitur Scotus, quod non est irregularis, sed excusatur: sicut & conferens ex ignorantia probabili. Arg. cap. *Placuit* 1. q. 4. Nec obstat dictum cap. *Qui bis*, & quod ibi notatur, quia cum secundum Scotum, illud caput, accipiat ex penitentiali Theodori Episcopi Cantuariensis, infligere non potest irregularitatem. Nisi forte dicatur, quod omnia capita à Gratiano posita in Decreto, sunt confirmata per Papam: Quod non est manifestum. Et adde, quod confirmatio simplex nihil addit cap. *Præceptis*, dist. 12. de Confirmat. vti. vel inuti. Cap. *Cum dilecta*, cum capite seq. de priuilegiis. Vnde etiam si forent confirmata, Irregularitatem non inducerent. Hæc Syluester ibi. Et verbo *Baptismus* 5. q. 3. citans Summam Pisanam. Tenereque Richardum, Angelum, Astensem, & Maiolū, & Viualdum, refert Sayrus. Et tenet Emanuel Rodriguez verbo *Irregularitas* c. 147. conc. 1.

16 Vtramque opinionem rectè impugnat Soto in 4. dist. 3. q. vnica art. 9. ad 4. Et de priore inquit, quod est opinio intolerabilis. Mirabile namque est, quod propter factum alterius, qui me inficium rebaptizat, si ego irregularis. Par enim ius esset, vt si infans ante vsum rationis rebaptizaretur, irregularis fieret. Cuius contrarium plane decernitur. 1. q. 4. can. *Placuit*. Et Can. *Qui apud*. Enimvero licet irregularitas aliqua citra culpam contrahatur: non tamen sine actu libero: nisi forsitan aliqua sit corporis foeditate vitiatum. Qui enim secundis subiectus fuit nuptiis, aut personam agens publicam iudicis, malefactores peremit, liberè id egit.

Adde, quod cum irregularitatis multiplex sit genus: illa, quæ ob significationem, qualis est bigamia; vel ob indecentiam, qualis est sanguinis effusio, & corporis vitium, consti-

constituta est, potest quidem citra culpam contrahi. Illa vero, quæ in poenam culpæ decernitur, quæ idcirco propriè dicitur censura irregularitatis, qualis hæc præfens apparet, reuera non est citra culpam incurratur: iuxta illud Greg. *Res, quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit. De constitutionibus. Cap. Cognoscentes.* Ad hæc: rebaptizans ignorantem, nullo iure irregularitatis condemnatur: multo ergo minus, qui sic rebaptizatur.

17 Ad textum in cap. *Qui in qualibet*, responderi ibi Glossa, communiter recepta, intelligitū esse de ætate qualibet adulta, in qua sit vltus rationis. Addit Gibalinus cap. 5. de Irregularitate q. 1. num. 5. Quod cum plurimum Synodorum Africanarum decretum, à Sede Apostolica, atque etiam Mediolanensi comprobata, edita fuerint, quæ infantes ab hæreticis baptizatos in Clerum admitti permittebant, vbi iam grandiores errorē deposuissent; non est existimandum Foelicem, deinde tertium, dum aliquot post annis in eadem causa scribit ad Africanos, aliquid contra antiquas leges; à Romana sede sanctitas statuisse. Quare quod hæc sua epistola dixit, in qualibet ætate baptizatos ab hæreticis arcendos esse à sacris, de ætate doli capace exponendum est cum Glossa, in cap. *Qui in qualibet* 1. q. 7. vlt. etate. Videatur Gibalinus latius hoc expendens.

18 Ad textum in cap. *Qui bis*. Respondet Soto vbi supra immediate subiungens. At verbum illud canonis per multos fallit; sanè qui non attendunt illud, non penitere; posse intelligi non de penitentiæ virtute; sed sic, quod qui ex ignorantia iuris, scientes factum, rebaptizantur, non indigent proferre illos septem annos penitentiæ, illic expressos. Licet penitere illos debeat peccati. Et irregulares manere quovsq̄ue ex graui necessitate cum illis dispenseretur. Quare ex illo verbo non conuincitur legem illic ferri de ignorantia facti protinus excusantem. Præterquam quod vt Scotus ait dist. 6. q. 8. textus ille, nec Pontificis est, nec Concilij, sed Theodoretus cuiusdam Cantuariensis Episcopi: quare non facit fidem, sed grauem opinionem. Quam secundam solutionem etiam approbat Syluester, vt vidimus, & communiter Doctores.

19 Secunda opinio tangit aliquid disputandum alibi, quæ ignorantia excuset à censuris? De quo Authores, quos retulit capite 2. Theol. Moral. q. 13. num. 16. Et Soto illo art. 9. §. *Habemus*, docet, quod sententia excommunicationis, nemo nisi ob solâ cul-

pam inobedientiæ Ecclesiæ irretitur; iuxta illud Euangelicum: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. Ecclesiam autem nemo dicitur non audire, nisi vel eius mandatum nouerit; aut nosse teneatur, ita vt eius ignorantia sit culpabilis. Si quis ergo daretur, qui inuincibili ignorantia laboraret canonis, profecto probabilissimum apparet, eius censuram in foro Dei non incurrere: tamen si in foro exteriori eius excusatio non audiretur. De quo agit distinctio 1. §. Sed hic subdit, quod de alijs peccatis, qualis est irregularitas, diuersa forsitan est ratio.

20 Et §. *igitur*, docet, quod Sacerdotes, quibus ex officio baptizare incumbit, neutrius ignorantia iuris, neque à culpa, neque ab irregularitate excusantur; quoniam tenentur vt rumque scire, tam diuinum, quam canonicum. Deinde, illi qui ius diuinum scire tenentur, licet penam canonicam, & civilem inuincibiliter ignorent, illam tamen incurrunr (excepta fortè excommunicatione; propter rationem factam) vt qui hominem occidit, licet ignoret inuincibiliter irregularitatem inde exurgere, irregularis nihilominus fit: nam eiusmodi penæ consequuntur culpam, quam quisque scire tenetur. Sicut fur, licet ignoret suspensij supplicium, illud iure perfoluet.

21 Nihilominus addiderim (inquit Soto) quod forsitan potest quis habere inuincibilem ignorantiam ipsius iuris rebaptizationem prohibentis: nam quamquam fundetur in Euangelio; est tamen adeo reconditum, vt non omnes plebei illud teneantur scire. Quo circa si quis rusticorum puer, ignorans prorsus se malefacere, aut alium rebaptizaret, aut ab alio paruulo rebaptizaretur, forsitan quoniam nullam commisit culpam, nullam contraheret irregularitatem. Quod vltimum est ad mentem D. Antonini, Syluestri, Soto, Loræ, Curiel, Serræ, Sanchez, Bonacinæ, & Dianæ, vt retulimus illo n. 16. Et quando est tantum ignorantia penæ impositæ, non incurrit irregularitatem, docent Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 32. num. 9. & 17. & 31. Diana 4. parte tract. 2. resol. 36. & 85. Egidius, & Præpositus, quos refert, & sequitur Gibalinus capite quinto de Irregulari. questione 1. collectario r. n. 8. in fine.

22 Ex quibus manet probatum, nec rebaptizatum, nec rebaptizantem esse irregularem, quousies probabilis ignorantia iuris, vel facti eos excusat à peccato; secus quædo ignorantia culpabilis eos accusat, quia quoad

quoad hoc, par ratio est de culpa, ac de pena: de quo Nauarrus capite 27. num. 246. & communiter Doctores, quos refert Sayrus cap. 8. num. 8. Quod verum est etiam si ratum habeat suum secundum Baptismum: quia id non exprimit iura, quæ in contrarium allegantur. Et quia subsequens rati habitio non influit in hoc, quod prima rebaptizatio, inculpabilis propter ignorantiam, facit culpa, licet postea peccet: sed hoc non retrahitur. Et ita admittunt iam communiter Doctores.

23 Eisdemque de causis, qui primum Baptismum recepit sicte, & sine intentione sufficiente ad validitatem, non sit irregularis in secundo Baptismo: quia iste in veritate non rebaptizatur: licet in foro externo aliter præsumatur. Sicut non sit irregularis, qui vere baptizatum secundo sicte baptizat, licet peccet propter irreuerentiam Sacramenti.

24 Addit Syluester verbo Irregularitas q. 4. num. 6. in fine. Similiter non est irregularis, qui coactè coactione absoluta fuit rebaptizatus; secus in conditio nata: ut notat Innocentius cap. *Eos. De Consecratione*, dist. 4. Idè tamen Syluester hanc opinionem solum ut tutiorem proponit verbo Baptismus 5. q. 3. dicens. Aliàs autem ignoranter rebaptizati, vel coacti absolute promoueri possunt de iure, secundum aliquos, vel de dispensatione secundum alios, si magna necessitas cogat. Quod est tutius. Cap. *Eos. De Cof. dist. 4. cap. Quibus*, Sequunturque Maiolus libro 3. c. 14. n. 3. Viualdus in secunda specie Irregularitatis, §. 1. n. 8. fol. 516.

25 At vero S. Antoninus, Henriquez, & Suarez, quos refert, & sequitur Sayrus c. 8. nu. 18. Nuño ar. 9. conc. 7. & ibi Serra in fine articuli. Trullench li. 2. c. 1. dub. 5. nu. 13. Auila par. 7. disp. 7. dub. 4. conc. 1. & 2. Gibalius consec. 3. n. 1. docent esse irregularè, quoties metu cogente vere ex animo rebaptizat, vel rebaptizatur: quia sicut timor non excusat à culpa; ita nec à pena: & nullo timore potest cogi efficaciter: cum omnino sit in sua libertate, non habere interius intentionem. Si vero metu cogente, rebaptizet, vel rebaptizatur sicte, quamuis peccet, non sit irregularis: quia hæc pena solum contrahitur cum adest vera rebaptizatio.

26 Imò Leander à SS. Sacram. to. 5. trac. 2. disp. 18. q. 11. censet esse probabilius non fieri irregularem non solum, qui metu cogente sicte rebaptizat: verum etiam si metu perterritus ex animo rebaptizat. Quia com-

munis opinio fert, quod metus cadens in verum constantem excusat a pena statuta per leges humanas: quamuis non excuset a culpa, si aliàs actus sit alio iure prohibitus: quod de prohibitis iure naturæ, est de fide, ut videmus to. 2. Theol. cap. 17. q. 6. nu. 37. Quando autem prohibitio legis humanæ obliget etiam in mortis periculo, exponit accurate Motesinos to. 2. in 1. 2. disp. 23. q. 10. n. 171. & duobus sequentibus.

27 Vltima difficultas est, vtrum ex iteratione Baptismi conditionata incurratur pena irregularitatis? Quia difficultas est ab alijs late disputata: idè breuiter ab illa nos expediem. Probabiliter affirmant Soto, & Victoria, Corduba, Sayrus, Vgolinus, & alij. Sed alia opinio etiam est probabilis, & eam docuit Nauarrus cap. 2. nu. 246. quem cum alijs duodecim Authoribus, refert, & sequitur Leand. to. 1. trac. 2. dist. 6. q. 9. & to. 5. tract. 2. disp. 18. q. 12. Specialiter ex Thomis videndi Nuño 3. p. q. 66. art. 9. conc. 6. Ruyz dub. vi. Serra in fine articuli: quia odia sunt restringenda: vnde lex imponens penam irregularitatis propter rebaptizationem absolutam, quæ sola est simpliciter rebaptizatio, restringi debet, & non ampliari ad rebaptizationem conditionalem.

28 Aduertunt autem Suarez disp. 3. 1. sectione 6. dub. 1. Cabrera ar. 9. n. 20. Bonacina disp. 7. q. 3. puncto 3. n. 7. Eayman, Filluti, Hart, & Præpositus, quos refert, & sequitur Gibalinus de Irregul. cap. 5. q. 1. nu. 7. quod hæc irregularitas respectu rebaptizati est totalis, quia a suscipiendis ordinibus impedit, & à ministerio, & vtu susceptorum prohibet, ut constat ex iuribus relatis ex Papa Felice tertio. Quantum vero ad rebaptizantem, eiusque ministrum, irregularitas est tantum partialis, & prohibet solum ne is promoueat ad superiores ordines, ut patet ex Alexandro 3. cap. 2. de Apostolicis: Quamuis Hostiensis, Panormitanus, Angelus, Martinus Ledesma, & Maiolus, quos refert, & ut probabilior, & communior sententiam, sequitur Gregorius Sayrus lib. 7. Theauri c. 8. n. 5. dicant in omnibus irregularitatem esse totalem.

29 Quoad dispensationem autem huius irregularitatis, admonet Syluester verbo Baptismus 5. q. 3. & communiter Doctores, quod per se loquendo, solum Papa in ea dispensat: quia nullus Papa inferior dispensare valet in legibus Papæ, & in iure communi. Si tamen delictum esset occultum, posset Episcopus dispensare, ut habetur in Concilio

§. I.
Ceremoniarum utilitas.

Ho Tridentinò sess. 24. de Reformatione cap. 6. Per cuius dispositionem tollitur controuersia, quæ olim circa hoc fuisse videtur, ut notat Sayrus cap. 8. num. 31. Notat etiam Henricus libro 14. cap. 20. n. 3. & Authores communiter, ut refert, & sequitur Leander disp. 18. quæst. 19. quod licet secundus Baptismus fiat publice, erit delictum occultum, si ratio rebaptizandi sit occulta, utpote quia prius fuit occulte Baptismus ministratus.

30 Demum notat Soto articulo illo 9. in fine, quod sunt causæ ad dispensandum perpendendæ: nã cum huiusmodi pœnæ in odium hæreticorum fuerint constitutæ, si quis eo rebaptizatur, quod fuerat ab hæreticis baptizatus, difficilius cum illo dispensandum est. Si vero aliam ob causam minoris notæ, mitius cum illo agendum.

DVBIVM X.

Vtrum ritus, quo Ecclesia in baptizando vtitur, sit conueniens?

VIDeri alicui posset Diuum Thomam si ne causa, & ordine indebito, hac quæstione inseruisse articulum decimum de ritu Baptismi: siquidem nunc in tota quæstione de solis partibus substantialibus Baptismi tractat: & cum inter ritus etiam connumerentur catechismi, & exorcismi: de quibus non agit vsque ad quæstionem septuagesimam primam in fine materie Baptismi; melius esset cum communi Doctorum simul de ritibus omnibus, & de catechismis disputare.

Propter hoc argumentum, Suarez, Vazquez, & alij, remittunt hanc quæstionem vsque ad quæst. 71. ne conuenientem ordinem disputationum intermittant.

2 Rectè tamen responderat Magister Soto in 4. dist. 3. quæst. vnica artic. 10. initio, quod catechismi, & exorcismi, non tam ad formam Baptismi attinent, quam ad eius præparationem; & idè de illis, tamquam de præambulis Baptismi in fine materie disputandum est. Quæ de causa Diuus Thomas in Prologo quæst. 71. hanc rationem ordinis insinuat, dicens. Deinde considerandum est de præparatorijs, quæ simul concurrunt cum Baptismo. Ritus autem Baptismi sunt vnctiones, atque aliæ ceremoniæ, quæ ad solemnitatem formæ Baptismi attinent. Merito ergo inter disputandum de forma Baptismi,

quæritur de ritu, an sit conueniens?

¶ PARE omnes Ecclesiasticas ceremonias irridebat Vviclef, ut refert, & confutat Vvaldenus tom. 3. qui est de sacramentalibus, tit. 5. cap. 45. Quem imitati sunt Calvini lib. 4. institut. cap. 15. §. 19. Illyricus cænturia 1. lib. 2. cap. 6. & cænturia 2. cap. 6. quia eisdemodi ceremoniæ in Sacris litteris, neque præcepto, neque exemplo villo sunt commendatæ. Quin potius sunt mandata hominum: de quibus Dominus in Evangelio Matthæi 15. ex Esaiæ cap. 29. inquit: *Frustra me voluit mandatis hominum*: idè quæ otiosus est externus cultus ceremoniarum, à Deo reprobatus. Vnde & Apostolus ad Colossenses 2. ver. 22. de istis ceremonijs ait. *Quæ sunt omnia in interitum ipso vsu, secundum præcepta, & doctrinas hominum: quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione, & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad satyritatem carnis.* Quasi dicat. Quævis externus cultus habeat speciem, & externam apparentiam virtutis: re tamè vera est in interitum spiritus.

4 Specialiter quia Baptismi ceremoniæ videntur superstitiosæ, & contemptibiles, ut sunt guttus salis, tactus narium, & aurium, salua, & huiusmodi. Et in primitiua Ecclesia simpliciori modo dabatur Baptismus: siquidem quocumque loco, & tempore, in fluuijs, & fontibus baptizabantur credentes, ut constat ex Actuum 8. & 16.

5 Per oppositum de Valentinianis refert Sanctus Iræneus lib. 1. cap. 18. quod tot ritus differentes apud eos erant, quot Antistites, ut notat Grauina tom. 1. lib. 4. Præscriptionum folio 618. lit. l. & folio 626. lit. c. ex S. Epiphano refert, quod inter Marcianos in rituum administratione mira dissensio est.

6 Nihilominus catholicam doctrinam post alia Concilia, vltimo explicuit Tridentinum sess. 7. de sacramentis in genere canone 13. ita dicens. *Siquis dixerit receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholice ritus, in solemnium sacramentorum administratione adhiberi cõsuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris prelibito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.* Et sess. 22. cap. 5. ex Sancto Augustino lib. 3. de libero arbitrio cap. 10. rationem assignat, dicens. *Cum natura hominum capiat, ut non facile queat sine admniculis exterioribus ad rerum diuinarum meditationem suscollere, propterea pia mater Ecclesiæ ritus quosdam, &c.*

De quo ibi canone 7. & S. Augustinus episcopus 118. & alij Patres, quos referunt Bellarminus lib. 2. de sacramentis cap. 29. & 31. Suarez disp. 15. sect. 2. & disp. 30. sect. 1. & Vazquez disp. 166. cap. 1. & Cabrera q. 66. art. 10. disp. 1. per totam.

7 Docet autem optime D. Thom. hoc articulo decimo, ritus pertinentes ad solemnitatem sacramenti, requiri ad bene esse ipsius: & adhiberi propter tria. Primo quidem ad excitandam deuotionem fidelium, & reuerentiam ad sacramentum. Si enim simpliciter fieret ablutio in aqua absque solemnitate, de facili ab aliquibus existimaretur quasi quædam communis ablutio. Et hæc est ratio S. Augustini in Concilio Tridentino approbata. Secundo, ad fidelium instructionem: simplices enim, qui litteris non erudiuntur, oportet erudire per aliqua sensibilia signa, puta per picturas, & aliqua huiusmodi. Et per hunc modum per ea, que in sacramentis aguntur, vel instruntur, vel sollicitantur ad querendum de his, quæ per huiusmodi sensibilia signa signantur. Et ideo quia præter principalem sacramenti effectum, oportet quædam alia scire circa Baptismum; conueniens fuit ut etiam quibusdam exterioribus signis repræsentaretur. Tertio, quia per orationes, & benedictiones, & alia huiusmodi, cohibetur vis Dæmonis ab impedimento sacramentalis effectus. Hæc ratio exponitur latius q. 71. art. 3. Omnia autem hæc adeo vera sunt, ut inquit Soto artic. 10. cont. 2. ut qui eiusmodi caeremonijs obganiunt, hæretici omnino sint. Et reuera Germani ab istis caeremonijs vituperandis, & explodendis exordium sumperunt: vnde subinde gradum facile fecerunt ad ipsa labefactanda, exterminandaque sacramenta.

8 Varios sacrarum caeremoniarum fructus enumerat Laurentius Beyerlinch in Festo Purific. B. Virginis tex. 1. & Teat. vit. hum. to. 2. verb. *Ceremonie*. 1. vbi ait. Quod licet in caeremonijs nulla constituatur perfectio; tamen ad eam velut manu ducant, eamque conferuent, dum animum excitat ad rerum diuinarum contemplationem, & deuotionem. Quod enim tal carnibus, cortex arboribus, gladio vagina, folia arboribus, seps hortis, id religioni sunt caeremonie: vnde absque his nullam religionem subsistere diu posse, asseruit B. Augus. lib. 19. contra Faustum cap. 11. Secundo, caeremonie rudibus, & imperitis seruiunt loco imaginis, & sunt velut vitæ picturæ. Tertio, sunt symbola militiæ Christianæ, quibus fecernimur ab alijs tee-

tis. Cuius rei typus fuit sanguis Agni illitus postibus Hebræorum: & funiculus coccineus suspensus in fenestra Raab meretricis. Quarto, excitant amorem erga Deum, & venerationem: dum mentem curis secularibus enervatam, sursum eleuant, & ad sancta sancta tractandum, velut manuducunt. Varia miracula pro sacris caeremonijs, & exempla diuina vindictæ in earum irrilores, retert ibi fol. 36. & 37.

9 Decem hæreticorum argumenta refert, & diluit Bellarminus lib. 2. de sacramentis in genere cap. 32. In primis caeremonias aliquas Christum, & Apostolos instituisse, quas sola traditione habemus, constat ex Apostolo 1. ad Cor. 11. *Cetera, cum venero, disponam*. Et ipse, qui non imperauit continentiam, sed contulit; tamen multa alia imperauit ut 2. ad Thesal. vlt. *Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur*.

10 Specialiter ad argumentum ex epistola ad Collosenses respondet epistolam illam ad Collosenses nihil habere contra Ecclesiasticas leges de caeremonijs. Nam ut ex Chrysostomo, Ambrosio, Theodoro, Theophylacto, & Oecumenio constat, scripta est contra Simonem Magum, & alios eius temporis hæreticos, & impostores, qui per suadebant hominibus per Angelos quosdam sufficere Christum; & præterea obtrudebant Christianis caeremonias, partim Iudaicas, partim Ethnicas. Hinc igitur in primo capite fuisse tractat de excellentia Christi; ac dicit eum esse caput omnium, & super omnia, & Angelos ab ipso, ut Auctore, pendere. Deinde in secundo capite monet, ne decipiantur per Philosophiam, videlicet Platonis, & similia, qua utebantur Simoniani, & Gnostici: & simul arguit eos, quod Sabbathæ, & Neomenias seruent, quæ Iudaicae sunt, & euacuata per Christum; & quod abstinerent à cibis quibusdam, ut immundis: & quod in religione Angelorum ambularent putantes per eos tantum ascendi posse ad Deum. Quæ omnia sunt falsa, & superstitiosa. Hæc ibi.

11 Specialiter verba capituli secundi ad Collosenses exponit D. Thomas ibi lec. 4. in fine intelligi de caeremonijs legalibus, quia mortifera sunt post passionem Christi, ponentibus spem in eis; sed post tempus gratiæ diuulgatæ, simpliciter omnibus sunt mortifera in ipso vsu: quia sunt præcepta ad tempus: vnde qui liberatur per Christum à seruitute

ante legis, nõ debet se iterum supponere seruituti, ut monet Apost. ad Gal. 5. Seruantur tamen aliqua, quæ & si non autoritate diuina; tamẽ humana ratione sunt vtilia. Quod non contingit in caeremonijs Iudaicis.

12 In speciali quod hæretici obijciunt contra caeremonias Baptismi, in ipsos retorquet Bellarminus libro 1. de Baptismo cap. 24. duo illis obijciens. Primo, quod ipsi etiã aliqua præscribant in administratione Baptismi, quæ in Sacris literis non inuenerunt. Dicunt enim Baptismum ministrandum die Dominico, in Ecclesia, & præsentia populi, & quod nomen est imponendum, & est recitandum symbolum, & ab renunciandum satanæ: &c. Et tamẽ in Sacra Scriptura referuntur Baptismi sine his caeremonijs ministrati: ut patet in Actibus Apostolorum. Vel igitur aduersarij rejiciant omnes omnino caeremonias, & solum baptizent aspergendo aquam, & recitando verba; aut certè querant alia argumenta, quibus oppugnent ritus ab Ecclesia approbatos. Secundo illis opponit, testimonium veteris Ecclesiæ. Omnes enim ritus, quibus nunc utimur, antiquissimi sunt, & vel ex Apostolorum traditione manarunt, vel à sanctissimis Patribus instituti sunt. Quorum autoritas, præsertim tot sæculis iam confirmata, plus apud nos valere debet, quàm Nouatorum clamores; cum ipsi nihil probare possint à nobis fieri contra Sacras Literas.

§. II.

De tempore, & loco Baptismi.

13 Recenset ibi cap. 25. duodecim caeremonias, quæ sunt ante baptismum (de quibus D. Thomas q. 71. & nos cum illo) & Ioannes Nicolai in Summa Raynerij titulo de Baptismo c. 18. per sex §§. & Vazquez disp. 166. cap. 3. vsque ad 6. & cap. 26. exponit quinque caeremonias, quæ baptismum comitantur: & demum cap. 27. explicat alias quinque, quæ baptismum sequuntur. Nobis vero, qui potius Theologiam Scholasticam, & Moralem scribimus pro instructione fidelium, & non ex professo Controversias cum hæreticis, sufficit aliquas, quas D. Thomas in solutionibus argumentorum articuli decimi tangit, aliquantulum declarare.

14 In solutione ad primum docet D. Thomas, quod sollemnis baptismus agitur in Ecclesia, & in Vigilia Paschæ, quando fit commemoratio dominicæ sepulturæ, & Resurrectionis eiusdem: & ab his est efficacia baptismi: iuxta illud ad Rom. 6. *Quicumque*

*baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus: & Dominus post Resurrectionem, præceptum de baptismo discipulis dedit, ut habetur Math. vlt. Agitur etiam, & in Vigilia Pentecostes quando incipit celebrari solemnitas Spiritus Sancti, a quo baptismus habet efficaciam: iuxta illud Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* Vnde & Apostoli leguntur ipso die Pentecostes, quo Spiritum Sanctum receperant, tria millia hominum baptizasse.*

15 Qui ritus plurimis canonibus sanctus extat, de Consecratione dist. 3. & 4. Nèpè ex Concilio Gerundensi cap. 4. cap. *De catechumenis*. Ex S. Leone Papa episcopo 4. cap. 6. & ex Gelasio ad Episcopos Lucanæ cap. 12. relato e. 10. *Baptizandi*. Et Gelatio ad Clerum, & plebem Tarentinam, vel Gregorio Papa Secundo ad Clerum, & plebem Turingiæ, ex quo Vazquez cap. *Venerabilis*. Concilium itè Vuormatiense c. 1. & Meldense c. 48. & Parisiense secundum lib. 1. cap. 13. & S. Greg. lib. 7. episcopi Indict. 1. episcopi 24. Faustino Defensori. Quorum omnium verba habentur in Summa Raynerij cum additionibus Ioan. Nicolai ver. Baptismus cap. 8. §. 2. Qui & §. 3. refert verba S. Leonis prædicta episcopi c. 3. & 4. & 6. & S. Augustini ser. 163. de tempore, seu serm. 7. de Dominica in Octauis Paschæ. S. Basil. de exort. ad Baptismum, & Tertul. de Baptismo cap. 19. & Victoris Papæ episcopi 1. ad Theoph. Alex. & Siriaci Papæ episcopi 1. c. 2. & S. Leonis episcopi ad Episc. per Siciliam constitutos cap. 1. & 5. & 6. & episcopi 80. alias 78. ad Episcopos Campaniæ, Samnij, & Piceni.

16 Et §. 6. addit non modo tempus Paschæ, vel Pentecostes ad Baptismi celebrationem olim ad Ecclesia determinatum esse; sed etiam diem Sabbathi potius, quam alium, & vespertinum tempus potius quam aliud. Quod constat ex sancto Chrysostomo ad Innocentium Papam, & hom. 40. in 1. Corinth. & S. August. hom. 42. de orat. Dominica S. Gregor. lib. 4. Dial. cap. 32. & lib. 7. Indict. 2. episcopi 5. ad Ianuariū. Et ex Papa Deo dedit ad Godianum Episcopum. Vnde & Alcuinus (qui & Albinus Flaccus) lib. de diuinis officiis. c. 19. Sabbathi sancti caeremonias explicans, inter alia sic ait. *Hodie hora nona Baptismus celebratur, ea de causa, quia Angelus Domini venit ad Cornelium hora nona, annuntians ei, quod orationes eius, ac elemosinae ascenderint in conspectu Domini: Qui mox missit ad Petrum, & promissum est, ut quia hora nona Author vitæ emisit spiritum, eadem hora nona Ecclesia Sancta Spiritum percipiat Baptismum.*

Et sic in benedictione cerei, & in collecta Missæ, & in præfatione, & in oblatione de hoc fit mentio, illis verbis: *Da ut renatis fonte Baptismatis: & illis: Quam tibi offerimus, pro his quoque quos regenerare dignatus es, &c.* Atque idem de Pêrecoste proportione quâdam dici debet, quod in eius vespera præcedente, siue Vigilia festi Baptismus olim fuerit conferendus.

17 Nunc tamen vsus ille desijt obseruari: præsertim, quia pauci adulti baptizantur, & pueri propter infirmitatem vt plurimâ, vel periculum, quod in omnibus timeri potest, vix tēpus illud vtriusque Sabbarhi possunt expectare, vel hora nona cōmode baptizari. Addit Soto ad primum in fine. Consilium tamen esset, vt in Idulis, vbi denno noua plantatur Ecclesia, mos ille pius, quoad fieri posset obseruaretur.

18 Addit Suarez disp. 30. sec. 2. & Vazquez disp. 130. cap. 3. in fine. Quod ob antiquitatis reuerentiam, & memoriam, adhuc Romæ hulus consuetudinis vestigia seruari videmus: nam licet alijs etiam temporibus anni Baptisma celebrari consueuerint; tamen illis duabus festiuitatibus speciali, vt patet, solemnitate fiunt. Ratio autem ob quam hic mos mutatus est, sumi potest ex Ruperto Abbate lib. 4. de diuin. officijs cap. 18. dicente: *Postquam Christianitas creuit, & sageat illa verbi Dei piscibus impleta est; quia periculum erat tantam multitudinem differri, propter occasiones mortis; quæ in multitudine hominum multe sunt: maxime propter turbam infantium ex fidelibus parentibus nascentium; quorum tenebra vita per septem leui occasione succiditur, visum est Sanctæ Ecclesiæ passim indulgentia baptizandi concessa, cuncta ante venire pericula.*

19 Quantum attinet ad locum, iure diuino nullus pro Baptismo excipitur: ideoque olim in fluuijs, fontibus, & priuatis domibus, & alijs locis ministrabatur, vt constat ex Actis Apostolorum cap. 8. & 10. & 16. ac præsertim cap. 2. Vt tamen, & lege Ecclesiastica statuta sunt certa loca, extra quæ non est licitum Baptisma solemniter ministrare. Istaque Baptisteria dicebantur, qualia nunc in Italia extant separata ab ipsi Ecclesijs: de quibus fit mentio in Concilio Antisiodorensi, sub Papa Deusdedit, cap. 14. & Sanctus Cyrillus Hierosol. catech. 1. Mistagogica ait. *Primum ingressi estis in porticum domus Baptisterij. Sanctus Paulinus Epistola 12. ad Seuerum, parum ab initio ait. In vero etiam Baptisterium Basilicæ duabus inter positum condidisti.* De quo, etiam Sanctus Gregorius Nazianzenus oratione 40. Modo vero in singulis

Parochijs, & in certo ipsarum Ecclesiarum loco pro Baptismo vas lapideum consecratum est: quod fontem Baptismi appellant. Et S. Dionysius cap. 2. de Ecclesiastica Hier. p. 2. vocat matrem adoptionis: de Catechumeno enim ait: *Ad matrem adoptionis venit.* Et apud Gratianum de Consecrat. dist. 4. cap. 106. ex Concilio Illerdeni, seu Meldensi in cap. *Omnes Presbyter, dicitur. Omnes Presbyter, qui fontem lapideum habere nequieuerit, vas conueniens ad hoc solummodo baptizandi officium habeat, quod extra Ecclesiam non deportetur.*

20 Ex quibus sequitur, quod ex præcepto Ecclesiæ non licet extra Ecclesiam Baptisma solemniter ministrare. Quod statutum fuit in Sexta Synodo canone 59. Trullano illis verbis: *In ade oratoria, quæ est intra domum, Baptismus nequaquam peragatur; sed qui ab omnibus sordibus aliena illuminatione digni habentur, ad Catholicas Ecclesias accedant, & hoc illic munere perfruantur. Et Clemens Quintus in Concilio Vienensi, vt refertur in Clementina vnica de Baptismo, & eius effectibus lib. 3. Clementinarum tit. 15. ita statuit. Presenti prohibemus edicto; ne quis de cetero in huius, vel cameris, aut alijs priuatis domibus, sed dumtaxat in Ecclesijs; in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati; aliquos (Nisi Regum, vel Principum, quibus valeat in hoc deferri, liberi extiterint; Aut talis necessitas emerferit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo, propter hoc accessus haberi) audeat baptizare. Qui autem scus presumpserit, aut suam in hoc presentiam excubuerit, taliter per Episcopum suum castigetur, quod alij attentare similia non presumant. Hæc ibi.*

21 Sed inquirunt Doctores quid nomine Principum ibi intelligatur? Per duo extrema aliqui opinati sunt: nam Antonius Quintana Duēnas trac. 1. Singul. 21. n. 3. ita ample verbum accipit, vt scribat. Et non ita strictè sumendum nomen Principis, nonnulli iudicabunt, cum priuilegium Principis late interpretandum sit. Sed filij Ducum: seu *los hijos de los Duques, y grandes de España, & de otros grandes potentados de otros Reynos; seu v: loquitur Granado trac. 4. disp. 4. Potentatus nobiles, possent vt hoc priuilegio. Præsertim si ad sit dispensatio, seu potius interpretatio, aut Epichæia iuris communis ab Episcopo facta; cum illud ob eximiam nobilitatem, & domus splendorem Principibus concedatur, vt innuit Glossa hic. Et vocabularia vtriusque iuris, Principum nomine, quæ libet secularem dominum, vt 33. q. 5. & Prælatum Ecclesiæ, vt dist. 35. cap. Ecclesia, comprehendere doceant.*

Vade

Vade omnes filios ac Nèpotes Ducum, Marchionum, Comitum, & de otros Señores de Titulo, con dominio superior, y vassallos: vel eorum, qui ratione muneris principatum, seu præ excellentem honorem, aut prærogatiuam potiuntur, vt Vice Reges, Oratores Regum, vel Pontificum; vulgo, *los Embaxadores*: Necnon supremi Præsidentes Senatus Regij Castellæ, & forsitan aliorum, vt Ordinum, Indiarum, Belli, & Iustitiæ; dum hoc honore, ac familiæ splendore fruantur; ac his similes sub hoc nomine non improbabiler contineri, aliqui fortè existimabunt. Hæc ille.

22 Per oppositum Principum nomine non venire Ducem Mediolani statuit Fulgof. conf. 20. Nec Ducem Urbini, ait Socinus libro 1. conf. 138. Nec Ducem Ferraræ, dicit Alexader lib. 2. conf. 1. n. 12. Nec Ducem Matuæ, aut Camerini opinatur Cardinalis Thusez, verbo Princeps to. 6. conc. 665.

23 Melius tamen Glossa cōmuniter recepta, Nuño q. 71. art. 4. dub. vnico conc. 1. & Vazquez disp. 166. cap. 2. n. 8. per Principes intelligit supremos dumtaxat, hoc est, qui potestatem Regum supremam in Republica habent, nec sub alicuius Regis, aut Principis superioris iurisdictione constituti sunt. Nec hac voce ibi comprehendendi Duces, Marchiones, & Comites sub Regibus constitutos, notat Suarez disp. 30. lect. 2. & communiter Doctores. Et contextus exposcit: quia pares Regibus Principes in hoc facit. Quare in Rituali Pauli Quinti nouissimo non solum exigitur quod sint filij Principum lato accepto vocabulo, sed potius restringitur ad filios magnorum Principum: ait namque. *Nisi forte sint Regum, aut magnorum Principum filij; id ipsi ita de poscentibus.* Et vsus ipse confirmat.

24 Aduertunt autem Suarez, & Vazq. & alij communiter, quod si Princeps vti velit hoc priuilegio, non proinde omittere potest ceteras ceremonias, quæ ex consuetudine Ecclesiastica in Baptismo solent adhiberi; cum ad hoc nulla ipsi facultas concedatur, & concedere non expediret.

25 Nec opinioni Quintana Duēnas fauet Granado, quia disp. 4. nihil de hoc puncto. Tractatu autem sexto ita ait. Excipiuntur tamen ab hac obligatione, in Clementina vnica de Baptismo, filij Regum, vel Principum, quo nomine non intelliguntur Marchiones, aut Duces, vt bene Suarez, & Glossa, ac alij Recentiores; sed potentatus nobiles, qui Regibus equiparentur. Hæc ibi. Constat autem recentiora Quintana, Regibus non æquiparari.

Rursus ipsa eius positio videtur in terminis implicans: nam si nomine Principum in verbis Papæ, & Concilij, insertis in iure communi, illi omnes intelliguntur; non oportet dispensatione Episcopi; cum id Papa concedat. Si autem negat (vt negate communiter intelligunt Doctores) non habet locum dispensatio Episcopi; neque Epichæia, cum Episcopi non valeant dispensare in legibus Papæ: & Concilium Tridentinum relatum n. 6. prohibeat mutationem rituum Ecclesiæ: & casus iste frequentissimus est; nec a legibus, aut Doctoribus omittitur; & ideo in illo non habet locum Epichæia. Nec contextus, nec Doctores, nec vltus admittunt tantam latitudinem vocis Principum, quidquid sit de vsu illius vocis in alijs materijs.

§. III. De solemnitatibus repētendis.

26 Casu quo imminente mortis periculo quis domi baptizatur, sub peccato mortali tenentur illi, qui baptizandi curam gerunt, deferre postmodum in Ecclesiam, vt adhibeatur catechismi, & exorcismi, qui defuerant: vnde in cap. Spiritus Sanctus. 1. q. 1. in casu pueri ab alio puero Anastasio baptizati, statuit Episcopus Alexandrinus, iterari Baptisma non debere; sed adimpleri ea, quæ Sacerdotibus mos est. Et S. Th. 3. p. q. 71. art. 3. ad 3. ait. *Non tamen sunt huiusmodi prætermittenda; nisi in necessitatis articulo; Et tunc cessante periculo, debent suppleri, vt seruetur vniuersitas in Baptismo. Nec frustra supplentur post Baptisma; quia sicut impeditur effectus Baptismi antequam percipiatur; ita potest impedi periculum postquam fuerit perfectus.* Et ita tenent cōmuniter Doctores. Ideoque Layman to. 2. lib. 5. tract. 2. c. 8. nu. 10. & Didacus Antonius Frances Vritigolri in foro conscientie in 2. p. q. 8. n. 9. merito reprehendunt Paulum Comitollij lib. 1. resp. conf. mor. q. 12. dicentem, sacrilegium fore, & maximam sacramenti iniuriam, si Parochus puero priuatim baptizato, postea exorcismos ad Dæmonem profligandum adhibeat. Hoc enim est contra textum relatum; & contra D. Th. & omnes Theologos: & contra praxim, & ritum Ecclesiæ, vt seruetur vniuersitas in Baptismo, & orationes nomine Ecclesiæ, vel vnum, vel alium effectum habeant, solemnitates consuetas semper adhibentis.

Vnde Auerfa quæst. 71. sect. 1. ait. Sed ex Rituali, & vsu constat, adhibendum etiam esse Exorcismum; paucis tamen verbis aptè mutatis. Tum quia quodammodo refertur ad tempus præteritum. Tum quia præcipue;

Hh 3

cipue; licet expulsus sit Dæmon quatum ad originalem culpam: ramen quia nunquam desinit hominibus insidiari, iuvat magis eum expellere, & arcere.

Henriquez lib. 3. de Cōfirmatione cap. 2. numero. 1. in fine in simili casu Confirmationis inuaidæ, ait. Ritus tamen, qui ad solemnitatem pertinent, non essent tunc iterandi. Et in Glossa lit. n. loquendo de Baptismo ait. Vt quādo Baptismus publicæ datus non fuit verus, sed præsumptus, & iteratur; non sunt iterandi ritus iam facti. Idem docet Bonacina tom. 1. disp. 2. punct. 7. numero 22. & probat a simili de benedictionibus adhibitis in matrimonio inualido, quæ non repetuntur. Idem tenent Vivaldus, & Moure 3. p. examinis cap. 2. §. 8. n. 1. Quintana Dueñas tract. 1. singulari 18. n. 3. & Trullench lib. 2. praxis sacramentorum cap. 1. dub. 9. n. 4. p. obabile dicit. Et Auerta q. 71. sect. 1. in fine censet non debere repeti, nisi forte vsusaliter cogat.

28. Caterum S. Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 13. §. 12. ait. Si constat aliquid de substantialibus defuisse, tunc omnia substantialia, quæ simul oportet concurrere, sunt iteranda, quæ iam fuerant adhibita; & etiam alia, quæ sunt de solemnitate, secundum Theologos. Quod & docuit Paludanus in 4. dist. 6. q. 4. & Soto in 4. dist. 3. q. unica art. 9. §. Cautissimè. Bartholomæus ab Angelis de sacramentis Dial. 2. §. 69. Imò idem Henric. lib. 2. de Baptismo cap. 15. nu. 4. in Glossa lit. i. & lib. 1. de sacramentis in genere cap. 11. n. 4. Reginaldus lib. 28. n. 3. quia destructo subiecto, destruitur accidens eius.

29. Has tamen duas sententias (inquit M. Serra 3. p. q. 66. ar. 10.) in concordiam reuocari posse existimo: & primam, quam Iuristas tenere refert S. Antonin. vbi supra, veram esse, quādo Baptismus non est solemniter, & publicè reiterandus, sed solum in secreto, quia defectus illius substantialis nō est publicus. Secundam vero, quādo Baptismus in Ecclesia publicè, & solemniter reiterandus est, quia defectus substantialis est publicus: nam generaliter ait Concilium Tridentinum vbi supra, in solemnī administratione sacramentorum nō posse omitti ritus receptos, & approbatos Ecclesiæ, & adhiberi consuetos. Quod & tenet Frances Vrittigolsti par. 2. q. 8. n. 9.

30. In repetitione autem Baptismi, vel absoluta, quādo certum est fuisse nullum, vel conditio iata, quādo est dubium, scandalum temper vitandum est, quod fieri potest. Quare, si occasio reperendi Baptismum

non sit publica, sed secreta, Baptismus in Ecclesia foribus clausis ministrandus est, præsertim tantum patri, & parentibus, vel tutoribus baptizati, quibusque declaranda est à ministro causa repetitionis. & Baptismus sub expressa conditione concedendus. Sic relato Zabrano de sacram. cap. 1. dub. 4. & Ioanne Chapeauilla, de modo adminit. sacr. tempore peltis cap. 1. q. 1. tradunt Layman lib. 5. trac. 2. c. 5. in fine, & Caltus Palauus tract. 15. punc. 13. n. 12.

§. IV.

De vntionibus, & veste candida.

31. **I**n solutione ad secundum exponit D. Tho. aliam solemnem Baptismi ceremoniam, quæ consistit in duplici vntione: vna ante Baptismum, quæ fit simplici oleo benedicto in pectore, & inter scapulas: secunda post chrisma in vertice capitis. Quam quidem vntionem capitalis verticis S. Syluester Papa instituit, vt notat Hugo lib. 2. de Sacramentis parte 7. cap. 3. Oleum primæ vntionis dicitur oleum cathecumenorum: nam ante Baptismum non sunt nisi catechumeni. Chrisma autem, vt ait Innocentius de sacra vntione, cap. vnico, non conuenit nisi Christiano iam baptizato: Christus namque à chrisma dicitur, & à Christo Christianus.

32. De his Sanctus Thomas in 4. dist. 6. quæst. 2. artic. 1. quæst. 3. ad 4. ait, quod circa Baptismum est triplex vntio. Vna ante baptismum, quæ fit oleo Sancto, quod dicitur ad catechumenos: & hoc secundum Dionisiū de Ecclesiast. hierarch. cap. 2. parte 3. & Ambrosiū libro 2. de Sacramentis cap. 2. fit in signum pugne contra inimicum, sicut athletæ inunguntur. Vel secundum Rabanum, vt habetur de Consecratione dist. 4. cap. Deinde. Vt nullæ reliquæ latentis inimici resideant, quia quod emollitum est, facilius abluī ab intrinsecis sordibus potest. Secunda fit post baptismum chrisma in vertice: vt licet per abluionem aquæ significatur emundatio à peccatis; ita per chrisma linctionem in vertice significetur gratia collata in mente ad bene operandum, vt odor boni exempli ad alios diffundatur. Tertia fit in Confirmatione, de qua post dicitur. Hæc Sanctus Thomas. Qui & hic ad 2. affert verba Sancti Ambrosij lib. 3. de Sacramentis cap. 1. dicentis. Vnguentum super caput effunditur, quia sēsustapiensis in capite eius: vt scilicet sit paratus omni periculi ac fide redere rationem.

Notat

33. Notat autem Soto in 4. dist. 3. q. vni ca art. 10. ad 2. quod nullo pacto Presbyteris permittitur in fronte baptizatos chrisma: sed sicubi, vt audisse me memini, post crucem verticis, alteram adhibeant in fronte, manifestarius abusus est, contra canonem Presbyteri, de Consecr. dist. 4. qui est Gregorij. Nam licet in primitiua Ecclesia, præcipue dum celebrabatur solemniter Baptismus, vt est videre apud S. Dionys. de Eccles. hier. cōfestim Episcopus baptizatos confirmabat: & S. Gregorius, vt ipse scribit Ianuario, quod refertur cap. Peruenit, dist. 95. ad tempus concesserit Presbyteris vt confirmarent. Iam vero nulla tenus eis chrisma in fronte permittitur, vt docet Rabanus, de Institut. clericorum cap. 30. Quare nec D. Thomas hoc loco, nec vilius Doctorum refert chrisma in fronte à Presbytero fieri nisi in vertice capitis.

34. De his multa Ioannes Nicolaus in Summam Raynerij tit. de Baptismo cap. 18. vbi §. 6. notat differētiam inter hanc vntionem, & illam quæ fit in Confirmatione, statim quæ post Baptismum fieri olim solebat, præter baptismalem, quod hæc vntio baptismalis in summitate capitis fiat, quasi ad ostendendam sanctificationem interiorem; vntio vero Confirmationis fit in fronte ad ostendendam sanctificationem exteriorem sanctitatis absque vilo pudore, cuius Index, & nota est frons. Affert latè verba Rabani lib. 1. de Institut. clericorum cap. 29. & 30. & in Gemma animæ lib. 3. cap. 14. additur per Presbyteri vntionem animas Christo desponsari; per Episcopi Confirmationem regno Christi dotari.

35. Notat etiam Cabrera n. 5. quod primæ vntionis meminit S. Clemens lib. 3. Recog. & S. Chris. hom. 6. in cap. 2. epist. ad Col. & quod S. Iust. q. 106. quærit cur Christiani bis inungantur, semel ante Baptismum, & iterum post Baptismum. Vtriusque mentionem facit S. Ambrosius: prioris lib. 1. de Sacram. cap. 2. posterioris autem lib. 2. cap. 7. & S. Cyrilus primæ meminit Catech. 2. & posterioris Catech. 3. & S. Aug. ser. 206. de tempore. Et vt notat Bellarminus lib. 1. de Baptismo cap. 27. secundæ vntionis meminit S. Damasus in vita S. Syluestri. Innocentius. 1. epist. 1. cap. 3. S. Amb. lib. 3. de Sacramentis cap. 1. S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos.

36. De veste candida loquitur D. Thomas ad 3. dicens, quod vestis illa candida traditur baptizato, non quidem ea ratione, quod nō liceat ei alijs vestibus vti: sed in signum gloriose resurrectionis, ad quam homines per Baptismum regenerantur. Et ad sig-

nificandam puritatem vitæ, quam debent post Baptismum obseruare: secundum illud ad Rom. 6. In nouitate vitæ ambulemus.

37. Addunt Hugo lib. 1. de sacramentis cap. 19. & Rabanus lib. 1. de Institut. Clericorum cap. 28. & 29. & Alcuinus de Sabatho S. Paschæ. Sacro Chrismate caput perungitur, & mystico tegitur velamine, vt intelligat se diademata regni, & Sacerdotij dignitatem portare, iuxta Apostolum: vos estis genus electum, regale, sacerdotale, offerentes vos met ipsos Deo viuam hostiam sanctam, & Deo placentem, &c. Videatur Ioannes Nicolaus in Summam Raynerij de Baptismo cap. 18. §. 6. Huius autem ceremoniæ etiā meminerunt S. Dyoni. de Eccles. hier. cap. 2. S. Amb. de Ijs, qui misterijs initiatur cap. 7. S. Aug. ser. 157. de tempore, seu primo in octaua Paschæ.

38. Alia Ceremonia est cereus accensus, cuius meminerunt S. Greg. Naz. Orat. in dñm etum lauacrum. Et S. Aug. in illud Psal. 65. Transiuimus per ignem, & aquam. Et S. Thomas in 4. dist. 6. q. 2. art. 1. q. 3. ad 5. ait, quod per vestem candidam significatur nouitas vitæ, & puritas; per chrisma odor bonæ fidei: per candelam accensam veritas doctrinæ. De alijs dicitur q. 71.

39. Aduertendū autē quod Quintana Dueñas to. 1. trac. 1. singulari 22. n. 2. docet quod Sacerdos solemniter baptizans cum aqua nō benedicta, non peccat mortaliter. Quia nullum extat præceptum nec diuinum nec humanum de baptismalis aquæ benedictione præmittenda. Secundo, quia etsi in Rituali hoc præscribatur, hæc omisso est materia leuis. Docet autem Granados trac. 2. disp. 1. n. 5. quod si vna vel altera cæremonia prætermittatur, culpa esset leuis.

40. Caterum opposita sententia, quod est peccatum mortale solemniter baptizare in aqua non benedicta, est communis, & certa sententia. Quod probat Nuño q. 71. art. 4. conc. 2. ex vniuersali Ecclesiæ consuetudine à temporibus Apostolorū, vt docet D. Dionys. cap. 2. de Eccles. hier. S. Basil. lib. 1. de Spir. S. cap. 27. dicens esse Apostolicam traditionem. S. Cyprianus epist. 70. S. Amb. lib. 1. de Sacram. cap. 3. S. Aug. tract. 118. in Ioan. & lib. 6. contra Iulij, cap. 8. Idem docet Suarez, Bonacina, Palauus, Prepositus, Hurta, & Mercerus, quos refert, & sequitur Diana parte 9. trac. 6. miscelaneo resol. 33. multis probans esse materiam grauem. Nec tanta solemnitate, nec trina infusione sacri Chrismatis consecraretur, si leuis ab Ecclesia iudicaretur.

¶

DVBIUM XI.

De distinctione trium Baptismatum, & eorum comparatione.

1 Sanctus Iohannes Damascenus lib. 4. fidei Orthodoxæ cap. 10. nouem genera Baptismatum distinguit: cuius diuisionis sufficiens rationem assignant Alexander Aletensis 4. par. Summæ quæst. 8. memb. 9. art. 1. & 3. & nouissimè M. Iohannes Nicolai additionibus ad Raynerium titulo de Baptismo cap. 9. §. 1. & 2. Sed quia ut notat D. Tho. in 4. dist. 4. q. 3. art. 3. q. 1. & hic art. 11. ad 3. S. Damasc. numerat quædam Baptismata figurata: sicut diluuium; quod fuit signum nostri Baptismi: iuxta Apostolum Petrum 1. epist. c. 3. Et transitum maris rubri: de quo Apoll. 1. ad Cor. 10. & diuersas ablutiones veteris legis: Potest etiam Baptismum Iohannis, qui fuit præparatorius ad nostrum Baptisma.

§. I.

Distinguuntur tria Baptismata, cum Sacramentum sit vnum.

2 Deo D. Th. hac omnia diuisione, ex professo explanat aliam, quæ est apud Magistru in 4. dist. 4. & traditur ab Origine trac. 8. in Ioan. ad illa verba: Ego baptizo in aqua: qui & ad hunc sensum refert, quod habetur 1. Ioan. 6. ver. 8. *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis.* Habet quæ Glossa ad Hebr. 6. ad illa verba: *Baptismatum doctrinæ,* notans, quod pluraliter Baptismata dicuntur, quia est Baptismus in aqua, in poenitentia, & in sanguine. Rationeque assignat: quia mundatur homo à peccatis per poenitentiam, vel per sanguinis effusionem, sicut per lauacrum Baptismi. Et infra. *Resuscitantur homines diuersis modis; alij per poenitentiam; alij per effusionem sanguinis; alij per Baptismum; ideoque pluraliter dicitur Baptismatum.* Ex quo constat ponere tria genera Baptismatum; nempe, fluminis, qui fit in aqua; flaminis, seu contritionis, qui fit in poenitentia; sanguinis, qui fit in Martyrio, seu in morte pro Christo suscepta. Quæ diuisionem tradit à Sanctis Patribus, probat Soto in 4. dist. 3. q. unica art. 11. ex S. Aug. de fide ad Petru cap. 26. & lib. 13. de Ciui. Dei cap. 7. S. Hieron. ad Ephes. 4. ad illa verba: *Vnum Baptisma.* S. Greg. Nazianz. orat. 2. de Epiph. S. Cirillo lib. 2. super Leuit. S. Bernardo latè epist. 60. atque Hugo lib. 2. de Sacrament. p. 6. c. 7. & egregie Valdens. to. 2. de Sacram. c. 96. & 97.

3 Probat D. Tho. quia, prout nunc intè-

dimus, illa dicuntur Baptismata, vel quæ dantur Baptismi effectum, vel quæ suppleant Baptismi aquæ effectum. Quod ultra ipsum sacramentum fit per alia duo: quia potest quis iustificari, & emundari a peccato originali ex passione Christi, in quantum quis ei conformatur pro Christo patiendo. Unde dicitur Apocal. 7. *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione: & laverunt stolas suas, & decibauerunt eas in sanguine Agni.* Potest etiam quis abluì à peccatis, & iustificari in quantum per Spiritum Sanctum mouerit ad credendum, & diligendum Deum, & poenitendum de peccatis. Et de hoc dicitur Elia 4. *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Hierusalem lauerit de medio eius, in spiritu iudicij, & spiritu ardoris.* Sic igitur ista dicuntur Baptismata in quantum vicem martyrii suppleant, ut docet S. August. lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 22. & refertur de confec. dist. 4. cap. 33. De isto Baptismo fit mentio Actorum. 1. *Baptizabimur spiritu sancto, & igni,* ut notat D. Thomas in 4. dist. 4. Huc que pertinet illud Marci 10. *Potestis Baptizari, quò ego baptizor, baptizari?* Et Lucæ 12. *Baptisma habeo baptizari, & quomodo conuor usque dum perficiatur?* Quæ duo testimonia norat ad intentum S. Damascenus. Ergo cum sint duo, quæ vicem Baptismi suppleant, & ipsum sacramentum det effectum ipsum Baptismi, iam erunt tria Baptismata.

4 Sunt autem plurimæ differentie inter hæc tria Baptismata. Prima est, quam assignat D. Thomas ad 2. quod Baptismus aquæ est sacramentum, quia est signum à Deo institutum ad significandam, & conferendam gratiam. Alia vero conueniunt cum Baptismo aquæ, non quidem quantum ad rationem signi; sed quantum ad effectum Baptismatis: & ideo non sunt sacramenta. Siquidem neque Martyrium est institutum ut sit signum gratiæ. quam efficit: neque poenitentia, que dicitur Baptismus flaminis, accipitur ut est sacramentum absolutionis sacerdotalis: sed ut est virtus, & motus animi peccatorum remissiuus. Ex qua differentia Soto elicit alia: nam reliqua Baptismata minime characterem imprimunt; sed solum Baptismus aquæ, quem ideo iterari nefas est. Baptismus autem flaminis nihil obstat quo minus sæpè, & sæpius iteretur. Unde D. Thomas in 4. dist. 4. q. 3. art. 3. q. 3. ait. *Baptismus sanguinis passioni Christi conformatur realiter; non sacramentali representatione: & ideo in his, quæ sacramentalia sunt, Baptismus sanguinis non supplet vicem Baptismi aquæ, sicut est impressio characteris, & huiusmodi.* Quod & docet quæstiuncula 4.

Altera

5 Altera differentia assignatur à D. Th. ad 1. nam alia duo Baptismata includuntur in Baptismo aquæ: qui efficaciam habet, & ex passione Christi, & ex Spiritu Sancto. Et ideo per hoc non tollitur unitas Baptismatis. Et verificatur illud ad Ephes. 4. ver. 5. *Vna fides, vnum Baptisma.* Vnicus est ergo Baptismus simpliciter, in quo virtute reliqua continentur. Desiderium namque Baptismi, ubi non est aquæ copia, quod est Baptismus flaminis, ob id sufficit ad salutem, quod voluntas Baptismi pro eius facto reputatur. Et pariter Martyrium, ubi facultas sacre unde non suppetit. Ideoque S. August. lib. 4. contra Donatist. cap. 22. docet, quod nec Baptismus sanguinis, vel flaminis sufficit, nisi quando Baptismus aquæ articulus necessitatis, non contemptus religionis excludit. Et verbis relatis à D. Thoma in fine corporis. *Si forte ad celebrandum mysterium Baptismi in angustijs temporum succurri non potest.*

6 Deducit ex prædictis aliam differentiam M. Soto, quod solus Baptismus aquæ est in præcepto Euangelij, ut quod necessarium ad delendum originale: *Nisi quis renatus, &c.* Martyrium autem non est simpliciter in præcepto, nisi tantum in casu necessitatis ad defendendam fidem: nam tunc solum voluntas Baptismi est in præcepto, quæ do Baptismus est suscipiendus. Subnectit huic aliam differentiam maximè notandam: nempe quod reliqua duo Baptismata nullatenus obligationem Baptismi aquæ tollunt ubi cū que copia eius haberi potest: sed tunc illa Baptismata valent ad salutem, quando aqua non inuenitur. Si enim Martyr baptizari renueret, dum posset, non haberet rectam fidem, neque illi prodesset martyrium. Neque Baptismus flaminis illi sufficeret, qui Baptismum respiceret. Quod ex D. Augustino libro 4. de Baptismo cap. 25. sumpsit Magister, & alij Doctores: ait namque: *Conuersio cordis potest quidem in se non percepto Baptismo; sed contempto Baptismo non potest; nec villo modo dicenda est conuersio cordis ad Deum, cum Dei sacramentum contemnitur.* Et cap. 21. ut refertur cap. *Baptismi vicem.* De Conf. dist. 4. *Tunc impletur inuisibiliter confessio fidei: cum in operum Baptismo, non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.* Ideoque non est simpliciter, & absolute concedendum, ut notat D. T. in 4. Sent. artic. 3. quæst. 2. alia Baptismata sufficere ad salutem, & ad remissionem originalem: quia tantum sufficiunt secundum quid, & in casu, & ex voto Baptismi, qui in re haberi nequit.

De his differentiis inter hæc Baptismata

late in Summa Raynerij, & Nicolai titulo de Baptismo toto cap. 10. ubi circa verba S. Augustini ex libro 4. de Baptismo cap. 22. quæ assert S. I. homas isto art. 11. notat cū Mag. in 4. dist. 4. S. Augustinū retraxisse quiddam exemplum (de latrone allatum) sed non sententiam (inde illatam) nempe ait libro 2. Retractationum capite 18. *Cum dicerens, vicem Baptismi posse habere passionem: non satis idoneum possit illius latronis exemplum, quia vtrum non fuerit baptizatus incertum est.* Et S. Thomas in expositione textus lib. 4. Sententiarum dist. 4. in fine ait, *Dicendum, quod habuit aliquid de martyrio, scilicet, poenam, & iustam voluntatem. & aliquid defuit ad Martyrium, scilicet, causam, sicut in ianuariis defuit iustitia voluntas; sed fuit poena, & causa.*

7 Sed obieciens primo: nam Baptismus concluditur contra alia sacramenta nouæ legis: sed non assignantur alia, quæ suppleant vicem aliorum sacramentorum: ergo nec debent assignari Baptismata, quæ suppleant vicem sacramenti Baptismi.

Respondetur cum D. Thoma in 4. dist. 4. q. 3. art. 3. q. 1. ad 2. quod alia sacramenta non sunt tantæ necessitatis sicut Baptismus; & ideo non oportuit quod haberent aliqua supplementia, cum articulus necessitatis sacramentum excludit.

8 Secundo: Baptismi vicem supplere, vel est gratiam conferre, vel augere, vel peccata remittere: sed hoc multis aliis conuenire, probat S. Cyrillus lib. 2. in Leuit. cum: nã omnia charitatis officia, tam interna, quam externa hoc habent. Et specialiter elemosyna: de qua dicitur Lucæ 11. *Data elemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Et dimittentibus fratribus debita, promissa est peccatorum remissio: iuxta illud: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus, &c.*

9 Respondet bene Soto art. 11. §. Respondetur, hanc Theologiam inde duxisse ortu, quod Baptismus in Euangelio ad remissionem originalem culpæ necessarius instituitur Ioan. 3. & Marci ultimo. Hinc ergo Hæretici colligebant, præter Baptismum aquæ in re, nemini patere originalem remissionem: atque adeo nec salutem. Sancti ergo Euangeliorum interpretes, ne negare contra Euangelium videretur vnicum esse Baptismum necessarium, prudenter docuerunt illas actiones, quæ per se sine Baptismo ad remissionem originalem sufficere possunt, illius Sacramenti vicem supplere, ac perinde appellari Baptismata. Quod competit omni actu, qui originalem peccati est remissiuus: atque adeo, qui Baptismi votum formaliter, aut virtua-

virtualiter includit. Quia Deus neminem ad impossibile obligat: & ideo ubi ignoratur, vel est impossibilis ablutio in aqua, in eius desiderio est salus: nam qui dixit: *Nisi quis renatus: pariter dixit Ezeq. 18. Simpius egerit poenitentiam, vita muer: & similiter dixit Ioã. 13. Maiorem charitatem nemo habet, quam ut ponat animam suam pro amicis suis.* Alia vero opera hoc votum non includunt, neque hanc vim habent. Quo circa S. Cyrillus, elemosy nam, & alias actiones misericordiae, quibus peccata dicuntur remitti, non vocat Baptismata, sed remissiones peccatorum. Tamen si extenso nomine, non modo tales contritiones, verum omnes charitatis motus dicuntur Baptismata. Vnde D. Thomas in 4. sent. dist. 4. q. 3. art. 3. q. 3. ad 3. ait, quod in alijs supererogationis, vel perfectionis operibus, vel statibus non est ita expressa conformitas ad passionem Christi, sicut in Baptismo sanguinis, neque etiam in Baptismo Poenitentiae: ideo non oportet quod in eis omnis poena dimittatur.

§. II.

Baptismus sanguinis est excellentissimus.

10 Sed restat comparatio istorum Baptismatum, quam disputat D. Thom. art. 1. 2. Vtrum Baptismus sanguinis sit potissimus inter alia Baptismata?

Multi Doctores, nullum horum Baptismatum dicunt alijs antecellere, sed habere se omnia ut excedens, & excessum. Ita Alexander Alensis 4. p. q. 22. membro 5. in noua editione q. 8. membro 9. art. 5. §. 1. S. Bonauent. dist. 4. ar. 1. quæst. 2. Durandus q. 8. Paludanus q. 3. Petrus de Tarantasia 4. dist. 4. circa secundum problema art. 3. Raynerius tit. de Baptismo cap. 1. 1. Et Suarez, & Cabrera art. 1. 2. quia Baptismus est sacramentum: & hoc soli Baptismo aquae conuenit. Et est actus virtutis: & sic excedit martyrium: & Baptismus aquae, & sanguinis totam remittunt poenam: quod Baptismo poenitentiae non comperit. Et Baptismus sanguinis si ne Baptismo flaminis, qui est per Charitatem, nihil valet: iuxta illud 1. ad Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, Charitatem autem non habuerim, nihil mihi prodest.* Et ex alia parte solum Baptismu aquae eleuauit Deus, ut esset instrumentum diuinæ virtutis, & gratiam conferret, & imprimeret characterem: ideoque vniuocè dicitur Baptismus, & alia solum analogice.

11 Nihilominus D. Thomas artic. 1. 2. responder, quod absolute excellentissimus est Baptismus sanguinis. Vnde Soto eodem articulo 1. 2. ait, quod cum comparatio debeat fieri in ijs, quae rebus comparatis per se conueniunt, perfectio simpliciter est cum D. Thoma sentiendum, ut Baptismus flaminis sit simpliciter perfectior aquae: & martyrium viroque. Quia ita sumitur ex libro de Ecclesiasticis dogmat. cap. 7. 4. 10. 3. inter opera S. August. & de Consecratione. Dist. 4. c. *Cathecumenum.* Et ratione: nam illud baptismus est excellentius, in quo excellentius diuinæ causae operantur: quia loquimur de baptismatibus quoad effectum, & alia duo dicuntur baptismata, quia suppleant effectum Baptismi aquae. Sed Passio Christi, & Spiritus Sanctus excellentissimè operantur in Baptismo sanguinis. Nam passio Christi operatur quidem in Baptismo aquae per quandam figuralem representationem: in baptismis autem flaminis, vel poenitentiae, per quandam affectionem: ideoque in Concilio Tridentino sess. 14. c. 2. dicitur, quod merito Poenitentia laboriosius quidam Baptismus à SS. Patribus dictus fuerit. Sed in baptismis sanguinis per imitationem operis. Similiter etiam virtus Spiritus Sancti operatur in baptismis aquae per quandam virtutem latentem: in baptismis autem poenitentiae per cordis commotionem: sed in baptismis sanguinis per potissimam dilectionis feruorem: secundum illud Ioã. 15. *Maiorem hac dilectione nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

12 Confirmatur: nam illa media, seu instrumenta, quae praeminent ex parte suae causae mouentis, simpliciter praeminent. Sed martyrium praeminet ex parte medi, quo realiter repraesentat passionem Christi, & ex parte Spiritus Sancti, cuius virtus magis relucet in feruentissimo dilectionis actu: ergo iste baptismus est excellentissimus.

13 Nec obstant contraria, quia in ratione sacramenti, non solum excedit baptismus aquae: sed potius solus ipse est sacramentum propriè: sed nunc non est comparatio in ista ratione: nec in effectu sacramentali, ut sacramentum dat characterem: quia sic reliqua characterem non imprimunt: & nos non asserimus, quod Baptismus sanguinis praeminentiam habet secundum rationem sacramenti: sed quantum ad sacramenti effectum. Sic respondet D. Thom. ad 1. & 3. Sed ut exponatur doctrina solutionis ad se.

cuncum, est.

DVBIVM XII.

Qua ratione Martyrium suppleat vicem Baptismi aquae?

§. I.

Martyrium supplet vicem Baptismi.

1 Solent aliqui duas distinctas difficultates in vnam confundere: cum tamen non sit idem explicare virtutem veri, & proprii Martyrii, ac exponere quid requiratur, ut aliquis sit verè, & propriè Martyr.

2 Certum est igitur, & inter Patres, & Theologos indubitatum, quod verum martyrium, quod perfectè, & complete est tale, supplet vicem Baptismi aquae. Quod constat primo, ex Innocentio Tertio, in cap. Cuius Martiae, de celebratione Missarum, dicente. *In iuria facit Martyr, qui orat pro Martyre.* Quod desumptum est ex D. Augustino serm. 5. de Martyribus, & ser. 27. de verbis Apostoli, & tract. 83. in Ioannem. Ac proinde, sicut pueri recentè baptizati, habent certo gratiam, & gloriam: ita idem credit Ecclesia de omnibus, de quibus certum fuerit Martyrio obijisse.

3 S. Cyprianus epist. 73. post numerum 6. mortem pro Christo, & Martyrium, vocat Baptismum confessionis, & sanguinis, & ait: *Num quid potest vis Baptismi esse maior, aut potior, quam confessio? Quam passio? Quasi dicat: minime. S. Augustinus lib. 4. contra Donatistas cap. 22. verbis adductis a D. Thoma hic art. 1. 1. & ipse S. Augustinus lib. 1. de Anima, & eius origine cap. 9. & epist. 109. ante medium. Et libro 13. de Ciuit. Dei c. 7. id probat dicens. *Quicumque etiam non perceptorè generationis lauacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis.* Qui enim dixit Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum caelorum; alia sententia istos facit exceptos, ubi non minus generaliter dixit Math. 10. ver. 32. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo, qui in caelis est.* Et alio loco ver. 39. *Qui perdidit vitam suam propter me, inueniet eam.* Quasi arguat S. Augustinus: verbis Christi certificamur, quod qui in re, vel in voto non fuerit baptizatus baptismis aquae, non intrabit in Regnum Coelorum: sed ipse etiam promittit pro se morientibus, quod dabit vitam, &**

Regnum Celorum: ergo veri Martyres Christi habent vitam gratiae, & aeternae gloriae. Idem frequenter alij Patres docent.

4 Idem docet S. Thomas hic art. 1. 1. illis verbis. Et ideo praeter Baptismum aquae, potest aliquis consequi sacramenti effectum ex passione Christi, in quantum quis ei conformatur pro Christo patiendo. Vnde dicitur Apoc. 7. *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni.* Et ar. 1. 2. docet, quod virtus Spiritus Sancti operatur in Baptismo sanguinis per potissimum dilectionis feruorem; secundum illud Ioã. 15. *Maiorem hac dilectione nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Et praemiserat, quod effusio sanguinis pro Christo, & operatio interior Spiritus Sancti, dicuntur baptismata, in quantum efficiunt effectum baptismi aquae. Idem docet q. 68. art. 2. ad 2. & q. 87. ar. 1. ad 2. ait, quod passio pro Christo suscepta, sicut supra dictum est (isto art. 1.) obinet vim baptismi: ideo purgat ab omni culpa, & veniali, & mortali; nisi actualiter voluntatem peccato inuenerit inhaerentem.

5 Ratio sumitur ex dictis: nam Patres, & Theologi distinguunt tria baptismata: vnum quod sit sacramentum regenerationis, & lauari in aqua per virtutem Spiritus Sancti ab originali peccato mandans: alia vero duo, quae in articulo necessitatis, vel impossibilitatis, eius vice suppleant. Sicut ergo contritio perfecta supplet vicem baptismi, quia in eius voto est vera conuersio in Deum, ita & passio pro Christo, seu Martyrium.

6 Secundo, non minoris virtutis est realis conformitas cum morte Christi, eius honore suscepta, quam sit sacramentalis significatio ab ipso instituta: siquidem conformitas realis excedit conformitatem signi, & signati. Sed haec dat gratiam baptismalem: ergo & illa confert effectum baptismi.

7 Tertio, quia non minoris virtutis est actus maximae, & perfectae charitatis, quam actus doloris, & poenitentiae: imò illa ex dilectione habet vim iustificandi. Sed contritio supplet vicem baptismi: ergo à fortiori Martyrium, seu baptismus sanguinis, qui includit Baptismum flaminis, supplet vicem baptismi aquae. Haec est ratio Diui Thomae articulo 1. 2. ad 2. Secunda traditur ibi

in corpore: Et prima a seipso natur ab ipso art. 1. 1.



§. II.

*Opinio quod solum supplet inquam-
rum est actus Charitatis.*

S Et igitur difficultas, an qui est in peccato mortali, possit esse verus Martyr, si peccatorum non habeat contritionem? Vel an Martyrium faciat ex attrito contritum? Vel an Martyrium in adultis, non ex aliquo privilegio Dei, sed solum ratione perfectæ charitatis erga Deum, vim habeat iustificandi, & supplendi vicem baptismi? Omnibus enim istis modis Authores quæstionem mouent: & vt de eorum mente melius lectores possint certificari, placuit sigillatim referre. Paludanus in 4. dist. 4. q. 3. conc. 1. nu. 3. & 7. ait, Baptismus sanguinis deficit à baptismo aquæ, *quia ad illum non sufficit attritio, sed requiritur contritio: ad illum vero sufficit attritio. Et causa est, quia ille iustificat ex opere operato, iste ex opere operante. Et ideo, nisi sit contritio, non saluat. Raro tamē est electio Martyrii per se iuuat, ne ingruente, quin sit contritio: quando est tantus motus in Deum, propter quod est equalis in peccatum detestandum.* Similiter Syluester verbo *Baptismus primo* quæstione secunda numero tertio, docet baptismum sanguinis æquari baptismum aquæ in virtute, quoad remissionem culpæ, & poenæ, *modo adsit contritio.* Et verbo *Martyrium*, ait, quod Martyrium est opus maximæ perfectionis, non secundum se, sed vt imperatur a charitate, & eam ostendit iuxta D. Thomam 2. 2. q. 124. & quoad actum, id est mortem, potest esse sine charitate: sed quoad modum, promptè, & delectabiliter, esse non potest sine magna Charitate, vt docet D. Thomas *Quodlib. 4. quæstione 10.*

9 Soto in 4. dist. 3. q. vnica art. 1. §. *Quod autem*, concludit. Qua propter, neque baptismus fluminis, neque vero sanguinis potest facere hominem ex attrito contritum: sed solum baptismus aquæ reuera susceptus. Et cōc. 4. §. *Fit ergo* docet Martyrium non supplere vicem baptismi ex opere operato, tanquam sacramentum, sed per modum meriti. Et §. *Atque hinc*, docet Martyrium requirere Charitatis affectionem. Et infra dist. 15. q. 1. ar. 2. conc. 3. licet dicat, quod Martyrium sufficit sine penitentia ad salutem: tamē folio 656. columna 1. §. *Secundo vt hoc*, ipse se explicat, dicens, quod expositus Martyrio in illo articulo habet legitimum actum charitatis: qui virtute includit penitentiam, licet illa non sit formalis. Hoc enim est singulare privile-

gium Martyrii, quod est per se summa Charitas, & confessio Christi: æquiualeque fornicitatis, quia est summum holocaustum, quod se homo ex toto corde Deo tradit. Afferunt verba S. Ioannis Chrysost. serm. 29 de Penitentia dicentis. *Item lector intelligat Martyrium penitentia præterita non egere. Nam sicut lux diei non quærit lucernam, sic iustitia ante Deum (scilicet Martyris) sine penitentia lucet.* Vnde de quomodo Martyrium tanto fulgore penitentia præfertur, quanto lux diei lucerna in tenebris fulgentior est. Quamquam enim dicitur Martyri habet tempus memorandi peccata, detestari illa tenetur: sed si afflictio mortis, & feruor in Deum illam recordationem impedit, tatis est vt homo se Christo sacrificet. Idē docent Vega lib. 6. in Conc. Trident. capite 36. & 37. et Martinus Ledesma 1. p. 4. q. 7. ar. 11. conc. 3.

10 Clarius, & magis ex professo Melchior Cano Relect. de Penitentia parte 3. §. *Verum sententia contraria*, folio mihi 17. docet Martyrium sine penitentia peccata mortalia non remittere. Subditque, quod hæc sententia ex animo eius exiri non potest: nā persuasa est, & autoritate maiorū, & graui, constantique ratione. Ac fieri potest vt errē: sed ita prorsus existimo. Primum enim passio pro Christo suscepta, si a Charitate non existit, nihil valet ad culpæ mortalis remissionem, vt D. Thomas author est 2. 2. q. 124. ar. 2. ad 2. & 3. p. q. 66. artic. 12. ad 2. Item, & August. contra Crescon. li. 2. cap. 12. Imò adeo Paulus 1. ad Cor. 13. inquitens. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Charitas autē in eo, qui peccauit mortaliter, non remittit peccatum sine penitentia (vt idē D. Thomas scribit 3. p. q. 84. artic. 5. ad 2.) ergo nec Martyrium. Et confirmatur: quia voluntas efficax Martyrii, & Martyrium actu susceptum, quantum ad essentialia (vt hic supponimus) nihil differunt. Si ergo Martyrium sine Penitentia peccatum mortale remittit, ac proinde gloriam meretur æternam: & voluntas quoque efficax Martyrii idem sine penitentia dubio procul efficeret.

11 Præterea, passio pro Christo suscepta, in eo, qui fuit, aut schismaticus, vel hæreticus, non remittit peccatum hæresis, vel schismatis; nisi prius homo Ecclesiæ Catholicæ fuerit aggregatus; ergo nec remittit eiusmodi peccata, nisi homo peniteat. Antecedens, præterquam quod habetur ex Cypriano lib. 3. epist. 2. ad Antonianum: atque ex Augustino tum tempore alias, tū lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 11. & lib. 3. cap. 16. & libro

bro 4. cap. 17. Definitur etiam in Concilio Florentino sub Eugenio Quarto. Consequenter vero probatur: quia sicut fides, & Ecclesiæ Catholicæ vnitas sunt media ad salutem necessaria; ita, & penitentia.

12 Præterea, si quis ante Baptismum mortem pro Deo oppetatur, non consequetur salutem sine voto baptismi, si se ipsa baptizari non potest; ergo nec post Baptismum, si peccauit mortaliter, consequetur salutem sine penitentia sacramento in re, vel in voto suscepto. Antecedens, quod assumpsimus, Thomas Waldensis de Sacramentis capite 27. & 105. Diuini præsertim Augustini testimonio confirmat lib. 4. de baptis. contra Donatist. c. 21. & 22. Non enim mors pro Deo suscepta, iam Euangelio præmulgato, sine fide Christi, & Ecclesiæ, salutem prestare potest. At consequentia, vel eo liquet, quod sicut baptismi sacramentum est ad salutem necessarium his, qui ante peccauerunt, ita & penitentia his, qui peccauerunt post Baptismum.

13 Addit illic quoque, quod si Martyri peccata in mentem veniant, etiam in ipso Martyrii agone constituto, non saluabitur, si non doleat. Ergo Martyrio etiam instante penitentia necessaria est. Antecedens patet, quia si confessor occurrat, citra sacramentum salus illi non veniet; eo quod diuini præceptum de confessione est. Cū igitur de contritione etiam interiori diuinum præceptum sit: fit consequens, vt si homo Martyrio expositus, de peccatis memoriæ occurrentibus penitentiam non agit, diuini præcepti violatur existit.

Ridiculis vero est, quod fingunt isti, Martyrium homini oblatum memoriam peccatorum abolere. Cū è diuerso poenæ, inopinato etiam incidentes, soleat culparum memoriam, vel dormientem excitare. Quod probat S. Chrysost. hom. 4. de Diuite, & Lazaro ex illo Gen. 42. *Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum.* Et ex illo Dan. 3. *In iudicio induxisti hæc omnia propter peccata nostra; peccauimus enim;* &c. Et ex illo Psalm. *In die tribulationis Deum exquisiuit;* &c. Martyrium itaque occurrens non memoriam peccatorum, aut tollit, aut impedit, sed potius excitat.

14 Probat eandem sententiam Bañez 2. 2. q. 24. ar. 6. dub. 6. ad 7. & primo argumento M. Cano: & quia opposita sententia tenetur concedere, fieri posse, quod aliquis homo, quando fuit viuus, erat inimicus Deo in peccato mortali existens, & quod nihilo minus eius anima saluetur: imò, quod non

transeat per Purgatorium. Probat seque- la: nam si Petrus solum cum dispositione attritionis saluatur per Martyrium realiter susceptum, nunquam erit in gratia quando uiuit: quia quando uiuit, non est Martyr, donec vitam amittat; sed cum primum moritur, iam non est homo: ergo anima illius iustificatur, & saluatur post vitam. Fatetur hoc argumentum probabile solum esse, quia instatur in Innocentibus Martyribus ab Herode occisis.

15 Addit. Sed quidquid sit de huiusmodi opinionibus, ego certe existimo, quod privilegium collatum Martyrio in adultis illud est, quod non permittet Deus vt aliquis occidatur pro confessione fidei, nisi prius charitatis actum, & contritionis, si opus sit, habuerit. Ac propterea Ecclesiæ ad canonizandum aliquem pro Martyre, nihil aliud exigit, nisi vt constet, quod pro confessione fidei in ortem passus est.

Cum principali opinione M. Cano, propter primum eius mortuum, concordat Araujo hac q. 66. num. 7. folio 141. Et infra q. 86. art. 2. dub. 2. n. 15 fol. 684. Syluius hac q. 66. ar. 11. q. 3. vt refert, & sequitur Basilius verb. *Martyrium* nu. 7.

16 Præterea, Martyrium in adultis non ex privilegio, & diuina concessione, sed ratione perfectæ charitatis erga Deum, vim habere iustificandi, late docet Vazquez to. 2. in 3. p. disp. 133. cap. 3. dicens sententiam per antiquam, & communem. Refert Alexandrum Alensem 4. p. q. 8. memb. 9. art. 5. §. 1. S. Bonauentura in 4. dist. 4. parte 2. ar. 1. q. 2. Durandum q. 8. num. 10. & 14. Canum, Veggam, Martinum Ledesma locis citatis, Gabrielelem in 4. dist. 4. q. 2. art. 2. conc. 9. Richardum art. 2. q. 2. & 3. Vazquez sequitur Layman tom. 1. lib. 3. lect. 3. num. 6. ver. *Controuersum autem*. Pelantius 2. 2. q. 124. disp. 3. Sebastianus Episcopus Oxoniensis 3. p. q. 66. art. 12. n. 4. & 5. ibi Kellisonus dub. 3. Probat Vazquez autoritatibus adductis D. T. Et S. Bernardus epist. 77. ad Hugonem, ante medium, ait: *Pro certo, cum non aliunde Martyrium, nisi ex fidei merito, illam obtinuerit prerogatiuam, vt singulariter vice Baptismi secure suscipiatur, non video, cur non ipsa aqua, & sine Martyrio apud eum tantum possit, qui sine Martyrii probamento proculdubio innotescit.* Sed meritum fidei per dilectionem operantis, quod extra Martyrium, & sacramentum sufficit ad salutem, est solius charitatis, vel contritionis. Ergo aperte tenet D. Bernardus per martyrium non iustificari hominem, nisi in eo gradu quo iustificatur, & charitate cōperio-
ne

ne in Deum. Idem insinuant S. Clemens Romanus lib. 5. Const. Apost. cap. 5. alias 7. Author sermonis de Coena Domini, apud S. Cyprianum num. 7. ubi de bono Latrone, inquit. *Latrocinium damnationem meruerat, & supplicium; sed cor contritum poenitentiam mutavit in Martyrium.* Vbi virtutem totam Martyrij contritioni cordis manifeste tribuit. Quod sentu etiam colligitur ex D. August. lib. 13. de Civitate Dei cap. 7. Et quia clarissime idē S. Augustinus lib. 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 16. & lib. 4. c. 12. Charitatem postulauerit, ut Martyriū prodesset: cum dixit, ideo haereticis inutile esse mortem pro Christo pati, quia charitatem habere non possunt, quando haeretici sunt.

17. Aliorum rationibus explosis cap. 4. & testimonijs exclusis, solum vnica ratione efficaci videtur capite quinto in hunc modum. Cum mors pro Christo patienter tolerata eam vim iustificandi hominem attritum, in hac sacramenti, in apte natura non habeat, ut manifestum est, sed illam ex sola Dei voluntate, & lege habere possit: de diuina autem voluntate sine reuelatione aliquacostare nequeat: ac proinde nihil de illa sine tali reuelatione temere asserendum sit: plane consequitur, eiusmodi virtutem Martyriū tribui non posse, eo quod nullo modo de voluntate, & lege Dei tribuentis talem virtutem Martyrio nobis constat. Minorem probat: nam si qua ratione Deus voluntatem suam nobis reuelasset, aut Scripturā, aut Ecclesiae definitione, aut traditione illam ostendisset: nihil autem horum est, ex quo illam colligere possimus: nam Scriptura Luc. 22. illis verbis: *Quicumque perdidit animam suam propter me, viuificabit eam. Et Marci 8. Saluam faciet eam.* Significat affectum charitatis erga ipsum Christum. Neque vllus ex Patribus intelligit de morte pro Christo sine affectu Charitatis erga ipsum tolerata. Meritoque Diuus Thomas isto articulo 12. ad secundum ait, quod effusio sanguinis non habet rationem baptismi si sit sine Charitate. Et 3. p. q. 68. art. 2. ad 2. adijcit. *Si quis ergo cathecumenus sit habens desiderium baptismi (quia aliter in bonis operibus non moreretur, quae non possunt esse sine fide per dilectionem operante.) Et 2. 2. q. 124. art. 2. ad 2. ait. Et idem sine Charitate non valet Martyrium.* Et 1. ad Corinth.

13. lect. 1. in fine.



§. III.

Supplet ex opere operato, & ex privilegio, ut est realis imitatio passionis Christi.

18. Nihilominus alij plures, & grauissimi Doctores, non requirunt contritionem, ut Martyrium vicē baptismi suppleat: sed dicunt sufficere, quod voluntas peccato per affectum non inhæreat: vel quod de illo habeat attritionem. Quod manifeste indicat D. Thomas 3. p. q. 87. art. 1. ad 2. dicens, quod passio pro Christo suscepta (sicut supra dictum est q. 66. art. 11.) obtinet vim baptismi: & ideo purgat ab omni culpa, & venia, & mortalitatis: nisi actualiter voluntatem peccandi inuenierit in haerentem. Eodem modo ipse Doctor Angelicus 1. ad Corinth. 13. ad illa verba: *Charitas autem non habuerit* in fine primae lectionis dicit verificari in duobus casibus. *Vel quia simul cum praedictis operibus adest voluntas peccandi mortaliter: Vel quia sunt propter inanem gloriam.* Nihil mihi prodest, scilicet quantum ad meritum vitae aeternae, quae solis diligentibus Deum repromittitur, secundum illud Iob 37. *Anuncias de ea amico suo, quod possessio eius sit.* Cum ergo habens attritionem, & tradens corpus suum morti, non habeat voluntatem peccandi mortaliter, neque id faciat propter inanem gloriam: sed faciat opus externum de se officium magnae charitatis: non est cur ei non prosit.

19. Clarius in 4. dist. 4. q. 3. art. 3. q. 3. concludit D. Thomas. *Sicut enim in baptismo aqua liberatur homo ab omni culpa praecedente, & poena, ita in baptismo sanguinis.* Et ad 1. ait, quod *Baptismus sanguinis non habet hoc tantum ex opere operante, &c. Sed hoc habet ex imitatione passionis Christi; unde de Martyribus dicitur Apoc. 7. Lauerunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine Agni.* Idem docet ad 2. & 3. Item quaestiuicula quarta dicit. *Excedit baptismus sanguinis, quia & gratia in baptismo sanguinis magis augetur habenti, & amplior datur non habenti, si impedimentum non adsit (ecce quod non exigit contritionem ut det gratiam non habenti) & remissio peccatorum, quamuis non sit plenior, quia uterque omnem poenam, & culpam tollit tamen est in baptismo sanguinis efficacior, & fructuosior: quia secundis maculis non inquinatur, ut S. Damasc. lib. 4. fidei dicit c. 10. (quia tollit occasiones, & tempus peccandi.) Quod enim quidam dicunt, quod in baptismo sanguinis gratia non confertur (haec videtur esse sententia contraria: nam ex opere operantis, gratiam*

nam angere nullus catholicus poterat negare: & ideo solum negabant dari ex promissione, & ex opere operato) apparet falsum esse in pueris, qui pro Christo occiduntur: & etiam in adultis, quibus potest in ipso actu passionis gratia dari: sicut & in Baptismo aquae si se ad eam disposuerint: & obicem aliquem non ponant Spiritui Sancto. Probat ex lib. de Eccles. dogm. capite 74. & idem dicit ad 1. & 2. Et in 4. ad Anibaldum dist. 4. ar. 4. ad 3. ait, quod *Baptismus sanguinis non habet suppleri effectum Baptismi flaminis, ex opere operante, sicut obijcebatur, sed ex imitatione passionis Christi, unde de Martyribus dicitur Apoc. 7. Lauerunt stolas suas in sanguine Agni.*

20. Quare ita tenent Caietanus 3. parte q. 87. ar. 1. ad 2. Victoria 3. p. q. 66. art. 1. 2. ut refert, & sequitur Nauo ibi diff. vnica. Serra, & Ruyz ibi. Et Cabrera disp. vnica. Sorro in 4. dist. 1. q. 1. ar. 2. conc. 3. dicens, *Martyrium, quando eius subita oblatio actum poenitentiae impedit, sufficit sine poenitentia ad salutem.* Et dist. 2. ar. 1. & lib. 2. de natura, & gratia capite 16. Quod late probat. Suarez etiam disput. 29. sect. 2. conc. 2. docet baptismum sanguinis dare remissionem culpae originalis, & mortalis, & primam gratiae infusionem. Refert D. Thomam, Caiet. Durandum, Soto. Mart. Ledesma. 1. p. 4. q. 25. ar. 5. dub. 1. Vega lib. 6. in Trident. cap. 36. & 37. Ipseque Suarez lect. 3. conc. 2. dicit posse sufficere attritionem ut Martyr iustificetur. Idem docet Bellarminus, Valentia, & Henriquez, quos refert, & sequitur Granada tract. 3. disp. 3. lectione 3. nu. 21. dicens, ut verum fatear, *Minime seve certares est.* Egidius, & Lelsius, quos refert, & sequitur Cautrus Palau tract. 19. puncto 14. §. 2. num. 10. solum dicens sententiam probabiliorē. Bonacina disp. 2. de baptismo q. 1. puncto 1. num. 8. Trullench lib. 2. cap. 1. dub. 10. num. 9. & 10. Auerfa quaest. 70. lectione 5. & 6. Et est ut probabilior amplectenda.

21. Probat primo: nam ut ostendimus §. 1. Martyrium supplet vicem baptismi: sed eius vicem non suppleret quoad effectum, si peccatum originale non deleteret: nec delere potest, nisi dando primam gratiam: ergo eam confert. Nec sufficit respondere hoc habere virtute charitatis, & contritionis: quia iuxta hoc, tantum essent duo baptismata, nēpe Baptismus aquae, & Baptismus flaminis. Nec comparatio Martyrij cū Baptismo conferat alicuius momenti. Cum ergo certum sit virtute Baptismi remitti peccata, & dari gratiam, & non solum ex vi contritionis, aut amoris, idem erit in Martyrio: liquidem San-

ctus Augustinus, & D. Thomas dicunt Baptismum sanguinis quoad effectum excedere Baptismum aquae. Vnde S. Cyprianus in exhortat. ad Mart. ait. *Hoc baptismum in gratia maius, in potestate sublimius, in honore pretiosius.* De quo, & Rupertus lib. 7. de Diu. Officijs cap. 5. & S. Bernard. epist. 77.

22. Secundo probatur ex Clemente Alexandrino lib. 4. Stromatum dicente. *Videatur Martyrium esse expurgatio peccatorum. cum gloria.* Hermas S. Pauli discipulus lib. 3. Pastoralis similitudine 9. habetur tom. 5. Bibliot. vet. Patrum, inquit. *Quicumque propter nomen Domini passi sunt, honorati apud Deum habentur, & omnium eorum delicta sunt delicta.* Et Antoninus Episc. Const. epist. ad Archadiū: habetur tom. 3. Bibliot. fol. 576. *Deus (ait) pro hac pugna delebit quascumque iniquitates, quas vsque hodie committere potuisti.* Et Origenes hom. 7. in librum Iudicum dicit. *Per baptismum peccata praeterita purgantur: per Martyrium etiam futura perimantur: morte enim tollitur omnis occasio peccandi: & ideo diximus cum S. Damasc. & D. Thomas, quod secundis maculis non inquinatur.* Et Ferrul. in Apol. ad finem ait. *Quis non patitur exoptet, ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sui sanguinis expediat? Omnia enim delicta huic operi donantur.* Et S. August. lib. 1. contra Donatist. cap. 18. de S. Cypriano dicit, quod si quid in eo purgandum erat, passionis falce ablatum est. Ex quo arguit D. Thomas in 4. Sent. quod baptismus sanguinis purgat vniuersaliter, & etiam supplet locum baptismi aquae: Vnde sicut baptismus etiam cum sola attritione delet culpam, & poenam, ita pariter baptismus sanguinis.

23. Tertiam rationem satis radicalem indicat S. Thomas in 4. dist. 4. q. 3. art. 3. q. 3. ad 2. dicens, quod *quamuis illa poena in se considerata, non esset sufficiens ad liberandum ab omni poena peccati: tamen relata ad causam passionis, accipit efficaciam a passione Christi, cui aliquis per talem poenam conformatur: & ex hoc ab omni poena abluere potest.* Potest contingere, quod homo, qui multa mortalia commisit, Dei auxilio adiutus, det vitam pro Christo, & vniuerso ictu gladij, vel globulo tormenti bellici percussus breuissimè moriatur: Tunc iste dedit liberam culpam, & a poena: & tamen considerata illa voluntaria iustinentia mortis praecise ut est actus virtutis, non compensaret ad aequalitatem totum debitum: ergo euidenter est ex privilegio Dei, & promissione Christi Martyrium habere maiorem vim, quam ex se haberet. Nec enim Ecclesia aliud potest habere fundamentum, ut de omni Martyre iudi-

iudicet statim euolare in Cœlum, nisi sic intellexisset Christi Dñi promissiones.

24 Quartam rationem assignat D. Th. quæst. 4. illis verbis. *Quod apparet falsum esse in pueris, qui pro Christo occiduntur: & etiam in adultis, &c.* Sed quia postea est ponderanda, nunc sufficet insinuare. Infantuli, qui nullam habent dispositionem, nec vllum receperunt Sacramentum, eo ipso, quod pro Christo creduntur occisi, ab Ecclesia vt Martyres coluntur: ergo in eis passio pro Christo suscepta supplet vicem Baptismi, & dat primam gratiam: ex gratia, & privilegio, quod ex se illa mors non haberet. Sed passio pro Christo suscepta ab adulto, qui libere se offert, non est minoris, sed maioris efficacitatis: licet distinctam requirat dispositionem: ergo in adulto, qui obicem non posuerit, supplebit vicem Baptismi, & copiosorem gratiam conferet. Vnde si aliquæ matres Sanctorum Innocentium simul cum illis occisæ sunt, vere sunt Martyres, & vt tales coluntur.

§. III.

Diversimodi explicandi nostram sententiam, examinantur.

25 **A**llam ab istis extremis mediam sententiam videtur sequi Pater Thomas Hurtado in Resolutionibus de vero Martyrio fidei Tract. 5. Resol. 3. 1. nam §. 3. notat, quod et si Baptismus sanguinis, & Martyrium communiter pro eodem accipiantur, & vere quidem quantum ad principalem effectum idem sint. Tamen re ipsa diuersam fortitudinis, vel charitatis, aut alterius virtutis: solum exigat passiuam abluionem ortu ab abluione actiua ministri, quam essentialiter connotat, licet ex parte baptizati solum passiuam exprimat. At vero Martyrium, cum ex sui primaria notione, & origine sit testimonium, & Martyr sit testis, denotat actum virtutis. Et sic D. Tho. agit de Martyrio 2. 2. q. 124. Hoc præmissis, respondet martyrium elicium esse actum charitatis, & contritionis: & hoc dicit probare argumenta primæ sententiæ. At vero Martyrium vt receptum etiam in adulto, exprimit dumtaxat per se attritionem, aut dolorem imperfectum. Et hoc asserit probare argumenta secundæ sententiæ, quia vt sic martyrium est Baptismus sanguinis, sicut est Baptismus aquæ: & sicut iste in adultis exigat

dolorem imperfectum, nempe attritionem: ita & martyrium. Conclusionem tamen quarta docet, quod existens in mortali, tenetur habere contritionem, vt se disponat vt martyrium causet gratiam sanctificantem, vt prosequitur §. 6.

26 Hæc tamē positio laborat in æquiuoco, difficultatem non explicat, sed implicat: non media graditur via, sed perinua contradictionem implicantiã deuiat. Quia vt notauerat Nuño art. 1. 1. conc. 2. Et Cabrera num. 4. & alij, hæc diuisio baptismi in tria baptisimata, non est diuisio vniuoci in vniuocata: sed analogata: quia ratio baptismi non est in omnibus secundum rationem simpliciter eandem. Vnde Baptismus aquæ dicitur Baptismus simpliciter: quia ablutio, & quia sacramentum. At vero Martyrium, nec est sacramentum, nec est ablutio; nisi metaphoricè. Vnde frustra vtrique Baptismo queruntur prædicata communia secundum rationem eandem. Deinde, tam contritio, quæ attritio sunt operationes, & motus vitales: vnde non video quomodo contritioni attribatur actiue elici, & attritioni passiuè recipi. Quin potius siue quis patitur pro Christo attritus, siue contritus, in illo verificatur, quod Patres, & Theologi dicunt, quod passio Christi Deo placuit, & actio Iudæorum Deo displicuit: de quo S. Thomas 3. p. q. 47. art. 3. ad 3. & q. 48. ar. 1. ad 1. ait, quod passio, in quantum huiusmodi, non est meritoria: quia habet principium ab exteriori. Sed secundum quod eam aliquis voluntarie sustinet, sic habet principium ab interiori: & hoc modo est meritoria.

27 Notat autem Nuño ar. 1. 2. §. *Quarta sententia*, quod martyrium vt est actus virtutis, non facit ex attrito contritum: licet propter operis excellentiam, regulariter, qui cum effectu mortem pro Christo patitur absque prauo fine, faciat ex motiua charitatis, & cum contritione peccatorum. Ceterum cum hoc privilegium, faciendi ex attrito contritum, concedimus Martyrio, consideramus illud, non præcisè vt est actus virtutis: sed in quantum est realis imitatio passionis Christi: ad hoc enim recurrit D. Thomas hoc art. Et in 4. Sent. & hoc indicant sacræ litteræ, & Sancti Patres adducti: & ideo quocumque vocabulo significemus, siue nomine Martyrij, siue nomine Baptismi sanguinis, credimus ex meritis Christi, & in quantum est realis imitatio passionis eius, illi collatum, quod si voluntarie sustinens mortem pro Christo, obicem non ponat, consequetur gratiam remissionis culpæ, & totius penæ, sicut in baptismo.

Et

Et quod si fuerit attritus addito opere externo Martyrij, iustificabitur.

28 Si verò fuerit in gratia, ex opere operato augetur. Quod bene probant Suarez sect. 3. cōc. 2. in fine cum Paludano in 4. dist. 4. q. 3. n. 5. Sequiturque Cabrera §. 5. à n. 33. vsque 35. Tum quia non debet esse peioris conditionis, qui ad Martyrium accedit contritus, quæ qui attritus: sed attrito datur gratia ex privilegio Martyrij: ergo multo magis dabitur ei, qui accedit contritus. Sicut & infanti non solum laurea, sed laureola Martyrij datur. Et qui in gratia existens baptizatur, aut confiterur, etiam ex opere operato consequitur augmentum gratiæ. Denique, nam promissio facta Martyrio, specialiter facta est in fauorem operis excellentissimi: eo quod relucet virtus Spiritus Sancti in potissimo dilectionis feruore, vt ait D. Thom. ar. 12. Ergo talis promissio propter iustus potissimum facta est: iuxta illud Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Tametsi exteri datur etiam ad peccatores non ponentes obicem: quia promissio intelligitur absolute facta ipsi operi propter excellentiam, & realem imitationem mortis Christi. Est autem regula generalis, quod gratia quæ ex vi alicuius operis conferenda promittitur, infallibiliter tribuatur, homini obicem non ponenti. Ac proinde negari non potest dari homini iusto per Martyrium ex opere operato augmentum gratiæ, si prima gratia homini attrito conferatur.

29 Pergit Ioannes Maior in 4. dist. 4. q. 3. §. *Tertio arguitur*, dicens, quod si quis concedat Baptismus sanguinis esse sacramentum, eo quod sit sensibile signum, ratione cuius virtute operis operati conferatur gratia; tamen non propterea concedere debet esse plura, quam septem sacramenta, quia Martyrium ad Baptismus pertinet.

30 Communiter tamen Theologi hoc rejiciunt, & Cabrera art. 1. 2. nu. 6. & 8. dicit falsam, & temerariam oppositam sententiam. Licet non vna via id impugnent. Gabriel in 4. dist. 4. q. 2. art. 1. not. 2. quia omnia nouæ legis sacramenta, iuxta decretum Concilij Florentini, tribus perficiuntur, materia, & forma, & ministro: Hæc autem omnia in Martyrio non reperiuntur. Vazquez cap. 4. n. 41. probat, quia sacramentum debet esse remedium à Deo institutum, quo homo ordinaria via vti possit, cum velit, in suam utilitatem: huiusmodi autem non esse Martyrium manifestum est. ¶ Granados sect. 3. n. 23. dicit, quod ratio cur Martyrium non est sacra-

mentum, ea est, quia non est signum sensibile significans gratiam, aut institutum stabili aliqua lege, vt homines vnius status distinguat ab alijs.

Martinus Ledesma 1. p. 4. q. 7. art. 1. 1. dub. 4. conc. 3. quia non est causa instrumentaria gratiæ, sicut Baptismus; sed tantum causa sine qua non. Imò Granad in fine. n. 23. dicit, quod gratiam non confert physicè, vt rectè. Valentia; imò non est causa moralis, sicut non sra sacramenta, sed veluti cōditio, ad cuius applicationem gratia cōfertur.

31 Soto dist. 1. 1. q. vnica ar. 1. 1. concl. 4. & §. *Quod autem*, dicit non esse sacramentum, quia vt esset sacramentum nouæ legis, deberet esse signum à Deo institutum, vt conferret gratiam, quæ significaret. Et hoc non cōpetit Martyrio. Quæ est ratio D. Th. ad 2. Quæ sequuntur Nuño ad 6. Suar. sect. 3. ad 3. Serra ad 2. quia nec est signum, nec à Deo institutum, nec instrumentum gratiæ conferendæ. Fere omnes rationes coniungit Auers. q. 70. sec. 5. ad 2. dicens esse manifestam rationem D. Th. ad 2. Martyrium non esse sacramentum: quia sacramentum est signum gratiæ, hominibus expositum, consistens in actu aliquo instituto ab ipso Deo, & ex ratione sua petit à ministro sancte exerceri. Quæ conditiones non conueniunt Martyrio, vt per se patet.

32 Arguit etiam Soto illa conc. 4. quod si esset sacramentum, non esset cur non imprimeret characterem; cōstat autem quod Martyrium characterem non imprimit; nec constituit hominem Christianum, si alias non fuit baptizatus. Alias si postea ille læthaliter vulneratus, per miraculum viueret, non teneretur amplius ad Baptismus aquæ. Quod est erroneum. Quin vetus si Martyrium imprimere characterem, pariter imprimeret ponenti obicem peccati mortalis: sicut de Baptismo aquæ dicitur. Denique non rectè Maior viuat inconueniens, quod essent plura sacramenta, nã vt replicat Soto, si modo actus fortitudinis institueretur vt esset sacramentum remissionis originalis, nihilominus profecto differret à Baptismo: cum ergo Martyrium sit talis fortitudinis actus, etiam differt. Tū quod si Circumcisio modo simul currebat cum Baptismo, quamuis eundem haberet effectum, diuersum tamen esset sacramentum.

33 Contendit tamē Thomas Hurtado resol. 3. 1. §. 5. Martyrium causare gratiam ex opere operato, & physicè. Quod probat, quia physica causalitas adstruitur in sacramentis propter locutiones Patrum. Sed Patres supra relati, & cum eis D. Tho. docet, quod Martyrium obtinet vim Baptismi, & purgat

ab omni culpa, & melius quam Baptismus aquæ: ergo sicut sacramentum est instrumentum physicum, ita & Baptismus sanguinis. Secundo, Baptismus aquæ est causa physica, quia in illo configuramur morti Christi. Sed in Martyrio re ipsa comorimur Christo: ergo erit instrumentum physicum gratiæ: etenim ut ait D. Tho. 3. p. q. 48. a. 6. *Passio Christi est instrumentum physicum efficiens nostræ salutis.* Ergo & Martyrium erit instrumentum physicum gratiæ. Quod dicit esse conformius Patribus, & Schoiæ D. Tho. & sic S. Doctor in 4. dist. 4. q. 3. ar. 3. q. 1. ad 3. dicit, quod *Baptismus sanguinis conuenit cum Baptismo aquæ in causando, non in significando; & ideo non est sacramentum.*

34. Hæc tamen positio est contra omnes Theologos: nam nominatim reijciunt Soto, Martin. Ledesma, Valentia, Vazquez, Suarez, & Granada, Nuño, & Serra relati n. 30. & 31. Et nullum legi, qui eam docuerit. Faciliusque posset Martyrio tribuere significatiuem gratiæ, quam ei concedat in illam physicam causalitatem: & esset nouæ legis sacramentum, quia hoc videntur auctoritates sonare, vel nihil probant.

Deinde de Baptismo flaminis, seu de contritione, etiam dicunt Patres, & Theologi, quod est laboriosus quidam Baptismus, ut ait Tridentinum. Et quod supplet vicem Baptismi aquæ, ut patet ex S. Aug. q. 34. in Leuit. & S. Ambr. lib. 5. epist. 33. quorum verba adducit D. Tho. q. 68. art. 2. & tamen nullus ponit quod contritio sine abluitione causet effectiue physicè gratiam: ergo nec id sequitur de Martyrio ex illis loquutionibus Patrum.

35. Præterea q. 62. dub. 2. §. 9. iam diximus easdem loquutiones Scripturæ, & Patrum, iuxta diuersas materias, & circumstantias, aliquando absque inconuenienti, & necessario debere intelligi de causalitate physica, quia hæc sola potest tribui rei incorporeæ; aliquando tamen omnino significare solam causalitatem moralem, quia vel est inconueniens in alia adstruenda, vel causalitas orationis, & precis, aut impetrationis, satis verificatur coeffera causalitate morali. Cum ergo Martyrio tribuatur causalitas ut operi eximio virtutis fortitudinis eliciētis, & Charitatis imperātis, & comparetur cum modo quo contritio causet gratiam extra sacramentum; & cum negetur Martyrium esse sacramentum, & characterem imprimere, nullum habemus firmum fundamentum ad concedendam illi causalitatem physicam, quæ & contritionis sacramentis, imò & Circumcisioni

non concessimus, ut vidimus dub. 7. §. 5. q. 62. Quare Serra hic ad 2. ait, quod Martyrium, non ut sacramentum, aut instrumentum diuinæ virtutis, sed ut cōditio, qua posita Deus causet gratiam, habet gratiam conferre, & facere ex attrito cōtritum. Et Cabrera §. 7. ad 3. n. 50. ait, Martyrium ex opere operato conferre gratiam, non quidem actiue tanquam propriam, & per se causam illius instrumentalem, qua ratione sacramenta nouæ legis dicuntur causare gratiam ex opere operato actiue; sed passiue, quatenus posito illo opere Deus infallibiliter confert gratiam specialē absque merito, vel ultra meritum patientis: sicut supra q. 62. art. 6. disp. 1. ostensum est de Circumcisione. Et hanc esse communem Doctorum sententiam, cum Henriquez testantur, & sequuntur Bonacina tom. 1. disp. 2. de Baptismo q. 1. punct. 2. n. 5. Trullench lib. 2. cap. 1. dub. 10. n. 10.

Per quæ cessant argumenta contraria, quia Martyrium conuenit cum sacramento in causando; sed nō in modo causandi. In secundo argumento maior est falsa, quia illa causalitas est vera quoad significationem, non quoad efficientiam. Et D. Tho. solum dicit Martyrium conferre gratiam; sed nec dicit, quod physicè, nec quod instrumentaliter, sicut auerit de Baptismo.

§. IV.

Virum sine attritione mors pro Christo sufficiat ad salutem animæ?

36. Sed tres adhuc supersunt difficultates.

Prima utrum peccatori sine attritione voluntas Martyrii opere consummata sufficiat ad dandam primam gratiam? Videtur affirmare Soto dist. 3. q. unica art. 1. §. 1. *Fit ergo, dicens. Martyrium nunquam detestationem peccatorum requirit; sed hunc solum actum, volo mortem pro Christo perpeti; hic enim cū ipso exteriori opere sufficit ad plenissimam indulgentiam omnium peccatorum quoad culpam, & poenam; si non opponatur obex complacentia alicuius criminis.* Et latius dist. 15. q. 1. ar. 2. conc. 3. inter alia ait. Sed faciamus hominem sic in Martyrium rapi ut atrocitas mortis eius occupet mentem; arbitror quod licet sit in peccato, dummodo non sit in eius actuali complacentia, aut proposito, illa perpetratione Martyrii obtinebit veniam apud Deum. Quia supplet vicem Baptismi. Et quia dicitur Matth. 10. *Qui confessus fuerit me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. Et qui perdidit animam suam (id est, vitam) propter me, in vitam æternam custodit eam.* Probat

bat multis argumentis: & concludit: Non enim de Martyribus legitur, quod sub illum articulum peccata plangerent; sed quod curarent animum contra terrores mortis coarctare. Idem docet Vega ubi supra.

37. Suarez disp. 29. sec. 3. concl. 3. dicit, probabile est, quamuis per se sit necessaria formalis poenitentia peccatorum ante Baptismum sanguinis; tamen ex accidenti cōtingat hominem excusari à culpa omissionis huiusmodi poenitentiae propter naturalem inaduertentiam, & obliuionem peccatorum, solam voluntatē moriendi pro Christo esse sufficientem dispositionem ad obtinendam veniam peccatorum, & gratiam ex priuilegio Martyrii. Vel quia illa voluntas est virtualis dilectio Dei. Vel ex speciali priuilegio, & promissione Christi facta Martyrio in Scriptura. Cui fauet Ecclesiæ consuetudo, quæ ut Martyrem veneretur, nullum aliud experimentum, aut poenitentiam explorat, præter hoc, quod pro Christo passus sit. Et quia moraliter loquendo, ille homo non ponit obiectionem gratiæ. Voluntasque coniuncta tali operi in tali articulo virtualiter retractat peccatum.

38. Sequuntur Henriquez lib. 2. c. 36. n. 2. lit. K. & Granada tract. 3. disp. 3. sec. 3. an. 24. vsque 28. quia D. Tho. nullum dolorem significat esse necessariū, sed sufficere, si voluntas non adhæreat peccato. Ibi. *Nisi actualiter voluntatem peccato inuenerit inherentem.* Videnturque aliquantulum fauere Bellarminus lib. 2. de Poenitentia cap. 9. ad 2. & Lessius libro 3. cap. 1. n. 50. dum sufficere dicunt contritionem, vel attritionem virtuales; si autem non sit talis per se, credibile esse non sufficere. Expressè tamen tenet Bonacina tom. 1. disp. 2. q. 1. punct. 1. n. 10. citans Henriquez, Filliutium, & Pitigianum.

Item Auersa q. 70. sec. 6. in fine. §. *Ex his,* ait. Satis probabile est, adhuc sine præuia attritione, si ab hac etiam elicienda, obliuione, & naturali incōsideratione excusatus sit Martyr, verè iustificari. Nam obligatio quidem urgebat, non de sola attritione, sed de contritione: ergo si ita homo ab actu attritionis, sicut contritionis excusetur, poterit adhuc iustificari. Et hoc censetur speciale priuilegium Martyrii supra sacramentum, quod alioqui sine præuia attritione non iustificat: quia est medium commune, & ordinariū: ac proinde non nisi iuxta communē, & ordinariam regulam confert gratiam.

39. Admonet tamen Granada num. 28. debere eam voluntatem esse actum supernaturalem; quia ut quis iustificetur in sacramē

tis, aut extra illa, indiget aliquo actu supernaturali, qui sit dispositio ad gratiam supernaturalem: nam solus actus naturalis improprie portionatus est fini supernaturali.

40. Hanc sententiam esse contra communem Theologorum, & sine idoneo fundamento, dixit Vazquez disp. 153. cap. 5. num. 59. Nuño etiam 3. par. quaest. 66. art. 12. difficulter vnica in fine ait. *Mihi non videtur ista sententia probabilis, quoniam lex generalis est nullum posse iustificari post Baptismum, nisi per Poenitentiam: sed talis volitio, neque est poenitentia formalis, neque virtualis; quia potest esse cum actuali affectu ad peccatum: si quidem miles mulieri deditus ex fornicationis affectu, potest cum effectu dare vitam pro fide Christi: qui Deum non diligit super omnia adæquate; sed solum partialiter in rebus ad fidem pertinentibus.* Idem dicit Aegidius Coninch quaest. 56. art. 12. dub. 2. concl. 7. num. 153. aliterens, quod ea, quæ dicit Suarez, absolute accepta sunt satis difficilia. Videturque concordare Castus Palans tract. 19. punct. 14. §. 2. num. 9. Expressè Galpar Ruyz art. 12. dub. ult. concl. 4. probat ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 1. dicere. *Fuit quidem Poenitentia vniuersis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quous tempore ad gratiam, & iustitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi sacramento ablui permissent.* Et ultra argumentum factum, probat, quia volitio non peccandi aliquam speciem peccati, non tollit volitionem, quam habuit erga aliud peccatum alterius speciei; quia non habent aliquam oppositionem.

41. Fatentur tamen Coninch, & Ruyz, quod si obliuione, vel inaduertentia, non recederetur peccatorum, & potius velit mori, quam Deum in aliquo mortaliter offendere, quod si pro Christo moriatur, iustificabitur, & saluabitur propter contritionem, vel attritionem virtuales. Et hoc solū est, quod admittunt Bellarminus, & Lessius. Et reuera solum hoc potest admitti; quia nullo modo fundamento ostendi valet Baptismum sine attritione non dare gratiam, & eam dare Martyrium: cum Christus Dominus omnibus dixerit Lucae 13. *Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.*

42. Rectè etiam admonet Soto in 4. dist. 15. q. 1. art. 2. post 3. conc. §. *Sed tandem* (quem Suarez, & alij communiter sequuntur, & ex professo probat Cabrera conc. 3. §. 6.) ut hoc priuilegium nemo cogitet ad alios actus quantumuis ferentes charitatis extendere: quia est singulare perpeū Martyrii

rij, quo se homo Deo sacrificat. Neque vero fetuori desiderij Martyrij, vt putat Scot^o, id tribuerim, quando Martyr non est in actu passionis: desiderare enim Martyrium absque formalis poenitentia non sufficit: sed illud perpeti: nam tunc dumtaxat homo actum conuertitur Christum, & animam pro eo ponit: cui hoc privilegiū adscribitur. Hæc ibi. Quæ doctrina est D. Tho. in 4. dist. 49. q. 5. art. 3. q. 2. ad 3. dicens: Similiter cum actus Martyrij maximam difficultatē habeat, voluntas Martyrij non pertingit ad illud meritum, quod actus Martyrij debetur ratione difficultatis. Quamuis possit etiam peruenire ad alterius præmium, considerata radice merendi: quia aliquis ex maiori charitate potest velle sustinere Martyrium, quam alius sustineat. Vnde voluntariè Martyr potest mereri sua voluntate præmiū. & essentielle æquale, vel maius eo, quod Martyri debetur. sed aureola debetur difficultatis, quæ est in ipsa pugna Martyrij. Vnde aureola voluntariè tantum Martyribus non debetur. Videatur etiam Soto in 4. dist. 49. q. 5. art. 2. §. Ad hæc tandem. Et antea §. Veritamen. Nec illa voluntas est Baptismus sanguinis, cum iste solum fiat, cum de facto, & cum effectu sequitur mors pro Christo: nõ est Baptismus flammis, cum nõ sit actus charitatis, aut contritionis: ergo absque illo fundamento in Scriptura, Patribus, aut Theologis, ei tribuetur lapplere vicem Baptismi aquæ; cum verba Christi pro vniuersali necessitate Baptismi sint absoluta, & vniuersalia, & pro exceptione illa nullū sit fundamentum: siquidē nullo modo est Baptismus.

§. V.

Quando datur gratia Martyrij?

43 **S**ecunda difficultas, inter argumēta primæ sententiæ etiam obiecta, est in quo instanti Martyrium primam gratiam confert: quia supposita sententiā D. Thomæ, & cōmuni Theologorum, quod mors est de ratione Martyrij, videtur inferri, vel quod ille, qui nunquā in via fuit in gratia, saluetur: quod est contra illud: *Vbi ceciderit lignum, ibi erit, siue ad Austrum, siue ad Aquilonē*: & quod in vita præsentī nõ habeatur omne meritū, vel demeritum. Vel quod in alia vita quis mereatur: cum tamen ibi non sit fides, nec via, nec peregrinatio: siquidem solū *quādiū sumus in corpore, peregrinamur à Domino; per fidem enim ambulamus.*

44 Non facillè, nec vno modo Theologi respondent. Caiet. 2. 2. q. 124. ar. 4. ad 4. respondet, quod in huiusmodi tribulationibus cōtinuatis vsque ad mortē, est actus Martyrij

meritorius: & mēsuratur hic actus tempore immediatè precedente instanti mortis, vt mēsuratur successiua; & instanti mortis, quatenus tunc Martyr moritur, vt termino successiua; mēsuratur. Et hoc sub alijs verbis dicitur, quod sicut mēsuratur est sustinere cōtinuatū ad mortē; ita mēsuratur est tēpus terminatum ad instanti mortis. Ita quod sustinere, vt cōtinuatū morti, est Martyriū: & tempus, vt terminatum ad instanti mortis, est mēsuratur Martyrij. Et in hoc fige peccatū. Et infra ait, quod in tēpore immediatè precedente instanti est tolerantia mortis, vt in via indefectibili omnino a morte: *in ipso instanti est tolerantia mortis vt in termino: in quo non inuenit mereri vt in termino.*

45 Sed quia terminus viæ non videtur esse instans meriti, nec tunc est fides, & peregrinatio; idēo vt illi, & alijs argumentis occurrat Thom. qui nouissimè sequitur opinionē Caiet. tract. 5. de vero Martyrio fidei resol. 3. §. 7. fol. 97. id explicat ex doctrina Suar. de sacram. in gen. disp. 8. sec. 2. docentis in sacramentis dari quodam mutū esse vltimū; & intrinsecū, in quo phyticè causant gratiā: quia in illo verificatur, quod sit sacramētum perfectum; & completū. Pariter in præsentī, licet homo desinat extrinsecè; instans extrinsecum viæ hominis, est intrinsecū Martyrio: quia in illo perficitur, & completur. Quare numquā homo moritur in peccato; sed in gratia: quia moritur in instanti extrinsecū; quod licet extrinsecū viæ, est intrinsecum gratiæ, & extrinsecum destinationi peccati; quod fuit toto tempore antecedenti, & in illo instanti non est, cum in illo infundatur gratia: quæ simul est gratia peccati ad viā, quia producit in termino viæ, & in eodem instanti consumatur per gloria: & sic prius natura intelligitur nõ perfecta, & in posteriori intelligitur consummata, & perfecta. Nec dicit Caietanus, quod post vitam sit non meritum: sed quod sustentia passionis mēsuratur tēpore successiua, & cōsumatur morti, cui completur tribuitur aureola: & tunc non est fides, sed tēpore antecedente.

46 Peior tamen, & pluribus scatenis difficultatibus, est modus iste dicendi, quā ipsa principalis sententiā. In primis, quia rectæ Phylosophiæ nõ concordat constituere illa mutata esse intrinsecè terminatiua successiuorum; vt iam ostendimus q. 62. dub. 3.

Secundo, quia cum Martyrium est in fieri, & non consummatum, non causat gratiā completè perfectè, vt Caietanus docet. Cū est Martyrium consummatum, iam non est

vita,

vita, nec intrinsecè, nec extrinsecè: ergo saluatur per Martyrium ille, qui realiter in nullo instanti viæ habuit gratiam. Tertio, ad huc in Angelis multi non valent intelligere, quod in eodem instanti sit in via, & in termino (de quo 1. p. q. 62. art. 5.) ergo multo minus id poterit verificari in homine; quia in termino viæ non manet homo.

47 Quare secundus dicendi modus est aliorum alicentium dari gratiam Martyri in instanti mortis: tamen illud non esse primum non esse hominis; sed vltimum esse illius. De qua sententiā inquit Suárez disp. 29. sec. 3. in fine, quod est quidem accommodata ad saluanda omnia principia Theologiæ: quia iuxta illam, anima in eo instanti adhuc est corpori mortali vnita: adhuc ergo est in via, & nondum est capax visionis, sed fidei: & idēo potest tunc de quo iustificari: ergo cum Martyrium tunc consummatum, verisimile est tunc habere effectum. Verū hæc sententiā supponit principium phylosophicum paucis probatum: nam fere omnes sentiunt, res permanentes desinare per primum non esse: quod modo disputandum non est, neque negandum: nam quomocumque homo desinat esse, potuit Deus hæc gratiam concedere Martyribus, adhuc in corpore viuētibus.

48 Cæterum illa sententiā nõ ad eò paucis probatur, quod ei non faueat D. Thomas in 4. dist. 14. q. 2. art. 5. ad 5. dicens, quod forte non est accipere vltimum instans: *ut a; sed est accipere primum instans mortis; alias inter primum instans viæ, & primum instans mortis, cū sit aliud, & aliud instans, esset mediū tēpus. Sed supposito, quod sit vltimum instans viæ; tunc in illo eodē instanti, & gratia infunditur, & motus poenitentiae homo habebit: & talis poenitentia sufficit ad salutem, vt dicit August. de Eccl. dogmat. cap. 30. Et Soto in 4. dist. 19. q. 3. artic. 3. conc. 3. ait: *Foras anima non desinit in toto tempore per vltimum sui esse, quandoque successiue membra deserit. Secundo, quamquam daretur minima pars in corde, in qua potest seruari vita, atq; ad eò daretur vltimum esse illic anime; tunc tamen non est usus liberi arbitrij, vt possit per charitatem fieri remissio culpæ.* Deinde Henríquez libro 2. de Baptismo cap. 39. nu. 2. ait. Quidam satis probabiliter aiunt hominē, quia habet animam indiuisibilem, & immortalem, desinare per vltimum sui esse: & in eo instanti accipere irrevocabilem sententiā Christi iudicis. Cadaver vero hominis per accidens generari per vltimum non esse. Quo admissio, facile est concedere in eo vltimo instanti dari homini attrito adhuc viatori primam gra-*

tiam, cum remissione totius poenit: & ei dari aureolam martyrij. Hæc ibi. Et in Glosa lit. c. ait. Vega lib. 9. in Trid. cap. 43. refert eam sententiā gratanter susceptam fuisse à multis Patribus, dum in Concilio Tridentino tractaretur questio de certitudine gratiæ. Et Soto dist. 19. q. 3. art. 3. conc. 3. dicit probabile (Sed iam eius verba retulimus, quæ contrarium docent, quamuis cum formidine) & verbo retulit se, dum adesset Concilio, ita asseruisse. Quod probabile putat D. Thom. in 4. dist. 14. q. 2. ar. 5. ad 5. Guevara, & quidam recentiores. Hæc Henríquez. Imò libro 6. Phylsorum q. 5. nu. 24. cum D. Thoma, & cōmuni diximus, quod forma substantialis, quæ desinit ad generationem alterius, desinare per primum non esse: & quod non est inconueniens, quod per accidens substantia incipiat, vel desinat in tempore: ac per consequens nec erit inconueniens per accidens cadaver generari per vltimum non esse: sed hominē desinare per vltimum sui esse. Ex quibus omnibus patet talem sententiā esse valde probabilem.

49 Sed quia est questio phylosophica, & incertum quid re ipsa eueniat, & certum est quod vtroque modo potuit euenire: Ex hypothesi oppositæ sententiæ, adhuc est respondendum. Idēo Vega lib. 6. in Conciliū Tridentinū c. 37. Henríquez illo cap. 39. nu. 2. & lit. d. & e. Suárez disp. 29. sec. 3. in fine. Granada trac. 3. disp. 3. sec. 4. n. 32. Nuño ar. 12. ad septimū. Cabrera a. n. 58. & 59. Ruiz ad 2. folio 601. Bouacina disp. 2. q. 1. punct. 3. n. 1. Trullench lib. 2. cap. 1. dub. 10. n. 11. dicunt dari gratiam in aliquo instanti determinato ante mortem, quando homini iam sunt lethalia vulnera inflicta vt dicatur constitutus in articulo mortis naturaliter iam inuitabilis, quia Martyrium coram Deo habetur pro completo. Addunt Coninch dub. 3. & Vazquez disp. 153. nu. 48. & Auertia q. 70. sec. 5. in fine; aut hominem non posse peccare, quia non confertur ei gratia nisi in instanti ad eò propinquo morti, quo iam nõ sit compos amplius libertatis. Aut tandem ex vi eiusdem Martyrij in gratia confirmari, vt infallibiliter permaneat, ac finaliter deo dat in gratia, vt indicauit Nizetas in Orat. 3. S. Greg. Nazianzeni, dicens: *Qui Martyrio baptizatus est, sequētis vite sordē nõ extimescit.*

50 Explicat M. Serra 3. p. q. 96. art. 1. 2. §. Si querat folio 184. hunc dicendi modum, quem ipse sequitur, conuenienti exemplo. Sicut enim Christus ante mortis instans dixit: *Consummatum est*: nam hoc dicto caput inclinavit; & inclinatio capite tradidit spiritum: ita

ita & de quolibet Martyre verificari potest ante mortis instans brevissimo tempore mediante, consummatum esse cursum vitæ, certaminis, & agonis eius: quia quamvis physice non sit consummatum; moraliter tamen consummatum intelligitur. Vnde Divus Thomas 2. 2. q. 124. art. 4. ait, quod meritum Martyrij non est post mortem: sed in ipsa voluntaria sustinentia mortis, prout scilicet aliquis voluntarie patitur inflictionem mortis. Et 2. ad Corint. 15. lec. 8. ad illa verba: *In momento, in ictu oculi: docet, quod momentum potest accipi, vel pro ipso instanti temporis, quod dicitur nunc: vel pro aliquo tempore imperceptibili.* De quo etiam idem D. Thomas in 4. dist. 43. q. 1. artic. 3. q. 3. Ex quibus constat quod moraliter potest dici consummatum, quando solum vnicum deest instans extrinsecum, vel intrinsecum: seu quando deest tempus vix perceptibile.

51 Casu autem, quod post vulnera læthalia, ex quibus naturaliter inevitabiliter sequitur mors, quis miraculose superuiuat, dicit Suarez in fine sec. 3. adhuc illi dandam gratiam Martyrij: Tum quia non est verisimile Deum priuare hominem effectu gratiæ suæ propter miraculum, quod in eo vult operari. Tum etiam quia non est cur dicamus de ratione Martyrij esse, vt mors nullo modo impediatur, & non satis esse pati vsque ad mortem naturaliter inevitabilem: nam per huiusmodi passionem æquæ testimonium fidei redditur. Quod si miraculose intercedat, adauget testimonium, non minuit. Virtutes etiam fidei, fortitudinis, & aliæ æqualiter exercetur. Denique ait, quod pie credi potest, nunquam Deum esse miraculose liberaturum Martyrem ab huiusmodi morte, quin illum in gratia confirmet: quia & hoc donum est valde consentaneum dignitati Martyrij: & quia cum Deus tunc miraculose reuocet (vt sic dicam) illum hominem à Paradisi tanua, illumque detineat, ne beatitudinem accipiat, quam statim esset infalibiliter consequuturus, valde consentaneum est prouidentia eius, vt eum confirmet in acquisito iure beatitudinis. Sequitur Bonacina punct. 3. nu. 2. & 3. quamuis cum Cōinch addat hoc vltimum esse incertum, quia nullibi reuelatum. Tenetque Cabrera n. 59. & Ruiz folio 602. Id ipsum latius docet Thomas Hurtado de vero Martyrio fidei trac. 3. resol. 22. §. 2. & tract. 5. resol. 35. §. 4. non bene id tribuens D. Thomæ, & Caietani, qui oppositum docent. Huic parti fauet Fonseca 2. p. vitæ Christi cap. 26. folio 1701.

52 Nihilominus D. Thomas in 4. dist.

49. q. 5. artic. 3. q. 2. ad 7. ait, quod si aliquis propter fidem vulnus mortale accipiat, & superuiuat, non est dubium, quod aureolam meretur: sicut de beata Cecilia, quæ triduo superuixit: & de multis Martyribus, qui in carcere sunt defuncti. Et infra. Si vero ex vulnere mortali suscepto non moriatur aliquo casu contingente, vel etiam vulnera non mortalia susceperit, & adhuc carcerem sustinens moriatur, adhuc aureolam meretur. Vnde & quorundam Sanctorum Martyria in Ecclesia celebrantur, qui in carcere mortui sunt, aliquibus verberibus longe ante susceptis: sicut patet de Marcello Papa. Qualitercumque igitur afflictio propter Christum illata vsque ad mortem continuatur, siue mors inde sequatur, siue non, aliquis Martyr efficitur, & aureolam meretur. Si vero non continuatur vsque ad mortem, non propter hoc aliquis dicitur Martyr: sicut patet de Syluestro, de quo non solemnizat Ecclesia, sicut de Martyre, quia in pace vitam finiuit; quæuis prius aliquas passiones sustinuerit. Hæc D. Thomas. Qui idem docet 2. 2. q. 124. art. 4. ad 3. & 4. & ibi Caietanus in fine. commentarij. Abulensis ad cap. 12. Mathæi q. 20. Syluius in Additionibus ad 3. p. q. 96. artic. 6. §. Quartum. Valentia 2. 2. disp. 8. q. 2. punct. 1. §. *Vi autem.* Granados controu. 4. de Baptismo trac. 3. disp. 3. sec. 4. n. 36. in fine dicens. Respondetur, si Deus prouideat hominem iam fere morientem ad vitam ipsius beneficio reuocandum, eo ipso nolle illi conferre palmam Martyrij; quod non nisi morte consumatur: ac proinde non conferet illi gratiam respondentem Martyrio ex opere operato. Potest tamen aliunde supplere gratiam Martyrij conferendo vberiora auxilia, quibus potest meretur æquale saltem præmium, illi quod ratione Martyrij conferretur: id quod ita futurum esse persuadet diuina liberalitas. Itaque dat quidem Deus Martyri prædictam gratiam paulo ante mortem, dum modo prouideat illum re ipsa moriturum. Affert D. Tho. in 4. dist. 49. licet non integra verba referat.

53 Quæ confirmantur ex illo quod canit Ecclesia: *Hic est vere Martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit.* Et Clemens Alexandrinus libro quarto Stromatum ait. *Consumationem vocamus Martyrium; non quod finem vitæ homo acceperit; sed quod perfectum opus ostenderit Charitatis.*

Ratione assignat D. Thomas 2. 2. q. 124. art. 4. Nam Martyr dicitur quasi testis fidei Christianæ, per quæ nobis visibilia pro inuisibilibus continentia proponuntur, vt dicitur

dicitur ad Hebr. 11. Ad Martyrium ergo pertinet vt homo testificetur fidem, se opere ostendens omnia præsentia cōternere, vt ad futura, & inuisibilia bona perueniat. Quando autem homini remanet vita corporalis, nondum se opere ostendit corporalia cuncta despiciere. Cōsueuerunt enim homines, & consanguineos, & omnia bona possessa cōternere, & etiam dolores corporis pati, vt vitam conseruent. Vnde & Satan contra Iob induxit cap. 2. ver. 4. *Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Id est, pro vita sua corporali. Et idem ad perfectam rationem Martyrij requiritur, quod aliquis mortem sustineat propter Christum.

54 Confirmat dupliciter Caietanus ibi §. *Ad huius rei euidētiam:* quia & Martyrium est summum testimonium, & est actus exterius maximæ charitatis. Ex parte siquidem testimonij, quia Martyr dicitur testis antonomastice; & similiter Martyrium dicitur testimonium per excellentiam: ergo Martyrium est testimonium summum in genere exteriorum testimoniorum: ergo Martyrium consistit in opere, quod est ponere vitam: quia multi cruciatus sustinent vt mortem euadant: vt patet in his, qui à iudicibus malefactorum torquentur.

Ex parte verò dilectionis, martyrium est actus maximæ charitatis: ergo est ponere vitam pro Deo; iuxta sententiā Domini Ioan. 15. *Maiores charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat.* Non dixit, vt animam suam, hoc est, vitam, ponere imperet: sed ponat: ponere siquidem vitam, differt ab actu imperatiuo ponendi, sicut executio ab imperio.

55 Duo alia motiua adijcit ibidem Caietanus: nam secundum doctrinam S. Augustini, ab Innocentio Tertio, & à tota Ecclesia receptam, omnes verè Martyres sunt salui: sed quod homo miraculose superuiuens ex vi prioris miraculi maneat confirmatus in gratia, quæ facilitate dicitur, contemnitur: imò multi post multa tormenta pro fide tolerata, postea diuturnitate, vel acerbitate tormentorum, à confessione fidei defecerunt: & sicut Iudas post Apostolatam ex diuina electione, ex propria iniquitate fuit damnatus: ita poterit euenire, quod post varia tormenta pro Christo tolerata, quis Christum abneget: nam quidam cum spiritu cooperint, carne consummantur. Vnde Apostolus ad Galat. 3. ver. 3. ait. *Sic stulti estis, vt cum spiritu cooperitis, nunc carne consummaminis.* Sicut contigit vni ex quadraginta Martyribus, qui in Martyrio defecit, cum iam naturaliter

viuere non potuit, vt ad intentum, cum Cōinch, notat Castrus Palaus tract. 19. puncto 14. §. 1. n. 3. in fine. *Hoc* (inquit S. Augustinus lib. 2. ad Simplicianum. q. 1.) *fit non mutabilitate Spiritus Sancti, qui est incommutabilis cum Patre, & Filio; sed mutabilitate animi humani: Deo cuncta distribuente, siue malis pro merito animæ natronis, vel emendationis; siue bonis pro largitate gratiæ suæ.* Ergo vsque ad mortem inclusuè, nullus est completè, & perfectè Martyr. Deinde, multi Martyres sæpius vulnerati lætali ter, miraculose euaserunt: & tamen in rigore Theologorum, non fuerunt verè, & perfectè Martyres, nisi semel: ergo mors est de ratione Martyrij completè, & perfectè accepti. Quæ propter Pamelium in epist. 9. sancti Cypriani. n. 2. (quæ refert, commendat, & sequitur Baronius in notis Martyrologij ad secundam Ianuarij lit. H.) ait. *Martyrium nomen hodie dumtaxat illis attribuitur, qui mortem pro Christo perpessi sunt: olim verò, & potissimum ætate Cypriani, etiam illis, qui à confessione nominis Christi nulla tormentorum atrocitate abduci poterant, quos eleganter Tertullianus libro ad Martyres, designatos Martyres nuncupat; alibi etiam simpliciter Martyres dicit.* Sed Theologorum acceptionem esse in Ecclesia ab antiquis temporibus receptam, constat ex antiquissimo Origene Adamantio to. 5. in Ioannem, ad illa verba cap. 1. *Hic venit in testimonium dicente. Quisquis testificatur de veritate, cum verbis, cum factis quomodocumque; fruens illi, is iure testis dicendus est. Sed iam fraternitatis more* (hoc est more Christianorum) *qui admiratione prosequuntur (nempe affectum eorum, qui vsque ad mortem pro veritate, & fortitudine certauerunt) eos proprie solum nominant Martyres, seu testes, qui sui ipsorum sanguinis effusione diuini cultus mysterio testimonium reddiderunt.* Quibus omnibus satis firmata manet sententiā D. Thomæ.

56 Nonnullis forsitan placebit ambas opiniones in concordiam redigere, dicendo D. Thomam loqui de Martyrio propriissime, & strictissime; at verò alios Theologos accipi posse de Martyrio in minus stricta significatione. Quem dicendi modum videtur iudicare Laurentius Beyerl. in Theat. vit. human. ver. *Martyrij:* cōstituens quatuor gradus Martyrij: & solū primū exigit, quod per mortem subsequitam compleatur. Secus vero alij tres gradus. Sed hæc graduum Martyrij distinctione admittitur, videndum restat, an priuilegia, quæ Scriptura, Patres, & Theologi cōcedunt primo gradui Martyrij, seu Martyrio strictissime sumpto, prout est in vsu Ecclesiæ, & prout ei debetur aureola Martyrij,

debeant extendi ad alios Martyrij gradus. Et mihi quidem nullum occurrit fundamentum solidum ad ea privilegia extendenda; nec ad affirmandum, quod suppleant vicem Baptismi, & multo minus ad asserendum quod ex vi illorum maneat in gratia confirmati. Quare nullatenus recedendum arbitror à iam itabilis sententia D. Thomæ.

§. VI.

De infantibus pro Christo occisis.

57 Tertia difficultas, vtrum doctrina data habeat locum in pueris pro Christo occisis, antequam ipsi per propriæ voluntatis actum liberum possint desiderare, vel acceptare passionem mortis?

Sunt circa hoc diuersæ Theologorum sententiæ: nam Armacanus libro 8. de quætionibus Armenorum cap. 37. in fine, iudicat probabile infantem occisos ab Herode, qui circumcisi non erant, non fuisse saluos; sed tantum circumcisos, qui soli dicuntur Innocentes; non vero ceteri, qui erant in peccato originali; festum autem eorum dicitur festum Innocentium. Similiter Adrianus in 4. q. vltima de Baptismo, ad tertiam dicit non constare ex Sacra Scriptura, aliquos ex illis infantibus pro Christo occisis, qui non fuerunt prius circumcisi, saluos fuisse: & ita quæuis pie credatur fuisse saluos; non tamen temere id esse asserendum, cum nihil certi ex Scriptura, & doctrina Ecclesiæ habeamus. In dicit etiam Alexander Alensis, qui 4. p. q. 8. membro 9. art. 5. §. 1. docet Baptismum aquæ pluribus prodesse, quam Baptismum sanguinis, quia prodest paruulis, & adultis; Baptismus autem sanguinis solum adultis, eo quod debeat ex affectu charitatis procedere, qui in paruulis esse non potest.

58 Præterea Altisiodorensis lib. 3. Summæ trac. 10. q. 2. folio 198. asserit Innocentes ab Herode occisos ex privilegio dignos fuisse vera Martyrum laureola. Michael etiã Aiguanus, seu de Bononia in 4. dist. 3. q. vnicâ folio 558. refert, nec reijcit, quod Guido, & Hugo cap. *Catechumenum, de Consecratione*, dist. 4. & Bachon dicunt, quod si nunc alij paruuli, antequam veniant ad Baptismum, interficiantur ab infidelibus in odium Christi, quod non saluaretur sine Baptismo aquæ; nisi in oppositum esset reuelatio Spiritus sancti. Nec trahendum est in exemplum sacramentum Innocentium, quia illud inter diuina miracula, & Dei ordinationes computatur.

Ex parte fauet Vazquez disp. 153. cap. 7. in fine dicens paruulos legis antiquæ, etiã si pro Deo occiderentur, non futuros Martyres: nam de illis pro lege veteri nihil scriptum inuenitur: nec tunc erat aquis communicata à Christo virtus abluendi animam. At in lege veteri, sicut aqua hanc vim non habuit, ita etiam nec mors pro Christo instar sacramenti in paruulis vim obtinuit iustificandi: adultis vero solum ratione charitatis, ut nunc etiam ad salutem profuit, sicut Machabæis.

59 Per oppositum Theophilus Raynaudus libro de Martyrio parte secunda cap. 2. de passio infantis, sic ait. Certum debet esse, mortem paruulis ante rationis usum, in odium fidei illatam, esse formaliter, ac præcisè Martyrium, potiusque prærogatiuis illis, quas postea vero Martyrio assignabimus. Hæc sententiâ firmissime euincitur sensu Ecclesiæ de infantibus ab Herode in Christi odium caesis: eos enim Ecclesia, veritatis columna, iam olim vt Martyres veneratur; eoque titulo Martyrij veri, ac simpliciter dicti, iam ab Apostolorum ætate celebrat; Patresque passim nomen, & decus veri Martyrij in illis agnoscunt.

60 Nihilominus huic difficultati sequèribus propositionibus est satisfaciendum. Dico primo, inhabitatum est paruulos ab Herode occisos, fuisse saluos, & esse vere Martyres. Est ita certa, quod Soto in 4. dist. 3. q. vnicâ art. 1. §. Præter hæc, dicit, quod prima opinio peior est, quam falsa: repugnat enim Authoritati Ecclesiæ Martyrium Innocentium celebrantis. Nunc etiam art. 12. dicit quod est temeraria, & proxima errori. Vazquez cap. 7. n. 72. ait, quod temeritatis, & erroris notam meretur. Vt temerariam reijciat Suarez disp. 29. sec. 1. Cabrera art. 12. disp. vnicâ §. 4. n. 26. & passim alij. Probât primo ex Patribus: nempe S. Leone ser. 1. de Epiphania parum ante finem. S. August. ser. 3. de Innocent. eos appellat *Flores Martyrum*. Et ser. 6. de Epiphania ait. *Felix infantium ignorantia: pro Christo potuerunt pati, quæ nondum poterant confiteri*. lib. 2. de Symbolo cap. 5. & lib. 3. c. 4. & epist. 28. post mediū, & lib. 3. de lib. arb. cap. 23. S. Bernardo ser. 66. in Cant. longe post mediū. Et in Authore de operibus cardinal. in ser. de Stella. post medium. Item Origenes to. 2. hom. 3. diuersorum, non longe a fine. S. Iustinus q. 13. ad Orthodoxos. Et S. Hilarius can. 1. in Math. S. Eucherius hom. 1. de Epiphania. S. Greg. Nazianzenus orat. 38. & S. Greg. Nissenus orat. de Christi Natiuitate. S. Petrus Crisologus serm. 152. & 153. & S. Ambrosius lib. 2. in Luca.

cam. Et in sermone de Innocentibus iterum S. Bernardus, Beatus Laurentius Iustinianus, & alij passim.

61 Deinde D. Thomas 2. 2. q. 124. art. 1. ad 1. ait. Quidam dixerunt, quod in Innocentibus acceleratus est miraculosè liberi arbitrij usus: ita quod etiam voluntariè Martyrij passi sunt. Sed quia hoc per authoritatem Scripturæ non comprobatur. Ideò melius dicendum est, quod Martyrij gloriam, quam in alijs propria voluntas meretur, illi paruuli occisi per Dei gratiam sunt assequuti. Nã effusio sanguinis propter Christum vicè gerit Baptismatis. Vnde sicut in pueris baptizatis per gratiam baptismalem meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam: ita & in occisis propter Christum, meritum Martyrij Christi operatur ad palmam martyrij consequendam. Vnde Augustinus dicit in quodam sermone de Epiphania, quasi eos alloquens. *Ille de vestra corona dubitauit in passione pro Christo, qui etiam paruulis Baptismum prodesse non estimat Christi. Non habebatis etatem, qua in passurum Christi crederetis; sed habebatis carnem, in qua pro Christo passuro passionem sustineretis*. Ex quo vnanimi consensu Patrum certificamur de Ecclesiæ traditione.

62 Solutionem autem, quam primæ sententiæ auctores excogitarunt, impugnat Soto dicens. Quod si respondeant illi, Ecclesiæ non celebrare nisi festum eorum, qui erant circumcisi: Bisariam redarguuntur. Primum, quod est, quæ maximè probabile quoddam Gentilium fuisse, tunc vetana illa Herodis rabie trucidatos. quando quidem ab immitu, & infra omnes indiscriminationem in circuitu Hierusalem interfecti leguntur; vbi Gentiles etiam nonnulli commemorantur. Quare Ecclesiæ absque vilo discrimine omnes pro Sanctis dicit, cum Augustino in quodam sermone Epiphaniæ, & alijs Patribus in cocionibus Innocentiam. Sequendū, quia quamuis omnes fuisse circumcisi, nisi aliqua gratia, & privilegium apud Deum illis per illam truculentam necem accreuerit, non diceretur Sancti: Ecclesiæ enim non celebrat vt Sanctos quoscumque credit esse in gloria: alioqui paruulos omnes decedentes in gratia baptismali, Sanctorum solemnitate extolleret: sed illos præsertim, qui apud Deum locum habent insignem. Neque vero pro Martyribus haberentur. Laureola namque Martyrij non donatur, nisi cum aliqua gratiæ laurea. Quod circa, qui non fuerunt circumcisi, sanguine suo baptizati sunt. Hæc ibi.

Præterquam quod multi octauum diem non attigerant, antequam circumcisi non po-

terant. Vnde S. Bernardus serm. de Innocentibus, ait. *Quemadmodum ceteris infantibus, tunc quidem Circuncisio, nunc vero Baptismus sine vilo proprio voluntatis usui sufficit ad salutem; sic nihilominus pro eo susceptum Martyrium illis, sufficit ad sanctitatem*. Et serm. 66. in Cant. *Qui hoc credit, sciens huic persuadetur, non enim Ecclesiæ præsumere, non solum paruulis baptizatis in sua fide salutem, sed etiam interfectis pro Christo in fustibus coronam Martyrij*. Pariter S. Augustinus serm. 8. de Sanctis sine acceleratione vsus rationis gratiam, & gloriam Martyrij illis concedit, dicens. *Quantis modis infantem volebat mater abscondere, & ipse se infantulus publicabat, nesciebat tacere, quia nec dum didicerat formidare*.

63 Dico secundo, hoc privilegium etiam est extendendum ad omnes alios infantulos pro Christo occisos. Est communis duplici motiuo. Primo, quia ratio, cur occisi ab Herode, creduntur Martyres, est quæ ex Patribus assignatur a D. Thoma, quia effusio sanguinis propter Christum, vicè gerit baptismatis. Sed promissio Christi fuit vniuersalis, & Patres absque limitatione loquuntur: ergo de omnibus verificatur. Secundo: nam vltra pueros ab Herode occisos, alios Ecclesiæ vt Christi Martyres celebrat: nam in Martyrologio Romano sextadecima Iunii dicitur: *Tharj in Cilicia sanctorum Martyrum Quinti, & Iulii & matris eius sub Diocletiano Imperatore; puerum Quintus triennis puerulus, cum matrem, quæ ante Alexandrum præsidem, neruis durissimè cadebat, implacabili luctu lugeret, ad gradus tribunalis illius interijt*. De quo ibi Baronius lib. B. Et multi Auctores, quos refert Antonius Quintanaduenas in libro Sanctorum Ecclesiæ Toletana: fol. 413. nã Dexter anno 222. ait. *Hippone (seu Yepes) in Carpentania sancti Christi Martyres Cyrius, & Iulita sub Imperatore Alexandro lauream consequuntur*. Et in eodem Romano Martyrologio 24. Martij dicitur: *Tridentis passio sancti Iohannis pueri, a Iudæis feruissimè trucidati, qui multis postea miraculis corruscauit*. Passus fuit anno 1475. teste Baronio.

Fr. etiam Rudericus de Yepes in libro Sancti pueri de la Guardia, parte 2. cap. 3. & 4. Raynaudus, & Thomas Hurtado tract. 2. de vero Martyrio fidei reiol. 20. in fine mentionem faciunt Sancti Christophori trimuli, qui multa passus fuit à Iudæis. De alio meminit Vluadus, die 19. Aprilis, qui Triberti anno 1267. passus fuit. Et Vincentius Bellouacensis lib. 30. cap. 25. mentionem facit alterius, qui passus fuit a perfidis Iudæis anno 1185. S. Ambrosius lib. 1. Officiorum cap. 41. *Quid de*

de bimulis loquar, qui ante palmam victoria acciperunt, quam sensum naturæ? Vide in Theatro vitæ humanæ, verb. *Martyres*. Etatis respecta, fol. 281. & ibi tit. *Pueri*, folio 297. Et titulo. *Crucifixi* to. 2. folio 609. meminit Guilielmi, Richardi, Hugonis, Christophori, Maximi, Simeonis, & aliorum Sanctorum puerorum Innocentium, à Iudæis Crucifixorum; quia vt Sancti venerantur, & miraculis claruerunt. Ideoque ait Thomas Hurtado esse *remerarium* negare, quod alij infantes à Bethlemiticis, si pro Christo occidantur, non gaudeant Martyrum prærogatiuis.

64 Specialiter cum dicat S. Augustinus lib. 6. contra Iulian. cap. 3. Sacramentū Circuncisionis in figura præcessisse Baptismatis, sicut aqua baptismatis abluit maculas ex gratia illi data per Christum: ita & dabatur ad Circuncisionis præsentiam. Ergo pariter dabatur in antiqua lege in morte pro Deo tolerata. Imò fructuosius, & vberius, quia magis conformabatur Christo venturo, & per suam passionem, & mortem nos redempturo.

Adde, quod S. Ambrosius de bimulis veteri testamēti loquitur. Nec video cur quādo in persecutione Antiochi, de qua 1. Mach. 1. ver. 63. dicitur. *Et mulieres, quæ circumcidebant filios suos, trucidabantur, secundum iussum Regis Antiochi, & suspendebant pueros à cervicibus per universas domos eorum*: Sicut matres erant veteri Martyres, ita & filij earum, vt Glossa, & communiter Expositores ibidem, vel docēt, vel supponunt, non essēt verè Martyres, sicut occisi ab Herode: nam Christus quoad fructum, & quoad significationes, est *Agnus occisus ab origine mundi*. Vnde Soto in 4. dist. 49. q. 5. art. 2. §. *Ex quo sequitur*, ait, quod etiā ante legem Euangelicam potuerunt homines aureolam mereri, vt Machabæi, qui pro religione pugnabant: licet illam in limbo, quovsq; eos Christus in Cœlum euexit, nō obtinuerint. Et idem est de Ioanne Baptista, qui egregius fuit Martyr. Imò si quis fortè in lege naturæ pro religione veri Dei cum sola fide implicita morti occubuerit, vt Martyr nunc in Cœlo aureola insignitur. Et de Machabæis S. Greg. Nazianz. orat. 22. Tertul. & alij, quos citat Henriquez lib. 2. cap. 36. nu. 1. Bonacina disp. 2. q. 1. n. 4. Trullench lib. 2. cap. 1. dub. 10. n. 11.

65 Dico tertio, etiam pueri in matris uteris existentes, occisi propter Christum, vel directè, vel indirectè, sūt verè martyres. Est fere communis: nouem authores refert, & sequitur Granados tract. 3. disp. 3. sect. 2. n. 13. & decem, & nouem refert, & sequitur

Thomas Hurtado de vero Martyrio tract. 2. resol. 20. & communiorē sententiam esse dicit Serra art. 12. §. *Hinc sequitur*. Siquidē ille est Martyr, qui pro Christo occiditur: cuiusque mors in odium fidei, saltem virtualiter, aut comitanter intenta est.

66 Neque obstat primo, inquit cum Vazquez num. 80. Granado nu. 13. in fine, quod non videatur esse quid distinctum à matre: quia id, rigorosè loquendo, falsum est, cū habeat animam distinctam: & capax sit mortis, siue simul interficiatur mater, siue non. Nec secundo obstat, quod in utero existens non sit capax Baptismi aquæ: nam iste consistit in ablutione: & puer, nisi mater aperiat, abluui non potest: at Martyrium consistit in morte, quæ propriè infligi potest puero nondum nato.

67 Neque obstat tertio, quod dicitur in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 4. de iustificatione impij: *Sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest*: Nam, vt exponit Serra, §. *Neque his*: ibi est sermo de adultis, qui si non sint baptizati, iustificari non possunt sine Baptismi voto, saltem virtuali, incluso in actu contritionis, vel attritionis, etiam si pro Christo occidantur. Vel si ad paruulos etiam extendatur, loquitur Concilium de iustificatione, quæ fit per media ordinaria: sicque nō excludit medium extraordinariū, quale est Martyrium in his, qui nec baptismum aquæ, nec eius votū habere possunt, sicut sunt paruuli.

68 Dico quarto, in Innocentibus, qui carentes usu rationis pro Christo sunt occisi, non est tam completa, & perfecta aureola, ac est in adultis. Ita D. Thomas in 4. distinctione 49. q. 5. art. 3. q. 2. ad 12. vbi affert S. Bernardum, qui in serm. Sanctorum Innocentium, distinguit tria genera Martyrum, *voluntate, non nece, vt Ioannes; voluntate, & nece vt Stephanus; nece, & non voluntate, vt Innocentes*. Et secundum hoc, inquit D. Thomas, Innocentes sicut non pertingunt ad perfectam rationem Martyrij, sed aliquid martyrij habent ex hoc, quod passi sunt pro Christo: ita etiā aureolā habent, nō quidē secundum perfectam rationem, sed secundum aliquam participationem, in quantum scilicet, gaudēt se in obsequium Christi occisos esse, &c. Sequitur S. Antoninus 3. p. tit. 32. cap. 8. §. 6. ver. *Tertium genus Martyrij*. Paludanus in 4. dist. 49. q. 8. art. 4. in fine num. 18. dicens. De Innocentibus tamen Ecclesia, sicut de Martyribus solemnizat: & certum est, quod gaudium speciale habent de morte propter Christum suscepta, licet non electa: vnde non est comple-

ta ratio aureolæ. Idem docent Soto in 4. distinctione 49. q. 1. art. 2. §. *At vero*. Viguerius in Inst. cap. 6. §. 1. Abulenſis ad cap. 13. Martini q. 20. ad 12. Lessius lib. 3. de Iustitia capite 1. dub. 2. num. 12. dicens, quod erat solū *Martyrium materiale*: nam intelligentia rei testificandæ, & voluntas aberat. Quod significat Ecclesia in orat. dicens. *Deus, cuius precor innocentes Martyres, non loquendo, sed moriendo confessi sunt, &c.* Vnde Deus acceptat illam mortem *instar formalis martyrij*: nimirum vt sicut voluntas, & peccatum Adam illis obfuit, vt nascendo ex ipso contraherēt peccatum, ita voluntas, & meritum Christi illis prodesset, vt renascendo per ipsum consequerentur iusticiam.

§. VII.

*Argumenta soluuntur
proposita §. 2.*

69 **E**X dictis toto dubio promptū est, & facile ad argumenta primæ sententiæ respondere. Quæ enim proponuntur num. 8. & 9. soluta sunt ex dictis §. 4. quia eo ipso, quod martyrium vt est realis imitatio passionis Christi, ex eius priuilegio habet vicem baptismi, sufficit attritio formalis, vel virtualis, vt dicamus nō poni obicem, & gratiam conferri ex opere operato.

Ad primum propositum num. 10. respondetur, quod nō habere charitatem *contra* arie contingit dupliciter, vel cum quis habet propositum peccandi mortaliter, vel cum quis se tradit morti propter inanem gloriam: & in his duobus casibus dicit D. Thomas 1. ad Corin. 13. lect. 1. in fine, quod nihil prodest quantum ad meritum tradere corpus suum, ita vt ardeat. Sed non habere Charitatem solum *negatiue*, vel *privatiue*, stat dupliciter: vel simul in principio, & in termino: & sic sine Charitate nihil prodest ad meritum, & remissionem peccatorum: quia peccata non remittuntur sine gratia: & hæc non separatur a charitate. Vnde S. Augustinus tomo 7. libro 2. contra Cresconium Grammaticum cap. 12. vt probet nō solo Baptismo peccata mundari, ait. *Mundantur ipsa, quæ supereminet omnibus, Charitate, ab illo, qui per Apostolum Petrum dixit. 1. Petri 4. Charitas cooperit multitudinem peccatorum: quæ vna si astitit, omnia illa reuelantur: si autem desit illa, omnia frustra fiunt*. Sed tamen sicut non habens charitatem, & habens attritionem, si baptizetur, vel baptizatus, & post Baptismum lapsus in mortale, confiteatur Sacerdoti, virtute Baptismi, vel Pœnitentiæ,

fit ex attrito, contritus, & in principio accedens sine charitate, in termino virtute sacramentorum recedit in gratia, & charitate. Ita cum sufficienter contritetur, quod martyrium supplet vicem Baptismi, qui obicem non ponit, quamuis accedat sine charitate, recipit charitatem, & gratiam. Et sic verificatur authoritates Scripturæ, S. Augustini, & Diui Thomæ.

70 Ad secundum respondetur concedendo antecedens, quod vt indubitatum docet S. Augustinus ibi asserens. *Extra Ecclesiam nihil homini prodest, etiam si corpus suum tradat, vt ardeat, quia Charitatem non habet: quia vnitate Ecclesie nō diligit*. Et lib. 4. cap. 17. arguit, quia is, qui nō seruat catholicam vnitatem, non potest remissionem peccatorum extra Ecclesiam consequi: quia extra illam non est salus, nisi per Baptismum ei aggregetur. Negatur tamen consequentia, quia pœnitentia imperfecta, & virtualis accedente efficacia Baptismi aquæ, vel sanguinis, æquiualeat pœnitentiæ formali, quia est eminenter talis virtute gratiæ, & Charitatis, quæ infunduntur. Quo responsum manet ad alia duo, quæ ibi superadduntur.

71 Admonet etiam Soto in 4. distinctione 15. q. 1. art. 2. §. *Postremum autem*, quod non est calus metaphysicus, vt homo, tam repente rapiatur ad Martyrium, vt non possit peccatorum recordari: sed est calus, qui vitu vitare potest: nam licet egregia facinora, vt illud in fratrem venditum, statim occurrant menti, occultiora tamen: atque illa præsertim, quæ exculpabili ignorantia præcesserunt, indagine egent, vt in memoriā redeant. Pueri autem apud Dabielem diuino miraculo sustentabantur, vt pleno iudicio possent peccata, non tam sua, quam populi confiteri.

72 Argumentū propositum nu. 14. contra omnes militat in Martyrio Innocentium: & solutum est toto §. 5. Contra id quod additur num. 15. bene inquit Auerſa q. 70. lect. 6. folio 838. in initio, quia potiori iure potest à Bañez, & ab alijs, qui eum sequuntur, inquiri, vnde hoc eis conitetur? Cum Sancti id non doceant. Potius vero constat per ipsam effusionem sanguinis mundari hominem à suis peccatis. Et planè multo certius est, Martyrem esse vere Sanctum, quam habuisse actum perfectæ dilectionis, seu contritionis.

73 Ad authoritatem S. Bernardi, & ad reliquas, quas obijcit Vazquez, respondent Coninch q. 66. art. 12. dub. 2. nu. 152. quod si S. Bernardus in eo sensu intelligendus esset, quo

quo cum Vazquez accipit, nullus infans poterit esse Martyr. Dicit igitur S. Bernardus, Martyrium hanc tantum vim habere merito fidei: non quod sola fides patientis totum eius effectum mereatur: sed quia in honorem fidei, cui clarissimum, & honorificentissimum testimonium perhibet pro Christo mors suscepta, hoc privilegium Martyrio concessum est. Quod ex contextu constat: quia ante dixerat, Martyrium hanc vim habere ex merito fidei: quia est summa probatio fidei. Et paulo ante idem probat, quia pena sine fide, nihil est aliud nisi poena: quando scilicet, hec aut non infertur in odium fidei, aut ei inferitur, qui positivè infidelis est. Eodem modo respondet Ruyz dub. ult. in fine ar. 12.

74. Ultimum argumentum Vazquez submittit minorem aperte falsam, ut dicit Comtech n. 130. in primis, quia alioquin in parvuli Martyrium non suppleret vicem Baptismi: quod tamen ipse Vazquez, ut retulimus nu. 60. dicit erroneum. Secundo, quia ipse

se Christus Matthæi 10. ver. 28. excitat ad fortiter subeundum martyrium ex motivo timoris Dei, & ver. 32. motivo spei gloriæ: ergo non vnicè valet ex motivo amoris. Quadraginta Martyres, qui sub Licinio passi sunt, ex motivo præmij sustinuerunt mortem: nec Ecclesia potuit conijcere habuisse charitatè antecedenter, cum non habuerit ea de re particularem revelationem. Denique, quia secundum communem modum loquendi, omnis ille miles dicitur mori propter suum principem, qui ne fidem ei datam frangat, fortiter pugnando occumbit. Omnis ergo, qui in odium fidei, aut Christi, occiditur, dicitur pati propter Christum: & esse Martyr Christi, cuius martyrium sanguinis gerit vicem

Baptismi aquæ, quantum ad effectum gratiæ.



QVAES.



QVAEST. LXVII.

DE MINISTRIS, PER QVOS

TRADITVR BAPTISMI
Sacramentum.



SECUNDAM Quæstionem de Baptismi Sacramento, quæ inter alias Tertie Partis Summæ Divi Thomæ, est ordine 67. inscribit Divus Thomas, de ministris, per quos traditur Sacramentum Baptismi: explicatis enim causis intrinsicis, nempe materia, & forma, congruo doctrinæ ordine, causas extrinsecas explicandas assumit. Et quamvis de ministris sacramentorum in communi iam dixerimus cum D. Thoma quæst. penultima de Sacramentis in genere, quæ fuit q. 64. Tamen quia singulorum sacramentorum ministri peculiari indigent explicatione; ideò Divus Thomas octo responder articulis.

2. In priori statuit, quod ad Diaconum non pertinet quasi ex proprio officio tradere sacramentum Baptismi: sed id pertinet ad Sacerdotem, ita ut hoc sit proprium officium Sacerdotis baptizare, ut probat art. 2. Quia tamen hoc non est de necessitate Sacramenti: ideò laicus valide baptizat: & in casu necessitatis etiam licite, ut declarat artic. 3. quamvis mulier non debeat baptizare, si ad sit vir, licet in eius absentia in necessitatis articulo ei permittatur, iuxta doctrinam art. 4. Imò est per Ecclesiam determinatum, quod non baptizati sine sint Iudæi, sine Paganis, possunt Sacramentum Baptismi conferre, in articulo necessitatis: de quo art. 5. Possunt plures unum simul baptizare: quamvis essent puniendi de inordinato modo baptizandi, ut docet ar. 6.

3. Duobus ultimis articulis agit D. Thomas de patrino adhiberi solito in solemnibus Baptismo: docens in 7. requiri, quod aliquis suscipiat baptizatum de sacro fonte, quasi in suam instructionem, & tutelam: ad cuius in-

structionem tenetur in casu necessitatis: sed ubi baptizati nutriuntur inter Catholicos Christianos, satis possunt ab hac cura exculari, præsumendo quod à suis parentibus diligenter instruantur, ut docet artic. 8. Quæ in hac quæstione difficultatem ingerunt, pauca sunt; ideòque tribus sequentibus dubijs de terminanda breviter: nam in primo complectemur doctrinam quinque articulorum Divi Thomæ: in secundo doctrinam sexti articuli, & in tertio, quæ docet articulo 7. & 8.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrum baptizare solemniter pertineat solum ad officium presbyterorum?

UT sumitur ex Gelasio Papa epist. ad Episcopos per Lucianum constitutos cap. 9. relato cap. Diaconos dist. 93. duplex est minister Sacramenti Baptismi: alter minister solemnitatis, & decentiæ: alter vero minister necessitatis occurrentis: & minister solemnitatis potest ad id munus deputari dupliciter: vel ex officio; vel ex commissione: & primum, vel solum attendit id, quod est ordinis: vel simul attendit id, quod est iurisdictionis.

§. I.

De Diacono, & alijs Clericis.

2. Dico primo, ad officium Diaconi non pertinet solemniter baptizare: ex vi tamen suæ ordinationis habet ut ei committi possit baptizare etiã solemniter. Priorem partem docet S. Clemens lib. 8. Constit. Apost. cap. 46. post medium, dicens. Neq; fas

Dia-

Diaconi sacrificium offerre, aut baptizare, Et Gelasius Papa epist. 9. cap. 9. relatus cap. Diaconos, dist. 93. ait. Absque Episcopo, vel presbytero, baptizare non audeant: nisi predictis ordinibus fortasse longius constitutis, necessitas extrema compellat. Quod & docet S. Isidorus lib. 2. de diuinis officijs cap. de Baptismo circa finem, & in epist. ad Ludifredum, vt refertur cap. Perlectis, dist. 25. & in cap. Cōf. rat. de Consec. dist. 4. & S. Ignatius epist. 13. ad Neronem Diaconum. Et S. Epiphanius he ref. 79. Rationem assignat D. Thomas ar. 1. nam sicut cœlestium ordinum proprietates, & officia eorum, ex eorum nominibus accipiuntur (vt S. Dionys. dicit 7. cap. cœlest. hierar. & cap. 8.) ita etiam ex nominibus Ecclesiasticorum ordinum accipi potest quid ad vnumquemque pertineat ordinem. Dicitur autem Diaconi quasi ministri, vt habetur cap. 17. dist. 93. quia videlicet ad Diaconos non pertinet aliquod sacramentum principaliter, & quasi ex proprio officio præbere: sed adhibere ministerium alijs maioribus in sacramentorum exhibitione. Et sic ad Diaconum non pertinet quasi ex proprio officio tradere Sacramentum Baptismi: sed in collatione huius sacramenti, & aliorum, assistere, & ministrare maioribus.

Idem rursus probat D. Thomas ad 2. nã sicut S. Dionysius dicit in 2. cap. Eccles. hier. Baptismus nō solum habet purgatiuam, sed etiam illuminatiuam virtutem. Et ideo excēdit officium Diaconi: ad quem pertinet solū purgare, scilicet, vel repellendo immundos, vel disponendo eos ad sacramenti susceptionem.

3 Secunda pars est communis. Eam probat Caiet. ex cap. Diaconos. Sed textum illum non probare, notant Soto in 4. dist. 4. q. vni ca ar. 1. §. Neque vero, & Vazquez disp. 147. cap. 4. nu. 23. quia ibi solum traditur prima pars assertionis. Quare melius probatur ex eo, quod in eorum ordinatione dicitur, Diaconum oportere ministrare ad altare, baptizare, & prædicare: ex quo non tenuis sumitur cōiectura plus quidpiã prælaicis, habere. Fortè enim (inquit Soto) in primitiua Ecclesia, vbi raritas erat Sacerdotum, & multitudine baptizandorum: committebāt Episcopi, aut etiam Presbyteri Diaconibus, vt solemniter baptizarent: quod laici non possunt. Iã vero in tãta copia Sacerdotum vsus ille aboleuit. Quamuis forsã in Insulis, vbi rarissimi essent Sacerdotes, non esset absurdum id ipsum fieri.

4 Addit Suarez disp. 23. sect. 2. in fine, quod etiã in præsentia Sacerdotis aliqua po-

test esse causa sufficiens ad committendum hoc ministerium Diacono, quæ non satis est, vt inferiori committatur: vt verbigratia, ob grauiorem aliquam occupatiouem, posset interdum Sacerdos committere Diacono, non vero Subdiacono, vel inferiori. Idem docent Granados tract. 2. disp. 1. num. 4. in fine. Egidius, & Layman, quos refert, & sequitur Caltrus Palaus punct. 9. n. 5.

5 Cæterum Serra ait. 1. ait. Sed non video ad hoc posse esse huiusmodi causam, si est sufficiens copia Sacerdotum. Nisi fortè dicas affectum baptizandi, aut parentum eius erga Diaconum esse ad hoc iustam, & rationabilem causam. Quod falsum videtur: aliàs similis affectus rationabilis esset causa, vt præsentem Diacono inferior Clericus, & præsentem Clerico laicus, & præsentem viro mulier baptizaret non solemniter in mortis periculo: cuius oppositum colligitur ex D. Thomã ar. 4. Ideoque Bonacina disp. 2. q. 2. puncto 5. num. 3. alios referens, docet hoc tempore non esse in vtu vt Diaconus solemniter baptizet, cum adsit copia Sacerdotum. Licet non bene Suarez, & quosdam alios referat. Idem docet Tullench lib. 2. cap. 1. dubio 5. n. 3.

6 Præterea docet Suarez disp. 23. sect. 2. post 4. conc. se non dubitare, quia ex dispensatione Summi Pontificis hoc solempne ministerium alicui non Diacono committi possit: quia nullum est sufficiens fundamentum ad negandum Pontifici hanc potestatem. Et quia hæc differētia inter Diaconum, & alios inferiores videtur stabilita potius iure Ecclesiastico, quam diuino: Tum, quia neque in Scriptura aliquid legimus, vnde possit hæc differentia colligi: nam sicut Actorum 8. legimus Philippum Diaconum baptizasse: ita etiam cap. 9. legimus baptizasse Ananiam, quem laicum fuisse significat S. Clemens libro 8. cap. 52. & vtrumque dicit ex speciali Christi dispensatione baptizasse. Neque etiã ex traditione colligi potest hanc differentiam esse iure diuino introductam. Tum etiã, quia sicut solemnitas, & caremonia Baptismi Ecclesiastico iure introductæ sunt, & institutæ, ita eodem iure videtur præscriptum, quod tales caremonia nemini, qui sit inferior Diacono, possint committi. Imò hoc videtur pertinere ad quendam ritum ipsius Baptismi. Idem docet Aueria sect. 2. §. Tertio, sine.

7 Hoc tamen discrimen prouenire ex iure diuino, docent Vazquez disp. 147. cap. 4. num. 25. Nuño ar. 2. conc. 5. Ruyz ar. 1. dubio 1. & videtur tenere Serra in fine articuli

primi, & alij dicentes esse probabilis, quod Summus Pontifex nequit Subdiacono committere, vt solemniter baptizet: quia nunquam hoc factum est in Ecclesia: quod est sufficiens argumentum in moralibus, vt dicatur id fieri non posse. Et quia hoc pertinet ad potestatem ordinis Sacerdotis, & Diaconi, vt illi ex officio, & illi ex commissione hoc commperat, quia est immediatus Sacerdoti. Quamuis determinatio huius, vel illius solemnitatis sit de iure Ecclesiastico.

8 Mihi tamen magis probatur prior opinio, quia solidiora sunt eius argumenta: & ista parum cogunt: quia etiam nunquam dispensatum est, quod sacrificium Missæ fiat sine debita decentia vestium, & altaris: & tamen Papa id valet dispensare. Item posset tollere a tota Ecclesia ieiunium Quadragesimæ: quod nunquam fecit: & sexcenta alia huiusmodi. Similiter conferre ordines Minores est actus proprius Episcopi: & tamen id conuenit Abbatibus ex Papæ commissione. Similiter dispensare Eucharistiam potest Diacono committi: non vero Subdiacono, vt constat ex Concilio Nizano can. 14. & Arelatensi cap. 15. Quod est consentaneum iuri diuino: & tamen absolute est de iure Ecclesiastico: possetque Papa committere Subdiacono vt ministraret Eucharistiam.

§. II.

De poena irregularitatis.

9 Dico secundo, quilibet Clericus non sacerdos, ministras solemniter Baptismum, etiam in casu necessitatis, peccat mortaliter, & sit irregularis. Quod peccet mortaliter est clarum, quia vlturpat officium non suum, & ius alienum. Fieri irregularem, constat ex cap. Si quis, de Clerico nõ ornatõ ministrante. Vbi dicitur. Si quis baptizauerit, aut aliquod diuinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abijciatur de Ecclesia, & nunquam ordinetur. Quam poenam communiter Doctores extendunt etiam ad Diaconum sua autoritate solemniter sic baptizantem. Nec excipiunt casum necessitatis, nec est cur excipiatur: siquidem nulla est necessitas, quæ cogat ad Baptismum solemnem: nam sufficienter tubuenitur cuiusque necessitati per Baptismum etiam sine solemnitate. Vnde D. Thomas ar. 3. ad 2. ait, quod illa sacramentalia Baptismi pertinent ad solemnitatem: non autem ad necessitatem Baptismi. Et ideo fieri non debent, nec possunt à laico: sed solum à Sacerdote: cuius est solemniter baptizare.

10 Sed circa textum relatum, duo solent inquiri. Primum est, vtrum laicus baptizans sine necessitate Baptismo non solemnem, fiat irregularis?

Videntur affirmare Paludanus in 4. distinctione 5. q. 2. num. 6. Syluester verbo Baptismus 3. initio. Angelus, v. Baptismus 5. n. 1. Gabriel in 4. dist. 6. q. 1. art. 2. conc. 2. Imò Soto in 4. dist. 4. q. vni ca ar. 3. conc. 2. ait. Quod & ego ipse vehementer opinor, quoniam capit citatum nihil meminit de solemnitate. Quare Glossa dicit, quod quicumque baptizauerit, quasi ex officio, est irregularis. Vnde neminem excipit, nisi baptizantem in extrema necessitate. Nam qui baptizat extra necessitatem, baptizat quasi ex officio. Enimvero cum baptizare sit proprium officium Sacerdotis: quod quidem ius sola summa necessitas tribuit laico, vbi illa non intercedit, ille baptizat, quasi ex officio. Pro hac sententia citat Leander, vbi infra Ioannem à Cruce: sed male, quia loquitur de laico baptizante solemniter: siquidem de Baptismo q. 2. dub. 1. conc. 4. ait. Peccat mortaliter laicus baptizans cum solemnitate, & sit irregularis.

11 Oppositam sententiam docet S. Antonius 3. p. tit. 28. cap. 1. initio. Nuño q. 67. ar. 5. diff. 3. conc. 5. Tenereque Glossam, Nauarrum, Syluestrum, & Paludanum, & Martinum Ledesma, probat Suarez disp. 3. 1. sectione 4. & Authores communiter, vt referunt, & sequuntur Diana 3. p. tract. 4. resol. 4. Leander tract. 2. de Baptismo disp. 4. q. 1. 0. & tract. 2. de Irregular. disp. 19. q. 6. Probat Suarez, quia vt ex titulo, & intentione legislatoris constat, ibi imponitur irregularitas ei, qui exercet actum ordinis, cum non sit ordinatus: sed baptismus priuatim datus in rigore non est actus ordinis: cum possit valide fieri ab homine non ordinato: vnde etiam Sacerdos sic baptizans sine necessitate peccabit: ergo laicus baptizans Baptismo non solemnem sine necessitate, non sit irregularis. Sicut nec Sacerdos earens iurisdictione, & baptizans solemniter, quamuis peccet iurisdictionem vlturpando, non sit irregularis, vt docet Syluester verbo Irregularitas q. 12. & 27. quia huic peccato nulla in iure est annexa irregularitas.

12 Secundo inquiritur, vtrum laicus solemniter baptizans, maneat irregularis?

Noster M. Bartholomæus Fumus in Summa Armilla ver. Irregularitas n. 65. sic ait. Directorium lib. 3. tit. 5. dicit laicos propter hoc irregularitatem non incurrere: sed aliter puniri, si contra faciant, per d. cap. 2. de Cler. excom

excomm. mini. Et hoc videtur verius, quia magis consonum cap. 1. de Cler. non ord. & d. c. 2. Concordat Rosel. ver. Irregularitas 2. in princ. & Angelus verb. Irregularitas 1. §. 38. Et hoc sequendum est, cum sumus in poenis. Hæc ibi. Quod & Serra hac q. 67. ar. 1. dicit esse probabilius, quia odia, & poenæ, non ampliari, sed restringi debent: cum quod dicitur in prædicto capite ex titulo nõ sine fundamento ad Clericum restringi possit. Sequitur Henriquez lib. 2. de Baptismo c. 29. §. 2. lit. h. citans D. Thomam, Paladanũ, Syluestrum, Sotum, & Ledesman, & alios, qui oppositum expresse docent. Tenent tamen Gregorius Sayrus lib. 7. cap. 10. nu. 7. Bonacina de Irregularitate disp. 7. q. 3. pun. 6. n. 11. Imò tenet Suarez disp. 11. de Censuris sect. 3. nu. 22. (quamvis contrariam docuerit de Sacramentis disp. 3. i. sect. 4. in fine, & de Censuris disp. 4. 2. sect. 4. nu. 10.) Itẽ Saa, Reginaldus, Layman, & Barbosa, quos refert, & sequitur Iosephus Gibalinus de Irregularitate cap. 5. propos. 3. cõsec. 1. n. 25. folio 328. Et Trullench lib. 2. cap. 1. dub. 3. nu. 4. Quia nullibi fertur à iure hæc irregularitas aduersus laicum. Imò aliquomodo contrarium colligitur: quamvis enim non firmum adeò ducatur argumentum ex titulis, & rubricis: cum tamẽ antiqui omnes codices haberent vniuersalem hanc inscriptionem: *De non ordinato ministrante: & in vltima editione Gregoriana, omnium castigatissima, addita fuerit vox, de Clerico non ordinato: non leue iudicium est, hanc fuisse sectionem antiquissimam, aut certe communiorẽ sententiam Doctorum, de Clerico non ordinato hos Canones interpretari. Quia agit de solemnĩ Baptismi ad ministracione, quæ facile posset usurpari à Clerico non ordinato: cum autem laici non nisi raro admodum hæc officia usurpent, sapienter Pontifex Clericis tantum hanc poenam irregularitatis imposuit, non vero laicis. Vnde laicus solemniter baptizans non fit irregularis, quamvis si Clericus non Sacerdos solemniter baptizans fieret irregularis, excepto Diacono commissiõnem habente.*

13 Contrariam sententiam esse probabiliorẽ, & Doctorum communem, dicit Suarez illa sect. 4. octo Doctores referens: alios refert, & sequitur Leander de Baptismo trac. 2. disp. 4. q. 10. & tract. 2. disp. 19. q. 7. & Cabrera q. 67. ar. 1. num. 7. quia textus in dicto cap. 1. non dicit: *Si quis ordinatus baptizauerit: sed absolute: Si quis baptizauerit nõ ordinatus: quæ verba generalia sunt: & omnẽ non ordinatum comprehendunt. Deinde,*

notat Antonius Augustinus in antiquis codicibus legi: *De non ordinato ministrante: & nunc in Gregorianis codicibus adnotatur ita legi in septẽ manuscriptis. Demum, quia Decretalis illa, siue Hormisdæ sit, siue Honorij, antiquior est, quã rubrica illius tituli: nõ est ergo per rubricam tituli restringenda. Ad iungique potest coniectura: quia magis est alienus ab huiusmodi sacro ministerio, qui omnino caret ordine, quam qui est in inferiori ordine constitutus, & superiori caret: ergo non est verisimile hunc incurrere irregularitatem propter hoc peccatum, & nõ illum.*

14 Ambæ opiniones sunt probabiles: sed prima est probabilior: quia odia restringi debent: & huius argumẽtis satis occurrunt ea, quæ pro priori sententia sunt ponderata: quæ nõ oportet repetere. Aduertunt Suarez, & Cabrera, & alij communiter in hac irregularitate solum Papam posse dispensare quoad novos ordines suscipiendos: Episcopum vero posse dispensare in usu susceptorum. Quod colligitur ex cap. 2. de Clerico non ordinato ministrante, iuxta communẽ Doctorum.

§. III.

De Sacerdotibus, & Monachis.

15 Deo tertio, Presbyteri omnes habent potestatem ordinis ad ministrandum Baptismum, etiam solemniter: vt autem faciãt licite, exigitur iurisdicctio: quã habent ex commissiõne Episcopi, vel ex Beneficio Parochiali, vel ex illorum commissiõne. Priorem partem docent S. Clemens Romanus lib. 3. cap. 11. & S. Isidorus lib. 2. de diuinis officijs cap. 30. & refertur de Cõsecratione dist. 4. cap. Constat. Et Eugenius 4. in Concilio Florentino post vlt. sess. §. Primum omnium. Ait. *Minister huius Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. Ratione probat D. Thomas art. 2. nam ad Sacerdotem pertinet cõsecrare Eucharistiã: ad hoc enim principaliter Sacerdotium ordinatur: illud autem est sacramentum Ecclesiasticæ vnitatis: secundum Apost. 1. ad Cor. 10. Per Baptismum autem aliquis fit particeps Ecclesiasticæ vnitatis: vnde, & accipit ius ad mensam Domini accedendi. Ergo ad proprium officium Sacerdotis pertinet baptizare. Eiusdem enim videtur esse operari totũ, & partem in toto disponere. Et pari ratione, vt inquit Soto dist. 4. artic. 1. probatur officium esse*

esse Presbyteri absoluerẽ à peccatis, & in extremis vngere infirmos: nam vnum ad susceptionem Eucharistiæ disponit; atque alterum reliquias expurgat peccatorum, quæ in peccatore relinquuntur. Secus autem est de sacramentis Confirmationis, & Ordinis, vt suis locis videbitur.

16 Secunda pars sumitur ex Tertul. lib. de Baptismo cap. 17. num. 114. & ex S. Hieronymo in Dial. contra Luciferianos n. 20. dicente. *Inde venit, vt sine chrismate, & Episcopi p̄uisione, neque Presbyteri, neque Diaconus ius habeant baptizandi.* Probatque Syluester verbo Baptismus 3. initio, quia in cap. Interdictimus. 16. q. 1. statuitur ne vllus sacramenta ministraret nisi subditis, & in Parochia sua. Quod & praxi Ecclesiæ constat: vnde notat Auersa sec. 2. seruãdas in hac re peculiare leges, & cõsuetudines locorum: nam in quibusdã Ecclesijs statutum, aut consuetum est vt quidam Ecclesiarum Parochi valeant quidẽ ad ministrare reliqua sacramenta, non tamen sacramentum Baptismi; sed hoc præbere debeat Parochus cuiusdam matricis Ecclesiæ; prout Romæ plures huiusmodi extant. Vel Parochus Ecclesiæ Cathedralis, vt Bononiæ, & quibusdam alijs ciuitatibus. Similiter quibusdam in locis statutum, aut cõsuetum est, vt adulti venientes ad fidem, non nisi ex speciali commissiõne Episcopi baptizentur. Potestque Episcopus liberẽ, cui voluerit id committere, absque iniuria vllius Parochi, in cuius forte Parochia tales adulti habitant, aut etiam domiciliũ habent: quia adhuc nõ subsistit Ecclesiæ, aut vlli Parochi: sicut alio quocumque parentũ subduntur infantes, qui in Parochia nascuntur ex ipsis fidelibus.

17 Contra hanc conclusionẽ tenet Vaquez disp. 147. c. 3. an. 15. vlt. que ad 18. imò vlt. que ad 22. docens baptizare non conuenire sacerdotibus absolute, sed ex consensu Episcoporum: quoniam si sacerdotes ex sua ordinatione verẽ, & dignẽ baptizare possent, & ad hoc sufficientem habent potestatem, iurisdicctione alia ex consensu Episcopi non indigebunt, vt sine peccato baptizare possint. Nam qui absque iurisdicctione facultatem habet dignẽ baptizandi, habet etiam facultatem baptizandi sine peccato: idem enim est dignẽ, & sine peccato baptizare. Secundo, quia cum alicui Presbytero conceditur, vt cathecumenum baptizet, non datur vlla in eum iurisdicctio; quia antequam ille baptizetur, sub nullius Episcopi iurisdicctione esse potest: sed conceditur illi, vt exerceat opus, & actum habentis iurisdicctionem in reliquos baptizatos: de quorum numero

fieri debet cathecumenus ille per Baptismum: nam nemo iure fieri poterit de numero alicuius Reipublicæ, nisi ab eo, qui iurisdicctionem habeat in reliquum corpus Reipublicæ: qualẽ habent Prælati supremi, nempe Episcopi: nam is solus rectẽ, & iure admittere potest ad corpus Ecclesiæ, qui corpori ipsi tamquam caput præest.

18 Hæc tamen sententia est contra omnes Theologos antiquos, & modernos; nec satis aptẽ respondet Patribus, & verbis Cõcilij Florentini. Nec satis assignat differentiam inter Diaconos, & Presbyteros: non solum enim differunt, quod simplici Sacerdoti, etiam sine urgente necessitate, committi potest baptizare etiam solemniter; Diacono autem non nisi magna urgente causa, & in absentia Sacerdotum. Sed etiam quia Diaconus ex vi suæ ordinationis non est minister ordinis ex officio, sed solum ex commissiõne: at vero Sacerdos ex vi suæ consecrationis habet potestatem ordinis ad consecrandum Christi corpus, ad absoluenum à peccatis, ad vngendos infirmos, & ad baptizandum: sicut autem in Penitentia, & Extrema Vnctiõne ultra potestatem ordinis requiritur potestas iurisdicctionis, ita & in Baptismo. Per quæ patet ad p̄sumum.

19 Ad aliud responderat Diuus Thomas articulo secundo ad secundum, quod in qualibet Republica ea, quæ sunt minora, pertinent ad minora officia, maiora vero maioribus referuntur: secundum illud Exodi 18. *Quidquid maius fuerit referant ad te, & ipse tantummodo minora iudicent.* Et idẽ ad minoris Ciuitatis Principes pertinet disponere de infimo populo: ad summos autẽ Principes pertinet disponere ea, quæ pertinent ad maiores ciuitatis. Per Baptismum autem non adipiscitur aliquis nisi infimum gradum in populo Christiano. Et ideo baptizare pertinet ad minores Principes Ecclesiæ, idest, ad Presbyteros, qui tenent locum septuaginta discipulorum Christi; vt dicit Gioffa Lucã 10. ex Beda tom. 2. ad illa verba: *Designauit Septuaginta;* & c. Hæc D. Thomas.

20 Nec miretur quis quod Angelicus Doctor omnes Sacerdotes vocet *Quatuordecim Principes*, constat enim Sacerdotem accipi pro Principe, & persona Regia, Genes. 41. Exodi 16. Iob. 12. & 2. Regum 8. *Filij autem Dauid Sacerdotes erant:* cum tamen ex sola Tribu Leui tunc designarentur Sacerdotes, vt obseruat Apostolus ad Hebræos 7. In quo etiam sensu accipitur 2. Regum 20. iuxta id quod ibi notat Lira, & 3. Regum 4. Rõnde.

rant etiam Sanctus Cyrillus Alexandrinus libro 3. de Sacerd. & Philo lib. de Sacerd. honor. illud quod habetur Num. 18. *Filijs Levi dedit omnes decimas Israelis*: inde deducentes Regibus comparari: *Ex his rebus* (inquit Philo) *liquet, iuxta legis iudicium, Sacerdotes æqui parari honore, ac maiestate, Regibus: siquidem illis tamquam Principibus, confervi tributa imperat.* Recte ergo S. Thomas Sacerdotes nouæ legis, *Ciuitatis Principes* appellat: quod nota contra quemdam, aliàs doctum, politicum, qui hoc nomen adhuc Episcopis negat. De quo alibi.

21 Quantum attinet ad Monachos, Eugenius Papa in cap. *Placuit*. 16. q. 1. sic ait. *Placuit communi nostro consilio, vt nullus Monachorum pro lucro terreno de monasterio exire, nefandissimo ausu presumat. Neque pœnitentiam dare, neque solum de Baptismo accipere, neque baptizare, &c.* Hoc tamen esse intelligendū, ne id faciant sine licentia Ordinarij, iuxta id quod habetur Clementina 1. de Priuilegijs, notat Emanuel Rodriguez tom. 1. quæstionum Regul. q. 3. art. 1. Portel ver. Baptismus 5. & Quintana Dueñas tract. 1. singulari 25. num. 7. Glossa, & Molfesius, quos refert, & sequitur Leander tract. 2. disput. 4. q. 18. probans, quia ita habetur cap. *Diaconus*, dist. 93. Sed ibi nec verbum est de Religiosis, aut Monachis. Melius probatur ex cap. *Doctos*. 16. quæst. 1. quod nomine Pelagij Papæ refert Rodriguez: sed est Diui Ambrosij.

22 Virgilius adhuc probatur ex Summo Pontifice Innocentio 1. relato in cap. *Ex auctoritate*. 16. q. 1. vbi dicitur. *Sacerdotibus Monachis, Apostolorum figuram tenentibus, licet predicare, baptizare, &c.* & Bonifacius Papa relatus cap. *Sunt nonnulli*. 16. quæst. 1. Post multa concludit. *His omnibus auctoritatibus perspicue monstratur, monachos posse pœnitentiam dare, baptizare, & cetera Sacerdotalia officia licite administrare.* Quamuis hos canones non adducant Granado tract. 2. de Baptismo disp. 1. num. 3. Verumtamen ait. *Glossa in can. Peruenit*. 18. quæst. 2. etiam existimat id licere. Ego crediderim, id non præcipi sub mortali in iure, & fieri posse saltim aliquando sine veniali. Hæc ibi. Et Lezana tom. 1. cap. 9. n. 3. ait. Non licet Religiosis baptizare, nisi in casu necessitatis, & de licentia Parochi, cap. *Placuit*. 2. 16. q. 1. & to. 3. v. *Baptismus*. n. 1. dicit id intelligendum de Religiosis priuatis: nam illis quibus incumbit cura animarum secularium, id licet ex cap. *Doctos*, vt notat Tamburinus to. 2. disp. 4. q. 1. Sed abique omni dubitationis ambiguo,

cum licentia Sedis Apostolicæ, vel Episcopi, vel Parochi, possunt Religiosi, & Monachi baptizare, etiam solemniter, etiam in aliorum Sacerdotum præsentia, quia nullo iure id est eis prohibitum, & iuribus relatis est eis concessum.

23 Imò per priuilegia Pauli Secundi cōcessa Prouinciæ S. Vincentij de Chiapa Ordinis Prædicatorum in Regno Peruano: & Leonis Decimi Fratribus Ordinis Minorum anno 1521. & Pauli Tertij anno 1543. Prouinciæ S. Iacobi de Mexico Ordinis Prædicatorū: & Pij Quinti anno 1567. in Indijs possunt Fratres nouiter conuersos Gentiles baptizare. Concedunt enim: *Vt in omnibus Monasterijs Ordinum, vel extra illa in locis ipsarum partium ipsis deputatis, possint Religiosi baptizare.* Quo priuilegio vtuntur omnes Prouinciæ Indiarum, vt notat Emanuel Rodriguez tomo 1. q. 3. art. 3. De similibus priuilegijs concessis Religiosis Societatis Iesu tractat Suarez to. 4. de Relig. lib. 9. cap. 4. & Castrus Palaus hic puncto 9. n. 3.

24 Addit Cabrera quæst. 67. artic. 2. numero 4. in fine, quod si Religiosus sic officium Parochi vsurpauerit, ministrando hoc sacramentum extra casum necessitatis, peccabit etiam mortaliter; sed non contraheret irregularitatem; neque excommunicationem incurret. Oppositum huius vltimi docet Soto hic art. 3. conc. 2. existimans Religiosum, qui hoc sacramentum extra casum necessitatis ministrare præsumperit, ipso facto manere excommunicatum, per Clementinam primam de Priuilegijs. Nihilominus, vt bene aduertit Nauarrus in Manuali cap. 22. n. 7. prædicta Clementina non procedit de administratione huius sacramenti; sed solum de administratione trium sacramentorum, nempe Eucharistiæ, Extremæ Vnctionis, & Matrimonij, & in alijs casibus ibi expressis: extra quos non est illa excommunicatio extendenda, quia pœna, & odia potius restringenda sunt. Quare cum ibi nulla fiat mentio de Baptismo, non est illa censura ad illum extendenda: ac proinde Religiosus in eo casu sine dubio non erit excommunicatus. Hæc ibi. Quod verum omnino est.

Quamuis Rodriguez relatus num. 21. videatur supponere Clementinam ad hunc casum extendi.



§. IV.

De Ministro in casu necessitatis.

25 Vt referunt Feuardentius in Addit. ad Castrum ver. Baptismus hæresi 6. & Bellarminus lib. 1. de Baptismo cap. 7. Caluinus libro 4. Instit. cap. 15. & cap. 20. & sequentibus, & in Antidoto Tridentini sets. 7. can. 10. arbitratur minimè licere, etiam in casu extremæ necessitatis, baptizare nisi ministrum ad hoc ipsum vocatum, & ordinatum: quamuis non constet ex ipso an iudicauerit validum à quolibet alio collatum. Quia Christus solis Apostolis iniunxit officium baptizandi Mathæi vitimo: vnde secularibus, qui in officio Apostolorum non succedunt, non licet ad hoc ministerium se ingerere.

26 Nihilominus de fide est, in casu necessitatis Baptismus collatum à quocumque non ordinato, esse validum, & licitum: & similiter est validum etiam cum sine necessitate a laico ministratur. Prima pars est de fide ex Concilio Florentino post vltimam sessionem. §. *Primum omnium*, vbi dicitur. *In casu autem necessitatis, non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imò etiam paganus, & hereticus baptizare potest, dum modo formam seruet Ecclesiæ, & facere intendat id, quod facit Ecclesiæ.* Idem constat ex casu Baptismi collati ab Athanasio puero, ac proinde laico, quem ratum habuit Alexander Episcopus Alexandriæ, cum tota eius Ecclesia, vt refert Rufinus lib. 10. Historiæ cap. 14. & approbatur cap. *Spiritus Sanctus*. 1. q. 1. De quo egimus de Sacramentis in genere quæstione 64. & cap. 1. Theolog. Mor. quæst. 10. num. 10. Imò ipsi Apostoli nondum erant ordinati cum baptizare cœperunt. Et de Anania, & alijs, qui in Actis Apostolorum baptizasse referuntur, non constat fuisse ordinatos. Idem docuerunt Gelasius Papa, sanctus Ildorus, & alij Patres iam relati.

27 Rationem optimam voluntatis diuinæ sic statuentis, quæ ex traditione Ecclesiæ constat, assignat D. Thomas artic. 3. nam ad misericordiam eius, qui vult omnes homines saluos fieri, pertinet, vt in his, quæ sunt de necessitate salutis, homo de facili remedium inueniat. Inter omnia autem sacramenta maximæ necessitatis est Baptismus, qui est regeneratio hominis in vitam spirituales: quia pueris aliter omnino subueniri non potest: & adulti non possunt aliter, quam per Baptismum, plenam remissionem consequi, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam. Et ideo vt homo circa re-

medium necessarium defectum pati non possit, institutum est vt & materia Baptismi sit communis, scilicet, aqua, quæ à quolibet de facili haberi potest; & minister baptismi sit quicumque non ordinatus: ne propter defectum Baptismi, homo salutis suæ dispendium patiatur.

28 Sed obijcies: nam contritio, & Martyrium suppleunt vicem Baptismi, vt iam diximus q. 66. ergo falso asserit D. Tho. quod effectus Baptismi per nil aliud suppleri potest:

Respondet Caietanus art. 3. quod intelligendum est de integro effectu Baptismi. In rege siquidem effectus Baptismi claudit in se characterem. Et propterea licet gratia eum remissione totius culpæ, & pœnæ, possit sine Baptismo suppleri; character tamen suppleri non potest: & hoc loquendo de potentia ordinata sub diuina dispositionis prouidentia.

29 Melius tamen Soto dist. 4. art. 2. respondet, quod D. Tho. non facit mentionem hic de characterem, nec implicite: quoniam dumtaxat loquitur de plena remissione culpæ, & pœnæ. Ob idque fortassis nihil aliud dicere voluit, quam quod etiam per Martyrium idem effectus obtineri possit, illud est quædam facultas Baptismi haberi non potest. Quare ex hoc etiam capite concluditur materiam eius, & ministrum debere esse vbiq; in promptu. Præterquam quod opportunitas Mysterij quam rarissimè vti venit; sicut & Baptismus flaminis, qui vt culpam, & omnem pœnam remittere queat, debet esse tam excellenter intentus, vt vix vquam contingat. Baptismus autem sola intentione Ecclesiæ receptus id præstat.

30 Secundam partem tradit Diuus Augustinus libro secundo contra Parmenianum cap. 13. ante medium dicens. *Sed est nulla necessitate vsurpetur, & à quolibet cuiuslibet detur, quod datum fuerit, non potest non datum dici; quamuis rectè dici possit illicitè dari.* Idem expressit Diuus Thomas articulo tertio ad primum, cum ait, quod baptizare pertinet ad ordinem Sacerdotalem, secundum quandam convenientiam; & solemnitatem: non autem hoc est de necessitate sacramenti. Vnde etiam si extra necessitatis articulum laicus baptizet; peccat quidem; tamen sacramentum Baptismi conferret: nec est rebaptizandus ille, qui sic est baptizatus.

31 Obijcies: nam absolutio à peccatis data à Sacerdote in eum, in quem iurisdictionem non habet, non solum est illicita, sed

nulla, vt docet Concilium Tridentinū sess. 14. cap. 7. Sed laicus nō habet iurisdictionē vt extra necessitatis articulum baptizet: ergo Baptismus ab eo collatus est inualidus de factu iurisdictionis.

Respondetur ex D. Tho. ad 3. quod poenitentia non est tātē necessitatis sicut Baptismus: potest enim per contritionem suppleri defectus sacerdotis absolutio: quæ non liberat a tota poenitentia: nec etiam pueris adhibetur. Et idē non est si mile de Baptismo, cuius effectus per nihil aliud suppleri potest. Vnde Suarez disp. 23. sect. 1. tres assignat differentias inter Baptismum, & Poenitentiam: nam cum Baptismus sit summē necessarius, nō solum ad vltimam salutem, sed etiam ad alios effectus gratiæ, quia est ianua aliorum sacramentorum; idē fuit cōueniens, quod quilibet posset eum validē cōferre. Secunda est, quia sacramentum Baptismi nequit iterari, cum characterem imprimat: sacramentum vero Poenitentiae potest iterari, tum circa eandem, tum etiam circa diuersam materiam. Vnde non imminet tātum periculum ex eo, quod semel non sit validam datum à simplici sacerdote. Secus verō est in sacramento Baptismi, quod iterari non potest: & alioquin maximū homini creatur periculum, si illō priuetur. Et idē oportet, vt ea quæ necessaria sunt ad illud faciendum, sint omnino fixa, & stabilia, ita vt certum sit illis positis sacramentum confici, siue adsit vera necessitas, siue nō. Tertia differentia est, quia sacramentum Poenitentiae pendet ex potestate iurisdictionis, quæ per extrinsecam deputationem ab hominibus datur, vel aufertur, vel limitatur ad casū necessitatis. At verō potestas baptizandi est absoluta facultas ministerialis ad conficiendum tale sacramentum: quæ non solet limitari secundum substantiam, vel facultatem suam ad casum necessitatis; sed simpliciter confertur: sicut patet in omni alia potestate conficiendi sacramentum, quæ ex iurisdictione non pendet. Hanc vltimam differentiam alter explicat Vazquez disp. 147. c. 3. n. 21. Videatur D. Tho. art. 5. ad 3.

32 Specialiter loquendo de foeminis, quod validē nequeant baptizare, videtur de sumi ex Concilio Carth. 4. can. 100. dicente. *Mulier baptizare non presumat.* Et sanctus Epiphanius hær. 42. & hær. 79. initio: & Tertullianus lib. de Baptismo cap. 7. inter hæretes Marcionis numerant, quod mulieres permitteret baptizare. Quod & sanctus Clemens lib. 2. Const. c. 9. dicit periculosum, iniquum, & impium, & alienum à Christi institutione. *Alius (inquit) cum nos ad baptizan-*

dum misit, vna nobiscum ad id mulieres misisset; nunc autem id nusquam ordinavit, & c.

33 Certum est tamen secundum fidem Catholicam, quod in casu necessitatis valet Baptismus datus à foemina. Quia ita habetur in Decreto relato Eugenij Quarti. Et in cap. *Super quibus*. 30. quæst. 3. refertur decretum Vibani 2. Epist. ad Vitalem Episcopū, in quo dicit. *Super quibus consuluit nos tua dilectio; hoc videtur nobis hac sententia respondendum, vt Baptismus sit, si instante necessitate foemina puerum in nomine sanctæ Trinitatis baptizauerit.* Rationemque assignat D. Thomas artic. 4. nam Christus est, qui principaliter baptizat: secundum illud Ioann. 1. *Super quem videtis Spiritum descendentem, & manentem, hic est, qui baptizat.* Dicitur autem ad Colossens. 3. quod *in Christo non est masculus, & foemina.* Et idē sicut masculus laicus potest baptizare quasi minister Christi; ita etiā & foemina.

34 Ad auctoritatem Concilij Carthaginensis respondet Sanctus Thomas ad primum, quod sicut mulieri nō permittitur publicē docere; potest tamen priuata doctrina, vel monitione aliquem instruere: ita nō permittitur ei publicē, & solemniter baptizare: sed tamen potest baptizare in necessitatis articulo.

35 Secundo potest responderi, quod mulier baptizare non presumat, cum adsunt viri idonei, iuxta id quod docuerat D. Thomas articulo 4. in corpore dicens. *Quia tamen caput mulieris est vir, & caput viri est Christus, vt dicitur 1. ad Corinth. 11. non debet mulier baptizare, si adsit copia viri: sicut nec laicus presbiter Clerico, nec Clericus presente Sacerdote.* Qui tamen potest baptizare presente Episcopo: eo quod hoc pertinet ad officium Sacerdotis. Vnaque istarum solutionum, vel ambabus simul, exponēdi sūt alij Patres, vt notat Pamelius scholio 117. in librum Tertulliani de Baptismo. Et Vazquez disputat. 147. cap. 2. num. 13. aduertēs eodem sensu S. Clementem libro 3. Constitut. Apost. cap. 9. & S. Epiphanium hær. 79. dixisse, Baptisma dare conceditum non fuisse mulieri: alioquin permisisset Christus à Matre sua, non à Ioanne baptizari.

✠

6. V.

Quæ culpa sit ordinem mutare?

36 **Q**uod si dubitetur, quanta sit culpa ordinem illum peruertere, vt inferior in præsentia maioris se se ingerat?

Respondet Soto in 4. dist. 4. art. 2. §. *Circa tertiam*; quod mulierem in præsentia laici viri baptizare, numquam est mortale. Quoniam cum laicus minimē habeat ex officio id, non usurpatur eius munus: sed est quædam indecentia venialis: eademque leuissima. Imò aliquādo nulla: vt si obstetrix peritior sit baptizandi, quam rusticus, qui fortē adest. Pati ratione non erit mortale; si laicus presente Diacono baptizet; quoniam nec Diacono illud ex officio incumbit: sed est veniale. In præsentia autem Sacerdotis grauius esset dubium, eo quod usurpatur id quod ad eius officium attinet. Et idē profecto saltē renuente Sacerdote censeretur pernicia mortalitatis: tamen, cum baptizatio non fiat solemniter, non est admodum grauis. Hæc Soto.

37 Laicum non peccare mortaliter baptizando in casu necessitatis, etiam in præsentia sacerdotis, docent Valentia de Baptismo disp. 4. q. 2. punct. 1. Hæriquez lib. 2. cap. 29. n. 1. lib. 6. Idque esse valde probabile, docent Petrus Ledesma tract. 2. cap. 6. post 2. concl. Cabrera q. 67. art. 3. n. 4. & Serra ibi, dum refert, & non reijcit.

Sed non est recedendum ab opposita sententia, quæ est Theologorum cōmunis: quia solus Sacerdos est institutus minister sacramenti Baptismi: & idē adhuc ipso non contradicente sit iniuria sacramento.

38 In casu vero quod solus Diaconus sit præsens, probabile est laicū mortaliter peccare baptizando, vt docet Nuño art. 5. difficult. 2. conc. 3. quia Diaconus ex commissio- ne etiā solemniter potest baptizare: & idē adhuc in necessitate videtur grauis iniuria sacramenti, quod ministraretur ab alio. Vt etiam tenent Vazquez disp. 147. cap. 5. n. 34. Reginaldus, Agidius; Gaspar Hurtado; & Præpositus, & Raphael Auersa q. 67. sect. 2. ver. *Quarto*, & Castus Palau punct. 9. num. 13. Imò Suarez disp. 23. sect. 2. in fine.

Probabilius tamen est solum esse peccatum veniale, prout docuit Soto, & iam fere communiter Authores, vt referunt, & sequuntur Bonacina disput. 2. quæst. 2. punct. 5. numero 11. & Diana 3. part. tract. 4. resol. 4. & Leander tract. 2. disput. 4. quæst. 8. Imò ipse Suarez sibi contrarius disput. 31. sect. 4. ver.

Vnde tertio, vt contra Dianam notat Leander. Trullsch lib. 2. cap. 1. dub. 5. n. 10. Ruiz art. 3. in fine.

39 Addunt Vazquez disput. 147. cap. 5. num. 33. & 34. & Castus Palau tract. 19. punct. 9. num. 11. Inter alios ordinem mutare, vel nullam esse culpam; vel esse mortalem. Etenim negari non potest sacramenti administrationem grauem materiam esse; si igitur diuino præcepto mandatum est laico, ne presente Clerico ministraret, & foeminae presente viro, & pagano presente fidelis sine dubio graue peccatum committeret; si hoc præceptum transgrediantur. Quod si diuino præcepto id mandatum non est; sed potius à Christo Domino æque est omnibus data facultas in extremo vitæ Baptismum absente Sacerdote ministrandi (vt probabilis apparet) nullum erit peccatum, si minus dignus digniori se præferat; quia in administratione non est minus dignus, sed æqualis. Præceptum autem Ecclesiasticū huius ordinis seruandi nullum inuenitur. Ergo nullum erit peccatum huius ordinis mutatio.

40 Merito tamen omnes alij Authores relati oppositum, vel supponunt, vel docent: quia licet nullum extet præceptum Ecclesiasticum huius ordinis seruandi (nisi fortē extet, vel in Concilio relato Carthaginensi; vel in Rubricis Manualis ministrandi Baptismi) ex ipsa rei natura ordinem seruandum, bene ostendit Sanctus Thomas, quia *caput mulieris est vir.* Et de eodem ordine secundo, admonentur Pastores in Catechismo Pij Quinti, vbi de ministris Baptismi dicitur. *Neque verò hoc munus ita omnibus promiscuè permissum esse; sed tales arbitrentur, quin ordinem aliquem ministrorum statuere maxime deceat: Mulier enim, si mares adsint, laicus itē presente Clerico; tum Clericus coram Sacerdote, Baptismi administrationem sibi sumere non debent.* Nec video cur in hoc non sit sua gradualis latitudo, parua, & magna inuersio ordinis, ita vt aliquando sit peccatum mortale; aliquando graue veniale; aliquando veniale leue, vt

Soto, & alij prudenter distinguunt: & à paritate in alijs præceptis naturalis, & diuinæ legis constat.



§. VI.

Verum non baptizatus possit baptizari?

41 **I**n hoc ultimo puncto S. Augustinus libro 2. contra Episc. Parmeniani cap. 13: relatus cap. 98. 1. q. 1. dubius fuit; & quæstionem indeterminatam reliquit. Item Gelasius Papa in epist. ad Episc. per Lucaniam constitutos, & est 6. in tom. 1. epist. Pontificum, & refertur can. *Diaconos*, dist. 93. in necessitate baptizare solum concedit fidelibus laicis. Et pariter Ioannes Octauus in epist. ad Anselmum, relatus can. *Ad Limina*. 30. q. 1. ait: *Nam hoc baptizandi opus laicis fidelibus iuxta canonicam auctoritatem; si necesse fuerit facere, liberè conceditur.* Similia Concilium Elbertanum canone 38. & S. Isidorus lib. 2. de diuinis officiis cap. 30. circa finem. Cum ergo dicant hoc concessum esse fidelibus laicis, planè indicant infidelibus, & non baptizatis non esse concessum.

Præterea Summus Pontifex Gregorius Secundus in epist. ad Bonifacium, relatus canone *Quos à paganis*, dicit. *Quos à paganis baptizatos esse asseruisti, si ita habetur; ut denuo baptizet in nomine Trinitatis mandamus.* Quod non præciperet, si Baptismus à Paganis datus esset validus. Similia dicunt Tertullianus libro de Baptismo cap. 17. & S. Hieronymus Dialogo contra Luciferianos. n. 21.

42 Rationes etiam videntur idem continere. Tum, quia nemo dat, quod non habet: ergo non baptizatus nequit baptizare. Tum, quia sacramenta conferri debent ab Ecclesiæ ministris: ille autem, qui non est baptizatus, nullo modo pertinet ad Ecclesiam; ad quam non intratur nisi per Baptismum, quo regeneramur, & sumus Christiani: ergo nec valent sacramenta, nisi data à baptizatis. Denique, quia maius est sacramentum conferre, quam suscipere. Sed non baptizatus non potest alia sacramenta suscipere. Ergo multo minus potest aliquod sacramentum conferre.

43 Nihilominus certum est secundum fidem catholicam, Baptismum ministratum à non baptizato, cum materia, & forma, & intentione faciendi, quod facit Ecclesia, esse validum. Ita diffinitur ab Eugenio Quarto in Concilio Florentino, post ultimam sessionem, §. *Primum omnium*: illis verbis iam relatis. Imò etiam paganus, & hereticus baptizare potest, dummodo formam seruet Ecclesiæ, & facere intendat id, quod facit Ecclesia. Habetur etiam in cap. *Si quis per ignorantiam*. 1. q. 1. ex sancto Isidoro; & cap. *Quos à paganis*, de Con-

secratione, distinctione 4. ex Nicolao Papa; ad consulta Bulgarorum cap. 3. Vtriusque capituli verba refert Diuus Thomas articulo 5. Vbi & rationem assignat: quia sicut ex parte materiz quantum ad necessitatem sacramenti, sufficit quicumque aqua, ita etià sufficit ex parte ministri quicumque homo. Et idè etiam non baptizatus in articulo necessitatis baptizare potest: ut si duo non baptizati se inuicem baptizarent, dum prius vnus baptizaret alium, & postea baptizaretur ab eodem; & consequeretur vterque non solum sacramentum; sed etiam rem sacramenti. Si verò extra articulum necessitatis hoc fieret, vterque grauiter peccaret, scilicet baptizans, & baptizatus: & per hoc impediretur Baptismi effectus; licet non tolleretur ipsum sacramentum.

44 Circa hæc vltima verba Diui Thomæ, duo aduertenda sunt. Primum, quod Casparus Palauus puncto 9. num. 12. dicit non esse certum Paganum baptizantem in præsentia Catholici peccare mortaliter: quia non est excommunicatus; & nullum adest speciale præceptum, quo obligetur abstinere à Baptismi administratione in periculo mortis Catholico præsentem. Admittit tamen cum Suarez, & Agidiò, vix excusari posse a mortali ob scandalum fidelibus datum: Tum ob periculum, quod credi potest adesse ministratum Baptismum cum errore in fide, & prætia intentione.

Sed Nuño art. 5. diff. 2. concl. 1. Cabrera num. 2. & Serra ibi cum communi sententia, etiam secluso scandalo, & periculo, perse loquendo, dicunt esse mortale peccatum: quia grauis irreuerentia sacramenti est, quod conferatur à non baptizato. Imò ut certissimum, id tradit Soto dist. 4. art. 3. conclus. 4. ex D. Thoma, qui dicit, quod qui se pagano exhiberet baptizandum, non reciperet gratiam. Et Vazquez cap. 5. n. 34. dicit oppositum esse absonum, & absurdum.

45 Secundo aduertendum, quod Caltanus articulo quinto, & Henriquez libro secundo cap. 29. num. 1. lit. b. (citans Sotum, Nauarrum, & Canum, & alios, qui oppositum ex professo docent) dicunt, quod si laicus extra necessitatem, baptizaret absque solemnitate, si contemptus atque præsumptio deessent (quia credunt se bene facere) non peccarent mortaliter. Sicut Innocentius Tertius in cap. *Debitum*, de Baptismo, & eius effectibus, de Iudæo in mortis articulo baptizante se ipsum, dicit non peccasse, nec venialiter, sed potius, quod si continuo decedisset, ad patriam protinus euolasset.

Sed

46 Sed in hoc casu interuenire peccatum mortale, est communis Theologorum, & omnino vera sententia. Eam docet Soto dist. 4. art. 3. conc. 2. r. ferens Richardum, Paludanum, & Syluestrum. Item docent Nauarrus cap. 22. n. 7. Vazquez cap. 5. n. 30. Leander trac. 2. disp. 4. q. 6. viginti duos Authores referens: sed omnium probationes complexus fuit Soto. In primis: nam si Religiosus; aut quisvis sacerdos in aliena Ecclesia sacramentum aliquod administraret, sine licentia Episcopi, vel Parochi, peccaret mortaliter, ut patet in can. *Interdicimus*. 16. q. 1. Secundo, quia baptizare in domo priuata, est peccatum mortale, ut palam fit in Clementina vnica de Baptismo, vbi sic baptizantes iubetur ab Episcopo castigari, etiam si sacerdos baptizaret: ergo à fortiori peccat laicus. In summa, baptizare sine solemnitate (sicut celebrare sine vestibus sacris) est peccatum mortale: ergo vbi extrema necessitas celerè Baptismum non exigit, etiam sacerdos peccaret sic baptizando: ne dum laicus. Textus in contrarium solum probat interueniente ignorantia inuincibili, posse excusari ab omni culpa. De quo Soto conc. 3. & 4.

47 Autoritas S. Augustini non vrget: quia id non determinauit esse de fide, cum id non erat determinatum, sicut modo est. Sed adhuc tunc ipse inclinabat in doctrinam, quæ modo est de fide, ut patet lib. 7. contra Donatistas cap. 53. Pontifices, & Patres concedunt laicis fidelibus baptizare in extrema necessitate; non quod excludantur infideles, si fideles ibi non fuerint; sed quia solis fidelibus, si præsentem sint, id conceditur. Tum etiam, quia plerumque ita contingeret eo tempore, sicut & nunc, ut non solum infideles adessent, sed etiam fideles; ijs enim, si adsint, dumtaxat conceditur, ut absque peccato baptizare possint. Ob id tamen non tollitur, quod Baptismus collatus ab infidelibus, & paganis in præsentia fidelium verus sit, & non iterandus, licet non sine peccato ministraretur. Imò si fidelis non adesset, ab infideli licet ministrari posset. De singulis testimonijs sigillatim late Vazquez disp. 147. c. 2.

48 Autoritatem Gregorij Secundi dicit S. Thomas art. 5. in corpore intelligendâ iuxta verba Nicolai Papæ cap. *Quos à Paganis*, de Consecratione, dist. 4. dicitis. *Hi profecto, si in nomine sanctæ Trinitatis baptizati sunt, rebaptizari non debent: si autem forma Ecclesiæ non fuerit obseruata, sacramentum Baptismi non confertur.* Et sic est intelligendum, quod Gregorius cap. *Denuo*, scribit Bonifacio Episcopo. *Quos à Paganis baptizatos esse asseruisti.*

(scilicet Ecclesiæ forma conseruata) ut de nouo baptizet in nomine Trinitatis mandamus. Hunc enim defectum, vel similem interuenisse, verba ipsa, quibus Pontifex vtitur, manifestant.

49 Rationes facile diluit Sanctus Thomas, ad primam respondet, quod homo baptizans adhibet tantummodo ministerium exterius: sed Christus est qui interiorè baptizat: qui potest vti omnibus hominibus ad quodcumque voluerit.

Ad secundâ dicit, quod ille, qui non est baptizatus, quamuis non pertineat ad Ecclesiæ rem, vel sacramentum (quia non habet characterem, nec fidem) potest tamen ad eam pertinere intentione, & similitudine actus: in quantum scilicet intendit facere, quod facit Ecclesiæ, & formam Ecclesiæ seruat in baptizando. Et sic operatur ut minister Christi, qui virtutem suam non alligauit baptizatis, sicut nec etiam sacramentis. Vnde omnino homo, nullo excepto, qui est sanæ mentis, & habet intentionem Ecclesiæ, & verba valet proferre, & abluere, valet baptizare.

Ad vltimum iam dictum est, & S. Thomas respondet ad 3. quod alia sacramenta non sunt tantæ necessitatis, sicut Baptismus. Et idè magis conceditur, quod non baptizatus possit baptizare, quam quod possit alia sacramenta suscipere. Vnde infert Soto in fine articuli tertij, quod licet conferre sacramenta solemniter, quia præsupponit potestatem ordinis, sit maius, quam suscipere: tamen conferre Baptismum tanquam ministrum extremæ necessitatis, minus est, quam ipsum suscipere.

50 Vltimo adnotare oportet non omnes teneri scire formam Baptismi, quia propter casum, qui vix occurret, non est imponenda obligatio. Imò Suarez disp. 31. sec. 5. negat obstetricis teneri scire baptizare: quia de hoc non extat præceptum Ecclesiæ. Et ex vi sui muneris non obligatur obstetrix ad curandam salutem animæ; sed solum ad rectè cooperandum natiuitati corporali eius. Neque ex Charitate tenetur vnusquisque esse paratus, aut instructus ad dandum Baptismum. Et rarissime euenit, vel non adesse aliquem alium, à quo possit infans baptizari, vel necessitatem esse tantam, ut non possit cito vocari, & expectari. Ergo propter rarissimum euentum non obligat. Caritas obstetricis ut sciant formam Baptismi. Idem docent Cabrera art. 4. Diana parte 2. tract. 15. resolut. 46. Trullench lib. 2. cap. 1. dub. 5. numero 6.

KK 4

Oppo.

31 Oppositum docuerunt Paludanus in 4. dist. 5. q. 2. n. 7. S. Antoninus 3. par. tit. 14. cap. 13. §. 4. Nauarrus cap. 22. n. 6. Bonacina disp. 2. q. 2. punct. 5. n. 5. malè pro hac parte citans Suarez, cum oppositum doceat. Sed hæc est communis, ut alijs nouem Authoribus relatis, docet Leander tract. 2. disput. 4. q. 33. Aueria sec. 2. conc. 7. quia obstetrices assumunt officium exercendum, in quo facile eueniunt casus extremæ necessitatis: & ipsæ facillima diligetia se præparare possunt ad succurrendum; ideo dicendum est ad hoc teneri. Præcipue in villulis, seu paruis oppidis, & in domibus rusticorum nõ facile inuenientur, qui formam sciunt. Vnde merito animarum pastores solliciti esse solent ut obstetrices probè sciant, quæ sunt de substantia Baptismi. Et in quibusdam Diocesisibus extant peculiare leges, ne ad hoc officium admittantur, nisi, quæ satis instructæ sint. Vnde Gauaricus in Manuali Episcoporum verbo *Baptismus*. n. 26: ex Concilio Prouinciali Mediolanensi Quinto, refert hoc decretum. *Obstetrices, nisi ead. de forma Baptismi, non admittantur ad eiusmodi munus.*

DVBIVM II.

Utrum plures possint simul vnum baptizare?

1 **Q**uod plures vnũ possint baptizare, trifariam, quod ad rem attinet, contingere potest. Vno modo si sic concurrant tamquam partiales ministri: quia nimirum, cum ad sacramentum requirantur duo actus, nempe ablutio per applicationem aquæ, & loquutio per prolationem verborum formæ; neuter vtrumque faciat, sed alter mergat, alter verò verba proferat: ut si muto puerum mergente, mactus verba proferret. De quo agit D. Tho. art. 6. ad 3. Secundo possunt concurrere ita ut vnus partem verborum proferat, & alter aliam partem: & quia in hoc casu est tam manifestè nullus Baptismus, ut nullus dubitauerit de opposito. Ideò hoc omissio, tertio modo possunt concurrere non prorsus ut partiales causæ, sed sic ut quilibet res ambas faciat. Et quia sacramentum Baptismi præcipue habet virtutem ex forma, quã Apostolus nominat *verbum vitæ*, ad Ephes. 5. Ideò considerare oportet, inquit D. Thomas, si plures simul vnum baptizarent, qua forma vterentur. Et ad confusionem vitandam primo nos expediemus a primo puncto, ut postea ad alias difficultates transeamus.

§. I.

Utrum valeat Baptismus cum vnus abluat, & alter verba proferat?

2 **A**ffirmat Marsilius in 4. q. 4. art. 4. dubio 1. solum ea ratione ductus: quia nullibi est expressum tempore necessitatis, vbi sacramentum non possit per vnum, sed per plures administrari, nullum esse sacramentum, si administraretur a pluribus, & non ab vno solo.

3 Pariter affirmat Caietanus q. 67. art. 6. §. In hac difficultate, dicens, intellectui meo magis apparet verum esse, quod perfectus minister Baptismi potest ex duabus personis partialiter concurrentibus integrari, ea ratione: quia ad Christum principaliter baptizantem non refert pluribus partialibus instrumentis simul uti ad vnum Baptisma, dummodo forma, materia, & intentio debite feruentur. ¶ Secundo id probat in fine §. In responsione ad tertium, quia in presenti, baptizare, est idem quod sacramentum conferre: & stat bene quod neuter seorsim, & disiunctim integrum sacramentum conferat; & tamen quod ambo copulati verè baptizent. Ut verbi gratia: si sint duo iudices delegati ad iudicandum simul, ita quod ambo simul, & neuter sine altero possit iudicare; proferendo sententiam, verè dicerent: nos iudicamus: & verum esset, quod ego & alter cõiunctim iudicamus: falsa tamen esset vtraque singularis, puta, ego iudico; quia in veritate ego iudicandi potestate careo. Et iuxta hunc sensum posset dici: nos te baptizamus in casu posito, quia de vtroque simul cõiunctim verificaretur, quod conferunt sacramentum Baptismi; quamuis neuter conferret illud.

Deinde addit, quod quantum est ex veritate formæ, posset vnus in articulo necessitatis baptizari a duobus, quorum alter esset mutus, & alter esset mancus, muto abluente, & manco proferente verba, ad euitandos omnes scrupulos, secundum formam Græcorum: & dicente: *Baptizetur seruus Christi, &c.* Tunc enim nullum penitus apparet inconueniens ex parte formæ in ministrorum pluralitate.

4 Henriquez lib. 2. cap. 12. n. 1. lit. b. pro ista sententia citat Paludanum in 4. dist. 6. q. 2. art. 3. Richardum, & alios. Cæterum Richardus dist. 6. nil de hac questione: bene tamen dist. 3. art. 4. vbi q. 1. ad 1. tenet expressè oppositum. Paludanus dist. 6. de hoc puncto non disputat: sed dist. 3. q. 2. ar. 2. vbi opinatur id quod retulimus q. 66. dub. 7. Sed

capitulum

tamen ibi n. 24. admonet, quod id nõ intelligatur dictum assertiuè, nec etiam opinatiuè; sed disputando, & inquirendo sub dubio, reliquendo Ecclesiæ declarandum. Ideoque non potest pro hac opinione referri, cum n. 25. cõmunem sententiam teneat ex determinatione Ecclesiæ.

Ipsè vero Henriquez lit. c. ait. Prædicta sententia Marsilij esset in casu necessitatis prædicanda utendo forma Græcorum, ut fatentur Soto, & quidam recentiores. Et tamen probabilius est non esse Baptismum, &c. Sed de mente Soti postea. Itè Suarez disp. 23. sect. 3. ad vltimam confirmationem, ait. Non nego tamen, si occurrerit talis necessitatis articulus, posse, iuxta aliam sententiam, conferri Baptismum; quia melius est accipere Baptismum dubium, & aliquomodo probabilem, quam omnino nullum. Idem docet M. Gaspar Ruyz q. 67. art. 6. dub. 3. fol. 628. Et Mag. Nuño dist. 3. §. Propter hæc, ait, quod si forte daretur ille casus, illi duo homines baptizarent sub cõditione, scilicet, si forte hoc validum est: quia licet parum, aliquid tamè probabilitatis habet Domini Caietani sententia. Fernández de Heredia de Baptismo par. 5. dub. 9. Chapeauilla de modo ministrandi Sacramenta tempore pestis q. 20. de Baptismo.

5 Rursus Leander à SS. Sacramento tract. 2. disp. 4. q. 16. dicit posse licitè, & valde in tali casu plures simul vnum baptizare. Probat ex Authoribus iam relatis à Diana. Secundo: nam si quis aquæ defluentis è tecto, puerum submitrat abluendum, & verba baptismi proferat, valide baptizabit, ut Bonacina disp. 2. q. 2. puncto 4. num. 29. & alij cõmuniter concedunt. Ergo etiam in nostro casu, sit truncus manibus, quomodo posset applicaret puerum aquæ à muto proiectæ, & proferret verba, valide baptizabit. Tertio, quia truncus in tali casu posset uti forma Græcorum (ut concedit Henriquez licet.) At hæc verificatur in tali casu, præcipue dicendo: baptizetur seruus Christi. Ergo. Quarto, qui sub hac forma, videlicet, *baptizet te Christus in nomine Patris, &c.* baptizaret, efficeret validum Baptismum (ut concedunt Soto, & Nuño, quos sequitur Ioannes à Cruce de Baptismo q. 66. conclus. 3. Quicquid Vazquez neget disp. 142. num. 27.) Ergo etiam si truncus manibus illam diceret: nam quamuis alter aquam projiceret, vere verificaretur talis forma.

6 Afferendum tamen est in nullo euentu Baptismum esse validum, si vnus abluat, & alter verba proferat. Ita S. Thomas in 4. Sententiarum dist. 6. q. 2. art. 1. q. 1. ad 3. dicens. *Similiter non erit Baptismus, si vnus sit mactus,*

& alius mutus, vno proferente verba, & alio immergente, quia ipsa verba formæ ostendunt, quod ab eodem debet fieri immersio, & verborum pronuntiatio. Idem docet hæc 3. p. q. 66. ar. 5. ad 4. Et hac q. 67. ar. 6. ad 3. ait. Sicut supra dictum est, integritas Baptismi consistit in forma verborum, & in vsu materiæ. Et idè neque ille, qui tantum verba proferat, baptizat; neque qui immergit. Et idè si vnus verba proferat, & alius immergat, nulla forma verborum poterit esse conueniens. Neque enim poterit dici: Ego te baptizo (cum ipse non immergat, & per consequens non baptizet.) Neque etiam poterit dici: Nos te baptizamus; cum neuter baptizet. Si enim duo sint; quorum vnus vnam partem libri scribat, & alius aliam, non erit propriè loquutus; nos scripsimus librum istum, sed synochica, in quantum totum ponitur pro parte. Hæc S. Thomas. Cuius opinio est fere omnium, ut ait Soto in 4. dist. 4. ar. 4. ad 3. Tenent S. Bonaventura, Alensis, Richardus, Durandus, Paludanus, Scorus, Gabriel, Soto, & Martinus Ledesma, quos refert, & sequitur Vazquez disp. 148. cap. 4. & alij, quos refert, & sequitur Diana 3. p. tract. 4. resol. 11. & par. 5. tractatu 3. resol. 26. & tract. 6. resol. 2. Esseque communem inter Theologos, notat Serra art. 6. conc. 3. Et oppositam esse sine fundamento, & contra communem, ait Trullèch lib. 2. cap. 1. dub. 4. n. 17. Et idè alios non retero.

7 Probat urque primo ratione D. Thomæ: quia Baptismus non est validus, nisi forma verificetur: siquidem sacramenta nouæ legis efficiunt, quod figurant: sed in illo euentu non verificaretur, quod qui loquitur, abluat, & baptizat. Nam latine falsa est illa forma: Ego te baptizo, vel nos te baptizamus: cum reuera ille, qui proferat, non baptizet. Quare neque si forma Græcorum ille vteretur, dicens: *Baptizetur seruus Christi, Baptismus valeret* (inquit Soto.) nam debet eundem reddere sensum, ut qui verba proferat, materiam applicet, ut denotetur illic actus ministri. Deinde, quia ex praxi Ecclesiæ constat, ministrum debere esse vnum, a quo procedat loquutio, & ablutio: & sic verba Evangelij baptizantes eos, intelliguntur diuisiue, ut quisque dum baptizat, dicat totum quod facit.

8 Contra relatum vero Caietani solutionem arguit Soto: Primo, nam baptizo, in forma sacramenti nihil aliud significat, quã abluo, nisi quod fit cum certa intentione, & forma. Perinde enim esset, ac si baptizarent per verbum, abluo. Quare si mancus non abluat, reuera neque baptizat. Atq; adeò nõ est

est simile illud de duobus iudicibus: nam ibi illorum vterque partialiter mandat: manet tamen neque partialiter baptizat. Baptismus enim pro ablutione supponit: cuius ille nec partem facit. Fit ergo ut etiam si complexim dicat: Ego & iste complexim baptizamus, falsa sit forma. Secus autem est, ubi multi simul consecrant: nam singuli totum faciunt, perinde, ac si vnus solus consecraret.

Validius autem est aliud argumētū, quod ibi proponit ab inconuenienti. Sequeretur enim eadem ratione valere Baptismū, quē plures sic celebrarent, ut vnus mergeret, & alius diceret, nos te baptizamus: aliusque apponeret, in nomine Patris, atque alius, in nomine Filij, aliusque in nomine Spiritus Sancti. Profecto discrimen nullum apparet: & tamen nefas esset hoc concedere esse Baptisma.

9 Posset secundo responderi rationem D. Thomæ efficacem esse iuxta formam Ecclesiæ Romanæ: sed non iuxta formam Græcorum: *Baptizetur Jesus Christus*: iuxta quam non significatur actio lauandi ut progrediens ab eodem, qui profert verba, sed solum ut recipitur in pallo: & ita valeret: baptizetur a Ioanne, vel Petro, vel baptizetur a Christo, vel alijs modis, quibus valere dicunt Authores primæ sententiæ.

Hoc in proprijs terminis impugnant Soto, & Nuño, nec admittit Ioannes a Cruce: vnde male Leander eis tribuit oppositum. Deinde bene impugnant Suarez disp. 23. tit. 3. & Vazquez disp. 148. cap. 4. n. 28. dicens respōtū frivolum reuera esse: quia verus sensus formæ baptismi non est petendus ex forma Græcorum: sed potius ex forma, qua vitur Ecclesia Romana. Neque est cōtenda illa forma sufficiens, quæ prolata alijs verbis, quibus Ecclesia Romana vitur, vera esse non potest. Essentialiter autē omnium Ecclesiarum est idem sensus: *Vnde, baptizetur, vel, baptizatur*, non est veluti deprecatorium; sed quā efficaciter operatum.

10 Præterea certum est apud omnes, rationem a priori eorum, quæ pendent ex institutione ad placitum Christi, petendam esse ex eius institutione. Et quamuis hæc non collat ex Sacra Scriptura, vel ex definitione Ecclesiæ: & non sit dubium, quod potuit Christus, vel eo modo instituere hoc Sacramentum, quod valeret partialiter datum a duobus: vel quod non valeret nisi idem ablueret, & proferret formam. Quod hoc secundo modo fuerit institutio, constat ex forma

Latina Ecclesiæ, quæ debet esse regula, & mensura cæterarum: constat ex vi, qui est optimus legum interpret: & numquam visum, vel auditum est in Ecclesia, quod Baptismus aliter fuerit administratus: & in hoc sensu intellecta esse verba: *Baptizantes eos, &c.* Quod scilicet, qui baptizat id faciat in iocando Sanctissimam Trinitatem super actionem suam. Constat tertio a paritate aliorum Sacramentorum similitum, ut sunt Ordo, Confirmatio, & Extremayntio, in quibus minister exercet totam actionem proximam, quā determinat per verba ab ipso met ministro prolata.

11 Nec obstat, quod obijci solet de Matrimonio, & Pœnitentia, in quibus necessario duæ personæ interueniunt. Quia ut bene respondent Nuño, Suarez, & alij, non est simile: quia in eis materia sacramenti non est proprius actus ministri; ex intentione eius determinandus, & sanctificandus per formā, ut cum ea vnum sacramentum constituat. Sed in Matrimonio materia est traditio, forma vero est acceptatio mutua, & exterius expressa. Pœnitentia etiam per modum iudicij exercetur, in quo oportet reum, & iudicem distinguere, & confessionem fieri a reo, non a iudice, sed supponi potius, ut in eā cadat sententia iudicis. At vero in hoc, & alijs sacramentis ipse minister debet exercere totam actionem, quæ est materia sacramenti, & explicatur, & determinatur per verba formæ. Et ideo oportet, ut ipsemet, qui actionem exercet, suis verbis, suaque intentione proprium actum informer.

12 Solet nostra conclusio probari ex capite, *Quorundam*. Dist. 23. quod desumptum est ex Concilio Hispalensi 2. cap. 5. Sed quia recte Soto in fine articuli admonet, exinde non recte sententiam nostram confirmari, omittimus examinare multa, quæ aserit circa illud caput Vazquez disputatione 148. capite 4. a num. 30. vsque ad 33. quia pertinent ad tractatum de Sacramento Ordinis.

13 Præterea Vazquez illo cap. 4. a n. 25. vsque ad 28. circa rationem D. Thomæ contendit, quod in illa verbum, *baptizo*, accipitur pro eo, quod est sacramentum baptismi ministro. Quod manifeste probat ratio Caietani: reddit enim rationem his verbis Sanctus Doctor. *Cum neuter baptizet*: ubi verbum baptizare non potest usurpari pro eo, quod est corpus abluere: sed pro eo quod est sacramentū baptismi administrare: alioquin falsum dixisset Beatus Thomas illis verbis. *Cum neuter baptizet*: siquidem alter eorum,

rum, nempe mutus, corpus ablueret, nihilominus, quia verbum baptizandi refertur ad exteriorem corporis ablutionem, ut per illā significetur spiritualis, si communem, & frequentiore modum significandi apud omnes attendamus: in quo sensu accipitur a Diuo Thoma, siquidem rationem assignat his verbis: *Cum ipse non mergat*: ac si diceret, quia corpus ipse non abluet; ad quod verbum, *baptizo*, refertur. Ut autem in hoc sensu vera esset forma, deberet vterque eorum ad ablutionem ipsam corporalem concurrere: in casu autem prædicto vterque non concurreret, sed alter tantum, ut patet: quare qui proferret verba, non posset dicere: *Nos te baptizamus*; sed potius: *Ille te baptizat*. Bene video (inquit Vazquez) hac ratione non fuisse usum D. Thomæ: nihilominus hæc multo magis efficax est. Postea vero nu. 27. ait. Quod enim S. Doctor, ait hunc modum loquendi, verum non esse, nisi per figuram synecdochem, difficile videtur: neque enim ut quis dicatur cum alio facere aliquid, necesse est ut quisque eorum solus id faciat. Vnde ipse ait diuersam esse rationem, aut scribendi librum, aut trahendi nauim, aut ædificandi domum, & administrandi sacramentum: nam tres illæ priores actiones homogeneæ sunt, & eiusdem rationis in parte, & in toto: quæcumque enim actio scribendi scriptura est, &c. Et ideo denominatio cuiuslibet conuenit. At vero actio abluendi corporaliter, & actio proferendi verba, non sunt eiusdem rationis inter se, neque cū tota administratione sacramenti: & ideo qui solum facit alterum illorum, non dicitur sacramentum ministrare, seu baptizare, sumpto hoc verbo baptizandi pro eo, quod est sacramentum ministrare.

14 Plurima tamen sunt, quæ in hoc discursu deficiunt a veritate. In primis falsum, & incredibile est, quod S. Thomas in paucissimis verbis vnus solutionis verbum, *baptizare*, vsurpet æquiuocè, modo accipiendo in communi, propria, & vsitata significatione, & immediate sumendo in acceptione in vsitata, & minus propria: quia sic ratio esset obscurissima, & inefficax, cum medium sumeret æquiuocè.

Nec secundo ratio in oppositum vrget: quia abluere secundum se est indifferens ad ablutionem naturalem, & per verba ministri, & eius intentionem determinatur ad ablutionem sacramentalem; ideoque baptismus supponit pro ablutione sub præscripta verborum forma, ut diximus q. 60. & q. 66. Vnde in illo casu mutus non ablueret, nec

baptizaret: quia non lauaret sub forma præscripta.

Tertio ipse Vazquez in fine cap. 4. amplectitur rationem M. Soto, licet eam ei non tribuat, quod si duo possent ministrare, pariter tres, quorum alter partem formæ proferret, & alius reliquam formæ perficeret: & tamē istæ duæ actiones essent homogeneæ: ergo quoad præfens partem refert actiones esse homogeneas, vel eterogeneas.

Quarto, constat, quod si Christus vellet, posset instituere, quod baptismus a duobus ministratus, quorum vnus ablueret, & alius verba proferret, esset validus: & tunc non de sinerent actiones esse eterogeneas: ergo hæc differentia est per accidens ad intētum. Deinde, si vnus imaginis statuam sculptura formaret, & alter eandem coloribus depingeret, actiones essent eterogeneæ: & tamē neutri tota attribueretur, nisi per synecdochem: sicut si vnus medietatem pinxisset, vel formasset: ergo ille modus loquendi æquæ habet locum in eterogeneis, ac homogeneis. Nec denique illa differentia aliqua solida ratione firmatur, quare ea facilitate, qua dicitur, contemnitur. Vnde illa ratio, nisi reducatur ad rationem Diui Thomæ, solida non est. Per quæ facile argumenta soluntur.

15 Nec occurrit in praxi casus illius opinionis (adhuc admissio, quod probabilis esset in praxi: quod non admitto propter supra adducta) practicandæ. In primis, quia ipse Caietanus in fine commentarij fatetur non fore difficile, quin mancus posset etiā abluere; posset enim super caput habere modicum aquæ, quam inclinando caput effunderet super baptizando, & simul proferret verba; & in hoc posset mutus adiuuare, sustinendo vas in capite manci, ne caderent, cum ille inclinasset caput. Imo, & manus muti plenæ aqua posita super caput manci, supplerent vicem vasis; ita tamen, quod motus capitis manci esset estusius aquæ. Hæc Caietanus.

16 Vel ut ait Auersa sect. 1. folio 767. aliter posset prouideri, ita ut vnus, & idem aquam infunderet, & verba proferret. Nempe, si ille, qui lingua pollet, & brachijs caret, immeret aquam in ore; & inde aspergeret Baptizandum, ac immediate post, vel ante verba proferret; non enim requiritur simultas physica, sed sufficit continuatio successiua, iuxta prudentium æstimationem. Vel etiā vitendo eisdem manibus alterius pro vase continente aquam, capite, aut pectore impellat; & sic aquam in baptizandum aspergat.

gat. Et quod hoc est simile de illo, qui aquæ defluenti è recto applicat puerum lauandū, quia per hanc applicationem, ipse qui applicat, & verba profert, totum sacramentū perficit.

17 Denique, vt notat ipse Suarez ad vltimam confirmationem, etiam potest dari casus, in quo nemo loqui possit: & etiam occurrere potest casus, in quo etiam aqua deficiat. Sicut ergo propter huiusmodi euētus rarissimos non est facta exceptio in institutione Baptismi: sed generaliter facta est in tali materia, & tali forma, de se communis simis, & facillimis: ita etiam in tali ministro, qui simul abluat, & loquatur.

§. II.

Vtrum cum plures vnum simul baptizant, sit tantum vnus numero Baptismus?

18 **R**edeundo ad præcipuam difficultatem, de qua S. Thomas agit in corpore articuli texti, incipiendo a facillioribus, cum plures simul baptizant vtendo forma consueta, ita vt vnusquisque abluat, & verba proferat, & legitimam intentionem habeat, validum perficerent sacramentum; licet peccarent. Quod totum docet S. Thom. illis verbis. Si vero vterque diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: vterque exprimeret suam intentionem, quasi ipse singulariter Baptismum conferret. Quod posset contingere in eo casu, in quo contentiose vterque aliquem baptizare conaretur. Et tunc manifestum est, quod ille, qui prius verba proferret, daret Baptismi sacramentum: alius vero quantumcumque ius baptizandi haberet, nihil faceret. Ita verba pronuntiare præsumeret, esset puniendus, tanquam rebaptizator. Si autem omnino ambo simul verba proferrent, & hominem immergerent, aut alpergerent, essent puniendi de inordinato modo baptizandi, & nõ de iteratione Baptismi, quia vterque intendere non baptizatum baptizare. Et vterque quantum est ex se baptizare. Hæc S. Thomas.

19 Omniumque ratio est facilis. Quod enim illicitè agant, constat: quia absque vlla conuenientia, & necessitate, baptizant contra modum ordinatum, & conuetum in Ecclesia, quod vnus solus baptizet: ergo puniendi sunt vt baptizantes illicitè, & inordinate. Quod autem qui prius verba cum ablutione sufficienti proferret, verum Baptismi sacra-

mentum conficeret, etiam est manifestum: quia apponit omnia essentialia, materiam, formam, & supponimus adesse intentionem ministri. Qua etiam ratione probatur, quod etiam baptizarent, si simul, & semel verba proferrent, & abluerent: nam omnes apponunt omnia essentialiter requisita ad Baptismum: ergo sicut nouiter ordinati Sacerdotes simul cum Episcopo vere consecrant, cū verba preferunt super debitam materiā cū legitima intentione: ita si simul verba proferunt, & abluunt, vterque quantum est ex se baptizaret.

20 Sed inde insurgit difficultas, vtrum in isto casu esset simpliciter vnus Baptismus, vel plures?

Esse plures, videtur docere D. Thomas i. p. q. 66. ar. 5. ad 4. dicens, quod plures simul non possunt vnum baptizare, quia actus multiplicatur secundum multiplicationem agentium, si perfectè ab vnoquoque agatur. Cum ergo in isto casu, cum plures vnum baptizant, vnusquisque perfectè agat verba proferendo, & abluendo, erunt plura sacramenta. Quod videtur supponere Caietanus hic ar. 6. §. Ad penultimam demum, docens plures causas totales instrumentales producere in hoc casu vnum effectum.

21 Expressius docent Gabriel in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 3. dub. 4. sub fidem. Et Maior q. 1. §. Contra istas conclusiones. Agrius Coninch q. 67. art. 6. dub. 1. conc. 3. nu. 40. Probans primo, quia Christus non confert interius sacramentum, sed effectum sacramenti: & ex eo, quod hic sit vnus, inde non sequitur eum ab vno solo sacramento conferri: quia duæ causæ morales possunt facillè efficere vnum effectum. Deinde et si sit vna res significata: tamen eiusdem sunt hic duo integra signa: & vtrumque habet distinctam numero significationem. Cum etiam vterque abluat distinctam hominis partem, non potest esse vna ablutio: quia sunt diuersa subiecta: sicut non potest esse vna albedo in pede, & in capite. Item est duplex infusio aquæ, & duplicis aquæ receptio. Et duplex forma, à qua sicut esse, ita vnitatis rei maximè dependet: rursus ablutio moraliter, & virtute est duplex, ratione duplicis intentionis, ex qua fit. Ergo non potest esse vnum sacramentum: quia cum esset vere, saltem virtualiter, duplex materia, & absolute duplex forma, essent duo sacramenta.

22 Denum, quia si actus vtriusque ministri constituerent vnicum sacramentum, neuter esset causa totalis sacramenti, quia neuter poneret omnes actiones, quæ hic, &

nunc

nunc ad esse vnus sacramenti concurrerēt, vt per se patet. Illud autem est absurdum, vt patet ex D. Thoma, & communiter omnes fatentur. Ergo & id vnde sequitur. Nec sacramentalis proprie baptizaretur bis: quia hoc significat successionem; sed semel baptizaretur duplici baptismate. Sicut qui simul accipit duos vulnera, non dicitur bis vulnerari: sed semel duplici vulnerè. Simili modo quādo noui Sacerdotes simul cum Episcopo consecrant, idem panis varijs formis consecratur.

23 Nihilominus plures vnum simul baptizantes, simpliciter vnum tantum facere Sacramentum Baptismi, videtur docere S. Thomas q. 67. ar. 6. in corpore dicens. *Nec traderent aliud, & aliud Sacramentum: sed Christus, qui est vnus, interius baptizans, vnum Sacramentum per vtrumque conferret.* Tenentque Scotus in 4. dist. 6. q. 2. §. *Respondeo plures, ver. Sed adhuc videtur stare.* Marilius q. 4. ar. 4. dubio 1. ad 3. Durandus in 4. dist. 3. q. 3. n. 13. & 15. & 17. Paudanus in 4. dist. 3. q. 2. n. 46. Soto dist. 4. ar. 4. §. *Quo circa non opus.* Nuño q. 67. ar. 6. diff. 2. Cabrera disp. 2. Ruyz dubio 2. Serra conclusionem 2. Vazquez disputatione 148. cap. 2. Non vna via id probat. Scotus, vel qui est Author illius additionis: (nam ibi immediate ante præmittitur: *Responsum querere*) ait. *Dicit potest, quod baptizatio huius, vel illius valet, scilicet, cuius baptizatio a Deo accepta est. Cuius vero determinate, nobis poenitus incertum est, solus nouit Deus, & cui voluerit reuelare.* Hæc ibi. Quæ potius diuinando, quam Theologicè discutendo sunt scripta.

24 Vazquez num. 12. probat: quia sacramentum est in genere signi: vnde vnitatis illius non ex vnitatis physica rerum, quibus conuolat, sed ex ipsa significatione sumenda est. Quare si in diuersis rebus vna numero significatione reperitur, vnum numero sacramentum erit. Cum ergo plures ablutiones in eodem homine simul factæ, & plures prolationes formæ vnum numero, & eundem effectum, gratiam nimirum eandem, & eundem characterem significant, neque ad diuersa significanda referantur, cōsequitur eas vnum tantum numero sacramentum efficere. Sed hanc rationem merito impugnat Coninch, Ruyz, & alij.

25 Melius Soto, & communiter Thomistæ, item Durandus, & alij arguunt: quia licet sint duæ actiones, vnum tamen simpliciter resultat sacramentum ab vnitatis subiecti: quia vnus baptizatur, atque vnus Christus vna interna actione gratiam infundit: siqui-

dem ablutio passiuè sumpta est sacramentum Baptismi: quare non multiplicatur, nisi ex multiplicatione subiecti. Simile est peruium de duobus simul vnâ, & eandem hostiam consecrantibus, quos D. Thom. q. 82. art. 2. concedit, iam ambos sacramentum perficere.

26 Has duas sententias concordant Suarez disp. 23. sect. 3. ad secundam difficultatem in fine, & Granados tract. 2. disp. 3. nu. 3. Raphael Aueria q. 67. lect. 1. §. *Propter hoc.* Dicentes, quod materialiter, & quasi metaphysicè rem considerando, sunt plura sacramenta: quia sunt plures ablutiones, & plures formæ. Tamen formaliter, atque moraliter loquendo: quia in eodem subiecto sūt simul, & in ordine ad eundem omnino effectum efficiendum, & significandum, possunt dici vnum sacramentum, & vnum sacrum signum: quatenus totum illud signum externum, nec plus efficit, nec plus significat, quam si esset ex vnica simplici forma, & materia compositum.

27 Verumtamen hoc est in re primam sententiam tenere, & simul velle evitare inconuenientia, quæ secunda illi opponit: sed non apparet, qua via id atsequantur: quia si causæ sunt duæ totales, & non adunatæ, vt reuera sunt in isto casu, cum qualibet independentè ab alia, & sine consortio alterius totum operatur, non est cur qualibet nõ operetur nouum effectum. Sicut si quis idem peccatum duobus sacerdotibus confiteretur, & ab vtroque absolutionem obtineret, maiorem gratiam reciperet, quam si solum semel confiteretur, & absolueretur.

28 Persequendum igitur in secunda sententia, quæ post alios sic breuiter solide probat Serra art. 6. conc. 2. in fine dicens. Probatur: Tum, quia idè dicitur vnum Baptisma, quia vnus homo non potest nisi vnum suscipere. Tum etiam, quia tunc vna est ablutio ob vnitatem subiecti, etiam si vnus vnâ partem baptizati abluat, & alter aliâ: non secus, ac quando vnus solus baptizat, etiam si duas distinctas partes ablueret non contiguas, media parte nõ abluta, vna esset ablutio totalis: ergo vnum Baptismi Sacramentum: hoc enim pro ablutione supponit.

Tum deinde, quia si qui à pluribus prædicto modo baptizaretur plura reciperet Baptismi sacramenta, maiorem gratiam reciperet, quam si solum baptizaretur ab vno: plura enim sacramenta maiorem gratiam conferunt, quam vnum solum. Sed hoc est falsum: ergo, &c. Tum denique, quia sicut quan-

quando plures Sacerdotes eandem hostiam consecrant, vnum solum Eucharistiæ Sacramentum efficiunt: ita quando plures eundem hominem baptizant, vnum sacramentum Baptismi debent efficere.

Neque huic obstat pluralitas numerica verborum, formarum, & actionum. Respondetur namque, sicut quando vnus baptizat plures dicendo, ego vos baptizo, sunt plura baptismana: quamuis forma, & actio ministri sit vna numero: ita quando plures vnum baptizant prædicto modo, est vnus baptismus: licet forma, & actiones ministrorum sint plures: propter hoc enim plures baptizantes sunt plures causæ instrumentariæ eiusdem Sacramenti Baptismi: sicut plures Sacerdotes simul consecrantes eandem hostiam, sunt plures causæ instrumentariæ totales eiusdem Sacramenti Eucharistiæ. Hæc ibi.


29 Ad auctoritatem D. Thomæ prima opinione adductam, bene respondet Vazquez cap. 2. nu. 13. in fine, quod ibi Diuus Thomas non agit de Baptismo collato a pluribus sub illa communis forma: *Ego te baptizo*: quia argumentum ibi obiectum id non postulabat: sed agit de Baptismo a pluribus simul collato sub illa forma: *Nos te baptizamus*: de quo erat argumentum: & asserit, quod cum quilibet baptizans perfectè agat, & baptizet tanquam perfectè minister Dei, fieri nequit vt plures simul sub illa forma: *Nos te baptizamus*, baptizent: quia per illam denotatur actus ab illis provenire parialiter, & non totaliter.

30 Alia argumenta solvantur respōdēdo ex D. Thomæ q. 62. art. 5. quod per instrumentum coniunctum mouetur instrumentum separatum, sicut baculus per manum, & quod sacramentum ministri sunt instrumenta separata, & humanitas Christi est instrumentum Deo coniunctum: de quo q. 64. art. 1. & 3. Quamuis ergo de se illa essent duo sacramenta: tamen quia Christus eis vtitur interiorius in ordinem ad vnum effectum primarium, & secundarium, & mouet vnica motione ad istum finem, non solum ex effectu, sed etiam in esse Sacramenti hic, & nunc constituunt vnum, si de facto simul, & semel recipiantur in vno subiecto: quia est adæquatè vna ablutio passiva sub formis ordinatis à principali mouente ad vnum effectum. Quamuis si secundum se considerarentur, sine vnione facta à Christo præcipue baptizante, & sine ordine ad vnum subiectum, & vnū effectum, sufficerent ad plurificanda sacramenta. Vnde Caietanus art. 6. §. Latet autē,

notat, quod qui baptizatur, licet secundum partem, abluatur, ipsum tamen suppositum est, quod primo abluatur: baptizatur enim hic homo, & non caput eius: ac per hoc licet secundum exteriores partes sint duæ abluitiones passivæ: secundum tamen subiectum quod abluatur, non est nisi vna ablutio passiva: quia nō est nisi vnus ablutus. Et ideo non est nisi vnus Baptismus passivè in eo, qui baptizatur à duobus. Et idem Caietanus, §. Ad obiectiōnē vero contra idem, docet, quod in hoc casu vterque quantum est de se conferret diuersum Baptisma: sed per accidens propter vnitatem illius, qui baptizatur, vnū fit sacramentum, propter excellentiam principalis agentis, scilicet Christi, qui totus potest duobus totalibus instrumentis eiusdem rationis simul vti, vt vno.

31 Cum autem admissimus plures simul posse valide Baptismum conferre, intelligendum est nisi ex parte intentionis essentialiter requisitæ ad valorem sacramenti, sit obstaculum, seu defectus: si enim singuli haberent intentionem ab aliorum intentione dependentem, nullus perficeret sacramentum: quia non est in illorum potestate sacramenti valorem, aut effectum impendere, postquam omnia requisita ad essentiam sacramenti, & effectū illi adhibita sunt. Nec si singuli eorum haberent intentionem baptizandi alijs non baptizantibus, & non baptizandi alijs baptizantibus, nihil omnino ab eis fieret: quia essent sicut propositiones falsificantes, vt cum Marsilio notat Soto ar. 4. & cum Maiore aduertit Vazquez cap. 3. numero 21. qui & nu. 22. notat, quod si singuli nollent sacramentum conferre, si prius ipsi omnia, necessaria sacramento adhiberent, sed relinquere vellent postremo, vt sacramentum perficeret, reuera ille solus baptizaret: alij vero peccarent, non solum quia contra comunem Ecclesiæ consuetudinem, tot simul baptizarent, vt cōcedit Vazquez: sed etiam primi essent sacrilegi baptizando sine debita intentione hominem Baptismi capacem.

✱



§. III.

De Baptismo sub illa forma: *Nos te baptizamus*.

32 Veniamus iam ad illam difficultatē à D. Thomæ initio articuli explicatam, de Baptismo sub illa forma: *Nos te baptizamus*: & vt æquiuocatio vitetur, aduertendum, quod illæ voces tripliciter possunt vsurpari. Primo, quod ablutio, & forma, & intentio sit exprimere personam vnus ministri: sed quia ille est persona in dignitate constituta: quæ solent ad maiorem reuerentiā dignitatis, vel personæ, vt plurali pro singulari, facit eundem sensum, ac communis forma: & sic absque omni dubio valet Baptismus. Quod notat Caietanus, §. Cum his omnibus, dicens, quod si quis propriè deferens dignitati etiam in sacramentis, volens numero plurali se suosq; actū significare, dixisset: *Nos te baptizamus*, &c. Perfectum esset sacramentum Baptismi: quoniam ex accommodatio ne vsus, personæ excellentes vtuntur plurali pro singulari: quamuis hoc non significet ex propriæ significationis impositione. Quod communiter admittunt Theologi hic, & tractando de Sacramentis in genere. Sed quia modo non est in vsu, quod Papa, Cardinales, & Episcopi in ministerio Sacramenti vtantur plurali pro singulari, licet sit satis vsitatum illo modo loquendi vt extra Sacramentum: non nullum esset peccatum contra vsum Ecclesiæ priuata alicuius prælati auctoritate id velle introducere: liceret tamen auctoritate Domini Papæ illum loquendi modum introducere in formis Sacramentorum.

33 Secundo possunt illæ voces vsurpari complexiue, vt ly *Nos* æquiualeat *itis*, *Ego*, & *tu baptizamus*, vt notat S. Thom. q. 66. ar. 5. ad 4. Similiter Alensis 4. p. q. 8. membro 6. ar. 7. Et S. Bonaventura in 4. dist. 5. artic. 1. q. 1. p. 4. collateraliter, & ex eis Vazquez disp. 148. cap. 6. ad 7. n. 4. ex Prisciano Grammatico notant, pronomen *Nos*, non geminare singulare suum, vt idem sit, quod *Ego*, & *ego*: sed idem quod, *Ego*, & *Tu*: & ita denotantur duæ causæ partiales concurrentes ad eundem effectum.

Tertio, possunt illæ voces vsurpari cōplexiue, ita vt denotent duas causas totales. Vt autem notat Soto dist. 4. ar. 4. §. Ex his autē, iste non est casus D. Thomæ, propterea enim dixit: *Videtur*: quia illud verbum plurale complexiuam intentionem significat. Quasi dicat, si aliunde constaret seorsum quemlibet

bet intendere baptizare, aliud est iudicium. Raphael Aueria sect. 1. §. Admonet vero, cōfundit istum sensum cum secūdo: & ideo cōnatur sententias oppositas circa secundum sensum conciliare: cum si seorsum casus disputaret, & Authores legeret, videret concordiam non admittere.

34 Igitur, quod valeat Baptismus sub illa forma, *Nos te baptizamus*, ita vt sit sensus, quod concurrant plures ministri partiales, docent Durandus in 4. dist. 3. q. 3. num. 15. Paludanus q. 2. ar. 3. num. 44. Videnturque fauere Marsilius in 4. q. 5. art. 4. dub. 11. & Maior in 4. dist. 6. q. 2. §. Contrastas. Richardus dist. 3. ar. 4. q. 1. Valentia q. 2. de Baptismo punct. 2. Citatur etiam Caietanus: sed reuera attentè consideratus, solum loquitur in tertio sensu, vt videri potest dub. 1. §. Et ad impugnationem huius: quo sensu plures habet sectatores, vt postea videbimus. Septem argumenta pro hac sententia referunt, & solunt Caietanus, Vazquez, & alij. Sed præcipua sunt duo. Alterum Durandi num. 12. nam mutatio formæ in eo, quod essentialiale non est, non obstat virtuti sacramenti: expressio autem ministri baptizantis nō est necessaria ad essentiam sacramenti, vt patet in forma Græcorum: ergo licet mutetur forma dicendo, *Nos te baptizamus*, quoad expressionem ministri, erit verum Sacramentum. Præteritum cum hæc propositio, *Nos te baptizamus*: retolatur in hanc, *Ego te baptizo*, vage accipiēdo, vel indefinīte, ly *ego*, pro quolibet baptizante.

Aliud argumentum obijcit Paludanus: nā quando plures mulieres poterant vnum hominem in maritum accipere, poterant dicere: *Nos te accipimus in coniugem*: iuxta illud Elaiæ 4. *Inuocetur nomen tuum super nos*: ideo que si nunc pluralitas vxorum foret licita, eodem modo plures simul vnū possent nubere: & illæ essent simul ministræ sacramenti. Ergo eadem ratione plures simul eundem baptizantes dicere possunt: *Nos te baptizamus*: & idem Sacramentum baptismi ministrare.

35 Nihilominus asserendum est Baptismum à duobus datum sub illa forma, *Nos te baptizamus*, iuxta secundum, & consuetum verborum sensum, esse inualidū. Ita S. Thomas q. 66. ar. 5. ad 4. & q. 67. ar. 6. ait. Considerandū, quod ex tali forma, *Nos te baptizamus*, exprimitur talis intentio, quod plures contendant ad vnum baptismum conferendum. Quod quidem videtur esse contra rationem ministerij: homo enim non baptizat, nisi vt minister Christi, & vicem eius gerens.

rens. Vnde sicut vnus est Christus, ita oportet esse vnum ministrum, qui Christum representet. Propter quod signanter Apostolus dicit ad Ephesios 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma.* Et idem contraria intentio videtur excludere Baptismi sacramentum. Hæc S. Thomas. Idem tenere Alensem, S. Bonaventuram, Gabrielem, Syluestrum, Soto, & Martinum Ledesma, & alios Theologos communiter, refert, & sequitur Vazquez disp. 148. c. 5. & 6. Item Suarez disp. 23. sect. 3. & alij communiter.

36 Probat utque ratione D. Thom. quæ sic format Serra cõc. 1. Vt Baptismus sit validus, debet apponi forma legitima; & non exprimi intentione contraria intentioni Christi, & Ecclesiæ; sed quando plures simul abluunt; & dicunt, *Nos te baptizamus*, nõ apponitur legitima forma; & exprimitur intentio contraria intentioni Christi, & Ecclesiæ: Ergo non est validus baptismus, sed nullus. Mirior probatur, forma legitima, & intentio Christi, & Ecclesiæ excludit pluralitatem ministrorum conuenientium ad Baptismum conferendum: sicut enim vnus est Christus, tam ipse, quam Ecclesiæ vult, ac intendit, vt minister vicem gerens Christi, ipsum representans sit vnus. Forma etiam legitima, aut non illum exprimit ministrum, vt patet in forma Græcorum, aut vnum solum exprimit, vt patet in forma nostrâ. Sed ex hac forma, *Nos te baptizamus*: ex vi verborum illius exprimitur pluralitas ministrorum conuenientium ad Baptismum conferendum: & intentio talis pluralitatis. Ergo, qui illa vtuntur, intentionem contrariam intentioni Christi, & Ecclesiæ exprimitur: & non apponunt formam legitimam. Forma enim in qua exprimitur pluralitas ministrorum, non est synonyma, & eiusdem rationis cum forma legitima: sed alia diuersa ab ea: sicque illa appposita mutatur forma, & legitima non apponitur.

37 Aliter rationem explicant Soto, & Martinus Ledesma 1. p. quart. q. 8. ar. 6. Quorum rationem dicit, efficacissimam Vazquez cap. 5. num. 40. assignando differentiam inter hunc casum, quando plures baptizant, dicendo, *Nos te baptizamus*, & quando omnes dicunt, *Ego te baptizo*: Quando enim vterque dicit singulariter: *Ego te baptizo*: cum sua propria intentione, & forma, vterque est totalis minister ab altero nõ dependens: ob idque vterque sine altero eisdem verbis sufficeret: quare vnus alteri accidentaliter adiungitur, & alter alteri: quoniam neque inuadit, neque obstat: & ideo vterque

baptizat. Quando vero complexim dicunt, *Baptizamus*, videntur non per se vterque, sed complexim ambo intendere baptizare. Itaque ambarum intentionum vterque ab altera per se pendet, quasi per se vterque adiutorium alterius exoptulet. Et hoc est, quod ait S. Thomas, esse duos ministros, scilicet, partiales. Quare bene in hoc suam fundat intentionem, quod sicut Christus est vnus, debet esse vnus minister, & non complexim duo. Hæc Soto.

38 Quod confirmat Vazquez n. 41. & 42. quia ablutio, & prolatio verborum a ministris pendet vt a causis earum physicis, & realibus: non enim alias immediatas particulares causas habent: eiusdem autem effectus non possunt esse plures causæ physicae totales, vel quia id implicat contradictionem, vt ipse arbitratur. Vel in nostra sententia, quia saltem naturaliter id non contingit; & hic modus loquendi videtur desumptus ex ijs, quæ naturaliter eueniunt; ac proinde si plures ministri ad vnum effectum concurrunt, vt partiales causæ se debent habere. Hoc autem pugnat cum institutione Sacramenti: nam cuiuslibet ministro ex institutione commisit Deus, vt esset integer, & totus minister ablutionis corporalis, & prolationis verborum, quibus significaret, & daret ablutionem spiritualem: ergo eodem modo voluit esse ministrum vtriusque. Quare si voluit, vt esset integer minister ablutionis spiritualis, vt patet, velle etiam debuit, vt esset etiam minister integre ablutionis spiritualis, cum corporalis spiritualis significet. Cum ergo illa verba, *Nos te baptizamus*, de potentia concurrunt causarum partialium: & hoc pugnet cum institutione Sacramenti, consequitur ea verba pro forma deferre nõ posse. Huius tamen doctrinæ perfecta intelligentia ex parte pendet ex tertio sensu illorum verborum: de quo iam pergimus dicere.

39 Loquendo ergo de illa forma, *Nos te baptizamus*, in illo tertio sensu, Caietanus ar. 6. dub. 1. §. *Et ad impugnationem*, admittit planè validum confici sacramentum, dum ait. Et cum subiungitur, quod ista, *Nos te baptizamus*, resoluitur in istas, *Ego baptizo, & iste baptizat*. Respondetur, quod hoc potest dupliciter accipi. Primo, vt secunda exponens accidentaliter intendatur, ac si diceret: *Ego baptizo, & iste currit*. Alio modo, vt per se intendatur, tanquam dicens, quod ambo simul ministramus sacramentum Baptismi. Et si in primo sensu acciperetur, idem videtur dicendum de hac forma, & de forma, in qua ponitur aliquid impertinens: puta,

ta, si quis diceret: *Ego te baptizo, & omnes adstantes ad hoc consentunt; in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Et sensus iste, licet videatur extraneus, in proposito tamen, posset accidere, quibus ex cõdicto volentibus simul vnũ baptizare; & vtroque alterũ volente reuereri, per hoc quod vterque alterius meminit: ad huiusmodi enim reuerentiã exprimeã, videretur eis, quod deberet vterque vti numero plurali. Hæc Caietanus, qui & postea profertur de alio sensu, quẽ dicit proprium, de quo iam egimus.

40 Pariter Soto dist. 4. ar. 4. §. *Ex his autem*, loquendo de isto sensu, ait. Nihilominus profecto, neque illo modo cerrum esset Baptismus valere: nõ neque omnino perinde est, ac si vterque præcisè diceret, *Baptizo*. Nam per verbũ plurale vterque vnã copulatiuam profert, scilicet, *Ego baptizo, & iste baptizat*: Quare licet prima pars sit legitima forma, adiungitur tamen altera impertinens: ac si dixisset: *Ego te baptizo, & iste tenet librum*. Quare, si illud tanquam necessarium adiungeret, videretur forma. Si autem adiungeretur tanquam impertinens, verus esset Baptismus. Et ideo reuere sic baptizare, periculo sum esset; atque adeo peccatũ: & idcirco, qui sic baptizaretur, in dubio esset sub conditione baptizandus. Hæc Soto. Idem, licet obiter, docent Nuño art. 6. diff. 1. conc. 1. Cabrera disp. 1. num. 6. Ruiz dub. 1. Suarez disp. 23. sec. 3. §. *Secundo sequitur*, in fine. Raphael Auerla sec. 1. §. *Admonet vero*: male per hoc solum putans sententias supra relatas concordari.

41 Nominatim vero, solo M. Soto relato, impugnat Serra ar. 6. ad 1. folio 200. col. 2. dicens. Sed hoc non videtur conforme D. Thomæ, locis relatis in conclusione: nam ait, cum dicitur, *Ego, & tu*, mutari formam, & ex tali forma, & vi verbi, *Baptizamus*, exprimi plures conuenire, & concurrere ad Baptismum conferendum, & non magis vnum, quam alterum. Vnde absolute asserendum esse existimo, etiam si vterque intendet per se totaliter baptizare, nullum esse Baptismum, sub hac forma, *Nos te baptizamus*: nam ex tali forma, & ex vi verborum exprimitur pluralitas ministrorum conuenientium ad Baptismum conferendum, & intentio talis pluralitatis: quod & intentioni Christi, & Ecclesiæ, & rationi formæ legitimæ contrariatur, vt ostendimus in ratione facta pro conclusione.

42 Quamuis hoc probabilitate non careat, & ideo Soto admittat, iterum sub conditione baptizandum, propter dubium; tamen non est recedendum a sententia Caieta-

ni, & Soto, & aliorum. Quia ad D. Thomæ auctoritatem, iam responderat Soto, hunc non esse casum D. Tho. vt supra vidimus. Rationi autem satisfacit Caietanus admittendo, quod in sensu proprio, & regulari, verba non faciunt illum sensum, sed eum, quem D. Tho. expressit, & vere asseruit sic accipiẽdo non valere Baptismum. Sed in aliquo casu extraordinario, quem possibilem esse discursus Caietani satis conuincit, non est cur verba non faciant illum sensum. Admissio autem illo sensu, non est cur non valeat Baptismus, quia omnia essentialia concurrunt: siquidem additio impertinentiũ sensũ substantialẽ formæ nõ corrumpit, nec tollit, vt docet D. Th. q. 60. ar. 8. & cũ eo Theologi communiter.

43 Ad argumẽtũ Duradi respondet Caietanus §. *Ad tertiam autem*, quod impertinens est hoc, vel illo modo exprimere ministrũ, si modus exprimendi nõ implicat aliquid contrariũ veritati alicuius requisiti ad sacramentũ: tunc enim sufficit exprimere causam principalem, & actũ ministrũ, quãdo nihil contrariũ veritati sacramenti exprimitur: sicut exprimitur dicẽdo in sensu proprio, & consueto, *Nos te baptizamus*.

44 Ad argumẽtũ Paludani idem Caietanus respondet §. *Ad dubiũ contra conclusionẽ*, quod nõ est simile de sacramento Matrimonij, & sacramento Baptismi: quia sacramentũ Matrimonij fundatur super Matrimonio vt est officium naturæ (& vt est contractus naturalis, & politicus) & propterea quæcũque sufficiunt ad efficiendũ cõugiũ verũ, vt est in officium naturæ (& contractus) sufficiunt etiam se habere ad suscipiendũ sacramentalitatẽ (vt sic liceat loqui) cõugij. Et quoniam nõ refert ad cõugiũ, vt est naturæ officium, pluraliter, vel singulariter dicere; immò siue verbis, siue solis nutibus cõsensũ exprimere: Ideo sacramentũ Matrimonij vere susciperetur, si pluraliter diceret: Accipimus te in virũ nostrũ; supposita pluralitate vxorũ: sicut etiam vere contractitur sine verbis. Secus autem esse de Baptismo, ratio cogit, quia Baptismus nõ potest distinguĩ in officium naturæ, & in sacramentũ; sed est tantũ modo sacramentũ. Et hinc est etiam, quod nõ potest nominatio Trinitatis suppleri per nũc baptizãdo. Ex eo enim quod purũ sacramentum est, oportet seruari ea, quæ pro sacramento sunt instituta ab ipso Christo, scilicet aquã, & voces significatiuas Trinitatis. Verbis Caietanus ipsius solutiones retuli, quia aliqui videtur eas cõtemnere, & postea easdem ipsi tradunt.

Aliter respondet Nuño diff. 1. ad vlt. admittendo idem esse dicendum in illo casu, si plures nuberent dicendo, nos contrahimus

tecum, non perfici Matrimonium Idem dicit Ruiz dub. 1. in 1. solutione ad 3. Sed id est falsum, & contra omnes; & ideo prior luto ut communis, & vera omnino est sola retinenda. Addit Soto art. 4. §. Et per hoc, in fine. Quare nullum est simile, quod de duobus sumitur feminis, quæ nubentes vni viro dicunt: *Nos te in virum accipimus*: Tum quod Matrimonio non est certa verborum forma necessaria. Tum quod verbum illic diuiniue usurpant; hoc est, *Ego te accipio*, & *ista te accipit*. Ob quod vtraque verum dicit.

§. IV.

Vtrum vnus possit baptizare plures?

45 **S**ed contra supra dicta est difficultas, quam sibi obiecit S. Thomas. Nā difficultus est, quod vnum agēs agat in plura, quā quod plures agentes agant simul in vnum: sed vnus homo potest simul plures baptizare: ergo multo magis plures possunt simul vnum baptizare.

Respondet S. Thomas art. 6. ad 2. quod in casu necessitatis vnus possit simul plures baptizare sub hac forma: *Ego vos baptizo*, puta si immineret ruina, aut gladius, aut aliquid huiusmodi, quod omnino mori non pateretur, vt sigillatim omnes baptizarentur. Nec per hoc diuersificaretur forma Ecclesiæ, quia plurale non est nisi singulare geminatum. Præsertim cū pluraliter dicatur, *Mathæi vltimo, baptizantes eos*. Nec est simile de baptizate, & baptizato, quia Christus, qui principaliter baptizat, est vnus, sed multi per Baptismū efficiuntur vnū in Christo.

46 Hanc D. Thomæ doctrinam communiter amplectuntur Theologi. Quam & Guillelmus Estius in 4. dist. 3. §. 6. his verbis proponit. Potest autem dici: *Ego vos baptizo*: si ob aliquam necessitatem plures simul baptizandi veniant: quomodo baptizati leguntur infantuli Comitissæ cuiusdā Batauiæ, tot numero, quot sūt dies in anno, quos omnes vno partu effuderat, vt est in Annalibus Holandiæ. Hæc verba Estij referens Leander trac. 2. disp. 4. q. 1. 2. hanc adiecit clausulam. *Sed casus ab eo narratus, adeo mirabilis, vt vix credibilis*. Sed qui libros euoluerint, non puto posse prudenter de hoc casu dubitare, innumeri enim referunt, & credibilem esse, multæ circumstantiæ suadent. Referunt enim Albertus Cranz. In Vand. Ludouicus Guiciardus in Bello graphia, Adrianus Iunior in historia Batauiæ cap. 20. & Iacobus Meyer lib. 9. Annalium Flandriæ anno 1278. Antonius Dauroultius in floribus exemplorum cap. 3. tit. 102. exemplo sexto. Laurentius Beyerlinch in Theatro vitæ humanæ verbo *Imprecatio* folio 141. qui dicunt idem

testari inscriptionem Epitaphij in templo pagi Lofdunensis, haud procul Hagha Comitissæ siti, quæ talis est. *Illustris Domini Florē 11j Comitissæ Hollandiæ p̄ta, cuius mater fuit Mathildis filia Henrici Ducis Brabantiae, fratrem quoque habuit Guillelmū Alemantæ Regē. Hæc prefata domina Margarita anno Domini 1266. ætatis suæ anno 42. ipso die Parasceues, hora nona ante meridiem, peperit infantes viuos promiscui sexus numero 365. Qui postquam per venerabilem Episcopum D. Guidonem suffraganeum, presentibus nonnullis proceribus, & Magnatibus, in pelui quadam Baptismi sacramentum percepissent; & masculis, Ioannes, femellis vero nomen Elisabeth impositum fuisset, ipsorum omnium simul cum matre animæ ad Deum æternaliter victura redierunt: corpora autem sub hoc saxo requiescunt. Sed vt, iuxta S. Greg. hom. 26. in Euangelia, rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabiliora, plurima adhuc mirabilia legi possunt in Theatro vitæ humanæ verbo *fecunditas* tomo 3. folio 150. Item Paulus Diaconus lib. 1. cap. 15. de gestis Longobardorum, cuius verba refert Maluenda lib. 6. de Antichristo cap. 9. sine, sit ait. *His temporibus quadam mater vno partu septem puerulos enixa, bellis omnibus mater crudelior, in piscinam proiecit necandos. Hoc si cui impossibile videtur, relegat historias veterum, & inueniet, non solum septem infantulos, sed etiam nouem vnam multerem simul peperisse. Et hoc certū est maxime apud Aegyptios fieri, &c.* Sed historica Historiographis omittēdo, ad Theologica redeūdo.*

47 M. Soto dist. 4. art. 4. ad 2. admonet, quod forma tunc apta esset: *Ego baptizo vos, &c.* Aspergendo omnes: tunc enim, vos, diuiniue accipitur, atque adeo tantum valet quam singulare geminatum, *te, &c.*, & quāuis actio, vt puta, aspergio, esset vna, formaque vna; nihilominus tot sunt Baptismata, quot ex intentione asperguntur. Quoniam, vt dist. 1. q. 1. dictum est, ablutio Baptismi accipitur passiuæ, & ideo ad multiplicationem subiecti, dum plures baptizantur, multiplicantur Baptismata. Sic autem vnum plures baptizare extra casum necessitatis, peccatū esset: & quidem, vt ait Scorus dist. 6. q. 2. mortale: quia non seruetur forma Ecclesiæ. At vero, si citra scandalum secreto id fieret, non est cur tam graue peccatum censetur. Hæc Soto. Quæ quoad primū cōmuniter Authores sequuntur. Et quoad hoc vltimum, sequuntur Valentia, Henriquez, Reginaldus, & Viualdus, & Bonacina, quos refert, & vt æque probabile tuetur Leander trac. 2. disp. 4. q. 13. & assertiue Trullench lib. 2. cap. 1. dub. 4. num. 16. & refert, & non improbat Auerſa sectione prima in fine.

Quam.

Quamuis absolute esse peccatum mortale, minus probabilis videatur cū Soto, Gabriele, Agidio, Vazquez, Filliutio, Hurtado, & Ochagauia relatis à Leandro, & sequitur Casirus Palaus trac. 19. punct. 9. nu. 15. quia est contra ritum, quem communiter Ecclesiā seruat in Baptismi administratione, & est variatio notabilis.

48 Quod si obiecias: nā Episcopus plures ordinaturus super singulos initiandos singulas formas profert; & non potest vna, & eadem forma omnes ordinare: ergo minister Baptismi vnica aspergione, & vna forma eisdē omnino verbis non valet plures simul baptizare. Respondet Granados controuer. 4. de Baptismo trac. 2. disp. 4. n. 4. dicens. Respondetur, tutius quidem, esse in sacramento Ordinis, vt solet ministrari in Ecclesiā, singulis formam proferre: licet nō sit necessarium, saltem iuxta probabiliorē opinionem. Vt cumque tamen res habeat, longē diuersa ratio est in sacramento Baptismi: etenim si in sacramento Ordinis semel tantum proferretur forma, cum postea singuli accederent successiuē ad tangendum librum, vel vasa sacra; & in eo tactu consistat materia proxima illius sacramēti; sequeretur nō concurrere simul materiam, & formam; cū tamen aliqui putent id esse necessarium ad veritatem sacramenti. At licet idem minister simul plures baptizet, potest simul abluere omnes, & proferre verba, ita vt concurrant simul materia, & forma. Vnde si eodem modo contingeret in sacramento Ordinis, vt scilicet, simul plures accederent ad tangendum, & Episcopus omnibus diceret: *Accipite potestatem, &c.* non dubitarem esse omnes ordinatos in quavis opinione. De quo suo loco iterum.

DVBIUM III.

Vtrum in Baptismo requiratur aliquis, qui baptizatum leuet de sacro fonte?

§. I.

Requiritur in solempni Baptismo patrinus, qui in casu necessitatis puerum instruat.

1 **D**octrina D. Th. in duobus vltimis huius quæstionis articulis facilis est: sed quia ad praxim necessaria, ideo non omittēda. Statuit articulo septimo, quod requiritur quod aliquis suscipiat baptizatum de sacro fonte, quasi in suam instructionem, & tutelam. Quod probat ex S. Dionys. c. 2. de Eccles. hier. par. 7. docente, quod *Sacerdotes assumunt baptizatum, tradunt eum ad educationē susceptori, & duci. Et cap. 7. Eccles. hier. dicit,*

quod id placuit diuinis nostris ducibus, id est, Apostolis, quod traderent puerum cuida doctori in diuinis pædagogis, & reliquum sub ipso puer ageret, sicut sub diuino patre, & saluationis sanctæ susceptore. Item probat ratione inuoluta ab ipso S. Dionysio: quia spiritalis regeneratio, quæ fit per Baptismum, alsimilatur quodammodo generationi carnali: iuxta illud 1. Petri 2. *Sicut modo geniti infantes, rationaliter, & sine dolo, lac cōcupiscite*. In generatione autē carnali paruulus nuper natus, indiget nutrice, & pædagogo. Vnde idem exigitur in spiritali regeneratione, quod aliquis fungatur vice nutricis, & pædagogi, informando, & instruendo baptizatum quasi nouitiū in fide de his, quæ pertinent ad fidem, & vitam Christianam. Ad quod prælati Ecclesiæ vacare non possunt, circa communem cura populi occupati: paruuli enim, & nouitij indigent speciali cura præter communem.

2 Ideoque Apostolica traditione, & celeberrimo Ecclesiæ more, & iure Pontificio cōclusio cōfirmatur, vt patet 30. q. 1. & multis alijs capitulis de Cōsecr. dist. 4. Cap. In Catholico cap. Non plures. & cap. Vos autem. Tertullianus etiam lib. de Baptismo cap. 18. nu. 127. eos, qui modō vocantur patrini, appellat *sponsores*, & vt colligitur ex lib. 3. de corona militis. n. 30. etiā dicuntur *susceptores*. De quibus etiā S. Iustinus, q. 56. & S. Aug. epist. 23. & lib. 1. de peccat. mer. c. 34. & ser. 116. de temp. & ser. 163. & ser. 215. De eodē patrino meminerunt Summi Pontifices Vbanus Secundus cap. *Quod autē*. 30. q. 5. & Leo in cap. *Non plures*, de consecr. dist. 4. Itē Concilium Antiodorense cap. 25. & Moguntium relatum cap. In Baptismate, dist. 4. & Concil. Trid. ses. 24. c. 2. de reform. Matrim. Quare erroneum esset negare in Baptismo conuenienter Patrinum adhiberi.

3 Admonet tamen S. Th. ad 2. cōmuniter receptus à Theologis, quod patrinus nō est de necessitate sacramenti: sed necessitate imminēte vnus solus potest baptizare valide, & licite adhibendo aquæ abluitionem, & legitima verba. Sicut enim in generatione carnali non requiritur ex necessitate nisi pater, & mater: sed ad facilem partum, & educationem pueri conuenientem, requiritur obstetrix, & nutrix, & pædagogus. Ita & in regeneratione spiritali: nam horum vicem implet in Baptismo ille, qui puerum de sacro fonte leuat.

4 Rursum Posseniū de officio Curati cap. 6. n. 26. ait, quod cum baptizatur habēs parentes, vel curatores Christianos instrueret volentes baptizatum, non credo peccare

mortaliter non adhibendo patrinus, quia ideo sunt instituti patrini, & ubi cessat ratio legis, cessat etiam illius prohibitio. ¶ Per oppositum Zambranus de catibus occurrer. temp. mortis de Baptismo cap. 18. n. 17. docet etiam in Baptismo priuato esse necessarium Patrinum adhibere.

5 Nihilominus asserendum est esse peccatum mortale in Baptismo solemniter omittente patrinum; in priuato autem Baptismo dato in casu necessitatis patrinus necessarius non est; licet possit adhiberi; & expediat, si adit, & temporis angustia id permittat. Priorem partem docent Ruiz hic art. 7. & Leander tract. 2. disp. 7. q. 2. & alij communiter: quia omittens patrinum in solemniter Baptismo, facit in re graui contra præceptum Ecclesie, & Syluester verbo *Confirmatio* quasi. 4. conc. vlt. dicit esse de necessitate præcepti, quod in Confirmatione aliquis confirmatum teneat, si adit facultas. Et Nauarrus cap. 22. & alij dicunt illum omittente esse peccatum mortale: ergo similis culpa erit illum omittente in Baptismo.

6 Secundo pars est communis, quia nullum extat præceptum ut in tali Baptismo priuato patrinus adhibeatur: cum Ecclesie consuetudo, & Doctorum consensus præceptum de adhibendo patrino intellexerit de Baptismo solemniter: & merito, quia non est de necessitate, sed de bene esse; & de facili educatione, ut docet Diuus Thomas ad 2. & ideo solum pertinet ad solemnitatem.

Tertiam partem docent Authores, quos refert, & sequitur Auerfalec. 3. quia sacri Canones loquendo de patrino adhibendo, non excludunt Baptismum priuatum: ergo quauis non sit debitum, quia specialiter non est præceptum; est tamen conueniens, quia expediat ad pueri instructionem.

7 Consequenter videndum, utrum patrinus teneatur baptizatum instruere? Affirmat absolute Pelantius q. 67. disp. 2. dicens: Susceptoris officium est, ut tamquam nutritius quidam spiritualis, instituat baptizatum in sana fide; ac moribus Christianis: ac proinde peccare mortaliter, si negligat.

Rectè tamen D. Thomas articulo 8. communiter receptus a Theologis (ut patet ex B. Alberto, quem refert, & sequitur S. Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 13. §. 14. & ex alijs recentioribus) docet communiter inter Catholicos hanc obligationem non adesse; quia probabiliter creditur adesse aios; qui instruant: & obligatio instrueri di in patrino, non nascitur ex aliqua positua lege ei præcipiente imponente hanc obligationem: sed nasci-

tur ex iure naturali diuino, supposito iure positiuo officio patrini adiudicatis hoc munus. Quia vntquisque obligatur ad exequendum officium, quod accepit. Dicitur est autem, cum D. Thomas art. 7. quod ille, qui suscipit aliquem de sacro fonte, assumit sibi officium pædagogii: & ideo obligatur ad habendam curam de ipso, si necessitas immineret: sicut eo tempore, & loco, in quo baptizati inter infideles nutriuntur. Sed ubi nutriuntur inter catholicos Christianos, satis possunt ab hac cura exculari, præsumendo quod à suis parentibus diligenter instruantur. Si tamè quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum modum; saluti spiritualium filiorum curam impendere. Hæc D. Thomas, iuxta S. August. relatum cap. Vos ante omnia, de Cōsecratione, dist. 4. & S. Dionys. cap. 7. Eccles. hier.

§. II.

Quinam possint esse patrini in Baptismo?

IN primis, ut docet D. Thomas art. 8. ad 1. ille, qui non est baptizatus, non potest suscipere baptizatum (ut est declaratum in Concilio Moguntino, relato in cap. In Baptismate de Cōsecratione, dist. 4.) Licet non baptizatus possit baptizare: quia persona baptizantis est de necessitate sacramenti; non autem persona suscipientis. Addit in 4. dist. 4. q. 1. art. 3. q. 1. ad 3. quod non baptizatus non potest leuare aliquem de sacro fonte, cum non sit membrum Ecclesie, cuius typum gerit in Baptismo suscipiens: quibus possit baptizare, quia est creatura Dei, cuius typum gerit baptizans. Nec tamè aliquam cognationem contrahere spiritualem potest, quia est expers spiritualis vitæ, in qua homo primo per Baptismum nascitur. Hæc D. Thomas.

9 Ex quo patet, inquit Serra artic. 7. no. tab. 1. Cathecumenum, quamuis fidelis sit, non posse esse susceptorem; quia non est baptizatus. Hæreticum vero baptizatum, quauis textus non excludat, ait tamen M. Soto in 4. dist. 4. q. vnica artic. 3. non debere in susceptorem admitti. Si tamè admittatur, cognationem spiritualemente contrahere, dicit Glossa in can. Peruenit 30. q. 1. siquidem hæresis non tollit characterem Baptismi. Affirmat autem Layman lib. 5. tract. 2. c. 9. q. 3. in fine, posse hæreticum in patrinum admitti, quando Catholicus reperiri non potest comode. Et sic testatur praxi receptum in Germania.

Sed potius debere ministrari Baptismum absque patrino, quam patrinum hæreticum ad-

admittere, ex Nauarro lib. 2. de Conf. conf. 1. n. 67. & Azor tom. 1. lib. 8. cap. 11. q. 9. docet Castrus Palaus punct. 11. §. 1. nu. 9. Quia præceptum de patrino adhibendo, procedit si patrinus aptus, & idoneus reperiri potest: qualis non est hæreticus: quia iure naturali, & diuino huic cæremonie, & officio est ineptus, supposita cæremonie institutione.

10 Secundo docet D. Thomas artic. 8. ad 2. quod sicut est alia generatio spiritualis à carnali; ita etiam debet esse alia disciplina: secundum illud ad Hebræos 12. *Patres quidè carnis nostre habuimus eruditores, & reuerbamur eos; non multo magis obtemperabimus patri spirituum, & viuemus?* Et ideo alius debet esse pater spiritualis à patre carnali; nisi necessitas contrarium exigat: & sic intelligenda est prohibitio, quæ habetur cap. Peruenit, & cap. Dicitur est. 30. q. 1. Ideoque in casu necessitatis quando alius patrinus non potest haberi, proprii parentes carnales susceptores esse possunt in Baptismo. In quo casu non impedirentur à perendo debito; sicut impediuntur, quando sine necessitate id faciunt; ut constat ex dicto cap. Peruenit.

Limitat autem Syluester ver. Baptismus 5. q. 5. ad patrem, & matrem; si sunt in Matrimonio, c. Ad limina. 30. q. 1. Vnde Suar. in comm. art. 8. §. Quo circa: limitat ad solos parentes, & filios legitimos, de quibus solis canones loquuntur: quia solum eum propria coniuge contrahere cognationem spiritualemente inueniens. Vnde si vxor esset mortua, patrem carnalem posse esse patrinum sui filij, ratione dicta probat Lugo lib. 1. Responsorum Moral. dub. 5. nu. 5. Hæc quidem duo docet ibi Lugo, pro primo puncto refert Suarez, Syluester, & alios. Sed in Syluestro solum lego illa verba: *Si sunt in Matrimonio; & non clarè exprimit limitationem regulæ ad solos filios legitimos.* Suarez verò de hoc puncto ibi non disputat, sed solum an parens sine necessitate filium suum in Baptismo suscipiens, possit petere debitum. Et post multa concludit. *Itaque in hac re solum est certum, peccare grauiter parentem, qui filium suum de propria coniuge natum in Baptismo suscipit sine necessitate; hoc enim aperte prohibetur, & asseritur in dictis iuribus.* Quod verò postea tenetur hac de causa non petere debitum, non video, quo sufficienti fundamentò asseratur: quamuis in re morali communem sententiã deferere difficile sit. Hæc Suarez. Vbi clarè dicit esse certum ex iure peccare grauiter parentem, qui filium suum de propria coniuge natum in Baptismo suscipit sine necessitate. De filijs illegitimis nullum ibi est verbum.

Communis autem Theologorum, & Canonistarum, quos asserit Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 26. n. 5. propter rationem D. Th. quia alia est generatio carnalis à generatione spirituali, videtur esse quod eadem est ratio de filijs illegitimis. Quia propter Ludouicum Lopez, Nauarr. & Sach. quos refert, & sequitur Candidus disquis. 16. art. 4. dub. 14. conc. 17. dicunt quod pater, qui filium suum fornicatione susceptum baptizat, vel suscipit de sacro fonte, etiam in necessitate, contrahit cognationem spiritualemente. Vnde duo illa, quæ ex Lugo retuli, potius cogitata propono, quam ex propria sententia asserero.

11 Tertio asserit S. Tho. eodem art. 8. ad 3. quod confusio esset disciplina; nisi esset vnus principalis instructor. Et ideo in Baptismo vnus debet esse principalis instructor (iuxta decretum Leonis Papæ relatum in cap. Non plures, de Cōsecratione. dist. 4. Non plures; inquit, ad suscipiendum de Baptismo infan em, quam vnus accedat, siue vir, siue mulier.) Alij tamè possunt admitti quasi coadiutores. Sic explicuit D. Thom. ius antiquum, quod suo tempore vigebar.

12 Modo tamen obseruandum nouum ius Concilij Tridentini, quod sess. 24. cap. 2. de reformat. Matrimonij statuit. *Ut vnus tantum, siue vir, siue mulier, iuxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum vnus, & vna baptizatum de Baptismo suscipiant, &c. Si Parochi culpa, vel negligẽtia secus factum fuerit, arbitrio Ordinarij puniantur.* Ex quo constat duos eiusdem sexus non posse esse patrinus eiusdem: Nec in hoc posse Episcopum dispensare, notat Bonacina q. 3. de Matrimonio punct. 5. §. 2. n. 3. ut duo viri, vel duæ feminae simul suscipiant infantem in Baptismo: quia in decretis Concilij Vniuersalis Episcopi per se loquendo nequeunt dispensare.

13 Arbitrantur tamen Ludouicus Lopez 2. p. de Matrim. cap. 5. 1. Sanchez lib. 7. disp. 57. n. 6. Serra hic art. 7. notab. vlt. Parochum contra hoc decretum facientem solum peccare venialiter: eo quod antiqui Canones, quibus Concilium inhæret, non obligabant sub mortali. ¶ Ceterum communis sententiã merito docet hoc obligare sub mortali: quia Concilium loquitur verbis præceptiuis, & res non est leuis: beneque potuit Concilium strictius prohibere, quod antea eum tanto rigore præceptum non erat. Ita Rodriguez to. 1. Summæ cap. 126. n. 1. Basilius libro 7. de Matr. c. 39. n. 12. Bonac. n. 3. Aggidius, Ochagauia, Hurtado, & Vega, quos refert, & sequitur Leander tract. 2. disp. 7. q. 6. Auerfalec q. 67. sec. 3. conc. 3. & alij.

14 Requiritur etiam aliqui ad hoc quod quis possit esse pater, quod habeat octodecim annos, ita Panormitanus in cap. *Debitum* num. 3. de Baptismo. Et Ludovicus Lopez 2. part. de Baptismo cap. 62. §. *At nota*. Ancharanus dicto cap. *Debitum*, dicit debere excedere annum quartumdecimum. Possunt de officio Parochi cap. 6. numero. 35. alias num. 29. ait, quod cum per compaternitatem quis contrahat obligationem, obligandum debere esse in ætate, in qua per intellectum sciat quid agat: idè debere plenum usum rationis habere: quod cum communiter eueniat, cum puer communicat, rectè poterit dici debere tenentem habere circa duodecimum annum: nam tunc admittitur ad communionem vniuersaliter.

15 Oppositum iuratur ex Diuo Thoma in 4. distinct. 42. quæst. 2. art. 1. ad 5. (non art. 7. ad 2. vt male citat Leander) & tenent Nauarrus, Henriquez, Rodriguez, & Vega, quos refert, & sequitur Sanchez lib. 7. disputatione 61. num. 3. docentes certam ætatem nõ requiri in patrino, vt id munus obire possit: quia nullo textu reperitur ætas præscripta in patrino: & quia vt ait Diuus Thomas per Baptismum fideles renascuntur in Christo, in quo non differt masculus à femina, seruus, & liber, iuuenis, & senex: & idè indifferenter quilibet potest effici pater spiritualis alterius. Ergo & patrino. Idem tenent Basilius lib. 7. capite 37. num. 5. Naldus, Fillutius, Bonacina, Ochagauia, Molseus, & alij communiter, vt refert, & sequitur Leander quæst. 8.

16 Admittunt tamen Authores prædicti, quos sequitur Auersa sectione 3. conclusione 5. in fine, requiri usum rationis, ad hoc vt humano modo quis hoc munus exerceat. Et ad finem huius institutionis requiritur sufficiens habilis ad erudendum alterum in rebus fidei. Addit Quintana Dueñas tract. 1. singulari 24. num. 2. mortaliter peccare eum, qui puerum rationis impotem ad susceptoris munus in Baptismo obeundum offerret; & Parochum, qui eum admitteret: quia non potest licite eligi ad aliquod munus is, qui illius obligationes, nec implere, nec cognoscere valet. Pueri autem rationis vti carentes, nec cognoscere, nec adimplere possunt munus Patrini: quia patrini munus est, pro baptizato fidem propter, & diabolo ac mundo abrenunciare, vt statuitur in cap. *Parvuli*, de Conf. dist. 4. Debentque cognoscere se propter fidem iussuros apud Deum extitisse, vt ex Concilio Herdensi habetur cap. *Vos ante*, distinctione 4. & in Concilio Parisiensi secundo cap. 54. decernitur, huiusmodi paternos de-

bere, & vim tanti sacramenti, & quid pro baptizatis responderint intelligere. Et sanctus Dionysius cap. 7. de Ecclesiast. hier. docet, quod patrino traditur baptizatus, vt euidam docto in diuinis pedagogo. Demum ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 2. de reformatione tenentur cognoscere quam cognationem contraxerint, ne ignorantia vlla excusentur. Et quod hæc sit materia grauis ad lethale inducens, satis ostendit sacratissima huius ritus ab initio nascentis Ecclesiæ veneratio, & consuetudo, ac in tot Concilijs seuerissimè promulgata constitutio. Et qui ad hoc puerum offerret, rem ad eum gradem, faceret puerilem, & contemptibilem, & ludibrio exponeret.

17 Demum inquiritur, vtrum Religiosi possint esse patrini in Baptismo?

Affirmat Quintana Dueñas tractatu 1. singulari 25. licere, & decere Religiosos omnes, tam Mendicantes, quam non Mendicantes, Sanctimoniales etiam, Infantes à sacro fonte, absque licentia, & culpa vlla suscipere: nisi aliunde constitutio prohibens sit in aliquâ Religione. Probat, quia prohibitio, quæ habetur in cap. *Non licet*, de Consecrat. distinct. 4. habetur ex Concilio Althodorensi celebrato anno 614. Quod est Prouinciale, nec à Papa approbatum. Et ideo non potest omnes obligare. Et solum ibi dicitur, quod *Non licet*: quibus verbis non inducitur obligatio grauis. Deinde, quia vt ait Emanuel tom. 1. quæst. 13. artic. 1. deberet dicere quæstione 31. & Miranda quæst. 3. artic. 1. cum Glossa, causa prohibitionis fuit n. Monachi osculentur foeminas: quia erat consuetudo compatres oculari commatres: cum ergo legislatione cessante, cesset eius dispositio, vt constat ex cap. *Cum cessante*, de Appellat. & cap. *Etsi Christus*, de iure iurando. Cum iam hæc consuetudo cessauerit, ob quam hæc lex prohibitiua emergerit, lex etiam cessabit. Præterquam quod Egidius, & Hurrado (& Leander disp. 7. quæst. 16. referens Molseum. Castus Palas punct. 11. §. 1. num. 4. Ioannes Henriquez sect. 19. quæst. 7. Auersa sect. 3. concl. 5. referens Chametota prescribunt ad Monachos solitariam vitam agentes: quia in materia odiosa isti soli nomine Monachorum comprehenduntur. Nec obligare sub mortali, in simili ait Granados. Nec vtilis est indecètia, quod Monachi pueros intuerent in fide. Et sicut non est indecètia, quod fiat patrini in Confirmatione, nec erit indecètia, quod fiat patrini in Baptismo Religiosi ob petitionem, & deuotionem Parentum, vel ob patriæ usum, aut obsumptuū executionem, vel ob quid simile.

Huic

18 Huic tamen singularitati opponuntur verba Canonis relati, in quo dicitur. *Nõ licet Abbati, vel Monacho de Baptismo suscipere filios, nec commatres habere*. Summus etiam Pontifex Eugenius Quartus, relatus in cap. *Placuit*. 16. q. 1. inter alia prohibet Monachis. *Neque filium de Baptismo suscipere*. Et Sanctus Gregorius Papa lib. 4. epist. 40. relatus cap. *Peruenit*. 18. q. 2. prohibet sub præcepto: *Monachos sibi commatres facere*. Quæ duo decreta Pontificia sunt, & inserta in corpore iuris Canonici. Ex quibus constat ad minus, quod sine licentia id facere non possunt.

19 Imò Soto dist. 4. art. 5. ad 2. §. *Quin* vero, ait, quod fortasse peccatum esset nõ minus, quam mortale. Quod referunt, & videntur approbare Nuño art. 7. not. 1. & Serra not. 2. & Candidus disquisit. 16. artic. 4. dub. 11. & Petrus Ledesma tract. 2. cap. ult. concl. 6. Imò Cabrera art. 7. num. 8. dissentit affirmat esse peccatum mortale. Quamuis M. Antonius Hinojosa in Directorio verbo *Baptismus*, folio 48. dicat cum alijs Doctoribus prohibitionem solum esse sub peccato veniali graui. Quod & sequitur Leander quæst. 17.


20 Prohibitionem etiam extendi ad Religiosos omnes, etiam Mendicantes, constat ex communi Doctorum: & ex Rituali Pauli Quinti, titulo de Patrino, vbi dicitur. *Ad*

hoc munus admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales, neque alij cuiusvis ordinis Regulares, à seculo segregati. Vbi copulatiue simul excluduntur Monachi, & alij omnes Religiosi: quia omnes, quantum ad hunc in Verbis degant, si solè nomine Religiosi non sunt, sed seculares; debent esse à seculo segregati. Quare Serra notabili secundo dicit, nec Mendicantibus permitti susceptores esse; nisi fortè in secularium defectum, & de licentia suorum Prælatorum.

In regula tamen Sancti Francisci cap. 11. est præceptum ne Fratres fiant compatres, seu patrini. Quod præceptum obligare sub mortali declarat Clementem Quintum, refert Martinus à Sancto Ioseph in Regulam Sancti Francisci cap. 23. num. 1. & de Baptismo tract. 3. num. 13. & Villalobos tom. 1. tract. 5. difficult. 11. nu. 5. Addit Emanuel Rodriguez tom. 1. quæst. 31. art. 1. in fine, etiam in Baptismo pũuato Religiosos, & præcipue Fratres Minores, minime posse esse paternos: quamuis in casu necessitatis possint baptizare, vt declaratum est in Capitulo Generali Mechineni Ordinis Minorum.

De cognatione spirituali nõ est iste locus differendi, sed vbi de impedimentis Matrimonij.





QVAEST. LXVIII.

DE SVSCIPIENTIBVS BAPTISMVM.



MVM Agens, & patiens correlatiua sint, recto doctrinae ordine, post qua D. Thomas agit de ministro Baptismi, nunc immediatè agit de suscipientibus Baptismum: de quibus duo

decim proponit Articulus. In primo vt manifestum statuit, quod omnes ad Baptismum tenentur, & sine eo non potest esse salus hominibus. In secundo docet, quod quibus deest Baptismus re, & voto, salutem consequi non possunt: sed tamen sine Baptismo actuali, & in re, quis salutem consequi potest, propter desiderium Baptismi. In tertio auerit, quod puerorum Baptisma non est differentium: secus verò in adultis, quia oportet differre vique ad aliquod certum tempus: Nisi sint perfectè instructi in fide: aut necessitas imminet. In quarto docet, Baptismum esse conferendum his, qui peccauerunt, dum non habeant voluntatem peccandi, nec propositum peristendi in peccato. In quinto agit, quod ei, qui baptizatur, pro quibuscunque peccatis non est aliqua satisfactio indulgentia. In sexto, statetur ante Baptismum requiri confessionem internam peccatorum, quae fit Deo: docet tamen confessionem externam, quae fit Sacerdoti, non requiri ante Baptismum. Septimo docet, quod ex parte baptizati requiritur voluntas, seu intentio suscipiendi sacramentum. Octauo explicat, quod ad gratiam Baptismi consequendam ex necessitate requiritur recta fides, non vero ad characterem Baptismi, dummodo adhibeant cetera, quae sunt de necessitate sacramenti. Non asserit, conueniens esse pueros baptizari, vt ab originali mudentur, & a peccatis nutriantur, & firmiter perseverent in his, quae sunt Christianae vitae. Decimo firmat, quod rectè non habet hoc Ecclesiae consuetudo, quod filij infidelium inuitis parentibus baptizentur. Vndecimo docet, quod nullo mo

do infantes in maternis uteris existentes, baptizari possunt. Duodecimo, de amentibus, & furiosis à natiuitate, dicit idem esse iudicium, ac de pueris: alij verò sunt iudicandi secundum voluntatem, quam habuerunt, dum sanæ mentis existerent; & si tunc nulla voluntas suscipiendi apparuit, non sunt baptizandi.

DVBIVM PRIMVM.

De necessitate suscipiendi Baptismum.

CVM D. Thomas articuli primi rationem inchoet dicendo, quod ad illud homines tenentur, sine quo salutem consequi non possunt: videbatur huic loco opportunum explicare, & distinguere, quod aliqua sunt necessaria necessitate medijs ad finem, alia vero sunt necessaria necessitate præcepti. Sed quia ab ipse id declaratum est cap. 7. Theol. Moral. q. 2. a. 3. ex D. August. to. 3. lib. 8. de Genes. ad lit. cap. 13. & ex communi Theologorum, hic videtur possunt Soto in 4. dist. 3. art. 1. & dist. 3. art. 1. initio, & cum alijs Grano tract. 3. dist. 1. n. 1. Id enim dicitur necessarium necessitate finis, sine quo nemo gratiam consequi valet; tametsi præceptum non habeat: vt patet in paruulo, qui sine sacramento gratiam non consequitur; licet illi ante usum rationis non sit in præcepto. E contra, parentes venerari, non occidere, audire Missam die festo, & similia, non sunt necessaria necessitate finis: quia sine illis, quando materia præcepti non occurrit, quicumque potest esse in gratia, & saluari: sed tamen potest materia occurrere, præceptum illa faciendi obligat, ita vt si non fiant, gratia deperdetur per mortale peccatum: Stabilienda ergo est prius necessitas Baptismi, vt præceptum de illo suscipiendo explicemus.

2 Manichæi, vt refert S. Augustinus lib. de hæresibus cap. 46. Baptismum in aqua nihil cuiquam

cuiquam perhiberi potest: nec quemquam eorum, quos decepti, baptizandum putant. Pelagianus etiam dixerunt Baptismum necessarium non esse ad remissionem originalis peccati: quia hoc peccatum negabant in paruulis, vt constat ex secundo errore Pelagij retractato in Concilio Palæstino; & ex D. Augustino de Hæres. c. 88. & epist. 106.

Pariter Vviclef, vt refert Vvaldensis tomo 2. qui est de Sacramentis cap. 96. nu. 2. & cap. 101. negauit necessitatem Baptismi aquae; dicens sufficere Baptismum Flaminis per meritum Christi, & effluxum aquae de latere ipsius. ¶ Lollardi etiam in Scotia, de secta Vviclef, vt refert Vvaldensis tomo tertio, qui est de sacramentalibus cap. 33. nu. 1. dicebant filios fidelium non indigere Baptismo, eo quod in ipso momento conceptionis eis gratia infunderetur, per quam baptizarentur.

3 Hæreticos recentiores, nempe Zuinglium, Bucerum, Caluinum, Petrum Martyrem, & Bullingerum, & Brentium, etiam negare Baptismi necessitatem, referunt, & confutant Bellarminus lib. 1. de Baptismo cap. 4. & Vazquez disp. 149. cap. 1. & alij quos refert Cabrera in commentario art. 2. Probant quia peccatum originale non imputatur hominibus propter foedus initum cum Abraham Gen. 17. *Ero Deus tuus, & seminis tui*: siquidem Christiani computantur in vero semine Abraham, vt constat ex Apostolo ad Roman. 9. Probant deinde ex illo 1. ad Cor. 7. *Alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*. Ergo filij, qui nascuntur ex aliquo parente fidei, nascuntur sancti; & ideo non est necessaria alia sanctificatio Baptismi.

Vviclef vero arguebat, quia verba Christi Ioan. 3. *Nisi quis, &c.* Non probant necessitatem Baptismi aquae: Tum quia sensus est: *Nisi quis fidem habeat passionis Christi, non lauibitur in illa aqua, quae fluxit ex latere eius*. Tum quia alias, si de aqua materiali intelligeretur, omnes paruuli ab illo temporis momento mortui sine Baptismo, deperissent: quod impium esset concedere.

4 Nihilominus secundum fidem catholicam asserendum est, omnes ad Baptismum teneri, & quod sine eo non potest esse salus hominibus. Ita definit Eugenius Quartus in Concilio Florentino post ultimam Sessionem §. *Primum omnium*: dicens, *Primum omnium sacramentorum locum obtinet Sanctum Baptisma; quod vitæ spiritualis ianua est: per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficitur Ecclesiae: & cum per primum hominem introierit mors in vniuersum; nisi ex aqua, & Spiritu Sancto renasci-*

mur, non possumus (inquit Veritas, Ioan. 3.) in Regnum Caelorum introire. Similiter Concilium Tridentinum sel. 7. can. 5. sic decernit: *signis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est, non esse necessarium ad salutem, anathema sit*. Docueratque Siricius Papa epist. 1. ad Himericum cap. 2. Innocentius 1. epist. 26. ad Concilium Mileuitanum. Et Leo primus epist. 80. alias 78. Fuitque semper communis doctrina Patrum, quos citant Vvaldensis, Bellarminus, & Vazquez, & alij vbi supra.

5 Probat S. Thomas ex illo Ioan. 3. ver. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*. Rationem autem huius diuinæ institutionis assignat: nam nullus potest salutem consequi, nisi per Christum: Vnde & Apostolus dicit ad Rom. 5. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ita per unius iustitiam, in omnes homines in iustificationem, vitæ*. Ad hoc autem datur Baptismus, vt aliquis per ipsam regeneratus, incorporetur Christo, factus membrum ipsius: Vnde dicitur ad Galat. 3. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*. Cum igitur ad illud homines teneantur, sine quo salutem consequi non possunt; manifestum est, quod omnes ad Baptismum tenentur, & sine eo non potest esse salus hominibus.

6 Quod autem ibi sermo sit de aqua materiali, bene probat Soto §. *Hic antequam*: ex contextu: nam intendit Christus docere se esse secundum Adam, missum ad dandam vitam gratiam; quam in primo Adam, qui dedit vitam naturam, perdidimus. Et ideo ait: *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*. Hoc est: Sicuti nemo vita corporali viuere potest, nisi nascatur ex Adâ, quo homines nascuntur filij iræ: ita neque spirituali vita misericordiae, nisi nascatur ex me. Quare roganti Nicodemus, *quomodo posset homo in ventre matris iterato introire, & renasci* Rem exponendo, subdit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*. Videlicet; vt quemadmodum ipse Spiritu Sancto in ventre matris conceptus fuit; ita nos in aqua, vicem matris (vt S. Aug. in term. Epiph.) gerente, per Spiritu Sanctum regeneremur filij Dei. Vnde sequitur: *Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est*. Hæc autem metaphora illi singulari aquae, quae de latere Christi effluxit, non quadrat. Erat enim illud mysterium adeo reconditum, vt id tunc Nicodemus capere non posset: qui tamen ad Christum, vt ab illo infunderetur, venerat. Planè ergo de aqua materiali loquebatur: si-

cur & Apostolus ad Rom. 6. & ad Ephes. 5. & Christus Math. 23. & Marci vii. Videantur reliqua, quæ Soto prosequitur.

7 Qui & §. Ad illud respondet ad argumentum Vives, non bene aliquos sequela admittit, cum S. Bernardus epist. 77. aduertat, quod id nulla probabilitate suscipitur: siquidem tota antiqua lex usque ad articulum mortis, & resurrectionis Christi in suo vigore duravit: atque adeo nullum Christi mandatum, nisi inde obligare capit: non enim obligationes ambarum legum debuerunt concurrere; sed finis vnus fuit initium alterius. Neque veto decuit, vt misericors Christus prius fuisset sua lege condemnator, quàm sua morte saluator. Quare Baptismus illuc usque, vt non fuit necessarius, ita nec sub præcepto: nam præcepta non obligant usque ad sufficientem promulgationem. Decuit namque quod Christus suam cõderet legem priuatiuam inter Apostolos; licet non nisi post mortem vim esset obligandi obtentura: implendo illud Mathæi 10. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* De tempore autem inter medio à morte Christi usque ad Pentecostem, & usque ad Euangelij in Orbe promulgationem, non est huius loci disputare; sed 1. 2. q. 103. art. 3. Per quod excluditur, quod Caluinus respondet; aquam hoc loco Ioannis 3. esse epithetum Spiritus Sancti, ita vt sensus sit, oportet nasci ex Spiritu Sancto, qui purgat, & abluit instar aquæ. Quod responsum adeo est absurdum, vt rectè Maldonatus Ioannis 3. ver. 5. dicat. Mirabitur, qui hæreticorum non nouit ingenium, tam absurdum errorem cuiquam mortali in mentem venire potuisse: nouis præsertim hæreticis, qui duo faciunt sacramenta Baptismum, & Euangelium: neque villo alio, quàm hoc Scripturæ testimonio probare possunt. Si enim hic de sacramento Baptismi, & de vera aqua sermo non est, pari licentia omnia alia ad metaphoras detorquere possunt. Ideoque merito Concilium Tridentinum sess. 7. can. 2. de Baptismo, anathematizat eum, qui prædicta verba Ioannis ad metaphoram aliquam detorsit.

8 Specialiter contra hæresim Lollardorum, & Caluini, scribit D. Thomas art. 1. ad 2. quod sicut dixerat. 1. 2. q. 81. artic. 3. ad 2. illi, qui baptizantur, renouantur per Baptismum secundum spiritum: corpus tamen remanet subiectum vetustati peccati: secundum illud ad Rom. 8. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero uiuit propter iustificationem.* Vnde Aug. lib. 6. contra Iulianum

cap. 6. probat, quod non baptizatur in homine quicquid in eo est. Manifestum est autem, quod homo non generat generatione carnali secundum spiritum, sed secundum carnem. Et ideo filij baptizatorum cum peccato originali nascuntur: unde indigent baptizari.

9 Idem probat Vazquez cap. 2. initio: nam Dauid filius fidelium erat: & tamen Psal. 50. deplorat suam immundam conceptionem dicens. *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Apostolus quoque filius erat hominis fidelis, vt ipse testatur 2. ad Cor. 12. & tamen ad Ephes. 2. ait *eram natura filij iræ:* erat ergo conceptus in peccato, quod illi imputabatur ita vt diceretur natura filius iræ. Deinde loca Pauli ad Rom. 5. *In quo omnes peccauerunt.* Et 1. ad Cor. 15. *Christus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sumus:* adeo sunt vniuersalia, vt filij Sanctorum, & fidelium ab hac lege minime eximantur: ergo indigent Baptismo vt ab originali mundentur. Quia quamuis parentes in usu matrimonij, si existant in gratia, mereantur merito personali; nihilominus (inquit Soto ad 2. in fine) quia actione procreant naturæ corruptæ, quæ quidem corruptio ex Adæ præuaricatione contrahitur; licet secundum personam actum generandi ceu Filij Dei exerceant; tamẽ secundum naturam generant tamquam filij Adæ. Quæ utique de causa, & mulier cum doloribus parit.

10 Præterea bene admonet D. Thomas artic. 1. ad 3. quod illi, qui sunt sanctificati in veteri, consequuntur quidem gratiam emundantem à peccato originali; non tamẽ ex hoc ipso consequuntur characterem, quo Christo configurentur. Et propter hoc, si aliqui vnic sanctificarentur in veteri, necesse esset eos baptizari, vt per suspensionem characteris alijs membris Christi conformarentur: & vt essent capaces recipiendi alia sacramenta. Imo D. Thomas in 4. dist. 6. q. 1. art. 1. quæstionula 3. ait, quod sanctificatus in veteri debet baptizari propter tres rationes. Primo, propter acquirendum characterem, quo annumeretur in populo Dei, & quasi deputetur ad percipienda diuina sacramenta. Secundo, vt per Baptismi perceptionem passioni Christi etiam corporaliter conformetur. Tertio, propter bonum obedientie, quia præceptum de Baptismo omnibus datum est; & ab omnibus impleri debet, nisi articulus necessitatis sacramentum excludat. Hæc D. Thomas. Ergo à fortiori filij fidelium debent baptizari, non solum propter characterem, sed propter delendum originale, & vt acquirant gratiam, quæ antea non habent.

Argu

11 Argumenta Recentiorum hæreticorum facile diluuntur: nam in primo loco promittitur specialis protectio Dei erga posteros Abraham in bonis, & felicitate temporali: & implicite circa coelestem patriam: iuxta illud Apostoli ad Hebræos 11. *Nunc autem meliorem appetunt, id est, coelestem: ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum; parauit enim illis ciuitatem, nempe coelestem, cuius artifex, & conditor Deus.* Et quamuis ad obtinendam gloriam, opus sit gratia remissionis peccatorum: tamen quod hæc remissio fiat non imputatione peccati, & sine eo quod Christo incorporemur per Baptismum; nec ibi dicitur; nec vllam in Scriptura habet apparentiam.

12 Ad aliud testimonium iam responderat Soto dist. 5. art. 1. ad 2. in fine, cum Caietano, quod non est sensus, quod si infidelis ducat vxorem fidelem, eo ipso sit iam fidelis. Sed loquitur Paulus de sanctificatione legali, vt ipse se exponit. Nam cum lex naturæ sit vt duo diuersarum legum non possint matrimonio copulari; in fauorem tamẽ Christianismi, quædo vxor fidelis est, potest cum viro infideli habitare, si ille sine iniuria Saluatoris vult cum eadem coniuge permanere. ¶ Deinde Bellarminus cap. 5. Grantrac. 3. disp. 1. n. 6. respondent, quod ibi non dicuntur filij sancti, quia non indigeant Baptismo, vt liberentur à culpa originali: sed vel dicuntur Sancti, id est, legitimi, & non spurij, vt exponunt S. Thomas, & S. Anselmus, & alij ibidem. Vel sensus est, sanctificari mulierem infidelem per virum fidelem, quia docet seruare leges coniugij, & non abuti matrimonio; sed abstinere se à copula non naturali, & tempore non debito: quod quidem coniuges infideles sæpè faciunt; & ita veluti polluant iptum matrimonium: proptereaque dicuntur filij nasci immundi.

Septem huius loci expositiones affert Vazquez disp. 149 c. 2. quas lege, si vacat.

DVBIVM II.

Vtrum sine Baptismo aliquis possit saluari?

§. I.

Vtrum paruuli sine Baptismo re ipsa suscepto saluari possint?

1 Affirmat Caietanus hæc q. 68. art. 2. dicens. Circa hos duos primos articulos hoc solum non irrationabiliter occurrit dicendum, quod in casu necessitatis ad salutem

puerorum sufficere videtur Baptismus susceptus in voto parentum, præcipue cum aliquo exteriori signo. Et in §. *Nec obstat*, id explicat dicens. Debet autem in tali casu parus signo Crucis infantem cum inuocatione Trinitatis manire; sicque Deo offerre morientem, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Et tandem articulo vndecimo ait. In articulo vndecimo occurrit scribendum, & consequenter dicendum, *sub correctione tamẽ*, paruulos in matris vteris periculis posse saluari per sacramentum Baptismi, non in re, sed in voto parentum susceptum, cum aliqua benedictione prolis, seu oblatione ipsius ad Deum, cum inuocatione Trinitatis. Hæc ibi. Pro qua sententia refert Vega 1. p. Summæ cap. 33. casu 29. Burgasium de irregularitate, & dispensatione p. 6. de sepulturis p. 169. n. 16. & nouissime Ioannes Caramuel in Theologia fundamentali cap. 7. fundameto 64. n. 1289. §. 2. ita ait. Progredior, & inquiri, *an omnes infantes non baptizati excludantur à Cælo?* Christianorum filios non nulli à filiis infidelium distinguunt; & ducuntur ratione, quæ bona solutione indigeret. Sic argunt. Priuilegia neminem grauant; nam graua mina priuilegia non sunt: at qui Baptismus est priuilegium: ergo neminem grauat. Ergo Christiani filius, qui à Parente suo est Deo oblat; inuari poterit Baptismo: at eo non indiget. Probatur consequentia: quia stando legi naturali, infans Parentis oratione, aut oblatione ab originali liberaretur, nec indigeret Baptismo: ergo si modo si de parentum; & Baptismo etiam indiget, peioris conditionis est; quam erat. Ergo Baptismus graua men est, priuilegium non est. Hæc ratione Campanella traductus hanc propositionem; *Infantes filij Catholicorum, qui moriuntur sine Baptismo, in fide parentum saluantur*, multis viris doctis proposuit. At nonnulli, quorum exhibet nomina, illam temerariam, erroneam, contra torrentem Theologorum in re maximi momenti esse dicunt; sed non hæreticam. Anne subscripsit huic censuræ etiam Lugo? Non habeo ad manum illum librum: at puto inter alias Lugonis me subscriptionem legisse. Hæc Caramuel; qui & argumentum insolutum relinquit: & nullam sententiæ ex propria mente censuram apponit; vt quis dicat iudicasse veram, vel probabilem.

2 Videtur idem antea docuisse Ioannes Gerson Cancellarius Parisiensis, qui tomo 3. sermone de Natiuitate V. Mariæ, habito in Conc. Constantiensi considerat. 2. quæ etiam est in Alphabeto §. lit. R. ponit religio sum

sum, ac morale documentum, quod dicit pie, & crebro predicandum. Constat itaque, inquit, Deum misericordiam saluationis suæ non ita legibus communibus traditionis Christianæ; non ita sacramentis ipsius alligasse; quin absque præiudicio legis eiusdem, possit pueros non admodum natos extra uterum, in utero sanctificare gratiæ suæ Baptismo, vel virtute Spiritus Sancti. Debent igitur mulieres prægnantes, similiter, & viri sui per se, & alios, diligentius præces funderè Deo, & ad Sanctos Angelos cultos de hominibus, etiam puerorum in utero: debent ad cæteros sanctos, sanctasque omnes confugere, quatenus infans nondum natus, si forte moriturus est priusquam ad Baptismi fluminis gratiam peruenire valeat; dignetur ipsum Dominus Iesus Summus Pontifex, Baptismo Spiritus Sancti præueniendo misericorditer consecrare. Quis enim scit si forte exaudiat Deus? Imò quis non deuotius sperare valeat, quod orationem humillimam, & in se sperantium nequaquam despiciat? Proficit hæc confidens ratio ad excitationem deuotionis in parentibus: proficit ad leuandum eorum angustiam, dum tunc Baptismo decedit puer; quia non omnino inde spes salutis ablata est. Sed neque absque reuelatione datur (tateor) certitudo. Hæc Gerson. Quem refert, & sequitur Gabriel in 4. dist. 4. q. 2. art. 3. dub. 2. lit. o.

3. Notat tamen Soto in 4. dist. 5. art. 2. §. 1. quod opinio hæc bifariam potest intelligi. Vno modo quod illa signatio cum inuocatione Trinitatis, aut aliquid simile, sit tamquam pro regula certa, & vniuersali habenda, seu priuilegium præter legem, ut semper sit sufficiens, propter necessitatem qua quidem videtur esse assertio Caietani (quamuis nullam sit verbum in illo, clare ad hunc sensum coarctas.) Altero modo, ut non sit regula certa, quod semper sufficiat; sed quod pie credendum sit aliquando Deo placere puerum sine Baptismo saluum facere. Et hoc adhuc dupliciter; vel quia fides, inuocatio, aut meritum, aut desiderium parentum hoc exigant, & sperare valeant. Vel quia modo id asserunt Gerson, & Gabriel. Vel quia Deus ex se ipso, sua speciali prouidentia, & misericordia, suppleat defectum substantialium intentionis ministri. Quod docuerunt multi, quos retulimus q. 64. dub. 7. art. 76. vique 79. Vel quia supplet quantum ad effectum gratiæ, cum integra verba formæ non proferantur.

4. Quod docent Antifiodorensis lib. 3. Summæ trac. 3. cap. 4. q. 2. ad auth. S. Ambrosij. Aletius 4. p. q. 3. membro 3. art. 3. §. 2. ver.

Consequenter queritur, utrum forma S. Bonaventura in 4. dist. 3. 1. p. art. 2. q. 2. ad 1. & Richardus ibidem art. 2. q. 3. ad 5. vbi cum obicissent illud S. Ambrosij lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 3. siue mysterium Trinitatis teneatur; & una persona in nomine hinc teneatur; plenum est sacramentum. Respondent, quod illud verbum Ambrosij, intelligi debet in casu necessitatis, ut si post nominationem Patris, moreretur puer ante subuersionem Filij, & Spiritus Sancti, pie credendum est; quod Deus supplet; unde talis debet in cæteris sepeli. Si autem antequam omnia verba completerentur impediretur baptizans; ita ut complere non posset; puer utrum esset baptizandus; præsupposita hac conditione, si tu non es baptizatus. Et horum sententiam refert D. Thomas in 4. dist. 3. q. 1. art. 2. q. 3. ad 4. licet ipse hanc sententiam non approbet; nam referendo multas expositiones verborum S. Ambrosij, ait. Vel quod intelligatur, secundum quosdam, in casu quando una persona nominata; puer vel sacerdos moreretur; creditur enim quod inuisibilis sacerdos supplet defectum. Vel in casu simili, in quo Apostoli in nomine Christi baptizabant. Et hoc magis consonat verbis eius. Quod referendum est ad solum casum vltimum. Quo sensu verba S. Ambrosij exposuit Diu. Thomas 3. p. q. 66. art. 6. ad 2.

5. Dico primo, erroneum est asserere esse aliud ordinarium infallibile remedium pro iustificandis paruulis; nisi Baptismum aquæ, vel sanguinis. Ita Soto dist. 5. art. 2. §. 1. art. 1. §. 1. Fac sit. Et §. 1. Vide præterea, dicit esse plusquam remediariam. Idem docet lib. 2. de natura, & gratia cap. 10. §. 1. Sed altera. Et Martinus Ledetina 1. p. quarti q. 9. art. 1. dub. 1. propos. 12. & Petrus Ledetina de Bapt. dist. 18. Nuño 3. p. q. 68. art. 2. dist. 4. conc. 1. dicit maxime remediariam; & proximam errorem, vel erroneam. Idem dicit Cabrera q. 62. art. 1. disp. 20. §. 15. nu. 195. Quamuis q. 68. art. 2. disp. 2. §. 2. n. 15. dicat à nota hæresis liberari non posse; & ideo Castro lib. 3. contra hæreses verbo Baptismus heresi 9. ut hæreticam damnat. Alij mitius censent esse remediariam, & errorem proximam; & ob eam causam merito expungi à commentarijs D. Thomæ iussu Pij Quinti in impressione Romana. Valentia q. 3. puncto 4. & Vazquez disp. 149. cap. 2. & Vega lib. 3. in Tridentinum cap. vlt. erroneam appellat. Et Ildefonsus Vega 1. p. Summæ cap. 33. casu 29. censuras Soto, & Ledetina refert, & sequitur. Similiter Granados trac. 3. disp. 4. n. 5. licet Author eius Catholicus, & satis pius, ac doctus sit. Suarez disp. 27. sec. 3. temeraria,

& errori proxima dicit. Quod & asserit Auct. fa q. 66. sec. 2. conc. 2. & alij.

6. Aduertit tamen Vazquez nu. 19. Castrum, & Vegam contra Caietanum asserere quædam verba, & decretum Concilij Floræ: quod tamen dicit se in Concilio inuenire non potuisse; neque existimat tale decretum in eo reperiri. ¶ Duo etiam alia aduertenda sunt. In primis Caietanum expresse non asseruisse hoc remedium esse ordinariū; neque expresse dixisse esse infallibile: unde mitiori censura est notandus. Quamuis id deberet aduertere. ¶ Rursus aduerte; quod multi Doctores hanc conclusionem proponunt ut certam, & communem Doctorum; sed abtinent à censura oppositæ. Ita Caudus dist. 16. artic. 3. dub. 2. conc. 3. Ioannes à Cruce q. 3. de Baptismo dub. 1. conc. 3. in fine. Bonacin. disp. 2. q. 2. p. 2. n. 8. Castrus Palauis trac. 19. punc. 8. n. 1. Leander trac. 2. disp. 1. q. 16. & disp. 2. q. 1. & disp. 4. q. 25. Trullench lib. 2. cap. 1. dub. 2. n. 2. & M. Marcus Serra q. 68. art. 2. §. Hanc tamē, dicit priorem sententiam defendere non auderem; quamuis viderim nonnullos eam probabilē esse affirmantes: Tum ob rationē, de qua infra. Tum etiam quia loca Scripturæ, Conciliorum; & Patrum; quæ contra illam asseri solent, explicari possunt de Baptismo suscepto in re, vel in voto; aut proprio, in his; qui illud habere possunt, quales sunt adulti; aut parentum, in his; qui proprium habere nequeunt, quales sunt paruuli. Sed quidquid sit de censura; &c.

7. Probat Soto sex rationibus, & innumeris Patrum auctoritatibus, ex quibus aliquas seligemus. S. Augustinus libro 3. de Origine animæ cap. 9. inquit: Noli credere; noli dicere, infantes morte præuentos; antequam baptizentur; peruenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum. Et epist. 28. ad S. Hieronymum sic ait. Quisquis dixerit; quod in Christo viuificabuntur paruuli; qui sine sacramenti eius participatione deuita exeunt; hic profecto; & contra Apostolicam prædicationem venit; & totam condemnat Ecclesiam; vbi propterea cum baptizandis paruulis festinat; & curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo viuificari non posse. Et lib. 1. de peccatorum meritis cap. 18. Quis Christianorum ferat, cui dicitur ad eternam salutem posse quemquam peruenire, si non veniscatur in Christo, quod per baptismum fieri voluit? Idem S. relatus cap. Nulla, de Consecratione dist. 4. ait. Nulla præter Baptismum salus promittitur infantibus: quia infantes, si per sacramentum, quod ad hoc est diuinitus institutum, in credentium numerum non transeunt; in tenebris manent.

8. Item Gelasius Papa relatus cap. Baptizandi, de Consecratione dist. 4. præcepit ne Baptismus detur nisi in Pascha, & Pentecoste: Excepto dumtaxat grauisissimi languoris incurfu, in quo verendum est, ne morbi crescente periculo, sine remedio salutaris fortassis egrotans exitio præuentus abscedat. Quod non posset affirmare; si paruulis aliud ordinariū, & infallibile remedium posset applicari. S. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 26. alias 27. relatus de Consecratione dist. 4. cap. Firmissime, ait. Firmissime tene non solum homines ratione videntes; verum etiam paruulos; qui siue in utero matrum viuere incipiunt; & ibi moriuntur; siue iam de matribus nati, sine sacramento Baptismi, quod datur in nomine Patris, &c. De hoc sæculo transeunt, sempiterno igne puniendos. Cum istæ; & plurimæ aliæ auctoritates adducantur à Soto, Vazquez, Cabrera, & passim ab alijs; non possunt non mirari, cum in nouissimo scriptore Augustino Bernal disp. 12. de sacramentis in genere sec. 1. n. 6. lego; quod adductis solis duabus auctoritatibus prima, & vltima (& istis non integris; sed truncatis) concludit. Hos duos Patres inueni contra Caietanum in proprijs terminis loquentes; alij forsitan alios inueniunt. Sed quid opus est inuenire id, quod ab alijs inuentum, est iam omnibus vulgare? Et quid est quod dubitat an forsitan vel alios inuenient; cum euoluenti libros, vel antiquos, vel modernos. Patres in hoc puncto sint omnibus peruij? Legantur verba S. Gregorij Papæ lib. 7. epist. 3. post medium. Et S. Isidori lib. 2. de diuinis officijs cap. 24. quæ asserit Vazquez n. 17.

9. Præterea D. Thomas 3. p. q. 73. art. 3. in corpore ait: Et ideo ante susceptionem Baptismi non habent pueri aliquo modo Baptismum in voto; sed soli adulti: unde rem sacramenti non possunt percipere sine perceptione sacramenti. Idem supponit q. 68. art. 1. ad 1. & docet in 4. dist. 4. q. 3. art. 3. q. 2. ad 3. dicens; quod quamuis puerorum ætas sit magis miserabilis; tamen oportet, si saluari debeant; quod in eis aliqua causa salutis sit. Et quia per proprium motum liberi arbitrij saluari non possunt, oportet, quod per sacramentum Baptismi saluentur. Plus enim valet adulto fides propria; quam paruulo fides aliena. Et dissoluens argumentum contrarium, adijcit. Quod enim aliquando fides aliena puero ad salutem sufficiebat; cum aliqua protestatione; hoc erat in quantum illa protestatio habebat vim sacramenti; quam nunc habet Baptismus aquæ. Et Quodlibeto 6. articulo 4. hoc ex professo disputans, concludit. Manifestum est autem; quod in pueris nondum habentibus usum rationis, non potest esse motus fidei; & dilectionis; aut propositum suscipiendi Baptismum.

num: & ideo non possunt saluari nisi per Baptismum aqua, vel per Baptismum sanguinis, si propter Christum occidantur, ex quo non solum Christiani, sed etiam martyres sunt, ut August. dicit de Innocentibus.

10 Fundamentum Patrum, & D. Tho. est lex Euāgelij Ioan. 3. *Nisi quis renatus, &c.* Adiuncta communi expositione, & sensu Ecclesie: quæ si haberet aliud remediū pro paruulis iustificandis nō tam solícite eos curaret baptizare, sed expectaret vsum liberij arbitrij vt se disponerent ad sacramentum. Decedentes etiam sine Baptismo sepeliret Ecclesiastica sepultura, & pro eis Missas, elemosinas, & alia opera satisfactoria offerret. Præterquamquod aliud assignare remediū, vel est aliud assignare sacramentum, quod nullus Catholicus conceder, vel est adstruere priuilegium Dei contra legem vniuersalem: quod admitti nequit, nisi probe-tur.


11 Quod tripliciter confirmat Soto. In primis ratione tertia: nam cum dicuntur paruuli saluari in fide parētum, vel paruul⁹ recipit gratiam ex merito applicantis, & ex opere operantis: aut virtute operis instar sacramenti, ex opere operato. Non primum: Tum quod potest ille actus applicantis non procedere ex gratia; atque adeo neque esse meritorius. Tum quod etiam si esset meritorius ex gratia, non posset alteri mereri primam gratiam, nisi merendo illi bonum motum in Deum: quem paruulus habere non potest. Nec purus homo hoc alteri meretur decondigno; aut impetrat infallibiliter, regulariter, & de lege ordinaria. Si autem dixerit id fieri instar sacramenti, iam recidit in primū absurditatis barathrum, quod sit præter Baptismum aliquod remediū ad modū sacramenti: atque adeo Baptismus non erit necessarius necessitate medij. Quod explicat alij: nā quando gratia datur a sacramēto in voto, non opus est signo externo, vt patet in adulto, qui desideret baptizari, vt ex D. Ambrosio docet S. Thomas artic. 2. Vel qui conferitur de mortali, & non habet copiam Confessarij: Ergo cum Caietanus præter desiderium baptizandi puerū, requirat externam inuocationem SS. Trinitatis, aut formationem Crucis, non affirmat conferri gratiam infanti per Baptismum in voto præcise. Ergo vel datur Baptismi sacramentum sine aqua, & sine contritione, & martyrio, eius vicem suppleantibus; vel datur octo sacramenta; quod est hæreticum; vel gratia paruulis non datur sine Baptismo aquæ in recepto.

12 Rursus confirmat Soto ratione quinta. Nemo saluari potest nisi in gremium Ecclesie recipiatur: saltē inter illos, qui ignorantia inuincibili Euāgelij nō laborāt (quicquid sit de alijs) vt patet cap. *firmiter, de Summa Trinitate, & fide catholica.* Nemo autem in gremium eius recipitur nisi per Baptismum, vt in Concilio Florentino habetur: nam verbis relatis dub. 1. n. 4. dicitur *spiritualis vitæ ianua: per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficiuntur Ecclesia.* Ergo paruulus, qui vicem eius supplere non potest, nequit sine illo saluus fieri.

13 Vltimo probat. Aut per illam carē moniam Crucis recipiunt gratiam soli pueri, qui sunt sine Baptismo morituri; aut omnes periclitantes, etiam si sint mortem euasuri? Si primum; subsequitur, quod diuinū illud beneficium recipiendæ gratiæ dependet ex futuro contingenti: quod est concessu absurdum. Si secundum; sequitur, quod multi paruuli dum post baptizarentur, nullam tunc reciperent gratiam, cum iam sint ab originali mundi: nam gratia baptismalis ad solum illum effectum confertur. Neque esset tam rarū, & tam speciale priuilegium gratiæ sanctificari in vtero: cuius contrariū docet S. Thomas q. 68. art. 11. ad 1. & in 4. dist. 1. q. 2. art. 6. q. 2. Nam sequeretur, quod multi sine speciali priuilegio possent nasci sancti. Quare vniuersi essent in vtero benedicti. Quod vanū, ac superstitiosum esset: & contra Ecclesie praxim.

14 Nec Ecclesia vnquā intellexit, quod desiderium alterius sit proprie Baptismi votum: neque ex institutione Christi Domini potest id vllō modo colligi: nemo enim dicit aliqua ratione fuisse puerum baptizatū; quia parentes eius desiderauerunt eius Baptismum. Hincque constat neque esse certū, & infallibile, quod vbi deest, vel forma, vel materia, vel intentio, Deus supplebit: quia vt rectē Soto §. *Deinde* arguit, cum illic nullum sit sacramentum, nulla est maior certitudo, quod Deus supplebit, quam si absque vlla cæremonia infans solus moreretur in

Eremo. Nam deficiente re aliqua, quæ est de essentia sacramenti, totum residuum pro nihilo reputatur.



§. II.

Vtrum ex priuilegio, & miraculo possint paruuli sine Baptismo saluari?

15 Dico secundo, de nullo particulari infante decedente sine Baptismo potest certo affirmari saluari ex speciali priuilegio; aut dispensatione, nisi diuinando, aut temerarie loquendo, absque speciali reuelatione diuina. Ita Soto dist. 5. a. 2. §. *Sed restat.* Nūno dist. 4. cōc. 2. Cabrera disp. 2. §. 3. Cadius dist. 16. art. 5. conc. 4. Suarez disp. 27. sec. 3. cōc. 2. Vazquez disput. 151. capit. 31. Auersa q. 66. sec. 2. conc. 2. in fine, & alij frequenter. Probat Soto, quia licet dubitare nō liceat, quin Deus id pro suo beneplacito possit facere; quippe cum sacramentis suam nō adstrinxerit virtutem. Attamē, quod id quādoque faciat, nisi ipse nobis reuelauerit, nequaquam est nobis asserendum; sed semper loquendum secundum legem, quam in Euāgelio explicuit. Item si id nonnumquam fecit, solum fuit ex speciali providentia, quia tales paruulos ad aliquod egregium cōmune bonū elegerat. Quemadmodū sacratissimam Virginē in vtero gratiæ plenitudine dotauit, vt idonea esset Dei mater, & Iohannem sanctificauit in vtero. Hæc autē priuilegia ob id confitemur, quod è sacris litteris colliguntur.

16 Inde autem non colligi hæc priuilegia ad alios debere extendi, optime explicat D. Thomas in 4. dist. 6. q. 1. art. 1. q. 2. ad 3. dicens, *quod ea, quæ sunt præter legem communē, non sunt principaliter ad subueniendum vni personæ, sed ad instructionem, & commendationem gratiæ: & ideo quamuis non fuerit tantum periculum in sanctificatis in vtero, qui prodituri erant; tamen quia eligebantur diuinitus, vt gratiæ speciales præcones, & ministri; ideo tali priuilegio a sanctificatione dotati sunt.*

Quod confirmat Suarez: nam si Deus vellet inuitato, seu miraculoso modo operari, facilius illi esset prouidere viam, aut rationem aliquam baptizandi illum, quam eū sine Baptismo iustificare. Sicut magis extraordinarium, & miraculosum esset iustificare adultum sine fide, quam extraordinario modo prouidere viam comparandi fidem. Sicut ergo improbabile, ac temerarium esset dicere adultum aliquē saluari sine fide, quando non habet humanum medium ad obtinendam illam; sed dicendum potius est, vel Deū illi donare fidem per specialem aliquā providentiam; vel certe fore damnandum, si Deus hoc modo illi non prouideret. Ita de

nullo infante credendum est, ex dispensatione saluari sine fidei sacramēto, quod est Baptismus: sed vel Deum illi prouidere de Baptismo; vel certe perire, si omnino hac prouidentia destituatur, & Baptismo careat. Hæc tamen ratio iuxta sequentem conclusionem moderanda, & explicanda est.

17 Dico tertio, nulla censure theologice est dignus, qui assereret pie, & probabiliter credi aliquos non baptizatos miraculose, ex speciali priuilegio fuisse saluos, vel in posterum fuisse saluandos: sicut absque temeritate potest defendi Christum interdum dare effectum sacramenti sine sacramento; quamuis quando in particulari hoc miraculum accidat, nobis nequeat in particulari innotescere, nisi Deo reuelante. Ita indicant Soto, & Suarez vbi supra: & tenent Valentia, & alij relati hic dub. 4. n. 4. & q. 64. dub. 7. n. 79. Estque ad mentem D. Thomæ locis ibi relatis. Et in simili traditur a D. Thoma 3. p. q. 64. art. 7. vbi ait, *quod sicut Deus virtutem suam non alligauit sacramentis, quin possit sine sacramentis effectum sacramentorum conferre; ita etiam virtutem suam non alligauit Ecclesie ministris, quin etiam Angelis possit virtutem tribuere ministrandi in sacramentis.* Et q. 66. art. 6. inquit. *Si prætermittatur aliquid eorum, quæ Christus instituit circa aliquod sacramentum, efficacia caret; nisi ex speciali dispensatione eius, qui virtutem suam sacramentis non alligauit.* Quia vtriusque articuli doctrinam ibi late explicuimus; nunc repetere minime est necessarium; sed potius esset molestum. Et in casu præsentis in 4. dist. 1. q. 2. art. 6. q. 2. ad 2. vbi de puero in vtero matris ait, *quod per actum hominis consequi non potest, nec nunc, vt munderetur ab originali per Baptismum; nec tunc vt munderetur per fidem parentum; sed diuinitus munda vi potest, sicut de sanctificatis in vtero apparet.* Et in 4. dist. 6. q. 1. art. 1. q. 2. & hac q. 68. art. 1. q. 2. & art. 1. ad 1. idem asserit.

18 Ratio a priori est: quia vt demonstrat D. Thomas 1. p. q. 25. art. 5. Deus potest alia facere, quam qua facit: & vt exponit q. 105. art. 6. Deus potest præter hunc ordinē institutum agere, cum voluerit: quia vt ait ad 3. De⁹ sic rebus certum ordinē incidit; vtrum tamen sibi reseruet, quod ipse aliquādo aliter ex causa esset factur⁹. Vnde cū præter hunc ordinem agit; non mutatur. Sicut ergo hoc contingit in ordine nature, ita & in ordine gratiæ: quia magnaalia, & mirabilia, & miracula Dei etiam in his quæ in ordine supernaturali statuta sunt, euenire possunt, & sæpe eueniunt.

19 Possetque hoc ipsum confirmari ex alijs

alijs mirabilibus, quæ supra cursum gratiæ Deum fecisse credimus. Apostoli enim, & alij sancti mortuos in peccatis mortalibus, quibus debebatur pena Inferni, & ignis æterni, ad vitam reuocarunt. Vnde Egeleppus libro. 3. cap. 2. refert S. Petrum resuscitasse Ethaicum Cæsaris affinam: de quo in floribus exemplorum cap. 1. tit. 14. exemplo. 1. folio 25. & S. Ambrosius sermone 90. & S. Maximus ser. 2. dicit Beatam Agnetem ex citasse filium Præfecti, quem Diabolus necauerat, cum voluisset ipsam Virginem Sanctam stuprare. Quid simile refert Euodius lib. 1. de miraculis S. Stephani. Et S. Greg. lib. 1. Dial. cap. 12. de miraculis B. Seueri. De quo Abulæus lib. 4. Regum cap. 4. q. 57. & Bellarminus lib. 2. de Purgat. cap. 8. Similia de hominibus à tartari faucibus ereptis precibus Rosarij B. Mariæ, dati à S. Dominico, narrat B. Alanus de Rupe, de Psalterio B. Mariæ cap. 43. folio mihi 447. & cap. 62. folio 520. ¶ Posset etiam afferri resuscitatio Traiani, quam vt probabilem admittit D. Thomas in 4. dist. 45. q. 2. art. 2. q. 1. ad 3. De qua Sixtus Senæsis lib. 6. Biblior. Annot. 47. & Zumel, & Curiel, & Greg. Martinez 1. 2. q. 78. art. 3. & ex professo Alfonso Chacon in speciali tractatu, & nouissimè Thomas Hurtado tom. 1. trac. 5. cap. 6. resol. 3. 1. à folio 345.

21 Denique Franciscus Mendoza in Viridario lib. 2. problemate quinto, asserit, quod quamuis sit de fide poenæ Inferni esse æternam de lege ordinaria; tamen non est de fide, nunquam in ea lege dispensatur. Et expendendum relinquit, an B. Virgo suo patrocinio aliquem aliquando ab Inferis eripuerit, cum resuscitando vt post penitentiam in cælum transeat: quia S. Ephrem in Threno sic Virginem alloquitur. *O Sacrosanctissima desperantium spes, & damnatorum patrocinatrix.* Et S. Petrus Damianus ser. 1. de Natiu. Virg. ait. *Data est tibi omnis potestas in cælo, & in terra, & nihil tibi impossibile, cui possibi lect desperatos in spem salutis releuare.* Sed de his alibi opportunus: quia nunc solum exempli gratia hæc adducuntur, vt arguatur à simili, & à paritate.

22 Contra hanc conclusionem tenet Vazquez cap. 3. n. 21. dicens non solum sine temeritate affirmari nõ posse, nisi peculiari reuelatione constet, aliquem infantem sine Baptismo saluum fuisse, aut forte verum etiam temerarium esse affirmare, vllum infantem sine Baptismo posse saluum, nisi etiã reuelatione aliqua Deo, huius priuilegij contra communem legem iudicium dede-

rit, vt talem spem de puero saluando concedere possimus. Et dicit se loqui de possibili: vt sperare non possimus puerum ex priuilegio alio modo saluari posse. Probat, quia vt dixerat 1. p. disp. 106. cap. 2. potentia absoluta est potentia non determinata per decretum ipsius; ordinata vero est potentia determinata per decretum: cum ergo Deus potentiam suam determinauerit per decretum voluntatis suæ, non potest facere, quæ aliàs, nisi tale esset decretum, facere posset: ac proinde, iuxta modum loquendi S. Thomæ, nihil posse Deum nunc facere potentia sua absoluta. Et secundum Scotum Deus determinauit potentiam suam lege sua, quam exterius hominibus pronunciauit: ergo vsque dum constet de decreto contrario, potius affirmandum est Deum potentiam suam sacramentis alligasse pro iustificatione paruulorum; cum pro illis legem vniuersalem tulit Ioan. 3. *Nisi quis, &c.* Illa vero propositio Theologorum: *Deus potentiam suam non alligauit sacramentis: non pro paruulis, sed pro adultis intelligenda est, quia extra sacramenta alio modo eos etiam iustificari voluit.*

23 Valde tamen displicent hæc omnia, quia multis laborat æquiuocationibus; falsa assumit, & malè arguit. In primis M. Nazarius. 1. p. q. 2. art. 5. & ibi M. Gonzalez Albelga disp. 82. & M. Ioan. a S. Thomã disp. 11. art. 3. probant potentiam Dei aliam esse absolutam, aliam ordinatam, & aliam ordinariam: & immerito Vazquez hoc tertium membrum diuisionis negare. Secundo, si ratio sua vim haberet, nec Dei stante reuelatione, posset affirmari puerum sine Baptismo fuisse saluum: quia id deberet fieri potentia Dei absoluta, & ex suppositione ordinationis potentie diuinæ, Deus nihil potest facere potentia absoluta. Tertio sequitur Deum nullum posse facere miraculum, nec posse dispensare in lege à se libere statuta: quæ plane absurda sunt; & ex eius ratione sequuntur. Quarto, vt bene vidit D. Thomas. 1. p. q. 25. art. 5. ordo à diuina sapientia reprobatus, non adæquat diuinam sapientiam, quia diuina bonitas in infinitum excedit res creatas: vnde potest velle alium cursum rerum, & alia facere, quam quæ facit. Et q. 105. art. 6. aduertit, quod Deus non facit contra rerum ordinem prout est in Deo; alioquin faceret contra suam præscientiam, & voluntatem: sed facit contra rerum ordinem causis secundis conuenientem: quia potuisset alium instituire, & contra institutum agere.

24 Quinto, ratio quæ probat respectu adultorum Deum potentiam suam non alligasse

gasse sacramentis, idem probat in paruulis: quia omnipotentia Dei nullis clauditur terminis: & sicut potest dispensare in legibus laicis pro adultis, idem valet in legibus pro paruulis: sicut enim de facto dispensauit in sanctificatione B. Ioannis Baptistæ, posset nunc dispensare cum alijs. Quod supponit S. Thomas art. 1. ad 3. dicens, quod si aliqui nunc sanctificarentur in vtero, necesse est eos baptizari. Et expressè axioma ad eadem præsentem applicat in 4. dist. 6. q. 1. artic. 1. q. 2. dicens, quod *Deus non alligauit virtutem suam sacramentis: vt non possit sine sacramentorum ministris aliquem sanctificare: & idem aliquos præter legem communem in materis vteris sanctificasse legitur.* Idem docet hic artic. 1. ad 1. Quod & supponunt esse possibile, S. Cyprianus epist. ad Iubananum 73. n. 7. & S. Bernardus epist. 77. non longè à principio. Et sanctificatum in vtero post mortem natum ad cælum post mortem transtulit: sicut enim pueros occisos ab Herode, fecit Martyres, ita si semel sanctificati in vtero, naturali morte periret, essent sancti innocentes non martyres.

6. III.

Soluantur Caietani argumenta.

25 Sed soluenda restant argumenta Caietani contra primam conclusionem, quæ ad tria reducuntur. Primum est. Fides nõ fuit maioris vigoris apud veteres, quæ est apud nos: sed non obstante præcepto Circumcisionis, dum necessitas ante octauum diem urgebat, sufficiebat fides parentum applicata per signum legis naturæ: eo quod vt legitur Genesis 17. non licebat antea puerum circumcidere: ergo & modo non obstante præcepto Baptismi, sufficit in simili necessitate applicare illam fidem cum signo Crucis: in substantia hoc idem est argumentum, quod Camuel insolutum reliquit, solum quia indiget bona solutione: quam poterat legere in D. Thomã. Per quæ satisfit illius petitioni in libro de Seuera argumentandi methode num. 1645. folio 249. vbi idem proponit argumentum petens vt nobis placeat dare clarã, & euidẽtem solutionem.

Quod si dicatur diuersam esse rationem, quia fides antiquorum pro remedio infantum tunc erat instituta; nunc autem post Christi aduentum aliud remedium pro illa, nempe, visibile sacramentum institutum est. Hanc solutionem non sufficere, probat Caietanus: quia Baptismus per Christum solum est institutus, non vt soluat fidem, sed vt impleat illam; & ideo dicitur *fidei sacramentum*: ac proinde, quando impossibile est vt ipso sacramento, fidei ipsi locus relinquatur. In-

telligendum est itaque, sacramentum Baptismi fuisse a Christo institutum, & additum fidei, sub ea tantum conditione, si possibile sit illud paruulis adhiberi.

26 Respondetur hoc argumentum esse quod sibi obiecit D. Thomas hic art. 1. & respondet ad 1. concedendo maiorem, & minorem; & negando consequentiam: quia nunc est institutum sacramentum Baptismi vt medium necessarium ad salutem paruuli: quod tunc non erat institutum: quia alio signo manifestatur fides reiam præsentis, quam de monstraretur; quando erat futura: sicut etiam alijs verbis significatur præsens, præteritum, & futurum. Et ideo licet ipsum sacramentum Baptismi non semper fuerit necessarium ad salutem: fides tamen, cuius Baptismus sacramentum est, semper necessaria fuit.

Sed magis ex professo Quodlibeto sexto art. 4. ad 1. respondet, quod, secundum quoddam, tempore legis naturæ non sufficiebat ad salutem paruulorum solus motus fidei in parentibus; sed requirebatur aliqua exterior protestatio fidei per aliquod sensibile signum. Et secundum hoc nihil differebat id quod tunc requirebatur, ab eo quod nunc requiritur ad salutem: nisi quod nunc illud signum sensibile est determinatum; tunc erat indeterminate; & pro voto adhibebatur. Alio tunc opinio est, quod solus interior motus fidei reatus ad salutem pueri sufficiebat ad salutem pueri. Nec tamen nunc diminuta est fidei virtus, sed augmentatur gradus salutis; quia nunc; qui saluantur per Christum, statim introducuntur in regnum Cælorum; quod tunc non erat. Vnde non est inconueniens, si ad hoc amplius aliquid requiratur, scilicet Baptismus; vt dicitur Ioan. 3. Hæc Diuus Thomas.

27 Ex cuius verbis patet, quàm conformiter ad eius mentem q. 6. r. dub. 3. problematice processimus, & secundam setetiam iudicauimus probabiliorẽ, quia in eam magis inclinãt D. Thomas eam secundo loco constituens, licet primam, vt satis communem, ibi valde probabilem dixerimus. Constat etiam quod totam radicem disparitatis reducit D. Thomas ad diuersam institutionem in Scriptura explicatam; licet duas assignet congruentias magis determinatæ institutionis, altera est quia diuersum debet esse signum rei præsentis, ac rei futuræ; altera, quia nunc plus datur, nempe introductio in regnum cælorum; & ideo nõ mirum, quod plus exigatur. Et sic constat, quod per Christum nõ est hominibus arctata via salutis, sed potius ampliata; quia ipse dicit Ioannis 10. *Ego re-*

mi ut vitam habeat, & abundantius habeat: quod declarat ibi ad 2. dicens, quod per Christum in hoc ipso est ampliata hominibus via salutis, quod nunc per eum aperta est eis ianua vite æternæ, quæ antea clausa erat per peccatum primi parentis.

28 Addit Soto §. Tenemur, fidem apud nos non esse minoris virtutis, imò est multo maioris, quam apud veteres: nam ratio natiua fidei est credenda docere. Et nostra est explicata tam Mysterij Trinitatis, quam Incarnationis: in illis autem non fuit nisi implicita. Item pluribus sacramentis applicatur, copiosiusque gratiam confert, cælorumque ianuam aperit. Ad illud de Circumcisione, concedit antecedens, & negat consequentiam. Est enim ratio longe diuersa, quod tunc quoniam ante octauam diem inhibuerat illis Deus Circumcisionem, consequens erat, ut remedium illis permitteret, quod erat in lege naturæ; sicut pro semellis, quibus non erat aliud remedium. Nunc autem, quoniam Baptismum instituit, qui cum primum infans in lucem editur, ei valet applicari, nihil mirum, si nullum aliud subsidium reliquerit. Idem legitur Nuno ad 3. & Suarez ad 2. confirmationem alias multas congruentias adiiciens: Qui & ad replicam respondet ibi ad 1. confirmationem potuisse Christum prædictam exceptionem addere suæ legi: sed negamus id fecisse: quia nec verba eius hoc præferunt; nec Ecclesia ita sentit. Sed potius Baptismus omne aliud remedium excludit ex opere operato secundum legem ordinariam paruulis conferens gratiam, excepto martyrio.

29 Aliter respondet Vazq. disp. 151. c. 3. ad 2. quod sicut in lege Evangelica non est institutum duplex remedium pro paruulis, ut uno in defectum alterius utamur; ita etiam non fuit in lege naturali; aut in lege scripta: quia omni tempore antiquo paruulis sufficiebat fides; & circumcisio nullius erat utilitatis ad iustificationem, & remissionem originalis; ac proinde non sequitur peioris conditionis esse paruulos in lege Evangelica, quæ in veteri, eo quod vnicum tantum habeat remedium. Sed supponit doctrinam iam impugnatam supra q. 62. dub. 7. & de hoc puncto iterum quæst. 70.

30 Præterquam quod aduertit Bernal de sacramentis in genere disp. 12. sec. 1. nu. 12. quod ratio Caierani vel nihil, vel nihil probat, nempe fidem parentum, vel cum nulla externa cæremônia, vel cum qualibet, nunc paruulis, etiam non periclitantibus, & sine Baptismi voto gratiam conferre: quia totum hoc (in sententia probabili) in naturæ lege

præstabat. Qua propter in ordine ad subueniendum infantibus inefficacior est nunc parentum fides; quoniam inefficax: idque ex voluntate Christi instituentis Baptismum, qui per se longè facilius est, quam actus fidei Theologicæ.

31 Secundo arguitur. Deus, qui vult omnes homines saluos fieri, nulli denegat auxilia sufficientia ad salutem: nec Deus summè misericors aliquem relinquit in hac vita sine omni remedio. Paruuli igitur nondum egressi vterum matrum, sunt capaces æternæ salutis; nec destituti sunt auxilio sufficienti. Sed in eo statu non possunt recipere sacramentum Baptismi: ergo illis sufficit parentum fides exteriori signo applicata. ¶ Confirmatur: quia pueri intra vterum sunt capaces Baptismi sanguinis: ergo etiam sufficit illis ad salutem parentum fides, simul cum desiderio perducendi puerum ad gloriam, quam martyrium tribuit.

32 Respondetur hoc argumentum eandem vim habere in omni statu post peccatum Adami; quia numquam pueris in matris vteris potuit esse salus, nisi per martyrium, vel per miraculosam sanctificationem. Respondet igitur D. Thomas in 4. dist. 6. q. 1. ar. 1. quæst. 1. ad 1. quod non est ex defectu diuinæ misericordie; quod in matris vteris existentibus remedium non exhibetur: sed quia non sunt capaces illius remedij, per quod secundum legem communem participes passionis Christi efficiantur, aqua est remissio peccatorum: quia non possunt subijci operationi ministrorum Ecclesiæ, per quos talia remedia ministrantur. Idem docet Diuus Thomas artic. 1. ad 1. iuxta S. Fulgentium de fide ad Petrum cap. 27. & Sanctum Augustinum epistola 57. Ideoque idem S. lib. 2. de dono perseu. cap. 12. Pelagianis respondet, cur ex duobus infantibus alter morte ante Baptismum præuenitur, alter vero illud recipit beneficium, non est alia causa, nisi quod Iacob dilexit; Esau autem odio habuit. Quam obrem ait Apostolus ad Rom. 1. incomprehensibilia esse iudicia Dei. Vtrumque enim expedit quandoque ad ostensionem misericordie, & aliquando ad ostensionem iustitiæ in vincitiam originalis peccati.

33 Addit Suarez lect. 3. in fine, quod non est omnino eadem ratio quoad hoc in culpa Adæ, & in gratia Christi comunicanda: nam illa transfunditur per naturalem generationem; & ideo in vtero matris, & in ipso conceptionis instanti participatur: gratia verò Christi per spirituales regenerationem infunditur, quæ fit per humanam, & sacramentalem actionem, ad quam necesse est supponi

ni subiectum, quod sensibus, arque oculis humanis subiacere possit.

34 Ad confirmationem respondetur, quod ad excipiendum Martyrium, habemus fundamentum in doctrina Ecclesiæ, imò & in verbis Christi Domini: nam ut notat S. August. lib. 13. de Ciuitate Dei cap. 8. Qui dixit: nisi quis, &c. alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit: Qui me confessus, &c. et alio loco: Qui perdidit animam suam propter me, inueniet eam. Quæ exceptiones cum non adsint in nostro casu, si paruuli in matris vteris, vel extra moriantur sine Baptismo, damnabuntur propter peccatum originale. Nec habent aliud auxilium, nisi quia possunt nasci, & baptizari.

35 Tertio arguitur. Non minus vniuersalis est illa sententia: Nisi quis renatus, &c. Intellecta de paruulis, quam intellecta de adultis: sed in istis in casu necessitatis sufficit votum Baptismi: ergo & in paruulis, qui imbecilliores, & indigentiores sunt, quam adulti, sufficit votum Baptismi. Voluntas autem parentis reputatur voluntas paruuli: nam ut inquit S. Prosper lib. 2. de vocatione gentium cap. 8. Omnia exordia paruulorum sub arbitrio iacent voluntatis alienæ, neque illis vlla modo, nisi per alios consuli potest, & consequens est, illos ad eorum pertinere consortium, quorum vel recto, vel prauo reguntur affectu.

36 Respondet D. Thomas in 4. dist. 4. q. 3. art. 3. q. 2. ad 3. verbis iam relatis, concedit maiori, & minori, negando consequentiam: quia quamuis puerorum ætas sit magis miserabilis (sic legendum esse, ex argumento constat; & non mirabilis, ut habet Romana editio, contra id quod in antiqua habebatur, ut patet apud Soto) tamen oportet, si saluari debeat, et in eis aliqua causa salutis sit. Et quia per proprium morum liberum arbitrium saluari non possunt, oportet quod per sacramentum Baptismi saluentur. Plus enim valet adultus fides propria, quam paruulo fides aliena. Respondet ergo Soto ad 2. Caietanum non aduertisse, quod adultus votum Baptismi non nisi per modum conuersionis in Deum prodest: paruulus vero, neque propria voluntate, neque aliena potest villo pacto conuerti.

37 Ad vltimam probationem respondet Suarez ad 1. voluntatem patris reputari voluntatem filij, quoad particulare ius ad gubernandum, & curam eius gerendum; non vero in his, quæ expectant ad animæ salutem, nec subiacent dominio eius; nec in his se gerit ut caput, sed ut priuata persona: & ideo fides patris non applicatur filio pro ipsius arbitrio; sed solum iuxta diuinam institutionem.

38 Demum aduertit Granados tractatu de gratia, & controu. 4. de Baptismo tract. 3. disp. 4. n. 10. quod sicut adulti omnes illuminantur à Deo, ita ut illi illustrationi respondere possint, & si respondeant, vterius illuminabuntur, donec tandem iustificentur. Ita nullum esse infantem, cuius parentes, domini, aut alios, Deus non illuminat, & aliqua ratione inelicti ad inuestigandum infantis remedium: cui si, ut par est, responderent, Deus, etiam si oporteret miraculum patrare, non pateretur infantem, discedere sine Baptismo. Quare sicut licet multi adulti damnentur, habuerunt sufficientem gratiam, qua paratim ad salutem disponentur: id ipsum de infantibus seruata proportione dicendum est. Quo circa laudanda est sententia D. Prosperii lib. 2. de vocatione gentium cap. 8. vbi cum ex professio reddat rationem, ob quam Deus, qui omnes vult saluos fieri, tantam paruulorum multitudinem perire patitur: Non (inquit) irreligiose arbitror credi, nec inconuenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper vniuersis est impensa nationibus, quæ utique, si bene eorum vterentur parentes, et iam ipsi (scilicet infantes) per eosdem inuarentur. Hæc Granados, quem multi Recentiores sequuntur in tractatu de Auxilijs, post Bellarminum lib. 2. de gratia cap. 5. Lessium de Predest. sec. 6. conc. 1. & alios.

39 Sed non video cur oporteat nos in hæc angustias redigi; ideoque oppositum docet merito Soto, & alij multi, quos refert, & sequitur Vazquez 1. p. disp. 96. cap. 2. Bañez 1. p. q. 23. art. 3. dub. 3. conc. 3. & S. Ioannes Goccallez Albelda disp. 77. sec. 3. Ioan. à S. Thoma 1. p. q. 23. disp. 10. ar. 3. & alij docentes in communi, & in alio, & mediate, omnibus Deum offerre auxilia sufficientia; sed in particulari, & immediate, non omnes recipere auxilia sufficientia intrinsece supernaturalia. Quod est ad mentem D. August. de correptione, & gratia cap. 5. & 6. ut refert, & sequitur Diuus Thomas 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1. Et idem S. August. de natura, & gratia cap. 8. inquit. Ego dico paruulum natum in eo loco, ubi ei non potuit per Baptismum Christi subueniri, morte præuentum, idcirco talem fuisse, id est, sine lauacro regenerationis exiisse; quia esse aliud non potuit. Et infra. Rectè ergo ea damnatione, quæ per vniuersam massam currit, non admittitur in regnum Cælorum; quamuis Christianus, non solum non fuerit, sed nec esse potuerit. Et S. Prosper Carmine de Ingratis cap. 30. ait. Multos Sanctis genitoribus ortos, nullo saluari studio potuisse suorum. Quod sequitur D. Thomas in 4. dist. 6. verbis rela-

ris n. 3. 2. & experientia constat sæpe aborsu, & mortem infantis esse inevitabile humano modo: vel quia accidit ex debilitate virtutis, vel sanguinis corruptione insanabili per naturam, & artem: vel quia accidit ex casu fortuito, & nullo modo præviso, ut si fulmine feratur, vel si super dormientem cadat te-ctum, isti enim, & similes casus in nullius hominis potestate esse possunt. Quæ & similia iuste Deus vult in penam peccati originalis; quamvis antea velit omnes saluos fieri.

§. IV.

Vtrum adulti possint sine Baptismo saluari?

40 Verunt tempore S. Bernardi, & Hugonis de S. Victore, quidam asserentes nullum adultum absque Baptismo re ipsa saluari posse, vel Martyrio eius vicem supplere, saluari posse. Ita refert Hugo libro 2. de Sacramentis parte 6. cap. 7. ¶ Præterea Michael Baius Doctor Louaniensis asseruit Cathecumenos antequam baptizentur, perfectam, & sinceram charitatem ex gratia Dei habere posse: remissionem tamen peccatorum sine Baptismo re ipsa suscepto, non consequi. Quod constat ex propositionibus ipsius relatis in Bulla Pij Quinti, & Gregorij 13. nempe ex 3. 1. & 3. 2. & 3. 3. & 4. 2. & hanc doctrinam ipse tradidit in libro de Charitate cap. 7. & in libro de iustitia cap. 7.

41 Cui ex parte consentit Pamellius su per epistolam 54. S. Cypriani circa finem, dicens improbabilem esse eorum sententiam, qui solum contritionem sufficere plerumque existimant ad remissionem peccati absque Baptismo re ipsa suscepto: quia etiam si ordinarie non sit peccatorum remissio in decedentibus sine Confessione, & Baptismo; tamen interdum, & in necessitate operatur Deus sine sacramento: eo quod S. Cyprianus ibi, & S. Augustinus de natura boni contra Manichæos capit. ult. & lib. 1. de adult. coniug. cap. ult. solum docent contritionem sufficere sine Baptismo in casu necessitatis.

42 Rursus Ioan. Molanus trac. 1. Theol. prac. cap. 8. asserit non dimitti regulariter peccata per solum contritionem sine respectu ad claves Ecclesie. Guillelmus Estius in 4. dist. 17. & in 1. Epist. Ioannis cap. 3. ver. 7. & Franciscus Syluius in Additionibus ad 3. p. q. 5. art. 1. & Secunda Secundæ q. 23. ar. 2. folio 123. docent non semper, imò nec frequenter, vel ordinarie contritionem habere coniunctam remissionem peccatorum ante

quam recipiatur sacramentum: licet sit cum dilectione Dei perfecta, & super omnia coniuncta; sed aliquando solum id contingere, in casu mortis, vel cum difficillime adiri potest minister; vel cum contritio esset vehementissima, in his casibus esset remissio peccati, non ex infallibili lege Dei, sed ex speciali eius voluntate. Et quamvis loquantur de baptizatis, qui mortaliter peccauerunt, & indigent sacramento poenitentiae, eadem videtur ratio adultorum, quibus non est remissum originale, & habent actualia, quorum habent contritionem, & nequeunt baptizari.

43 Ut respondeat, præmittit D. Thomas hic art. 2. quod sacramentum Baptismi dupliciter potest alicui deesse. Vno modo, & re, & voto: quod contingit illis, qui nec baptizantur, nec baptizari volunt: quod manifeste ad contemptum sacramenti pertinet, quantum ad illos, qui habent usum liberi arbitrii. Et ideo hi, quibus hoc modo deest Baptismus, salutem consequi non possunt: quia nec sacramentaliter; nec mentaliter Christo incorporantur, per quem solum est salus. Ideoque præmiserat art. 1. ad 1. quod numquam homines potuerunt saluari, etiam ante Christi aduentum, nisi fierent membra Christi: quia ut dicitur Actuum 4. *Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Post aduentum autem Christi homines per fidem Christo incorporantur: secundum illud ad Ephes. 3. *Et aliuere Christi per fidem in cordibus nostris.* Cum ergo ad hoc detur Baptismus, ut homo regeneratus incorporatur Christo: iuxta illud ad Gal. 3. *Quicquid in Christo baptizati estis, Christi induistis.* Ideo sine Baptismo in re, & voto nulli adultorum est salus: & ideo diximus esse medium ad salutem.

44 Alio modo potest sacramentum Baptismi (prosequitur S. Th.) alicui deesse re, sed non voto: sicut cum aliquis baptizari desiderat, sed aliquo casu præuenitur morte antequam Baptismus suscipiat. Et talis sine Baptismo actuali salutem consequi potest, propter desiderium Baptismi, quod procedit ex fide per dilectionem operante; per quam Deus interius hominem sanctificat, cuius potentia sacramentis visibilibus non alligatur. Vnde Ambrosius dicit de Valentiniano, qui catechumenus mortuus fuit, quem regeneraturus eram, amisi: verum tamen ille gratiam, quam poposcit, non amisit. Hæc ibi.

45 Idem docuit S. Augustinus to. 7. lib. 4. contra Donatistas cap. 22. dicens. *Inuenio non tantum passionem pro nomine Christi, id quod ex Baptismo deerat, posse supplere, sed etiam iudicium*

et rationemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium Baptismi in angustijs temporum succurrere non potest. Item S. Bernardus epist. 77. notas dixisse Christum Marci ult. *qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur: non vero dixisse; qui non baptizatus fuerit, condemnabitur: quia per fidem vitam homines iustificari possunt adulti, etiam si Baptismus re ipsa non suscipiant.* Idem docet Hugo lib. 2. de sacramentis par. 6. cap. 7.

Quæ doctrina canonizata est ab Innocentio Tertio, cap. Apostolicam, de Presbytero non baptizato, dicente. *Presbyterum, quem sine vnda Baptismatis extremum diem clausisse significasti, quia in sanctæ Matris Ecclesie fide, & Christi nominis confessione perseverauerit, ab originali peccato solutum, & celestis patriæ gaudium esse adeptum, asserimus inuinculenter.* Et Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 4. de iustificatione impij ait, quod est translatio in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei. *Quæ quidem translatio post Euangelium promulgatum, sine laacro regenerationis, aut eius voto, fieri non potest sicut scriptum est Ioan. 3. Nisi quis renatus, &c.* Ergo exponente Concilio, necessitas Baptismi ex institutione Christi explicata Ioannis tertio, intelligitur de Baptismo in re, vel in voto, adhuc post Euangelium promulgatum. Idem habetur ex eodem Innocentio cap. Debitum, de Baptismo.

46 Ex sacra Scriptura habemus illud Ezech. 18. ver. 21. *Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, &c. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.* Ad quæ verba alludens S. Augustinus to. 9. tract. 33. in Ioannem, circa finem, ait *Recte dicis in corde tuo, quando me correxeris, Deus mihi omnia peccata dimittet. Negare non possumus quod correctis, atque conuersis indulgentiam Deus promittit. Et in fine. Illis qui desperatione periclitantur, quid dicitur In quacumque die iniquus conuersus fuerit, omnes iniquitates eius obliuiscatur. Propter illos ergo, qui desperatione periclitantur, proposuit indulgentiæ portum propter illos, qui spe periclitantur, & dilationibus induluntur, fecit diem mortis incertum.* Eodẽ testimonio Ezechielis ad intentum vitur D. Tho. 3. p. q. 86. art. 1. & ut ait Vazquez disp. 152. cap. 1. num. 3. ex istis verbis tota Theologorum Schola semper indubitanter credit, contritionem perfectam, quæ est dolor de peccatis propter Deum summè dilectum, tantæ esse virtutis, & efficacitatis, ut statim homo iustificetur, & peccatorum omnium remissionem consequatur. Licet differant in explicando an ipsa contritio sanctificet, vel

solum sit vltima dispositio infallibiliter annexam habens formam iustificantem? De quo 1. 2. q. 113.

47 Simile fundamentum proponit Diuus Thomas isto art. 2. ex natura actus fidei, & charitatis: Nam fides per dilectionem operans, habet coniunctam remissionem peccatorum: sed ille, qui desiderat baptizari, & defectu ministri, vel aquæ, nequit obtinere, potest habere actum fidei, formatum charitate; quia illuminari potest a Deo, & trahi ut Deum super omnia diligat, ut remuneratorem supernaturalem se inquentium; ergo sine reali susceptione Baptismi, per votum ipsius potest homo iustificari. Maior constat ex illo 1. Ioan. 4. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est.* Ideo ad Colos. 1. *Charitas dicitur vinculum perfectionis.* Et Prou. 10. & 1. Petri 4. habetur, quod *Charitas operis multitudinem peccatorum.* Et S. Augustinus tom. 9. trac. 5. in epist. Ioann. ait. *Siquis in corde suo inuenit Charitatem, securus sit, quia transijt de morte ad vitam, iam in dextera est: & similia passim habentur in Scriptura, & Patribus.*

48 Tertio idem constat ex dictis q. 66. ubi ex Patribus ostendimus dari tria Baptismata, nempe Baptismus aquæ, & sanguinis, & flaminis: & hæc duo supplere vicem Baptismi aquæ: ubi D. Thomas artic. 1. ait sine Baptismo aquæ, & sanguinis consequi effectum Baptismi aquæ, in quantum scilicet, alicuius cor per Spiritum Sanctum mouetur ad credendum, & diligendum Deum, & poenitendum de peccatis. Vnde etiam dicitur Baptismus poenitentiae. Et de hoc dicitur Esaiæ 4. *Si abluerit Dominus sordes filiorum Sion, & sanguinem Hierusalem lauerit de medio eius, in spiritu iudicij, & spiritu ardoris.*

Aliam rationem ex S. Augustino, S. Bernardo, Hugone, & Valdensi, proponit Soto dist. 3. art. 1. & dist. 5. art. 2. §. *Baptismus autem:* quia neminem Deus ad impossibile obligat: ergo licet præceptum, quantumuis strictum Baptismi posuerit, nihilominus ubi nulla adest Baptismi possibilitas, vel ubi inuincibiliter ignoratur, voluntas obtinendi peccatorum remissionem, pro facto Baptismi in aqua à Deo reputatur: nam & qui dixit: *Nisi quis renatus, &c.* Pariter dixit: *Si impius egerit poenitentiam, vita uiuet.* Item cum Deus sit multo propensior ad indulgentiam, quam ad puniendum: & malorum solum voluntatem pro factis aestimet, ait enim: *Qui odit fratrem suum, homicida est: & qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mæchatus est in corde suo: fit ut et bonum Baptismi affectum pro facto ipso ac*

ceptet. Ied Soto art. 2. §. Propter hæc, dicit hanc veritatem tanquam catholicam esse ab Innocentio Tertio definitam. Quare hæreticus esset de illa dubitare. Idem dicit Vazquez n. 3. & Nuño art. 2. dist. 1. & Cabrera art. 2. disp. 1. §. 4. n. 15. Quamvis Suarez disp. 27. sec. 2. & Granado trac. 3. disp. 5. n. 1. & Auersa q. 66. sec. 2. & alij solum proponant ut communem, & certam. Sed mihi indubitatum videtur, quod oppositum, si non est hæreticum, ad minus est erroneum, ut adducta conuincunt.

49 Quod autem contritio perfecta habeat semper coniunctam remissionem peccati, etiam ante receptionem actualem sacramenti Poenitentiae, non est huius loci probare: id diligenter prestat Lugo de Poenitentia disp. 5. sect. 8. ubi probat sententiam Estij, & Syluij accedere ad sententiam Michaelis Basi reprobaram a Pontificibus: & nu. 115. refert, & non improbat varias censuras Theologicas illius doctrinae: nam Coninch n. 30. indicat esse erroneam. Curiel 1. 2. q. 112. art. 3. dub. vñco dicit periculosa, & parum tutam in fide. Alij dicunt temerariam, & scandalosam. Ipse n. 116. dicit, quod est contra consensus Patrum consensum, & contra Theologos omnes, & contra vnanime omnium fidelium sensum, ut dixerat nu. 111. Quod suo loco discutietur.

50 Contra hanc doctrinam multas Patrum auctoritates sibi opponunt, & soluunt Suarez, & Cabrera, & Granado ubi supra; sed quia multae eorum solutiones difficile videntur contextui accommodari, ideo Vazquez disp. 152. cap. 3. & 4. sigillatim omnes percurrit, & examinat. Ceterum operosum, & molestum videtur in singulis dehereri; qua propter Auersa in fine illius sec. 2. q. 66. summatim ait, Respondetur ea dicta Patrum esse explicanda de necessitate Baptismi in re, vel in voto; ita ut non sufficiat interna dispositio, nisi sit perfecta, continens votum Baptismi, sicut oportet. Vel etiam explicari possunt de necessitate Baptismi in re ad completam, & perfectam remissionem peccatorum, non solum quoad culpam, sed etiam quoad poenam. (Quia ista regulariter non datur in contritione extra sacramentum; & datur in Baptismo aquae, & in Martyrio: & sic Genadij auctoritate exponit Diuus Thomas ad 2. sine causa impugnatus a Vazquez n. 36. & a Suarez ad 6.) Vel quia realis Baptismi susceptio affert maiorem certitudinem salutis, & quietem animi. Vel quia homo adhuc remanet cum obligatione suscipiendi realiter Baptismum. Unde etiam si

antea iustificatur, adhuc est illi necessarius Baptismus, ne scilicet voluntarie prætermittat, si saluari velit. Hæc ibi:

§. V.

Quale debeat esse votum Baptismi?

§ 1 IN primis si careat cognitione supernali, & actu fidelis strictæ sumptæ, ad minus implicitæ, non posse iustificari; iam ostendimus cap. 7. Theologiae Moralis q. 2. ostendentes oppositum esse erroneum; & Semi-pelagianum.

§ 2 Deinde Granados trac. 3. disp. 5. nu. 2. ait, quod si solum habeat originale peccatum absque alio mortali, non indiget contritione ad iustificationem, sed actu amoris supernaturalis. Si tamen commiserit aliquod mortale actuale, necessaria est contritio, sine qua extra sacramentum, & martyrium, nemo iustificatur. Sed aduerte, quod post primum instans morale vsus rationis, non potest homo esse cum solo peccato originali: quia in primo instanti obligat præceptum affirmatiuum ut conuertatur in Deum: ut D. Thomas, & quadraginta Authores relati a nobis cap. 12. Theol. Mor. q. 3. §. 2. dicunt. Quod præceptum, si non implet, peccat mortaliter; si implet, illuminatur a Deo, & eum amat super omnia, & illi dimittitur originale. Sed de his alibi.

§ 3 Sed inquires primo, vtrum saluari possint absque Baptismo, qui hoc tempore Baptismi legem ignorant?

Respondet Leäder trac. 2. disp. 1. q. 19. non posse, quia post Euangelij Christi promulgationem, non est aliud remedium pro remissione peccati originalis, quam Baptismus in re, vel in voto susceptus: unde nulli in voto saltem in tali casu non receperint, necessario damnabuntur. Refert Vega, qui & citat Bartholomeum Ledetma: & ait Leäder ita tenere alios communiter.

§ 4 Sed male Authores citat, & pessime questioni respondet: quod solis Vega verbis relatis, erit perspicuum: ait namque 1. p. Summa cap. 33. calu 30. folio mihi 233. post verba a Leädre relata. Saluo si tiene ignorancia inuencible del, como lo trae Castro aduersus hæreses, verbo Baptismus hæc. 1. y Soto dist. 5. ar. 2. Y assi segun la ley ordinaria de Dios, imposible es, q el niño entre en el cielo sin el Baptismo del agua, o fuego, q es desseo grande de le recibir. Dixit, saluo si tiene ignorancia inuencible, porque el que le ignora inuenciblemente, se saluara con el voto implicito de el: el qual voto implicito acaece, quando vno ayndado con el fauor especial diuino, teniendo alome-

modo implicito de vn mediador, dixit, que le pesa de auer ofendido a Dios, y haze todo lo que en si es. Como se colige de S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 6. ad 2. q. 112. art. 3. y San Buenaventura in 4. dist. 28. art. 2. q. 2. a los quales figue. Fr. Manuel Rodriguez 1. 1. cap. 27. conc. 1. Hæc ibi. Quæ doctrinam esse D. Thomæ, & communem, refert, & sequitur Bonacina disp. 2. q. 2. nu. 15. solum in specie referens Summam Corona de Baptismo folio 29. Sed communem esse, dicenda monstrabunt.

§ 5 Secundo ergo inquiritur, vtrum ad salutem sufficiat votum implicitum Baptismi, an verò requiratur explicitum? Debere esse explicitum, videntur consequenter tenere omnes, qui dicunt, quod post promulgatum Euangelium, nullus potest iustificari, aut saluari sine fide Christi explicita. Et fauent Hugo de S. Victor. lib. 2. de Sacramentis parte 6. cap. 5. & Alenis 4. p. q. 8. membro 2. art. 3. in fine, quos refert, & sequitur Raynerius verbo Baptismus cap. 7. §. 4. & alij. Quos retulimus cap. 7. Theol. Mor. q. 4. nu. 11. Ibiq. num. 12. retulimus Cano, & alios septem Authores dicentes, quod sine fide Christi explicita possunt aliqui iustificari: sed non poterunt saluari. Licet autem Cano expresse non loquatur de voto Baptismi, sed tamen quia in Relectione de Poenitentia parte 5. §. Sed est tamen questio, docet Sacramentum Poenitentiae esse ita necessarium, ut votum illius implicitum non sufficiat, sed expressum requiratur, etiam ad iustificationem, & remissionem peccatorum: ideo infert Vazquez nu. 15. idem de voto sacramenti Baptismi in eius opinione videri dicendum. Verum tamen Nuño q. 8. artic. 2. dub. 2. sibi videri ait probabiliorem sententiam Mag. Cano in Relect. de Sacram. parte 2. quod ad iustificationem sufficit votum implicitum; ad glorificationem vero est necessarium votum explicitum: itaque multi iustificantur de facto per solum votum implicitum; nullus tamen aditus saluatur de facto aatequam habeat votum explicitum Baptismi. Probat, quia alias videtur impossibile defendere quomodo realis susceptio Baptismi sit necessaria necessitate mediæ, magis quam realis susceptio Eucharistiae. Quia votum implicitum non magis terminatur ad Baptismum, quam ad alterum præceptum. Ergo non gerit vicem illius magis quam alterius præcepti, vel sacramenti: alias omnia sacramenta, quæ sunt in præcepto, & omnia præcepta dicentur necessaria necessitate mediæ ad iustificationem: siquidem nullus potest iustificari sine voto ipsorum

implicito:

§ 6 Per aliud extremum Andreas Vega lib. 5. in Tridentinum cap. 14. sub fine, Suarez disp. 27. sec. 2. in fine; Vazquez disp. 152. capit. 2. a numero 15. vsque ad 21. ad gratiam, & gloriam consequendam dicunt sufficere votum implicitum, quod in ipsa contritione virtute continetur; & hoc sine ignoretur Baptismus; sive non. Quia sufficiens dispositio ad gratiam potest haberi cum voto implicito in ipsa contritione inclusio, ut significauit Tridentinum sess. 6. cap. 6. & 7. & clarius sess. 14. cap. 4. Gratia autem comparata per hæc dispositionem, potest darare vsque ad mortem sine nouo desiderio Baptismi, atque etiam sufficere ad vitam salutem. Et quia votum explicitum Baptismi nec ex natura rei, nec ex diuina institutione est mediū ad salutem: non primum; quia ante Baptismi cognitionem homines ceterabantur, & iustificabantur, non secundum; quia de tali lege non constat. Et quamvis qui præceptum Baptismi nouerunt, tuncantur suo tempore baptizari: tamē posse fieri, ut deinde quando nihil omnino cogitant de Baptismo, ex sola Dei fide, & peccatorum suorum consideratione moueantur ad diligendum Deum, & detestandum peccata propter ipsum: tunc autem votum Baptismi nihil in talem affectum dilectionis, & contritionis operatur: ergo neque in iustificationem, & glorificationem.

§ 7 Afferendum tamen est, per se loquendo, supposita institutione Christi volentis Baptismum esse medium necessarium ad salutem, votum explicitum illius esse necessarium ad iustificationem; per accidens tamē, supposita ignorantia, sufficit votum implicitum ad gratiam, & gloriam obtinendam. Ita Soto dist. 5. art. 2. dub. postremo per tres conclusiones. Castro, & Alfonso Vega, & Bonac. relati n. 54. Cabrera q. 68. ar. 2. dist. 1. §. 5. Zumel. 1. 2. q. 89. art. 6. folio 753. conc. 3. & q. 113. art. 4. Sagra 2. 2. q. 2. art. 7. conc. 2. & 3. p. q. 68. ar. 2. initio. Item Henriquez cap. 3. §. 4. alios referens lit. v. Valentia q. 3. puncto 4. §. Sed hoc ipso posito. Granados trac. 3. de Baptismo disp. 5. nu. 3. & 4. Castrus Palastrac. 19. punc. 8. n. 2. in fine, & Auersa q. 66. sec. 2. in fine. Quævis isti duo Authores non satis se explicet. Tenereque debet multi, quos retulimus c. 7. Theol. Mor. q. 4. a n. 13. vsque 40. Prior pars probatur: quia Baptismus specialiter præcipitur sacramentis, & præceptis, est mediū necessarium ad salutem: sed hoc nequit verificari nisi explicitè appetatur, ut mediū: ergo supposita Christi institutione, sic est necessarium per se loquendo.

58 Secunda pars est D. Thomæ 3. p. q. 69. art. 4. ad 2. dicentis, quod sicut q. 68. ar. 2. dictum est, quod remissionem peccatorum aliquis consequitur ante Baptismum, secundum quod habet Baptismum in voto, vel explicitè, vel implicitè; & tamen cum realiter suscipit Baptismum, fit plenus remissio quantum ad liberationem à tota pœna. Ita etiam ante Baptismum Cornelius, & alij similes consequuntur gratiam, & virtutes, per fidem Christi, & desiderium Baptismi implicitè, vel explicitè: postmodum tamen in Baptismo maiorem copiam gratiæ, & virtutum consequuntur. Loquitur S. Thomas de Cornelio, & similibus, qui iniucilliter ignorabant Baptismi necessitatem.

59 Ratio iam est proposita, quia stante ignorantia invidibili Baptismi, potest dari contritio, & dilectio Dei super omnia: quæ haberet adiunctam iustificationem, & peccatorum remissionem, & suo tempore glorificationem, prout latè prosequuti sumus illa q. 4. Vbi & argumenta contraria dissoluit.

60 Addit Granados illo n. 3. quod cum Deus instituerit Baptismum, ut quid per se requisitum ad salutem, eo ipso quod quis contritione conuertatur perfecte ad Deum, censetur velle recipere quicquid Deus voluit esse necessarium ad salutem: sicut etiam intelligitur velle implere omnia præcepta, etiam si aliqua, aut plura non nouerit. Et præterea, cum Deus eiusmodi homini contrito confert gratiam, infundit illam intuitu Baptismi, id est, quia quantum in homine est, desiderat Baptismum: & ideo permanet in homine obligatio strictissima illum recipiendi, cum nouerit eius necessitatem, & recipere potuerit. Unde si actu meminerit necessitatis Baptismi, non potest intelligi habere contritionem, quin explicitè illum desideret: aduertit enim medium necessarium esse baptizari, ut ad Dei gloriam admittatur. Nec sane aliter bene intelligitur Baptismum requiri in voto ad salutem.

61 Adijcit etiam Palauis in fine illius n. 2. quod cum Baptismus sit institutus ut medium ad salutem, ideo contritio, seu dilectio Dei super omnia quatenus in se imbibit votum Baptismi, peccata remittit, & salutem confert; non vero quatenus imbibit votum cuiuslibet præcepti obseruandi. Nam cuiuslibet præcepti obseruatio non est pretium (ut ita dicam) dignatum à Christo Domino pro peccati remissione; bene tamè Baptismus: eaque de causa vi iustificationis per contritionem obtente, non obligaris ad cuiuslibet præcepti obseruationem; obligaris tamen ad Baptismum suo tempore suscipiendum,

utpote ad exhibendum pretium, virtutè cuius remissionem peccati per contritionem emitti. Hæc ille.

62 Sed ex dictis q. 62. constat improprie Baptismum dici pretium pro remissione peccati: id enim est proprium meritorum Christi, & sanguinis eius, & quodammodo etiam contritionis: iuxta illud: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: Melius appellatet Baptismum causam instrumentalem iustificationis, prout appellat Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. Quod & sess. 5. in decreto de peccato originali can. 5. docet Iesu Christi gratiam in Baptismo conferri: sed pretium est Christi sanguis: & instrumentum quasi delatiuum, est Baptismus. Et hoc sufficeret ad discrimen intentum. De quo vide plura illo cap. 7. q. 4.

DVBIVM TERTIVM.

De præcepto Baptismi.

§. I.

Quam certum sit dari diuinum præceptum de suscipiendone Baptismi?

Dico primo, datur præceptum diuinum cunctos mortales obligans suscipiendi Baptismum aquæ. Hanc conclusionem esse immediatè de fide, eiusque contrariū esse manifestam hæresim, docent Soto dist. 5. ar. 1. §. Propter hæc. Nuño art. 2. dub. 2. Petrus Ledesma trac. 2. de Baptismo cap. 7. cõc. 5. Cabrera disp. 3. Eo quod S. Augustinus inter hæreses Manichæorum, hanc etiam connumerat, quod Baptismus non esset necessarius. Et quia Ioan. 3. aperte asseritur necessitas Baptismi ad salutem: vadè D. Thomas non alio vitur medio, nisi quod homines ad illud tenentur, sine quo non possunt esse qui salutem: ideoque in hæc re id quod est medium ad salutem, est necessarium necessitate præcepti. Etenim si laicales principes Reipublicæ sinem conferunt; nullò Deus mandato vniuersos mortales debuit iustius perstringere, quam Baptismi, ut sine quo nemo ad supremum humani generis finem pertingere potest.

2. Deinde, quia Baptismus non solum est necessarius ad comparandam primam gratiam, ut patet in pueris, & in adultis habentibus Baptismi copiam; verum & postquam catechemeni per Baptismum flammis sunt in gratia, vbi adfuerit facultas, tenentur baptizari.

zari. Quod constat primo: nam Nicodemus ut notat S. Augustinus trac. 1. in Ioannem, iam ad Christum in eius fide, & gratia accesserat: & nihilominus Dominus ei dixit, necessarium esse Baptismate renasci. Et Apostolus, Petrus Actorum 2. his qui iam compuncti erant corde, quærentibus quid facerent: *Pœnitentiam* (inquit) *agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu*. Nulla ergo cordis compunctio à Baptismi lege quempiã excusat. Idem constat ex Actorum 8. & 9. & 10. de historia Baptismi Philippi, & Pauli, & Cornelij. Et quia cap. 10. Diuus Petrus ait. *Nam quid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur, qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut & nos?* Colligitur ergo ex ijs certissimè fides Baptismum esse in præcepto.

3. Præterea, cum præceptum impositum Apostolis ut baptizarent omnes gentes, fuerit in salutem gentium, ibi includitur præceptum gentium, ut susciperent Baptismum: Tum quia illis verbis datur Apostolis iurisdictio: frustra autè esset illa iurisdictio in Apostolis, nisi præceptum haberet annexum in subditis ut obediret. Sicque exponit S. Hier. vet. ba Mathæi ultimo. Et S. Bernardus epist. 77. illa Marci ult. *Qui crediderit, & baptizatus, etc.*

4. Deinde: nam propterea quod Circumcisio profectio erat legis antiquæ, præcepto illius populus ille tenebatur, Genes. 17. In Baptismo autem fit professio legis Euangelicæ: ergo fortiori argumento vniuersus Orbis eius præcepto obligatur. Quod explicatur: nam vniuersus Orbis tenetur Christo credere: & eius legem suscipere: ut constat Ioan. 15. Baptismus autem est fidei, legisque Christi susceptio: ergo ad illud vniuersi mortales tenentur. Sed & aliter eadem fere ratio formatur. Vniuersus Orbis tenetur esse vniuersi, sub vno pastore Christo: iuxta illud Ioan. 10. *Et vnum ouile, & vnus pastor*. Et de Summa Trinitate, & fide catholica. *Vna est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur*. Baptismus autem, ut in Concilio habetur Florentino, est vitæ spiritualis lanua, per quem, & membra Christi, & de corpore Ecclesiæ efficiuntur. Ergo vniuersus orbis ad illum suscipiendum tenetur. Hæc sunt argumenta Magistri Soto, & aliorum.

5. Alia via Suarez disp. 3. sec. 1. conc. 1. conclusionem hæc solum proponit ut certam, & communem Theologorum. Dicitque colligitur Concilio Tridentino sess. 7. can. 5. de Baptismo, vbi Anathematis damnar dicentes, *Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem*. Vbi licet non aperte

declaret, an de necessitate mediij, vel præcepti loquatur: tamen etiam si sit sermo de necessitate mediij, in illa omnino continetur necessitas præcepti respectu adultorum. Cui etiam Concilium negat Baptismum esse liberum, manifestum est libertatem ibi oppositæ præcepti obligationi. Verum ex hoc ipso poterat deducere cõclusionem esse de fide, saltè mediata, quia illa negata, nec verba Scripturæ, nec Conciliorum in proprietate verificantur: licet qui admitteret Baptismum esse necessarium velut medium, & negaret esse præceptum, esset erroneus; licet forte non esset hæreticus; quamuis argumeta. M. Soto satis probabiliter esse hæreticum persuadent.

6. Adijcit præterea Suarez præceptum hoc non esse naturale ex vi solius institutionis Baptismi, quia poterat esse vtilis ad abundantioram gratiam, & ad maiorem securitatem salutis comparandam. Erit ergo necessitas præcepti positivi diuini: quod obligat etiã alia via iustificatos: & ideo in contritione debet esse votum de suscipiendone Baptismi: quia exiat præceptum diuinum de illo suscipiendone: & dicitur Mathæi 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. Similiter Vazquez disp. 149. cap. 3. in 3. a. docet necessitatem mediij in adultis ortum habere ex necessitate præcepti, non naturalis, sed diuini positivi: nam si Christus hoc sacramentum liberum instituisset, ut quisque eo vteretur, si vellent, neque ad illud homines obligasset; sine illo in re, & in voto, quisque saluari posset.

Auerfa vero q. 68. sec. 4. vet. Tertio probabilis ait: Vel dici potest præceptum consergere ex institutione Baptismi tali modo facta ut inuoluet necessitatem: Potuisset enim Baptismus à Christo institui, ut solum esset medium vtile, & arbitrarium: quæ institutio non induxisset obligationem. Sed de facto institutus est tamquam medium necessarium: quæ necessitas plane inuoluit præceptum Christi, & obligationem nostram. Unde absolute loquendo obligatio suscipiendi Baptismum, dicitur de iure diuino Christi, ad differentiam legis Ecclesiasticæ.

§. II.

Quando obliget adultos?

Dico secundo, probabile est præceptum diuinum suscipiendi Baptismum, obligare cum primum quis moraliter comode potest. Ita asserunt Soto dist. 5. ar. 3. §. De adultis (quem male pro sententia contraria

traria refert Auerſa ſec. 4.) Nūc art. 3. diffi-
cul. vnica conc. 3. Petrus Ledefma trac. 2. de
Baptismo cap. 7. cōc. 7. Suarez disp. 3. ſec. 2.
Vazquez disp. 149. cap. 4. n. 36. Valentia,
& Henríquez, quos refert, & ſequitur Gra-
nada trac. 4. diſp. 2. num. 5. Coninch, & Lay-
man, quos refert, & ſequitur Caſtrus Palauſ
trac. 19. punc. 8. num. 5. Bonacina diſp. 2. de
Baptismo q. 2. punc. 2. n. 4. Auerſa ſec. 4. Vi-
llalobos trac. 5. diffi. 12. n. 3. Hurtado, Regi-
naldus, & Chamerora, quos refert, & ſequi-
tur Leander tract. 2. diſp. 1. q. 12. male refe-
rens Victoria; cum de hoc puncto nō agat.
Trullench lib. 2. conc. 1. dub. 2. nu. 4. Bauny
trac. 2. q. 24. in ſine. Baſſeus verbo Baptism^o
1. n. 5. Sed ex relatis Authoribus conſtat, hō
die hanc eſſe communem opinionem.

8 Probaturque primo ex Patribus, qui
acriter reprehēdunt eos, qui vſque ad extre-
mum vitæ periculum Baptismum differunt.
Ita S. Clemens Romanus lib. 6. Conſtitutio-
num Apoſtolicarū cap. 15. S. Baſilius hom.
13. ex varijs, quæ eſt exhortatio ad Bapti-
ſmum. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 40.
quæ eſt in Sanctum Baptiſma, agens de ſalu-
te quaerenda per Baptiſmum, inquit omnia
tempus ſuū habere, vt habetur Eccleſiaſtes
tertio; de Baptiſmo autem ait: *At vero ſalu-
tis tūc negotium ſemper perage, atque omne tem-
pus ad Baptiſmi ſuſceptionem tibi certum, & deſi-
nitum eſſe exiſtens.* Neceſſitati præterea reſ-
pirandi omni tempore, comparat Nicetas
ibi neceſſitatem recipiendi Baptiſmum. Eo-
dem ſenſu S. Chriſoſtomus hom. 1. in Acta
Apoſtolorum columna 11. & hom. 13. in
epiſt. ad Hebræos, relat. canone *Quādo quis,
de Conſecratione, diſt. 4. dixit in his non eſſe ob-
ſeruandum tempus.*

Secundo probatur ex illo Eccleſ. 5. quod
adducit D. Thomas art. 3. *Non tardes conuer-
ti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Sed
perfecta conuerſio in Deum, eſt eorum, qui
regenerantur in Chriſto per Baptiſmum:
Non ergo debet Baptiſmus differri de die in
diem; ſed quam primum commode poſſit,
ſuſcipi.

9 Tertio, quia vt dictum eſt, Baptiſmus
non ſolum fuit inſtitutus in remiſſionem
peccati originalis, & eorum, qui cum origi-
nali ſunt; ſed etiam vt per illum haberemus
regenerationem ſpiritualem, & profeſſio-
nem fidei Chriſtianaæ, quæ in forma Baptiſ-
mi exprimitur: cum ergo homo teneatur
credere quam primum fidei myſteria ſuffi-
cienter credenda proponuntur; etiam tene-
tur quam primum baptizari, vt ſit Chriſtia-
nus, & capax reliquorum ſacramentorum.

Denique probatur à poſteriori, quia
nullum aliud tempus vſque in ſinem vitæ, &
periculum mortis assignari poteſt obliga-
tionis Baptiſmi: neque enim maior eſſet rā-
tio quate cratiſno die potius, quam hodierno,
vel alio ſequente, hoc præcepto adulti
tenerentur.

10 Quod confirmat Suarez: nam qui
vouet ingredi religionem, quamuis non de-
terminet tempus, tenetur ad ſtatim ingre-
diendum, moraliter loquendo, quia ex vita-
lis voti totam vitam ſuam, totumque vitæ
tempus offert, & conſecrat ad illum ſtatim:
ergo pariter hoc præceptum, quod homines
obligat ad aſſumendam religionem Chriſtia-
nam, ſtatim obligat, quod cōmode poteſt.

Quod rursū confirmatur ex vtu Eccle-
ſiæ inuitantis ſtatim ad Baptiſmum omnes,
quos ſatis inſtructos iudicat. Eſt etiam hoc
conſentaneum fragilitati, & periculis huius
vitæ: nam accidere facile poteſt, vt homo ſi
ne hoc remedio decedat, ſi multū differat.
Eſt denique conſentaneum propriæ Chari-
tati, ne homo priuetur maximis ſpirituali-
bus bonis, quæ vel per hoc ſacramentum dā-
tur, vel illud neceſſario ſupponunt.

11 Dico tertio, probabilis eſt præcep-
tum diuinum Baptiſmi non obligare quam
primum quis commode poteſt: obligat ta-
men non ſolum in articulo, & periculo mor-
tis: ſed etiam vt non differatur per multum
tempus abſque rationabili cauſa: quamuis
iure diuino non ſit hoc tempus determina-
tum, niſi vage. Ita Caietanus q. 68. artic. 3.
Martinus Ledefma. 1. p. Quarti q. 9. art. 3.
dub. 1. Cabrera q. 68. art. 3. diſp. vnica ſ. 2.
& 3. Serra art. 3. cōc. 2. Filliutius trac. 2. cap.
6. n. 130. in ſine, & nu. 131. Videturque ex-
preſſa D. Thomæ in 4. diſt. 17. q. 3. art. 1. q.
4. vbi ait. Alio modo obligatur aliquis ad
confeſſionem per ſe: & ſic videtur eadem ra-
tio eſſe de confeſſione, & de Baptiſmo diffe-
rendo, quia vtrumque eſt ſacramentum ne-
ceſſitatis. *Ad Baptiſmum autem percipiendum
nō tenetur aliquis ſtatim poſtquam habet pro-
poſitum Baptiſmi, ita quod peccet mortali-
ter niſi ſtatim baptizetur. Nec eſt aliquod tē-
pus determinatum vltra quod ſi baptiſmum diffe-
rerat, peccatum mortale incurrat.* Sed poteſt
contingere, quod in dilatione Baptiſmi erit
peccatum mortale, vel non erit: & hoc pen-
ſandum eſt ex cauſa dilationis: quia ſicut di-
cit Philoſophus in 8. Phyſicorum textu 15.
voluntas non retardat facere opus voſſitum,
niſi propter aliquam cauſam rationabilem.
Vnde ſi cauſa dilationis Baptiſmi peccatum
mortale annexum habeat, vt pote ſi propter

cōtemptum, vel aliquid huiusmodi Baptiſ-
mum differat, dilatio erit peccatum morta-
le; alias nō. Et ideo idem videtur eſſe de Cō-
feſſione, quæ non eſt maioris neceſſitatis
quam Baptiſmus. Et quia ea, quæ ſunt de ne-
ceſſitate ſalutis tenentur homo in hac vitā
implere; ideo ſi periculum mortis imminet, etiā
per ſe loquendo obligatur aliquis ad Confeſſionem
faciendam tunc, vel Baptiſmum ſuſcipiendum. Et
propter hoc etiam Iacob cap. 5. ſimul præ-
ceptum eſt de Confeſſione faciendā, &
Extremā Vnctione ſuſcipiendā, & c. Iſtis ver-
bis omnes tres partes aſſertionis videtur ſi-
mul docuiſſe D. Thomas: & iterum primā
partem docet, cum poſtea impugnans opi-
nionem aſſertentium, quod tenetur contri-
tus ad ſtatim conſtituendum debita opportu-
nitate oblata ſecundum rectam rationem:
*Sed hoc videtur nimis durum, quia præcepta aſſer-
tūtia non obligant ad ſtatim; ſed ad tempus
determinatum: non quidem ex hoc quod
tunc commode impleri poſſunt; quia ſi ſi-
nō daret aliquis elemoſynam de ſuperfluo
quod deumque pauper offerretur peccaret
mortaliter: quod falſum eſt. Sed ex hoc quod
tempus neceſſitatem urgentem adducit, & c.*

12 Duobus argumētis motus eſt Diuus
Thomas, quæ in verbis relatis proponit. Al-
terū à priori ex natura præcepti affirmatiui,
quod non obligat ad ſtatim moraliter, etiā
opportunitate oblata: vt patet ex præcep-
to dandi elemoſynam de ſuperfluo. Alterū
à paritate, quia eadem videtur ratio de Bap-
tiſmo ſuſcipiendo ab illo, qui eſt in peccato
originali, ac de Confeſſione faciendā ab eo
qui comiſit mortale. Sed iſte non tenetur
ſtatim cōfiteri etiam oblata opportunitate,
iuxta communem, & receptam Theologo-
rum ſententiam: ergo nec infidelis inſtructus
tenetur ex iure diuino ſtatim baptizari.

13 Reſponder Vazquez nu. 56. & 37.
eſſe diſparem rationem: ſiquidē Confeſſio
ſolum in remedium peccatorum inſtituta
eſt: Baptiſmus autem non ſolum pro culpa
originali, & aliarum remiſſione; ſed etiam
in profeſſionem fidei, quam quiſque debet
quam primum recipere: & ideo quamuis
præceptum contritionis iure naturali, &
præceptum diuinum de Confeſſione non
obligent quam primū pro remiſſione mor-
taliū; præceptum Baptiſmi obligat quam
primum vt conſiteantur fidel myſteria, &
hiant membra Chriſti ſuſceptiua aliorum ſa-
cramentorum.

14 Sed contra eſt, quod fides Chriſti ſuſ-
cipitur actibus internis intellectu, & volun-
tatis: & cōfeſſio exterior fit ore: iuxta illud

Apoſtoli ad Rom. 10. *Corde creditur ad iuſti-
tia, ore autē confeſſio fit ad ſalutem.* Qui omnes
actus interni, & externi fieri poſſunt ſine
reali ſuſceptione Baptiſmi; cum deſiderio
illud recipiendi, quando diuinum præceptū
inſtauerit. Sicut ergo, qui conſiteritur, tene-
tur habere propoſitum conſitendi quan-
do Dei, vel Eccleſiæ præceptum inſtauerit;
& tamen nō tenetur ſtatim conſiteri obla-
ta opportunitate; ita nec cathecumenus te-
netur ſtatim baptizari, quia Chriſtus poteſt
in eo habitare per fidem.

Præterea, præceptum perfectæ conuer-
ſionis in Deum per actus fidei, & contriti-
onis, & Charitatis, eſt naturale, ſuppoſita ele-
uatione ad finem ſupernaturalem: vnde nō
mirum quod obliget in primo inſtanti mor-
tali; quo tenetur homo deliberare de ſe in
ordine ad vltimum ſinem totius vitæ, iuxta
ea, quæ diximus tom. 1. Theol. Mor. cap. 12.
q. 3. ſ. 2. Præceptum vero ſuſcipiendi Bap-
tiſmum, eſt diuinum poſitiuum: vnde poſ-
ſunt illa impleri; quamuis hoc non exaret;
ac perconſequentis ex eo quod illa obliget
pro primo inſtanti; non ſequitur pro tunc
determinatè hoc præceptum inſtare.

15 Confirmat conſiſionem D. Tho-
mæ Caietanus ex geſſis Sanctorum. Nam
Sanctus Martinus octo annis Cathecumenus
fuit. S. Ambroſius longo quoque tempore
cathecumenus annumeratus videtur; vt con-
ſtat ex Theodoro lib. 4. cap. 6. & ex Baro-
nio tomo 4. anno Chriſti 374. n. 7. & ipſe So-
to art. 3. ſ. Ad aliud ſtatetur in primitiua Ec-
cleſia Baptiſmum apud illos Sanctos in tan-
ta fuiſſe habitum veneratione, vt pro ſingu-
lari humilitate, & reuerentia ducerent tau-
ro ſacramento non antea inſtari, quam om-
ni virtutum genere eſſent proceſſi. De quo
videatur S. Thomas artic. 3. in corpore. Er-
hæc illis temporibus erat Eccleſiæ conſuetu-
do: & mirum eſt totam Eccleſiam in re tan-
ti momenti laborare ignorantia inuincibili.

16 Verum eſt quod hæc dilatio Bap-
tiſmi percrebuit, & verſa eſt in abuſum. Vnde
Baronius tomo 4. anno Chriſti 377. n. 14. lo-
quens de S. Ambroſio, ait. *In eo quoque multū
fuit, vt prauam illam conſuetudinem, quæ tam
in Occidente, quam etiam in Oriente vſque ad
prouentiorē aetatem Baptiſmum differrent; pe-
nitentis vt malum germinis ex agro domini-
co euelleret; & quod ſe feciſſe doluit, ab alijs ne in poſterū
fieret, vehementer admonuit. Præſtiterunt que hoc
ipſum apud Orientales Baſilius, atque Gregorius
Nazianzenus, necnon Gregorius Niſſenus, vt
ipſorum de Baptiſmo editæ orationes ſignificant.*
Hæc

Hæc Cardinalis. Quæ verificantur, quia dilatio nimia non poterat esse sine peccato mortali: & propter quotidiana pericula vitæ caducæ, & mortalis, cum magno, & irreparabili periculo damnationis. Vnde Sanctus Thomas hic art. 3. ad 3. & in 4. dist. 4. q. 3. art. 1. q. 2. ad 2. ait, quod in Baptismo conferatur gratia ad bene viuendum, & peccata tolluntur præterita, & impediuntur futura: & ideo quod quis Baptismus in fine vitæ suscipiat, plura peccata præterita tolleret, & tamē pauciora impediret, & ad pauciora bona promoveret: & ideo minus esset periculis. Præterea, multis casibus subiacet humana vita, & posset contingere, ut qui Baptismus in fine accipere expectaret, morte subita præueniens, expectatione sua fraudaretur. Hæc D. Thomas.

17 Quo sensu alios Patres intelligēdos, constat ex verbis S. Ioannis Chrysostomi, qui hom. 1. in Acta Apostolorum circa finem ait. Nec tempus expectemus, ne quando fiat, ut dum cunctamur, & recrasinamus, discedamus hinc inanes, vacuique tantis bonis. Et hom. 13. ad Hebræos in expos. morali, relatus can. Quando quis. Dist. 4. dicit. Multos noui, qui hoc passis sunt, qui spe Baptismatis multa peccabant, circa diem autem mortis discesserunt vacui. Ex quo euidenter inferitur de mente Patrum peccatum esse mortale Baptismum differre vltimè ad mortem, vel per multum tempus recrasinare, cum quo tamen stat, quod non obliget statim, nec quam primum, ut in simili de præcepto contritionis, & Confessionis iam communiter admittitur.

18 Deinde S. Leo Papa epist. 4. cap. 3. relatus cap. Duo tempora, de Consecrat. dist. 4. dicit, quod duo tempora, id est, Pascha, & Pentecoste ad baptizandum à Romano Pontifice legitime præfixa sunt. Quod mandatum dicit S. Thomas art. 3. ad 1. intelligendum de adultis, à quo præcepto excipiebantur, qui erant in periculo mortis. Et tamē ante illa duo tempora multi aduerti poterant esse satis in fide instructi: ergo intelligebat Ecclesia non obligare præceptum ut quam primum baptizarentur. Quod specialiter videtur stante decreto Concilij Elbertini canone 42. statuētis ut cathecumeni ad Baptismi susceptionem non admittantur ante biennium, nisi propter periculum mortis. Cum ante illud tempus sufficenter possent instrui in rebus fidei. Nec posset idem Concilium can. 68. præcipere cathecumena, quæ filium ex adulterio susceptum necauerat, ut in tanti criminis poenam Baptismum vltimè ad finem vitæ non susciperet. Quia id esset contra ius diuinum, quod non poterat violare Concilium. Quæ argumenta, si bene expendantur, diluant proposita

pro præcedente conclusione.

§. III.

Qualiter Ecclesia diuinum præceptum potuerit determinare?

19 Ex dictis nascitur hæc difficultas. Cui respondet Suarez disp. 3. sect. 2. §. Nihilominus, quod potest Ecclesia interpretari diuinum ius, non vero illud determinare speciali præcepto. Probat ex illo 1. ad Corint. 5. De his, quæ foris sunt, nihil ad nos. Ex quo colligunt omnes Doctores, Ecclesiam non habere iurisdictionem in eos, qui non sunt membra Ecclesiæ visibiles, qualis à Christo est instituta, cuiusmodi membra solum sunt homines baptizati. Vnde Concilium Trident. sess. 14. cap. 4. inquit. Ecclesia in neminem iudicium exercet, qui non prius in ipsam per Baptismum annuam fuerit ingressus. Eadem est autem ratio de præcepto, ac de iudicio, quia non minus iurisdictionem requirit vnum, quam aliud. Nec potest Ecclesia cogere cathecumenum ut baptizetur, nec punire nisi irafaciat. Nec vnquam fuit tale præceptum: quia si non est potestas, nec actus esse potest. Denique, neque fuit necessarium: nam cum præceptum Baptismi obliget statim habita opportunitate, secum affert determinationem suam: ergo nulla indiget determinatione per Ecclesiæ præceptum, sed sola sufficiente interpretatione, & declaratione iuris diuini. Idem sequuntur Coninch art. 3. dub. unico conc. 2. à nu. 4. Layman lib. 3. trac. 2. cap. 6. q. 4. Castrus Palaus trac. 19. puncto 8. num. 7. Aucusta lec. 4. Vazquez disp. 150. cap. 2. dicens Ecclesiam tempus huius præcepti neque diffinire, neque interpretari: vnquam hoc modo potuisset. Ex parte cathecumenorum, bene tamen ex parte ministrorum determinasse Ecclesiæ tempus conferendi Baptismum. Licet impugnet rationem Suarez: quia determinatio diuini præcepti, non est impositio noui præcepti, sed est efficere ut diuinum, quod à Deo non erat determinatum, seruetur eodem modo quo ipsa determinat: sicut Tridentinum sess. 14. cap. 5. circa finem, supponit præceptum de Confessione esse à Deo, à quo habet Ecclesia auctoritatem tempus determinandi. Sed vera ratio est, quia tempus huius obligationis ex se definitum est, & ideo non potest Ecclesia illud aliter diffinire, aut interpretari. Quod & tenent Gaspar Hurtado disput. 1. diffic. 17. Ochagavia q. 15. & alij, quos refert, & sequitur Diana parte 3. tract. 2. resol. 2.

Dico

20 Dico quarto, Ecclesia potest determinare tempus conferendi, & suscipiendi Baptismum: licet determinationes antiquæ iam fere non sint in vsu. Priorem partem docent Caiet. in fine art. 3. Late Soto dist. 5. artic. 3. §. Hactenus de iure diuino. Ledesma 1. p. 4. q. 9. ar. 3. dub. 1. Nuño art. 3. diffic. vnicæ conc. 4. Serra ibi conc. 3. Petrus Ledesma tract. 2. cap. 17. conc. 9. Cabrera art. 3. à nu. 3. ad 6. Valentia, Hérizquez, & Bonacina, quos refert, & sequitur Leander tract. 2. disp. 1. q. 15. diceas communem. Probant, quia hoc videtur supponere decretum S. Leonis Papæ relatum cap. Duo tempora. De Consecrat. dist. 4. Secundo, quia Christus commisit Ecclesiæ Sacramentorum dispensationem, & aliorum diuinorum præceptorum determinationem, ut patet in præcepto Confessionis. Tertio, quia multa Concilia Prouincialia de facto determinant tempus, intra quod infantes baptizentur; ergo & posset determinare tempus Baptismi adultorum.

21 Præterea id constat ex D. Thoma hic art. 3. diciente. Peccat autem, si ultra tempus institutum ab Ecclesia, differat accipere Baptismum, nisi ex causa necessaria, & licentia Prælatorum Ecclesiæ. Et in 4. dist. 17. q. 3. art. 1. q. 1. id explicans ait. Aliquis per hoc, quod Baptismum petit, se ministris Ecclesiæ subijcit, ad quos pertinet dispensatio Sacramenti.

22 Adijcit Soto ad idem intentum duo alia exempla, §. Ad primum, dum ita scribit. Veluti si quis cuius teneretur fieri alicuius Reipublicæ, statuumdum esset illi tempus, quo tandem itus illud perfoluere stringeretur. Quin vero ex pacto, quod petentes Baptismum cum Ecclesia inveniunt, iure ipso naturæ, & gentium perstringuntur statim tempore Ecclesiæ sacramentum suscipere; nisi iudicio eiusdem Ecclesiæ tempus illud præuenire, vel dilatare expedierit. Sicut in Religionibus dum quis habitum induit, tenetur præfinito tempore solennæ votum emittere, nisi legitima aliqua causa obstituerit. Qui enim baptizari postulabant, ut de Consecratione Dist. 4. cap. Baptizandi 2. patet, dabant nomina sua, quæ Presbyter scripto suscipiebat; quo quidem chirographo Ecclesie suam fidem adstringebant, ut sacramentum tempore sibi statuto susciperent. Hæc Soto.

23 Cui occurrit Vazquez cap. 2. in fine dicens hoc probandum non esse: Tum, quia postulantes Baptismum, & hæc ratione nomina sua dantes, neque Ecclesiæ aliquid promittunt; neque eo ipso iurisdictioni illi subijcti manent. Tum etiam, quia susceptio

habitus in Religionem, neminem obligat ad professionem solennem; sed post illam liberè ad sæculum redire potest: ergo cogi non potest determinato tempore profiteri.

24 Sed contra arguitur primo ad hominem: nam ipse Vazquez cap. 3. per totum probat Ecclesiam tempus obligationis conferendi Baptismum ex parte ministrorum determinasse; ergo etiam suo modo determinauit ex parte baptizandorum. Probatur consequentia: Tum, quia correlatiua sunt baptizans, & baptizandus: & ita dispositum in vno, saltem mediata, ceterum dispositum in alio. Tum, quia ut num. 3. dicebamus, frustra esset iurisdictionis, & præceptum in ministris, ut conferrent, si nulla esset obligatio in subditis ut obedirent. Tum, quia Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. colligit in statutam esse à Christo, & præceptam integram peccatorum confessionem, eo quod Sacerdotibus dedit potestatem ea absoluedi; & iudicium exerceri nequit sine causæ cognitione. Cum ergo Baptismus baptizandis debeat ministrari, bene colligitur Ecclesiam determinare tempus impetrationis ex parte cathecumenorum, eo ipso, quod determinauit ex parte ministrorum.

25 Præterea factum est, & voluntariè dictum, quod nomina dantes, ut baptizentur, non se subijciunt iurisdictioni Ecclesiæ: Tum, quia oppositum expresse docet Diuus Thomas. Tum, quia quis in sua libertate habet se huic, vel illi subijcere. Tum tertio, quia ut ad intentum notat Serra, sicut iudex arbiter voluntariè eligitur: & tamen habet potestatem in eos, qui se illi subijcerunt, iudicium exercendi, eisque præcipiendi, quæ necessaria sunt: ita Ecclesia in cathecumeno habet potestatem præcipiendi ut certo tempore baptizentur: sicut præcipit quod seruent ritus, & ceremonias ab Ecclesia pro eis instituta. Dato tamen, quod retrocedat, desinit petere Baptismum, & se Ecclesiæ subijcere: & ideo cogi non potest.

26 Denique nouitius desiderans Religionem sine causa, est leuis, & inconstans, & ad minus venialiter peccat, ut diximus capite 3. Theol. Moral. q. 7. nu. 42. & 44. Præterquam quod, qui votum non fecit, perseverandi in Religionem, nullo præcepto obligante sub mortali tenetur profiteri; sed si veit profiteri, tenetur complere annum nouitias, & alias determinationes Religionis: & hoc sufficit ad intentum: Cum præceptum Baptismi orbem obliget vniuersum. Quo circa (inquit Soto) sicut Ecclesia Christianis tem

pus

pus Sacramenti Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. Iure præscripsit, potuit, & cunctis notitiam habentibus Baptismi tēpora præfigere, quibus opportune ipsum, ad quem iure diuino tenentur, suscipiant: quod ideo tempus iure ipso diuino obseruare tenentur. Per quæ soluta manent argumenta contraria, quia per hoc Ecclesia non iudicat eos, qui foris sunt; sed eos qui se illi voluntariè subiiciunt: Nec ipsa nouum imponit præceptum, sed determinat circumstantias diuini mandati. Falsū etiam dicimus præceptum iure diuino obligare quam primum: & ideo locum habet de terminatio Ecclesiæ.

27 Videndum autem restat, quænam sit hæc determinatio de facto? Soto ar. 3. §. De huiusmodi, & Petrus Ledesma tract. 2. cap. 7. conc. 9. dicunt, quod illa tempora nō sic instituebantur, vt alijs anni temporibus omnino esset à Baptismo supersedendum, sed solum erant instituta pro solemnibus celebratione Baptismi, quæ fiebat cū Litanijs, & alijs solemnibus cæremonijs. Vnde quod illic reprehenditur, ne alijs temporibus fiat Baptisma, solum in illos dirigitur, qui contendeant, in festo Natiuitatis, & Epiphaniæ eandem Baptismi cœlebritatem faciendam, quæ in Paschate fiebat, & Pentecoste.

28 Cæterum, quia verba Summorum Pontificum, & multorum aliorum Patrum, quæ sigillatim referuntur in Summa Raynerij, verbo *Baptismus* cap. 8. §. 2. & 3. & 4. & in Additionibus Nicolai ibidem, & apud Vazquez cap. 3. disp. 150. solum excipiunt casum necessitatis ab obligatione baptizandi illis temporibus: ideo tenendum est eum communi sententia iure antiquo præceptum esse vt nullus solemnibus Baptismus fieret nisi in Vigilia Paschatis, & Pentecostes. Imò S. Thomas in 4. dist. 6. q. 2. art. 1. q. 2. ad 4. dicit determinatū ab Ecclesia, potius diem Sabbati quam alium: quod exornat verbis Amalarij Fortunati, Ivonis Carnotensis, S. Ioannis Chrysostomi, S. Augustini, & S. Gregorij Magni, & Papæ Deus dedit M. Ioannes Nicolai, verbo *Baptismus* capite 8. §. 6. Vbi & concludit, quod nunc vltus ille delicti obseruari. Præsertim, quia pauci adulti baptizantur, & pueri propter infirmitatem vt plurimū, vel periculum, quod in omnibus timeri potest, vix tempus illud vtriusque Sabbati possunt expectare, vel hora nona commode baptizari. Videatur Rupertus lib. 4. de diuinis officijs capite 18.

29 Adijcit Vazquez cap. 4. in fine, quod

Romæ ad hæc vsque tempora mēs ille per teuerat baptizandi aliquem numerum auctororum quotannis in Sabbatho Sancto. An vero (inquit) extra illud tempus aliqui alij adulti baptizentur? Mihi incertum est. Sed Auerfa, diu in Romana Curia versatus, vt potè sœpissimè Generalis Præpositus Clericorum Regularium Minorum q. 68. sectione 4. in fine, dicit notum, & compertum esse sœpius baptizari.

30 Soto etiam dist. 3. art. 10. & dist. 5. art. 3. ad 2. ait, quod si in nouo Orbe, vel alibi, vbi fides nunc primo diuulgaretur, ritus ille duorum temporum obseruaretur, qui profecto meritisimo esset obseruandus, eodem lex rigorem obtineret, vt eorum transgressio peccatum esset mortale.

§. IV.

De præcepto baptizandi paruulos.

31 **C**VM loquendo de Baptismo adultorum seorsum explicauerimus necessitatem medijs, & necessitatem præcepti, loquendo de paruulis notat Vazquez disp. 149. cap. 3. nu. 30. quod necessitas medijs pro paruulis ortum nō habuit ex aliqua necessitate præcepti, neque inde oriri potuit, quia præcepti capaces non sunt, sed ex sola institutione Sacramenti cessante alio remedio. Ex quo etiam fit vt ea non inceperit pro paruulis, nisi statim post mortem Christi; non quia ex eo tempore præceptum illius inceperit, siquidem pro paruulis nunquam coepit, sed quia in ipsa Christi passione omne aliud remedium cessauit, eo ipso, quod vtilitas antiquæ legis extincta est. Igitur iuxta communem Doctorum sententiā, præceptum diuinum de Baptismo per se, & directè non obligat paruulos ante vsum rationis, quia pro ea ætate non sunt capaces præcepti.

32 Sed est difficultas, quo iure, aut quo præcepto parentes obligentur suos filios baptizare?

Respondet Soto dist. 5. art. 3. §. Vnde vt à prima conclusio, quod mandat ipsum Baptismi adiuncto iure naturæ, quo vnusquisque suos liberos, & eos quos sub cura sua alit, educare, instituereque tenentur, & in viam salutis dirigere, vniuersos mortales constringit vt eosdem, qui sub sua tutela degunt, illo sacramento intingant, sine quo salus esse non potest. Sequuntur Nuño art. 8. dub. 3. Et Cabrera art. 2. disp. 3. n. 12. Valentia

tia q. 3. puncto 4. conc. 3. Granado tractatu 4. disp. 4. num. 4. quia adulti tenentur diuino præcepto: maior autem est necessitas in paruulis, qui voto non possunt suplere defectum Baptismi: & cum illi non sint obligationis capaces, præceptum hoc obligauit eos, quibus puerorum cura demandata est.

33 Suarez tamen disp. 25. sec. 2. §. Deinde addendum, ait extra casum necessitatis nullum extare diuinum præceptum, quod obliget ad baptizandos hos infantes filios Christianorum ante vsum rationis. Neque enim Scriptura, vel traditio ostendi potest de hac re positiuum præceptum: neque etiam est naturale, quod ex alijs principijs fidei necessario sequatur: quia nō omne conueniens est simpliciter necessarium: & in periculo mortis facile potest ministrari. Idem sequuntur Cætrus Palaus tract. 19. puncto 8. num. 4. & Serra q. 68. art. 3. conc. 1. probans ex D. Thoma art. 3. & in 4. dist. 4. q. 3. art. 1. q. 2. vbi solum ait. *Magis laudabile est, quod pueri, quàm citius poterint, baptizentur commode, non expectata perfecta ætate.* Nullibi dicit diu differre esse peccatum mortale contra ius diuinum. Est tamen contra præceptum Ecclesiasticæ consuetudine introductum.

34 Adijcit Serra in 3. parte conclusionis. An vero hæc consuetudo sit totius Ecclesiæ? Mihi non constat: sed si verum est, quod sancta Iparit, Ludouicum Tertium decimum Galliarum Regem morti proximū præcepit baptizari Delfinum filium suum succellorem, qui tunc iam septem, vel octo annos compleuerat; suspicor in Gallia talē consuetudinem non extare, propter quod dixi in conuentione, vbi est consuetudo. Hæc ille. Quidquid sit de hoc, secūda sententiā probabilior videtur.

35 Sed rursus inquiritur, rebus vt nūc; quantum potest differri Baptismus paruulorum absque parentum peccato?

Respondet Bartholomæus Ledesma diff. 14. col. 163. quod non tenentur parentes baptizare puerum primo, aut secundo die suæ natiuitatis: poterunt namque, cum mortis periculum non imminet, si eis libuerit, differre Baptismum in diem octauum: imo vsque ad decimum, vel duodecimum. Et quamuis M. Soto dicat, quod qui vltra differunt, mortaliter peccant. *Mihi tamē melius esse videtur relinquere arbitrio prudentis viri, vt ipse omnibus consideratis, iudicet, an qui filium baptizare distulit, mortaliter peccauerit, an minime.* Idem tenent Ochagua q. 13. & Suarez disp. 25. sect. 2. §. Sed quæ

res tandem, in fine ait: Post perfectam vero natiuitatem corporalem, non potest certior regula assignari, quā vt Baptismus non nimium differatur sine causa contra Ecclesiæ consuetudinem: Quæ vero posset esse dilatio, & quando sit nimis centenda, prudētis arbitrio relinquendum est: Sequitur Cabrera q. 68. ar. 3. num. 1. & Vazquez disp. 154. cap. 1. in fine ait. *Tempus tamen huius obligationis definire; prudentis est: neque enim, aut scripta lege, aut consuetudine definite assignatum habemus.* Cauendum est tamen ne nimium sine vrgenti aliquā causa differatur. Hæc Vazquez. Similiter Cætrus Palaus tract. 19. puncto 8. nu. 4. dicens. *Crederē autem seculi graui causa vltra mentem à natiuitate diuturnam esse dilationem: quia est dilatio contra communem praxim, & periculo scandali satis exposita.* Stante vero causa graui, qualis forte est vt Baptismus cū maiori solemnitate fiat, permitti potest dilatio vsque ad mēsem vnum, sed non duos: adhibita tamen speciali diligentia; ne paruulo periculum contingat decendi sine Baptismo. Sic Suarez, & Henriquez lib. 2. capite 4. num. 3. Coninch q. 68. ar. 3. Layman libro 5. tract. 2. cap. 6. q. 4. conc. 2. Hæc ille. Et Bonacina in vlt. editione q. 2. de Baptismo punct. 2. nu. 6. in fine ait. *Imo nonnulli Doctores absolute docent Baptismū differri potest, dum rationabilis causa subest, nec imminet mortis periculum.* Dixerat tamen, quod in Concilio Mediolanensi primo parte secunda, folio 34. iure optimo constituta est pena excommunicationis contra eos, qui non curant baptizare infantem ante nonū diem.

36 Soto tamen illo art. 3. §. Vnde vt prima, ait. *Cum puer statim baptizari iubetur, non intelligitur eadem natiuitatis die, aut tertia, aut quarta; sed quando commode potest in Ecclesiam asportari; & mergi: quod est octauo, vt mortis est, aut decimo, aut duodecimo die.* Trium namque, quatuorve dierum dilatio delictum non affert. Verum tamen diutius id procrastinando, peccatum committerent, idemque mortale. Nam esset sine causa diutius obligationem rei sacræ proelare. Hæc Soto. Sequuntur Petrus Ledesma tract. 2. de Baptismo capite 7. conc. vlt. Henriquez, Bonacina, Diana, & Naldus, quos refert, & sequitur Leander dicens *communē* tract. 2. disp. 1. q. 14. Trulench lib. 2. cap. 1. dub. 2. num. 5. Granados tract. 4. disp. 4. num. 2. citans Valentiam. Serra art. 3. conc. 1. in fine addens, quod cum Soto inquit, *trium, quatuorve dierum dilatio delictum*

Lectum non affert: hoc intelligendum est, nisi forte lege aliqua præcipiatur, maxime sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, consuetudinem octo, vel duodecim dierum strictè obseruari, & ultra hos dies Baptismum paruulorum non differri. Hæc sententiæ, hoc modo explicata videtur probabilior. Quamuis non video cur illa, quæ secluso præcepto positio humano, hoc determinandū relinquat prudentum arbitrio, debeat improbabilis iudicari.

DVBMIV IV:

Vtrum peccatores sint baptizandi?

§. I.

Expositio articuli quarti.

IN primitiua Ecclesia plures hæretici Iasserant, cuiusque credenti ministrandum esse Baptismum, etiam si animam haberet in peccatis obstinatum: vel quia volebant Baptismum præcedere debere, vt dispositionem, quia prius admittendi sunt discipuli in scholam, quam mores eiusdem doceantur. Vel quia dicerent solam fidem cum Baptismo necessariam esse ad salutem. Contra quos S. Augustinus scripsit librum de fide, & operibus. Et S. Chrysostomus hom. 21. ad populum. Et Soto dist. 5. artic. 4. merito dicit, quod quæ hæc commentabantur, absurdissimam hæresim sustinebant: nihil enim in rebus tantam contrarietatem involuens reperiri potest, quam quod infinita Dei bonitas eos, qui actu peccant, in suam amicitiam admittat.

2 Igitur D. Thomas art. 4. vt clarè respondeat, distinguit, quod aliquis potest dici peccator dupliciter. Vno modo propter maculam, & reatum præteritum. Et sic peccatoribus est sacramentum Baptismi conferendum: quia est ad hoc specialiter institutum, vt per ipsum peccatorum fordes mundentur: secundum illud ad Ephes. 5. *Mundas eam* (scilicet Ecclesiam) *lauacro aquæ in verbo vitæ.* Et Zachariæ 13. dicitur. *In die illa erit fons patens Domui Dauid, & habitabit Hierusalem, in ablutionem peccatoris, & menstruatæ.* Quod dicit S. Thomas ad 1. intelligendū de peccatoribus, qui habent voluntatem recedendi à peccato. Et de hoc nulli vnquam exitit controuersia; ideo Baptismus numeratur inter sacramenta mortuorum; quia confertur his,

qui sunt mortui per peccatum originale, & peccata actualia.

3 Alio modo potest dici aliquis peccator ex voluntate peccandi, & proposito persistendi in peccato. Et sic peccatoribus non est Sacramentum Baptismi conferendum. Primo quidem, quia per Baptismum homines Christo incorporantur: secundum illud ad Gal. 3. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Quandiu autem aliquis habet voluntatem peccandi, non potest esse Christo coniunctus: secundum illud 2. ad Corinth. 6. *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate?* Vnde, & Augustinus dicit in libro de medicina pœnit. cap. 1. quod nullus suæ voluntatis arbiter constitutus potest nouam vitam inchoare, nisi eum veteris vitæ pœnitent.

4 Secundo, quia in operibus Christi, & Ecclesiæ nihil debet fieri frustra. Frustra autem est, quod non pertingit ad finem ad quod est ordinatum. Nullus autem habens voluntatem peccandi, simul potest à peccato mundari; ad quod ordinatur Baptismus: quia hoc esset ponere contradictoria esse simul: esse immundum per peccatum, & esse mundum per gratiam à peccato mundantem.

Tertio, quia in Sacramentalibus signis non debet esse aliqua falsitas. Est autem signum falsum, cui res significata non respondet. Ex hoc autem, quod aliquis lauandum se præbet per Baptismum, significatur, quod se disponat ad interiorum abluionem. Quod non contingit de eo, qui habet propositum persistendi in peccato. Vnde manifestum est, quod talibus sacramentum Baptismi non est conferendum.

5 Quod etiam constat ex illo Actorum 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum.* Et cap. 3. *Pœnitentiam, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.* Quasi sine pœnitentia nemini sit Baptismus applicandus, vt ponderat S. Augustinus ad Salactitanum relictus can. *Agite. De Consecratione.* Dist. Apostolus etiam ad Rom. 6. ait. *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruat corpus peccati, vt ultra non seruiamus peccato:* Et loquitur de conspultis Christo per Baptismum. Et Petri 3. *Saluos nos facit Baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientia bonæ interrogatio in Deum.* Et ipse Saluator, & Dominus noster Iesus Christus vniversaliter dixit Mathæi 7. *Nolite sanctum dare canibus.* Et cap. 9. *Nemo mittit vinum nouum in vases veteres.* Et olim Hierem. cap. 4. *Non uate vobis nouale, & nolite serere super spinas.* Quare obligatio pœnitendi ante Baptismum ad

§. II.

Vtrum peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria?

Consequenter ad dicta conlurgit hæc difficultas, de qua S. Thomas artic. 5: qui non loquitur de baptizandis, sed de recentibus baptizatis: & est sermo de operibus satisfactorijs formaliter in quantum sua pœnalitate recompensant; & satisfaciunt pro pœna, quæ debetur pro culpis præteritis.

10 Responso est negatiua: Quam probat: nam sicut Apostolus dicit ad Rom. 6: *Quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus: conspulti enim sumus ei per Baptismum in mortem:* ita scilicet, quod homo per Baptismum incorporatur ipsi morti Christi. Manifestum est autem quod mors Christi satisfactoria fuit sufficienter pro peccatis; non solum nostris, sed etiam totius mundi; vt dicitur. 1. Ioan. 2. & ideo ei, qui baptizatur, pro quibuscumque peccatis non est aliqua satisfactio iniungenda: hoc enim esset iniuriam facere passioni; & morti Christi, quasi ipsa non esset sufficiens ad plenariam satisfactionem pro peccatis baptizatorum.

11 Cum conclusio sit Theologis indubitata; in ratione D. Thomæ aliqui difficultatem inueniunt; quam iam obiecerat Soto. In primis, quia quemadmodum in Baptismo, ita & in sacramento pœnitentiæ commorimur passioni Christi: quia omnia sacramenta virtutem habent a passione Christi, iuxta D. Thomam q. 62. art. 5: Sed in sacramento pœnitentiæ imponuntur opera satisfactoria: ergo & in sacramento Baptismi sunt imponenda. Secundo, quamuis passio Christi sit infinita meritoria, & satisfactoria; nihilominus quoad efficaciam non operatur, nisi quatenus applicatur: & ideo per sacramenta confert Deus certos gradus gratiæ: ergo & in Baptismo applicatur certus gradus: atque adeo pro reliquis debitis iniungenda est alia satisfactio. Tertio arguitur: nam ratio hæc videtur fauere errori Lutherano: de iustitia imputata: dicunt enim sanctitatem Christi patientis in Cruce sic nobis imputari ac si nos ipsi pateremur: ac proinde illi iniuriam facere, qui aliam exigunt à nobis pro peccatis satisfactionem: quod totum hæc ratio assumit.

12 Propter hæc, Suárez in commentario art. 5. ait, quod ratio D. Thomæ non videtur conuincere: quia licet satisfactio Christi

ad dignam, & salutarem eius susceptionem, est certa secundum fidem, diffinita in Concilio Cartag. 4. cap. 85. & Aquilgran. 1. cap. 114. & in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 6. de iustificatione, vbi dicitur peccatores disponi per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.

6 Licet autem Baptismus collatus habenti voluntatem peccandi cum intentione Ecclesiæ, sit validus, vt docet D. Thomas ad 3. quia habet omnia essentialia; & characterem imprimi. Tamen bene notat Soto in fine articuli 4. vtrumque mortaliter peccare; & sacrilegium committere, scilicet tam eum, qui cum voluntate peccandi accedit ad Baptismum (imò ad quodcumque suscipiendum sacramentum) quam eum qui sciens taliter quempiam accedere; illi confert. Est enim sacramenti contrauiatio, quando quidem contra eius finem, & suscipitur, & confertur. Falsis quidem cuiuscumque sacramenti est gratiam conferre; vel augete.

7 Notat autem Caietanus art. 4. hoc intelligi de peccato mortali: existentibus enim cum voluntate peccandi venialiter potest Baptismus dari, monendo ipsos; quod nisi voluntatem muerit, gratiam quidem filiorum Dei recipiunt; sed non secundum plenitudinem baptismalem; & ideo eos deinde arbitrio relinquere; vt ipsi viderint: Quod & docuit S. Thomas q. 69. art. 3. ad 3. dicens; *quod cum homo peccato vult inhaerere, si ad Baptismum accedit, factus accedit: quod est inderote accedente. Sed hoc intelligendum est de peccato mortali; quod gratia contrariatur, non autem de peccato veniali.* Et in 4. dist. 4. q. 2. art. 1. q. 1. in fine ad pœnitentiam ait: *Quamuis quandoque culpa venialis remaneat post Baptismum, mortali reuerentia, propter in dispositionem recipientis Baptismi.*

8 Adiecit Cabrera art. 4. nu. 2. quod qui esset affectus peccatis venialibus, forsitan peccaret venialiter suscipiendo Baptismum cum tali affectu: eo quod illa dispositio est impedimento plenarij effectus, quem Baptismus in non ponente obicem efficere potest: siquidem remittit omnem culpam, & pœnam: & in tali casu non remitteret illas culpas veniales. Minister tamen Ecclesiæ tenetur sic pœnitenti ministrare Baptismum, quia non obstante hac indispositione secundum quid impeditiua extensionis effectus Baptismi, habet simpliciter ius ad petendum Baptismum: est enim simpliciter dispositus; & secundum quid indispositus.

fit in se sufficientissima, tamen ex defectu hominis potest ei non plene applicari: ergo nulla fieret iniuria morti Christi, si ob hanc causam; seu ob timorem alicuius impedimenti ex parte baptizati, ei satisfactoria opera imponantur. Itaque (inquit) propria ratio huius veritatis petenda est ex effectibus huius sacramenti: nam quia vnus effectus illius est, vt non solum remittat culpam; sed etiam omnem poenam, si non inueniat obicem: ideo per se loquendo nulla est homini baptizato necessaria satisfactio pro peccatis ante Baptismum commissis: quia satisfactio solum habet locum, vbi aliquis reatus poenae relinquatur. Hic vero effectus Baptismi primariam originem ducti ex morte Christi, quantum ad sufficientiam; quantum ad efficaciam vero manat ex institutione eiusdem Christi, qua voluit suam satisfactionem per hoc instrumentum plene, & perfecte applicari, & hanc institutionem colligit Diuus Thomas ex significatione ipsius Baptismi. Et sic tandem admittit rationem D. Thomae vt rationem, qua explicatur hoc esse consentaneum.

13 Ceterum Soto dist. 3. art. 3. Nuño, & Cabrera hic omnino agnoscunt rationem D. Thomae efficacem. Imo Vazquez art. 5. n. 2. ait. Si rationem S. Thomae poenitentiae consideremus, non modo efficax, sed valde exacta nobis videtur: ea enim non solum ostendit vt cumque in Baptismo totam culpam, & poenam remitti; imper; ac proinde nulla opera satisfactoria sine initiis sacramenti baptizato imponi posse. Sed etiam ex ipsa institutione, & significatione sacramenti eleganter deducit, Baptismum hanc virtutem habere, vt totam culpam, & poenam peccatorum remittat, eo quod per illum quasi cum Christo moriamur, & sepeliatur: hoc est, denotamus in nobis mortem Christi, vt quæ admodum ille mortuus fuit vite temporali, & nos peccatis moriamur, & morti illius omnino assimilemur: ac proinde sicut mors illius plene pro peccato ex se satisfecit; ita etiam, & sacramentum mortis Christi plene in nobis peccata extinguit, & pro illis in eo Christus satisfaciat, hoc est, plene in eo nobis suam satisfactionem applicet. Ex quo etiam fit, vt qui opera satisfactoria baptizato imponeret; aut si ipse etiam sponte ea ad satisfaciendum assumeret, iniuriam aliquam faceret satisfactioni mortis Christi, nempe quod denotaret, quamuis plene nobis in figura illius applicetur, nihilominus non omnem delere poenam peccati. Hæc ibi.

14 Imò ab ipso D. Thoma inuenio argumentum solutum: cum enim eadem rationem proposuisset ad Romanos: i. lec. 4. ad illa verba: *Sine poenitentia enim sunt dona, & vocatio Dei: contra eam obijcit dicens. Sed cum clauis Ecclesie, & omnia alia sacramenta in virtute passionis Christi operentur; videtur quod pari ratione omnia alia sacramenta liberent hominem a culpa, & à tota poena.* Huic argumento respondet immediate. *Sed dicendum est, quod passio Christi operatur in Baptismo per modum cuiusdam generationis, quæ requirit vt homo totaliter priori vitæ moriatur, ad hoc quod nouam vitam accipiat. Et ideo relinquitur in Baptismo totus reatus poenae, qui pertinet ad veritatem prioris vite. Sed in alijs sacramentis operatur virtus passionis Christi per modum sanationis, vt in Poenitentia. Sanatio autem non requirit vt statim omnis infirmitatis reliqua auferantur. Et eadem ratio est in alijs sacramentis.* Hac de causa ipse D. Thomas p. q. 69. art. 2. ait, quod non in baptizato communitur passio Christi ad remedium, ac si ipse passus, & mortuus esset: & ideo liberatur a reatu totius poenae: sed hoc deduxerat ex eo quod per Baptismum incorporatur passio Christi, & morti Christi. Et q. 49. art. 3. ad 2. ex eo quod configuratur Christo in Baptismo sacramentaliter, secundum illud ad Rom. 6. *Conscripti sumus ei per Baptismum in mortem*: inserit eandem conclusionem dicens. *Vnde baptizatis nulla poena satisfactoria imponitur: quia sunt totaliter liberati per satisfactionem Christi.* Per quæ de facili argumenta soluantur.

15 In particulari ad primum respondet Nuño, in presenti, incorporari, accipi maxime cum rigore, prout solum conuenit Baptismo: in quo quantum ad efficaciam operatur mors Christi, ita quod à nulla causa particulari limitetur: quia est generatio, in qua non operatur genitum, sed solum generans. Ideoque ad gratiam remissionem totius culpæ, & poenae, non requiritur aliud quàm quod non ponatur obex ex parte nostra, quia Christus plene satisfecit. At vero ad hoc quod conferatur maior gratia, quam requisita ad generationem spiritualem, requiritur dispositio, & iuxta eam datur maior, vel minor.

16 Pariter respondet Soto ad 1. negando per sacramentum poenitentiae, aut quod vis aliud præter Baptismum, commori nos Christo, quia licet omnia habeant virtutem ex eius passione; solum in sacramento generationis, in quo totum veterem hominem deponimus, & in nouam vitam tamquam membra Christi regeneramur, omnis culpa,

pæ, & poenæ dimittitur: quod non fit in vilo alio sacramento. Ex quo patet ad 2. quod in Baptismo certus gradus gratiæ confertur: sed quoad remissionem, satisfactio Christi reputatur plenaria nostra; quia est regeneratio. At vero poenitentia, cum sit medicina contra actualia, est instituta vt in illa satisfactio Christi non applicetur nisi secundum proportionem actus, quo resurgimus. Et ideo ab ipsis, qui illic sunt iudices, imponuntur nobis satisfactiones per poenas.

17 Ad tertium pariter ibi bene respondet Soto, quod si Lutherani hoc soli Baptismo peculiariter tribuissent, quod illic iustitia Christi, cuius efficiamur membra, nostra reputatur, non errarent. Sed quia hoc generaliter fidei attribuunt, vt scilicet nulli creditum vlla opus habeant satisfactione, ob id sunt hæretici.

18 Sed adhuc contra ipsam conclusionem est difficultas: quia opera poenalia non solum conducunt ad delendum debitum poenæ, sed etiam vt exercitium meritorium, & vt subtrahantur occasiones peccandi in futurum: sed hoc exercitium maxime indigent nuper baptizandi: ergo eis sunt opera satisfactoria imponenda.

Respondet D. Thomas ad 2. quod nuper baptizati exercitandi sunt ad iustitiam, non per opera poenalia, sed per opera facilia; vt quasi quodam lacte facili exercitij promoucantur ad perfectiora, vt Glossa dicit super illud Psalmi 130: *Sicut ablatus est super matrem suam.* Vnde & Dominus discipulos suos de nouo conuersos à ieiunio exculauit, vt patet Mathæi 9. Et hoc est quod dicitur: i. Petri 2. *Sicut modo geniti infantes lac concupiscite, vt in eo crescat in salutem.*

19 Addit Suarez quod licet hoc regulariter verum sit, & præsertim de operibus difficilioribus, magisque poenalibus. Nihilominus tamen sæpe expedire potest huiusmodi opera imponere, quia personæ status, & conditio eis indiget. Quamquam verum sit, non posse de his speciale præceptum imponi, sed solum poterunt consuli. Vel si iudicentur ex se media necessaria ad cauendam peccata in futurum, poterit hæc obligatio homini declarari. Admonet etiam S. Thomas ad 3. quod peccatoribus baptizatis iniungendum est, quod satisfaciunt proximis, sicut

& quod desistant à peccato.



§. III.

Vtrum peccatores ad Baptismum accedentes teneantur sua peccata confiteri?

20 Hæc etiam difficultas conecitur duabus præcedentibus. Videturque probari pars affirmatiua. In primis ex antiquo vlti Ecclesie: de quo Tertullianus de Baptismo cap. 20. *Ingressurus Baptismum; orationibus, ieiunijs, &c. Et cum confessione omnium retro delictorum:* quod Palmellius num. 136. de confessione sacramentali intelligit. Et Socrates lib. i. hist. Tripartita cap. 29. ait. *In Alexandria civitate plurimi ad Baptismum cōfestinabant; & peccata confitentes baptizabantur.*

Secundo ex S. Gregorio Nazianzeno oratione 40. post medium dicente. *Ad baptizandum; ne peccatum tuum confiteri graue dicas, sciens quo pacto Ioannes baptizaret.* Alludit ad illud Matthæi 3. vbi refertur, quod multi baptizabantur à Ioanne in Iordane, confitentes peccata sua. Quod exponit D. Thomas art. 6. ad 1. dicens conuenienter factum, vt secundum qualitatem peccatorum eis Poenitentia determinaretur. Et ita factam esse tunc confessionem omnium peccatorum in speciali, docent S. Basilius orat. de Baptismo parte 2. Imperf. hom. 3. in Mathæum. Iansenius cap. 13. Concordiæ. Cansius de Corrupt. verbi Dei cap. 8. & Suarez to. 2. in 3. p. q. 38. art. 3. Cum ergo Baptismus Christi sit perfectior, baptizandi debent sua peccata confiteri.

Tertio, quia poenitentia requiritur ante Baptismum: secundum illud Actoru 2. *Agite poenitentiam, & baptizetur vnusquisque vestrum.* Sed confessio est pars Poenitentiae. Ergo confessio peccatorum requiritur ad Baptismum, ad medicinam adhibendam præfinitis peccatis: & vt Ecclesie consistet de bona dispositione baptizandi.

21 Optime tamen respondet D. Thomas art. 6. distinguens, quod duplex est peccatorum confessio: Vna quidem interior, quæ fit Deo; & talis confessio peccatorum requiritur ante Baptismum, vt scilicet homo sua peccata recogitans, de eis doléat: non enim potest inchoare nouam vitam, nisi poeniteat eum veteris vitæ, vt Augustinus dicit in lib. de medic. poenit. c. 2.

22 Addit Vazquez artic. 6. numero. 5. quod fortassis existimauit D. Tho. speciale, & distinctam peccatorum recogitationem esse necessariam, vt quis cum sacramento Baptismi iustificetur: sicut etiam putauit ad iustificationem extra sacramentum requiri distinctam recogitationem peccatorum.

Ipsæ vero Vazquez docet non requiri ad Baptismum interiorem confessionem specialem omnium peccatorum, sed generalem: neque enim ut quis habeat dolorem sufficientem ad iustificacionem, in sacramento Baptismi, requiritur specialis, & distincta peccatorum recogitatio.

23. Sed quamvis D. Thomas exponatur de recogitatione speciali (ut insinuat ad 2.) nihil falsum continet eius sententia: Tunc quia infra videbitur an ad attritionem hæc cogitatio requiratur? Tum quia etsi ad attritionem non requiratur, tamen exigitur ad eòs effectus, quos necesse est cum vera Poenitentia coniungi, quales sunt, restituere aliquid, auferre proximas occasiones peccandi, & similes: ut notat Suarez in comment. artic. 6.

24. Alia est (pergit D. Thomas) confessio peccatorum exterior, quæ fit sacerdoti. Et talis confessio non requiritur ante Baptismum. Primum quidem, quia talis confessio, cum respiciat personam ministri, pertinet ad Poenitentiae sacramentum: quod non requiritur (imò nec dari potest) ante Baptismum: quia est iunctum omnium sacramentorum. Secundo, quia confessio exterior, quæ fit sacerdoti, ordinatur ad hoc, quod sacerdos confitentem absoluat a peccatis, & liget ad opera satisfactoria, quæ baptizatis non sunt imponenda; ut dictum est num. 10. Nec etiam baptizati indigent remissione peccatorum per claves Ecclesiæ, quibus omnia remittuntur per Baptismum. Tertio, quia ipsa particularis confessio homini facta, est penosa propter verecundiam confitentis. Baptizato autem nulla exterior poena imponitur. Et ideo à baptizandis non requiritur specialis confessio peccatorum. Sed sufficit generalis, quam faciunt, cum secundum ritum Ecclesiæ abrenunciant Satanae, & omnibus pompis eius. Et hoc modo dicit quædam Glossa Mathæi 3. quod in Baptismo Ioannis, exemplum dabatur baptizandis confitendi peccata, & promittendi meliora.

25. Denique concludit D. S. Si qui tamē baptizandi, ex deuotione sua peccata confiteri vellent; esset eorum confessio audienda; non ad hoc quod eis satisfactio imponeretur: sed ad hoc quod contra peccata conuersa eis spiritualis informatio vitæ traderetur. Vnde cum in secundo argumento obieisset illud Prouer. 28. *Qui abscondit scelera sua, non dirigitur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Respondet ad 2. quod baptizatis sufficit confessio interior Deo facta: & etiam exterior generā

lis, ad hoc quod dirigantur, & misericordiam consequantur. Nec requiritur confessio specialis exterior, sicut dictum est.

26. Circa hoc autem rectè notat Soto dist. 5. art. 6. §. In hoc articulo, quod qui ex deuotione vellent ante Baptismum confiteri, non sunt sacramentaliter absoluedi, ut bene hic adnotauit Caietanus: quoniam illud, ut modo dicebamus, non est sacramentum. Nihil tamen verat quin possint peccatores absolui per deprecationem illam: *Miserere tui, &c.* Quia obrem sacerdos non illo artificio vinculo sigilli confessionis tenentur peccata illa celare, ut poenas illas strictissimas iuris teneretur pendere, si reuelaret. Esset profecto nihilominus grauissime puniendus qui violator sacramenti Baptismi, cuius dispositio erat illa confessio. Haud tamē esset consiliū eiusmodi catholicum peccata occulta, si graua essent, sigillatim pateret; sed sic sub cōpedito ut consilia caperet viuendi. ¶ Et cū audis ante Baptismum non esse necessariam confessionem, intellige neque peccatorum præcedentiū Baptismum post modum ipso suscepto confessionem faciendam: sicut enim iniuria Baptismo, quasi illic non essent omnia condonata. Quare illa peccata nunquam sunt materia confessionis: atque adeo si illa sola baptizatis confiteretur, non esset sacramentaliter absoluedus. Hæc Soto. Ex quo Suarez, & Cabrera, & alij Theologi communiter: quia hæc peccata fuerunt commissa extra forum Ecclesiæ. Confessio autem non sacramentalis non est homini necessaria, nec præcepta, nec per se est dispositio ad gratiam.

27. Ad primū argumētū respondent Suarez, & Cabrera, quod si alicubi fuit olim illa consuetudo, fortasse fuit per modum consilij, & cuiusdam actus humilitatis. Et forte non erat exacta confessio, sed quædam communicatio conscientie ad instructionem, & directionem.

28. Ad secundum posset in primis responderi cum Glossa Ordinaria, quam videtur se qui D. Thomas verbis relatis nu. 24. & cum Abulenū in cap. 3. Mathæi q. 54. & Caietano Mathæi 3. ad illa verba: *Confitentes peccata sua.* Et Marci. 1. dicente. *Confitentes, non in specie, sed in genere, profitendo se peccasse, computando se ipsos, non inter iustos, sed peccatores.* Iuxta hoc ergo asserendum dicit Cabrera hic art. 6. num. 3. illam confessionem non fuisse sacramentalem. Neque à S. Ioanne Baptista fuisse exactam. Sed profectam ex quodam feruore animi vere poenitentis: Vel ex quadam consuetudine, quæ in illa lege erat huiusmodi confessiones faciendi, ut late explicat Iansenius.

Sed

§. I.

Verum ex parte baptizati requiratur intentio?

2. **G**lossa super cap. *Solet de Consecratione*, dist. 4. docet quod licet requiratur intentio ministri baptizantis, non tamen requiritur intentio recipientis Baptismum, quia si habet ut patiens. Vnde si baptizans intendat baptizare, qualescunque intentionem baptizatus habeat, recipit sacramentum. Et alia Glossa in fine cap. *Maiores, de Baptismo, & eius effectu*, affirmat quod si qui baptizatur, ore consentire dicat, licet corde dissentiat, sacramentum recipit.

3. Inter Theologos Caietanus hic art. 7. docet intentionem in baptizato non esse per se necessariam, sed solum per accidens in adulto ad tollendam contrariam voluntatem remittentem sacramento. Vnde si forte contingeret, ut homo neuter ad Baptismum accederet, hoc est, nec consentiens, nec dissentiens, sed negatiue se habens, ille vere reciperet sacramentum. Et quamvis §. *Et ut ab hac*, videatur docere casum esse moraliter impossibilem: tamen non id dicit assertiue, sed conditionaliter, id est, quod adhuc dato quod id non accederet, quæstio posset habere locum. Postea tamen §. *Ad primum horum*, in fine, manifeste docet, quod si quis dormiens baptizetur, neuter accederet ad sacramentum: quamuis in adulto vigilante dicat, quod casus iste, aut moraliter impossibilis, aut plusquam rarissimus est, ut scilicet adultus neuter baptizetur: Vnde nisi in dormiente, vel deamante, vel non aduertente, non tam sæpè contingit accessus neuter, ut Vazquez arbitratur num. 5. non bene expendens mentem Caietani. Quem sequuntur Martinus Ledesma. 1. par. 4. quæst. 9. art. 7. & ut probabilem Serra artic. 7. vtramque sententiam problematice defendens. Et Escobar, & Mendoza libro 8. Theologiae Moralium sect. 2. capit. 14. problemate 64. Imò Nuño artic. 7. qui oppositam defendit, solum tuetur ut probabilior.

4. Referunt pro se Diuū Thomam in 4. dist. 6. quæst. 1. artic. 2. quæst. 3. in corpore, & ad 3. vbi ait, quod intentio, vel voluntas in baptizato, ut dictum est, non requiritur quasi causans deletionem culpæ originalis, sed solum quasi remouens prohibens, scilicet contrariam voluntatem. Idem dicit ad 3. & 4.

Probant etiam ex Innocentio 3. in capite *Maiores, de Baptismo, & eius effectu*: vbi

Na 3 mota

29. Sed quia Diuus Basilius, Sanctus Gregorius Nazianzenus, Diuus Thomas, & alij admittunt in Baptismo Præcursoris interuenisse confessionem peccatorum in speciali: & Thomas Vualdensis tomo 2. capit. 136. ait: Iudæorum morem fuisse peccata sacerdotibus confiteri expresse; non quidem omnia, sed grauiora. Et Nazarius tomo 6. in 3. p. q. 38. artic. 3. controu. 2. late probat illa sola, & omnia peccata Iudæos fuisse confessos, pro quibus expiandis decreta fuerant in lege sacrificia: de quibus Diuus Thomas 1. 2. quæst. 102. artic. 5. ad 4. & ad 5. & 6. Ideo tunc melius responderetur negando consequentiam. Rationem disparitatis assignat Diuus Thomas hic art. 6. ad 1. dicens, quod in Baptismo Ioannis non remittebantur peccata: sed erat Baptismus Poenitentiae. Et ideo conuenienter accidentes ad illud Baptisma confitebantur peccata, ut secundum qualitatem peccatorum eis poenitentia determinaretur. Sed Baptismus Christi est sine exteriori poenitentia, ut Sanctus Ambrosius dicit ad Rom. 1. 1. super illud: *Sine poenitentia*: Vnde non est similis ratio.

Pariter respondet Sanctus Thomas ad 3. quod confessio est pars poenitentiae sacramentalis, quæ non requiritur ante Baptismum, ut dictum est, sed requiritur interioris poenitentiae virtus. Videatur Diuus Thomas ad Romanos 1. 1. lect. 4.

30. Addit Suarez alijs modis posse Ecclesiam habere sufficientia signa dispositionis baptizandi. Medicinam vero curatiuam non esse necessariam, quia ipse Baptismus est sufficiens: præseruatiuam vero voluntarie suscipi posse à Baptismo suscipiente; & ob eam rem posse sua sponte consulere, quem voluerit.

DVBMIV V.

De dispositione, quæ requiritur in adultis ad suscipiendum Baptismum.

Vel est sermo de solo sacramento valido, quamuis informi, & sine gratia; vel loquimur de sacramento cum fructu gratiæ, & formato, & omnino perfecto. Et prius examinandæ sunt duæ conditiones, de quibus expresse agit Diuus Thomas art. 7. & 8. & postea loquemur de alio puncto magis controuerso, de quo Sanctus Thomas specialem non scripsit articulum; quia satis tetigerat in antecedentibus, & iterum dicturus erat in sequentibus.

motâ questione de suscipientibus charactere; & relata opinione quorundam dicentium, characterem imprimi, etiam iniquis: resurata deinde hac opinione quoad totaliter inâptos, concludit in hæc verba. *Tunc ergo characteris sacramentalis imprimi operatio, cum obicem voluntatis contrariæ, non inuenit obfistentem.* Vbi manifestè patet intenta conclusio determinata ab Apostolica Sede.

5. Præterea probat Caietanus. Quod nõ est de necessitate sacramenti in vno recipiẽte Baptismum, nõ est de necessitate sacramenti, per se loquendo, in quocumque recipiente Baptismum: sed in paruulis voluntas, etiam interpretatiua, non exigitur, vt propria dispositio ad recipiendum Baptismum. Ergo in nullo baptizando requiritur, per se loquendo, consensus ad recipiendum Baptismum. Probatur minor: quia voluntas parentum nõ est dispositio aliqua; sed sola appropinquatio patientis ad agens, puta, ministrum conferentem sacramentum: constat enim approximantem passiuum actiuo non esse necessarium ex parte patientis: Tum quia aliunde potest suppleri, puta ex approximatione agentis ad patientem, vel ex remouentẽ obfistulum. Tum quoniam extrinsecũ hoc est. Patet vero voluntatem parentum solummodo approximare passiuum actiuo offerendo infantem Baptismo, ex eo quod si iudæ faceret filium baptizari, non vt nutritur Christianus, sed totaliter nutriendum in iudæum; ob solamque corporis sanitatem vel let baptizari, & hoc ipsum diceret, ac compelleret ministrum ad baptizandum, vel ipse met baptizaret, in veritate infans esset baptizatus. Et tamen tunc paterna voluntas, neque ex charitate, nec ex Spe, nec ex fide, nec ex Ecclesiæ voluntate ibi cooperaretur: quoniam Ecclesiæ si sciret, resisteret tali oblationi. Nihil ergo facit oblatio pueri, nisi quod approximât passiuum agentis: iniuriã que paternæ tollit authoritatis, quæ illi interrogaretur, si infans patre inuito baptizaretur. Sufficit ergo in Baptizando non inueniri obicem voluntatis contrariæ ad hoc vt characterem suscipiat ex Baptismo.

6. Dico tamen primo, vt licite ministratur, & cum fructu gratiæ, & iustificationis suscipiatur Baptismus, debet adesse voluntas, & intentio aliquã recipientis. Hanc nullus Catholicus iam negat; & supponit in titulo dubij ipse Caietanus.

Probaturque primo ex Concilio Carthaginensi tertio can. 34. dicente. *Ægrotantes si per se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium, hi qui suscipiunt, dixerint, baptizentur.* Et Concilium Arausicum. 1. can. 12. ait. *Obmutescens baptizari, aut penitentiam accipere potest, si voluntatis præteriti & testimonium aliorum verbis habet.* Ergo non licet eis administrare Baptismum, si de eorum voluntate non constat.

7. Idem constat ex cap. *Cum pro paruulis, de Consecratione* dist. 4. vbi Sanctus Augustinus lib. 4. de Baptismo cap. 24. ait. *Cum pro paruulis alij respondet, vt impletur erga eos celebratio sacramenti, valet utique ad eorum consecrationem: quia ipse pro se respondere non possunt. At si pro eo, qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet. Ex qua regula illud Euangelij dictum est, quod omnes, cum legitur, naturaliter monet: etatem habet, ipse pro se loquatur: Ioann. 9.*

Ex quo sic probat Diuus Thomas. Primo in argumento sed contra artic. 7. nam secundum ritum Ecclesiæ, baptizandi profitentur se petere ab Ecclesiâ Baptismum: per quod profitentur suam intentionem de susceptione sacramenti.

8. Secundo probat in corpore. Nam per Baptismum aliquis moritur vitæ peccati, & incipit quandam vitæ nouitatem: secundum illud ad Rom. 6. *Consepulchrumus Christo per Baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Et ideo sicut ad hoc quod homo moriatur veteri vitæ, requiritur, secundum Augustinum lib. de medic. p. 6. in habente vsum liberi arbitrij, voluntas qua eum veteris vitæ peniteat; ita requiritur voluntas, qua intendat vitæ nouitatem: cuius principium est ipsa susceptio sacramenti: & ideo ex parte baptizati requiritur voluntas, siue intentio suscipiendi sacramentum.

9. Tertio probat ad primum (soluens id quod posset opponi: quia baptizatus se habet vt patientis & intentio videtur exigi ex parte agentis) & dicens, quod in iustificatione, quæ fit in Baptismo, non est passio coacta, sed voluntaria: & ideo requiritur intentio recipiendi id, quod ei datur. Baptizatus enim non est quasi passiuus merum naturale, veluti stupa dum incenditur: Sed est passiuus rationale, & liberum: & ideo requiritur in eo intentio, non quidem agendi, sed libere recipiendi: quia recipienti se obligat ad ea, quæ sunt vitæ Christianæ propria. Et ideo modo humano libero debet suscipere, & sibi imponere statum, cui annexa est obligatio.

Quod item probat Diuus Thomas q. 69. artic. 9. nam sicut Sanctus Damascenus dicit lib.

lib. 2. cap. 30. *Deus non cogit hominem ad iustitiam: & ideo ad hoc, quod aliquis iustificetur per Baptismum, requiritur, quod voluntas hominis amplectatur Baptismum; & Baptismi effectum.*

10. Istorum argumentorum maiorem partem proponunt Soto dist. 5. artic. 7. cõc. 3. Cabrera artic. 7. disp. vnica § 2. & passim alij, qui ex Soto sumplerunt, pro sequente conclusione probanda, & sententia Caietani impugnanda. Sed diligentius expedienti, perspicuum fiet, ita hanc conuincere, quod pro sequente parum roboris habeat. Sed nõ mirum quod, qui nec conclusiones distinguunt, probationes nõ separent: qui enim non curarunt seorsum agere de valido, & separatim de sacramento formato, & cum fructu; illico in hæc inconuenientia inciderunt:

11. Dico secundo, sine voluntate suscipientis adulti, in validum est Baptismi sacramentum. Pro hac assertionem refert Vazquez disp. 157. cap. 2. num. 6. D. Thomam, S. Bonauenturam, Alexandrum Alentem, Richardum, Scorũ, Paludanum, Gabrielem, Marcellinum, Adrianum, Syluestrum, Sotum, & Recentiores omnes. Sed melius alij nullum referunt: quia est Theologorum communis: & ego nullum dissentientem inueni, præter paucos relatos num. 3. In primis esse D. Augustini, ponderat Richardus dist. 6. artic. 2. quæst. 3. Soto probatione secunda, & Vazquez num. 7. ex illis verbis. *At si pro eo, qui respondere potest, alius respondeat, nõ itidem valet.* Affirmat sacramentum non valere: non solum quoad ceremonialia; sed quoad essentiam; quia negat per illum hominem consecrari, & recipere characterem, vt ex antecedentibus patet. Et loquitur in casu, quod adultus nõ respondeat, quantum exterior non responderet, in rei veritate Baptismus valeretur: quamuis secundum præsumptionem externam, Ecclesiâ aliter prudenter iudicaret; cum nõ sit ei datum, sed soli Deo reseruatum, iudicare de omnino occultis.

12. Clare etiam traditur à Diuo Thomam artic. 7. ad 2. dicente, quod *si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus.* Quod absurdum esset, si primum sacramentum fuit validum.

Respondet Caietanus, quod hoc intelligendum est, secundum id quod semper de facto inuenitur in adultis, scilicet, quod non inuenitur neuter, sed aut habet velle, aut nolle respectu Baptismi, implicite, vel explicitè, &c. Et propterea verificatur, quod si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus: deffectus enim intentionis contrariam haberet annexam intentionem. Vnde verificantur verba Diui Thomæ; si deesset talis intentio per contrariam voluntatem.

Sed contra primo, quia ex terminis, de esse intentionem, non est habere contrariam intentionem; vt ipse Caietanus fatetur: si quidem admittit accessum neutrum: sed Diuus Thomas præcisè loquitur in casu quod deesset intentio: ergo voluntarie absque solido fundamento coarctatur ad solum casum; in quo esset contraria intentio.

Præterea, secundum Caietanum §. Et vt ab hac. Quæstio hæc est de veritate conditionalis non curando de possibilitate antecedentis. Sed D. Thomas adhuc conditionally loquendo, expressè ait, quod *si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus.* Ergo dato casu quod daretur homo neuter, non esset baptizatus.

13. Rursus artic. 12. loquendo de amentibus, & furiosis, dicit, quod *si nulla voluntas suscipiendi Baptismum in eis apparuit, dum sane mentis essent, non sunt baptizandi.* Quod falsum esset, si sufficit status neuter. Et ad primum docet, quod dormientes periculo mortis imminente baptizari debent, si prius in eis voluntas apparuit suscipiendi Baptismum, sicut, & de amentibus dictum est. Quod falsum esset si sufficeret quod non contradicerent. Et casus isti satis practici sunt, & frequenter contingentes.

14. Hinc retorquetur authoritas Innocentij, & pro conclusione ponderatur à Magistro Soto §. Argumenta vero. Nam eius sensus ex antecedentibus est desumendus: ait enim Pontifex, quod dormientes, & amentes, si priusquam amentiam incurrerent aut dormissent, in contraria voluntate peristerent, licet baptizentur, non suscipiunt characterem: *Secus autem si prius catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi. Vnde tales, inquit, in mortis articulo consuevit Ecclesiâ baptizare.* Cum ergo subiungit, quod tunc sacramentalis operatio, non inuenit obicem voluntatis contrariæ, planè intelligit, quod in virtute inuenit voluntatem, & assensum Baptismi, quæ voluntas præcesserat. Quare non ponit medium inter nolitionem, & volitionem Baptismi. Sed ad explicandam carentiam propositi recipiendi Baptismum, vtitur Pontifex nomine voluntatis contrariæ; quia in eo capite præcipue agebat aduersus eos, qui putabant valide posse quem baptizari, quamuis reniterentur.

15. Quod ergo potius sit pro nobis sic

probat Soto arguens ab inconuenienti. Si quispiam, qui nūquā de Baptismo cogitabit, qui scilicet, neque annuit, neque renuit baptizari, dormiens, aut in amentia incidens, baptizaretur, ille profecto censeretur neuter, secundum Caietanum, qui non haberet contrariam voluntatem: & tamen secundum decretum Innocentij, non esset vere baptizatus; ergo non sufficit nō opponere obicem; sed exigitur affirmatiua voluntas. Imò vero non opus est poaere dormientem, aut amentem; sed si quis vigilans, qui nil vnquam de Baptismo audiuit, baptizaretur a Christiano, nesciens quid ille faceret, vtrū ioco, vel serio illum laueret, vel ad refrigerandum ipsū, vel alia de causa, profecto secundum Caietanum, censendus esset vere baptizatus: quoniam, nullum opponit obicem. Et tamē nescias esset id concedere: quoniam ignorantia causa est inuoluntarij. Eiusque adeo contra verba ipsius textus Innocentij. Ergo requiritur intentio ad valide suscipiendum Baptismum.

16 Ratio à priori est, quæ insinuat à D. Thoma ad 1. vocatur *demonstratio* à M. Soto ratione 3. quia Baptismum suscipere, est nouam fidem, & legem profiteri, nouamque militiam: ex quibus in homine nouæ conlurgunt morales obligationes: ergo non valet Baptismus, nisi libere quis illum suscipiat: si tunc non valet professio Religiosi, nec tenetur quis obligatione militiæ secularis, nec alijs obligationibus humanis nouis, sine actu humano, & voluntate ipsius, qui in se statum, militiam, obligationesque inde conlurgentes suscipit. Quam rationem indicat Sanctus Augustinus, cum affert illud *etatem habet, ipse profecto loquatur.*

17 Ad idem pertinet ratio Durandi in 4. dist. 4. q. 7. Nam adultus simili modo se debet habere ad fidem, & ad fidei sacramentum: credere autem nemo nisi volens potest: ergo neque baptizari. Probat maior, quam Caietanus negat: quoniam ipsum baptizari est fidem suscipere. Quare ræpissimè contra Donatistas ait S. August. quod baptizari est credere. Quo circa Christus vtrumque coniunxit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, hoc est, qui assensum voluntatis præbuerit, vt & fidem accipiat, & Baptismum suscipere velit, saluus erit.*

18 Simili modo arguitur ab inconuenientiam si quis nec consentiens, nec dissentiens baptizaretur, sequeretur quod absque eius consensu esset ab Ecclesia compellendus Christianam seruare fidem, cum esset Christianus. Quod tamen Innocentius Papa loco

citato, pro re absurdissima dicit. Et hæc duo videntur repugnantiam inuoluerè, vt quis sit de iurisdictione Ecclesiæ, & non possit cogi vt Christiane viuat. Quare non bene Caicetanus concedit illum non esse cogendum, quia nunquam consentit. Nec melius Serra admittit istum esse cogendum, sicut cogitur in pueritia baptizari, cum ad annos discretionis perueniunt, vt Christiane viuant. Est enim manifesta disparitas, quam tergit D. Augustinus, & notat Soto §. *Conatur*, inter paruulum, & adultum, quod sicut pro paruulo respondent ministri Ecclesiæ; ita adultus debet respondere pro se: ergo sicut paruulus interpretatiuam habet intentionem, ita adultus debet eam habere formalem, vel virtuale: quia istarum est capax.

19 Ad auctoritatem Sancti Thomæ bene respondet Soto in prima probatione tertiæ conclusionis, quod ex illa non colligitur sine intentione suscipientis valere Baptismum. Solum enim ait, quod non requiritur aliquid causans ex parte suscipientis, sed solum impedimentum remouens, puta, contrariam voluntatem, ad quod, inquit, requiritur intentio, & voluntas ad suscipiendum sacramentum. Dicere autem quod intentio suscipientis non est causans, hoc est, concurrrens actiue ad sacramentum, non est plane dicere, quod non requiritur per se: sed quod tota actio attribuitur Deo, & eius ministro per sacramentum: passum enim non concurrat actiue, sed receptiue. Nihilominus cum absque distinctione, per se, & per accidens, dicat requiri intentionem, & voluntatem, illa per se requiritur ad aptè, & idoneè suscipiendum. Et cum de mente Sancti Thomæ habeamus duo eius expressa testimonia, hac tertia parte, per illa, si quæ fuerunt alibi minus expressè dicta, sunt exponenda.

Auctoritatem Innocentij potius esse pro nobis, ostendimus num. 14. & 15.

20 Rationi respondet Soto in fine art. 7. ad 2. Caietani. Primo, quod negari possent maior, vt iacet. Imò vero cum susceptio Baptismi sit assumptio nouæ professionis, de essentia est, vt vbi esse potest, sit actus humanus. Atque hac ratione requiritur per se, & de essentia in adulto, & non in paruulo, vt ait Scotus.

21 Luculentius tamen forsitan respondetur cum Durando concessa maiori, negando minorem. Imò inuertendo argumentum affirmatiue sic. Quod est de essentia sacramenti in vno suscipiente, est & in quoque: intentio est necessaria in adulto: ergo & in paruulo. Nō autē formalis; sed interpretatiua.

na, vt expositum est, per intentionem Ecclesiæ, quæ paruulum per suos ministros, & Baptismo offert, & baptizat. Hanc solam solutionem sequuntur Cabrera nu. 42. Et Serra in fine art. 7. nam cum susceptio Baptismi sit nouæ vitæ inceptio, requirit, vt vbi esse potest, sit, si non actus humanus, saltem passio voluntaria. Et quia in adultis potest esse huiusmodi: nam etiam si dormientes baptizentur, susceptio Baptismi, licet non sit actus humanus; potest esse passio voluntaria obpositum præcedens; ideo in illis intentio suscipiendi Baptismum, est de necessitate sacramenti per se loquendo. In paruulis vero non est de ratione sacramenti, quia in illis susceptio Baptismi, nec actus humanus; nec passio voluntaria esse potest.

22 Iuxta eandem doctrinam, sed in alia forma dialectica respondet Nuño ad 3. distinguendo maiorem: quod est necessarium necessitate sacramenti in vno, est necessarium in omni, si est necessarium ex parte ipsius speciei, & naturæ rei; conceditur: quando vero est necessarium ex parte subiecti; negatur: quoniam etiam quædam conueniunt per se ex parte subiecti, ratione alicuius conditionis generalis per se exacte. Quoniam inchoatio nouæ vitæ in adulto, & actio, & passio voluntaria per se requirunt intentionem. Vnde vtrumque habet per se Baptismus; quod si subiectum non est capax intentionis, sine intentione suscipiatur: Si vero capax sit illius, suscipiatur media intentione propria, quæ saltem est perfectitas moralis.

23 Dico tertio, qui est inuitus simpliciter, nec characterem, nec validum Baptismum recipit: qui autem inuitus est secundum quid, & conditionaliter, & metu ab extrinseco illatobaptizatur, recipit baptismum, & characterem, & fidem informem, non autem gratiam. Ita S. Thomas in 4. dist. 6. q. 1. ar. 2. q. 3. in fine corporis dicens. Tamē sciendum, quod non requiritur in adulto voluntas absoluta suscipiendi, quod Ecclesia confert; sed sufficit voluntas conditionata, sicut est in voluntarijs mixtis, vt dicitur in 3. Ethic. cap. 2. Et ideo si sit coactio sufficiens, ita quod principium sit ex toto extra nil cōferente vim passio; vt cum aliquis reclamans immergitur violenter; tunc talis, nec sacramentum suscipit, nec rem sacramenti. Si autem sit coactio inducens, sicut minis, vel flagellis, ita quod baptizatus potius eligat Baptismum suscipere, quam talia pati; tunc suscipit sacramentum, sed non rem sacramenti. Hæc D. Thomas. Vtramque diffinitio in

nocentium Tertium, cap. *Maiores*, de Baptismo, notat Soto dist. 5. art. 7. conc. 1. & 2. dicens Glossas illas: Tum contra veritatē: Tum contra textus ipsos aperte pugnare. Et esse de fide, ait Suárez disp. 24. sect. 1. conclus. 3. Ideoque commissione Gregorij Tertij decimi Mag. Sacri Palatii iussit eas deleri, vt cum alijs notat Leander tractatu 2. disp. 5. q. 19.

24 Priorem partem probat Soto, quia ex opposito sequeretur inuitum quæpiam ad obseruandam Christianæ fidei regulam compellendum: quod Christianæ religioni contrarium est. Cum enim Deus cuncta sua iura disponat, id maximè de fide, & lege Evangelica constituit, vt nemo nisi consentiens Christianus fiat. Cum etiam nemo credat, nisi volens, & pie affectus; nec etiā Baptismum, qui est fidei sacramentum, dissentiens, & nolens valet recipere.

25 Ratio secundæ partis est, quia vt probat D. Thomas 1. 2. q. 6. a. 6. ea, quæ sunt ex metu, sunt simpliciter voluntaria. In matrimonio autem est specialis ratio, cur propter eius indissolubilitatem, & naturam contractus, statutum sit iure Canonico, & Ciuili, vt non valeat, si per iniuriam metu mortis celebretur. Secus vero in Baptismo, quia iure diuino obligat: quia simpliciter voluntarij sufficit vt character imprimatur. Ideo in iure dicitur, cap. *Mérito* 15. q. 1. coacta voluntas, voluntas est. Et de istis intelligitur decretum Concilij Toletani dist. 45. can. *De Indis*. 56. vbi statuitur, quod Iudæi hoc pacto à Sisebuto Visigothorum Hispaniæ Rege baptizati, essent ad fidem, & Religionem cogendi. Tamē si prohibeatur illic ne quis sic per violentiam baptizetur: Est enim sacrilegium. Quamquā Rex ille pietate, forsam non secundum scientiam adductus, eos ad Baptismum compulisset.

26 Sed restat circa hoc difficultas, an sit ad ministrandum Baptismum, non sufficit voluntas habitualis, sed requiritur saltem virtualis; ita pariter ad eum suscipiendum?

Negant Scotus in 4. dist. 4. q. 4. §. *Hic distinguo*. Gabriel Biel ibi q. 2. ar. 2. conclus. 2. quos refert, & sequitur Vazquez disp. 157. cap. 2. à num. 1. vsque ad 17. Castus Palauus trac. 19. punct. 7. n. 2. Male citans Suarez, & Coninch. Bonacina disp. 2. q. 2. punct. 6. n. 17. Trullench lib. 1. cap. 3. dub. 2. num. 7. & lib. 2. cap. 3. dub. 7. num. 4. quia plura requiruntur ad agendum, quam ad recipiendum. Et ex parte ministri debet proximè, vel remotè dequirari sacramenti administratio. Ad

Ad patendum vero voluntariè sufficit voluntas præterita non retractata.

27 At vero Soto in 4. dist. 1. q. 5. art. 8. §. Ex his ergo fit consequens. Et dist. 5. q. v. ca. art. 7. in fine, §. Aliter. Docet non sufficere voluntatem habitualem, nec requiri actualem; sed sufficere virtualem; non quidè exigitur illa, quæ proximè influat in actum, sed voluntatem quamcumque præteritam non retractatam. Verba M. Soto sunt. Diximus, nec sufficere actualem intentionem, nec requiri semper actum præsentem; sed sufficere virtualem. Habitualis enim est habitus, qui esse potest sine actu; imò cum contrario actu: ut si quis toties voluisset baptizari, ut habitum genuisset. Et quod hæc non sufficiat, patet: nam si ille postmodum dissenties baptizaretur, dici posset habitualiter consentire; tamen non susciperet sacramentum. Requiritur ergo, quod habuerit intentionem actum, quæ ipsum ad Baptismum induxerit; licet dum baptizatur, aliorum eum mente diuagari contingat: Illa enim dicitur virtualis.

28 Sed est discriminè inter baptizantem, & baptizatum, quod ille, qui baptizare alium proposuit, si contingeret ut dormiens, vel amens baptizaret, Baptismum non conferret: quia non esset actus tunc humanus. Si autem proposuisset baptizari, tunc licet baptizaretur dormiens, aut amens, ut habetur in cap. *Maiores*, esset Baptismus: quia præcedens propositum sufficeret, ut susceptio illa conferretur voluntaria. Itaque actus Baptismi requiritur ut sit voluntaria de presenti dum fit: passio vero satis est, ut per antecedens propositum sit voluntaria. Hæc Soto. Quem retulit, & sequutus sum q. 64. dub. 8. num. 3. Teneatque ibi Coninch dubio 5. Et hic Suarez disp. 24. sect. 1. cone. 2. Granada tract. 4. disp. 1. n. 8. Diana parte 3. tract. 4. resol. 12. Candidus disquis. 16. ar. 6. dub. 2. conc. 3. & alij communiter.

29 Nec in hoc puncto ego inuenio dissensionem rerum, sed vocum: quia Authores primo relati, ad significandum, quod sufficit voluntas præcedens non retractata; nec requiritur proximè in actum influens, dixerunt non requiri virtualem, id est, virtualiter, & proximè influentem; sed sufficere habitualem. Quia vero in rigore habitus potest permanere etiam retractatus unico actu; & quævis voluntas non retractata, dicitur manere moraliter, seu virtualiter; licet non sufficiat in quolibet negotio ad influendum in actum: Ideò ita hunc secundum dicendi modum præfero, quod alijs permitto in suo se-

su, & modo loquendi abundare. Forte ad utrumque dicei di modum conciliandum, Trullench num. 4. cum Fillutio tract. 2. cap. 6. num. 133. dicit, quod manet virtualiter negatiuè.

§. II.

Vtrum fides requiratur ex parte baptizati

30 Respondet D. Thomas ar. 8. (communiter receptus à Theologis) quod sicut ex dictis patet, duo efficiuntur in anima per Baptismum, scilicet, character, & gratia. Dupliciter ergo aliquid ex necessitate requiritur ad Baptismum. Vno modo sine quo gratia haberi non potest, quæ est virtus effectus sacramenti. Et hoc modo recta fides ex necessitate requiritur ad Baptismum; adutorum (de his enim nunc loquitur D. Thomas notat Caietanus, & ex tota contextura quæstionis manifestum est) quia sicut dicitur ad Rom. 3. *Iustitia Dei est per fidem Iesu Christi*. Ideoque Dominus Marci ultimo loquendo de Baptismo iustificante, ait: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*. Similiter, quia Ecclesia intendit homines baptizare, ut emundentur à peccato: secundum illud Esaiæ 27. *Hic est omnis fructus, ut auferatur peccatum*. Ideo quantum est de se, non intendit dare Baptismum, nisi habentibus rectam fidem, sine qua non est remissio peccatorum. Et propter hoc interrogat accedentes ad Baptismum, an credant.

31 Alio modo requiritur aliquid ex necessitate ad Baptismum, sine quo character baptismatis imprimi non potest. Et sic recta fides baptizati non requiritur ex necessitate ad Baptismum, sicut nec recta fides baptizantis (iuxta dicta q. 64.) dummodo adsint cætera, quæ sunt de necessitate sacramenti. Non enim sacramentum perficitur per iustitiam hominis dantis, vel suscipientis Baptismum: sed per virtutem Dei. Et hoc docet S. Gregorius Papa in Regis. lib. 9. epist. 62. relatus de Consecratione. Dist. 4. capite 43. incipit. *Ab antiqua*. Et utramque assertionem docet S. Augustinus lib. 3. contra Donatistas cap. 14. relatus ibi, cap. *Sicut in Sacramentis*. Et lib. 2. ad Orosium, relatus cap. *Si qui*. Et cap. *Quamuis*. De instructione autem in fidei mysterijs, quæ debet Baptismum præcedere, dicemus q. 71.

Obiter notandum, quod cum S. Thomas hic artic. 8. ad 3. ait, quod *etiam non habens rectam fidem circa alios articulos, potest habere rectam*

rectam fidem circa Sacramentum Baptismi; & ita non impeditur, quin possit habere intentionem suscipiendi Sacramentum Baptismi. Non contra dicit sibi 2. 2. q. 5. ar. 3. dicenti, quod *hereticus circa unum articulum, fidem non habet de alijs articulis, sed opinionem quandam secundum propriam voluntatem*. Siquidem 2. 2. solum intendit in heretico non manere habitum fidei infusæ; nec verum actum fidei supernaturalis: quod verum est, & traditum à D. Thomas apertissime alibi. At vero hac 3. p. solum agnoscit in heretico rectam fidem circa Baptismum obiectiuè; & tamen non rectam circa alias veritates fidei: & quævis iste actus subiectiuè non sit fidei, nec supernaturalis; parum refert ad intentionem: quia hoc sufficit ut habeat intentionem suscipiendi Baptismum; quamuis nihil credat fide catholica.

§. III.

Vtrum ex parte baptizati requiratur contritio? Doctorum sententia.

32 De hoc tertio puncto videtur maior difficultas, quæ augetur eo, quod ab antiquis satis confusè videtur determinata, seu potius absque expressa determinatione relicta; quia quæ videtur difficile rem ipsam, ac eorum assequi mentem. Scotus namque in 4. dist. 14. §. *quatum ad tertium*, docere videtur ad recipiendum vltimam effectum sacramenti, nempe gratiam iustificantem, & emundantem ab omni peccato originali, & actuali, sufficere voluntatem recipiendi sacramentum Baptismi: ita tamè ut nulla adsit voluntas peccati mortalis, quæ obster. Quamuis ipse Scotus in 4. dist. 4. q. 5. §. *Respondeo*, cum communi sententia exigit dolorem ad iustificationem: & ideò diuersimodè à suis discipulis, & a multis alijs intelligitur.

33 Fauet tamen non parum Caietanus q. 86. artic. 2. in fine: exponens enim quædam verba S. Ambrosij, dicentis, *Baptismum omnia condonare, & nullum luctum requirere*, sic ait. *Ad hoc dicitur, quod Baptismus non præsupponit, sed affert secum actum Poenitentia virtutis perfectum: quoniam sicut Baptismus datur in remissionem peccatorum; ita qui baptizatur, suscipit illum in remissionem peccatorum: ac per hoc in ipsa susceptione Baptismi subiiciendo se illi, & fateatur se peccasse, & detestatur priorem vitam moriendo illi, & subiicit se Deo, ut nouum Christi membrum: & quia hoc totum eligit*

in remissionem peccatorum, euidenter constitat interuenire in Baptismo propositum emendæ, non futuræ, sed præsentis: quæ magis voluntas, ac electio emendæ dicenda est. Eligere siquidem hæc in remissionem peccatorum, est eligere emendam pro peccatis quoad culpam, & quoad poenam ratione tantum beneficii, quantum est Baptisma. Non igitur est intelligendum Baptismum omnia condonare, sic quod nullum actum in adulto requirat: sed sic, quod opportunos actus, secum affert, nec eget adminiculo alieno. Et hic est optimus modus omnia condonandi. Hæc Caietanus. Vbi planè docere videtur ad iustificationem, quæ fit in Sacramento Baptismi, non requiri poenitentiam formalem, ut præuiam dispositionem, nec ut actum necessarium subsequenter: sed ipsam voluntatem efficacem suscipiendi baptismum in remissionem peccatorum, ad illam obtinendam sufficere, ut poenitentiam virtutem, seu in practica æquiualentem: quia sacramentum est signum practicum, efficiens, quod significat: & cum sit institutum in remissionem peccatorum, eo ipso, quod ponantur essentialia Baptismi, remissionem peccatorum causat: & sic per se omnia condent.

34 De hac opinione meminit Soto in 4. dist. 6. q. 1. art. 8. post 6. conclusionem, & ait. *Neque vero forsam à veritate est alienus: & iterum dist. 15. q. 1. ar. 2. §. De Baptismo vero*, dicit. *Et fortasse vera est eius opinio, tamen si non auderem illa omnino approbare*. Vnde eam iudicat probabilem. Sicut etiam Victoria Relectione 1. de potestate Ecclesiæ lect. 3. q. 2. n. 7. ait, quod *posset magna probabilitate defendi*. Et Martinus Ledesma 1. p. 4. q. 10. art. 9. dubio 1. Sequitur Llamas 2. p. Methodi capite 4. §. 12. Videturque non parum fauere D. Ambrosius lib. 3. de Sacramento cap. vlt. dicens. *Qui venit ad Baptismum, etiam si non confiteatur peccatum, in hoc ipso implet confessionem omnium peccatorum, quod baptizari petit ut iustificetur*.

35 Alia sententia singularis placuit Gabrieli, qui in 2. dist. 32. q. 1. conc. 1. & 3. docet in adulto habente peccatum originale, & mortale actuale, virtute Baptismi remitti peccatum originale, non remittis peccatis mortalibus actualibus, si sine illo dolore peccatorum actualium, aut etiam cum proposito peccandi accedit. Quod optimè enuncire potest, quia originale remittitur, vel per gratiam, aut commutato debito habendi iustitiam originale: quod fit in hoc casu, cum manet priuatio gratiæ habitualis propter actualia non dimissa.

36 Cæterum, quia prior sententia est impugnata dub. 4. §. 1. Et de hac posteriori inquit Soto in 4. dist. 6. q. 1. ar. 7. §. Hic primum, in fine. At vero cum eiusmodi originalis remissio sit ablatio veræ culpæ; atque adeo reconciliatio in amicitiam Dei, error est non ferendus, dicere, quod abique gratia, & remissione omnium mortalium fieri possit: nēpē, de facto, aut de lege ordinaria. Suarez etiam disp. 28. sect. 1. dicit nihil potuisse cogitari magis contrarium Catholicæ doctrinæ, quam illam distinctionē Gabrielis: quia est contra doctrinā Concilij Tridentini sess. 5. can. 2. & cap. 5. cōcludit, per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismo confertur, peccatum originalis peccati remitti: Non ergo remittitur, nisi cum diuina gratia confertur. Et quamvis Vazquez disp. 158. cap. 3. contēdat ex hoc loco Concilij non satis firmum argumentum deduci. Tamē temeritatis arguit Gabriel; quia Innocētius Tertius in capite Maiores, §. Sed adhuc queritur, de Baptismo, docet numquam remitti originale de facto, nisi remittantur mortalia actualia. Et de facto Trident. sess. 5. can. 2. dicit originale esse mortem animæ: ac proinde gratiæ priuationem. Et sicut de facto vnum mortale non remittitur sine alio, quia remittuntur infusione gratiæ, quæ omnibus opponitur, vt arguit D. Thomas q. 86. art. 2. Ita nec remittitur originale sine mortalibus. Ideo omnes alij Doctores conueniunt in eo, vt ad consequendam iustificationem, & remissionem peccatorum mortalium, quando eū originali coniuncta sunt, ex parte baptizandi necessarius est aliquis dolor de peccatis. Licet valde dissentiant in qualitate doloris explicanda.

37 Sed ante præmittendum, quod Suarez illa sect. 1. conc. 2. ait, quod si contingeret hominem adultū accedere ad Baptismū sine peccato mortali, cum solo originali, nō esset illi necessaria poenitentia aliqua; sed sufficeret voluntas, ac propositum profiteri, & seruandi legem Christi. Probat ex D. August. lib. de vera, & falsa poenit. cap. 8. & quia poenitentia propriè est de peccatis ab iplo poenitente commissis: quia est retractatio propriæ voluntatis: quod non habet locum, nisi in illo, qui proprio actu peccauit. Sequuntur Fillutius, Bonacina, & alij, quos refert, & sequitur Trullench lib. 2. cap. 3. dubio 7. num. 9. Et Nuño dub. 2. in confirmatione dicit esse doctrinam communem: de qua Candidus disp. 16. ar. 6. dub. 14. Hæc doctrina est conformis D. Thomæ 3. p. q. 86. art. 2. ad 1. Sed quia D. Thomas 1. 2. q. 89. ar.

6 reputat casum in practica impossibilē. Vel ad minus, secundum omnes, extraxissimus: quia natura lapsa non sanata per gratiam, non potest diu se continere, quin iterum, atque iterum labatur. Ideo deinceps solum loquamur de adulto; qui cum originali habet mortale actuale, quem dolorem debeat habere vt recipiat Baptismum?

38 Prior opinio exigit contritionē. Ita Alexander Aletius 4. p. q. 18. art. 1. Et in noua editione q. 8. art. 2. §. 1. Et in simili Marcellus in 4. q. 12. art. 2. in 2. p. dubio incidenti. Petrus Soto lect. 4. de Baptismo, §. Vltimo tādē, folio 51. vbi ait. Igitur certa est, & tuta sententia, nullam adultum, & rationis competentem sine fide, & vera poenitentia effectum Sacramenti Baptismi consequi. Primū probat verbum Christi: Qui crediderit, & baptizatus fuerit. Secundum confirmat illud Petri Actorum 2. Poenitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum. Poenitentiam vero, non qualis fit à peccantibus grauitè post baptismum, intelligimus: nam vt Ambrosius inquit, gemitum non requirit; sed verū propositum mutationis vitæ: verum, inquit, dilectioni Dei super omnia coniunctum. Idem docet lect. 7. de Poenitentia à folio 277. vsque 280. Nec sibi cōtradicit (vt illi opponit Vazquez num. 12.) lect. 8. Nam ibi, §. Habemus nunc, docet Sacramentum Poenitiæ habere virtutem excitandi animum, & mouendi ad veram contritionem: vnde qui accedit attritus, sufficienter accedit: sed tamen si non conteratur effectum sacramenti non consequetur, vt explicat folio 284. Idem docent Adrianus q. 1. de Poenitentia art. 3. conclus. 5. & Ioannes de Medina, Codice de Confessione tract. 2. in q. de Confessione fida, iterū da: vbi conc. 2. ait, quod ad confessionem nō sufficit attritus; sed necessarium est conteri. Et folio 71. columna 4. lit. h. dixerat. Dicendum non esse omnino incertum, quod baptismus valeat ad gratiam baptismalem, quando recedit fictio: quia aliquibus visum est, quod tunc homo ille per solam contritionem assequetur gratiam.

Deinde Valentia q. 8. de Poenitentia puncto 4. conc. 6. indicat, quamuis non omnino audeat affirmare, teneri illum, qui baptizatur, conteri; non ex eo, quod baptismus est Sacramentum; sed ex eo, quod cōtinet Christianæ religionis professionem: vnde admittit sufficere, si paulo post Baptismum peccator conteratur.

39 Affinis est præcedenti opinio, quæ docet requiri attritionem, & sufficere, dum tamen existimetur contritio. Ita Victoria de Baptis-

Baptismo q. 22. dicens. Poenitentia autē, quæ ante Baptismum requiritur, debet esse contritio; sicut & in Sacramento Confessionis; nisi excusetur ignorantia, quæ putat se sufficientem dolorem habere; cum tamen nō habeat; tunc enim sufficit attritio cum Sacramento, sicut etiam de Poenitentia. Et per omnia similis dolor requiritur ante Baptismū; sicut ante Poenitentiam: quia dolere de peccatis est de iure naturali; quod non impeditur à iure diuino. Hæc Victoria. Et de Confessione num. 158. & Relect. 1. de potestate Ecclesiæ sect. 3. q. 2. conc. 6. num. 10. Quem sequuntur Nauarrus in Manuali cap. 1. num. 31. Corduba lib. 1. q. 2. ad 3. §. Respondeo ad antecedens. Ver. Ad tertiam respondeo. Fol. 35. & ad 6. & 7. folio 37. & antea in 4. opinione à folio 23. Et indicat Vega lib. 13. in Concil. Trident. cap. 34. & q. 13. de iustific. cōc. 3. & 4. & Durandus in 4. dist. 17. q. 13. num. 5. & 7. citatur ab Henriquez: sed male; quia ibi loquitur de Poenitentia, & loquendo de Baptismo, attritionem sufficere, docet in 4. dist. 4. q. 2. n. 7.

40 Per oppositum docent alij ad iustificationem per Baptismum obrinendam, sufficere attritionem, non solum, quæ est dolor ob meritum gehennæ: sed etiam si sit ex motu infamiæ, aut mortis. Ita Soto in 4. dist. 6. q. 1. art. 7. conc. 6. quia licet talis attritio nō sit conuersio; est tamen à motu voluntatis à peccato, si adsit intentio emendandi vitam, vt cum intentione recipiendi Baptismū ad recipiendam gratiam in remissionem peccatorum, sit sufficiens dispositio ad suscipiendam gratiam per virtutem Sacramenti. Quod cōfirmat primo, quia ille, qui in tali dispositione mariyrium pateretur, censeretur gratiam suscepisse. Et deinde auctoritate D. Thomæ, infra q. 80. art. 4. dicens Baptismum posse dari infirmis. Et q. 79. art. 3. ad 2. ait, conuenienter eum accedere ad Baptismum, qui habet conscientiam peccati mortalis.

41 Cano vero in Relectione de Poenitentia, parte 5. §. Altera quoque attritio est. Et parte 3. Relect. refferri solet à Suarez in 4. opinione, & à Vazquez in fine cap. 2. & passim ab alijs quasi doceat dolorem ob poenas huius vitæ non sufficere, si ob ignorantiam probabilem existimetur sufficiens. Sed ibi Cano id non docet: quia absolute negauerat illā attritionem sufficere ad iustificationem. Et postea solum ait, quod attritio vt cum Sacramento iustificet, debet esse ex motu supernaturali; & non sufficit, quod sit inefficax voluntas; sed debet esse efficax, & omnem diligē-

tiam adhibere, vt non ponat obicem gratiæ: vt sic bona fide accedat, & iustificetur: accedit autem bona fide, si existimat se præstitisse, quod necessarium erat.

42 Sententiam M. Soto hoc modo explicat, & defendit Petrus Ledesma tractatu 2. de Baptismo cap. 10. conc. 2. quod attritio naturalis se sola non sit sufficiens etiam cum Sacramento ad iustificationem: si tamen extrinsece adiungantur alij actibus supernaturalibus fidei, & Spēi, & propositi accedendi ad debitū medium iustificationis, quæ coniunctione ipse dolor recipit aliquid supernaturalitatis, sic est dispositio sufficiens cū Baptismo ad iustificationem. Eandem Vallis-Oleti in nostro Collegio defendisse quendam Magistrum ingeniosum, refert Nuño 3. p. q. 69. art. 9. dub. 4. quam ipse in secunda conclusione vocat simpliciter probabilem, & etiam Serra ibi conc. 1. Sed absque vlla distinctione, sententiā M. Soto, sequitur Pjrigianus in 4. dist. 4. quæst. 4. art. 3. conc. 3. Cuius verba refert Diana parte 3. tractatu 4. resolutione 13.

43 Communis iam, & vera Theologorum sententia docet ad iustificationem per Baptismum, non esse necessariam contritionem, veram, aut existimatam: requiritur attritionem in re existentem, & non sufficere existimatam; neque sufficere naturalem ex motu, neque ex auxilio; sed requiri supernaturalem ex motu, & ex dono speciali Dei. Hanc esse D. Thomæ, dicenda monstrabunt. Tenentque communiter Theologi. Specialiter Paludanus in 4. dist. 4. q. 1. art. 1. num. 5. Durandus q. 2. num. 7. Cano Relect. de Poenitentia parte 3. folio 13. prop. 1. & 2. Et par. 5. ad 2. folio 41. col. 4. Nuño 3. p. q. 69. art. 9. per quatuor dubia. Ibi Cabrera articulo 8. disp. 1. & 2. Serra art. 9. dubio vnico. Suarez disp. 28. lect. 1. & 2. Vazquez disputatione 138. per quinque capita. Granado tractatu 3. disp. 2. à nu. 6. ad 14. Auerfa q. 68. sectione 6. Ibi sunt, qui magis expresse iuxta morem scholæ, conclusionem confirmant. Nam Summistæ, qui eam doceant, sunt innumerabiles, vt videre, est apud Dianam vbi supra, & Leandrum tract. 2. disp. 5. à quæst. 26. vsque 30. Trullench lib. 2. cap. 3. dub. 7. à numero 10. Et tenent omnes alij.

præter relatos pro
alijs senten-
tijs.

§. IV.

Sufficit, & requiritur attritio supernaturalis, ut adultus iustificetur in Baptismo.

44 **S**upponunt omnes relati Authores, id quod verissimum est, quod ut validum recipiatur Sacramentum Baptismi, & imprimatur character, non requiritur contritio, nec attritio, etiam naturalis. Quia infidelis persistens in sua infidelitate, & alij permanentes in peccatis mortalibus, ut dicit S. Thomas q. 68. art. 8. ad 4. *validum suscipiunt Sacramentum, si eis conferatur licet non ad salutem.* Similiter, qui fidei accedunt, peccato volunt adherere mortali, & sic indeuote accedunt, ut dicit D. Thomas q. 69. art. 9. ad 3. Et tamen validum recipiunt sacramentum. Ergo valor sacramenti Baptismi, quantum ad receptionem characteris, non impeditur peccato mortali actuali. Cum igitur, qui actu immortali peccant, nullam habeant attritionem, nec supernaturalem, nec naturalem, nulla attritio essentialiter exigitur ad validum Baptismi Sacramentum, licet requiratur intentio illud recipiendi.

45 Sed obijcies: non minus iure naturali, & diuino exigitur peccatorum poenitentia ante Baptismum, ac requiritur post illud susceptum, unde Dominus Lucae 13. etiam non baptizatis dixit: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Et D. Petrus Actorum 2. ver. 38. *Poenitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Et sunt ad hoc alia testimonia, quae adduximus dub. 4. §. 1. Sed sacramentum Baptismi non est validum si non sit attritio, quae est pars essentialis sacramenti, ergo nec Sacramentum Baptismi erit validum sine attritione, vel sine illa poenitentia, quam ante Baptismum oportet agere, ut dicit Concilium Tridentinum sess. 6. c. 6.

46 Posset aliquis respondere cum noue Authoribus antiquis, quos refert, & sequitur Bonacina de Poenitentia disp. 5. q. 5. puncto 3. num. 12. Et q. 3. punct. 2. nu. 9. & Leander de Poenit. disp. 1. q. 47. & cum alijs recentioribus, quod etiam sacramentum poenitentiae est validum sine dolore supernaturali, quia cum attritione naturali ex mortuo, & auxilio naturali, validum perficietur sacramentum, quamuis informe. Unde admittenda maior, iuxta hanc solutionem, neganda esset minor.

47 Duplice de causa haec solutio non sa-

tisfacit. Primo, quia supponit sententiam, quae plurimi non admittunt: & de qua non possimus modo disputare, ne a proprijs sedibus quaestiones remoueamus. Secundo, quia diximus Baptismum esse validum sine attritione, etiam naturali. Imo D. Augustinus, quae refert, & sequitur D. Thomas q. 69. art. 9. etiam cum fisione, & actuali contemptu ipsius Sacramenti Baptismi, admittit posse esse validum. Et tamen nullus Catholicus admittet esse validum sacramentum Poenitentiae, cum contemptu, & irrisione ipsius. Non ergo est admittenda omnimoda paritas: sicut infidelis in infidelitate permanentis, potest valide baptizari, & haereticus pertinax non potest valide a peccatis absolui.

48 Aliter ergo distinguenda est maior, & concedenda de requisitis ad iustificationem: quia ad hanc semper requiritur aliqua poenitentia: & hoc probat argumentum. Neganda vero de requisitis ad validum Sacramentum: quia ut constat ex institutione vtriusque, essentialiter exigitur diuersa materia, & forma: unde Baptismus non valet sine aqua, & ablutione, & sine aqua valet Poenitentia. Cum ergo in ista partes instituta sint cordis contritio, & oris confessio, non mirum, quod sine aliquo dolore non valeat Poenitentia. Quia tamen ablutio in aqua sub praescripta verborum forma, modo humano ministrari, & recipi valet sine villo dolore: ideo cum ponantur sine dolore omnia a Christo Domino pro Sacramento Baptismi instituta, sine contritione, & attritione vlla, absque dubio validum perficietur Sacramentum. Restat ergo respondere difficultati, quae procedit de requisitis ad obtinendam iustificationem adulti, qui est cum originali, & mortali, a medio Baptismi Sacramento.

49 Dico ergo primo, ut adultus iustificetur per baptismum, & ad illum debite accedat, non requiritur contritio, sed sufficit attritio. Ita D. Thomas hac q. 68. art. 4. dicens: *Peccatoribus est Sacramentum Baptismi conferendum, quia est ad hoc specialiter institutum; ut per ipsum peccatorum sordes mundentur: secundum illud ad Ephes. 5. Mundans eam (scilicet Ecclesiam) lauacro aquae in verbo vitae.* Idem docet q. 69. art. 1. & clarissime q. 79. art. 3. ad 2. dicens, quod *Baptismus est spiritualis generatio, quae est mutatio de non esse spirituale, in esse spirituale, & datur per modum ablutionis.* Et ideo quantum ad vtrumque non inconuenienter accedit ad Baptismum, qui habet conscientiam peccati mortalis. Quod dicit ut assignet disparitatem inter Baptismum, & Eucharistiam, ad quam, qui cognoscit se non esse contritum, sed mortuum in pecca-

peccatis, numquam licite accedit: quod tamen concedit licere in receptione Baptismi. Et q. 80. ar. 4. ad 2. similiter ait, quod *Baptismus, & Poenitentia sunt quasi medicina purgatiua, quae dantur ad tollendam febrem peccati.* Et in 4. dist. 24. q. 1. art. 3. q. 1. ad 3. ait. *Quaedam sacramenta sunt ordinata ad remedium peccati, & talia peccatoribus sunt exhibenda; sicut Baptismus, & Poenitentia.*

50 Specialiter secundam partem expressit docet D. Thomas in 4. dist. 6. q. 1. art. 3. q. 1. ad 5. dicens. *Ad hoc, quod homo praeparat se ad gratiam in Baptismo percipiendam, praeparatur fides, sed non Charitas; quia sufficit attritio praecedens, & si non sit contritio.* Et distinctione 17. q. 3. ar. 5. q. 1. ait. *Si aliquis impediuentum non praepararet, ex ipsa collatione Baptismi gratia consequeretur remissionem peccati, si prius sibi remissa non fuissent.* Et infra concludit. *Et ideo sicut de Baptismo dicitur, quod liberet a morte, & de confessione dici potest.* Et similiter Ioannis 1. lect. 6. lit. f. in fine ait. *Si quis autem adultus ante Baptismum non per fidei fuerit dispositus ad consequendum remissionem peccatorum, in ipso actu, dum baptizatur, remissionem consequitur virtute Baptismi, nisi ponat per fisionem obstaculum Spiritui Sancto.* Et similiter est dicendum in Poenitentia. Quae auctoritates adeo sunt expressae, ut nulla indigeant ponderatione.

51 Rationes D. Thomae sic breuiter proponit Cano in Relect. de Poenitentia parte 5. folio 42. dicens. Ratio vero D. Thomae non est contemnenda: quia sacramentum Baptismi, & Poenitentiae per se ordinantur ad praesertim vitam mortuis. Quare licite sumi possunt ab his, qui habent conscientiam peccati mortalis: modo habeant attritionem, qua tollitur obex, & complacentia in peccatum commissum. Est quoque altera eiusdem ratio, quia cum haec duo sacramenta sint medicinae directe paratae contra morbos animae, absurdum est, ut nullus, qui se aegrum esse cognoscit, possit iuste haec sumere sacramenta. Quemadmodum res esset poenitus absurda, quod medicinas corporales, a natura potissimum institutas ad sanandos corporis morbos, non posset sumere nisi sanus; aut qui se iam esse sanum existimaret. Unde & Innocentius primus 1. q. 1. cap. *Verum est;* ubi vulnus, inquit, infixum est, medicina est adhibenda, qua possit recipere sanitatem: atque ubi poenitentiae remedium necessarium est, ordinationis honorem locum habere non potest decernimus. Et caetera, quae inferius adijciuntur.

52 Tertio, etiam attritio, quae procedit

ab amore naturali Dei super omnia (quae in natura lapsa fieri nequit sine auxilio specialis, ut docet D. Thomas 1. 2. q. 109. ar. 3. *exi gens auxilium gratiae naturam sanantis*) forsitam dispositio est idonea, ut virtute Sacramenti Baptismi, & Poenitentiae gratia confatur: quia talis etiam attritio tollere videtur complacentiam in peccato, & obicem sacramenti. Haec Cano.

53 Pariter probat Soto conc. 4. dicens, quod alias Baptismus, dum adulto confertur, numquam remitteret peccata: quia temper inueniret ablata, nec faceret ex attrito contritum; atque adeo, nec esset Sacramentum mortuum ad ipsos viuificandum institutum: sane cum talem effectum numquam fortiretur.

54 Explicatur efficacia harum rationum. Nulli dubium, quod si Christus institueret, quod Sacramentum Baptismi daret primam gratiam, per se loquendo, eam non habenti; quod non esset ad illud, per se loquendo, dispositio necessaria in adulto vera contritio. Sed certissimum est sic de facto inuultum esse. Ergo ad Baptismum adultorum, per se loquendo, ut debite accederet, non est necessaria contritio. Maior sola explicatio e remissionem est nota: quia contritio, vel imperatur, vel elicitur, vel committanter habet annexum actum dilectionis Dei super omnia, qui est Baptismus flammis, coniunctam habens Charitatem, & gratiam, ut docet S. Thomas q. 66. art. 1. & 12. Et exponitur agendo de partibus Poenitentiae. Minor vero contra primo ex Sacra Scriptura, & ex Symbolo, in quo confitemur *unum Baptisma in remissionem peccatorum.*

Secundo, quia Baptismus est institutus per modum cuiusdam nouae generationis spiritualis: iuxta illud Ioann. 3. *Nisi quis renatus, &c.* Generatio autem est mutatio de non esse spirituale in esse spirituale per gratiam.

55 Tertio, quia sacramenta nouae legis efficiunt, quod figurant: unde si datur per modum ablutionis corporalis, est ut significet ablutionem spirituales, quae fit per gratiam: unde D. Thomas q. 60. art. 3. ait, quod quia aqua sua humiditate lauat, conueniens est ad significandam, & causandam ablutionem peccatorum. Et Eugenius Quartus in Decreto fidei, quod est in Concilio Florentino post vltimam sessionem, §. *Primum omnium*, definit hoc Sacramentum esse ianuam vitae spiritualis, & effectum illius esse tam actualis, quam originalis peccati remissionem. Quem effectum nunquam haberet, si adultus cum vera contritione ad hoc sacramentum deberet accedere.

Quar.

Quarto non minoris efficaciz medici-
na est Baptismus contra originale, & actua-
lia, quam sit Penitentia contra actualia mor-
talia post Baptismum commissa: nam sicut
Baptismus est *lauacrum renouationis*, ita Peni-
tentia est *secunda tabula post naufragium*. Sed
satis dispositus accedit ad Sacramentum Poe-
nitentiz, qui est vere attritus de peccatis, que
est contritio imperfecta, etiam si non sit per-
fecte contritus, vt expresse docet D. Thom.
in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. q. 1. Et super caput vt
decimum D. Ioannis lect. 6. in fine. Et plane
colligitur ex Concilio Trident. sess. 14. capi-
te 4. Quod & docet in Sacramento Baptis-
mi facimus remissionem peccatorum obtri-
nenti, vt sumitur ex sess. 6. c. 14. Ergo ad dig-
nam actu accedendum, & ad recipiendam gra-
tiam Baptismi, non requiritur contritio, sed
sufficit attritio.

56 Omnes istæ probationes in-
dicantur in verbis D. Thomæ. Quæ bene
ponderentur, etiam probant, quod non est
necessarium, vt quis debite accedat, & gra-
tiam consequatur, quod existimari se habere
contritionem: quia vt eum Cano argueba-
mus, accedere ad Sacramentum, quod est in-
stitutum pro remissione peccatorum, eum no-
ticia peccatorum, quæ in illo sunt remitten-
da, congruit fini, & institutioni eius, & ni-
hil affert indecentiæ. Nam quod pacto contra
institutionem huius sacramenti erit, postulare
remissionem peccatorum, pro qua institu-
tum est? Sicut enim paruulum, quem natum
credimus in peccato originali, rite offerimus
baptizandum, vt ab illo mundeatur, ita adul-
tus, quem scimus contraxisse originale, &
commisisse mortalia, qui vult illa relinque-
re, & illorum remissionem obtinere, bene
facit recipiendo sacramentum, quod est in-
stitutum in remissionem peccatorum. Imò
qui attritus accedit ad Baptismum pro remis-
sione peccatorum, accedit conformis institu-
tioni Christi: & qui accedit contritus, perac-
cidens non est ita conformis: nam quando ac-
cedit existimans se habere contritionem, non
intendit consequi primam gratiam, sed eius
augmentum; cum nemo intendat absolute
consequi, quod credit se iam habere. Baptis-
mus autem est institutus vt primo det gratiam,
& per accidens, vt si inuenerit datam, eam au-
geat.

57 Quod etiam Nuno illo dub. 2. dicit
probari ratione demonstratiua. Nam Baptis-
mus per se, & secundum vltimam differen-
tiam, causat primam gratiam, & facit ex at-
trito contritus: & ideo ostensum est, quod suf-
ficiens, & propria dispositio ad ipsum, est at-

tritio, per se loquendo. Sed tamen in natura-
bus, quam in moralibus, vt causa debite ope-
retur, sufficit quod applicetur secundum suam
propriam dispositionem, & subiecto dispo-
sitione, quam ipsa per se exigit: licet
si meliorem habeat, citius, vel melius opere-
tur. Ergo etiam si baptizandus cognoscat se
tantum habere attritionem, potest digne ac-
cedere ad Sacramentum: quia non tenetur ha-
bere aliam dispositionem, quam causa exigit
vt operetur.

58 Dico secundo, sine dolore, & poenit-
tia peccatorum, seu sine contritione imper-
fecta, quæ attritio dicitur, vere in re existen-
te, non accedit quis debite ad baptismum, nec
per eum adultus consequetur remissionem pec-
catorum. Sumitur ex D. Augustino lib. de me-
dicina poenit. cap. 2. dicens, quod nullus sua
voluntate arbitrio constitutus, cum accedit ad Sa-
cramenta fidelium, potest novam vitam inchoare,
nisi eum veritas vite poeniteat. Affert hæc ver-
ba, & sequitur D. Thomas hac q. art. 4. & ite-
rum art. 6. & 7. Idem docet S. Augustinus e-
pist. 8. ad Vincentium ad finem, relatus de Poe-
nit. dist. 1. cap. *Neminem*. Alia verba iam rela-
ta referuntur ibidem cap. *Tres sunt*. Vbi lo-
quitur expresse de poenitentia ante baptil-
mum, eum loquatur expresse de poenitentia, quæ
nouum hominem paratur, donec per baptismum sa-
lutare omnium peccatorum fiat ablatio peccato-
rum. Et lib. quinquaginta homil. hom. vlt. ca-
p. 3. & hom. 28. in principio. Et de fide, &
operibus cap. 6. & 8. Et lib. 7. contra Donatis-
tas cap. penultimo, & habetur de Consecratio-
ne dist. 4. cap. *Solus*. Et Author ser. 1. i. ad Fra-
tres in heremo. S. Basilius. lib. de Baptismo,
non longe a fine. S. Fulgentius de fide ad Pe-
trum cap. 36. dicit, *si missime tene, & c. Et malis*
tribus quidem necessarium esse, & poenitentiam de
 suis malis agere, & Fidem Catholicam secundum re-
gulam veritatis tenere, & Sacramentum baptil-
 matis accipere. Vbi in adultis baptizandis, quæ
videtur exigere vt necessariam, fidem, ac poe-
nitentiam.

59 Præterea D. Thomas hic art. 4. & 6.
& 7. Et specialiter art. 6. ad 3. docet, quod an-
te Baptismum requiritur interioris poenitentiz vir-
tus. Et q. 86. art. 2. ad 1. ait, quod in adultis, in
quo sunt actualia peccata, quæ consistunt in deor-
dinatione actuali voluntatis, non remittuntur pec-
cata, etiam in Baptismo, sine actuali immutatione
voluntatis: quod fit per poenitentiam. Et super
Epist. ad Rom. c. 11. lect. 4. ad illa verba: *Sine*
 poenitentia enim sunt dona, & vocatio Dei: do-
cet D. T. quod interior poenitentia consistit in co-
ntritione cordis, quæ quis dolet de peccatis præteritis;
& talis poenitentia requiritur à baptizato;
quia

quia vt August. dicit: *nemo sine voluntatis, & c.*
alioquin si quis ad Baptismum accedit. Et in 4. di-
stinct. 4. q. 2. art. 1. q. 1. ad 1. dicit Baptismus
exigit contritionem solum ad remouendam fictio-
nem, quæ est contraria dispositio impediens effectum
Baptismi. Loquitur de attritione, quæ etiam
à Concilio Tridentino contritio imperfecta
dicitur, vt ipse S. Thom. se declarat ibi di-
stinct. 6. & dist. 17. & Ioan. 1. i. & alijs locis.

60 Probat S. August. hæc veritatem duo-
bus testimonijs sacre Scripturæ, vt notat Ca-
no parte. 3. fol. 13. Primum est ad Colos. 3.
Exuite vos veterem hominem, & induite nouum,
 qui secundum Deum creatus est: In Baptismo e-
nim proprie nouus homo induitur: ergo prius
debet exui vetus homo, quam nouus indua-
tur. Sed nouum induit homo per hoc quod
eligit nouam vitam: ergo & veterem exuit
per hoc quod detestatur antiquam. Secundum
testimonium habetur Actorum 2. ver. 38,
vbi D. Petrus seorsum duo distinguit, & præ-
cipit, nempe Poenitentiam, & Baptismum,
dicens, *Poenitentiam agite, & baptizetur unus*
 quisque vestrum in remissionem peccatorum.

61 Secundo probatur testimonio Con-
cilij Tridentini, quod nixu hoc testimonio;
inter actus requiritos vt peccatores disponā-
tur ad iustificationem sess. 6. cap. 6. non solum
assignat actum spei illis verbis: *In spem erigun-*
 tur, & c. & voluntatem recipiendi Baptis-
mum in remissionem peccatorum: dum ait:
Proposuit suscipere Baptismum, inchoare nouam vi-
 tam, & c. Sed etiam assignat, & vt necessariū
exigit, actum formalis poenitentiz à præce-
dentibus distinctum: illis verbis: *Mouetur ad*
 versus peccata per odium aliquod, & detestatio-
 nem, hoc est; per eam poenitentiam, quam ante
 Baptismum agi oportet. Vtitur illa particula li-
mitatiua: *Aliquod*: vt denotet non exigere su-
mum dolorem in genere, nempe contritio-
nem: sed cum exigit dolorem, detestatio-
nem, & poenitentiam; non possunt hæc in
rigore verificari, nisi exigatur attritio, quæ
est quid imperfectum in genere poenitentiz.

62 Tertio probatur ratione à priori,
quæ est D. Thomæ: nam adultus, qui pec-
cauit mortaliter, Deum offendit, volunta-
rie se ab illo auertendo, & conuertendo ad
bonum commutabile. Vnde requiritur ad
remissionem diuinæ offensæ, quod volun-
tas hominis sic immutetur, vt conuertatur
ad Deum cum detestatione conuersionis præ-
dictæ, & proposito emendæ: quod pertinet
ad rationem poenitentiz, secundum quod
est virtus. Ideoque præceptum naturale poe-
nitentiz omnem, qui mortaliter peccauit, obli-
gat ante, & post Baptismum: ideoque San-

ctus Thomas illa q. 86. art. 2. ad 1. dixit quod
non remittuntur adulto mortalia actualia,
etiam in Baptismo, sine actuali immutatione volun-
tatis, quæ fit per poenitentiam. Quia institutio
Baptismi non abtulit præceptum naturale
poenitendi, quod obligat peccatores, & non
iuuos, adultos, & non paruulos: sed perfe-
cit, & eius impletionem facilem reddidit: nam
poenitentia nostra imperfecta, quæ de se non
sufficiebat ad delenda peccata, eam vim ha-
bet a Deo, & a passione Christi, & a sacra-
mentis Baptismi, & Poenitentiz. Quod opti-
me declarat S. Thomas 3. p. q. 69. art. 1. ad
2. dicens; quod nullius peccati remissio fieri po-
tuit nisi per virtutem passionis Christi: vnde Apo-
stolus dicit ad Hebræos 9. *Quod sine sanguinis ef-*
 fusione non fit remissio. Vnde motus humanæ vo-
luntatis, qui est in poenitente, non sufficeret ad re-
missionem culpæ, nisi adesset fides passionis Chri-
sti: & propositum participandi ipsam, vel susci-
piendo Baptismum, vel subiuciendo se clauibus Ec-
clesiæ. Et ideo quando aliquis adultus poenitens
ad Baptismum accedit, consequitur quidem remissio-
nem omnium peccatorum ex proposito Baptismi;
perfectius autem ex reali susceptione Baptismi. Si
vero poenitentia est imperfecta; ita vt non
sit virtus; non consequitur remissionem si-
ne reali susceptione sacramenti; vt ex ipso
alijs locis dictum est.

63 Sed obijcies: nam communiter Theo-
logi docent in multis casibus sufficere poeni-
tentiam virtualem: vt cum quis suorum pec-
catorum oblitus rapitur ad Martyrium; vel
cum elicit actum Charitatis. Ergo post Bap-
tismi institutionem; velle suscipere ipsum
in remissionem peccatorum, posset dici vir-
tualis poenitentia; & ideo non est necessaria
poenitentia formalis distincta à voluntate re-
cipiendi Baptismum: quia post eius institu-
tionem, possumus prudenter iudicare Deum hac
poenitentia placari, quia omni alij æquivalere.

Respondetur in primis illam doctrinam
non omnes admittere, vt Cano in Relectio-
ne de Poenitentia parte 3. folio 16. & Soto
libro 2. de natura, & gratia capit. 16. & in 4.
dist. 13. quæst. 1. artic. 2. non nisi in aliquibus
casibus: similiter, & alij.

64 Sed concessio antecedenti, neganda
est consequentia. Ad probationem, bene,
post alios, respondet Serra in tertia proba-
tione 3. conclusionis, & ad 2. quod actus
spei, & voluntas suscipiendi Baptismum,
non continet virtualiter actum poenitentiz, etiam
imperfectum attritionis: alias sicut attritio non
potest esse cum proposito peccandi mor-
taliter, neque cum illo esse posset actus
spei: Sicut cum illo esse non potest actus
Charit.

Charitatis virtute continens actum contritionis. Quod tamen factum esse constat in peccatore fidei, qui quamuis proponat peccare, non propterea amittit spem, nec facultatem eliciendi actum illius. Nec est verum eum qui voluntatem habet recipiendi Baptismum, peccata virtualiter detestari; cum constet eum, qui actualem complacentiam habet de peccato in quo est, posse habere voluntatem recipiendi Baptismum in remissionem illius: Non tunc ac qui actualiter peccat, potest habere voluntatem confitendi postea tale peccatum. Imò rusticus non uiter ad fidem conuersus, cui Theologus diceret affectum ad peccatum non impedire effectum Baptismi; posset uelle, & actualiter Baptismum suscipere in remissionem peccatorum, sine detestatione illa; sed potius cum affectu illorum. Qui licet propter ignorantiam excusaretur a peccato, non tamen iustificaretur.

65 Dico tertio, attritio sufficiens ad iustificandum cum Baptismo, debet esse supernaturalis, efficax, ex motiuo aliquo supernaturali, & per auxilium gratiæ elicitæ. Ita ut omnino certum, tradit Medina 1. 2. q. 109. art. 6. dub. ult. ad 4. Zumel ibidem disp. unica ad 2. confir. 1. & Suarez disput. 28. lect. 2. conc. 3. dicit. *Hæc assertio est mihi fere certa.* Et Cabrera q. 69. art. 8. disp. 2. §. 5. nu. 28. dicit *oppositum improbabile.* Coninch & Auersa q. 68. sec. 6. Alij uero simpliciter hanc sequuntur, & nullam notam oppositæ apponunt. Ita Candidus disq. 16. artic. 6. dub. 12. Ioan. à Cruce quæst. 4. de Baptismo dub. 3. in fine. Bonacina tom. 1. disput. 2. quæst. 2. de Baptismo puncto 6. num. 26. Trullench lib. 2. capit. 3. dub. 7. num. 10. Imò Leander tract. 2. disput. 5. quæst. 28. & 29. hanc proponit solum ut *longe probabilior opinionem.* Sed magis distincte, Nuño q. 69. art. 9. dub. 4. cõc. 2. asserit, quod si sermo sit de attritione mere naturali sine alijs supernaturalibus actibus ex parte voluntatis. Sic est improbabile, quod cum Baptismo sola attritio naturalis sit dispositio ad iustificationem. Si uero sumatur attritio naturalis ex motiuo, ut procedens ex fide supernaturali, & alijs actibus spei, & similibus ex parte voluntatis, sic illa sententia est probabilis; quamuis nostra sit communior, & probabilior. Et sic etiam tenent Gregorius Martinez 1. 2. quæst. 109. artic. 6. dub. 3. ad 5. & hic Serra quæst. 69. art. 9. dub. unico conc. 1.

66 Et sic uerum mihi uidetur: Nec inuenio in Magistro Soto, quod unquam docuerit attritionem factam uiribus natura-

iustificare, etiam cum sacramento Baptismi. Et multo minus id docuit Magistro Cano, imò expresse oppositum: nam in Relectione de Pœnitentia parte tertia, in editione Complutensi anni 1563. folio 14. columna 1. ait. Et quæadmodum ad credendas pœnas supernaturales, necessarium est auxilium Dei, quo moueatur intellectus; sic ad timendum eiusmodi pœnas necessarium est ut excitetur affectus; & consequenter ad dolendum de peccato propter hunc finem supernaturalem. *Credimus enim nullam pœnitentiã efficaciter attingere effectum supernaturalem esse solo auxilio Dei generali.* Et loquitur de pœnitentia adiunctis sacramentis Baptismi, & Pœnitentiæ. Et clarissimè parte 5. folio 41. col. 4. *solan attritionem efficacem, ex timore pœnarum supernaturalium iudicat idoneam dispositionem ad sacramentorum Baptismi, & Pœnitentiæ gratiam percipiendam.*

67 Probat ergo conclusio ex Concilio Tridentino (seis. 6. can. 6. dicente. *Siquis dixerit sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominẽ pœnitere posse, sicut oportet, ut et iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Sed si attritio naturalis sufficeret, posset homo sine tali inspiratione, & adiutorio, pœnitere sicut oportet, ut ei iustificationis gratia per Baptismum conferretur: cum attritio naturalis uiribus naturæ haberi possit: ergo requiritur supernaturalis.

68 Secundo, peccatum mortale est offensæ Dei authoris gratiæ, & auersio ab eo: ergo detestatio illius, ut sit sufficiens dispositio ad eius remissionem, debet esse propter motiuum supernaturale, & auxilio Dei authoris gratiæ. ¶ Tertio dispositio ad formam supernaturalem debet esse etiam supernaturalis, ut sit aliquomodo formæ proportionata: cū ergo iustificatio fiat per gratiam, quæ est supernaturalis participatio diuinæ naturæ, etiam pœnitentia, seu attritio, quæ ad hoc disponit, debet esse supernaturalis.

69 Quarto id confirmat Suarez: nam dispositio ex parte intellectus debet esse supernaturalis, etiam in iustificatione, quæ fit per sacramentum, ut cum communi Theologorum, docet S. Thom. relatus num. 30. Ergo etiam dispositio requisita ex parte voluntatis: est enim par, aut maior ratio: quia dispositio intellectus est magis remota; dispositio autem voluntatis propinquior est; & magis perficit conuersionem, & sanctificationem hominis. Qualiter hæc ratio non probet nimium, latè explicat Suarez.

Hæc

Hæc assertio amplius confirmabitur, loquendo de dispositione requisita ut quis iustificetur cum sacramento Pœnitentiæ: ibi enim est proprius locus exponendi motiua attritionis.

70 Sed obijciens primò: nam dolor ex motiuo naturali potest excludere complacentiam, & voluntatem peccandi; quia potest cum illa esse incompossibilis: ergo si quis cum illo bona fide accedat ad Baptismum, iustificabitur.

Secundo, minor pœnitentia sufficit in Baptismo, quam requiritur in Confessione, ut colligitur ex Concilio Trid. sess. 14. cap. 2. Sicut facilius est generatio hominis, quam eius resurrectio. Sed in Confessione exigitur attritio supernaturalis. Ergo in Baptismo sufficit naturalis.

71 Ad primum respondetur, requiri talem actum, quo excludatur complacentia, & uoluntas peccandi per modum dispositionis proportionatæ ad iustificationem: quæ proportionem non habet nisi actus supernaturalis. Nam ut dicit Diuus Thomas in 4. dist. 4. q. 3. artic. 1. q. 2. ad 3. *gratia baptismalis non est per acquisitionem hominis, sed dono Dei.*

72 Ad secundum respondetur, quod sufficit minor pœnitentia in Baptismo ad consequendam plenam remissionem: quia illa, quæ sufficit ad delendam culpam, simul etiã sufficit ad delendam totam pœnam: quod non contingit in sacramento Pœnitentiæ. Et hoc solum colligitur ex Concilio. Ideoque baptizati non imponuntur opera satisfactoria, ut diximus cum Diuo Thoma art. 5. sicut iniunguntur in sacramento Pœnitentiæ. Multa alia argumeta referunt, & diluunt Nuño, & Cabrera; & alij. Sed omittenda, quia omnia ex dictis manent soluta.

73 Demum nota cum Soto dist. 6. q. 1. art. 7. conc. 3. (& alij frequenter idem tenent) quod ad Baptismum non requiritur detestatio peccatorum in particulari, nec ut fiat aliqua eorum indagatio, ut reuocentur in memoriam; sed satis est aliqua generalis, ut pœniteat hominem se peccasse. Et in hoc primum differt à sacramento Pœnitentiæ, ubi dicemus requiri particularem dolorem, & peccatorum confessionem. ¶ At uero Diuus Thomas insinuat requiri recogitationem, & pro excitanda attritione ex grauitate, & multitudine peccatorum, & pro cautela in futurum, & pro restitutione si aliqua facienda est proximis: quia ut dicit art. 5. ad 3. *peccatoribus baptizandis iniungendum est, quod satisfaciant proximis.* Quod & docet q. 69. art. 2. ad 3. Non tamen requiritur specifica, &

Individualis recogitatio, sicut cum sunt peccata confitenda. Et hoc forte solum uolunt Authores communis doctrinæ: de qua Candidus disq. 16. art. 6. dub. 13.

DVBIVM VI.

Vtrum pueri sint baptizandi?

§. I.

Errores hæreticorum.

Multa fieri possunt, quæ tamen facere non est conueniens, aut expediens; & idè in hoc puncto seorsum Theologi disputant de necessitate, & capacitate infantium ut possint baptizari; & seorsum de conuenientia an sit expediens, quod infantes ante usum rationis baptizentur.

Pelagius, & alij Hæretici, qui negarunt pueros contrahere originale peccatum, consequenter negabant illis fuisse necessarium Baptismum, ut eis remitteretur peccatum originale. Quia tamen paruulos ipsos baptizabant, non in remissionem originale, sed ut possent introire in regnum Cælorum: iuxta uerbum Domini Ioan. 3. *Nisi quis renatus, &c. Non potest introire in regnum Dei.* Idè directè non pertinet ad hanc quæstionem Pelagianos impugnare.

2 Sufficiat notare cum Soto dist. 5. art. 9. §. Quæstio hæc, quod contra illorum perfidiam Sanctus Augustinus tres libros illos edidit ad Marcellinum de peccatorum meritis, & Baptismo paruulorum: & sex alios contra Iulianum Pelagianum: & epist. 23. ad Bonifacium: ubi multis testimonijs comprobatur, propterea sine Baptismo non posse paruulos intrare regnum Cælorum; quod sine ipso nequeunt obtinere remissionem originalis culpæ; quam contrahunt. De qua re post modum in dictum fuit Mileuitanum Concilium, in cuius canone 2. quod refertur de Consecratione, dist. 4. Can. Placuit. 3. eadem hæresis condemnata fuit his uerbis. *Placuit, ut quicumque paruulos recentes ab ueris matribus baptizandos negat, aut dicit eos in remissionem peccatorum non baptizari, Anathema sit.* Illud autem Concilium multis postmodum Pontificum subscriptionibus confirmatissimè fuit, ut rescripto Innocentij Papæ ad eandem Synodum, & epist. Leonis Pontificis 56. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum. Sed his ommissis, quia de illis Theologi cum D. Thoma Prima Secunda quæstione 81.

3 Tempore S. Bernardi, ut ipsa refert in epist. 240. fuit Henricus quidam hereticus, qui dicebat paruulos etiam Christianorum baptizandos non esse. Idem S. Ier. 68. in Cantica ait: *Irrident nos quia baptizamus infantes*: Refert autem ideo illos hereticos paruulis negasse Baptismum: quia dicitur Marci ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit*: paruuli autem vsu rationis carētes, credere non poterant; & ideo nec per Baptismum iustificari. Idem refert Petrus Cluniacensis Venerabilis epist. 1. longe à principio, ubi & ait Henrici sequaces dictos *Hereticos*: & quia eius Pseudo Apostolus fuit Petrus de Bruis, dicti fuerunt *Petro Bruisani*.

4 Sequuti sunt noui Anabatistæ, Authore Balthasare Pacimontano, qui Vienæ igni traditus est, qui dixerunt, quod si infantes ante vsu rationis baptizentur, iterum in adulta ætate sunt baptizandi, eo quod Baptismi in illa ætate capaces non esse existimat.

Erasmus etiam in præmio super Mathæum hæc verba non est scribere veritus. *Sæ placet maioribus Ecclesiæ, deberent paruuli, cū ad ætatem adultam peruenerint, interrogari an velint tenere fidem susceptam*. Perpende. (inquit Soto in fine art. 9. citati) *si verba hæc sint in Christiano ferenda*. Pariter Ludouicus Viues in cap. 27. lib. 1. de Ciuitate Dei, inquit olim neminem, nisi in adulta ætate, in qua ipse per se respondere posset, baptizari consueuisse. In quo tacite reprehendere videtur morem Ecclesiæ Romanæ baptizandi pueros in prima ætate. Quod proinde in Indice Expurgatorio deleri iuberetur, ut notat Gratiano trac. 4. disp. 3. num. 2.

5 Per aliud extremum Lutherus in libro de captiuitate Babylonica cap. de Baptismo, in talem deuenit dementiam, & sic mordicus tenuit solam fidem sufficere ad salutem, ut diceret pueros etiam ante vsu rationis verè actu credere. Sed delirium est tanquam hereticum condemnatum, ut ex Rosensi in primo articulo, notat Soto isto articulo nono, & libro secundo de natura, & gratia cap. 10. Qualiter Lutherus hoc retractauerit, & alij Sectarij in pueris alios actus non fidei, sed fere similes concesserint, late post Bellarminum lib. 1. de Baptismo ultimo à cap. 9. refert Vazquez

hic disputat. 154.

cap. 3.

§. II.

Doctrina Catholica.

Nihilominus secundum fidem Catholicam est certum, paruulos vsu rationis carentes, esse capaces Baptismi, & illo indigere. Ita diffinitur in Concilio Viennensi sub Clemente Quinto, ut refertur in Clementina prima §. *Ad hoc Baptisma*, de Summa Trinitate, & fide Catholica, & in Concilio Tridentino sessione 7. canone 12. de Baptismo. *Siquis dixerit neminem esse baptizandum, nisi ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo, anathema sit*. Idem diffinitur in Concilio Mileuitano verbis supra relatis. Aliorum Concilium decreta, & Pontificum definitiones, & Patrum auctoritates, refertur Bellarminus, & Vazquez supra, Suarez, Nuño, Cabrera, & passim alij in præsentia.

7 Hanc assertionem solis Scripturæ testimonij non posse sufficienter conuinci, concedit Suarez disp. 23. sec. 1. conc. 1. motus quibusdam verbis Diui Hieronimi Mathæi 19. Sed in eum acriter inuehitur Vazquez disput. 154. capit. 1. num. 6. Sed non video eum allegare aliquod conuincens testimonium. Magisque credo Diuo Augustino lib. 10. de Genesi ad litteram cap. 23. dicenti. *Consuetudo matris in baptizandis paruulis, nequaquam spernenda est; neque villo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio*. Non recurrit Sanctus Augustinus ad solas Scripturas, nisi adiuncta Apostolica traditione. De qua, & testatur Sanctus Dionysius capit. 7. Ecclesiæ hierarchiæ relatus à Diuo Thoma hic art. 9. dicens. *Diuini nostri duces, scilicet Apostoli, probauerunt infantes recipi ad Baptismum*.

8 Probant Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione 40. §. *Sint sane hæc*. Et Sanctus Augustinus lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 24. & Innocentius Tertius cap. *Matores*, de Baptismo. Et Sanctus Thomas in 4. dist. 4. quæst. 3. artic. 1. quæst. 1. *Nam Baptismus Circuncisioni succedit*. Sed Circuncisio conferebatur paruulis. Ergo & Baptismus potest conferri.

9 Sed tantam auctoritatem Patrum, & ipsius Summi Pontificis in corpore iuris non veritus Vazquez, scribit hic cap. 1. num. 13. exemplum Circuncisionis non esse accommodatum: quia vera sententia est Circuncisionem gratiam non contulisse: quare nullum inde argumentum efficax delumi potest.

Sed

10 Sed in primis assumit falsum ut iam ostendimus q. 62. dub. 7. §. 3. & 5. Secundo dato quod assumeret verum, nil minuitur efficaciam argumenti: siquidem negari nequit circuncisionem fuisse figuram Baptismi: siquidem Apostolus ad Colossenses secundo ver. 11. ait. *In quo, & circuncisi estis circuncisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, sed in Circuncisione Christi: conspuli ei in Baptismo*. Illa autem ceremonia paruuli, nec dum habentes vsu rationis, adscribebantur populo Dei, & tenebantur vniuersam legem seruare: iuxta illud Apostoli ad Gal. 3. ver. 3. *Testificor autem rursus omni homini circuncidens, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ*. Et quamuis esset onus importabile, & ceremonia acerbissima, illi subdebant paruuli: Ergo à fortiori Baptismus debet applicari paruulis ut consecrentur, & sanctificentur. Addit S. Cyprianus epist. 5. §. nunc non oportere expectare octauum diem, quia lex gratiæ neminem procius excludit cui remedia eius applicari possint. Et quia significationes, & causæ aliæ illius ceremoniæ de expectando octauo die, nunc locum non habent:

11 Deinde vrget ratio Pontificis, que proponitur à D. Thoma dicta dist. 4. Nam diuersi status mundi comparantur diuersis ætatibus vniuersi hominis, sicut dicit S. Augustinus in lib. 83. quæstionum q. 38. & 33. Vnde sicut nullus status mundi fuit, in quo esset humano generi præclusa via salutis: ita nulla ætas hominis vnius est, in qua sibi via salutis præcludatur. Vnde cum in pueris sit peccatum originale, per quod à consequutione eterne salutis impediuntur, oportet, quod eis adhiberi possit aliquod remedium ad remouendum prædictum impedimentum: hoc autem est Baptismus. Vnde diuina misericordie contradicit, qui negat Baptismum paruulis posse exhiberi. Et propter hoc hereticum est hoc dicere. & Soto art. 9. §. *Constituto autem* (inquit) peccatū per generationem contrahi; *blasphemia esset in Deum insignis negare paruulis necessarium esse Baptisma*, ut pote qui tam latum infantium statum omni prorsus remedio destitutum reliquisset.

12 Ad idem pertinet ratio D. Th. hic art. 9. dicens, quod sicut Apostolus dicit ad Rom. 5. *Si vnius delicto mors regnauit per vnum, scilicet, per Adam; multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum*. Pueri autem ex peccato Adæ peccatum originale contrahunt: quod patet ex hoc quod sunt mortalitati subiecti, quæ per peccatū primi hominis in omnes pertransiit, ut Apostolus

ibidem dicit. Vnde multo magis pueri possunt per Christum gratiam accipere, ut regnent in vita æterna. Ipse autem Dominus dicit Ioan. 3. quod *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*. Vnde necessarium fuit pueros baptizari, ut sicut per Adā damnationē incurrerunt nascendo, ita per Christum salutem consequantur renascendo.

13 Circa hanc rationē aduertit Vazquez notatione circa ar. 9. h. 7. quod cū dicit D. Tho. quod *necessarium fuit pueros baptizari, usurpatur necessarium; cōparatione solū facta cū fine sacramenti, quī est remissio peccati*, non autē cū ætate paruuli (alioquin frustra postea ageret de cōuenientia ut pueri ante vsu rationis baptizentur) ita ut dicit D. Th. paruulū etiā indigere Baptismo pro remissione peccatorū, & nō solū adultū, quia etiā paruuli cōtrahunt originale: & sicut ante vsu rationis per Adā damnationē incurrunt, ita sine vsu rationis possunt per Christū salutem cōsequi renascendo. Quia sic possunt subiecti actioni sensibili sacramentali: quod nō possunt antequā nascantur, ut notat D. Tho. art. 11. ad 1.

§. III.

Expedi infantes baptizare, qui postea sunt cogendi ad seruandam fidem.

14 Secūda cōclusio D. Th. ar. 9. & 3. ex proffesso ab ipso probatur in 4. dist. 4. q. 3. ar. 1. q. 2. dicente. *Quod magis laudabile est, quod pueri quā citius poterint, baptizentur cōmodè, nō expectata perfecta ætate*, propter tres rationes. Primo, quia propter imbecillitatē naturę defacili mori possunt, & dānari: vnde ut dānationis periculū euitetur, debet Baptismo præueniri. Secūdo, propter infestationes Dæmonū; qui nō habet tantam potestatem in pueris baptizatis ab originali mūdatis, quantā in illis qui adhuc originale habent; neque quātū ad nocumēta spiritalia, neque quātū ad nocumēta corporalia. Tertio, quia in pueritia facilius homo ad illi qua inducitur, & firmiter inhaeret; secundum quod Philotophus dicit in 2. Ethic. c. 1. *Nō parū differt ex iuuenē cōfessim assuescieri, sed multū; magis autē omne*. Et hæc causā asignat S. Dionisius in fine Ecclesiæ hier. dicens. *Tradit ante puerū sacris Symbolis; id est, sacramentalibus signis sumus Sacerdos; ut cū eis cōuersetur, & neque formetur in vitā alterā, nisi diuina contemplantem sem per.*

Quæ cōclusio iam est de fide, postquā Concilium Tridentinum sess. 7. can. 13. de Baptismo sic definiuit. *Siquis dixerit, presta-*

re omitti parvulorum Baptisma, quam eos non ac-
tu proprio credentes baptizant in sola fide Eccle-
siae, Anathema sit. De præcepto vero pueros
baptizandi, iam supra dub. egimus.

15 Specialiter contra Erasmi editus
videtur Canō 14. eiusdem Sessiois in quo
dicitur. *Siquis dixerit, parvulos baptizatos, cū
adoleuerint, interrogandos esse, an ratum habere
velint, quod patris eorum nomine, dum baptizati
ventur, polliciti sunt; & ubi se nolite responderint,
suo esse arbitrio relinquendos; nec alia interim pœ-
na ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eu-
charistia, aliorumque sacramentorum perceptio-
ne interim abstineant, donec respiciant, Anathe-
ma sit.* Quod constat primo, quia in Ecclesia
temporibus Apostolorum consuetum est
infantes baptizari: & nusquam videmus
eos interrogari an vellint credere. Secundo,
quælibet Res publica bene gubernata potest
suos subditos cogere ut seruent id, quod ser-
uare tenentur: & hac de causa Ecclesia hære-
ticos pœnis etiam ignis cogit, ut non recedant
à Catholica doctrina: cum ergo pueri
ratione Baptismi sicut subditi Ecclesiae, ab ea
cogi possunt ad seruandum, quod eorum spō-
sore promiserunt.

16 Idem probat Soto in fine illius artic.
9. dicens. Respondetur ergo parvulos bap-
tizatos postmodum compellendos ad fidē.
Primum enim si sint parentibus Christianis
nati, res est extra controuersiam manifesta:
Sunt siquidem de Republica Ecclesiae, eius-
que iurisdictioni subiecti: *Quare licet in infan-
tia nō baptizarentur, possent in ætate adulta sub
ignis supplicio compelli.* Si autem sint filij infi-
delium, quamuis nullatenus sint inuitis pa-
rentibus baptizandi; nihilominus quomodo-
cumque baptizentur, possunt postea ad fi-
dei culturam constringi, ut sancitum est in
Concilio Toletano 4. & habetur cap. de Iu-
deis dist. 45. & citatur ab Innocentio Ter-
tio cap. *Maiores, de Baptismo.*

17 Hanc tamen doctrinam nimio zœ-
lo fidei scriptam, sed ex parte non esse verā,
dicunt Nuño artic. 9. dub. 2. conc. 2. dicens,
quod si filij fidelium veniant ad vsum ratio-
nis sine Baptismo, non possunt ad fidem cogi.
Quia iam sunt sui iuris: & ita propria vo-
luntate debent baptizari: siquidem credere
debet esse voluntarium. Idem asserit Cabre-
ra disp. 2. cōc. 2. quia cum isti nondum bap-
tismum susceperint, deest titulus iurisdictionis
Ecclesiae, propter quem possint illi subij-
ci, ut in simili D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 10.
Siquidem filius postquam ad ætatem adul-
tam venit, in his, quæ pertinent ad ius diu-
inum, & ad religionem suscipiendam, est sui

iuris, & per propriam voluntatem regi, ac
gubernari debet.

18 Hæc doctrina est vera. Addit tamen
Nuño in fine dub. 3. quod si filius baptizato-
rum, non baptizatus suscepit iam alia sacra-
menta, & admissus fuerat communiter ad
ea, ad quæ admittuntur baptizati, nimis pro-
babile est, quod potest; cogi ad fidem: quo-
niam recipiēdo alia sacramenta, ipse se obli-
gavit ad fidem: & alias nomen Domini blas-
phemaretur, & fides contemptibilis haberetur.
Idem videtur tenere Sayrus, & Henri-
quez, quos refert, & sequitur Thomas San-
chez lib. 2. in Decalogum cap. 7. n. 36. docē-
tes eum, qui invalidum Baptismum suscepit,
posse cogi ab Ecclesia ad verum Baptis-
mum suscipiendum. Et Castrus Palaus to. 1.
trac. 4. disp. 8. punc. 16. §. 6. n. 3. refert Cesar
augustæ anno 1619. quendam Maurum,
qui aduersus fidem nostram deliquit, recon-
ciliatum fuisse, etiam si allegasset se baptiza-
tum non fuisse; & vere in libro Parochi eius
Baptismus scriptus non inueniretur. Vnde
Castrus infert, ad hoc sufficere, quod in com-
muni hominum existimatione reputetur
baptizatus, quia inter Christianos natus,
& nutritus est. Idemque tenet Trullenchi
lib. 1. in Decalogum. c. 2. dub. 2. n. 21. in fine.

19 Cæterum cum Baptismus sit sacra-
mentorum ianua, alia sacramenta sine ipso
suscepta nullum fructum afferunt ex opere
operato. Nec per illa, qui nō est baptizatus,
efficitur de gremio Ecclesiae; nec subditus
eius iurisdictioni: Vnde si sciens se non esse
baptizatum, se ingressit, peccauit mortali-
ter: & puniri posset ut irritor nostrorum sa-
cramentorum, auctoritate Ecclesiae indite-
ctæ se extendente ad defendendū se ab extra-
neis. Si vero ignorans suum statum, vel non
agnoscens hoc esse impedimentum, forsan
posset ob ignorantiam excusari: Sed non vi-
deo quo iure possit cogi ad fidem, & ad sus-
ceptionem Baptismi: quare Nuño non lo-
quitur consequenter. Nec Sanchez, & Cas-
trus Palaus, ut contra eos notat Lugo disp.
20. de fide sec. 4. §. 1. n. 141. quia voluntas sus-
cipiendi Baptismum, nō dat ius Ecclesiae ut
cogat ad illum suscipiendum: iuxta id quod
ait Trid. sess. 14. cap. 2. quia non est ingressus
Ecclesiam per Baptismi ianuā. De illo Mau-
ro dicit vel rem māsisse dubiā, & præsump-
tum fuisse Baptismum. Vel non fuisse puni-
tum ut hæreticum, sed ob delicta contra no-
stram religionem. Vnde n. 146. dicit, quod
si non baptizatus susceperet sacramenta, pos-
set puniri; quia offendit, & lædit Ecclesiam,
& sacramenta, decipiēdo in re graui.

Eg

Et hæc patet ex simili de illo, qui inuolūte
Matrimonium contraxit, vel non est profes-
sus religionem; nam, per se loquendo, iste
potest ad seculum redire, & alius potest alte-
ri nubere, vel sine nuptijs perseverare.

20 Triginta sex argumenta hæreticorū
refert, & diluit Bellarminus illo cap. 9. Sed
quia pleraque eorum sunt futillia, & inania;
solum quatuor, quæ solueret, elegit Vazquez
cap. 2. Verum tres solutiones D. Thomas ar-
9. ad omnia diluenda sufficiunt: Ad primum
ait, quod regeneratio spiritualis; quæ fit per
Baptismum, est quodammodo similis nati-
uitati carnali, quantum ad hoc; quod sicut
pueri in matris uteris constituti, non per
se ipsos nutrimentum accipiunt, sed ex nu-
trimento matris sustentantur: ita etiam pue-
ri nondum habentes vsum rationis; quasi in
utero matris Ecclesiae constituti, non per se
iplos, sed per actum Ecclesiae salutem susci-
piunt. Quod explicat verbis D. August. lib.
1. de peccat. meritis cap. 25. & 19. & sol. ad
2. affert verba eiusdem S. August. epist. 23:
ad Bonifacium. Tandemque ad 3. ait, quod
sicut puer cum baptizatur, nō per se ipsum,
sed per alios credit: ita non per se ipsum, sed
per alios interrogatur: & interrogati confi-
tentur fidem Ecclesiae in persona pueri, qui
huic fidei aggregatur per fidei sacramentū.
Conscientiam bonam consequitur puer (sic
exponit, quod habetur. 1. Petri 3.) in se ip-
so; non quidem actu, sed habitu per gratiam
iustificantem.

21 Circa hæc bene Caietanus notat,
quod hæc ad solēnitatem Baptismi expec-
tant; & ideo sine his Baptismus factus valet:
quia cum institutus esset ritus Baptismi pro
adultis, accommodatus est idem ritus ad
parvulos, ut quod propriè sit ab adultis, se-
cundum quandam similitudinem fieret à
parvulo, non proprio, sed Ecclesiae ore.

22 Ex quo infert idem Caietanus artic.
10. initio, *irrationabilem esse sententiam Du-
randi (in 4. dist. 4. q. 6. & aliorum antiquorū,
quos sequitur Catharinus Opusculo de Iu-
deorum infantibus baptizandis) dicentis
voluntatem extrinsecam parentum requiri
de necessitate sacramenti.* Quod omnino ef-
se falsum, sumitur ex D. Thomas art. 9. ad 2.
& ar. 10. & 12. Tenetque S. Antoninus 3. p.
tit. 14. cap. 13. §. 9. & 2. p. tit. 12. cap. 2. sub fi-
nem. Soto dist. 5. ar. 10. §. *Duo hic*, & alij cō-
muniter. Quod adeo certum existimat Vaz-
quez disp. 155. cap. 6. n. 65. ut oppositum cō-
seat *improbabile*: ideoque huiusmodi Baptis-
mum neque sub conditione repeti posse.
De quo latè Nuño art. 10. & ibi Cabrera §.

3. dicens *omnium Thomistarum*. Serra conc. 1.
Granados trac. 4. disp. 5. sec. 2. Palaus punc.
6. n. 7. dicens hoc esse certum. Bonacina disp.
2. q. 2. punc. 6. nu. 11. Quare malè Leander
trac. 2. disp. 5. q. 6. oppositū indicat esse pro-
babile; cum hoc solum dicat *probabilis*. Si
enim id sensu el admitteretur, Baptismus es-
set iterandus sub conditione. Quod merito
iam Theologi nō admittunt; & esse impro-
babile; etiam notat Lorca de fide disp. 37.
n. 2. Quia Baptismo collato parvulis, eorum
parentibus repugnantibus, nihil profus de-
est, quod ad verum Sacramentum Baptismi
requiratur. Sicut infidelitas propriæ arē-
tum pueris non nocet. Vnde D. Thomas ad
2. in isto art. 9. ait. *Nec impeditur eorum salus,
si parentes sint infideles: quia sicut dicit Augus-
t. eidem Bonifacio scribens epist. 23. offeruntur par-
vuli ad percipiendam spiritualem gratiam; non tã
abeis; quorum gestantur manibus (quamuis, &
ab ipsis; si & ipsi boni fideles sunt) quam ab uni-
uersa societate sanctorum, atque fidelium.* Con-
stat enim voluntatem alienam non magis
necessariam esse ut parvuli dicantur velle,
quam sit necessaria fides aliena ut dicantur
credere: sicut ergo dicuntur credere fide Ec-
clesiae, etiam cum nō adest fides parentum,
ita volunt baptizari voluntate Ecclesie, quã
adeste constat etiam si nullus actu velit.

DVBIUM VII.

Vtrum pueri Iudæorum, vel aliorum infide-
lium sint inuitis parentibus bap-
tizandi?

§. I.

Certa præmittuntur.

DE hoc puncto agit D. Thomas art. 10
qui non agit de filijs Hæreticorū, vel
Schismaticorum, vel aliorum baptizatorū,
qui ab Ecclesia recesserunt: quia certum est
istorum filios etiam inuitis parentibus bap-
tizandos. Quod sumitur ex Concilio Tole-
tano 4. relato in cap. de Iudæis dist. 45. & do-
cent communiter omnes Doctores: nam cū
parentes eorum ratione Baptismi cogi pos-
sunt ab Ecclesia ad seruandam fidem veram,
& præcepta omnia, cogi etiam possunt ad
baptizandos filios suos, eo tempore, quo de
more baptizari consueuerunt.

2 Si tamen hæreticorum filij nequeant
ab eis separari, & prudenter timeatur, quod
cum adoleuerint, decipientur, & peruertantur
à parentibus, dicunt Suarez disp. 25. sec. 1.

3. §. *Hæc argumenta.* Coninch hic art. 10. dubio unico nu. 81. Heredia de Baptismo parte 7. dub. 3. n. 8. Granados tract. 4. disp. 5. sec. 3. n. 17. Filliuti tract. 2. cap. 6. n. 148. Trullench lib. 2. c. 3. dub. 6. n. 16. Candid. dit. 16. art. 5. conc. 12. quod non licebit Ecclesiæ illos contra parētum voluntatem baptizare: cederet enim in detrimentū Christianæ religionis, foretque id sanctum dare canibus, ut illud conculcent, & contumeliosi afficiant.

3. Contrarium docent Layman lib. 5. tractatu 2. cap. 6. q. 5. circa finem. Castrus Pala tract. 19. punct. 6. n. 10. Diana 3. p. tract. 4. resol. 7. & p. 8. tract. 1. rel. 1. Leander tract. 2. disp. 5. q. 8. Aueria q. 68. sec. 3. & alij dicentes posse, & debere baptizari, etiam si a parentibus hæreticis nequeant separari. Tum quia si ante usum rationis decedant, saluabuntur. Tum quia forte ad tēpus inuincibili ignorantia poterunt excusari, dum prauis doctrinis imbuentur. Tum quia forte facilius ad veram fidem redibunt, si scient se fuisse a ministro catholico baptizatos. Ob quam spem potest permitti oppositum periculū irreuerentiæ: dum iam Ecclesia habet ius talis filios parentum sibi subditorum baptizandi. Propter quæ hæc sententia videtur probabilior; si cum prima nequeat conciliari: nam Lugo de fide disp. 21. sec. 1. nu. 23. ait. Ego, puto in re ipsa hos auctores parum, aut nihil differre. Vtrique enim fatentur, quando nulla esset spes fidei retinendæ, non esse conferendum Baptismum. Vtrique fatentur conferri posse, quando spes probabilis talis esset. Dissidium, si quod remanet, est circa factū ipsū, an de facto possit concipi eiusmodi spes: quod iudicium morale pendet ex circumstantiis personarum, loci, & sociorū. Et expresse admittit, quod ubi consuetudo est, quod Catholici baptizent hæreticorum filios a parentibus oblatos, ipse eam non facile damnaret. Nec ego.

4. De filiis autem infidelium, qui habent usum rationis, inquit D. Thomas, quod iam quantum ad ea quæ sunt iuris diuini, vel naturalis, incipiunt suæ potestatis esse, & ideo propria voluntate inuitis parentibus possunt Baptismum suscipere; sicut & matrimonium contrahere. Et ideo tales licite moneri possunt, & induci ad suscipiendum Baptismum. Admonet tamen S. Thomas 2. 2. q. 10. art. 8. quod tales nullo modo sunt ad fidem compellendi, ut ipsi credant: quia credere voluntatis est. Ideoque in dicto Conc. Tol. dicitur. *Præcipit Sancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre.* Quod exponens S. Thomas ibi ad 2. ait, quod Iudæi,

si nullo modo acceperunt fidem, nullo modo sunt cogendi ad fidem. Si autem acceperunt fidem, oportet ut fidem necessitate cogantur retinere, sicut eodem capitulo dicitur. Quam doctrinam Expositores ibi late confirmant: & quia propter contrariam positionem Genesij Sepulcedæ lib. 7. Politicorum cap. 2. erat suo tempore controuersa; ideo Soto hic dit. 5. q. unica art. 10. conc. 3. duodecimis validissimis argumentis stabilit, & contraria erudite dissoluit. Sed quia non est iste locus opportunus de his latius differendi. Videatur post alios Tapia to. 2. Carenæ Mor. lib. 1. q. 5. art. 7. & quantum ad coactionem, quam indaxisse fertur Carolus Magnus Saxonibus ut baptizarentur, & Sisebutus Iudæis, videatur Baronius tom. 9. ad Annum 776. n. 9. & ad annum 777. n. 5. & anno seq. & to. 8. ad Annum 614. & quæ ex Alcino epist. 7. & epist. 105. refert Ioan. Nicolai in Additionibus ad Raynerium verbo Baptismus cap. 1. §. 11. & 12. ubi late ostendit nunquam in Ecclesiâ probatū esse, ut ad Baptismum suscipiendum vilius infidelium cogeretur.

5. Solum ergo est difficultas de filiis Infidelium carentibus vsu rationis, an inuitis parentibus possint baptizari? Ut respondeant, iam cōmuniter Authores distinguunt Infideles alios esse minime subditos Christianis, alios vero eis subiectos. Quæ subiectio est vel solum ciuili, & politica; qualem habent omnes vassalli ad suum Regem, cui non sunt serui, nec mancipia: vel est subiectio despotica eorū, qui iure belli, vel emptionis, vel alio titulo iusto in potestatem Christianorum devenerunt, & est mancipiorum, & seruorum. Et ista mancipia, seu serui, habent duos status: vel enim infantuli seruorum filij, sunt sub cura suorum parentum, qui nolunt suos filios baptizari: vel sūt ab illis separati, siue iure, siue iniuria, ut non possint conueniri.

6. Certū igitur est, & ab omnibus Theologis admissum, nemine, quem viderim, discrepante, illicitum esse, & contra naturale ius, ut filij infidelium, qui nullo modo subditi sunt Ecclesiæ, baptizentur inuitis parentibus. Quod a fortiori probat rationes D. Thomæ postea proponendæ. Et adhuc, qui ei non omnino consentiunt, in hoc conueniunt. Vnde Lorca 2. 2. q. 10. disp. 37. me mb. 3. num. 13. hanc statuit primam conclusionem. Et probat, quia perinde est baptizare filios, atque parentes ipsos ad fidem violenter adducere: hoc autem si quomodo fieri potest, oportet ut fiat ab habente conuenientē iurisdictionem,

tionem, & potestatem legitimam. Vbi ergo nulla interuenit spiritualis, nec temporalis, non potest iuste fieri: si enim infideles isti ad ea, quæ debita sunt iure naturæ, compelli non possunt defectu iurisdictionis, multo minus ad professionem fidei supernaturalis suæ, aut filiorum.

§. II.

Sententia affirmans.

7. Loquendo ergo de filiis Infidelium, qui subditi sunt Christianis Principibus, posse inuitis parentibus baptizari, affirmat Scotus in 4. dit. 4. q. 9. Gabriel ibidem q. 2. dub. 5. Angelus verbo Baptismus 6. num. 11. Dionysius Carthusianus 4. dit. 4. q. 7. Angles q. 2. de Baptismo art. 2. Villalobos to. 1. tractatu 5. diff. 1. §. n. 7. dicens communem Scotistarum. Martinus a S. Ioseph de Baptismo tract. 4. n. 10. dicens sibi certum.

Deinde Diana parte 8. tract. 1. resol. 1. §. Sed quid, refert, quod hanc sententiam ex neotericis tenent duo viri doctissimi, Guillelmus Estius in 4. dit. 6. §. 2. & Petrus Lorca in 2. 2. D. Thomæ q. 10. art. 12. disp. 37. cōc. 2. Sed Lorca ibi num. 18. solum ait: *Non esse absurdum, aut improbabile (si minus verum) asserere, quod non est contra ius naturale, aut diuinum, compellere patres, ut filios baptizent; si fiat cum moderatione, & circumstantiis, quas Scotus aduertit.* Et num. 19. subdit. Dico tertio, *Iure Ecclesiastico non licet filios infidelium, etiam si sint subditi, & etiam si sint serui, inuitis parentibus baptizare.* Ex quo patet Lorcam, Scoti sententiam non tenere, primo, quia dicit eam minus veram. Secundo, quia solum dicit eam non esse absurdam, nec improbabilem attentio, iure diuino, & naturali: & quod attentio iure Ecclesiastico id non licet. Neque amplius voluisse S. Thomam. Deserit ergo Scotus, qui omni iure attentio loquitur. Et meo videri neque cum D. Thomæ conuenit, qui in hac parte ius Ecclesiæ fundat in iure diuino, & naturali. Non ergo fideliter Diana retulit Lorcam.

8. Scotus ergo illa q. 9. relata ratione Richardi, de qua postea, sic ait. Sed hæc ratio, licet forte concludat de quacumque persona priuata, quod non possit paruulos a talibus auferre; nec iuste baptizare. Non videtur tamen concludere de Principe; cui in regimine Reipublicæ tales sunt subditi. Nā in paruulis Deus habet maius ius dominij, quā parentes. Vniuersaliter enim in potestatis ordinatis potestas inferior non obligat in his,

quæ sunt contra superiorem. Sicut docet Augustinus de verbis Domini hom. 6. & ponitur capite vlt. lib. 2. de natura boni. *Si illud iubet potestas, quod non debes facere; hic sanè contemne potestatem, timendo potestatem maiorem.* Et declarat in exemplo de curatore, & Proconsule; de Proconsule, & Imperatore; de Imperatore, & Deo. Ergo si quis habet regere Rempublicam, magis debet, quantum in se est, cogere vnumquemque subditi domino superiori, quam inferiori; imo superiori contempto inferiori; quando inferior in tali dominio restitit superiori. Sicut ergo Imperator debet sententiare aliquem obedire debere Proconsuli, contempto præcepto Curatoris, id est, inferioris Proconsule, si contradiceret Proconsuli. Ita etiam si essent ab eodem dominia ordinata, scilicet, quod aliquis esset seruus Titij, & Titius Petri, magis deberet Imperator cogere seruum seruire Petro; quia superior est Titio, quam Titio; si Titius valet uti seruo illo contra dominium Petri. Ergo maximè debet Princeps zelare pro dominio seruo supremi domini, scilicet Dei. Et per consequens, non solum licet, sed debet Princeps auferre paruulos a dominio parentum volentium eos educare contra cultum Dei, qui est supremus, & honorabilissimus dominus; & debet eos applicare cultui diuino.

9. Dico ergo breuiter, quod si Princeps hoc faceret eum cautela bona, scilicet, ne parentes prius cognoscentes hoc futurum occiderent pueros suos: & quod baptizatos facerent religiosè educari, bene fieret. Imò, quod plus est, crederem religiosè fieri; si ipsi parentes cogerentur minis, & terroribus ad suscipiendum Baptismum, & ad conseruandum poitea susceptum: quia esto quod ipsi non essent vere fideles in animo: tamen minus malum esset in eis non posse impure legem tuā illicitam seruire, quam postea eam libere seruare. Itē filij eorū, si bene educarentur, in terra, & quarta progenie essent verè fideles. Hæc Scotus. Qui in fine quæstionis concludit. Istud autem de parentibus infidelibus cogendis per minas, & terrores, videtur probari, quia simile commendat illud Concilium Toleranum supra allegatum, dicens. *Qui pradem ad Christianitatem coacti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi Principis Sisebuti.* Ergo in hoc approbat eum tãquam Principem Religiosum: quia infideles coegit ad fidem. Hæc ille.

10. Ad idem pertinet commune argumentum. Nam qui abutitur iure suo, præfertim in præiudicium tertij, dignus est ut eo iure priuetur. Pater autem non baptizans filium,

lium, abutitur patria potestate in præiudiciū infantis, & peruertit ius obedientiæ Deo ac biræ. Iuste ergo nisi iure priuari poterit, in penam transgressionis legis naturæ, & præcepti diuini.

§. III.

*Veræ, & communis sententia rationibus
Dni Thomæ probatur.*

¶ **D**ico tamen primo, nulli, etiam supremo Principi, licet filios infidelium parentum, qui iure tantummodo ciuili sibi subduntur, inuitis ipsis baptizare. Ita Sanctus Thomas hic art. 10. Et 2. 2. q. 10. art. 12. Et Quodlib. 2. art. 7. Et non solum Thomistæ omnes eum sequuntur, sed etiam communiter Theologi, totis paucissimis, qui contrarium relati sunt, exceptis. Quod in quæstionibus moralibus, tot iam sæculis in Ecclesia disputatis, dat moralem certitudinē. Probat D. Thomas illo art. 12. dicens. Maximā habet auctoritatē Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda, quia & ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet: unde magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quam auctoritati Augustini, vel Hieronimi, vel cuiuscunque Doctoris. Hoc autem Ecclesiæ visus nūquam habuit, quod Iudæorum filij inuitis parentibus baptizarentur: quamuis fuerint retroactis temporibus multi Catholici Principes potentissimi, vt Constantinus, Theodosius, quibus familiares fuerunt sanctissimi Episcopi, vt Syluester Constantino, & Ambrosius Theodosio, qui nullo modo prætermisissent ab eis impetrare, si hoc esset cōsonum rationi. Et ideo *periculosum videtur* hanc assertionem de nouo inducere, vt præter consuetudinem in Ecclesia hæctenus obseruatā, filij Iudæorum inuitis parentibus baptizentur. Hoc argumento conuincitur Nuño hic art. 10. dist. 2. conc. 2. vt dicat contrariam sententiam esse *improbabilem*. Nec video cur Romani Pontifices in ipsa Vrbe Roma nullum filium Iudæorum sibi subditorum inuitis parentibus præcipiunt baptizari, si contraria opinio potest praticari?

12 Imo iste non est casus omissus, sed de eius à Romanis Pontificibus: nam cap. 2. de conuersione infidelium, statuit Gregorius 9. filium patre consentiente baptizandum esse, etiam si mater infidelis renuat. *In fauorem matris: fidei Christianæ respondemus patri eundem puerum assignandum.* Pariter si mater fidelis ve-

lit filium baptizari, etiam si pater infidelis renuat, vt statuit Concilium Toletanum 4. relatu in cap. *Iudæi* 28. q. 1. vbi dicitur. *Filij qui ex talibus nati sunt, fidem, atque conditionē matris sequantur.* De quo videatur D. Thom. in 4. dist. 39. q. 1. art. 4. ad 4. A contrario ergo sensu apparet consequi, quod si ambo in infidelitate persistentes reclamarent, non esset baptizandus.

13 Præterea, iura sæpissimè statuunt infideles non posse iuste cogi ad suscipiendam fidem, vt patet cap. *Sicut Iudæi, de Iudæis, & Sarracenis.* Et cap. *Qui sincera* 45. dist. Ex S. Gregor. lib. 11. epist. 15. & epist. 52. & refertur Can. *Quid autem.* Et in Concilio Toletano 4. Ita expresse statuitur, vt Soto ratione duodecima miretur quomodo Sotus fauere sibi hanc Synodum putauerit: nam cum tam multis verbis inhibuerit, ne id deinceps fiat, manifestè docet factum illud non processisse ex zelo secundum scientiam. Quamuis autem iura, quæ de coactione infidelium ad fidem loquuntur, non exprimant Baptismum filiorum: sed tamen cum generaliter prohibeant infideles ad fidem violentè adduci, comprehendunt tam filios, quam patres; quia eadem in omnibus ratio est. Quare merito Lorca, attentò iure Ecclesiastico, oppositum, nec vt probabile admittit. Cum autem in hac parte ius Ecclesiæ sit declaratiuum iuris naturæ: Imò si ius naturæ aliud exigeret; iniuste, vel contra ius paternum, vel contra salutem spirituales filiorum, Pontifices contrarium determinarent: Quare singularis est Lorca, nec consequenter loquitur in hoc puncto aliter iudicando attentò iure Ecclesiastico, atq; attentò iure naturali, & diuino.

14 Quare cum D. Thomas in priori fundamentò probasset ex Ecclesiæ consuetudine, quæ inducere valet ius Ecclesiasticum, probat postea duplici ratione, quibus aperitur ius naturale, & diuinum. Et huius ratio (inquit) est duplex. Vna quidē propter periculum fidei. Si enim pueri nondum usum rationis habentes, Baptismum susciperent, postmodum cum ad perfectam ætatem peruenirent, de facili possent apparentibus induci, vt relinquerent, quod ignorantes susceperunt; quod *vergeret in fidei detrimentum.*

15 Alia vero ratio est, quia *repugnat iustitiæ naturali.* Filius enim naturaliter est aliquid patris. Et primo quidem à parentibus nõ distinguuntur secundum corpus, quãdiu in matris utero continetur. Postmodum vero postquam ab utero egreditur, antequam usum liberi arbitrij habeat, continetur sub parentum cura, sicut sub quodam spiritali utero: quã

quã

diu enim usum rationis non habet puer, nõ differt ab animali irrationali. Vnde sicut bos, vel equus est alicuius; vt utatur eo cũ voluerit, secundum ius ciuile; sicut proprio instrumento; ita de iure naturali est; quod filius antequam habeat usum rationis, sit sub cura patris. Vnde *contra iustitiã naturalem erit*; si puer antequam habeat usum rationis, à cura parentum subtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur inuitis parentibus. Hæc D. Thomas. Cuius rationes procedere attentò iure diuino, vetante ne fiat iniuria fidei; & iure naturali dicantur, quod nemini faciendã est iniuria: quia amitterent ius patriæ potestatis in filios iam fideles, vt dicit in argum. *Sed contra*: non indiget ponderatione, sed sola rationum lectione. Parentum autem nomine, intelliguntur etiam orphanorum tutores, quibus iure eorum incumbit cura, vt ait Soto in 2. conc. *Qui & §.* *Addit ibidem*, dicit. Sed arbitror non esse tam atrocem iniuriam, ac si parentes contraderent.

16 Proponunt rationem Richardus in 4. dist. 6. ar. 3. q. 3. Suarez disp. 25. sect. 3. Vazquez disp. 155. cap. 2. num. 16. & ex eis alij, in forma ista: Si paruuli infidelium inuitis parentibus baptizarentur; aut relinquerentur sub cura ipsorum parentum; aut ab ea abstraherentur. Neutro autem modo eos baptizare licitum est. Ergo nullo modo id fieri potest. Primum quidem si relinquerentur sub cura parentum infidelium, manifestò periculo exponerentur negandi fidem. Si ab eis separarentur omnino; fieret iniuria patriæ potestati.

17 Rationem istam vt compendium rationum D. Thomæ, amplectimur: & sic proponunt Richardus, Suarez, & alij. Solus vero Vazquez inuenisse se arbitratur nouã viã (sed inuã, & imperceptibile, nisi soli imaginationi inuentoris) qua ex vna parte n. 13. contendit probare, quod vnaquæque ex rationibus D. Thomæ sit infirma: & ex alia parte ratio ex vtrisque conflata sit fortis, & efficax. Primum probat, quia periculum vitari posset; si post Baptismum, vel ante, puer à consortio, & cura parentum remoueretur, & in accommodato loco educaretur: Iniuria patriæ potestatis non est baptizare infantes: quia non est eos ab eis tollere; sed est emendare in paruulis parentum errorem; quod licet; sicut & paulatim docere veram fidem. Secundum vero explicat num. 19. quia sua ratio nititur; quia necesse est vnum è duobus sequi: neutrum autem licitum est. At vero D. Th. ex iniuria fidei, & ex iniuria parentum arguit. Quod difficile est:

18 Ego certè fateor non percepisse quomodo argumenta, quæ Vazquez opponit contra D. Thomam, non militant contra Vazquez: & de ipso dicatur *incidit in foueam, quæ fecit.* Quia si teorum probat, quod non fit iniuria fidei; nec iniuria parentibus: ergo nulli fit iniuria. Quia mirum est, quod nulli fiat iniuria, & fides, & parentes sint iniuriati. Deinde, quamvis in causis partialibus homogeneis singulæ teorum non possint, quod omnes simul possunt: sicut quamuis, nec iste possit portare, nec ille; tamẽ ambo possunt: Tamen quando causæ sunt heterogeneæ, & adæquate in suo genere, & vna non dependet ab alia, non stat, quod singulæ teorum non possint, & ambæ possint. Et præcipue arguendo negatiuè, imperceptibile est, quod non fiat iniuria fidei; nec iniuria parentibus, nec violetur aliud ius naturale: & tamen quod sit contra ius naturale baptizare filios infidelium inuitis parentibus. Et vult Vazquez, quod hoc credamus nulla huius assignata ratione?

19 Rationes D. Thomæ esse efficaces pronunciant S. Antoninus 2. p. tit. 12. capite 2. §. 4. & 3. p. tit. 14. cap. 13. §. 9. *In tertio casu.* Capreolus in 4. dist. 5. q. 1. art. 1. Et omnes Thomistæ, & reliqui Theologi, qui sententiam sequuntur. Sed optimè declarat Catechanus 2. 2. q. 10. ar. 12. §. *Ad cuius euidentiã,* & Soto illo art. 10. circa secundam conclusionem in tribus primis rationibus, notando, quod dominium patrum supra paruulos suos potest referri ad ipsos patres, & potest referri ad Deum, qui instituit ius naturale, quo parentibus conuenit hoc dominium. Dominium autem, seu mandatam supremi domini, quod per se ipsum mandat, seu exercet, dupliciter potest institui. Primo, vt talis domini inferiorum impleatur: secundo vt executioni mandetur non obstantibus inferioribus ordinibus. Verbi gratia, si Rex per sua privilegia nobilibus indulisset, ne tributa soluerent, præciperet vt non obstantibus immunitatibus, omnes in structuram pontis nummum aureum pendentes; tunc non obstantibus privilegijs; soluendus esset ab omnibus nummus. Si autem tantum diceret, vt omnes soluerent; non ideo nobilium privilegijs derogare videretur. Pariformiter legem diuinam, vt vniversi baptizentur, potuit Deus bifariam intelligere. Vno modo vt illa impleatur non obstante naturali iure. Et si illo modo illam edidisset, nullum reliquisset dubium, quin inuitis parentibus essent paruuli baptizandi. Alio tamen modo potuit illam potestatem simpliciter non derogando iuri naturali:

Quod

20 Quod autem hoc modo illam possit, probatur primo, quia diuina sapientia disponit omnia suaviter; & in summa per media reducit in summum. Secundo, quia statuit ut adultus media propria ratione, ac voluntate legem fidel impleat; quia suæ curæ naturaliter commissus est. Puer autem media ratione, & voluntate parentum, quorum curæ naturaliter commissus est. Tertio, quia gratia perficit, non destruit naturam: & similiter ordo gratiæ perficit, non dissoluit ordinem naturæ: quia Deus vtrumque ius condidit: & lex gratiæ ius naturæ non destruit. Quarto, ius patriæ potestatis, & cura priorum filiorum, etiam in infidelibus hoc iure abutenibus, est à Deo. Ergo Deus statuens ordinem gratiæ ad perfectionem ordinis naturæ, illud iustum naturale violare non vult: quamuis ipso iure abutentes hoc mereantur. Quinto, nam lex Baptismi non tollit alia iura naturalia: non enim licet, vt infans, qui est in ventre, baptizetur, occidere matrem, neque facit ergo neque ius abrogat paternum.

21 Per quæ cessat argumentum Scoti: nam eius probationes vim habent solū quando supremus dominus vult sibi obediri non obitaate inferiori ordine. Quod non esse in proposito iam ostendimus. Et sic respondet S. Thomas ad 4. & hic ad 3. & ad primum ait, quod à morte corporali non est aliquis eripendus contra ordinem iuris ciuilibus: puta si aliquis à suo iudice condemnatur ad mortem, nullus debet eum violenter à morte eripere. Vnde nec aliquis debet irumpere ordinem iuris naturæ, quo filius est sub cura patris, vt eum liberet à periculo mortis æternæ.

22 Adijcit Soto, §. Superest ergo, quod baptizare infideles, qui in sua infidelitate permansuri creduntur, est sacrilegam iniuriā irrogare fidei: quod cum sit per se malū, pro tota salute mundi non est faciendum: Nō enim sunt facienda mala, vt ait Apost. ad Roman. 1. vt inde eueniant bona. Præsertim, quod longo experimēto nobis constat filios, & nepotes, & pronepotes Sarracenorū, qui in Hispania olim fuerunt conuersi, suam sectam animo insculptam gestare. Quamuis Catholicorum Regum decretū non est cōdemnandum, quippe, qui non aliam illis vim intulerunt, quam vt si nolent Christianismum suscipere, fines Regnorum suorum exirent: Quod iure facere potuerunt.

23 Rursus adijcit solut. ad 2. quod si patres corruptis moribus contra quam ius nature præcipit, suas proles educarent: vt si quis filiam prostitueret ad fornicandum, vel filios doceret furari, aut peierare, iure posset Prin-

ceps filios tunc ab eorū cura diuellere, propter eorū abusum potestatis: vt patet l. Lenones. C. de spectaculis, & scenicis, & lenoni. Lib. 11. & in l. si lenones. C. de Episcopali audiētia. Quia in hoc casu impediunt filios ne bene viuant in obseruantia legis naturæ. Et ideo Princeps potest filios ipsos tueri amouēdo eos à paterna potestate. Et æqua ratione si pueri rationis lumine vtentes, baptizari vel lent, Ecclesia, & Princeps posset eos ab iniuris parentibus auferre, & baptizare. Atamen ante vsum rationis ab Infidelibus patribus non impeditur filiorum voluntas: quippe qui nullam habent: ideoque diuersa est ratio. Sicque soluta manent argumenta Scoti, & instantiæ Vazquez solutionibus communiter receptis. Vnde Suarez ad 2. 1. confirmat. ait, quod licet isti infideles abutatur patria potestate; tamen ille abusus non est per manifestam iniuriam contra legem naturæ. Imò propriè loquendo, non incipit ille abusus vsque ad ætatem adultam filiorū, quando illi sunt capaces, vt in vera, & falsa religione instruantur: nam antea non baptizare paruulos, licet respectu Christianorū sit contra Ecclesiasticam legem, vel consuetudinem; tamen respectu infidelium, qui legibus Ecclesiasticis non obligantur, non est contra diuinum ius positium, nedum contra naturale.

§. IV.

Exceptiones communis doctrine.

24 **D**Vo tamen casus communiter ab omnibus excipiuntur ab hac cōmuni doctrina. Primum proponit Caietanus art. illo 12. in fine aduertens, quod pueri infidelium, qui ad partes fidelium deferuntur, & venduntur Christianis; quamuis non constet de iusta ablatione eorumdem à cura parentum: quia tamen sine parentum cura, conuersatione, & cognitione, etiam in spe, secundum humanum cursum sunt; absque parentibus censentur: Et propterea Ecclesia cōsuevit eos baptizare. Idem tenere omnes, aduertit Suarez sect. 3. corolar. 2. quia tunc parens quamuis retineat veluti radicale ius; tamen amittit actualem vsum eius, imò, & moralē potestatem etiam vtendi illo; & ideo necesse est, ne ille infans sit omni auxilio destitutus, vt alius in eo iure succedat, qui possit, & debeat curam illius suscipere: ergo ille potest eum baptizare, non expectato patris consensu.

25 Occasione huius casus, solet inquiri,

ri, an liceat emptio Atyopū à Lusitanis visitata? Sententiam affirmatiuam tuetur Fagundez; & Thomas Hurtado ex professo: & obiter Caspensis tom. 2. tract. 18. disp. 5. sectione 1. num. 11. Sed negatiua est communis, & vera, quam cum Soto, & alijs multis; quos retulimus, docuimus 2. 10. Theol. Moral. cap. 2. 1. q. 2. a. n. 1. vsque 18. De quo Iacius Thomas Sanchez lib. 1. Conf. cap. 1. diu. bio 4. per totum. Vnde & Soto hic dist. 3. artic. 10. §. Contra hanc, in fine; ait: *Esset tamen nefas illo sine eos capere.*

26 Alium casum proponit ex Guillelmo S. An. oninus 2. par. tit. 12. cap. 2. §. 4. dicens: *Sed si in articulo mortis hoc facerent, credit quod non peccarent.* Et Soto dist. 3. art. 10. ad 7. ait, quod si Christianus quempiam infidelium iam iam moriturum, de quo nulla esset spes salutis, inueniret; eumque tunc baptizaret; nullam videtur irrogare fideliniuriam: quippe cum nulla inde apostasia probabiliter timeretur: neque veto patris; quoniam neque ab eius cura moriturum illum baptizator leducit: & infantulo magnam conferit beneficium. Propter quæ non audeam id tali casu factum condemnare, imò laudare forte, & facerem: saltem si furtim; & clanculo; parentibus absque, baptizari posset. Imò etiam si illi scirent, nisi sic obstitissent, vt sine scandalo id fieri posset. Etenim iniuria hæc; quæ hac tenus ostendimus parentibus irrogari, non est tam superstitiosè, sed secundum prudentium iudicium intelligenda. Hæc Soto. Quæ absque formidine iam communiter recentiores sequuntur, vt multis relatis, ostendit Diana parte 3. tract. 3. resol. 10. Aueria q. 68. sect. 3. Serra art. 10. conc. 2. not. 3. Vazquez disp. 155. cap. 3. an. 22. vsque 29. quauis in omne latus se vertat vt aliorum rationes infirmet.

27 Suarez vero disp. 25. sec. 3. corol. 1. dicit, quod licet hoc sit plium, & probabile; non est tamen vtendum hac facultate sine magna prudentia, & cautela. Et primum obseruandum est, vt infans in eo sit statu; in quo de illius vita corporali moraliter desperetur; ne si forte alie viuat, aut patri sit filiū eripiendus, aut post Baptismū relinquendus in periculo euidenti apostasiæ. De inoe cauendum est ne id fiat per manifestam violentiā cum scandalo parentū, & iniuria fidei: quia parentes adhuc retinent suum ius. Et ideo necessitati extremæ paruuli non est subueniendum per vim, sed solum secrete, & sine scandalo. In quibus omnibus Suarez conuenit cum Soto. Et pariter Henriquez lib. 2. cap. 25. num. 2. lit. I. & alij. Et ita tenendum;

aduersus Vazquez cap. 3. num. 26. Coninch art. 10. num. 77. Paulum puncto 6. num. 16. dicentes, quod etiam si filius nequeat à patre separari; & grauitate ferat Baptismū, filius moriens debet baptizari. Sed iam diximus cū D. Tho. ad 1. quod nec aliquis debet irumpere ordinem iuris naturæ; quo filius est sub cura patris; vt eum liberet à periculo mortis æternæ. Sicut diximus cap. 20. Theol. Mor. q. 1. n. 16. quod etiam si alicui per reuelationem contaret, supplicium reo esse causam damnationis æternæ, non est illi indulgendum; vt feruetur ordo iuris ciuilibus: ergo pariter permitenda est mors sine Baptismo vt feruetur ordo iuris naturæ.

28 Quæ propter, nec perpetuo amentes; sunt inuitis parentibus baptizandi (quid quid contradicat Palauis num. 15. cum Layman lib. 5. trac. 2. cap. 6. ver. Quinto.) Nam sicut ait D. Thomas illo art. 12. quādiu filius vsum rationis non habet, non differt ab animali irrationali. Vnde sicut bos, vel equus est animal vt vtatur eo cum voluerit; secundum ius ciuile, sicut proprio instrumento; ita de iure naturali est, quod filius antequam habeat vsum rationis, sit sub cura patris. Vnde de perpetuo amentes non possunt abstrahi à cura parentum, vel tutorum, nec eis iniuris baptizari. Nisi parentes, vel tutores non habeant, sicut in simili diximus numero 24.

§. V.

Quando pueri habeant vsum rationis?

29 **S**ed inquires primò, quæ ætate paruulus censendus est vsum rationis attingere, vt possit inuitis parentibus baptizari?

Respondet Syluester verbo Baptismus 4. q. 8. quod ille vltus est, qui communiter habetur in fine secundū septenij. Et refert Gaspar de Cald. dicentē, quod sufficiunt duodecim anni: quia satis præsumitur de aliquo vltu rationis in eo: & sic in fauorem fidei poterit baptizari, licet in eo omnino non clarificat vltus rationis: dummodo in eo contrarium non appareat.

30 Soto vero art. 10. §. Sed alterum dubium, ait. Nihilominus, quamuis tunc certū sit habere legitimum rationis vsum; tamen certissima regula est, quod si circa illam ætatem certo constat puerum fidei Catholicis instructum, satis intelligere, quidnam sit baptizari, & quæmodū sit professio Christianæ

tianæ religionis, baptizandus est. Quoniam ætas ad contrahendum Matrimonium lege humana statuitur: lex autem diuina Baptismi, neququam ab humana dependet. Sed ubi primum rationis lumen affulserit, sacramentum est ministrandum. Idem tenent Catherinus illo opusculo, & Suarez lect. 3. dub. 2. Et Vazquez cap. 3. nu. 36. Et Cabrera art. 10. num. 62. dicentes nulla certa lege definitum esse, aut diffiniri posse tempus usus rationis, in quo puer sine consensu parentum baptizari potest: sed ex coniecturis, & signis externis id iudicandum esse.

31 Quia tamen D. Thomas in 4. distinctione 27. q. 2. art. 2. docet tempus septenij esse determinatum à iure sponsalibus contrahendis, quia tunc regulariter incipit usus rationis: & D. Thomam in hoc puncto omnes sequi, testatur Thomas Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 56. num. 2. Ideo Grana-dos hic tract. 4. disp. 5. lect. 1. nu. 1. etiã pro infantibus baptizandis notat, quod cõmuniter usus rationis affulget septenio completo. Idem notat Bonacina disp. 2. q. 2. punct. 6. num. 12. ver. *Igo vero*, referens Saa, & Bartholomæum ab Angelis de Baptismo §. 33. Trullench lib. 2. cap. 1. dub. 6. n. 9. Leander tract. 2. disp. 3. q. 15. Et hæc sententia est vera simul cum precedente.

32 Secundo inquirens, si dubiũ sit de usu rationis, vel de consensu: ut si contingat, quod puer ita habeat usum rationis, ut tamen incertum sit, an plenè ratione utatur, & inter eum, & parentes sit dissensio; quia vel ipse vult baptizari; & parentes nolunt; vel è contra, virum sit baptizandus?

Respondet Soto art. 10. §. *Sed alterum*, quod quando res esset aliquomodo dubia, nempe, si bonæ essent coniecturæ, & indicia puerum annum agentem octauum intelligere quid velit profiteri, Baptismumq; peteret, invitis parentibus esset baptizandus; ac subinde ab eorum educatione subtrahendus. Et vice versa, si in illa ætate eius parentes conuerterentur ad fidem, vellentque ipsum baptizari, ille tamen aliquatenus videretur renuere; sed ex altera parte essent aliqua coniecturæ sui consensus; & re etiam sic dubia, esset baptizandus. In summa: ubi aliqua apparet voluntas, siue intentio, tunc in fauorem Baptismi inclinandum est. Hæc Soto. Quem sequuntur Saa de Imped. dirim. num. 8. Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 73. num. 16. Et Ioannes Baptista Nouar. in Summa Bullarum 2. p. tit. de Baptismo nu. 6. & 7. Quem citat Diana par. 7. tract. 11. miscel. resol. 40. Candidus disquis. 16. ar. 5. dub. 12.

Maximè, si puer iam completuit septenium: nam completo septenio presumitur usum rationis habere. Quo casu idem tenent Bonacina, & Leander, & Trullench locis citatis.

33 Lorca vero de fide disp. 37. nu. 17. ait, quod si casus iste accideret, nullo modo baptizandus esset puer: quoniam si patres nolint, in dubio usus rationis pueri, præferendum est ius eorum; quia possident: si autem puer dissentit, cauendum est periculum, ne susceptio Baptismi irrita sit: quare differendum est, donec certo res constare possit. Similiter Azor tom. 1. lib. 8. cap. 25. q. 11. Suarez disp. 25. sec. 3. in fine negat baptizandũ: quia in dubio melior conditio possidentis, filius autem magis possidet se ipsũ, quam possideatur à parentibus. Tum, quia in hoc casu ipsummet sacramentum dubiũ redditur, an sit validum, nec ne. Idem iudicat probabiliter Cabrera art. 10. nu. 63. Vazquez cap. 3. à num. 36. vsque 40. alia via id probat, quia ex dilatione nullum imminet periculum; & idè expectandum esse tempus, in quo de pleno usu rationis constet; nisi instet mortis periculum. Idem tenent Coninch nu. 61. Et Palaus puncto 6. a. 6. & Henriquez lib. 2. cap. 25. n. 3. Ochagavia q. 19. n. 9. & alij.

34 Iuxta hanc doctrinam Lugo libro 1. Responsorum Moralium dub. 4. dicit se respondisse cuidam casui, qui Romæ contigit, nempe, quod paruula quædam puella casu inuenta est longe ab Hebræorum domibus, quæ interrogata de suis parentibus, respondit, se parentes habere Hebræos, & velle fieri Christianam. Et quoniam puella illa septenium non compleuerat, & de sufficienti rationis usu dubitabatur, Lugo respondit Baptismum quidem suspendendum esse, donec cum pleno rationis usu certo constare posset de sufficienti eius voluntate. Interim tamen nõ debere, nec posse restituí, sed custodiæ causa detinendam in domo cathecumenorum. Aduertit autem num. 3. non ob stare illam regulam *melior est conditio possidentis*: quia intelligitur in pari causa; hic autè est valde dispar: nam detrimentum patris est leue: & detrimentum filix est grauissimum, si ad parentes redeat. Sicut nec vxor cum periculo vitæ reddenda est suo viro. Et quia in dubio fauendum est potius innocenti, quã nocenti: & parens est nocens dum conatur filium facere infidelem: filius vero est innocens, vel carentia usus rationis; vel quia fidem; & salutem æternam querit propriis relinquendo parentes. Et idè in illo dubio

de facto reddita non fuit puella parentibus; sed in loco tuto deposita, donec suo tempore, & explorata iam eius voluntate cum certissimo rationis usu baptizata fuit.

35 Probabiliter quidem, & prudenter ita factum est: sed tamen secure posset amplectendo opinionem Soti, & aliorum, à principio dubij baptizari, & a parentibus separari: quia ut Soto, Sanchez, & Candidus respondent, in causa dubij in fauorem fidei inclinandũ est: & patria potestas quoad hoc cedit fauori fidei. Sicut licet iure antiquo si illis maior triennio apud matrem educatus sit; maior autem triennio apud patrem; *l. Neque. C. De patria potestate*. At id fallit, quãdò alter parès infidelis est, tunc enim infans; & si triennio minor sit, apud patrem fidelè educandus est; & quamuis sit maior, apud matrem fidelè: quia ratio ætatis, & patriæ potestatis cedit fauori fidei, iuxta Grailam cap. finali in fine, de conuers. infidel. Et hoc etiã probat illa regula. In dubio fauendum ianocenti. Ergo in dubio usus rationis; & petenti Baptismum est ministrandus, & a parentibus infidelibus separandus; si sine scandalo fieri possit, ut in dicto casu poterat fieri, & factum est, quamvis expectato pleno consensu puellæ: quod laudo factum ad maiorem cautelam; sed non erat præcise necessarium.

§. VI.

De filiis infidelium seruorum, seu mancipiorum, an invitis parentibus possint baptizari.

36 Restat dicamus de seruorũ, seu mancipiorum infidelium filiis, quia de istis est specialis difficultas; in qua etiam diuersimodè Theologi sunt opinati. Capreolus enim in 4. dist. 5. q. 1. art. 3. ad 1. Durandi contra primam, & post solut. ter. ver. *Sed his nõ obstantibus*, folio 68. col. 2. & folio 69. per totum, docet, quod non potest dominus ancillæ, filium eius ante usum rationis ab illa distrahere, quantum attinet ad ea, quæ sunt iuris diuini, & naturalis; licet separari possit, quoad ea, quæ sunt iuris ciuilibus. Et quod etiã si subtrahatur, non potest ille sic subtractus, nisi consentiente patre, vel matre, baptizari. Idem tenent Marsilius in 4. q. 4. art. 4. dubio 2. Catherinus opu. citato, §. *Illud nõ*. Et Serra 3. p. q. 68. ar. 10. conc. 2. in 2. parte folio 229. Vazquez pro hac parte citat Caietanum. Imò Diana parte 2. tract. 15. & 1.

miscellaneò resol. 45. dicit hanc esse sententiam D. Thomæ, & omnium discipulorum eius. Sed à parte falli, dicenda monstrabunt.

37 Per aliud extremum alierunt alij filios seruorum infidelium vendi, & separari posse a parentibus, ut baptizentur: verum etiam antequam separentur, & vendantur, sub cura parentum exiitentes, sine peccato baptizari posse, si res ipsa ex se conuideretur: ita Vazquez disp. 153. cap. 4. num. 50. vsque 57. Tertianus in 2. 2. rom. 1. disp. 34. dub. 2. Gregorius Ruyz in suis controu. controu. 1. Quam sententiam dicit Diana parte 2. tract. 1. miscellaneò; seu tract. 13. resol. 45. *Se libenter amplecti propter fauorem animarum dictorum infidelium*. Sed quia fauor humanus est parum constans, sui oblitus; contrarium docet ipse Diana, relatis quinque Authoribus, parte quilara tract. 3. resol. 10. Et parte 7. tract. 7. resol. 68. duabus oppositis relatis sententijs, nulli adhaeret. Et tandem parte 8. trac. 1. resol. 1. in fine, assertiuè a sententia Vazquez recedit. Adeo circũfertur omni-ventis doctrinæ.

38 Tercia sententia est Durandi in 4. dist. 4. q. 6. num. 11. dicentis, quod si pueri seruorum, seu mancipiorum infidelium carentes usu rationis, auferretur ab eis, & baptizarentur, non fieret præiudicium pueris; sed potius conferretur eis magnum beneficium. Nec parentibus eorum; quia licet possint eis auferri, & vendi in seruitutem fidelibus, vel infidelibus, prope, vel longe. Quo facto, subtrahuntur totaliter à cura parentum; & absunt in omnibus curæ eorũ, quibus venditi sunt: propter quod si ab eis tollantur, & auferantur Baptismo, nulli videntur fieri præiudicium. Licet prædictis pueris stantibus sub cura parentum, fieret parentibus iniuria, si eis invitis baptizarentur. Nec esset decess, nec securum, quod pueri baptizati manerent sub cura infidelium. Hæc Durandus. Non tenet Caietanus 2. 2. q. 10. ar. 12. §. *Quod secundum*; licet dicat, quod ad hoc non se extendit infidelium seruitus directè, & per se; sed indirectè, & per accidens, & ex consequenti; & in hoc sensu dicit in fine commentarij Durandus non esse in hoc puncto Thomæ contrarium, sed contonum. Idem dicit 3. p. q. 68. art. 10. §. *Vbi scito*. Et sic Victoria de Baptismo nu. 27. Caietanum refert pro sententia Durandi. Sed expressissimè tenent Soto in 4. dist. 5. art. 10. §. *Contra hanc*. Petrus Ledema tract. 2. de Baptismo cap. 8. conc. 14. Nuño q. 68. art. 10. diffic. 2. conc. 3. Cabrera disp. vnica, §. 7. & 8. Ioan. à Cruce q. 3. de Baptismo dubio

bio 8. conc. 3. Candidus disquis. 16. art. 5. du-
bio 4. conc. 8. & dubio 5. conc. 10. & Tapia
tomo 2. Carenæ Moralis lib. 1. q. 5. ar. 9. nu.
2. & 3. Non ergo verum est omnes Thomi-
stas priorem tenere sententiam. Hanc tuen-
tur Suarez disp. 25. sect. 4. conc. 2. & sect. 5.
Granados tract. 4. disp. 5. sect. 4. num. 21. re-
ferens Valentiam, & Henriquez. Fillutius
tract. 2. num. 142. Coninch art. 10. dub. vni-
co num. 86. Layman lib. 5. tract. 2. cap. 6. q.
5. Castus Palaus puncto 6. num. 18. Bonaci-
na disp. 2. q. 2. puncto 6. num. 12. in fine. A-
ueria q. 68. sect. 3. ver. Quarto. Leander trac-
tatu 2. disp. 5. q. 10. Trullench lib. 2. cap. 1.
dub. 6. num. 11. & Lorca de Fide disp. 37. a
num. 7. usque ad 11. & num. 21. Et tenent al-
lij, quos ipse Diana refert, & sequitur par-
te quinta, & octava, ut iam retulimus. Et
sic patet hodie hanc esse communem sen-
tentiam.

39 Quæ mihi verior videtur. In primis
ex D. Thoma hic ad 2. respondente, quod
dei sunt servi principum servitute civili. Quasi
diceret, quod probaret argumentum, si es-
sent mancipia, & subderentur servitute de
potestica. Idem docet 2. 2. q. 10. articulo 12.
ad 3. Et Quodlib. 2. artic. 7. ad 2. Et ratione,
quia qui ita sunt servi, adeo sunt dominorum,
ut possint eos vendere, & alienare, tenen-
tibus patribus, in quacumque distantiam pro
sola utilitate sua; quia plus sunt dominorum,
quam parentum: quemadmodum parentes
hoc modo servi plus sunt dominorum, quã
sui iuris. Si autem licet vendere, & separare
à parentibus quacumque alia intentione
mala, propter dominium, quod heres com-
petit; quare non licebit intentione optima
conferendi Baptismum? Si domini possunt
vbi iure suo propter solam utilitatem lucrif-
quare non erit laudabilius vbi propter utili-
tatem spiritualem puerorum? Quamvis en-
im diversa sint iura, vnum naturale, & civi-
le, & alterum supernaturale: tamen v-
num in alterum ordinari potest: & acquisi-
tium est ut inferius servat præstantio-
ri.

40 Deinde, omnia iura servi domino
subiecta sunt ob dominium in personam: et
ego ius quod habet servus gubernandi filium,
secumque retinendi, domino eius subiecti-
tur: ac proinde poterit dominus filium sui
mancipij gubernare, secumque retinere, &
baptizandum offerre.

41 Neque hoc est contrarium (in-
quit Lorca num. 21.) Ecclesiæ statutis; quo-
nam licet generatim prohibeat, filios infi-
delium baptizare sine consensu patrum, nõ

adimit ius dominis vendendi proprios ser-
vos, & alienandi: neque prohibet ut colere
viantur pia intentione salutis infidelium.
Illicitum autem erit baptizare sine cautio-
ne, & evitacione periculi: quia dicitur in Cõ-
cilio Toletano 4. relato cap. Iudæorum 28. q.
1. Iudæorum filios, vel filias, ne parentum ultra
involvantur erroribus, ab eorum consortio sepa-
rari decernimus. Et sic simul impugnata ma-
nent prima, & secunda sententia, & eorum
argumenta soluta.

42 Sed obiicit Serra: nam D. Thomas
tribus locis relat. ait, quod *servitus civitatis nõ
excludit ordinem iuris naturalis, vel divini*: er-
go sicut aliorum subditorum filij nequeunt,
etiam de mandato Regis, invit. parenti-
bus baptizari, neque etiam filij servorum.

Secundo, per donationem, aut vendi-
tionem non aufertur à patre servus ius pater-
num; ac proinde nec cura illius: nec ille, cui
donatur, aut venditur puer, acquirit aliud
ius in puerum, quam quod habebat ille, qui
donavit, aut vendidit: ergo fit iniuria patrie
potestati eum baptizare ipso invito, quan-
diu est spes, ut ad patrem possit redire: quia
tunc quasi ut parentibus desitutus habere-
tur, & à ministris boni communis baptizari
posset.

43 Ad primum respondetur D. Tho-
mam loqui de servitute politica vassallorũ:
quia hæc non dat ius ut personæ vendatur.
Negavit vero Iudæos esse servos, aut man-
cipia, manifeste insinuans, quod si hoc mo-
do subijcerentur, licet possent eorum filij
vendi, & ab eis separari, & fieri Christia-
ni.

44 Ad secundum dicitur, quod ius ra-
dicale non aufertur à patre per venditionem,
sed aufertur ius proximum, & expeditum;
& sicut alio sine temporali licet valet hoc
ius impediri, multo melius sine spiritali, &
supernaturali, & æterno, cui transitoria de-
bent subseruire.

45 Sed adhuc vna restat difficultas, v-
trum in omnibus casibus, in quibus conce-
dimus filios infidelium, invit. parentibus bap-
tizari posse; non solum liceat, sed etiam sub-
sit obligatio baptizandi.

Negant obligationem eos baptizandi
subesse, Henriquez lib. 2. cap. 25. §. 1. in fine
lit. h. citans Penna, Victoria, Caietanum, So-
to, & Mantium. Lateque defendit Suarez dis-
put. 25. sect. 6. Fillutius trac. 2. cap. 6. n. 146.
Lorca de fide disp. 37. num. 22. Castus Pa-
laus tract. 19. puncto 6. num. 20. citans Sua-
rez, Coninch, Layman, Henriquez, & Bona-
cina. Sed Coninch, & Bonacina oppositum
aper-

aperte docent. Probat Palaus dicens, proba-
bilius censeo sæpe te posse ministrare Bap-
tismum filijs infidelium; non tamen ad id te
neri. Potes namque ministrare Baptismum
paruulo indigenti; non tamen teneris, si ob
eam causam graue periculum vite, honoris;
imò, & fortunæ tibi immincat. Deinde sæ-
pe inconuenientia, quæ ex collato Bap-
tismo timentur, incerta sunt, & dubia; ob quo-
rum incertitudinem sub opinione esse po-
rest, an præponderent utilitati, quæ ex Bap-
tismo provenit; in quo casu, & Baptismum
concedere, & ab illo abstinere potes.

Præterea consuetudine introductum est
sæpe paruulos Sarracenorum, imò & Hære-
ticorum captiuos vendi, & restitui parenti-
bus, nullo collato Baptismo, ne ab ipsis Ca-
tholicorum filij captivi detineantur cū gra-
ui apostasiæ periculo: & tamen eo casu Bap-
tismus conferri poterat supra dictis Sarrace-
norum, & Hæreticorum filijs. Non igitur
quoties tibi licet Baptismum infantibus præ-
dictis concedere, ad id obligaris.

46 Deinde Lorea id probat: quia totum
negotium salutis pueri ante vsum rationis
commissum est parentibus; & ideo nullus
alius tenetur de eius salute sollicitus esse. Ne-
que puer extreme indiget, adhuc in articulo
mortis, quandiu per parentes illi prouideri
potest. Et baptizare puerum infidelẽ occul-
tè, aut cum dissentu patris, extraordinarium
medium est, & extraordinaria diligentia: ea
verò, quæ extraordinaria sunt, potius sunt
supererogationis, quam debiti.

In alio casu de puero iusto titulo abstrac-
to à parētibus, vel bello, vel emptione, etiã
potest parentibus restitui sine Baptismo;
quia ea, quæ ad salutem spiritualem pueri
pertinent, semper remitti possunt parenti-
bus, quibus ex natura rei incumbit, quam-
uis præuideatur eorum negligentia, aut ma-
litia. Neque obligat alium hæc cura ipsis va-
lentibus. Neque magis tenetur dominus re-
tinere puerum, ut baptizetur, quam adul-
tum.

In tertio casu etiam possunt pueri infi-
delium invit. parentibus baptizari, si filij
mancipiorum ab eis separentur hac inten-
tione, & tamen non tenentur domini ad il-
lam extraordinariam diligentiam alienan-
di seruos ut baptizentur; satis est, si confer-
uando eos in propria potestate, inducant pa-
rentes benigna persuasione ad suam, & filio-
rum conuersionem.

47 Nihilominus multi alij asserunt
Christianos, quando licite possunt, lege cha-
ritatis obligari ad conferendum infantibus

Baptismum per se loquendo, licet peracci-
dens variæ rationes ab hac obligatione excu-
sare possint. Ita Scotus in 4. dist. 4. q. 9. ver-
bis relat. supra nu. 8. Latissime Vazquez
disp. 155. cap. 7. per totum. Granados tract.
4. disp. 5. sec. 4. n. 24. Coninch art. 10. dubio
vnico n. 87. & 88. Bonacina disp. 2. de Bap-
tismo q. 2. puncto 6. nu. 13. & 14. male pro te-
citans Suarez, Henriquez, & Fillutium:
qui, ut vidimus, oppositum docent. Hanc te-
net Diana parte 3. tract. 4. resol. 1. & parte
7. tract. 7. resol. 69. Aueria q. 68. sec. 3. Lean-
der trac. 2. disp. 5. q. 11. Trullench lib. 2. cap.
3. dub. 6. n. 16. Candidus disq. 16. art. 5. dub.
7. & 8.

Probant; quia tales domini succedunt
in locum parentum: parentes autem tenen-
tur consulere bono spiritali filiorum. Dein-
de, paruulum in extrema necessitate consti-
tutum morti proximum, etiã cum pericu-
lo propriæ vitæ; id cui incumbit ex officio,
tenetur baptizare, de quo Authores relat.
to. 1. cap. 15. Theologicæ Moralis q. 15. n. 33.
& to. 2. cap. 18. q. 1. §. 3. Rursus, quia tales in-
fantes sunt ex familia sui domini: & dicit
Apostolus 1. ad Timot. 5. *Siquis suorum, &
maximè domesticorum, curam non habet, fidem ne-
ganis, & est infidelis deterior.*

48 Peraccidēs autem sæpe excusantur;
ut quando non possunt id facere sine graui-
bus difficultatibus, & incommodis: quia suc-
cedunt in ius paternum, cum longe inferio-
re obligatione. Hinc facile ab hac obligatio-
ne excusantur milites, qui contra Infideles
pugnantes capiunt eorum infantes, & per-
mittant eos à parentibus redimi: quia offer-
ijs fere moraliter impossibile eos alere, cum
sæpe vix se ipsos possint alere.

49 Ego has sententias in casibus in sin-
gulari acceptis, vix inuenio discrepare: quia
fere regulariter dicunt non peccare extra-
neos omittendo Baptismum paruulorum
infidelium: cum hac differentia speculatiua,
quod primi dicunt. Charitatis præceptum
non extare; posteriores vero Charitatis præ-
ceptum agnoscunt, sed magna incommoda
ab eius obligatione excusare contendunt.
Quoad speculationem vero hæc meliori ni-
titur fundamento; quia præcepta Charita-
tis extendunt ad proximum: iuxta id quod
habetur Ecclesi. 17. ver. 12. *Et mandauit illis
vnicuique de proximo suo.* Et S. Ambrosius lib.
1. de officijs cap. 7. docet non minus esse di-
ligendos filios spirituales, quam carnales:
*Non enim vehementior est natura ad diligendum,
quam gratia.* Quod explanans Sanctus Tho-
mas Secunda Secundæ q. 26. art. 8. ad 2. ait
pp quod

quod in beneficijs, quæ pertinent ad communica-
tionem gratiæ, & instructionem morum, magis
debet homo subuenire filijs spiritualibus, quos
spiritualiter genuit, quam filijs corporalibus; qui-
bus tenetur magis providere in corporali-
bus subsidijs. Et q. 44. ar. 8. docens ordinem
charitatis cadere sub præcepto, ad 2. ait,
quod cum mandatur. 1. Ioan. 3. quod debemus
pro fratribus animam ponere, datur intelligi,
quod proximum plus debemus diligere, quam
corpus proprium. Et ibi etiam affert illud rela-
tum ex 1. ad Tim. 5. vt probet, quod inter
proximos debemus diligere magis propin-
quos; sicut sunt filij nostrorum seruatorum,
vel domesticorum. Est ergo hæc sententia
vera: Sed ne in scrupulū pro praxi iniiciat,
attendatur, quod præcepta Charitatis pro-
ximi non obligant cum graui incommodo
nostro: quia cum mandatur quod aliquis dili-
gat proximum sicut se ipsum, præfertur dilectio
sui ipsius dilectioni proximi, vt dicit S. Thom.
illo art. 8. ad 2. Nisi incommodum nostrum
sit improporionatū damno spiritali pro-
ximi. Videantur, quæ diximus capit. 18.
Theol. Mor. q. 1. §. 3.

DVBIUM VIII.

Vtrum aliqui sint incapaces Baptismi?

§. I.

Qualiter monstrum debeat baptizari?

Mouetur hoc dubium in primis pro-
pter monstrum de quibus multa exem-
pla historica videri possunt in Theatro vi-
tæ humanæ verbo *Monstrum* tom. 5. & S. Au-
gustinus lib. 16. de Ciuitate Dei capit. 8. ait.
Ante annos aliquot, nostra certe memoria,
in Oriente duplex homo natus superioribus
membris, inferioribus simplex. Nam duo
erant capita, duo pectora, quatuor manus,
venter autem vnus, & pedes duo, sicut vni
homini: & tandiu vixit, vt multos ad eum
videndum fama contraheret. Et in Thea-
tro vitæ humanæ tom. 6. ver. *Philosophia* fo-
lio 332. lit. e. ex Plutarcho refertur, quod
sub Perandro Corinthio infantē equa edi-
dit, qui partibus superioribus ad collum vs-
que, & manus, figura humana erat: cætera
representabat equum, voce sicut pueri re-
cens nati. Pro his, & similibus euentibus, vi-
detur necessarium exponendum, an, & quali-
ter possint, & debeant baptizari?

2. In primis monstrum non conceptum
ex virili humano semine, nec sub conditione

deberet baptizari: quia D. Thomas 1. 2. q.
81. art. 4. docet, quod si aliquis ex humana
carne formaretur miraculose, nō contraheret
peccatum originale: quia vis actiua non deriuare-
tur ab Adam: & hoc modo peccatum origi-
nale traduci in posteros, docet Concilium
Tridentinum sess. 5. can. 3. & 4. & sess. 6. cap.
3. & sic tenent communiter Theologi hoc
monstrum non baptizandum.

3. Si autem monstrum conciperetur ex
homine, & equa (vt forte fuit illud, cuius
ex Plutarcho modo fecimus mentionem)
dicunt Possseuinus de officio curari. c. 6. n. 25.
& Leander tract. 2. disp. 5. q. 3. baptizari pos-
se, saltem sub conditione: quia peccatum ori-
ginale traducitur in prolem per virtutē vi-
rilem ex Adamo: & supponimus adfuisse se-
men virile. ¶ Sed ex alia parte, cum semē
virile non sufficiat ad generationem huma-
nam, sine concursu foeminae, vel actiua, iux-
ta aliquos, vel passiuo, iuxta Philosophum,
& D. Thomam 3. p. q. 3. art. 5. Ex semine
hominis, & equæ non nasceretur homo ra-
tionalis: & ideo nisi manifesta indicia es-
sent, quod esset eiusdem speciei cum homi-
nibus, non esset baptizandus, vt docet Hen-
riquez lib. 2. de Baptismo cap. 2. n. 1. Trul-
lench lib. 2. cap. 1. dub. 6. num. 2.

4. Loquēdo autem de illo monstrum, de
quo S. August. supra, Soto in 4. dist. 3. q. vni-
ca art. 9. §. Ad hunc locum, ait, quod si ex præ-
cipuis membris aliqua haberet geminata,
vt si haberet duo capita, aut duo pectora,
&c. Tunc enim videtur geminandum esse
Baptismū, ac si duo essent homines: aut sub
illa forma esse baptizandus. *Ego vos baptizo.*
De hoc autem certissima est, quæ fallere ne-
quit, regula, quod vbi conlitterit, vnicū esse
suppositum, simpliciter forma baptizandū est;
vbi vero fuerint duo, geminandus est Baptis-
mus. Rarissime autē accidere potest vt sint
duo, nisi vbi duo essent integra capita, & pe-
ctorum diuisio, sic vt altero quiescente capi-
te, alterū vitales operationes haberet. Quā-
do autem caput, & pectus vnum est, etiā
si ex vmbilico alter hominūcio enascatur, ab
humeris integer (quod monstrum, & suo tē-
pore Paludanus vidisse ait, & ego meā a-
tate cōspexi) non nisi vnicū est suppositum:
tamen si possit ille pendulus ante alterū mori,
læsionem enim illius totus sentit. Hæc
Soto.

5. Quod docuerat cū Paludano, Henri-
co, & alijs, & iuxta D. Th. Syluest. ver. Baptis-
m^o 3. q. 10. Vbi & addit. Si vero nō est certū
eos esse duos, vt quia non sūt duo capita be-
ne distincta, & huiusmodi: tūc baptizato pri-

vuo.

vero, potest alter dubie baptizari, dicendo:
Si tu nō es baptizatus, ego te baptizo, &c. Nec
baptizet intentione vaga: quia nihil ageret,
sed determinet se ad vnum, secundum Hen-
riq. in Quodlib. Hæc Syluester. Sed reuera si
intenderet baptizare præsentem vnum, vel
plures, intentionem non restringendo, vale-
ret Baptismus. Totam doctrinam hanc cō-
muniter Authores sequuntur, vt videri po-
test apud Henriquez cap. 2. r. n. 6. Bonacina
disp. 2. q. 2. punct. 6. nu. 4. Palaum tract. 19.
punct. 6. n. 4. Candidum disp. 16. art. 5. dub.
1. Leander tract. 2. disp. 5. q. 4. & 5. vbi cū Na-
uarro consilio tertio de Baptismo, & cū cō-
muni asserit, quod si monstrum habeat ca-
put ferinum, licet cætera mēbra habeat hu-
mana, non est baptizandum absolute, sed sub
conditione: quia dubium est an sit homo; &
habeat animam rationalem.

§. II.

Vtrum ante natiuitatem aliquando valeat
Baptismus?

Secundo est difficultas de pueris in ma-
ternis vteris positus, de quibus docet D.
Thom. art. 1. quod non possunt baptizari.
Probat ex D. August. epist. 57. ad Davdanum
dicente. *Nemo renascitur, nisi primo nascatur.*
Et ex definitione Baptismi posita q. 66. *Bap-
tismus est ablutio corporis, &c.* & ideo de ne-
cessitate Baptismi est, quod corpus baptizā-
di aliquo modo aqua abluatur. Corpus autē
infantis antequam nascatur ex vtero, nō po-
test aliquo modo abluī aqua. Baptismus au-
tem matris non pertinet ad infantem: tum
quia est anima distincta: tū quia corpus pue-
ri animati, iam est formatum, & per conse-
quēs a corpore matris distinctum. Ideoque
indiget distincto Baptismo, vt notat S. Au-
gustinus lib. 6. contra Iulianum capit. 5. vt
habetur cap. *Si ad matris*, de Consecratione
dist. 4. & cap. *Qui maternis*, idem docet San-
ctus Iudorus. Et in Concilio Neocesari. cap.
6. dicitur Baptismum mulieris prægnantis
non communicari, nec prodesse filio.

7. Admonet autem Sanctus Thomas
ad 3. quod non sunt facienda mala, vt veniāt
bona, vt dicitur ad Romanos 3. & ideo non
debet homo occidere matrem, vt baptizet
puerum. Si tamen mater mortua fuerit vi-
uente prole in vtero, debet aperiri vt puer
baptizetur.

8. Addit Soto dist. 5. artic. 1. ad 3. Qua
propter, licet iudicio medicorum certum
esset mulierem in partu morituram ante-

quam fatum emitteret, non esset inciden-
da. Et quamuis prægnans iure sit ad mortē
condemnata, non licet eam occidere, &
aperire, sed differendum est tunc supplicium
vsque ad partum. Et in horum confirmatio-
nem accedit ratio, quod si mulier causa bap-
tizandi fetus occideretur; vix id posset abs-
que nece eiusdem fetus fieri antequam bap-
tizaretur: atque adeo vana esset illa diligen-
tia:

9. Quod si mulier prægnans sit iuste ad
mortem condemnata, quod differenda est
executio sententiæ donec pariat, est cetera,
& communis sententia; quam docent Co-
uarruias lib. 4. Var. cap. 4. Victoria, & mul-
ti alij, quos refert, & sequitur Bonacina dis-
put. 2. q. 2. punct. 6. n. 19. ex L. 1. *regnantis*. D.
de pœnis. Addit in vltima editione. Hoc ta-
men ab aliquibus Doctoribus limitatur, mo-
do ex moris dilatione non imminet dam-
num reipublicæ: nam si damnū imminet,
putant matris vterum aperiri posse ipsa vi-
uente, vt infans extrahatur, & baptizetur: id
enim ex iusta causa fit auctoritate publica.
Ita Fillinius tract. 2. c. 6. q. 7. n. 139. & alij.

10. Sed quoad aliud dissentiunt Suarez
hic art. 11. & Coninch q. 92. Palaus punct. 6.
nu. 2. & Diana parte 2. tract. 15. resol. 44. &
parte 5. tract. 3. resol. 13. vbi citat Ochaga-
niam, Præpositum, & Layman, quos etiam
refert, & sequitur Auersa q. 68. sec. 1. §. *Et
magis*, dicentes, quod si prægnans esset con-
demnata ad mortem, essetque periculum,
ne ex aliquo morbo ante partum vna cum
prole moreretur, posset seruato iuris ordi-
ne, prius secari, si esset spes fore vt proles
hoc modo posset baptizari: quia in hoc fa-
cto nil fit contra vllum ius.

11. Sed sententiam Soto, sequuntur Vi-
ctoria de Baptismo nu. 33. & Villalobos to-
1. tract. 5. diffic. 4. nu. 4. Comitoli lib. 1. q.
14. nu. 2. & Malderus 2. 2. tract. 3. cap. 1. dub.
16. & Moscosus tract. 2. Summæ cap. 2. n. 2.
nam in maximum discrimen partus addu-
ceretur, si viuente matris vtero exciden-
dus esset. Imò mortua matre fatum posse
vium extrahi, & baptizari, experientijs, &
Theologorum iustitijis firmari. 2. tomo
Theol. Mor. cap. 20. q. 6. nu. 23. ¶ Imò ipse
Suarez primus, & præcipuus Author sentē-
tiæ oppositæ, tandem concludit. Existimo
tamen moraliter vix posse accidere huius-
modi casum. Nam semper maius periculū
imminet proli, si mater interficiatur; &
ideo loquendo *practice, & moraliter*, semper
est differendum supplicium vsque ad partū.
Et similiter Palaus punct. 6. num. 2.

pp 2

Sed

12 Sed hinc confurgit tertia difficultas, utrum qui in matris utero aqua tangi possunt, vel quia aliqua pars egressa est, vel apparet, sint ibi baptizandi, vel valeat Baptismus?

Quidam dicunt, quod baptizari non potest, nisi plenè nascatur. Vnde Glossa in cap. Si ad matris, de Consecratione, distinct. 4. tenet, quod baptizari non potest, per dict. cap. Qui in maternis: & quia non perfectè natus non potest dici homo. L. Quod certatum. C. de posthumis her. inst. ubi oportet, quod totus sit natus quis, ut posthumus dicatur. Et Ochagavia quæst. 4. de Baptismo num. 5. ait. Puer dum est in utero matris, etiam si arte obstetricis eum aqua pertingat, nequit baptizari. Quod expresse patet cap. Qui in maternis. Pro ista opinione citat Diana parte 5. tract. 3. resol. 12. Villalobos, & ait, quod tenent plures discipuli Diui Thomæ cum ipso in 3. part. quæst. 68. artic. 11.

13 Sed nec Diuus Thomas, nec eius discipuli, nec Villalobos docent aliud, quàm quod habetur in textu, & quod nullus negat, ut vidimus num. 6. Cum quo stat, quod in isto casu oppositum expresse doceat Diuus Thomas ad 4. Vnde Syluester verbo Baptismus 4. quæst. 1. num. 2. in fine relatis verbis Diui Thomæ ex 4. Sententiarum ait, quod Diuus Thomas intendit, quod egresso capite, baptizetur non rebaptizandus: egressa vero alia parte, aspergatur aqua, id est, baptizetur, sed rebaptizandus sub conditione: & hoc clare patet 3. part. quæst. 68. artic. 11. ad 4. Hæc Syluester ex Diuo Thoma.

14 Clarissime Victoria de Baptismo quæst. 3. sic ait. Queritur an ad baptizandum puerum expectanda sit eius natiuitas ex utero? Respondetur, secundum omnes Doctores, quod sic: & habetur de Consecratione diu. 4. cap. Qui in maternis. Verum est, quod si natus obstetricis possit realiter mitti aqua: & verba dicantur, quod esset verus Baptismus. Si autem periclitetur puer nascens, & appareat caput, baptizetur, & erit verus Baptismus, ut ait Sanctus Thomas 3. part. quæst. 68. artic. 11. ad 4. Si autem alia pars appareat, scilicet, pes, vel manus, dicit Sanctus Thomas, Durandus, & Paludanus, & est cõmunis opinio, quod licet non sit certum an esset verus Baptismus, baptizandus tamen est; & postea si nascatur, debet sub conditione iterum baptizari. Hæcibi. Idem docet Martinus Ledesma 1. part. 4. quæst. 9. artic. 11. Non ergo Diuus Thomas, & eius discipuli illam sententiam docent: sed hanc, quæ

est vera, & communis. Ideoque Heruax in 4. dist. 6. quæst. 1. ait, quod oportet ad Baptismum supponere natiuitatem ex utero, vel secundum totum, vel secundum partem. Et quæst. 2. dicit, quod si alia pars quacumque apparet, & imminet periculum, Ecclesia debet facere, quod potest: & debet baptizare. Si postmodum nascatur viuus, baptizandus sub conditione, nisi baptizatus esset in capite, ut diximus ex Diuo Thoma. Et Suarez hic artic. 11. etiam notat, quod non est semper expectanda rigorosa natiuitas ut in necessitate Baptismus dari possit: quacumque enim ratione fieri possit ut abluatur, id satis erit ad valorem Baptismi. Quod & tenent Zambranus, Valentia, Vivaldus, Gabriel, & Coninch, quos cum Victoria, Ledesma, & Suarez, ipse Diana retulerat, & sequutus fuerat 2. part. tract. 15. & 1. miscell. ref. 43. Præpositus, quem ipse refert, & sequitur illa 5. part. trac. 3. resol. 12. Sequitur Aueria quæst. 68. sec. 1. & Trulench lib. 2. capit. 1. dub. 6. num. 5. ¶ De remedio puerorum antequam nascantur, latè hic Soto contra Caietanum: sed nos iam diximus dub. 2.

§. III.

De furiosis, amentibus, & dormientibus.

15 Quarto est difficultas de furiosis, & amentibus an debeant baptizari?

Respondet Diuus Thomas art. 12. distinguens, quod quidam sunt amentes, & furiosi à natiuitate, nulla habentes lucida interualla; in quibus etiam nullus usus rationis apparet. Et de talibus quantum ad Baptismi susceptionem, videtur idem esse iudicium, ac de pueris, de quibus iam dictum est dub. 7. Alij vero sunt amentes, qui ex sana mente, quam habuerunt prius, in amentiam inciderunt. Et tales sunt iudicandi secundum voluntatem, quam habuerunt dum sanæ mentis existerent. Et ideo si tunc apparuit in eis voluntas suscipiendi Baptismum, debet eis exhiberi in furia, & amentia constitutis: etiam si tunc controdicant. Imò, ut ex Paludano notat Syluester verbo Baptismus 4. quæst. 2. etiam si oporteat eos ligari, vel etiam si faciât suis motibus inuoluntarijs externam irreuerentiã sacramento: quia ad eius valorem, & fructum, præcedens voluntas libera moraliter perseverat. Ideoque refert S. Augustinus libro 4. Confessionum capit. 4. de amico suo, qui cum desperaretur, baptizatus est nesciens: & tamen Baptismus in eo efficaciam habuit.

Si

16 Si vero nulla voluntas suscipiendi Baptismum in eis apparuit, dum sanæ mentis essent, non sunt baptizandi, ut sumitur ex Innocentio 3. capit. Maiores, de Baptismo. Quod non solum est verum si antea politice renuit Baptismum suscipere: sed etiam si prius nil de Baptismo cogitauit, ut iam diximus. Vnde infert Soto dist. 5. artic. 12. §. De prima conclusione, quod si esset aliquis infidelis in aliqua prouincia, in qua nil auditum esset de fide, & incideret in amentiam, non esset baptizandus: quia nemo nisi volens cõsetur de statu vitæ suæ disponere. Et quoniam ille in peccato tunc esset contra ius naturæ; si ut quamuis tota Ciuitas occideretur pro Christo, priuilegio ipse non gauderet martyrij; imò periret. Idem subdit §. His tamè, cum Scoto dist. 4. quæst. 4. de amente, qui cum haberet sanam mentem, voluit quidem baptizari; sed tamen cum voluntate permanendi in peccato mortali: quia hæc voluntas, & complacèntia moraliter in amentia perseverat: vnde sicut non licet eum baptizare, si esset sanæ mentis, si fitio cognosceretur; ita nec constitutum in amentia.

17 Quidam vero sunt (prosequitur Diuus Thomas) qui & si à natiuitate fuerint furiosi, vel amentes, habent tamen aliqua lucida interualla, in quibus recta ratione uti

possunt. Vnde si tunc baptizari voluerint, baptizari possunt; etiam in amentia constituti. Et debet eis tunc sacramentum conferri, si periculum timeatur: alioquin melius est ut tempus expectetur, in quo fiat sanæ mentis, ad hoc ut deuotius suscipiant sacramentum. Si autem tempore lucidi interualli non appareat in eis voluntas suscipiendi Baptismum, baptizari non debent in amentia constituti. Quidam vero sunt, qui & si non omnino sanæ mentis existunt, in tantum tamen ratione utuntur, quod possunt de sua salute cogitare, & intelligere sacramenti virtutem. Et de talibus idem est iudicium, sicut de his, qui sanæ mentis existunt, qui baptizantur volentes; non autem inuiti.


18 Tandem Diuus Thomas artic. 12. ad tertium docet, quod dormientes non sunt baptizandi, nisi periculum mortis imminet: in quo casu baptizari debent, si prius in eis voluntas apparuit suscipiendi Baptismum, sicut, & de amentibus dictum est. Querit autem, quoad hoc, sit disparitas inter ministrum, & susceptorem Baptismi; iam supra diximus dubio octauo quæstione 64. num. 32. & hic dubio 5. & exponunt Soto articulo septimo sine, & Candidus disquisitione 16. articulo 6.

dubio 3.



Pp 3

QVAES



QVAEST. LXIX.

DE EFFECTIBVS BAPTISM I.



Effectus Baptismi exponit S. Thomas decem articulis: tribus primis agit de remotione malorum: quatuor subsequentibus de collatione bonorum: & tribus ultimis de inaequalitate,

& impedimento, & restauratione effectuum Baptismi. In primo statuit, quod omne peccatum per Baptismum tollitur. In secundo docet, quod ille, qui baptizatur, liberatur a reatu totius poenae sibi debita pro peccatis. In tertio exponit, quod Baptismus habet virtutem auferendi poenitentias praesentis vitae: non tamen eas auferit in praesenti vita: sed eius virtute auferetur a iustis in resurrectione, quando mortale hoc inducit immortalitatem. In quarto docet, quod per Baptismum consequitur homo gratiam, & virtutes. In quinto asserit, quod baptizati illuminantur a Christo circa cognitionem veritatis, & secundantur ab eo fecunditate bonorum operum per gratiae infusionem. Ex quo in sexto articulo contra antiquorum quosdam probat pueris in Baptismo dari gratiam, & virtutes. Et articulo septimo, quod effectus Baptismi est apertio ianuae regni caelestis. In octavo explicat, & docet, quod quantum ad effectum per se, omnes pueri aequalem effectum recipiunt in Baptismo: adulti vero quidam plus, quidam minus de gratia nouitatis recipiunt, secundum quod cum maiori, vel minori deuotione ad Baptismum accedunt. In nono articulo docet, quod fictio impedit effectum Baptismi. Sed in ultimo admonet, quod si fictio remoueat per poenitentiam, Baptismus statim consequitur suum effectum.



DVBIVM I.

De effectibus Baptismi quantum ad remotionem malorum,

§. I.

Haereticorum errores.

1 Proponitur ad exponendam doctrinam horum trium articulorum Diui Thomae. Et circa primum Suarez disput. 26. sect. 1. initio, & Cabrera nu. 1. referunt quosdam dixisse Baptismum esse inutilem, & nullius efficaciam ad delenda peccata. Huius erroris primus author fuisse creditur Caianus, ut colligitur ex Tertuliano libro de Baptismo in principio. Hunc imitati sunt Manichaei ex Sancto Augustino haeresi 46. & Arcontici, ex Sancto Ephesiano haeresi 40. & Messaliani, seu Massaliani: hos enim ut diuersos numerat Sanctus Damascenus: sunt tamen iidem apud Theodoretum libro 4. haereticarum fabularum circa finem, & habetur etiam lib. 7. Trip. cap. 11.

2 Contra totum hoc inuenitur Vazquez disp. 156. cap. 1. latissime probare contendens non constare huius haeresis auctorem fuisse Caianum: & quod Tertulianus de Praescript. cap. 33. num. 195. & 196. putat Caianam haeresim fuisse haeresim quorundam Nicolaitarum sui temporis: & in libro de Baptismo cap. 1. n. 7. tribuit hunc errorem Quintillae. Unde nullus ex Cainis, seu Caianis, praeter Quintillam, circa effectum Baptismi errauit. Omittuntur autem Arcontici, Massaliani, & noui Manichaei, quia isti non circa effectum Baptismi, sed circa ipsum sacramentum errauerunt, ut quasi. 66. relatum est.

3 Prochus autem quidam Origenista, ut refert S. Epiphanius haeresi 64. in fragm. 19 Methodij, dixit per Baptismum non omnino

omnino auferri peccatum: alioquin non tam facile posset peccatum: sed solum peccatum contrahi, & quasi colligi, & impediri, ut fructum produceret. Eorundem videtur mentionem facere S. Gregorius Magnus libro 9. epist. 39. cum inquit. *Siqui vero sunt, qui dicunt peccata in Baptismo superficie tenus dimitti: quid est hac praedicatione infidelium, in qua ipsum fidei sacramentum festinant soluere?*

Haeresim hanc suscitauit Lutherus in assertione art. 2. dicens omnia peccata in Baptismo remitti, multum poenitentiae tolli: quia non imputatio etiam permanente peccato fieri potest. Sequitur Caluinus lib. 4. inst. c. 15. §. 10. & 11. Melancton, Kemnitius, & alij.

4 Quantum attinet ad peccata venialia, ille omnium errorum setina Vuicleph, ut referunt Thomas Vualdensis 2. tomo de sacramentis cap. 108. & Soto dist. 6. quaest. 1. artic. 1. §. Sed de peccatis, a veritate in hac parte aberrauit, dicens, quod & si alia peccata per Baptismum tollantur, peccatum autem veniale omissionis non tollitur.

5 Per aliud extremum Haeretici qui veros Baptismi effectus negant, alios quinque illius effectus confingunt, quos referunt, & confutant Bellarminus lib. 1. de Baptismo cap. 12. Vazquez disput. 156. cap. 6. Granados tract. 5. disput. 1. sec. 1. breuiter Aueria hic sect. 1. in fine.

In primis per Baptismum homines reddi impeccabiles, dixit Louinianus relatus a Diuo Hieronymo lib. 2. contra ipsum, & a Diuo Augustino haeresi 82. ita ut si homo deinceps peccaret, assereret hominem illum vere baptizatum non fuisse. Alij dixerunt baptizatos, licet peccent, damnari non posse, si ab Ecclesia Catholica non discedant. Ita refert Sanctus Augustinus lib. 21. de Ciuitate cap. 20. & confutat capit. 25. Videturque esse illi, qui tempore Apostolorum dixerunt homines saluari sola fide sine operibus: contra quos S. August. libro de fide, & operibus capit. 14. Idque suscitauit Lutherus in libro de captiuitate Babylonica capit. de Baptismo dicens. *Nulla peccata baptizatum possunt damnare, nisi sola incredulitas.* Et in libro de votis monasticis ait. *Credentis in Christo nulla sunt tam mala opera, quae possint ipsum accusare, & damnare.*

6 Secundo haeretici attribuunt Baptismo ut virtute illius homo liberetur ab obligatione legis Dei: quia quamuis sit peccatum facere contra legem, non tamen eis imputetur: & in hoc constituit Lutherus libro de votis monasticis libertatem Euangelicam.

Quod & tenet in capit. 2. epist. ad Galatas, & Caluinus libro 3. Inst. cap. 19. §. 24. Pariter tertio tribuit Baptismo, quod baptizatos liberat ab obligatione, & vinculo legis Ecclesiasticae. Quarto dicunt virtute illius fieri irrita omnia vota baptizati. Demum quinto attribuunt Baptismo, ut sola illius memoria homines a peccatis iustificetur.

§. II.

Doctrina Catholica.

7 Dico primo, certum est secundum fidem catholicam, quod omne peccatum per Baptismum tollitur. Probat Diuus Thomas artic. 1. ex illo Ezequielis 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Quem locum S. Hieronymus ibi, & S. Cyprianus lib. 4. Epistola 7. S. Athanasius epist. ad Serapionem, Theodoretus, & alij ibi de aqua Baptismi exponunt.*

Secundo probat ex Apostolo ad Romanos 6. dicente: *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus: & postea concludit: Ita & vos existimate mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro.* Ex quo patet, quod per Baptismum homo moritur vetustati peccati, & incipit viuere nouitati gratiae. Omne autem peccatum ad pristinam vetustatem pertinet: quia nec omnibus modis esse mortuus praeterite vitae, nec perfecte regeneratus, si aliquid peccatum remaneret. Unde consequens est quod omne peccatum per Baptismum tollatur.

Tertio probat ad primum: nam peccatum Adae non tantum potest, quantum potest donum Christi, quod in Baptismo percipitur: nam ut dicit Apost. ad Rom. 5. iudicium ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Unde S. August. lib. 1. de pecc. mer. c. 15. ait quod *generata carne tantummodo trahitur peccatum originale: regenerata autem Spiritu, non solum originale, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum.* Quoniam in Baptismo applicatur virtus passionis Christi ad nouam vitam perfectam inchoandam.

Praterea probatur testimonijs Patrum, quae referunt Soto, Suarez, & Granados sec. 3. num. 11.

8 Demum definita est in pluribus Concilijs. In Carthaginensi 4. canone. 1. inter dogmata fidei, quae Episcopus confiteri debet.

vnū est de hac veritate. *Querendum*, inquit, ab eo est, si in Baptismo omnia peccata, id est, tam illud originale contractum, quam ea, quæ voluntarie admissa sunt, dimittantur. Quæ est maior explicatio eius quod credimus in Concilio Nizeno addito in Concilio Constantinopolitano, cum dicimus. *Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum.*

Expresse etiam in Concilio Florentino in decreto fidei post ultimam sess. 9. *Primum omnium*, dicitur. *Huius sacramenti Baptismi effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur.*

Ultimo in Concilio Tridentino sess. 5. in decreto de peccato originali canone 5. sic diffinitur. *Siquis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismo confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, nō tolli totum id, quod verum, & propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, Anathema sit.* De quo sess. 6. a cap. 3. vsque ad 7. & sess. 14. cap. 1. vbi idem vel supponitur, vel asseritur. Optime S. Augustinus lib. 1. contra duas eplis. Pelag. cap. 13. *Dicimus Baptisma omnium dare indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere neque peccatorum radices in mala carne teneri, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum rescedendā peccata.* Et præmiserat. *Quis hoc, nisi infidelis, asserat.* Et idem S. August. relatus cap. *Per Baptisma, de consecratione dist. 4.* inquit. *Per Baptisma deletur quicquid ab homine dictum, factum, vel cogitatum est, ut habeatur quasi non factum.* Reliqua, quæ adhuc ampliores probationem desiderari possent, pertinent ad tractatum de iustificatione: de qua 1. 2. q. 113. Circa solutiones argumentorum, videantur Soto, Nuño, & Cabrera.

9 Dico secundo, per Baptisma liberatur homo ab omni reatu pœnæ, quæ pro culpa debetur. Est de fide ex illis verbis Concilij Florentini: *Omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur.* Et Trident. sess. 5. in decreto de peccato originali canone 5. ibi. *Ita ut nil prorsus eos ab ingressu cæli remouetur.* Et sess. 6. cap. 14. constituit discrimē inter Baptisma, & Pœnitentiam, quod in ista dimissa culpa remanet satisfactio pro pœna temporali, quæ ut Sacra littera docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis. Idem docet sess. 14. cap. 8. Ex Patribus tradiderunt S. Ambros. ad Rom. 1. 1. dicens. *Gratia Dei in Baptismo gratis omnia condonat: & non querit gemitum, aut planctum, aut opus aliquod, nisi solam ex corde professionem.* Auctor ser. de ablut. pe-

dum apud S. Cyprianum, vbi de Baptismo, ait. *Sic lauas quos parentalibus labes infecerat, neque actualis, nec originalis culpæ vestigia relinquat.* Aliorum Patrum verba refert Suarez disp. 26. sec. 1. conc. 3. Quæ enervare contendit Vazq. disp. 136. c. 3. an. 44. vsque 47.

10 Probat D. Tho. art. 2. nam sicut dixerat q. 68. ar. 5. ad 1. & art. 2. per Baptisma aliquis incorporatur passioni, & morti Christi, secundum illud ad Rom. 6. *Si mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam vivemus cum eo.* Ex quo patet, quod omni baptizato communicatur passio Christi ad redimendum, ac si ipse passus, & mortuus esset. Passio autem Christi (sicut dictum est q. 63. art. 5.) est sufficiens satisfactio pro omnibus peccatis omnium hominū. Et ideo ille, qui baptizatur, liberatur à reatu totius pœnæ sibi debita pro peccatis, ac si ipse sufficienter satisfecisset pro omnibus peccatis suis. Ratio huius primaria fuit voluntas Dei, & institutio Christi, nobis manifesta Ecclesiastica traditione, & vltimo perpetuo: nam baptizatis nulla imponuntur opera satisfactoria: & totum hoc bene colligit D. Thomas, quia hoc sacramentum institutum est per modum regenerationis, in qua homo commoritur, & resurgit cum Christo. Vnde S. Chrysost. hom. 24. in Ioan. ait. *In aqua Baptismi tanquam in sepulchro caput immergētibz, vetus homo sepelitur, emergentibus inde, novus resurgit.*

11 Admonet tamen D. Th. ad 3. quod in pœnis, quæ iudicio humano inferuntur, nō solum attenditur, quæ pœna sit homo dignus quoad Deum; sed etiam in quo sit obligatus quoad homines, qui læsi, & scandalizati sūt per peccatum alicuius. Et ideo licet homicida per Baptisma liberetur à reatu pœnæ quoad Deum; remanet tamen obligatus ad huc quoad homines, quos iustus est edificari de pœna, sicut sunt scandalizati de culpa. *Ita tamen talibus Princeps posset pœnam indulgere.* Quod intelligendum existimat Suarez in cōm. de supremo Principe, vel qui ab eo habet potestatem dispensandi in legibus humanis. Imò recte adijcit Soto art. 1. ad 3. dicens intelligendum, si posset sine scandalo id fieri. tantum enim posset esse crimen, ut eiusmodi indulgentia non esset licita.

12 Nec Baptisma liberat ab Irregularitate bigamiæ, & ab alijs, quæ non tam sūt in pœnam delicti, quam in significationem, ut ex D. August. de bono coniugali cap. 18. refertur cap. *Acutius*, dist. 26. & cap. *si quis viduam*, dist. 34. & cap. *Deinde*, dist. 26. ex Innocentio epist. 2. c. 5. & epist. 22. c. 2. docent Theologi cum D. Thom. in 4. dist. 27. & in

Add.

Addit. 3. p. q. 66. ar. 4. & ad Titum 1. & 1. ad Tim. 3. Omnis tamen irregularitas confurgens ex proprio delicto tollitur per Baptisma, ut colligitur ex can. *Deinde*. Et can. *Vna*, dist. 26. Et tenent communiter Doctores. De quo Syluest. ver. Baptismus 6. nu. 2. Armilla, ver. Irregularitas nu. 87. Suarez to. 5. de Cen. disp. 41. sect. 1. Candidus disp. 16. art. 7. dub. 6. Henriquez lib. 2. de Baptismo cap. 18. Sayrus lib. 7. Theol. cap. 13. Bonacina q. 2. de Irregul. punct. 5. Leander parte 1. tractatu 2. disp. 6. q. 11. Et par. 5. tract. 2. disp. 6. q. 8. & apud eos alij.

13 Sed inquires, vtrum remissio pœnæ sensus temporalis debita pro peccatis fiat, seu vtrum remittatur ex natura iustificationis in hoc sacramento?

Vazquez disp. 156. cap. 4. docet non ex natura iustificationis, in hoc sacramento semper remitti omnem pœnam, etiam temporariam; semper tamen ex condonatione speciali voluntatis Dei relaxari. Probat, quia iustificatio hominis non baptizati secundum se considerata eiusdem prorsus rationis est cum iustificatione hominis iam baptizati, siue utraque fiat extra sacramentum, siue in sacramento: & peccata commissa ante Baptisma eiusdem rationis sunt cum commissis post Baptisma, sola addita circumstantia ingratiitudinis, quæ iustificationem variare non sufficit. Quod si consideremus naturam ipsius gratiæ, & iustificationis collatæ per sacramentum Baptismi, cum tecū dum se sit eiusdem rationis cum ea, quæ datur extra sacramentum, vel per sacramentum Pœnitentiæ; asserere non possumus, suapte natura, absque vlla condonatione Dei remittere semper omnem pœnam, etiam temporalem: siquidem in sacramento Pœnitentiæ, vel extra omnē sacramentum non semper remittitur. Et quamvis in Baptismo detur intensior gratia, non ideo præcise tolleret omne debitum pœnæ, eo quod intensio gratiæ, quæcumque cum aliquo debito temporalis pœnæ suapte natura non pugnat, sed si mul esse potest.

14 Incontrarium est in primis, quod Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 8. assignat discrimē, quod est inter modum quod dimittitur pœna peccati in sacramento Pœnitentiæ, ac in Baptismo, non ex condonatione, quæ in vno interueniat, & non in alio; sed ex ordine diuinæ institutiōis, & ex diuersa natura vtriusque sacramenti.

Secundo de hac condonatione, nec verbum est in Patribus, nec in Theologis Scholasticis, ut ipse fateretur nu. 48. Vnde cum ex

Sacra Scriptura, & Patribus, & Ecclesiæ traditione habeatur in Baptismo omnē reatū culpæ dimitti, nō poterūt id colligere, nisi ex natura instituti sacramenti, ut patet in ratione exposita D. Tho.

15 Tertio in sacramentis, supposita institutione diuina, id quod illis conuenit, itaquam virtuti per se, & peculiariter ad hoc destinatæ, conuenire dicitur ex natura rei. Sed ut docet Soto in 4. dist. 6. q. 1. artic. 1. §. *Ad maiorem autem*. Baptismi proprius effectus, ad quem institutus est, consistit in remissione peccatorum, & regeneratione in novam vitā. Et hoc pacto intelligenda est præfens conclusio; iuxta verbum Petri Actuum 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Ergo ex natura huius sacramenti, prout de facto a Deo instituti, est remissio originalis, & actualiū, & omnis pœnæ pro eis debita. Ad quod aludit Apost. ad Titum 3. dicens. *Saluos nos fecit per laudacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde, scilicet, copiosissime, ut fordium nihil fieret reliquum.*

16 Quarto, sicut docet S. Thomas 3. p. q. 62. ar. 2. ad 3. & q. 72. ar. 7. ad 3. id quod superaddit gratia sacramentalis non est eiusdem speciei cum gratia communiter sumpta, ut iam nos ibi explicuimus. Ex quo facile patet non ex sola intensione, sed ex speciali munere huius gratiæ sacramentalis posse illi competere hanc excellentiam. Et sic manet firmata hæc communis, & vera sententia, & solutum fundamentum oppositæ.

17 Vltimo asserendum est, Baptisma per se non dare illos quinque effectus, quos Hæretici conferre constringunt. Hæc late probant Bellarminus, & alij relati. Nobis sufficiant quinque canones Sacri Concilij Tridentini sess. 7. de Baptismo à canone 6. vsque ad 10. qui specialiter contra errores prædictos sunt editi in hac forma. Can. 6. *Si quis dixerit baptizatum non posse, etiam si velit, gratiammittere, quansumcumque peccet, nisi nolit credere, anathema sit.* Can. 7. *Si quis dixerit, baptizatos per Baptisma ipsum solius tantum fidei debitorum fieri, non autem vniuersa legis Christi seruandas, anathema sit.* Can. 8. *Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt, ita ut ea obseruare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit.* Can. 9. *Si quis dixerit, ita renouandos esse homines ad Baptisma suscepti memoriā, ut vna omnia, quæ post Baptisma sunt, ut promissionis in Baptismo*

mo

mo ipso iam facta, irrita esse intelligant, quasi per ea, & fidei, quam professi sunt, detrahatur, & ipsi Baptismo, anathema sit. Sed & de voti naturali obligatione late diximus 2. to. Theol. Moral. cap. 3. 1. q. 4. Denique can. 10. Si quis dixerit peccata omnia, quæ post Baptismum sunt, sola recordatione, & fide suscepti Baptismi, vel dimitti, vel venialia fieri, anathema sit.

§. III.

Cur per Baptismum non auferantur poenalisitates vitæ præsentis?

18 **E**Xperientia compertum est in baptizatis manere concupiscentiam, & fomitem peccati: & baptizatos pati famem, sitim, & mortem, unde ut explicet D. Thomas rationes congruentiæ, & convenientiæ huius diuinæ dispositionis, proponit art. 3. in quo docet, quod Baptismus habet virtutem auferendi poenalisitates præsentis vitæ, non tamen eas auferit in præsentia vitæ, sed eius virtute auferentur a iustis in resurrectione, quando mortale hoc induet immortalitatem, ut dicitur 1. ad Corinth. 15. Et hoc rationabiliter. Primo quidem, quia per Baptismum homo incorporatur Christo, & efficitur membrum eius, ut dictum est num. 10. Et ideo conueniens est, ut id agatur in membro incorporato, quod est actum in capite: Christus autem à principio sue conceptionis fuit plenus gratia, & virtute; habuit tamen corpus passibile, quod post passionem, & mortem est ad vitam gloriosam resuscitatum. Unde & Christianus in Baptismo gratiam consequitur quantum ad animam; habet tamen corpus passibile, in quo pro Christo possit pati; sed tandem resuscitabitur ad impassibilem vitam. Unde Apostolus dicit ad Rom. 8. Qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, uiuificabit, & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in uobis. Et infra, eodem: Heredes quidem Dei; coheredes autem Christi; si tamen compatimur, ut & simul glorificemur.

19 Secundo, hoc est conueniens propter spirituale exercitium, ut videlicet, contra concupiscentiam, & alias passibilitates pugnans homo, victoriæ coronam acciperet. Unde super illud ad Rom. 6. Ut destruantur corpus peccati: dicit Glossa (quæ est S. August. lib. 1. de Baptismo paru. cap. 39.) Si post Baptismum vixerit homo in carne, habet concupiscentiam, cum qua pugnet, quamque, adiuvante Deo, superet. In cuius figurâ

dicitur Iudicum 3. Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israel, & postea discerent filij eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi. Hæc ratio traditur etiam à D. August. lib. 3. de pecc. meritis cap. 13. & approbatur à Concilio Tridentino sess. 5. decreto de peccato origin. canone 5. dicente. Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc Sancta Synodus fatetur, & sentit, quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Iesu gratiam repugnantibus non valet; quoniam, qui legitime certauerit, coronabitur.

20 Tertio hoc fuit conueniens, ne homines ad Baptismum accederent propter impassibilitatem præsentis vitæ, & non propter gloriam vitæ æternæ. Unde & Apostolus dicit 1. ad Cor. 15. Si in hac vita tantum sperantes sumus in Christo, miserabiles sumus omnibus hominibus. De qua ratione videndus S. August. lib. 2. de peccatorum meritis cap. 3. 1. dicens. Poterat etiam hoc donare erudentibus, ut neque istius experirentur corporis mortem; sed si hoc fecisset, carni quædam felicitas adderetur: minueretur autem fidei meritum. Si enim homines mortem istam timent, ut non ob aliud felices dicerent esse Christianos, nisi quod mori omnino non possent. Ac per hoc nemo propter illam vitam, quæ post istam mortem beata futura est, per virtutem etiam contemnendæ ipsius meritis, ad Christi gratiam festinaret: sed propter remouendam mortis molestiam, ut delicatius crederetur in Christo. Videatur lib. 3. de peccat. mer. cap. vlt. Et lib. 1. Confess. cap. 1. Et lib. 13. de Trin. cap. 4. & lib. 22. de Civitate Dei cap. 22. aliam adjicit rationem. Ut hinc appareat, quod veluti pondere suo proclinis sit vitiosa natura, & quanta ope, ut hinc liberetur, indigeat.

21 Adjicit Concilium Tridentinum illo canone 5. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus ad Rom. 6. 7. & 8. & ad Col. 3. peccatum appellat, Sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè, & propriè in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit. Idem definitur in Bulla Leonis 10. contra Lutherum artic. 2. De quo S. August. lib. 1. contra duas epist. Pelag. capite 13. & lib. 1. de nuptijs, & concup. c. 23. & lib. 6. contra Iul. cap. 5. & 6. & lib. 2. de peccat. meri. capite 28. & epist. 28. ad D. Hieronymum.

22 De quo videatur Soto lib. 1. de natura, & gratia cap. 11. & 12. & in 4. dist. 6. q. 1. art.

2. ubi addit, quod concupiscentia ipsa in baptizatis, quantum ad substantiam, nec diminuitur, nec debilitatur, nec sopitur. Quia est potentia naturalis, & gratia non tollit naturam, sed perficit. Imò vltimè venire sæpè solet, ut baptizati propter naturalem complexionem vehementiores sentiant carnis insultus, quam non baptizati.

23 Vltima asserit, quod in hoc sensu concupiscentia, & fomes, qui est poena originalis peccati, dicitur alligari; & minui, & debilitari, quod Spiritus per gratiam Baptismi contra eius infestas pugnas adiuuatur, ut certamini non succumbat, ut docet S. August. relatus cap. Gratia. De consecratione. dist. 4. Et ita determinatur in Conc. Mileuitano cap. 2. & 3. De quo 1. 2. q. 81. agendo de peccato originali. Et ita Sanctus Thomas hic art. 4. ad 3.

24 Sed obijcies; remota causa remouetur effectus. Sed causa poenalarum præsentis vitæ est peccatum originale: quod tollitur per Baptismum: ergo non debent huiusmodi poenalisitates remanere.

25 Respondetur cum D. Thoma art. 3. ad 3. quod sicut 1. 2. q. 81. art. 1. dixerat, peccatum originale hoc modo processit, quod primo periona infecit naturam, postmodum vero natura infecit personam. Christus vero còuerso ordine prius reparat id quod personæ est, & postmodum simul in omnibus reparat id quod naturæ est. Et ideo cuiusdam originalis peccati, & etiam poenam carentiæ visionis diuinæ, quæ respiciunt personam, statim per Baptismum tollit ab homine: sed poenalisitates præsentis vitæ (sicut mors, fames, sitis, & alia huiusmodi) respiciunt naturam, ex cuius principijs causantur, prout est destituta originali iustitia. Et ideo isti defectus non tollentur, nisi in vltima reparatione naturæ, per resurrectionem gloriosam.

DVBIUM II.

Vtrum per Baptismum conferantur homini gratia, & virtutes?

§. I.

Quatuor assertiones certæ.

1 **Q**uatuor assertionibus complectemur doctrinam quatuor articulorum D. T. à 4. vsque ad 7. inclusiuè. Dico primo, per

Baptismum consequimur gratiam, & virtutes. Probat D. Thomas ex Apostolo ad Titum 3: Et renouationis Spiritus Sancti, quæ effudit in nos abundè, id est, ad remissionem peccatorum, & ceptam virtutum, ut Glossa Interlin. ibidem exponit. Et ratione: nam sicut dicit S. Augustinus lib. 1. de Baptismo paru. capite 26. ad hoc Baptismus valet, ut baptizati Christo incorporentur ut membra eius. A capite autem Christo in omnia membra eius, gratia, & virtutis plenitudo deriuatur, secundum illud Ioan. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus. Unde manifestum est, quod per Baptismum aliquis consequitur gratiam, & virtutes.

2 Admonet rectè Soto in 4. dist. 6. q. 1. art. 3. duplicem posse esse sententiam huius conclusionis. Vna, quod per id quod confertur in Baptismo, homines fiant Deo grati. Et in hoc sensu temper conclusio fuit de fide: iuxta illud Marci vltimo: Qui creduerit, & baptizatus fuerit, saluus erit: Et illud Apostolus: Mundans iam lauacro aquæ in verbo vitæ. Alio modo ita quod hæc iustificatio fiat per qualitatem habituales gratiæ, & per infusionem virtutum: & sic nec tam planè colligitur ex Sacris litteris; neque etiam antiqua Ecclesiæ confessio. Imò gradatim est veritas hæc ab Ecclesia suscepta. Primum enim Innocentius Tertius in cap. Maiores, de Baptismo, tanquam rem inter Theologos dubiam reliquit, vtrum hoc secundo modo gratia, & virtutes per Baptismum infundantur. Postmodum vero in Concil. Vienès. pars hæc affirmatiua, tanquam probabilior, dictisq; Sanctorum, & Doctorum magis còcors recepta est, quod scilicet tam paruulis, quam adultis infundantur: ut patet in cap. Firmiter, de Summa Trinitate, & fide Catholica. Vbi dicitur. Nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per Baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem, quæ asserit, tam paruulis, quam adultis, dari in Baptismo informantem gratiam, duximus eligendam. Demum in Concilio Tridentino sess. 6. can. 11. tanquam certa veritas est sub hoc tenore decreta. Si quis dixerit hominem iustificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundantur, atque illis inhaereat, aut etiam gratiam, quæ iustificamur, esse tantum fauorem Dei, anathema sit. Huius plenior probatio sumitur ex tractatu de iustificatione. Vtrum autem cum gratia, & virtutibus Theologicalibus infundantur etiam morales? Disputatur 1. 2. q. 63. art. 3. Nuac aliqua Scripturæ, & Patrum testimonia

nia pro cōclusionē videri possunt apud Suarez disp. 26. sect. 2.

3 Dico secundo, conuenienter attribuantur Baptismo pro effectibus quidā actus virtutum, scilicet, incorporatio ad Christum, illuminatio, & fecundatio. Probat D. Thomas art. 5. In primis ex D. August. lib. 1. de Baptismo paruulorum cap. 26. dicente, quod ad hoc valet Baptismus, vt baptizati Christo incorporentur. Et S. Dionys. cap. 2. eccles. hier. parte 2. illuminationem attribuit Baptismo. Glossa etiam Casiodoti ad illa verba Plal. 22. *Super aquam refectiois*, dicit quod anima peccatorum ariditate sterilis, fecundatur per Baptismum.

4 Item ratione: nam per Baptismum aliquis regeneratur in spiritualem vitam, quæ est propria fidelium Christi: sicut Apost. dicit ad Gal. 2. *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo. sicut in Deo.* Vita autem non est, nisi membrorum capiti vnitorum, à quo sensus, & motus suscipiunt: & ideo necesse est, quod per Baptismum aliquis incorporetur Christo quasi membrum ipsius. Sicut autem à capite naturali deriuatur ad membra sensus, & motus; ita à capite spiritali, quod est Christus, deriuatur ad membra eius sensus spiritalis; qui consistit in cognitione veritatis, & motus spiritalis, qui est per gratiæ intuitum. Vnde Ioannis 1. dicitur. *Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis, & de plenitudine eius nos omnes accepimus.* Et ideo consequens est, quod baptizati illuminentur à Christo circa cognitionem veritatis, & fecundentur ab eo fecunditate bonorum operum per gratiæ infusionem.

5 Notat tamē solutione ad 3. quod duplex est fecunditas spiritalis: alia Patrum, Doctorum, & Prædicatorum, qui filios Iesu Christo generant: alia communis omnium Christianorum per productionem bonorum operum: sicut arbores fecundæ dant fructum, quæuis non semper alias arbores producant. Effectus Baptismi ponitur fecunditas, quæ aliquis producit bona opera: non autem fecunditas, quæ aliquis generat alios in Christo: sicut Apostolus dicit 1. ad Cor. 4. *In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* Valet tamen hæc conclusio ad intelligendas loquutiones Patrum de excellentia, & præstantia Baptismi.

6 Dico tertio, etiam pueri in Baptismo consequuntur gratiam, & virtutes. Probat D. Thomas art. 6. auctoritate S. August. in Enchir. cap. 52. & duplici ratione. Primo quidem, quia pueri sicut, & adulti, in Baptismo efficiuntur membra Christi: vnde necesse

est, quod à capite recipiant influxum gratiæ, & virtutis. Secundo, quia si pueri in Baptismo non daretur gratia, pueri decedentes post Baptismum, non peruenirent ad vitam æternam: quia vt dicitur ad Rom. 6. *Gratia Dei est vita æterna.* Et ita non profuisset eis ad salutem baptizatos fuisse. Quæuis enim puer operari non possint, habitus recipere possunt, & retinere: sicut etiam dormientes, quamuis habeant habitus virtutum; impediuntur tamen ab actibus propter somnum.

7 Hæc assertio æquæ certa est ac prima: vnde in Concilio Trident. sess. 6. cap. 5. generaliter, & sine distinctione dicitur. *Si quis per Dominum nostrum Iesum Christum gratiam, quæ in Baptismo confertur, reatum originalis peccati remittit, negat, &c.* Et specialiter sess. 7. de Baptismo canone 13. diffinitur. *Si quis dixerit paruulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea, cum ad annos discretionis peruenierint, esse rebaptizandos, aut præstare omittendum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit.* De quo S. August. lib. 1. de pecc. mer. cap. 16. Et lib. 3. cap. 2. Et S. Cyprianus epist. 59. ait. *Vna est diuini muneris æqualitas apud omnes, siue infantes, siue maiores naturam gratiæ, quæ baptizatis datur, non pro ætate accipiendum maior, vel minor tribuitur; sed de pietate, atque indulgentia paterna æqualis omnibus præbetur. Nam Deus vt personam non accipit, sic neque ætatem, cum se omnibus ad cælestis gratiæ consequutionem æqualitate librata præbeat partem.*

8 Ratione Theologica idem probatur: nam Concilium Trid. sess. 7. can. 6. de Sacramentis in genere, definit sacramenta nouæ legis continere gratiam, quam significant: & eam non ponentibus obicem conferre. Sed paruuli non ponunt obicem gratiæ: & sunt illius capaces, sicut sunt capaces originalis peccati: ergo per Baptismum recipiunt gratiæ effectum.

9 Dico 4. effectus Baptismi est apertio ianue regni cœlestis. Probat D. Thomas in art. 7. ex illo Luca 3. *Apertum est cœlum: vbi S. Beda: Virtus hic Baptismatis ostenditur, de quo quisque cum egreditur, regni cœlestis ei ianua aperitur.* Et ratione: nam aperire ianuam regni cœlestis est amouere impedimentum, quo quis impeditur regnum cœlestis introire. Hoc autem impedimentum est culpa, & reatus poenæ. Ofsensum est autem dub. 1. quod per Baptismum omnis culpa, & omnis reatus poenæ tollitur, vnde consequens est, quod effectus Baptismi sit apertio

apertio ianue regni cœlestis, in quantum in corporat passioni Christi, virtutem eius homini applicando, vt ait ad 1.

§ II.

Duabus difficultatibus satisficit.

10 Sed inquires primo, vtrum Baptismus præter habitualem iustitiam, conferat sacramentalem gratiam?

Respondet Suarez disp. 26. sect. 2. in fine, certum esse non infundi aliquem habitum, à gratia, & charactere, & alijs, quæ gratiam comitantur, distinctum. Deinde, quod ipsamet iustitia Baptismalis, quatenus est regeneratiua, & secum affert remissionem omnis culpæ, & poenæ, dici potest gratia sacramentalis huius sacramenti, quia sub illo respectu, & ratione est illius propria. Denique ait, quod est probabile, ratione huius sacramenti dari aliqua auxilia actualia maiora, quam ipsi gratiæ secundum se debeantur, quibus homo frequentius, & vehementius excitetur, & adiuuetur, vel ad superandum concupiscentiæ fomitem, vel ad exercenda illa munera, ad quæ Baptismus obligat. Nam per Baptismum efficiuntur membra Christi, & Ecclesiæ, & capaces aliorum sacramentorum: pie igitur credi potest ratione illius dari aliquod speciale auxilium ad ferendum Christi iugum fortiter, & suauiter, & ad digne accedendum ad cætera sacramenta. Idem docent Filiiutias tract. 2. cap. 5. n. 99. Trullæch lib. 2. c. 1. dub. 8. n. 7.

11 Hoc vltimum omnino verum videtur: & insinuatū à S. Greg. Naz. orat. 50. quæ est de Baptismo. Et S. Baillio hom. de Baptismo in 2. pillius, & à D. Thomæ art. 4. ad 3. dicente. *sicut per Baptismum dimittitur concupiscentia, vt non dominetur illa etiam dimittitur vtrumque dictorum, nempe, difficultas ad bonum, & pronitas ad malum, ne homo ab his superetur.* Sed tamen hæc auxilia actualia non dantur in ipso Baptismo; sed ibi confertur aliqua extensio gratiæ, in qua fundatur ius ad auxilia iuxta ea, quæ diximus q. 62. dub. 5. §. 2. & 3.

12 Secundo inquiritur, vtrum fides, & spes infundantur ante Baptismum?

Respondent Suarez disp. 28. sect. 3. in fine, & Vazquez disp. 158. cap. 5. num. 48. vsque 50. quod sicut fides, & spes non pendant in conseruatione sua à gratia, & charitate; ita neque in infusione. Neque in hoc reperiri potest maius inconueniens inter habitus, quam inter actus: si ergo actus possunt

antecedere; cur non etiam habitus? Vnde consequenter fit accidere posse, vt in Baptismo homo ponat obicem gratiæ, & charitati, non tamen fidei, & spei; quia potest credere, & sperare, quamuis de peccatis non doleat. Tunc ergo sacramentum habebit effectum circa fidem, & spem; quamuis non habeat circa alia dona; quia sacramentum dat omnem effectum, cui non ponitur obex. Est enim velut caula naturalis, quæ agit quantum potest, si non est impedita: sicut ergo dat characterem sine gratia, ita potest dare fidem, & spem.

13 Mérito tamen cum alijs oppositum docet Granada controu. 4. tract. 5. disp. 2. n. 14 dicens. Sed non minus fortasse probabile est, quod alijs videtur, scilicet, habitus fidei, & spei infundi quidem, & augeri posse sine gratia habituali, si homo ad id disponatur medijs actibus fidei, & spei, ex vi tamē sacramenti Baptismi, aut Confirmationis numquam infundi, aut augeri; nisi quando simul infunditur gratia sanctificans. Primum quidem, quia habitus virtutum sunt passionēs dimanantes à gratia, etiam physice, vt alibi diximus. Quare non videntur produci à Sacramentis immediate; sed quatenus producant gratiam aqua effluunt: ergo quando sacramentum non efficit gratiam, nullius virtutis habitum confert.

Confirmatur, quia si quis accederet ad Baptismum sufficienter dispositus ad recipiendam gratiam; hæc tantum produceretur immediate à Baptismo, & ab illa dimanarent reliqui habitus infusi, cum id posuissent suapte natura; vt potè affectiones gratiæ: ergo quando Baptismus non confert gratiam, non producit habitus fidei, & spei.

Secundo id ipsum suadetur; quia sicut in Baptismo, & Confirmatione inuenitur specialis ratio, ob quam conferantur fides, & spes siue gratia, potest facile excogitari alia in alijs sacramentis: præsertim in Ordine, qui eum deseruiat ad rite peragenda ea, quæ expectant ad diuinum cultum, & ad id maxime conducat perfecta fides, dici etiam posset in eo augeri fidem; licet non conferretur gratia. Melius ergo est, aut certè valde probabile in vniuersum id denegari omnibus sacramentis.

14 Alij vero idem probant ex Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 7. vbi loquendo de prima iustificatione, quæ fit per Sacramentum Baptismi in re, vel in voto, ait. *In hac iustificatione cum remissione peccatorum hæc simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseri-*

inseitur, Fidem, Spem, Charitatem. Ergo regulariter loquendo, non prius infunduntur Fides, & Spes, quam Charitas, cum dicat simul infundi. Et tamen Suarez admittit, moraliter loquendo, semper accidere, ut habitus fidei ante Baptismum infundatur: quia moraliter loquendo, necesse est, ut actus fidei in catechumeno antecedit: per quem actus disponitur, ut statim ei infundatur habitus fidei: sicut si haberet actum Charitatis, infunderetur Charitas, quæ postea augetur per Baptismum.

Respondet tamen Suarez, quod *ly simul*, non significat durationem: sed est signum distribuens significans collectionem, & connectionem illarum virtutum: & requiruntur ad iustificationem perfectam: licet antea possit homo esse vnitus cū Christo imperfectè per fidem mortuam. Quare in sola hac auctoritate vim non facimus.

DVBIVM III.

Utrum Baptismus habeat in omnibus æqualem effectum?

§. I.

Resolutio ex D. Thoma.

1 De hac difficultate iam egimus quæstione 64. dubio 1. §. 4. Et q. 65. dubio 3. §. 3. Sed non pauca supersunt addenda huius loci propria ad exponendam doctrinam D. Thomæ, qui de hoc puncto agit hic art. 8. Vbi ut respondeat, distinctionem præmittit, docens, quod duplex est effectus Baptismi; vnus per se, alius per accidens. Per se quidem effectus Baptismi, est id ad quod baptismus est institutus, scilicet ad regenerandum hominem in spiritualem vitam. Effectus autem Baptismi per accidens, est ad quod Baptismus non est ordinatus, sed diuina virtus in hoc Baptismo miraculosè operatur. Aliam distinctionem supponit D. Thom. ex parte suscipientium, quia vel sunt pueri, vel adulti. Quibus præmissis, tribus conclusionibus respondet quæsitio.

2 Prima, omnes paruuli effectum per se Baptismi æqualiter recipiunt. Probat D. Thomas: nam Baptismus suum effectum per se æqualiter facit in omnibus, qui æqualiter se habent ad Baptismum. Sed omnes paruuli æqualiter se habent ad baptismum (quia nō in fide propria, sed in fide Ecclesiæ baptizantur.) Ergo omnes æqualem effectum perci-

piunt in Baptismo. Item confirmat ex illo ad Ephes. 4. *Vna fides, vnum Baptisma.* Quia vniformis causæ est vniformis effectus.

3 Secunda conclusio, adultorum quidam plus, quidam minus de gratia nouitatis accipiunt in Baptismo. Ratio est, quia adulti per propriam fidem ad Baptismum accedunt: ac proinde non æqualiter se habent ad Baptismum: quidam enim cum maiori, quidam cū minori deuotione ad baptismum accedunt; & ideo quidam plus, quidam minus de gratia nouitatis accipiunt. Sicut etiam ab eodē igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat: licet ignis, quantum est de se, æqualiter ad omnes suum calorem effundat.

4 Tertia conclusio D. Thomæ. Effectus baptismi per accidens non æqualiter suscipiuntur, ab omnibus baptizatis, etiam si æquali deuotione accedant: sed dispensantur huiusmodi effectus secundum ordinem prouidentie diuinæ. Sic S. Augustin. lib. 1. de peccatorum meritis cap. 39. & habetur in Glossa super illud ad Rom. 6. *Ut ultra nō seruiamus peccati:* ait. Non hoc prestat in Baptismo, nisi forte miraculo inefabili Creatoris, ut lex peccati, quæ est in mēbris, prorsus extingatur.

5 Et horum occasione refert D. Thomas argumento 4. quod Constantinus in Baptismo mundatus est à lepra. Et respondet ad 4. quod sanitas corporalis non est per se effectus baptismi; sed est quoddam miraculosum opus prouidentie diuinæ. Quæ huiusmodi Constantini propter Eulebium lib. 4. de vita Constantini cap. 62. & propter verba S. Ambrosij oratione de obitu Theodosij: & quia gesta S. Synesetri, in quibus hæc historia narratur, non habent certum Authorem, ut constat ex Gelasio Papa in cap. *Sancta Romana* dist. 15. Incerta iudicatur à Caietano, & Soto, & alijs.

Sed hodie est indubitater recipienda, ut recipitur in Romano Breuiario, & in Concilio Romano sub eodem Syluestro capite 1. ut refert Adrianus Papa epist. ad Constantinum, & Irenem, & ex utroque Septima Synodus Actio 2. De quo latissimè Cardinalis Baronius tom. 3. Annalium, anno Christi 324. à cap. 17. vsque ad cap. 55. Ex quo desumpsit Suarez in commentario art. 8. licet eum non referat. Et alij, qui referunt in Teatro vitæ humanæ, verb. *Baptismi effectus corporales*, fol. 23.

6 Solutio D. Thomæ ad 3. exposita à nobis fuit lib. 2. de Anima q. 11. num. 7. Ad soluendum argumentum sufficit, quod animæ humanæ, quamuis sint inæquales indi-

uidua-

uidualiter, non solum extrinsece ex corpore, sed intrinsece ex propria differentia individuali: quia tamē omnes sunt eiusdem speciei: ideo ex eorum inæqualitate non attenditur inæqualitas effectus Baptismi: eo quod dona gratiæ in hominibus non dantur iuxta capacitatem naturalium: sicut in Angelis, qui differunt specie: & Deus illis contulit gratiam inæqualem, iuxta naturam inæqualitatem. De quo S. Thomas 1. p. q. 62. ar. 6. & alibi sæpè.

7 In solutione ad primum docet D. Thomas, quod minima gratia Baptismalis sufficiens est ad delendam cuncta peccata. Vnde hoc non est propter maiorem efficaciam Baptismi, quod in quibusdam pluribus, in quibusdam autem pauciora peccata soluit: sed propter conditionem subiecti, quia in quolibet soluit quodcumque inuenierit. Cum enim in Baptismo non ponenti obicere remittantur peccata omnia, quoad culpam, & quoad poenam, in remissione peccatorum, non est magis, & minus in hoc Sacramento: sed in recipienda maiori, vel minori gratia attenditur quantitas dispositionis.

8 In solutione ad 2. admonet S. Thom. quod hoc, quod in baptizatis maior, vel minor gratia apparet, potest dupliciter contingere. Vno modo, quia in Baptismo percipit maiorem gratiam, quam alius propter deuotionem maiorem, ut dictum est. Alio modo, quia etiam si æqualem gratiam percipiunt, non æqualiter ea vtuntur: sed vnus studiosius in ea proficit, alius per negligentiam gratiæ Dei deest.

9 Hoc idem asserit D. Th. 1. p. q. 62. artic. 3. ad 2. dicens, quod inclinatio gratiæ non importat necessitatem, sed habens gratiam, potest ea non vti, & peccare. Ex quibus, & alijs verbis D. Thomæ conatur deducere Ripalda libro 3. de Ente supernaturali disp. 110. sect. 10. num. 70. esse de mente D. Thomæ, quod efficacia gratiæ subdatur nostro arbitrio quantum ad vsum. Sed quantum ad rem ipsam, non est huius loci de hoc disputare: quia contrarium demonstrat Alvarez lib. 9. de Auxilijs disp. 87. nempe auxilium efficax præoperantis gratiæ non subdi libero arbitrio, sicut subijciuntur habitus, quibus vtimur, cū volumus; sed potius è conuerso ipsam Dei auxilium, fortiter, & suauiter humanam libi subijcere voluntatem, & obsequentem facere. Quod planè delimitur ex Canone 6. Concilij Araulicani.

10 Quantum vero ad mentem D. Thomæ aperite loqui de gratia habituali:

hæc enim est, quæ infunditur in Baptismos; de eademque aperte loquitur 1. p. siquidem titulus articuli est: *Utrum Angeli sint creati in gratia?* Quod est per se notum inquiri de gratia habituali. Aperteque D. Thomas 1. ad Corinth. 13. lect. 1. circa finem, ad illa verba: *Gratia Dei sum id quod sum:* expresse nostram, & communem sententiam docet illis verbis: *Tertio ostendit usus efficaciam; quia hoc non à se solo, sed ex instinctu, & adiutorio Spiritus Sancti: & ideo dicit: Non autem ego solus operor; sed gratia Dei mecum: Quæ mouet voluntatem ad hoc: Etia 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis. Philip. 2. Qui operatur in nobis vel le. Deus enim non solum infundit gratiam, quæ nostra opera grata fiunt; & meritoria; sed etiam mouet ad bene vtendum gratia infusa: & hæc vocatur gratia cooperans. Vbi clarè docet vsu gratiæ esse nouam gratiam, & nos antecedenter mouere, quod est prius natura mouere, seu nos præmouere ad opera supernaturalia; & hac ratione verificari, quod omnia opera nostra operatur; ut docet Scriptura. Et ideo Thomistarum sententia est D. Thomæ, Scripturæ, & Patribus conformis. De quo alibi.*

§. II.

Utrum ex sola inæquali dispositione detur inæqualis gratia in Baptismo?

11 Quamquam doctrina D. Thomæ tribus conclusionibus contenta sit vniuersalis omnium Doctorum Antiquorum, & Recentiorum; tamen ab ea recedunt Scotus in 4. dist. 4. q. 7. Et Gabriel q. 2. docentes ex tribus alijs causis præter inæqualitatem dispositionum, posse provenire inæqualem effectum Baptismi. Primo ex parte Dei, qui ordinato ad maiorem gloriam, rationabiliter potest conferre maiorem gratiam. Sed ille vltior gradus non confertur virtute Baptismi, sed de speciali beneuolentia diuina. Secundo ex parte Christi, qui potuit pro prædestinato ad maiorem gloriam plenius offerre passionem suam: & sic ex speciali oblatione in voluntate Christi potest esse inæqualitas gratiæ in aliquibus nunc baptizatis: dubium est (inquit) de facto: sed potest esse de iure. Tertio potest esse inæqualitas, quia in parentibus vnus paruuli potest esse maior motus, quam alteri pro suo paruo; vel in aliquibus alijs ministrantibus, vel assistentibus Baptismo, propter quorum me-

rita

rita Deus vni paruulo potest conferre maiorem gratiam, quam alteri. Sed hoc non virtute Baptismi, sed meriti. Et hoc modo forte parentes Beati Nicolai orationibus suis meruerunt sibi maiorem gratiam, quæ erat in eo, etiam paruulo, principium tam mirabilis effectus ut duobus diebus in hebdomoda vnica tantum lactatione contentus maneret.

12 Hæc sententia quantum ad primū dictum, approbatur à Paludano in 4. dist. 4. q. 1. licet alio fundamento. Quantum ad vltimum ei subscribit Caïeranus q. 64. art. 1. Referunturque Guillelmus Estius 4. dist. 4. §. 9. Yribarne disp. 17. folio 191. Sed quantum ad omnia, eam optimè impugnant Soto in 4. dist. 6. q. 1. toto art. 6. Suarez disputatio 7. sect. 5. & disp. 28. sect. 3. Nuño q. 69. ar. 8. diff. 1. Cabrera ibi disp. 3. & q. 64. artic. 1. disp. 6. Candidus disputatio 16. art. 8. dubio 1. & 5. & dub. 9. & 10. & alij communiter, cum quibus asserimus primo, quod secundum præsentem prouidentiam, sola inæqualitas diuinæ beneuolentiæ, aut applicatio meritorum Christi, non sufficiunt ad inæqualem effectum baptismi: licet in alio rerum ordine, & de potentia Dei absoluta, nulli dubium, quod posset Deus ex sola sua voluntate, aut ex diuersa applicatione meritorum Christi inæqualem gratiam æqualiter dispositis concedere. Sicut & de facto, loquendo de effectibus per accidens, & miraculis, docet S. Thomas in corpore articuli, & ad 4. esse inæquales secundum ordinem prouidentie diuinæ: nam ea, quæ à solo Deo gratis conceduntur, non habeant aliam regulam; quia dispensat sua dona sicut vult.

13 Priorem partem (in qua sola est difficultas) egregie probat Soto, §. Hæc autem quatuor rationibus. In primis, quia opposita sententia tenuissimo nititur fundamento. Ex hoc namque, quod quispiam ad maiorem gloriam fuerit prædestinatus, non sequitur, per eundem sacramentum ampliorem illi gratiam donari: sed hoc tantum sequitur, quod decedit in maiori gratia; quam quidem, tum maiori frequentia sacramentorum, tum etiam feruentiori virtutum vsu potest comparari.

Secundo. Si gradus ille excelsior gratie non datur virtute sacramenti (ut Scotus fatetur) non est cur potius per beneuolentiã diuinam detur in sacramento, quæ extra. Exempli gratia. Si paruulo ad egregium gradum gloriæ prædestinato, non datur virtute sacramenti nisi certus, idemque omnibus, gradus gratiæ (quod necesse est concedere; nam

Deus suauiter omnia disponens singulis Sacramentis virtute operis operati adteripsit certum effectum) consequens sit ut reliquum augmentum, non solum dum baptizatur, sed post baptismum sine aliquo merito, dum paruulus dormiret, illi etiam conferret: nam si non datur virtute sacramenti, nec virtute proprii meriti, aut alieni, nulla est ratio cur in sacramento potius, quam alio tempore illi conferatur.

14 Tertio, si prædestinato ad maiorem gloriam, maior confertur gratia in sacramento propter foeliciorẽ prædestinationem, eadem ratione eidem iam adulto in quolibet opere meritorio Deus illi accumulabit vberiorẽ gratiam, quam in simili opere eiusdem meriti conferret alteri ad minorẽ gloriam prædestinato. Quin vero eadem ratione sine eius merito quando vellet, etiã dum ille dormiret. Quod esset omnia merita de medio tollere. Hoc autem non solum temerarium, & præter omnem rationem est: verum & contra illud Pauli ad Rom. 2. *Qui reddet unicuique secundum opera eius. Et contra illud 2. ad Corinth. 3. ver. 10. Ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Et 1. ad Corinth. 3. ver. 8. Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Sicut & supplicia commensurantur delictis: iuxta illud Deut. 25. Pro mensura delicti, erit & plagarum modus. Et sic erit in die iudicii quod opera tantum adducentur in causam gloriæ Math. 25.*

15 Quarto, & vrgentissimè probatur. Nam est de fide ex Apostolo ad Rom. 8. & ad Ephes. 1. quod unusquisque quoad altiorẽ gloriam prædestinatus: est etiã ad præstantiora bona opera prædestinatus. Quia obrem, si Christus, qui quoad sufficientiam æqualiter pro omnibus passus est, id sanè fuit: quia non omnibus per æqualia opera, & per eandem sacramentorum receptionem erat applicanda. Secundum autem hanc opinionem non opus est, ut qui ampliorem est recepturus gloriam, cumulatiore habeat merita. Nam per illam gratiam, quæ ex Dei beneuolentiã datur sine sacramenti virtute, & sine merito, poterit habere maiorem gloriam, quam alter. Etenim habentes æqualia merita, possunt recipere inæqualis gratiæ gradus, imò qui habet minora opera, ampliores. Quod profecto nescio quis concedere audeat: nam tunc non esset æquissima libra diuini iudicii. Vnde contingeret ut homines ad operandum legiores, negligẽtioresque redderentur. Item sequeretur, quod paruuli ante vsu rationis possent secedere

in

in gratia inæquali; atque adeò ad inæqualem gloriam: quod licet Gabriel concedat; profecto non est tutum; cum absque proprio merito sacramentalis gratia non augeatur. In summa hoc certè absurdum concessum est, quod virtute passionis Christi detur alicui gratia; nisi eadem passio, aut virtute sacramenti, aut virtute meriti applicetur, & iuxta gradum dispositionis, quæ est in suscipiente.

16 Quod docuit Sanctus Thomas tertia parte quæstione 49. articulo primo ad quartum, dicens, quod quia passio Christi, præcessit vt causa quedam vniuersalis remissionis peccatorum (sicut dixerat quæstione 64. articulo quarto) necesse est, quod singulis adhibeatur ad deletionem priorum peccatorum. Hoc autem fit per Baptismum, & Penitentiam, & alia sacramenta, quæ habent virtutem ex passione Christi, vt explicat quæstione 62. articulo quinto. Simili de causa Concilium Tridentinum initio Sessio nis septimæ docet, quod per Sanctissima Ecclesia Sacramenta omnia vera iustitia, vel incipit, vel cæpta augetur, vel amissa reparatur. Nec aliud augmentum gratiæ, & gloriæ admittit secundum præsentem prouidentiam, nisi ex passione Christi communicata, & applicata nobis per sacramenta, & per bona opera, vt patet Iess. 6. cap. 3. cap. 10. & 16. & can. 26. & 32. & 33.

17 Secundo asserendum cum relatis Authoribus, quod paruulis, nec ex bonitate ministrorum, nec eorum orationibus, aut merito, nec aliorum adstantium, datur maior gratia: adultis vero potest impetrari, vel de congruo mereri; sed non semper, & infallibiliter datur. Sic intelligenda, quæ diximus q. 65. Priorem partem probat Soto §. Igitur. Quia quod paruulo carenti vsu rationis, aut primam gratiam, aut eius augmentum quis de congruo mereri valeat, fieri nequit nisi merendo ei, vt ipse bonum animi motum habeat, aut bonum opus exerceat. Quia Deus non dat gratiam, nec auget nisi per sacramenta, vel bona opera, quæ sacramenta habeant in voto. Bonus autem motus de lege ordinaria paruulis non est possibilis. Nam si Petrus Paulo mereretur, vt absque vilo eius bono opere, vel daretur illi prima gratia, vel augetur; tunc Paulus in gloria non reciperet secundum opera sua, & prout gessit in corpore: quod est contra iustitiam distributiua. Et pariter, vt proximè arguebamus, sequeretur, quod posset ei dormienti, etiam extra sacramentum tam primam gratiam, quam eius augmentum mereri: quod

seuera concedi non potest. Quin vero cullibet adulto ab omni opere cessante posset alius gratiam mereri: quod eidem retribuitur iustitia. Dei manifeste adteratur, quæ nemini nisi secundum opera sua reddit. Et reuera hoc videtur docere S. August. relatus de Consecratione dist. 4. cap. *Si inter bonos,*

18 Secunda pars est manifesta ex doctrina Diui Thomæ 1. 2. quæst. 114. art. 6. & cõmuni Theologorum doctrinam, quod merito congrui potest aliquis alteri mereri primam gratiam: quia congruum est vt Deus faciat quod amici sui volunt, & petunt. Sicut S. Stephanus impetrauit conuersionem Pauli, & lachrymæ S. Monicæ conuersionem S. Augustini: Et fides portantium Paralyticum profuit ad eius salutem: vt notat Glossa Mathæi 9. ad illa verba: *Videns Iesus fidem illorum.* Et Genesis 18. Deus liberauit Loth propter Abraham. Et Exodi 32. dicitur: *Recordare Abraham, & Iacob.* Et Danielis 3: *Ne assevas à nobis Domine misericordiam tuam propter Abraham dilectum tuum; &c.* Quæ testimonia non possunt alium congruum habere sensum; quia cum solus Christus alijs de condigno mereatur primam gratiam, non restat qualiter quorundam merita alijs profint; nisi merendo de congruo, vel orationibus impetrando.

19 Tertia pars constat ex cõmuni Theologorum, inter alias, hanc statuentium differentiam inter meritum de condigno, quod habet æqualitatem, dat ius, & ex præordinatione diuina, habet infallibilem effectum: meritum vero de congruo non habet eam certitudinem; quia nec est æqualitas, nec promissio diuina; & potest ex dispositione recipientis impediri. Quod probat Diuus Thomas illiq. artic. 6. ex illo Ieremiæ 15. *Si steterit Moyses, & Samuel contra me, non est auxilium meum ad populum istum.*

20 Quod obiicit Scotus de maiori gratia Sancti Nicolai paruuli, soluit Soto §. Ad illud, docens, quod illud fuit gratia gratis data tamquam prælagium sanctitatis ad quam per egregia opera promouendus erat. Nisi dicas acceleratum in eo fuisse rationis vsu: quod firmum non habet fundamentum.

§. III.

De quantitate gratiæ Baptismi.

21 Sed duo adhuc inquirenda restant. Primo quanta sit gratia, quæ infantibus per Baptismum datur?

Respondet Soto art. 6. §. Adde, incredibile esse gradum gratiæ Baptismalis esse minimum

Qq

mum

num omnium graduum gratiæ, qui in vita recipiuntur: nam ille solus confertur præcise virtute sacramenti. Enimvero si post modum paruulus confirmetur; iam adhibetur alius gradus illi Baptismali. Imò quia Confirmatio ordinatur ad protegendam publicam fidem; ac perinde ad robur eiusdem fidei, altiore gradum videtur per se suggerere. Alia vero sacramenta non applicantur nisi adultis, qui aliquam afferunt dispositionem, virtute cuius augetur gratia. Atque illa, quæ extra sacramentum per modum meriti decondigno augetur; quia per proprium actum suscipientis acquiritur, maior censetur, quam quæ paruulo per solum Baptismum datur.

22. Cæterum oppositum docet Suarez disputatione 28. lectione 3. §. *Sed antequam*, dicens quod eum dicitur gratiam, quæ infantibus per Baptismum datur, esse minimam; ut hoc sit verum, intelligendum est de minima, quæ per Baptismum datur: non enim est minima in intensione, quæ simpliciter reperiri potest in qualitate gratiæ; quia vel in nulla qualitate datur huiusmodi minimum in intensione. Vel si datur; gratis, & sine vilo fundamento, attribuitur effectui Baptismi. Præsertim cum Sancti Patres plurimum commendent, & exaggerent gratiam baptismalem.

Quo circa non existimo illam gratiam ita esse imperfectam, quin minor fuerit data paruulis per Circumcisionem, & per remedium legis naturæ: quia hoc pertinet ad plenitudinem perfectionis legis gratiæ, in qua & homines assumuntur; & per Baptismum consecratur ad perfectiorem statum, magisque spiritualem, quam in lege veteri. Et Christi merita repleta iam exhibita copiosius operantur.

23. Deinde, non est improbable, hanc gratiam baptismalem, quæ datur infantibus, habere plures gradus intensiōis, quam minima gratia, quæ datur per Pœnitentiã, Extremam Vñtionem, & similia sacramenta. Quamuis hæc comparatio incerta sit. Sicut etiam incertum est quot gradus gratiæ per Baptismum paruulis conferantur. Hæc Suarez.

24. Hoc vltimum est falsum, & contra Diuum Thomam 3. part. quæst. 65. artic. 3. ut ibi ostendimus. Alia vero duo sunt probabilia: sed incerta; & ideo permittitur vnicuique in suo sensu abundare.

25. Secundo videndum, qualiter crescat gratia baptismalis, quæ datur adultis?

In primis certum est id, quod docet So-

to verbis relatis, & Suarez sec. 3. §. *Altera quantitas*. gratiam baptismalem semper infundi intensiorem adultis, quam infantibus: quia semper adultus est melius dispositus, quam infans: nam hic nullam habet positivam dispositionem; sed solam non repugnantiam: adultus vero semper esse debet positivè dispositus per proprium actum. Quod sanctificationis genus perfectius est.

26. Secundo statuunt Nuño artic. 8. difficultate 2. ibi Cabrera tota disput. 4. quod non sola contritio, sed etiam attritio est mensura quantitatis gratiæ, quæ confertur in Baptismo, ita ut quanto illa fuerit maior, & gratia maior infundatur. Ratio est, quia quanto maior fuerit dispositio propria ad aliquem effectum, tanto ille melius producitur, & excellentior. Sunt enim, quoad hoc, sicut agentia naturalia. Quod significat Diuus Thomas in articulo vltimo exemplo ignis. Sed propria dispositio ad Baptismum est attritio: siquidem habet per se dare primam gratiam, ut læpè diximus. Ergo etiam quantitas attritionis facit infundi inæqualem gratiam. Quamuis accedens cum minima contritione, maiorem recipiat gratiam, quam summe attritus, quia est actus specie nobilior, ad cuius perfectionem alter nequit pervenire, sicut nec linea potest esse superficies, nec Leo potest esse homo.

27. Tertio magis in particulari id declarant, Nuño ibi §. *Pro cuius maiori*. Et quæstione 62. articulo 1. difficultate 4. conclusione 2. & Candidus disquisitione 16. articulo 8. conclusione 3. dicentes, quod si vnus accedat ad Baptismum cum contritione ut duo, & alius cum contritione ut quatuor; ille recipit gratiam ut quatuor; iste vero recipit gratiam ut octo. Similiter quando vnus accedit cum attritione ut duo, & alius cum attritione ut quatuor, vbi nulla datur gratia ex opere operantis, sed tantum ex opere operato; ille recipit gratiam ut duo; iste vero ut quatuor. Et proportionabiliter recipit maiorem gratiam, quanta maior fuerit attritio.

28. Verosimilior tamen est computatio Magistri Soto, qui dicto art. 6. §. *In hoc ergo ait*, quod in hoc sensu conceditur, certum gradum cuique sacramento respondere, quod vbi nulla suscipientis invenitur dispositio, ut in paruulis, invariabilis est. In adultis vero esse minimus, vbi minimam inuenit dispositionem, scilicet, vbi non aliam inuenit, quam obicis remotionem. Augebitur autem ab extrinseco per maiorem dispositionem subiecti. Non quidem ad æqua-

lita

litem, quod si succedat cum dispositione ut vnum, augeatur gratia sacramentalis ut vnum; & si ut quatuor, ut quatuor: ita ut tantum sit augmentum gratiæ sacramentalis, quantum provenit ratione meriti. Hic enim esset nimis excessus: sed quod cuilibet gradui dispositionis respondeat aliqua quora pars illius gradus, qui datur in ratione sacramenti, ut octava, vel decima. Quo fit, ut quo gradus sacramentalis de se est maior, ut forte in Eucharistia, quam in Baptismo plus cuilibet gradui dispositionis respondeat.

DVBIVM IV.

Vtrum fictione recedente Baptismus suum effectum consequatur?

§. I.

Fictio impedit effectum Baptismi.

Etimus iam quæst. 68. dub. 5. de dispositione requisita ad recipiendum sacramentum validum, & sacramentum cum fructu: per carentiam autem harum dispositionum dicitur homo fictus: siquidem, ut ait Diuus Thomas hic artic. 9. *dicitur aliquis fictus per hoc quod voluntas eius contradicit, vel Baptismo, vel eius effectui*. Pro quo notat Soto in 4. dist. 6. q. 1. ar. 7. §. *Hic primus*, nomine fictionis intelligi hypocrisim, hoc est simulationem, dum quis non gerit in pectore, quod opere externo demonstrat: quia talis se accedendo fingit, qualis reuera non est. Et quævis Diuus Augustinus lib. 7. contra Donatistas cap. 53. ut Diuus Thomas refert artic. 9. assignet quatuor modos fictionis: ut cum quis accedit non credens; cum tamen Baptismus sit fidei sacramentum. Alio modo per hoc, quod contemnit ipsum sacramentum. Tertio modo per hoc quod aliter celebrat sacramentum non seruans ritum Ecclesiæ. Quarto modo per hoc quod aliquis indeuote accedit. Tamen duo sunt modi, qui ad rem faciunt. Vel enim fictio opponitur substantiæ sacramenti: quia non habet intentionem illud suscipiendi: & sic inualidum esse quæst. 68. ostensum est ex Innocentio Tertio cap. *Maiores*, de Baptismo. Vel fictio est aliud peccatum mortale, ut cum quis intendens suscipere Baptismum, non vult effectum peccati mortalis relinquere; imò est in eo obstinatus. Et huiusmodi fictio non obstat quo minus suscipiatur sacramentum cum caractere, & fide informi: obstat tamen gratiæ infundatur: atque adeo ne remis-

sio fiat peccatorum.

2. Admonet etiam Diuus Thomas art. 9. ad 3. quod fictus dicitur aliquis ex eo quod demonstrat se aliquid velle, quod non vult. Quicumque autem accedit ad Baptismum, ex hoc ipso ostendit se rectam fidem Christi habere, & sacramentum venerari, & se velle se Christo conformare, & velle a peccato recedere. Unde nique peccato vult homo inhaerere, si ad Baptismum accedit, fictus accedit: quod est indeuote accedere. Sed hoc intelligendum est de peccato mortali; quod gratiæ contrariatur; non autem de peccato veniali. Unde fictio hic quo dammodo includit omne peccatum.

3. In hoc ergo sensu est de fide quod fictio impedit effectum Baptismi. Quod docet Sanctus Hieronymus in illud Psalmi 80. *Probabitur apud aquam contradictio*. Sanctus Augustinus lib. 1. contra Donatistas cap. 12. relatus de Consecratione dist. 4. cap. *Confertur*. Et cap. *Quomodo Deus*. Vbi assertit illud Sapientia 1. *Spiritus Sanctus disciplina effugiet scilicet*. Et Cañ. *Sicut fidei*. 1. quæst. 1. Sicut enim qui non vult baptizari, habet dispositionem oppositam substantiæ Baptismi: ita conplacencia in peccato præterito, vel præteriti, vel voluntas illud committendi opponitur infusioni gratiæ: siquidem ad eam recipiendam nõ est dispositus: & Deus non cogit hominem ad iustitiam, ut dicit Sanctus Damascenus lib. 2. cap. 30. & ex illo Diuus Thomas artic. 9.

4. Impeditur etiam effectus Baptismi sine nouo peccato suscipientis: quando inuincibiliter existimat se esse dispositum, cum reuera dispositus non fuit dispositione supernaturali, quam diximus requisitam ut cum sacramento iustificetur. Vel si inuincibiliter ignoret talem dispositionem esse necessariam. Quamuis regulariter, & moraliter loquendo non tam facile huiusmodi casus contingat: nec debeat admitti hanc ignorantiam fore inuincibilem: quia qui instruunt de mysterijs, etiam docent penitentiam, & attritionem esse necessariam ad fructum Baptismi.

§. II.

Ea ablata dare suum effectum, probatur auctoritate.

5. Quamuis, quoad verba, omnes Doctores vniuersaliter, propter auctoritatem S. August. fateantur, quod remota fictione, Baptismus habet suum effectum: tamen quoad sensum, id negat Glossa Ioannis

Andræ cap. Tunc valere, de Consecratione, dist. 4. siquidem docet non propter baptismum fieri remissionem peccatorum, sed propter cordis contritionem. Quod & ibi docet Hugo Iurisperitus, & quidam alij Interpretes Iuriscanonici. Et Ioannes Medina Codice de Confessione tract. 2. q. de confessione ficta iteranda, fol. 7. lit. h. ait. *Dicendum nõ esse omnino certum, quod Baptismus valeat ad gratiam baptismalem, quando recedit fictio: quia aliquibus visum est, quod tunc homo ille per solam contritionem assequetur gratiam.* Et Mathæus Kellifonus hic q. 69. art. 10. dub. 2. id problematicè defendit.

6 Deinde Scotus in 4. dist. 4. q. 5. lit. f. ait, quod cum quis Baptismum fictè suscepit, & postea poenitet de fictione, in ista poenitentia non recipit gratiam aliquam virtute Baptismi: quia susceptio eius mortua fuit; & mortuus reuiuiscere non potest. Sed verificatur, quod absolutus est à præcepto de Baptismo suscipiendo: quia illud impleuit. Illa autem imperio nihil sibi valuit ad salutem ante istam poenitentiam. Recipit ergo effectum Baptismi, quando poenitet; quia est filius regni: & non obligatur ad suscipiendum Baptismum ad hoc ut sit filius regni: quia illud præceptum pleni. Idem docet Gabriel in 4. dist. 4. q. 1. art. 3. dub. 2. Adrianus in 4. q. 5. de Confessione dub. 4. §. *Ad rationes adducias.* Vazquez disp. 139. cap. 4. à n. 2. vsque § 1. dicens Baptismum recedente fictione prodesse ad salutem, aut tamquam observatio necessaria præcepti, quod in remedium ad salutem institutum est. Aut tamquam fundamentum necessarium, quo homo capax redditur sacramenti Poenitentiae. Vel ex opere operato per modum sacramenti remittens penam, non æternam: hæc enim cum culpa remittitur: sed temporariam, quæ alias post remissionem culpam, & poenam æternam maneret.

Denum Bernal disp. 13. de Sacramentis in genere sec. 2. n. 15. ait, quod non est autoritas compellens asserere, Baptismum recedente fictione, esse illius gratiæ causam.

7 Dico primo, Baptismus recedente fictione confert suum effectum. Ut certam, & communem Theologorum sententiam, proponunt Soto in 4. dist. 6. q. 1. art. 8. §. *Conclusio.* Nuño q. 69. art. 10. dist. 1. Suarez disp. 28. lec. 4. Granados tract. 5. disp. 3. n. 2. Auerla q. 69. lec. 2. viginti Authores citans. Imò M. Petrus Soto lec. 4. de Baptismo circa finem ait. *Quam piam quidem, & dignam Dei iudicium sententiam, tota Ecclesia sequitur.* Quod verificatur, non quia sit à Concilio diffini-

ta, sed quia à Patribus, & Theologis recepta.

8 Probat ex Diuo Augustino lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 12. dicens. *Sicut enim in illo, qui fidei accesserat, sit, ut non denuo baptizetur, sed ipsa pia correctione, & vera confessione purgetur; quod non posset sine Baptismo: sed ut quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit: sic etiam iste, qui Baptisma Christi, quod non amiserunt, qui se separauerunt, inimicus Charitatis, & pacis Christi, in aliqua heresi, aut schismate accepit: quo sacrilego scelere peccata eius non dimittebantur: cum se correxerit, & ad Ecclesie societatem, unitatemque venerit, non iterum baptizandus est, quia ipsa reconciliatione, ac pace præstat, ut ad remissionem peccatorum eius in unitate iam prodesse incipiat sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat.* Ergo sacramentum antiquum antea datum ponit incipere valere ad salutem: & modo prodesse illud quod antea prodesse non poterat: quæ verificari nequeunt, si Baptismus ipse modo fictione recedente nõ det gratiam. Item lib. 3. cap. 13. de Baptismo in schismate suscepto ait. *Tunc incipit valere idem Baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesie pacem venerit: non ut iam dimissa non retineantur; neque ut ille Baptismus quasi alienus, aut alius improbetur, & alter tradatur: sed ut idem ipse, qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem.* Denique libro 6. cap. 5. loquendo de fide baptizati sic dicit. *Et ideo si ab illa peruersitate, & à separatione conuersus venerit ad catholicam pacem, sub eodem Baptismo, quod acceperat, eius peccata dimittuntur propter vinculum Charitatis, sub quo Baptismo peccata eius tenebantur propter sacrilegium diuisionis, quia illud, & in homine iusto, & in homine iniusto semper sanctum est, quod neque equitate alicuius augetur, neque alicuius iniquitate minuitur.* Vbi cum docet Baptismum etiam sanctum esse in homine iniusto, satis denorat de se efficacem esse ut recedente fictione conferat gratiam ex opere operato; & sic effectus nec fidei iniquitate minuitur.

Author ser. de Passionem apud S. Cyprianum, ante finem ait. *Et licet indigni sint qui accipiunt, sacramentorum tamen reuerentia, & propinquo ad Deum parat accessum, & ubi redierint ad cor, constat ablutionis donum, & reddit effectus munerum.* Eandem doctrinam tradit Hugo de S. Victore in epist. ad Romanum q. 157.

9 Respondet Vazquez à num. 47. vsq; 50. & Bernal nu. 15. & 16. quod isti duo Pa-

tres non docent Baptismum recedente fictione dare gratiam. Collatio namque munerum, de qua in autoritate vltima; intelligi posset redire; tamen Baptismus non esset illius causa, sed conditio: neque enim reddere dicitur collatio munerum, vel actio baptismi, vel à baptismo fluens: ¶ S. autem August. si locis adductis ait Baptismum prodesse tunc ad salutem, & ad peccatorum remissionem; etiam dicit hominem tunc pia correctione, & vera confessione purgari: sicut ergo correctio, & confessio, non est causa, sed conditio ad remissionem originalis, idem posset intelligi de Baptismo. Quis enim negat approximationem, aut aliam requisitam conditionem prodesse ad causationem, aliumve effectum? Rursus si dicit S. August. Baptismum tunc operari salutem; etiam dicit prius operari mortem: cuius tamen causa Baptismus non est. Si dicit sub illo Baptismo peccata dimitti; etiam dicit sub illo detineri. nec tamen Baptismus causa est detentionis. Adde quod Augustinus ait peccata dimitti propter vinculum Charitatis sub eodem Baptismo sub quo detinebatur propter sacrilegium diuisionis: ergo sicut illud peccata detinebat, & non Baptismus; sic intelligi potest auctore Augustino, nec Baptismus peccata dimittere, sed Charitatis nexus. ¶ Præterea scopus Augustini solum erat, posse verum Baptismum extra Ecclesiam conferri, eumque Baptismuni venienti ad Ecclesiam prodesse ad salutem: hoc autem stare, quamuis Baptismus ad salutem mera esset conditio. ¶ Denique baptismum iam præteriti efficientia in gratiam, eo tempore certa non erat: & recte intelligitur Augustinus ad soluendum argumentum, quod sine illa solui poterat, illam adhibere noluisse, ne scilicet catholicam doctrinam ex facili redderet difficilem. Hæc Bernal.

10 Sed hæc ferenda nõ sunt. Primo, quia ut cum Durando, Paludano, & Gaetano, contra Glossam notat Soto, expositiones istarum textum corrumpunt: non enim hic disputamus de effectu Poenitentiae; sed de effectu baptismi per fictionem impedito. Et S. August. expressè ait, quod *Baptismus tunc incipit valere, cum fictio veraci confessione tollitur: ubi Poenitentiae solum tribuit fictionem tollere: & tunc docet baptismum valere ad illum effectum, à quo impediabatur.* Cum enim Donatista dicerent baptismum ab hæretico susceptum nihil valere, quia gratiam nõ conferbat: Respondet S. August. quod valeret quando recedit fictio.

Secundo ex eodem Soto ratione tertia

arguitur. Nam recedente fictione omnia peccata antecedentia baptismum plene quoad culpam, & poenam extinguuntur: nam hæc est conditio remissionis originalis, ut omnibus illis condonatis resurgat homo in nouam vitam. Quod ipsi Aduersarij concedunt. Nec negare possunt quia ex praxi Ecclesiae; quamuis postea constet nõ accessisse attritum ad baptismum, non imponitur Poenitentia pro præteritis peccatis: neque de illis fit confessio: quoniam in Poenitentiae sacramento non fit absolutio, nisi virtute clauium Ecclesiae: cuius iudicio non subduntur peccata ante baptismum comissa: eo quod per baptismum homo primo iurisdictioni Ecclesiasticæ subijciatur: ergo eiusmodi remissio fit per Baptismum.

11 Tertio ad idem arguit Lugo de Sacramentis in genere disp. 9. sec. 3. n. 25. quia si virtus baptismi præteriti prius impedita potest postea, ablato obice, operari aliquem effectum, nempe remissionem poenae, non apparet, cur non possit alios; neque enim requiritur magis præfens causa ad vnum, quàm ad alium. Deinde alia sacramenta, quæ ordinata sunt ad conferendam gratiam, & remittenda peccata; licet possint etiã tollere reatum aliquem poenae temporalis; nõ possunt tamen eum effectum præstare, nisi ponant effectum priorem gratiæ sanctificantis. Ut constat in sacramento Poenitentiae, & Extremæ vntionis. Ergo multo minus baptismus, qui ordinatur ad regenerandum; & viuificandum spiritualiter hominem, debet præstare effectum secundarium circa poenam temporalem absque primario gratiæ sanctificantis.

12 Quarto specialiter contra Vazquez, & Bernal, arguunt Coninch q. 62. ar. 1. dub. 5. & Lugo à n. 28. vsque ad 32. ex contextu S. Augustini: quia alioquin non respondisset ad quæsitum. Et quia cap. 13. ait: *Cum ad Ecclesie pacem venerint, tunc incipere valere Baptismum ad dimittenda peccata.* Et tertio quia passim baptismum nominat causam illius remissionis, quia dicit operari salutem. Et cap. 12. ait: *Prodesse iam in unitate sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat.* Et cap. 13. *Sed ut eis etiam illud prodesse incipiat, quod habebant.* Ergo significat pari modo prodesse postea, ac profuisset, si impedimentum non fuisset: Sed antea prodesset ex opere operato: ergo & postea.

13 Denique omnes Theologi fatentur Patres docuisse sacramenta cauere gratiam, inde enim accepisse fatetur D. Thomas, ut retulimus q. 62. & Concilia inde sumplerunt suas diffinitiones. Sed nulla testimonia alio-

rum Patrum referuntur de causalitate aliorum sacramentorum, cum non adest fictio, tam expressa, quam proferuntur testimonia Sancti Augustini pro causalitate Baptismi recedente fictione: vel ergo contemnenda est autoritas S. Augustini posita in Decreto, & admittenda ab omnibus Theologis; vel asserendum est esse auctoritatem, quæ compellat asserere baptismum recedente fictione esse illius gratiæ causam.

14. Quando autem S. Augustinus dicit sub illo baptismo dimitti peccata, intelligit per ipsum baptismum dimitti: & quia id sepe dixerat: & quia ratio, quam subiugit, id aperte significat: *Quia illud* (inquit) *in homine iusto, & in homine iusto semper sanctum est; hoc est habet vim sanctificandi.* Quæ ratio extrarem esset ad probandum, non per baptismum, sed aliunde peccata dimitti. Nec obstat quod contritio, seu charitatis, & penitentia etiam tribuit S. Augustinus hunc effectum: quia ut eum refert, & exponit S. Thomas artic. 10. ad 3. illud eis tribuit, quia tollunt impedimenta, & in suo genere concurrunt. *Et sic ad baptismum effectum consequendum concurrunt Baptismus & Penitentia: sed Baptismus sicut causa per se agens; penitentia sicut causa per accidens, id est remouens prohibens.* Habuit autem motuum S. Augustinum ad hoc doc. adum, ex rationibus, quibus conclusionem probant Theologi, erit manifestum.

§. III.

Et duplici ratione D. Thomæ.

15. **I**n primis D. Thomas artic. 10. in corpore, sic probat. Baptismus est quædam ipsius naturalis regeneratio. Cum autem aliquid generatur, simul cum forma recipit effectum formæ, nisi sit aliquid impediens, quo remoto forma rei generata perficit suum effectum: sicut simul cum corpus graue generatur, mouetur deorsum; nisi sit aliquid prohibens, quo remoto statim incipit moueri deorsum. Et similiter quando aliquis baptizatur, accipit characterem quasi formam, & consequitur proprium effectum, qui est gratia remittens omnia peccata. Impeditur autem quandoque per fictionem. Vnde oportet, quod remota ea per penitentiam, baptismus statim consequatur suum effectum.

16. Ad huius rationis intelligentiam recolenda sunt, quæ scripsimus q. 63. dub. 6. Videnda etiam, quæ notat Caietanus q. 69. artic. 10. §. *Ad euidens horum, dicens Diuini Thomam utrum fuisse hac ratione, ut saluaret S. Augustini doctrinam de efficacia Baptismi recedente fictione, cum comuni do-*

ctrina de efficacia sacramentorum: non enim videtur posse intelligi rem aliquam, postquam desijt esse, habere suum effectum, nisi aliquam res illa remanserit: videmus enim in his, quæ projiciuntur, tandiu durare motum projectorum, quandiu vis projectorum aliquomodo manet: ut diximus lib. 7. Phis. q. 1. Similiter videmus post mortem deo genitos mortuo patre, quia semine patris remanet in materno utero: & sic de alijs. Vnde cum Baptismus desinat esse peracto sacramento, & tunc non valeat ad salutem propter fictionem baptizari; cum post multum tempus fictione ablata idem Baptismus valeat ad salutem, & nunc faciat, quod à principio fecisset; consequens est, quod ad hoc verificandum ponitur debet quod Baptismus aliquomodo remaneat, seu aliquid habeat, aut relinquat manens, ratione cuius valorem, seu effectum consequatur post biennium, v. g. Ideo cum aliud non remaneat nisi character, appellat eum D. Thomas formam christianitatis.

17. Sed rursus aduertit ipse Caietanus, Soto, & alij, quod character non est in rigore forma, quia nec est in anima, nec ab illo dimanat gratia, & est in malis gratia carentibus. Sed totum est quedam accommodatio nam sicut in naturalibus, cessante impedimento, postea forma ponuntur eam consequentia; ita ex diuina institutione posito characteri, nisi adit impedimentum, datur gratia: nam characterem formaliter homo est Christianæ religionis membrum, est forma Christianitatis, quia ipso signatur familia Christi: & ad huiusmodi formam natum est ex diuina largitatis ordine consequi infusione gratiæ remissiuæ omnis culpæ, & omnis pænæ, nisi impediatur ob eam fictionem: & propterea cessante fictione, sequetur infusio gratiæ remissiuæ culpæ, & pænæ, propter præsentem formam characteris, ad quem secundum ordinem diuina largitatis nata est sequi infusio gratiæ baptismalis.

18. Quia ratio hæc modum, quo id fiat, explicat, ideo eam prætulit D. Thomas in Summa, Sed rationem, quæ absolute probet id fieri, assignauerat in 4. Sententiarum dist. 4. q. 3. artic. 2. q. 3. in secunda ratione, sed contra, dicens. Cuilibet culpæ in statu viæ potest remedium adhiberi: sed contra originale culpam non est aliud remedium, quàm Baptismus. Ergo cum sic accedentibus originale non remittatur, oportet baptismum iterari, si recedente fictione Baptismus effectum suum non haberet: quod est inconueniens, & hæreticum.

19. Ratione eadem vtuntur Caietanus, Cano,

Cano, Soto, & omnes Thomistæ. Insuper Suarez disp. 28. sec. 4. Gran. trac. 5. disp. 3. n. 3. Lugo disp. 9. de sacram. in genere sec. 3. n. 34. vsque 37. Castrus Palau tract. 18. puncto 9. n. 4. Cabrera artic. 10. disp. 1. §. 4. a nu. 14. vsque 17. Auerfa sec. 2. & alij communiter. Sed eam impugnant Vazquez disp. 149. cap. 1. n. 6. & cap. 3. a. n. 22. vsque 35. & Coninch q. 62. art. 1. dub. 5. n. 66. quia S. Augustinus nusquam eam, vel leuiter, iudicauit. Neque tanti momenti pro ea ratio est ut ipse in eadem sententiam illa adduceretur. Nam quod originale peccatum remitti non possit sine Baptismo in re, vel in voto, non satis est ut dicamus baptismum recedente fictione operari: sed nullo alio modo, etiam per dilectionem Dei, alicui remitti posse, nisi aut re ipsa iam susceptum; aut votum habeat, implicitum saltem, recipiendi illum: ita ut quemadmodum Baptismus in voto implicito, aut explicito nihil operatur per modum sacramenti ad remissionem peccati originalis, nec vim aliquam tribuit dilectioni ex opere operato; sed votum illius, quod est dilectio, seu contritio eandem vim habet ad iustificandum, quam haberet, si Baptismus institutus non esset: sic etiam si re ipsa antea susceptus, recedente fictione, nihil operaretur, dilectio vera haberi non posset sine voto illius, quæ alioquin non esset sine huiusmodi voto, nisi re ipsa susceptus fuisset.

Quod explicatur exemplo sacramenti Penitentia, quod est necessarium in re, vel in voto ad remissionem peccati mortalis post baptismum commissi: & tamen quando aliquis extra sacramentum iustificatur per actum contritionis, in quo continetur votum implicitum sacramenti, non concurrunt ipsi sacramentum, aut votum ipsius tribuens aliquam efficaciam contritioni, quam ipsa non habebat ante sacramenti institutionem, & quam non haberet, etiam si sacramentum institutum non esset. Sed solum denotatur, quod qui contritur, debet tunc tempore confiteri: & similiter qui non est baptizatus, debet baptizari, vel id intendere: alioquin veram contritionem non habet. Quod verificatur etiam si Baptismus, aut eius votum, ablata fictione non concurrant ut causa, sed solum ut conditio sine qua non.

20. Seu aliter dici posset, quod licet verum sit, quod peccatum originale per se primo tolli non possit nisi per baptismum: at vero concomitanter, & per accidens, auferri posse per Penitentiam, quatenus per illam confertur gratia, quæ tollendo fictionem, ex consequenti tollit peccatum originale, &

omnia mortalia cum illo coniuncta: quia vnum mortale auferri nequit sine alio.

21. Quod si dicatur cum D. Thoma ad 2. quod ad baptismum effectum consequendum concurrunt Baptismus, & Penitentia: sed Baptismus sicut causa per se agens; penitentia sicut causa per accidens, id est, remouens prohibens. Inde instat Vazquez cap. 3. n. 22. nam quod semel quocumque modo vere remissum est, non manet vlla ratione idoneum, ut iterum alio modo remittatur: vnde id quod intelligitur ab vna causa remissum, saltem per accidens, nullo modo ab alia causa deinde per se remitti potest. Baptismus autem, & Penitentia non concurrunt simul natura; sed prius Penitentia: siquidem prius est remotio impedimenti, quam introductio formæ, quæ coexistere nequit cum fictione impediente.

Id autem confirmatur exemplo: quia peccata, quæ per priorem confessionem ratione obliuionis fuerunt per accidens solum remissa, deinde quidem subiicienda sunt clausibus, ut in illa directa sententia absolutionis proferatur; quia sic Christus instituit: sed cum subiectum accedit in gratia; non absoluitur in re quoad culpam, quia per accidens iam remissa erant: licet ibi augeatur gratia. Quamuis igitur Baptismus recedente fictione gradum aliquem gratiæ conferret; tamen se ipsa non dimitteret vlla peccata, quæ iam, saltem per accidens, virtute Penitentia remouentis obicem, essent remissa.

22. Vim tamen rationis instaurant Suarez sect. 4. §. *Sed hic modus.* Et Cabrera n. 14. & 15. quia nunquam peccatum aliquod mortale remittitur per accidens, seu concomitanter per aliquod sacramentum, nisi cum ordine, ac voto alterius sacramenti, per quod tolli potest per se. Quia hoc exigit suavis prudentia Dei, & optima Christi institutio. Vt quando quis bona fide accedens tantum attritus ad Eucharistiam, & per illam consequitur gratiam, & remissionem peccatorum, dicitur ille effectus per accidens respectu Eucharistia, quia semper fit per respectum ad sacramentum Penitentia, vel cum voto illius. Sed originale peccatum, & alia actualia mortalia ante baptismum commissa, non respiciunt aliquam causam per se remissiuam illorum, nisi baptismum: siquidem cum originale contrahatur generatione, non tollitur nisi regeneratione spirituali. Ergo non possunt, etiam concomitanter tolli per aliud remedium, nisi cum ordine ad baptismum. Sed non per votum baptismi futuri: quia est sacramentum initerabile: ergo per ordinem ad baptismum iam susceptum.

Deinde, quamuis Baptismus prærequira-
tur ut alia sacramenta dent gratiam ex ope-
re operato, quia est ianua sacramentorum:
tamen eorum effectus peculiare proximè
non attribuentur Baptismo. Cum ergo nul-
lus possit iustificari ab originali, nisi renasca-
tur per gratiam, hic effectus attribuitur Bap-
tismo ut causa per se.

23 Præterea, causæ adinuicem sunt
causæ, & inter eas esse mutuam prioritatē
late ostendimus, & explicuimus lib. 2. Phy-
sic. q. 24. ubi adduximus D. Thomam 1. 2.
q. 113. art. 8. ad 1. ubi docet, quod in genere
causæ efficientis ex parte solis prius est illumi-
nare, quam tenebras remouere; in genere autē
causæ materialis, præparatiuæ lubrici, &
remouentis prohibens, & ex parte aeris illu-
minandi, prius est purgari a tenebris, quam conse-
qui lumen, ordine naturæ licet utrumque sit si-
mul in tempore. Pariter ergo licet simul tempo-
re concurrant Baptismus, & Pœnitentia ad
iustificationem hominis sic baptizati, &
ex parte subiecti, & in genere causæ dispositi-
uæ, & remouentis prohibens, prius concu-
rrat Pœnitentia; tamen in genere efficiē-
tis, seu causæ per se instrumentaliter agentis
prius concurrat, & principalis Baptismus.

24 Ponderat etiam Lugo nu. 34. quod
Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 4. pro-
bat sine Baptismo, aut eius voto non fieri re-
missionem originalis, ex illis verbis Ioan. 3.
Nisi quis, &c. In quibus Baptismus requiri-
tur ut causa: hoc enim significat renasci ex
aqua, & Spiritu Sancto, scilicet ab illis acci-
pere per regenerationem spirituale esse.
Quod non verificaretur nisi Baptismus concu-
rretet ut causa: quia contritio non esset
tunc vere, & in rigore votum Baptismi: nā
votum significat desiderium, seu propositū:
non potest autem ille homo desiderare, aut
velle Baptismus, nisi per modum gaudij,
aut complacentiæ in Baptismo præterito:
nam sicut Pœnitentia in voto non est com-
placentia de sacramento Pœnitentiæ præ-
terito, sed est desiderium, & voluntas in futu-
rum: sic Baptismus in voto propriè, & in ri-
gore, tunc solum datur, quando est deside-
rium, aut voluntas suscipiendi illum in futu-
rum. Vnde & S. Leo epist. 78. alias 80. ait.
Qui Baptismo priuatur, necessaria liberatione
fraudatur. Et S. Clemens Papa epist. 4. post
medium dicit. *Cofugite ergo ad aquas istas, so-
lesunt enim, quæ possunt vim futuri ignis extin-
guere.* Alia argumenta Vazquez refert, & di-
luit Lugo a num. 38. vsque ad 49. Sed quia
negat vilo modo concurrere sacramentum
Pœnitentiæ ante Baptismum; quod nec ve-

rum est, nec conformè Diui Thomæ: idē,
facilius respondetur recurrendo ad mutua
causarum prioritatem, ut vidimus.

§. IV.

De gradu, & inæqualitate gratiæ, quæ con-
fertur.

25 Sed videndum sequitur, vtrum cum re-
cedente fictione tollitur obex, detur so-
lum gradus gratiæ, qui correspondet contri-
tioni, aut sacramento Pœnitentiæ, an vero
etiam nouus gradus, qui correspondeat Bap-
tismo præterito, ultra illum, qui correspon-
deat dispositioni præsentis? Difficultatē hanc
ad vtramque partem disputant Scotus in 4.
dist. 4. q. 5. lit. e. & Soto dist. 6. q. 1. art. 8. in fi-
nē, & inclinant in sententiam negativam:
quia cum iste fictus ad gratiam Baptismi nul-
lam dispositionem attulerit, videtur nō sus-
cipere maiorem gratiam, quam quæ modo
respondet Pœnitentiæ. Alioquin commo-
di de fictione reportasset: nam si legitime sus-
cepisset Baptismus, vnumque adeo gradū
gratiæ; & postmodum rātum committeret
peccatum, quantum fuit fictio, non recipe-
ret postea gratiam, nisi quanta esset contri-
tione. Et reuera S. Augustinus, & D. Thomas
nihil loquuntur de gradu gratiæ, qui tunc re-
cipiatur virtute Baptismi: sed solum quod
virtute illius remittuntur præterita. Quod
autem gratia habeat virtutem plura remit-
tendi peccata, nō arguit esse gradualiter ma-
iorem: quia qui pluribus irretitus peccatis
baptizatur, aut cōfiteretur, cum minima
attritione, plenissimam recepisset omnium
indulgentiam. Profecto, inquit Soto, qui sic
responderet, maxima se probabilitate tue-
retur.

26 Suarez disp. 28. sect. 4. ait, quod hæc
sententia non caret aliqua probabilitate; li-
cet sibi simpliciter non placeat: quia non est
iuxta mentem Theologorum, & Patrum,
qui simpliciter loquuntur de quolibet effec-
tu Baptismi, & maxime de effectu gratiæ.

Vazquez vero disp. 159. cap. 3. a nu. 27.
vsque ad 34. Scoti, & Soti sententiam iudi-
cat probabiliorem; licet eorum ratio ipsi
non proberetur.

27 Conferri tamen gradum gratiæ dis-
tinctum vtrique sacramento respondētem,
reputat ita certum Nuño art. 10. diffic. 1. ut
dicat oppositum paruum, vel nullam habe-
re probabilitatem. Cabrera disp. 1. a n. 17. vs-
que 22. Bonac. disp. 1. q. 6. punct. 3. n. 3. Can-
didus disp. 16. ar. 9. dub. 10. Lugo disp. 9. sec-
3. dub. 1. Trullench lib. 1. c. 5. dub. 3. nu. 6. Et
hanc

hanc esse magis communem, notat, & se-
quitur Aueria sect. 2. §. Quarto. Quia quan-
do recedit fictio, sūt ibi duæ causæ gratiæ iu-
stificantis, omnino inter se differentes, nem-
pe Baptismus, & Pœnitentia, & vnaquæq;
habet suum proprium effectum; neque cau-
salitas vnius impedit, aut minuit causalita-
tem alterius. Et subiectum est capax gratiæ
Baptismi, & Pœnitentiæ: ergo vtraque con-
fertur.

Neque habet commodū ex fictione, quia
ut ait Scotus, potius habet maximum detri-
mentum; quia tempore Baptismi, & sequē-
ti vsque ad Pœnitentiam, est filius gehennæ:
& omnia opera eius mortua sunt. Si autem
non fuisset fictus, fuisset tunc, & post vsq;
ad lapsum, filius regni, & opera eius viua, qui-
bus meruisset augmentum gratiæ, & gloriæ.
Ideoque id cedit in commendationē Pœni-
tentiæ, & diuinæ largitatis, qui tantam vim
contulit Baptismo, ut vini habeat operadi
ablato obieco, ac si tunc cōferretur, & idē ita
omnino est alterendum. Concordatque D.
Thomas in 4. dist. 4. q. 3. artic. 2. q. 3. ad 2. di-
cens, quod Baptismus recedente fictione habet il-
lum effectum, quem prius habuisset, si fictio non
fuisset.

28 Secundo inquiritur, vtrum confe-
rat gratiam iuxta mensuram dispositio-
nis.

Negatiuam sententiam docent esse pro-
babiliorē, Suarez disp. 28. sect. 4. circa fi-
nem. Coninch q. 62. art. 1. dub. 6. num. 102.
Probabiliorē dicit Nuño q. 62. art. 1. diffic.
6. ad 4. Et Castrus Palaus tract. 18. punct. 9.
nu. 8. & 9. Omninoque sequitur Serra q. 62.
art. 1. dub. 4. conc. 4. Item Aueria q. 69. lect.
2. fine, docentes non recipere virtute Bap-
tismi, nisi certum gradum gratiæ, minimū vi-
delicet, & infimum ex diuina institutione
taxatum. Probant tum a priori, quia in hoc
casu dispositio valet solum tanquam remo-
uens obieco, & impedimentum: quare non
maiorem gratiam Baptismus conferet, quā
dum sine impedimento suscipitur, ut in par-
uulis. Tum, quia nō oportet hunc effectum
Baptismi plus amplificare, quam necesse sit
ad remittenda peccata, iuxta doctrinam S. Au-
gustini: & ut peccata præcedētia Bap-
tismus, dicantur virtute huius Sacramenti
deletri: quare debet tali modo limitari effec-
tus Baptismi. Tum etiam a posteriori, quia
alioquin inferri posset vltērius, si homo sic
baptizatus, se primum disponat per actū
vnum, postea vero alium, & alium actū
intēsiorem eliciat; quod semper maiore,
& maiorem virtute Baptismi percipiet gra-

tiam. Quod nullatenus dici potest. Tum de-
mum, quia de facto conitatur hominem, qui
suscipit Baptismus cum attritione, v.g. ut
vnum, recipere gratiam ut vnum; sed tūc
habuisset actum ut duo, maiorem percepit
gratiam. Tamen quamuis postea per-
fectionem actum exerceat, non propterea
maiorem ex virtute Baptismi recepturam
gratiam. Ergo a fortiori homo, qui in dispo-
situs suscipit Baptismus, dici non debet, ma-
iorem percepturus gratiam, dum seruatiō-
nem actum eliciet: quia alioquin esset quo-
ad hoc melioris conditionis: quod etiam nō
est admitendum.

29 Affirmatiua sententia est commu-
nior, & vera: & idē in eam magis inclinat.
Nuño q. 62. art. 1. diffic. 6. ad vltimum in fi-
ne. Penentque Cabrera q. 69. art. 10. dispu-
tatione 1. num. 101. & 27. Candidus disqui-
sit. 16. art. 9. dub. 10. Et admittit Vazquez
disp. 159. cap. 5. stando in ea opinione, quæ
docet Baptismus recedente fictione confer-
re gratiam ex opere operato. Idem probat
Lugo disp. 9. de sacramentis in genere lect.
5. dub. 2. num. 73. a primis ex Concil. Tri-
dent. sess. 14. cap. 4. ubi de detestatiōe, &
retractatiōe peccatorum sic dicitur: *Fuit
autem quouis tempore ad impetrandam veniam
peccatorum hic contritionis motus necessarius.*
Cocurrit ergo illa detestatio ad effectū Bap-
tismi, ut meritum de congruo, impetrando,
maiorem autem vim habet ad merendum,
melior, & perfectior dolor de peccatis, quā
minus perfectus: ergo effectus inæqualis cor-
respondebit.

Secundo ex doctrina generali eiusdem
Concilij Tridentini sess. 6. cap. 7. gratia da-
tur adultis inæqualiter secundum propriam
cuiusque dispositionem. Ille autem actus
quo auferitur obex, est vera, & propria dis-
positio: quia Baptismus præteritus non remit-
tit peccata sine dispositione recipientis: er-
go nec Baptismus præteritus, qui maiorem
vim non habet. Et quia solum defectus dis-
positionis impedit ne operetur: ergo
cum operatur, ad eam dispositionem.

30 Addit Lugo n. 72. & 75. & 85. quod
ex melioribus operibus, quibus a tempore
Baptismi disponit se homo, vsque ad pœ-
nitentiam, qua tollitur obex, crescit effectus
Baptismi: quia dispositio ad gratiam, nō so-
lum est dolor de peccatis, sed etiam alij ac-
tus pii, quibus homo disponitur, & impe-
trat gratiam; licet enim cum recedit fictio,
non detur dispositio ad Baptismus; da-
tur tamen dispositio ad effectum Bap-
mi

mi, & respectu huius non est solū remouens prohibens.

30 Idem intentum principale probat Granados tract. 3. disp. 3. num. 12. nā quando Baptismus fide recipitur, licet tunc non fortiat effectum, adhuc virtus, & efficacitas eius moraliter perseverat, quali expectans in recipiente convenientem dispositionem, ut gratiam, & remissionem peccatorum operetur: ergo attritio, vel contritio, quæ postea elicitur, non est censenda ut mera quædam ablatio impedimenti, sed potius ut appositio dispositionis requisitæ: vere enim per illam redditur aptus homo, ut consequatur gratiam, & remissionem peccatorum.

Confirmatur, quia si proprie, & rigorose loquamur, attritio, quæ postea elicitur ad tollendam fictionem, non aufert impedimentum prius appositum: nam si fictio acciderit, ut accidere potest, sine culpa baptizari, non est impedimentum, quod auferatur: si enim aliquod esset, maximè peccata foret, quæ quis ante Baptismum commiserat: hæc autem per attritionem non auferuntur, cū ipsa sola non sufficiat ad delenda peccata: ergo prædicta attritio potius se habet ut dispositio, quam Baptismus requirit ut conferat effectum suum: ergo iuxta illius mensuram confert gratiam, sicut & remissionem peccatorum. Et sic doctrinam generalē de alijs sacramentis conferentibus gratiā, iuxta dispositionum inæqualitatem inæqualē, dicimus omnino hic verificari.

31 Ad primam probationem in contrarium constat ex dictis negandum esse antecedens: quamuis enim actus, quo tollitur nō disponat ad Sacramentum, validè iam diu susceptū, disponit tamen ad gratiam, seu effectum sacramenti, quæ nunc confertur subiecto disposito: & ideo altior subiecto magis disposito datur.

Ad secundum dicitur, quod non amplius extendimus doctrinam, quam exigit consequentia Theologiæ. Imò cum sit vniuersalis regula, quod sacramentorum effectus in adultis sunt inæquales iuxta recipientiū inæqualem dispositionem; cum non sit reuelatum Deum in hoc casu aliter statuisse, non est casus iste sine aliquo solido argumento excipiendus à communi doctrina.

32 Ad tertiam ipse Suarez, §. Denique postea fatetur illud inconueniens non esse magni momenti, & commune esse vtrique sententiæ, ut notat Lugo num. 80. nam si aliquis nunc baptizetur cum contritione, ut duo, & postea habeat alios actus intentos cō-

tritionis, alter vero differat Baptismum usque ad finem vitæ, & tunc baptizetur cum contritione ut quatuor, hic recipiet maiorem gratiam sacramentalem, quam ille: & ideo erit melioris conditionis. Imò, qui culpabiliter distulit baptizari usque ad finem vitæ, per accidens potest esse melioris conditionis: quia affert illi remissionem omnimodam peccatorum totius vitæ quoad culpā, & quoad poenam. Quam fructum non consequitur, qui debito tempore multis retro annis baptizatus fuerat. Hæc tamen omnia sunt per accidens. Nā per se loquendo, melioris conditionis est, qui cito baptizatur, & est Filius Dei per gratiam, potens mereri decō digno gloriæ augmentum, & est capax aliorum sacramentorum. Sic qui digne suscipit Baptismum, per se loquendo, est melioris conditionis; licet per accidens possit aliter euenire.

Ad ultimam respondetur, quod est dispar ratio de actibus, qui sunt simul, cum Baptismus causat, ac de illis, qui postea eliciuntur: nam primi prosunt ex opere operato: & ideo ait D. Thomas ad 1. quod sacramentum Baptismi est opus Dei, & non hominis. Et ideo non est mortuum in ficto, qui sine Charitate baptizatur. Alij vero solum prosunt ex opere operantis.

DVBIVM V.

Quæ peccata deleantur per Baptismum recedente fictione?

§ I.

De remissione venialium.

1 **I**N primis est difficultas, vtrum Baptismus impeditus ad remissionem venialium, possit postea, ablato obice, eam conferre?

Supponimus cum D. Thoma in 4. distinctione 4. q. 2. art. 1. q. 1. ad 3. quod quantum est de se baptismus tollit omnem culpam, originalem, & actualē, non solū mortalem, sed venialem: quæ quamuis non contrarietur gratiæ simpliciter, contrariatur tamen gratiæ baptismali, quæ debet esse perfecta ratione nouitatis vitæ. Sed potest impediri effectus eius ex parte recipientis, si sit indispositus per fictionem. Sed cum fictio sit peccatum; sicut peccatum mortale est peccatum simpliciter, ita facit fictio simpliciter; & totaliter effectum Baptismi impedit

quod ad remissionem culpæ. Sed peccatum veniale, quod in actu, vel in proposito est, facit fictum secundum quid, & est secundum quid peccatum, ut dispositio ad peccatum. Et ideo impedit effectum Baptismi, non simpliciter, sed quantum ad remissionem illius venialis. Idem docet dist. 12. q. 3. art. 1. q. 3. ad 3. In hoc ergo casu, quod homo est contritus, vel attritus de mortalibus, & habet complacentiam, vel propositū committendi aliquod, vel plura venialia; quia est fictus secundum quid, inquitur, an si postea poeniteat de venialibus, & respectu illorum auferatur obex, an Baptismus tribuat suum effectum in ordine ad illa, & deleantur vi illius quoad culpam, & poenam?

2 Negat omnino Vazquez disp. 160. cap. 3. etiam stando in communi sententia, quæ affirmat Baptismum recedente fictione remittere mortalia. Quia auctoritas Sancti Augustini, & ratio institutionis ad summum procedit de remissione mortalium, quæ est necessaria ad salutem: nō autem de remissione venialium, quæ non sic est necessaria.

3 Ceterum Suarez disp. 28. sect. 4. §. Dices, quid si, ait. Respondetur, quamuis nō sit æquè certum redalire effectū Baptismi quod ad remissionem venialium; quia Baptismus non est medium necessarium ad huiusmodi remissionem; nihilominus probabilius est, etiam hunc effectum reddere: quia si baptismus ita est institutus ut possit operari ablato impedimento ex parte susipientis, etiā si ipse non existat, non est verisimile hoc esse limitatū ad vnum effectum eius potius, quam ad alium: nullum enim fundamentum est ad id excogitandum. Præcipue, quia gratia illa, quæ datur recedente fictione, tam vere est regeneratiua, ac si esset data in præsentia Baptismi: & ideo quantum est de se, omnino transmutat hominem, & delet omnem maculam superiorem vitæ. Vnde sit vterius probabile, totum hunc effectum simul redire, si respectu totius simul tollatur fictio: Vel etiam successiue, & diuersis temporibus, si eodem modo auferatur impedimentum: quia causa semper manet eadem, & cū eadem virtute, ac determinatione ad operandum, si ex parte subiecti auferatur impedimentum. Quid ergo mirum, si impedimentum paulatim auferatur, effectum etiam paulatim, & per partes conferri? Hæc ibi.

4 Aliter idem probat Lugo disp. 9. de sacramentis sect. 5. nu. 93. Et de Poenit. disp. 16. sect. 1. n. 44. ex efficacitate Baptismi, qui

in hoc æquiparatur Martyrio. Quamuis autem Martyri non remittantur omnia venialia in hac vita propter obicem, remittuntur ei in primo instanti mortis quoad culpam, & poenā in virtute Martyrij præteriti: quia iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre. Ergo cum etiam credant fideles recenter baptizatum inmediate mortuum euolare statim in cælum, remittitur ei tota poena. Cur ergo non idem dicemus de effectū remissionis culpæ? Ratio enim est eadem, scilicet totalis regeneratio, & ablutio veteris hominis: ad quam non magis expectat tollere reatum poenæ, quam reatum culpæ, ut constat.

5 Hæc ratio subsumit aliquid incertū; quamuis enim illud priuilegium Martyrio concedat Caletanus 3. p. q. 87. ar. 1. ad 2. Tamen ibidem negat idem, quoad hoc, dicendum de Baptismo: ait namque. Aduerte idē esse iudicium de dormiente occiso pro Christo, vel baptizato. Quod intelligo secundum meritum secundarum causarum. Nam si quis inuit dormitum cum proposito dicendi mane mendacium officiosum, & interim dormiens occideretur pro Christo, crediderim ego ex diuina largitate, etiam illius peccati plenissimam remissionem per Martyrium consequi. Quamuis per Baptismum illius remissionem non consequeretur, propter voluntatē actualiter actualitate virtuali peccato inhaerentem.

6 Priuilegium autem hoc Martyrij esse incertum, constat, quia nullibi est reuelatum. Et D. Thomas eodem modo id negat de Baptismo, ac de Martyrio. Vnde 3. p. q. 87. art. 1. ad 2. ait, quod passio pro Christo suscepta, sicut supra dictum est, q. 66. ar. 1. 1. obinet vim Baptismi: & ideo purgat ab omni culpa, & veniali, & mortali: *Nisi actualiter voluntatem peccato inuenit inhaerentem.* Et Soto in 4. dist. 15. q. 2. art. 1. ad 2. ait, *Illud tamen priuilegium Martyrij ego non facile credā.* Quare quidquid sit de hac ratione, ratio præcedens, quæ insinuat a D. Th. satis efficax est.

7 Quod confirmat Auerfa sect. 2. ad hominem: nam Vazquez eodem capite fatetur, virtute Baptismi fide suscepti, conferri postea auxilia gratiæ tempore opportuno, quando homo se disposuerit, & fictionē abstulerit. Ergo etiam concedendum est de remissione venialium peccatorum.

8 Ad argumentum Vazquez respondet Lugo num. 94. ex ratione S. August. lib. 6. de Baptismo cap. 5. hunc effectum colligi: quia opus Baptismi sanctum est, & est opus

opus Christi: Et ideo nullius iniquitate minuitur. Quæ efficacia Baptismi nõ probatur ex sola necessitate, sed ex institutione Christi, & perfectione gratiæ baptismalis quæ, vt ait D. Thomas relictus num. 1. debet esse perfecta ratione nouitatis vitæ: quia renascitur ex aqua, & Spiritu Sancto semel, hoc est, de posita tota vita veteri, & eius debitis, ac sordibus. Vtrum autem ad venialium remissionem requiratur nouæ gratiæ infusio? Exponitur infra q. 87. tractando de Pœnitentiæ effectibus.

§. II.

De peccatis post Baptismum commissis.

Secunda difficultas est, an Baptismus sic susceptus, vim habeat remittendi mortalia post ipsum commissa, quæ præcedunt ablationem fictionis?

Partem affirmantem, vt probabilè tradit Paludanus in 4. dist. 4. q. 5. nu. 24. Ita dicens. Hoc igitur verum est, quod illud peccatum mortale commissum post Baptismum confitendum est: non quia aliter non remittatur, scilicet, per remotionem fictionis ex naturali cõcomitantia: sed propter præceptum de confitendo: ad quod obligatur etiam ille, cui ex maxima contritione esset dimissa culpa, & pœna. Pœna autem illius mortalis postea commisi, cum ipsa nullam necessariam connexionem habeat ad remissionem culpæ; nisi quod de æterna mutatur in temporalem; virtute Baptismi, nisi aliud sit, non remittitur. Sic igitur posset dici, quod attritio sufficit: & tunc virtute Baptismi, etiam fictio mortalis, & mortalia sequentia delentur quoad culpam, & pœnam æternam: quæ habent connexionem. Licet alias mortale ante, & post Baptismum commissum non remitteretur sine contritione: Sed hoc est per accidens. Hæc ibi. Licet immediatè etiam proponat alium dicendi modum. Hunc sequitur Syluester verbo Baptismus 4. q. 17. in fine. Probabilemque dicit Suarez disp. 28. lect. 5. post secundam conclusionem.

Et reuera argumentum Paludani, sumptum à paritate aliorum sacramentorum, satis videtur vrgere. Nam sacramentum Pœnitentiæ non est directè institutum ad dimittenda peccata non confessa, vel per obliuionem, vel propter aliam causam rationabilem: & tamen, quia vnum peccatum remitti nequit sine alio, & non possunt re-

mitti mortalia confessa, quin remittantur mortalia oblita; ideo illa remittuntur indirectè, & alia directè, quia dar gratiã, quæ simul necessario excludit omnia peccata mortalia. Ergo illa dispositio, quæ sufficit vt Baptismus deleat peccata prius commissa, quæ per se, & ex propria institutione remittit, sufficet etiam vt cõcomitanter deleat peccata; quæ cum illis inuenit coniuncta.

Quod confirmatur: nã q. 62. dub. 6. late ostendimus Eucharistiam, & alia sacramenta viuorum interdum dare primam gratiã; quamuis directè sint instituta ad dandã gratiæ augmentum. Quamuis teneatur homo habere votum, saltem implicitum, illa peccata confitendi cum ea cognouerit. Ergo quauis fictus teneatur confiteri peccata post Baptismum commissa, tamen dispositio, quæ sufficit ad directè remittenda peccata præcedentia Baptismum, sufficet, vt indirectè, & per cõcomitantiam deleat mortalia sequentia Baptismum, & præcedentia ablationem obicis.

11 Oppositam sententiam merito tenet Soto in 4. dist. 6. q. 1. ar. 8. §. His ergo. Duplici ratione. Primo, quia illa crimina, quæ subsequuntur Baptismum, iam subiiciuntur Ecclesiæ clauibus, atque adeo Pœnitentiæ; quare non remittuntur per baptismum. Secundo, quia si Baptismus dum recipiebatur, sortiretur suum effectum, non amplius, ea remitteret, quæ deinceps committerentur. Sed propterea, quod tunc non habuit effectum, non fuit melioris conditionis: ergo neque eadem post remittet: remittuntur ergo per Pœnitentiam.

12 Hanc sententiam veriorẽ esse fatetur Suarez supra. Et Vazquez disp. 160. capite 2. & Lugo disp. 9. lect. 4. nu. 56. etiam solum dicit veriorẽ. Vnde excelsit Cabrera q. 69. ar. 10. disp. 2. §. 5. dicens hoc esse de fide: quod solum est verum, si loquamur de remissione directã, iuxta doctrinam Concilij Trident. sess. 7. can. 10. de Baptismo. Et sess. 14. cap. 1. & 2. & 5. De qua etiam solũ loquitur D. Thomas hic ar. 10. ad 3. Ideoque insufficenter ex illo id probat Auerſa hie teſtione 3. Verba enim D. Thomæ sunt. Ad 3. dicendum, quod effectus Baptismi non est tollere peccata futura, sed presentia, vel præterita. Et ideo recedente fictione, peccata sequentia remittuntur quidem, sed per Pœnitentiam, non per Baptismum. Vnde non remittuntur quantum ad totum reatum, sicut peccata præcedentia Baptismum. Quod totum admittit Paludanus, quia non ponit remitti, nisi indirectè, & cõobligatio-

gatione subiiciendi illa peccata clauibus Ecclesiæ: quod affirmari nequit de peccatis præcedentibus Baptismum.

13 Melius probat Suarez, quia nullum sacramentum habet virtutem ad remittendum peccatum post susceptionem ipsius sacramenti commissum, neque directè, nec indirectè; nec vllõ modo: non enim ad hoc sunt vlla ratione instituta: neque ad huiusmodi effectum à Deo acceptantur: sunt enim sacramenta medicinæ curatiuæ præcedentium peccatorum, & præseruatiuæ sequentium. Non tamen fuit conueniens vt haberent etiam vim ad delenda peccata postea committenda: nam huiusmodi medicinæ nõ adhibentur donec ægritudo inlit. Neque in aliquo alio sacramento huiusmodi effectus reperiri vnquam potest.

14 Ad argumentum respondet Suarez nõ esse certum, sed satis dubium, quod sacramentum Pœnitentiæ cum sola attritione susceptum, remittat indirectè peccata oblita. Rectè tamen id impugnat Lugo num. 58. primo ad hominem, quia ipse Suarez to. 4. disp. 20. lect. 2. num. 13. id omnino concedit. Et nullus Theologus dubitat, excepto Ioanne de Medina, Cod. de Confessione q. de absolutione ab oblitis. Secundo, quia id debet omnino esse extra controuersiam propter verba Concilij Tridentini sess. 14. cap. 5. vbi ad ostendendam facilitatẽ, & suauitatẽ illius sacramenti, asserit nihil aliud exigi, quam præmissio diligenti examine, ea peccata confiteri, quæ in memoriam venerint: Reliqua autem (inquit) peccata, quæ diligentè cogitanti non occurrunt in vniuersum, eadem Confessione inclusa esse intelliguntur. Videlicet in ordine ad eorum remissionem: nõ si memoriam occurrant, est obligatio ad confitendi, vt docent D. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. q. 2. ad 3. & Theologi communiter. Habet ergo vim sacramentum Pœnitentiæ remittendi illa peccata, licet omittã, si adsit attritio vniuersalis, quæ ad ipsã extendatur. Hac ergo omittã solutione, aliam late curat assignare Lugo n. 59. & 60.

15 Sed meo videri sufficiens, & facilis est secunda solutio Suarez, quam solum sequitur Auerſa, admissa enim maiori, & minori, negatur consequentia; siquidem nõ est simile: quia peccatum oblitum supponitur iam commissum ante susceptionem tale sacramentum Pœnitentiæ: & ideo habere potest efficaciam ad tollendum illud, saltem cõcomitanter: peccatum autem de quo hic agimus, non erat commissum quando Baptismus susceptus est. Neque sacramenta viuorum faciunt ex attrito contritum, nisi respectu peccatorum, quæ ante susceptionem talis sacramenti commissa fuerunt.

rum faciunt ex attrito contritum, nisi respectu peccatorum, quæ ante susceptionem talis sacramenti commissa fuerunt.

§. III.

De peccato fictionis, & de alijs, quæ sunt simul cum Baptismo.

De peccato fictionis rectè docet D. Thomas art. 10. ad 2. quod fictio nõ remouetur per Baptismum, sed per Pœnitentiam subsequentem. Quod pariter docuit S. Augustinus lib. 1. de baptismo capite 12. dicens. Tunc valere incipit ad salutem Baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, &c. Prius ergo natura (vt arguit Soto dist. 6. q. 1. art. 8. ad 2.) tollitur per Pœnitentiam fictio, & tunc Baptismus originale cum omnibus ante ipsum commissis actualibus plenissimè abstergit, iuxta ea, quæ ibi subiungit S. Augustinus, & asserit ibi D. Thomas. Ne hoc vllus Theologus negat, neque negare potest illud peccatum sacrilegij esse materiam sacramenti Pœnitentiæ, & necessario confitendum, vt dicit Suarez disp. 28. lect. 5. conclus. 3.

17 Qui & duplicem rationem assignat. Primam à priori: nam peccata sequentia Baptismum, non remittuntur per Baptismum, sed per Pœnitentiam. Sed peccatum fictionis computatur inter ea, quæ Baptismum subsequuntur. Quod & docet Soto, §. Quod si arguas. Tum, quia sicut prius natura est Baptismi esse, quam causare gratiam; ita prius natura est Baptismus esse, quam actualiter illi pœnetẽ impedimentũ ne causet gratiam. Tum, quia in ordine ad suscipiendum, & dispositionem eius, prius natura in fundit characterem, quam gratiam; siquid est stat velle baptizari, & prius est, quam disponi ad gratiam; & sicut character baptismalis est potentia passiva ad alia sacramenta, & eorum effectus; ita & ad effectũ gratiæ baptismalis: ergo fictio, qua ponitur obex gratiæ Baptismi, supponit eius characterem, & hominem esse baptizatum.

Secundo, quia fictio per se, & directè includit oppositionem repugnantem effectui Baptismi, quia tollit dispositionem ad illũ requisitam. Ergo non fuit Baptismus institutus ad hoc peccatum delendum, cum ex sua institutione oppositum requirat. Et eadem ratione non potest illud tollere cõcomitanter, quia per illud impeditur ne suum conferat effectum. Videatur Cabrera disp. 2.

§. 3. Et Caiet. art. 10. ad 2. ait: excipitur autem sola fictio, quoniam ipsa est, quæ contra ritur sacramento.

18 De peccato autem antecedenti, quod fuit causa fictionis, Scotus in 4. dist. 4. q. 3. dicit, quod si fictus dum baptizabatur, erat in septem criminibus, quorum lex habuit tunc attritionem, septimi vero complacentiam, postea dū relipiscit, tenetur de illo septimo conteri, & quatenus erat, v. g. adulterium, & quatenus fuit causa fictionis, scilicet, sacrilegæ suspensionis Sacramenti, quæ fuit insignis irreuerentia, de alijs vero nõ requiritur noua, vel contritio, vel attritio.

19 Rectè tamen Caietanus, communiter receptus, admonet, quod talis fictus sufficienter confiteretur, dicendo se iniuriã fecisse Baptismo, ponendo illi obicem peccati mortalis, & confitenda comissa. post baptismum. Quoniam per accidens est, quod hæc vel illa peccata dederint causam fictionis; quia dum non considerantur vt formaliter opposita, sunt peccata ante Baptismum, quæ non sunt materia Poenitentiae sacramenti. Vnde Soto art. 8. §. Contra hoc, addit impertinentis esse vllam tunc habuisse attritionem. Imò quamuis omnium habuisset complacentiam, sufficit postmodum habere dolorem fictionis, quæ fuit indigna susceptio Baptismi, & subsequentiū delictorum: nã illa contritio in virtute includit contritionem omnium præcedentiū. Quia cum requiratur per se contritio fictionis, & subsequentiū, & consequentiū, & per accidens omnium præcedentiū requiritur. siquidẽ nõ potest esse sine dolore omnium, saltem in genere.

20 Quantum ad peccata committantia, Soto dicit art. 8. §. Ex quo fit consequens, docet, quodcumque peccatum in susceptione Baptismi commissum, esse contritione delendum. Vt si quis susceperet Baptismum, vt res Ecclesiæ suraretur, aut forte vt per simoniã beneficia obtineret; omnia illa requirunt contritionem, & confessionem: quia susceptio cum tali proposito est sacrilega. Quam doctrinam dicit probabilem, Nuño art. 10. dubio 2. cõc. 3. Sequiturque Coninch q. 62. artic. 1. dub. 6. conc. 3. Et Lugo de Poenitent. disp. 16. sect. 1. n. 23. vsque 44.

21 Nihilominus D. Thomas art. 10. ad 2. ait, quod fictio non remouetur per Baptismum, sed per Poenitentiam subsequentiẽ, qua remota Baptismus aufert culpam, & reatum omnium peccatorum præcedentiū Baptismum; & etiam simul existentium cum Baptismo. Afferit D. August. lib. 1. de Baptismo ca-

pite 12. qui & eadem vniuersalitate loquitur de peccatis ante Baptismum, & in Baptismo: vtique vsque ad vltimum instans in quo perficitur. Sicque interpretatur Caietanus. Et esse probabilius dicit Nuño dub. 2. Et cõmuniter Thomistæ sequuntur. Item Vazquez disp. 160. cap. 2. & alij communiter, vt refert, & sequitur Diana parte 3. tract. 4. resol. 14. Fauetque non parum Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 2. dum sola peccata post Baptismum commissa decernit subicienda clauibus Ecclesiæ. Et quia sola fictio formalis directe opponitur effectui Baptismi; & ideo non habet sacramentum virtutẽ ad illam tollendam. Reliqua vero peccata ex se nõ habent directe repugnare effectui Baptismi: vnde non est cur non habeat vim ad illa delenda.

22 Hanc doctrinam dicunt Suarez disput. 28. sect. 5. post 3. conclusi. Aueria sect. 3. §. Quarto demum, & Lugo num. 2. esse speculatiue verisimilem, ac probabilẽ; sed quod moraliter vix potest ad praxim reduci: nã vix est moraliter credibile, vt aliquis duret in aliquo actuali consensu prauo toto tẽpore, quo perficitur Baptismus, vsque ad instans in quo consumatur Baptismus intrinsecè, quin etiam post baptismum perfectũ in eodem actu aliquo tempore duret. Vnde moraliter loquendo, tale peccatum durabit aliquo tempore post baptismum. Ergo saltẽ ratione huius moralis periculi, seu dubij, oportebit huiusmodi peccatorum confiteri, atque de illo conteri.

§. IV.

Quæ dispositio requiratur vt Baptismus ficti susceptus habeat suum effectum?

23 Vazquez disput. 160. c. 2. existimat semper requiri contritionem, etiã si neque aliud peccatum commiserit post Baptismum; nec peccatum fictionis in ipsa susceptione baptismi; sed ignorantia, & bona fide fuerit excusatus à noua culpa in receptione baptismi sine debita dispositione. Quia D. Augustinus, & alij antiqui non dixerunt in tali casu solam attritionem sufficere. Et cum hæc res innitatur magis auctoritati, quam rationi, non erit id prohibito asserendum. Idem docet Serra 3. p. q. 62. art. 1. dub. 4. post 3. conc. fol. 91. Nam sicut attritio supernaturalis, quam quis habuit multo ante susceptionem baptismi, non sufficit

vt

vt sine obice negatiuo suscipiatur, si in ipsa susceptione actuali baptismi sola attritio naturalis inueniatur: ita post Baptismum cū obice negatiuo susceptum; non sufficit ad tollendum talem obicem sola attritio: quia cum sola ipsa non sufficiat ad iustificatiõẽ; nec etiam sufficet ad auferendum omnino rationem voluntarij, quam habent peccata: ac per consequens, nec sufficit ad tollendum obicem negatiuum.

24 Per oppositum Paludanus in 4. dist. 4. q. 3. num. 4. Syluest. & Suarez vt supra retulimus, reputant probabile, quod non requiritur contritio, vel confessio; in eo qui post Baptismum ficte susceptum peccauit mortaliter. Quia ad Baptismum sufficit attritio, non solum initio, sed quoties operari valet: posita autem gratia Baptismi peccata sequentia remittentur indirecte, & consequentiue.

25 Reliqui vero Authores communiter, specialiter Nuño dub. 3. & Cabrera disputatione 3. Syluius, Suarez, Coninch, Lugo, Bonacina, Henriquez, & Diana, quos refert, & sequitur Aueria sect. 4. Candidus disquisit. 16. art. 9. dub. 9. & alij docent in priori casu sufficere attritionem, sicut sufficeret à principio, quia Baptismus obice ablato; eandem vim habet, ac si ab initio fuisset receptus sine impedimento. Sed si à principio adesset attritio, gratiam daret. Ergo cum illa sola deesset, & nunc adit, solum sortietur effectum. Deinde, si nouo non appposito impedimento, requireretur contritio: cū hæc per se valeret ad delenda peccata, etiã nõ præmissis Baptismo valeret; & ideo nõ erat necessariũ eã virtutẽ Baptismo tribuere. Rursus Vazq. ipse admittit, in eo qui post Baptismum alia de nouo mortalia peccata commisit, sufficere attritionem cū confessione posteriorum peccatorum: ergo si non adessent alia noua peccata, sufficeret attritio de prioribus. Quod implicite satis indicauit S. Augustinus, & antiqui Scholastici docentes sufficere eandem dispositionem, quæ ab initio esset sufficiens: & hanc sæpè diximus esse contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur.

Nec est eadem ratio de attritione, quæ præcessit Baptismum, ac de illa, quæ subsequitur: nam quæ præcessit, non coniungitur cum illo, nec ab illo eleuatur; quæ subsequitur vero, quia manet Baptismus in acceptatione diuina, cum illo coniungitur, & ab eo eleuatur, ac si elicita fuisset attritio, quando ab initio conferebatur Baptismus. Et sic respondetur ad argumentum M. Serra.

26 Casu vero, quo post Baptismum sine dispositione debita susceptus, denuo peccauit mortaliter, vel indigne, & culpabiliter mortaliter suscepit Baptismum, tenetur conteri, vel habere attritionem cum Sacramento Poenitentiae, vt auferatur fictio, & baptismus det suum effectum. Quia baptismus solum habet vim ad tollenda peccata antecedentia: & pro sequentijs Deus nõ istud, sed aliud remedium instituit, vt subiiciantur Ecclesiæ clauibus: ideoque non remittuntur, nisi per absolutionem in re; vel in voto includo in actu perfectæ contritionis. Et ideo non sufficit sola attritio ad consequendum effectum baptismi.

DVBIVM VI.

Vtrum sit proprium Baptismi, quod confert suum effectum recedente fictione; an vero id omnibus competit sacramentis nouæ legis?

Res est omnino incerta, quia nec reuelata, nec ex reuelatis manifesta: & ideo non solum Theologi sunt diuisi in varia placita; sed quilibet pro se conatur adducere D. Thomam. Et quamlibet quis sententiam eligat, non deerunt graues rationes, & non contemptendæ rationes.

§. I.

Opinio id soli tribuens Baptismo.

2 Magist. Soto in 4. dist. 6. q. 1. ar. 8. ad 2. ita ait. Nihilominus (vt meam fatear incertiam) si meo arbitratu res definienda esset, malle[m] prærogatiuam hanc Baptismo soli adscribere, vt nulli alij conueniat sacramento. In primis namque res est, cuius ex sacris litteris colligi nequit certitudo; atq; adeo de qua liberum est sic, aut aliter coniectari. Et Augustinus, qui rei huius præcipuus est author, hoc soli Baptismo tribuit. Et D. Thomas, quamuis in Quarto, vbi non tam expressim res examinabat, aliud (vt vulgò forsan circūferabatur) dixerit: hic vero in Summa non nisi soli Baptismo hoc adscripsit. Quare hic characterem in genere, non tanquam gratiæ dispositionem induxit; sed singulariter baptismalem, tanquam formam, quæ fit homo Christianus: quam obrem non virtutem characteris secun-

secundum eius generalem rationem; sed singulariter ratione Christianismi, ait baptismum effectum suum fortiri, scilicet gratiam, qua Deo in filium baptizatus adoptatur. Neque vero quod hic ait, sacramentum esse opus Dei, & ideo non esse mortuum, tãquam vniuersalem causam adfert, vt eadem ratione cuncta sacramenta sicte suscepta possint reuiuiscere; sed solum vt negaret sacramentum esse opus mortuum. Quod autem semel per mortuam susceptionem impeditum, postea reuiuiscat, est singularis baptismi prerogativa: eo quod ad remissionem originalis contagij institutus est, atque ad eam plenissimam indulgentiam, & regenerationem filiorum adoptionis in nouam vitam: quod alijs non conuenit sacramentis. Tamen etiam singulari modo præ alijs sacramentis dicitur opus Dei, eo quod nec clauis Ecclesie requirit, neque vero dispositionem in suscipiente, vt apparet in paruulis.

Id vero, quod de Pœnitentia Sanctus Thomas dixit, sic forsitan (vt proprio loco videbimus) intelligendum est, quod cum sit sacramentum in remissionem dumtaxat actualium institutum, sitque perinde iterabile, si postquam sicte suscipitur, succedat contritio, succedet perinde fructus remissionis per modum meritij; & si adhibeatur iterum Sacramentum, adhibebitur subinde, & sacramentalis gratia, illi simillima, quæ per priorem absolutionem esset suscepta. Hæc Soto.

4 Quem sequitur Vazquez disp. 161. cap. 2. Maratus de Baptismo disp. 12. lect. 1. & vltima. Bernal de Sacramentis in genere disp. 13. lect. 1. num. 10. & lect. 2. à num. 20. vsque 25. Qui & vterius confirmat: nã ideo probat D. Thomas 3. p. q. 1. ar. 3. quod si Adam non peccaret, Verbum Diuinum carnem non assumeret, quia Incarnatio est sublime mysterium ex sola Dei voluntate, ac libera institutione pendens; ac proinde non asserendum, nisi innotescat ex sacris literis, Concilijs, Traditione, vel alia quapiam fidei, vel Theologiæ regula. Sed nulla eiusmodi regula tradit, gratiam illam remota fictione, conferri per alia sacramenta, quæ per baptismum. Ergo non est asserendum conferri.

Confirmatur à contrario. Baptismus enim recedente fictione remittit ex opere operato poenas temporales: vnde planissime inferimus remittere culpam, & infundere gratiam. At qui de nullo alio sacramento constat, quod ablata fictione remittat, vel vt causa, vel vt conditio poenas temporales;

aut quod habeat effectum aliquem simile, & cum gratia collatione connexum. Ergo nulli alij cum fundamento possumus tribuere, quod recedente fictione gratiam afferat, siue vt causa, siue vt conditio.

5 Tãdẽ, quia si humana ratione res hæc transigi deberet; profecto semel concessa Baptismo, cùm sit esset deferenda. Quod omnes recentiores in Eucharistia censent, in eodem modum. Idque valde notandum est, cum illud sit omnium sacramentorum longe nobilissimum, & facile princeps; ideoque videatur ante quodcumque aliud hanc prerogatiuam sibi suo iure vindicare. Nec absurditas inde illata adeo patens est. Nam si ex fructu arboris bono, sed male percepto, summa sanctitate, & gratiam Vnionis humani generis adeptum est, & per illum Angelico longe sublimius redditur: quid mirum (dicit aliquis) si ex fructu sanctissimo, sed indigne sumpto, sumptionum delicto per Pœnitentiam deleta, tantam quis accipiat sanctitatem, per quam altero iusto longissimè iustior euadat? Quæ tamen ratio non satisfaciet Aduersarijs; & tamen fortiosem ipsi non habent ad illud Baptismi munus cum ceteris sacramentis communicandum.

§. II.

Opiniones extendentes ad alia sacramenta.

6 D Vrandus in 4. dist. 4. q. 4. num. 8. Et dist. 17. q. 13. nu. 7. id priuilegiu soli concedit Baptismo, & Pœnitentiæ: nam in sacramentis, in quibus suscipies potest ponere obicem gratiæ, & in quibus gratia est principalis effectus Sacramenti, vt potest quia per se ordinantur ad deletionem culpæ, vt Baptismus, & Pœnitentia, videtur habere locum hæc pactio dilatoria: vnde sicut ponitur, quod baptismus habeat effectum suum recedente fictione, sic potest colorate dici de Pœnitentia. Subdit tamen, quod non est omnino simile, quia baptismus iterari nequit, & sequeretur, quod in perpetuum priuaretur homo remissione omnis poenæ, si non daret gratiam recedente fictione: quod est inconueniens maximum. Quod non currit in Sacramento Pœnitentiæ sæpe iterabili: propter quod pactio dilatoria non habet æquæ locum in Pœnitentia, sicut in baptismo. Sequitur Cano Relect. de Pœnitentia parte quinta folio 42. col. 4. ad 1. quia sunt hæc duo sacramenta necessaria ad salutem, quorum proprius effectus est aperire ianuam

Regni

§. III.

Id conuenit omnibus excepta Eucharistia.

10 D Emum alij hoc priuilegium omnibus tribuunt, excepto Sacramento Eucharistia. Ita Suarez disp. 28. lec. 4. Coninch. Filliutius, & Lugo disp. 9. de sacramentis in genere lec. 6. Layman lib. 5. trac. 1. capit. 74 in fine. Cætrus Palaustrac. 18. punc. 9. nu. 6. Villalobos tom. 1. trac. 5. diffic. 21. num. 2. & trac. 7. diffic. 32. num. 1. Bonacina disp. 1. quæst. 6. puncto 3. in medio. Trullench libro 1. capit. 3. dub. 3. num. 4. Exceptionem probant Primo ab inconuenienti, quia ex opposito sequeretur sacerdotem scienter toto vitæ curriculo in mortali peccato celebrantem, si in mortis articulo conteratur, vel cum attritione confiteatur, recipere ingentem gratiæ cumulum correspondentem omnibus Missis præteritis: in quibus celebrandis ingentia sacrilegia commisit. Vnde fieret repente sanctissimus, & eo sanctior quo plura fuissent sacrilegia: & multo sanctior, si singulis diebus contra leges Ecclesie celebrasset decies, vel centies: quod ex se in credibile apparet. Tum etiam quia Apostolus docet indigne iumentes iudicium sibi manducare: quod ex parte verum non esset, si recedente fictione ad vitam proderet. Admittunt autem Egidius, Layman, & Cætrus Palaustrac, quod si ante specierum consumptionem recedat fictio; cum tunc adsit sacramentum, probabile esse suum effectum conferre.

11 De alijs autem sacramentis id probant rationibus aliarum sententiarum. Quia sacramenta sunt opera Dei, & Christi: quorum virtutem maxime commendat, quod maneant in diuina acceptatione cum efficacia ad causandum effectum, quæ primum fuerint ablata impedimenta. Specialiter quia cum sacramenta imprimuntur characterem, sint initerabilia, videtur inconueniens, quod homo per totam vitam priuaretur eorum fructu. De Pœnitentia etiam, quia non est minus necessaria ad remissionem peccati mortalis commisi post Baptismum, quæ sit Baptismus necessarius ad remissionem originalis, & actualiũ, quæ præcedunt Baptismum. Et ideo ratio quæ mouit D. Augustinum vt id concederet Baptismo, probat concedendum Pœnitentiæ. Indeque à paritate idem videtur dicendum in alijs sacramentis, quia valida susceptione, supposita institutione Christi acquirit homo ius, vt quoties auferat obicem, sibi conferat gratiam, & auxilia sacramento respondentia.

12 Hæc sententia videtur reliquis probabilior; & conformior D. Thomæ, qui ex-

Rs pressa

regni Cælorum peccatoribus occlusam: alias siue his sacramentis, & vi illorum esset aperto ianuæ cœlestis: quod Sacris litteris aduertitur. Vnde si quis semel acceperit vere hæc duo sacramenta, consequens sit vt virtute illorum regnum Cælorum consequatur.

7 Alij omnibus, & solis sacramentis Characterem imprimuntur hunc effectum tribuunt. Ita Richardus in 4. dist. 4. artic. 1. q. 2. ad 2. Maior ibi q. 4. Couarruias capit. Alma mater. parte 1. §. 4. n. 13. Granados de Eucharistia trac. 9. disp. 7. n. 14. Syluius 3. p. q. 69. ar. 10. fauet Paludanus in 4. dist. 4. q. 5. n. 12. dicens, quod in sacramentis imprimuntur characterem est specialis necessitas, quod fortiantur effectum suum recedente fictione: quia alias non posset eorum effectus haberi, quia non possunt iterari. Idem docet Syluester verbo Baptismus 4. q. 17. Quod, & admittit Cano vbi supra: re perpe tuo homines huiusmodi fructu priuidentur. Viderurque esse ad mentem D. Thomæ in 4. dist. 4. q. 3. art. 2. q. 3. in cor. & ad 3. vbi ait, quod in Eucharistia non imprimitur character, cuius virtute possit aliquis virtutem sacramenti percipere fictione recedente; & ideo non est simile.

8 Alij tribus prædictis etiam addunt sacramentum Pœnitentiæ. Ita Paludanus, & Richardus, & alij, quos refert, & sequitur Syluester verbo Confessio. 1. quæst. 22. post 4. conc.

9 Rursus alij id tribuunt omnibus sacramentis, nullo excepto. Ita Caietanus tom. 1. Opusc. trac. 5. q. 5. §. Communis autem. Petrus Soto lec. 5. de Baptismo. Nuño 3. p. q. 62. artic. 1. diffic. 6. Candidus dist. 16. art. 9. dub. 5. Serra 3. p. q. 62. artic. 1. dub. 3. concl. 4. Philippus à Trinitate disput. 5. dub. 5. Cabrera 3. p. q. 69. artic. 10. disp. 4. n. 9. Henriquez lib. 1. cap. 25. nu. 7. & Diana 3. p. tract. 4. resol. 15. dicit se hanc sententiam libenter amplecti, quia multum extollit, & amplificat dignitatem sacramentorum nouæ legis. Viderurque fauere D. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. q. 1. dicens. Et secundum hæc confessio etiam potest esse in eo, qui non est contritus, quia potest peccata sua sacerdoti innotescere, & clamibus Ecclesie se subijcere. Et quamuis tunc non percipiat absolutionis fructum; tamen recedente fictione percipere incipiet, sicut etiam est, & in alijs sacramentis. Vbi videtur vniuersaliter de omnibus loqui. Quod tamen Cano non admittit aduertens, quod non dixit in omnibus; & quod refferri potest ad hoc quod

alia sacramenta recipiuntur à fictis.



preste excepit Eucharistiam, & nullibi eam includit, cum generalis loquutio exceptio- nem admittit alibi in proprio loco exponen- dorum. Non tamen negamus penultimam sententiam, & etiam primam esse valde pro- babilis: & ideo vnusquisque in hoc puncto poterit in suo sensu abundare. Quæ autem desunt ad plenioram intelligētiam, explicā- tur disputando de sacramento Pœnitentiæ informi

13 Facile etiam argumenta soluuntur. Primum solutum manet attendendo ratio- nes nostræ sententiæ. Nec authoritates D. Thomæ in plano, & sincero sensu verifican- tur, nisi in ultimis sententijs, vt sola earum lectio est perspicua. Secunda confirma- tio nullius est roboris: quia solus Baptismus debere susceptus absoluit à culpa, & à pœna:

vnde non mirum, quod ei tribuamus hunc effectum recedente fictione. Alia verò sacra- menta sicut hunc effectum non habent sine obice suscepta, non mirum, quod nō habeāt ablato obice.

14 Ad vltimam confirmationem respō- detur bene intelligi quod diuina bonitas ex malo culpæ sumplerit occasionem nos redi- mendi, & exalrandi: sed tamē ipsa actio pec- cati non fuit, quæ nobis profuit, sed eius re- medium per Christum. At vero in casu præ- senti ipsa sacrilegia, posito quod attritio cū sacramento remouerēt obicem, prodesse ad ingentem gratiæ cumulum: quod est ab- surdum, & incredibile: & minime necessa- rium, cum tam sæpè Eucharistiam accipia- mus: & esset occasio data sæpius indigne cō- municādi, cū spe de Pœnitentiā in fine vitæ.

3 Multa quæ hic solent disputari, perti- nent directè ad Interpretes Sacra Scripturæ Genesis 17. Vbi Rupertus libro 5. in Genes. cap. 3. 1. & Oleaster ad illa verba: *Qui non est de semine tuo: ait. Si autem quæras, cur Deus sig- nam patrem in tali membro expecterit? Dicendum, quod quia pactum erat de semine multiplicando, voluit Dominus in membro generationis charac- terem poni. Videantur Raynerius in Pan- theologia tom. 1. verbo *Circumcisio* per no- nem capita, & ibi Ioannes Nicolai. Et hic Soto, Nuño, & Cabrera, & Suarez in com- mentarijs horum quatuor articulorum. La- rius Vazquez disp. 162. vsque 165. Præci- pua difficultatē articuli quarti iam latè discussimus q. 62. dubio. 7.*

4 Circumcisionibus eunctis Iudæorum, Etiam præsentem assistere; fabulantur Iu- dæi, vt referunt Galatinus lib. 10. de Arca- nis cap. 6. Genebrardus libro. 1. Chronogra- phie folio 159. Maluenda libro. 10. de Anti- christo cap. 2. Circumcisos autē posse præpu- tati, & eam docuisse Etia: & sic verificari, quod tempore Antiochi 2. Macabæorum 4. dicitur: *Et fecerunt sibi præputia: ex S. Epi- phanio libro de Ponderibus, & mensuris, & ex interitis alijs, quos erudite refert; explicat Maluenda lib. 1. de Antichristo cap. 9. folio 19. & 20. in vltima editione. Quod examina- re ad nos nunc non pertinet.*

§. II.


Verum nunc liceat Circumcisio simul cum Baptis- mo?

5 IN Theatro vitæ humanæ tomo. 2. ver- *Circumcisio* ita refertur. Apud Aethyopes, si- ue Indos Christianos superstitiose retinent Circumcisionem etiam cum Baptismo; & quidam excusant eos à peccato mortali, quia id facere dicuntur dumtaxat in memoriā generis sui, dicentes se priuos ex Abrahamā, & Regē suū ex familia Dauid: Aut ex de- uotione imitandi Christum: cum alioquin sciant se non obligari, neque fidem ponant in Circumcisione. Hæc ibi. Idē licet docent Adrianus in 4. q. 1. de Baptismo artic. 1. in sol. arg. Cæter. 3. p. q. 37. artic. 1. & ibi Nazari- us folio 49. latè. Solerque refert Suarez lib. 9. de legibus cap. 14. num. 9. Sed tamen communem sententiā tenet tom. 2. in 3. p. q. 37. ar. 1. Tenet tamē hæc Medina 1. 2. q. 103. artic. 4. Lorca 1. 2. sec. 5. disp. 35. mem- bro 2. & 2. 2. sec. 1. disp. 23. membro 1. num. 7. vbi ait: Tertio probatur, quoniam Ecclē- siæ Aethyopum communi vsu Circumcisionē

seruat; non tamquam cæremoniā legis Iu- daicæ, sed ob Christi imitationem; nec ritus eorum damnatus est ab Ecclesia Catholica, nec illum omittēre coacti sunt. Hoc idē la- tē defendit Angelus Maria Verricelli. Cleri- cus Regularis q. 23. nu. 10. de missionibus.

6 Sed quia oppositam sententiā de- fendit S. Antonius 2. p. tit. 12. cap. 6. Silue- ster verbo *fides* q. 5. ibi Armilla num. 9. & So- to lib. 2. de Iust. q. 5. art. 4. in fine cor. & Ray- nerius cap. 9. Nauarrus in Manuali cap. 11. num. 27. & de hoc puncto agitur. 1. 2. quæst. 103. art. 4. ad 1. Vel 2. 2. q. 3. vbi Vazquez, Sanchez, & alij communiter, prout refert, & sequitur Lugo de fide disp. 14. sect. 5. §. 4. Ideo ab hac communi sententiā non recedē- dum. Vnde ibi num. 146. ait Lugo. Ad ex- plum autem Abasiorum facile responde- tur, numquam id ab Ecclesia Catholica ap- probatum esse, sed potius reprobatum, sicut & eorum schisma, & alias hæreses, vt ex Go- dino de Abasiorum rebus cap. 27. vsque ad 32. refert, & probat Coninch 2. 2. disp. 15. dub. 3. num. 47. Vnde quando paucos an- te annos ad fidem catholicam redierunt, ab- iecerunt etiam Circumcisionem, quam pos- tea abiecta fide catholica repeterunt. Et in vniuersum quisquis eo signo vtitur, suspectus est vehementer in fide, & à fidei Centoribus punitur: nec purgabit crimen dicens, se mor- tificationis gratia; & ad Christi imitationē id fecisse. Quare Medina qui 1. 2. in primā sententiā inclināt, hanc amplectitur. 3. p. q. 37. artic. 1. §. Sed videamus. Et Verricelli in 2. tomo tractatu 13. q. 2. 18. Sententiā re- tractat, ita scribens. His tamen non obstan- tibus; nūne re matutius considerata, dico, non esse vllō modo tolerandam, quia quid- quid sit de fine Circumcisionis huius; tamen præbet scandalum toti Ecclesiæ Catholicæ, quia non est manifestum motiuum nobilita- tis: Quare proposito hoc dubio a Patriarcha Aethyopiæ Sacra Congregationi, habita est Congregatio Patrum Qualificatorum San- cti Officij die 37. Iulij 1637. Qui responde- runt. Non esse quocūque prætextu tolerandā Circum- cisionē: & Pastores debere corrigere subditos, quā- rum possunt, contrariasque ardens esse à com- munionē. Hæc ibi. Fauet etiam Diuus Tho- mas in 4. dist. 1. quæst. 2. artic. 5. quæst. 3. ad 3. dicens; quod legalia suo tempore facta fuerūt bonas; tempore autem suo suo obseruata sunt facta mala; & ideo bona inten- tione fieri non possunt be- ne;

Rc 2 §. 3.



QVAESTIO LXX.

DE CIRCUNCISIONE, QVÆ

PRÆCESSIT BAPTISMVM.

§. I.

Notationes circa litteram.



Ractatui de Baptismo præmissit M. Soto in 4. di- stinct. 2. tractatum de Cir- cuncisione, tum quod an- tiquius sacramentum, nū- quod ad nostrum Baptis- ma quasi præambulum

fuit; & ideo expediens visum ei sermonem eius antepone; cumque illo, qui est de Bap- tismo Ioannis coniungere: vt illæ ambæ cæ- remoniæ additū nobis ad materiam Bap- tismi aperiant. Mellus tamen hic D. Tho. in si- ne tractatus de Baptismo, de Circuncisione tractat, vt denotet de illa nō agere nisi prop- ter analogiam cum Baptismo, & quia ad il- lū disposuit; & ideo vbi erat locus disputādi de alijs præparatorijs Baptismi, fuit occasio agendi de Circuncisione. Vnde rationē ordi- nis assignās ait in prologo huius quæst. *Dein de considerandum est de præparatorijs ad Bap- tismum. Et primo de præparatorio, quod præcessit Baptismum, id est de Circuncisione. Secūdo de præ-*

paratorijs, quæ concurrunt simul cum Baptismo, scilicet, de Catechismo, & Exorcismo. Siquidem de Baptismo Ioannis, vt in proprio loco ege- rat D. Tho. 3. p. q. 38. quia in q. 37. loquutus fuerat de Circuncisione Christi, & in q. 39. erat sermo futurus de baptizatiōe Christi, qui fuit baptizatus Ioannis Baptismo.

2 Quatuor articulis totius quæstionis claudit doctrinam. In primo, vt manifestū statuit, quod Circumcisio fuit præparatoria ad Baptismum, & præfiguratiua ipsius. In secundo docet, quod Circumcisio conueniē- ter fuit instituta in Abraham. In tertio ex- plicat, quod ritus Circumcisionis fuit conue- niens. In quarto ait, quod ab omnibus poni- tur communiter, quod in Circuncisione peccatum originale remittebatur. Et subdit quod in Circuncisione conferebatur gratia quantum ad omnes gratiæ effectus, aliter ta- men quam in Baptismo: nam conferebatur ex virtute fidei passionis Christi, cuius signū erat Circumcisio: & ideo non operabatur in- strumentaliter, nec imprimebat Characte- rem, sicut Baptismus.

Multa

§. III.

De remedio pro feminis tempore Circumcisionis.

7 Idem Laurentius Beyerlinch in Theatro verbo Circumcisio in fine, refert, quod auctor est Strabo libro 16. Creaphagos in Arabia Circumcisionem retinere à maioribus acceperat, etiam circa mulieres ipsas. Et de Andramite Lydorum Rege narrat Xanthus libro 1. rerum Lydarum Eunuchas incisas esse. Strabonis autem cõmentum est, Iudæos legem accepisse, qua cum viri, tum mulieres iuuentur circumcidi. Ceterum nõ ea proprie Circumcisio dicenda est, sed excisio.


8 Sed diuina lex non feminas, sed viros iuebat circumcidere. Vnde Genes. 17. dixit Deus ad Abraham. Circumcidesur ex vobis omne masculinum. Et Genes. 34. ver. 24. circumcises cunctis maribus. Exodi 12. ver. 44. Leuitici 12. ver. 3. Et die octaua circumcidesur infans masculinus. Nempè masculus, de quo præmiserat: Mulier, si suscepto semine, pepererit masculin. Idem patet in secunda Circumcisione Iosue 5. Rationemque assignat S. Thomas art. 2. ad 4. dicens, quod Circumcisio instituta est vt signum fidei Abrahæ, qui credidit se patrem futurum Christi sibi repromissi. Et ideo conuenienter solis maribus competeat. Peccatum etiam originale, contra quod specialiter Circumcisio ordinabatur, à patre trahitur, non à matre, vt 1. 2. q. 81. artic. 3. ad 2. & artic. 1. ad 2. dictum est. Sed Baptismus continet virtutem Christi, qui est vniuersalis causa salutis omnium, & remissionis omnium peccatorum. Adde, quod vt dicit D. Thomas artic. 1. per Circumcisionem antiqui aggregabantur collegio fidelium. Viri autem sunt capita familiarum: sicut & in Euāgelio genealogia Beatissimæ Deigenitricis, per virum eius S. Ioseph describitur. Et ideo sufficiebat viros circumcidere.

9 Quod si infans: nam Circumcisio ordinabatur contra peccatum originale; & instituta est, ne paruulis omnino desset remedium, vt dicunt Innocentius 3. cap. Maiores, de Baptismo. Et S. Thomas in 4. dist. 1. quæst. 2. artic. 6. q. 1. Sed idem inconueniens est quod feminis omnino desset remedium: ergo pro femellis oportuit speciale sacramentum institui.

Respondet S. Thomas hic artic. 4. ad 2. quod sicut ante institutionem Circumcisionis, sola fides Christi futuri iustificabat tam pueros, quam adultos: ita etiam, & Circumcisione data. Et ad 3. ait. Si tamen aliqui in circumcisi mortui sunt, eadem ratio est de his, & de his, qui moriebantur ante Circumcisionis institutionem. Quod etiam intelligendum est de pueris, qui moriebantur ante octauam diem tempore legis. Et pariter de omnibus femellis, quia saluabantur remedio legis naturæ: de quo egimus q. 61.

10 Addit Raonis tract. 2. disp. 1. sec. 2. q. 1. & Leander tract. 1. disp. 3. q. 10. in fine, quod licet femina caruerit remedio Circumcisionis ad delendum peccatum originale; eius tamen loco habuerunt præsentationem in templo, per quam etiam iustificabatur, vt habetur Leuerici 12. si peruenirent ad diem octogesimalium: sin minus parentum fides, & actus interni sufficiebant ad eorum iustificationem.

Quamuis regulariter verum erat, quod ait D. Thomas hic artic. 4. ad 2. quod parentes fideles pro paruulis natis (siue viris, siue feminis) & maximè in periculo existentibus, aliquas præces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent (quod erat quoddam signaculum fidei) sicut adulti pro se ipsis preces, & sacrificia offerebant.



QVÆST.

QVÆST. LXXI.

DE PRAEPARATORIIIS, QVAE SIMVL CONEVRVNT CVM BAPTISMO.



Alis toridem quatuor articulis absoluit S. Thomas doctrinam huius quæstionis, sicut & præcedentis. In primo docet, quod ante Baptismum conuenienter præcedit Catechismus. In secundo statuit, quod conuenienter ante Baptismum expelluntur demones per exorcismos, ne salutem hominis impediāt. In tertio explanat, quod ea, quæ aguntur in exorcismo, aliquem effectum habent differenter ab ipso Baptismo. In ultimo asserit, quod inferiores ministri cooperantur sacerdotibus in his quæ sunt præparatoria ad sacramentum: sicut lectores in Catechismo, & exorcistæ in exorcismo.

DVBITATIO PRIMA.

De Catechismo.

2 DE ritibus, & cæremonijs Baptismi, id egimus cum D. Thoma quæst. 66. dubio 10. quas Bellarminus de Baptismo cap. 25. & duobus sequentibus, in tres classes diuisit, numeras cæremonias antecedentes duo decim, comitantes quatuor, consequentes alias quinque; de quibus etiam Vazquez disput. 166. per sex capita. Et M. Ioannes Nicolai in additionibus ad Raynerium titulo de Baptismo toto cap. 16. D. Tho. in hac quæstione non disputat de omnibus cæremonijs, sed solum de Catechismo, & exorcismo.

3 Catechismus nomen Græcum est, & est idem ac fidei instructio, & eruditio: & catechumini dicuntur ipsi, qui catechizantur. Ideoque Hugo de S. Victore de Sacramentis par. 6. cap. 9. ait. Catechumenus instructus, vel audiens interpretatur: catechizare enim est instruere, quoniam catechizandi prius instruantur, & docentur, quæ sit forma fidei Christianæ, iuxta verbum Christi: docete omnes gentes, baptizantes eos. Et subdit. Hæc igitur forma catechizationis à primis temporibus Christianæ fidei instituta est. Ha-

betur ergo traditione Apostolica: de qua S. Dionysius Apostolis coaraneus cap. 1. & 2. Ecclesiast. hier.

4 Rationemque assignat Sanctus Thomas artic. 1. Nam Baptismus est fidei Christianæ sacramentum, cum sit quædam professio fidei Christianæ. Ad hoc autem quod aliquis fidem accipiat, requiritur quod de fide instruat, secundum illud ad Rom. 10. Quomodo credent ei, quæ non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Et ideo ante Baptismum conuenienter præcedit catechismus: Vnde & Dominus præceptum baptizandi discipulis tradens, præmittit doctrinam Baptismi dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.

5 Aduertit autem Hugo loco citato, quod Catechismi pro adultis primo fuerunt instituti, qui nascente Ecclesia frequentissimi baptizabantur; sed deinde, & in paruulorum Baptismate iussi sunt fieri, ad quos Susceptores responderant. Ob idque in Manualibus sacramentorum breuissimi traduntur Catechismi, vt sint tam paruulis, quam adultis commuēs.

6 Pro cuius maiori luce Suarez, & Cabrera in commentario primi articuli, distinguunt duplicem Catechismum adultorum, scilicet substantialem (vt sit loquamur) & cæremonialem. Substantialis est, qui per se, & ex natura rei, supposita institutione, & fine Baptismi, necessarius est ad conuenientem vsum huius sacramenti; licet non sit simpliciter de essentia eius. Et hic Catechismus consistit in sufficiente instructione in rebus fidei, & morum. Quod sumi ex verbis Christi Matthæi vlt. ponderant S. Basil. hom. 1. de Baptismo, & S. August. de fide, & operibus, & S. Hier. in comm. Math. vlt. Alter Catechismus, quem cæremonialem vocant, ad priorem ordinatur, & illum includit: solumque addit specialem quendam modum, & ordinem ab Ecclesia institutum, & obseruatum in catechumenorum instructione, & præparatione ad Baptismum.

7 Admonet autem Soto pro explicatio-
ne, & confirmatione conclusionis D. Tho.
in art. 1. in 4. dist. 6. q. 2. art. 1. quod ubi adul-
ter baptizantur, non fat est, ut omnino fidei
rudus ad Baptismum accedentes; de his inter-
rogentur. Sed est opere pretium per dies al-
quot in illi, ut fidei articulos taliter grosso
modo intelligant, & legis Decalogum dis-
cant, & orationem dominicam; ut id quod
professuri sunt, quantum breui tempore fi-
ri potest, intelligant; ne vel allegare possint
inuitos fuisse ad fidem pertractos, vel in pe-
riculo maneat, ut fidem, dum eam postea
nouerint, deserant. Quapropter in Conci-
lio Bracharensi 2. cap. Ante viginti, de Consecra-
tione, dist. 4. præcipitur, ut ante viginti
dies catechameni in Symbolo instruantur. Et
S. August. lib. de fide, & operibus cap. 13. ca-
techizandos eos docet, qui ad Baptismum
accedunt: hoc est Christianis moribus imbuē-
dos. Exemplo Iohannis Baptiste, qui venien-
tibus ad Baptismum suum, Pœnitentiã
prædicabat, atque vnum quilibet admo-
nabat, ut suum digne exerceret munus, ac de-
mã candidifruas agerent Pœnitentiã. Quin-
vero & iustum librum ad Elogratias com-
posuit, de catechizandis rudibus. Est ergo ca-
techismo:um cõsuetudo sanctio catholica,
ut Rabanus cap. Ante Baptismum, & Conci-
liũ Bracharense citatum, & Nicolaus Papa
cap. Catechismi, de Consecrat. dist. 4. decernunt.

8 Sed opponunt Heretici: nam in Cate-
chismo cõfiteretur catechizatus suam fidem.
Sed pueri non possunt suam fidem confite-
ri, neque per se ipsos: neque etiam aliquis
alius pro eis: Tum quia nullus potest alium
ad aliquid obligare: Tum etiam quia nõ po-
test aliquis scire, utrum pueri cum ad legiti-
mam ætatem peruenierint, assentiant fidei.
Non ergo debet Catechismus præcedere
Baptismum.

Respondetur cum D. Thoma art. 1. ad
3. quod ille qui pro puero baptizato respon-
det; Credo, non prædicat puerum creditu-
rum, cum ad legitimos annos peruenierit:
alioquin diceret, Credo. Sed profiteretur fidẽ
Ecclesiæ in persona pueri, cui communicat-
ur, cuius sacramentum ei attribuitur, & ad
quam obligatur per alium. Non est enim in-
conueniens, quod aliquis obligetur per aliũ
in his, quæ sunt de necessitate salutis. Simi-
liter etiam patrinus pro puero respondens,
promittit se operam daturum ad hoc quod
puer credat. Quod tamen non sufficeret in-
adultis vsum rationis habentibus. Egregia
verba S. Dionysij ad intentum, refert Magi-
ster Ioannes Nicolai de Baptismo capit. 18.

DVBITATIO II. De Exorcismis.

9 Exorcismus est idem, ac adiutatio, qua
potestas Patriõnis coercetur, & repri-
mitur, ne Baptismi effectum impediatur; vel
ne nocentur baptizato. Quod ergo Exorcis-
mus debeat præcedere Baptismum, probat
D. Thomas art. 2. ex Cælestino. 1. in 1. epist.
ad Episcopos Galliæ cap. 12. tom. 1. Conci-
liorum; & licet in substantia bene referat S.
Thomas; tamen paulo aliter ac habetur in
textu, ubi sic dicit. Quod circa baptizandos in
vniuerso mudo Sancta Ecclesia vniiformiter agit,
non otioso contemplantur intuitu; cum sine paru-
li, siue iuuenes, ad regenerationis veniant Sacra-
mentum, non prius fontem vitæ adeunt, quam
exorcismis, & ex sufflationibus Clericorum im-
mundus spiritus ab eis abijcitur, &c. Memi-
nit etiam istius exorcismi S. Augustinus lib.
2. de nuptijs, & concupiscentia cap. 29. ubi
antiquissimam, & robustissimam fidem talis tra-
ditionis vocat: indeque probat originale
peccatum paruulorum.

10 Rationem conuenientie assignat S.
Thomas: nam quicumque sapiẽter aliquod
opus facere proponit, prius remouet impe-
dimenta sui operis: vnde dicitur Hieremias
4. Nouate vobis nuntiale, & nolite serere super spi-
ritus. Diabolus autem hostis est humanæ salu-
tis, quæ homini per Baptismum acquiritur,
seu exhibetur: & habet potestatem aliquam
in hominem, ex hoc ipso, quod subditur ori-
ginali peccato; vel etiam actuali. Vnde con-
uenienter ante Baptismum expelluntur dæ-
mones per exorcismos, ne salutem hominis
impediant.

11 Adijcit Soto dist. 6. q. 2. art. 2. Verũ
tamen circa verbum S. Tho. quo ait Dæmo-
nes potestatem habere in hominem in ipso,
quod subditur originali, vel actuali peccato,
adnotandum est, quod licet more ordinario
non permittantur homines nisi ob peccatũ
a Dæmonibus arripi, & obideri (quare ubi
vis Christus dæmoniacos curabat, ab anima,
& corpore dæmones expellebat) nihilomi-
nus nil vetat quo minus aliquando ob aliqua
occultam causam, eadem fiat diuinitus per-
missio, ut homo iustus vexetur. Nam & Iob
permisit a Satana acriter diuexari, sola ex-
cepta anima, quam ei seruari iussit illæssam.
Hæc ibi.

12 Quæ est doctrina Sancti Augustini:
nam quod regulariter, & vt plurimum, ob-
fessi patientur vexationem Dæmonis possi-
dentis ob peccata antecedentia, docet lib. 4.
de Ciuitate Dei cap. 34. dicens. Dæmones,

quos fallendo deciperunt, possidere non pos-
sunt. Et lib. 10. cap. 22. Potestas inimica vincit,
aut subiugat neminem, nisi societate peccati:
Quod prosequitur latè serm. 197. de tempo-
re. Quod autem iusto Dei iudicio aliquan-
do aliter eueniat, docet idem Sanctus Augu-
stinus lib. 21. de Ciuitate Dei capit. 28. illis
verbis. Graue iugum in filios Adam à die exi-
tus de ventre matris eorum vsque in diem sepul-
tura matrem omnium, vsque adeo impleri necesse
est, ut ipsi paruuli per lauacrum regenerationis
ab originali peccato, quos solam tenebantur
vinculo, iam soluti, multa patientes; nonnulli in-
curiones spirituum malignorum patientur. Et
Sanctus Hieronymus in epistola ad Paulam
de dormitione Blesilæ inquit. Quæ causa est
ut sepe bimuli, trimulii, & vbera materna la-
ctantes à dæmone corripiantur? Et respondet:
Inuisibilia hæc inscrutabili Altissimi iudicio sunt
relinquenda. Pœnæ enim mala solent Deus da-
re sine culpa: iuxta illud Ioan. 9. Neque hic
peccauit, neque parentes eius. Sed de hoc pun-
cto latè Raphael Torre 2. 2. tom. 1. quæst.
90. artic. 2. disput. 21. per totam. Videatur
Diuus Thomas ad 1. & 2.

13 Aliquarum ceremoniarum exorcis-
mi expositionem, & significationem, breui-
ter subiungit Sanctus Thomas dicens. Quæ
quidem expulsionem significat exufflatio.
Benedictio autem cum manus impositione,
præcludit expulso viam ne redire possit.
Sal autem in os missum, & narium, & aur-
ium (puto hinc significat receptionem
doctrinæ fidei quantum ad aures, & appro-
bationem quantum ad nares, & confessio-
nem quantum ad os. Olei vero in vinctio, sig-
nificat aptitudinem hominis ad pugnandũ
contra dæmones. Idem latius Patrum doctri-
na illustrat Soto, Suarez, & Cabrera, &
Grauina tom. 1. lib. 4. de sacris traditionibus
controu. 4. artic. 7. §. 9. folio 363.

14 Sed quia falsi immisionem in os, di-
cunt adumbratam in illis verbis Ezechielis
16. ver. 4. Aqua non est lota in salarem, nec sale
salita: aduertendum; quod primam partem
ad Baptismum applicat Origenes hom. 6.
& Sanctus Hieronymus in eum locum idẽ
notat: licet secundam de Baptismo non in-
telligant, quia falsi appositio nondum erat
in vsu. Afferit Suarez verba Sancti Augustini
lib. 1. Confessionum cap. 11. Signabar idem sig-
no eius, & condiebar eius sale. Sed Magister
Ioannes Nicolai cap. 18. §. 3. lit. x. in margi-
ne notat, quod hæc verba non ad Baptismũ,
sed ad instructionem expectant, cum nec fue-
rit tunc baptizatus Sanctus Augustinus. Il-
lius etiam ceremoniæ mysteria exponit, re-

latis verbis Rabani lib. 1. de Instit. Clericorũ
cap. 27. Alcuini de diuinis officijs capit. de
Sabbatho Paschæ, Yuois Carnotensis ser-
mone de sacramentis Neophilorum.

15 Sed obijcies, nam ad arcendum Dæ-
monum potestatem introducta est aqua be-
nedicta. Nõ ergo ad hoc oportebat aliud re-
medium adhiberi per exorcismos.

Dupliciter respondet S. Th. ad 3. primo,
quod aqua benedicta datur contra impugna-
tiones Dæmonũ, quæ sunt ab exteriori: sed
exorcismus ordinatur contra impugna-
tiones Dæmonũ, quæ sunt ab interiori. Vnde &
Energetici dicuntur, quasi interius laborã-
tes, illi qui exorcizantur.

Secundo respondet. Vel dicendũ, quod
sicut in remedium contra peccatum secun-
do datur Pœnitentiã, quia Baptismus non
iteratur; ita in remedium contra impugna-
tiones Dæmonum, secundo datur aqua bene-
dicta, quia exorcismi Baptismales non itera-
tur. Primam solutionem solam adhibuit in
4. dist. 6. q. 2. art. 2. q. 1. ad 1. & 3.

DVBITATIO III.

Vtrum ea, quæ aguntur in exorcismo, ali-
quid efficiant?

16 Diuersimode in hoc puncto Theologi
opinantur. Altilodorensis lib. 4. Su-
mme trac. 3. cap. 1. q. 1. arbitratur exorcismos
solum adhiberi propter significationem; præ-
sertim in Baptismo infantium.

17 Per aliud extremum præpositus,
quem refert D. Thomas hic artic. 3. ad 1. &
in 4. dist. 6. q. 2. artic. 3. q. 2. ad 3. dixit, quod
exorcizatus ante Baptismum decedens, mi-
nores tenebras patietur. Quod facile rejicit
D. Thomas: quia tenebræ illæ in sola caren-
tia diuinæ visionis consistunt; cum non ha-
beant aliam pœnam sensibilem: & hoc in
omnibus æqualiter erit.

18 Aliter Durandus, & Paludanus in 4.
dist. 6. q. vlt. sic distinguunt; quod quædam,
quæ illic sunt, vt exufflationes, non solum
significant, verum, & efficiant: Aliæ vero,
vt tactus oris, aurium, & narium cum sali-
ua, tantum significant perceptionem fidei,
eiisque gustum, non autem efficiant.

Suarez vero disput. 13. sec. 4. docet in
nullis sacramentalibus esse virtutem ex ope-
re operato ad dandum effectus. Quia nõ est
necessitas, nec fundamentum vltimũ vt asse-
ramus esse instrumenta physica: alioquin ea-
dem facilitate possemus dicere esse instru-
menta physica gratiæ: Quod est falsum.

Et 4. Item

Item sicut est proprium Dei dare gratiã habitualement; ita etiam dare gratiam auxiliãtem, & excitãtem. Et ideo Ecclesia non habet potestatem instruendi signa effectiua habitus vel auxiliij. Nec signa in quibus hæc datur infallibiliter. Ergo hæc non datur ex opere operato.

Et confirmatur, quia in nulla Ecclesiã benedictione, vel consecratione reperitur huiusmodi promissio; sed solum oratio, in qua postulat à Deo huiusmodi effectum. Neque villo testimonio, vel authoritate Ecclesiã offendi potest, Deum hoc aliquando promississe: sine promissione autem non potest intelligi spiritalis effectus ex opere operato.

19 Subdit tamen quod hæc sacramentalia sua benedictione specialiter ordinantur per Ecclesiã orationem ad tales effectus, tunc per modum impetrationis specialiter conferri à Deo tales effectus adhibitis huiusmodi sacramentalibus. Quod probat ex Ecclesiã orationibus. Et quia alias frustra adhiberentur. Quo circa hic effectus nõ est specialis legis nouæ, vt colligi potest ex 2. Paral. 6. & 2. Machabæorum 3. & ex alijs, quæ rectè congerit Vualdenus tom. 3. de Sacramentalibus cap. 147. Idem docet Suarez iterum disp. 30. sect. 1. & Auerfa q. 71. sect. 2. Vazquez disp. 166. cap. 4. n. 30.

20 Nihilominus Diuus Thomas hic ar. 3. & in 4. dist. 6. q. 2. art. 3. q. 2. expresse docet quod exorcismi, non solum significant, sed efficiunt. Quia Ecclesia in exorcismis imperatiuis verbis vtitur ad expellendam Dæmonis potestatem. Et authoritate S. Augustini lib. 1. de Symbolo cap. 1. & S. Gregorij hom. 29. super Ezeq. qui refertur cap. Sacerdotes, de Consecratione dist. 4. & quia sicut sacramenta sunt instituta ad dandam gratiam, & remissionem culpæ; ita oportuit instituta esse sacramentalia ad remouenda impedimenta. Effectus autem iste est debilitatio potestatis dæmonis, ne tantum possit in homine, sicut antea, ne Baptismus, & alia bonã in ipso impediat: sed potestas prædicta totaliter in Baptismo aufertur. Sicut etiam Pharaon prius flagellatus est, populo nondum de Aegypto egresso, & postea totaliter in mari rubro, quod est figura Baptismi, submersus.

21 Quod autem hos effectus operentur sacramentalia ex opere operato, docent Richardus in 4. dist. 6. artic. 6. quæst. 1. Caietanus quæst. 71. art. 4. & quæst. 83. artic. 3. vbi etiam Diuus Thomas. Soto in 4. dist. 6. q. 2. artic. 3. & dist. 13. quæst. 2. artic. 3. Nuño q. 71. artic. 3. conc. 5. & 6. & 7. & q. 83. artic. 3.

dub. 1. ad vlt. Cabrera quæst. 66. art. 10. disp. 1. conc. 2. & quæst. 71. artic. 3. num. 1. Ioan. Nicolai in addit. ad Rayneriũ titulo de Baptismo cap. 18. §. 6. & Serra q. 71. art. 3. dub. vnico dicens *communem Thomistarum doctrinam*, quod sacramentalia hæc efficiant tanquam instrumenta Dei per virtutem eius eleuata. Quia operatur hæc diuina virtus, quantum est de se, infallibiliter, vt Ionant adducte authoritates. Et non nituntur merito, aut opere bono baptizandi, vt patet in pueris: & quia adulti, cum exorcizantur, vel inunguntur, nil faciunt: ergo hæc dantur ex opere operato.

22 Quæ omnia suadent maiorem probabilitatem huius opinionis; sed non dant ei tantam certitudinem, quãtam habet opinio de causalitate physica sacramentorum, quam statuimus quæst. 62. Ideoque Araujo in hac q. 71. nu. 24. folio 147. dicit quod vtraque pars probabiliter suslineri potest, sicut & de alijs sacramentalibus: nimirum, quod hos effectus efficit exorcismus ex opere operato: & nihilominus non est sacramentum; quia nõ efficit principalem effectum, qui est gratia; quod est de ratione sacramenti nouæ legis. Et hoc insinuat D. Thomas art. 3. ad 2. Aut etiam, si maior, solum operatur hos effectus exorcismus ex opere operato, & per modum impetrationis. Et Philippus à Trinitate de sacramentis disp. 10. dub. 3. docet quod sacramentalia ex opere operato non causant immediatè gratiam gratum facientem: & auxilia gratiæ causant ex opere operato moraliter tantum; sicut & remissionem peccati venialis, & pœnæ ipsi debitiæ, & expulsionem Dæmonum: quia est proprium sacramentorum immediatè causare gratiam. Vnde Raphael Torre 2. 2. quæst. 84. artic. 3. disp. 3. satis probabiliter docet, quod orationes in Ecclesijs consecratis emissæ, quamuis, cæteris paribus, sint Deo gratiores, & efficaciores ad impetrandum: sed ad hoc non habent vim physicam, sed solum moralem, ex Ecclesiã impetratione per suos ministros Deum orantis.

23 Argumenta contraria sufficienter, post alios, adducit Serra ad 2. dicens, quod quãuis Deus solus habeat ex se potestatem tales cæremonias instituendi; posse tamen illam Ecclesiã committere, & de facto committit: nam vt ait Magistro Soto §. vnde ad argumentum, quod quamuis Ecclesiã Christus non tradiderit potestatem instituendi sacramenta collatiua gratiæ; nihilominus facultatem commisit instituendi sacramentalia ad aliquos supernaturales effectus. Non solum impe-

impetrandos: nam ad hoc commissione nõ indigebat: sed efficiendos, ita vt virtute taliũ Sacramentalium Deus singularem ferret opẽ vt p. i. motus, & alij effectus supernaturales nobis conferrentur.

24 Pariter ibi ad 3. ait, quod in exorcismis Ecclesia etiam vtitur verbis imperatiuis; quæ sunt illa: *Maledicte Diabole exi ab eis: & Effeta*; quibus vt instrumento respondent effectus dicti. Quod indicat S. Ambrosius lib. 1. de sacr. cap. 1. Et quamuis in aliquibus Sacramentalibus solis verbis de præparatorijs vtatur; illa tamen, vel præcedunt, vel committantur sacramentalia, sicut oratio Christi multa eius miracula. Vel si ad sacramentalia pertinent, efficaciacia sunt ad eorum effectum, non solum per modum impetrationis, sed etiam efficientiæ, vt diuinæ virtutis instrumenta.


25 Admonet autè Soto d. art. 3. §. *Gratius autem*, & lib. 8. de iust. q. 3. artic. 2. quod exorcismi Baptismales ad cõhibendos dæ-

mones ne Sacramenti fructum impediãt, semper sunt salutares, & de se efficaces, nisi recipientis acquiria obstet. Et ad hoc ab vniuersali Ecclesiã adhibentur. Adverò ad hunc effectum peraccidens, qui est Dæmones ab obsessis corporibus expellere, non sunt semper efficaces: Vt experientia patet: & docet S. August. lib. 83. qq. in q. 79. Videatur Nuño coric. 6. & Cabrera. Et Victoria Relect. de Magia q. 6. & Raphael Torre 2. 2. q. 90. art. 2. disp. 16.

26 Denique in artic. 4. docet S. Thomas ex Nicolao Papa; & ex S. Gregorio, quod est officium Sacerdotis catechizare, & exorcizare baptizandum. Sed tamen inferiores ministri cooperantur Sacerdotibus in his, quæ sunt præparatoria ad sacramentum: sicut Lectores in Catechismo, & Exorcistæ in Exorcismo. Et de Baptismo hæc nunc scripsisse sufficiat ad laudem Saluatoris nostri Iesu Christi, & eius Dei genitricis MARIE.




TRACTA-



TRACTATUS III.

DE CONFIRMA-



TIONE.

QVAEST. LXXII.

DE SACRAMENTO CON-

FIRMATIONIS.

SECUNDVM Locum inter Sacramenta nouæ legis obtinetur Confirmatio, iam explicuit Sanctus Thomas q. 65. art. 2. quia licet dignitate Eucharistia deberet præcedere:

tamen ex parte effectus immediatè post Baptismum sequitur Confirmatio: sicut in vita corporali post natiuitatē, sequitur augmentum. Vnde Eugenius Quartus in Concilio Florentino in Decreto Fidei, ait. *Per Baptismum spiritualiter renasimur, per Confirmationem augetur in gratia, & roboramur in fide.* Ideoque antiquitus immediatè post Baptismum dabatur Confirmatio, vt sumitur ex Melchiade Papa epist. ad Episc. Hispaniæ capite 3. ad consummandam perfectionem acquisitam per Baptismum, vt sic in fide roborati ad Eucharistiam conuenienter accederent. Ideoque D. Thomas cum Magistro (sicut & Concilia Florentinum, & Tridentinum) conuenienti doctrinæ methodo, immediatè post Baptismum, & ante Eucharistiam, agunt de Confirmatione.

2 De qua D. Thomas duodecim proponit articulos; quatuor primos de essentia illius; tres sequentes de effectibus: duos alios

de subiecto: decimum de patino: undecimum de ministro, & vltimum de ritu. In primo statuit, quod Confirmatio est speciale sacramentum. In secundo docet, quod Chrisma est conueniens materia huius sacramenti. In tertio explicat cur Chrisma prius benedicatur, quam adhibeatur ad vsum sacramenti. In quarto asserit, quod conueniens forma huius sacramenti est: *Consigno te signo Crucis, & confirmate Chrismate salutis: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.*

3 Quantum ad effectus, in articulo quinto dicit eū manifestum, quod in Sacramento Confirmationis imprimatur character. In sexto ait, quod nisi primo aliquis fuerit baptizatus, non potest sacramentum Confirmationis accipere. In septimo asserit esse manifestum, quod gratia gratum faciens confertur in hoc sacramento.

4 Quantum ad subiectum, dicit art. 3. quod hoc sacramentum debet omnibus exhiberi. Et 9. explicat conuenienter signari signo Crucis in fronte, sicut miles signo ducis, vt neque propter timorem, neque propter erubescenciam, nomen Christi confiteri pretermittat.

5 Explicat in decimo, quod qui confirmatur, ab alio tenetur, quasi per alium impugna spiritualiter erudiendus; & quasi adhuc spiritualiter imbecillis, & puer. Docet in vnde;

undecimo, quod collatio huius Sacramenti Episcopis reseruat, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia. Demum in vltimo articulo docet, quod certum esse debet fuitus, quos Ecclesia obseruat in hoc; & in alijs sacramentis, esse conuenientes:

DVBITATIO I.

Vtrum Confirmatio sit Sacramentum?

§ I.

De fide est Confirmationem esse Sacramentum.

Negarunt Hæretici Nouatiani, qui baptizatos Chrismate non ungebant. Causam autem referunt Theodoretus lib. 3. hæretic. fabularum, de Nouato, & Eusebius lib. 6. Hist. c. 33. eo, quod eorum Author, & antesignanus à Cornelio Papa notatus esset, quod in lecto baptizatus, nec dū Chrismatis signaculum ab Episcopo accipisset: & nihilominus voluerit fieri Episcopus. Donatistæ etiam male sentiebant de Sancto Chrismate, & etiam Arriani; siquidem ad Ecclesiam redeuntes iuuebant in ungi S. Chrismate. Armenorum etiam (vt Guido Carmelita refert) hæresis fuit, vt Sacramenta Confirmationis, & Extreme Vnctionis respuerent. Quem quidem errorem postmodum Vulcius sustinuit, vt Thomas Valdensis tomo 2. de Sacramentis capite 3. refert, & ipse Heresiarca libro Trilogi cap. 14. refert, & non reprehendit asserentes hoc sacramentum à Dæmone introductum. Valdenses etiam hæretici huic Sacramento iniurij extiterunt, vt refert Aneas Syllus in hist. Boemica cap. 35.

Ex his fontibus errorum tentinæ Hæretici sæculi præcedentis suas blasphemias biberunt. Lutherus in lib. de captiu. Babylonica contendit Confirmationem esse dumtaxat Cathæcisticam institutionem puerorum baptizatorum. Caluinus etiam illud negat pluribus locis: & tanquam rem veteribus incognitam expodit, in Antidoto Conc. Trident. sess. 7. can. 2. & 3. & lib. 4. Inst. c. 19. §. 10. & 11. De quibus erroribus Bellarminus de Confirmat. cap. 1. & in Teatro vite humanæ ver. Confirmatio tit. Sacramenti huius Oppugnatores.

2 Obiter inter alios Hæreticos huius erroris, refert Suarez disp. 32. sect. 1. Ruthenos. Quod tamen impugnat M. Basilus P.

tius Legionensis in erudita Relezione de Sacramento Confirmationis, parte 1. capite 2. numero 2. quia Rutheni minime negant, nec contemunt sacramentum Confirmationis; sed fortasse caruerunt hoc Sacramento ex defectu materia, quia non habebant Balsamum, & Fera Quinta in Coena Domini Oleum infirmorum benedicebant, etiam in absentia Episcoporum, quo Oleo ungebant infantes in sacro fonte Baptismatis: Ex quo constat non esse Chrisma, cum Chrisma solus Episcopus consecret, etiam apud Ruthenos, vt eorum Nomocanonē constat. Sed quid sit de hoc.

3 Nihilominus secundum fidem Catholicam, credendum est, Confirmationem esse vere; & propriè Sacramentum nouæ legis, à Baptismo, & alijs sex distinctum. Hoc in primis constat ex quatuor Concilijs Generalibus. Ex Constantinopolitano 3. capite 7. qui Canon est vnus ex illis nouem, qui adscribuntur in Sexta Synodo generali, vt notatur in secundo tomo Conciliorum. Ex Concilio Constantiensi sess. 13. in qua damnatur Ioānes Hus, negans doctrinam de septem Sacramentis Ecclesiæ. In Concilio Florentino in Decreto fidei post sess. vlt. Et in Trident. sess. 7. vbi Canone primo de hoc Sacramento dicitur. *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam ceremoniam esse, & non potius verum, & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse; quam Catechesim quædam, qua adolescentiæ proximi fidei iuramentum coram Ecclesia exponerent; Anathema sit.*

4 Item probatur ex traditione Apostolica, de qua testatur S. Basilus Magnus in epist. ad Amphilochium dicens. *Benedicimus aquam Baptismatis, & Oleum Vnctionis iussu perque ipsum, qui baptizatur. Ex quibus scriptis Nonne ex hac non publicata, & arcana doctrina, quam in minime curiosa, ac sollicito silentio Patres nostri conseruauerunt. Et infra. Ad eundem modum etiam hi, qui res Ecclesiasticas sanserunt Apostoli, & Patres in occulto, ac silentio mysterijs Authoritatem conseruauerunt; nec enim omnino mysterium est, quod ad populares, & vulgares aures effertur. Hæc est ratio, cur aliqua tradita sunt ultra scripturam, vt ne dogmatum cognitio negligere, & in contemptum veniret apud vulgus propter consuetudinem. Similia S. Hieronymus contra Luciferianos scribens. *An nescis Ecclesiarum hunc esse morem, vt baptizatis postea manus imponatur, & inuocetur Spiritus Sanctus? Exigis vbi scriptum sit In Actibus Apostolorum. Etiam si Scripturæ autoritas non subesset, totius Orbis in hanc partem consensus.**

sensus instar præcepti obtineret: nam & multa alia, quæ per traditionem in Ecclesijs observantur, auctoritate sibi scriptæ legis usurpauerunt.

5 Explicaturque in hunc modum ex descriptione traditionis Ecclesiasticæ: nam ut inquit S. Augustinus lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 34. quod vniuersa tenet Ecclesia, neque Concilij institutum, sed semper retentum est, non nisi Auctoritate Apostolica traditum, rectissime creditur. Sed ab initio natalentis Ecclesiæ constat Confirmationem, vt Sacramentum, retentam in Ecclesia. Ergo ex traditione Apostolica constat Confirmationem esse vere, & propriè nouæ legis sacramentum à reliquis distinctum. Minor probatur auctoritate quatuordecim Summorum Pontificum: & decem, & octo Conciliorum Prouincialium: & viginti sex Patrum, quorum vel verba referunt, vel saltem loca citant Bellarminus, Suarez, Laurentius Beyerlinch, & Basilius Pontius vbi supra: & ne actum agamus, non transcribimus.

§. II.

Virum id habeatur ex Sacra Scriptura?

6 Sed videndum sequitur, an Sacramentum Confirmationis colligatur ex Sacris Scripturis?

Negar ex Catholicis Scotus in 4. distinct. 7. q. 1. §. ad primum istorum lit. c. dicens. Supponitur enim institutum esse à Deo; licet tempus, & modus huius institutionis in Scriptura non legatur, forte, quia historiographi Scripturam, vsque ad tempus illum non produxerunt: non enim produxerunt ultra tempus Apostolorum; nec etiam vsque ad plures annos ante mortem eorum. Toto autem tempore Apostolorum forte mansit donum linguarum in Sacramento Confirmationis. Nec est improbabile multa esse tradita auctoritate à Christo Ecclesiæ per Apostolos, quæ tamen in Scriptura non legimus, vt dicit Damasc. 4. lib. cap. 4. vbi loquens de Adoratione Imaginis, ait. Est autem nobis tradita ista traditio quemadmodum oportet ad orientem adorare Crucem, & alia plurima his similia. Hæc Scotus.

7 Retuli formalia verba, quia Fr. Martinus de S. Iosepho tract. 1. de Confirmatione num. 3. acriter inuehitur in Viualdum in Candel. Auctore de materia Confirmationis num. 2. quod imponat Scotus, quod negauerit hoc sacramentum immediate institutum à Christo: quia eum non legit, vel intellexit. Quamuis enim fateatur Scotus institu-

tum à Deo, sed non fatetur institutum à Christo: alioquin ratio eius nil valeret; siquidem Euangelistæ omnes produxerunt historiam Christi vsque ad Ascensionem in Cælum: & ideo si instituit immediate per se ipsum, cum degebat in terra, potuerunt Euangelistæ in historia de vita, & morte, & resurrectione eius hoc referre.

8 Valdè etiam displicet, quod solum vt non improbabile proponat, Apostolicas traditiones: cum tamen id temper fuerit in Ecclesia certum de fide, vt ex Sacra Scriptura, & Patribus, & Concilijs latè demonstrat Grauius tom. 1. Præscriptionum lib. 4. præcipue controuersijs quatuor Præscriptionis Secundæ, ex S. Dionysii cap. 1. & 7. Ecclesiast. hierar. Et S. Basil. lib. de Spiritu Sancto capite 27. Et S. Thomas hac 3. par. q. 64. ar. 2. ad 1. ait. Ea vero, quæ sunt de necessitate Sacramenti, ab ipso Christo instituta sunt, qui est Deus, & homo. Et licet non sint omnia tradita in Scripturis; habet tamen ea Ecclesia ex familiari Apostolorum, traditione, sicut Apostolus dicit 1. ad Corinth.

11. Cetera, cum venero, disponam. Idem docet hac q. 72. art. 4. ad 1. afferens etiam verba S. Dionysii cap. 7. Eccles. hier. Et Apostolus 2. ad Thessalonicenses cap. 2. ver. 14. ait. Itaque fratres stete, & tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram. 1. ad Corinth. 11. ver. 2. Et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenete.

9 Sed quoad punctum, de quo modo directè agimus, Scotum sequitur ibi Irribar. ne Scotista: Et Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in primo responso suæ Censuræ ad confessionem Augustanam cap. 7. At vero Basilius Pontius Legionensis in Relectione parte 1. cap. 3. num. 2. ita ait. Ceterum absque vlla dubitatione tenendum est Sacramentum Confirmationis colligi efficaciter ex Sacra Scriptura, adiuncta Patrum communi expositione. Sic docent Catholici Doctores; neque legi, qui dissentiret, exceptis Hæreticis, & illo Patriarcha. Et postquam id latè probat, concludit num. 11. Ex dictis colligitur, esse fere certum de fide, sacramentum Confirmationis extrare in Sacris litteris, quia expresse docet Eugenius Quartus in decreto de Sacramentis, §. Primum sacramentum. Quare non videtur reprehensione carere Scotus, quem sequuntur nonnulli Scotistæ, &c.

10 Probat Basilius ex illo Actorum 8. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Et similia habentur Actorum 19. Et ad Hebræos 6. Impositionem manuum, Ex quibus sic format argumentum.

Plerique

Plerique Patres, & Pontifices ex eo colligunt sacramentum Confirmationis à solis Episcopis conferendum; quia solum legitur in Actis Apostolorum collatum ab Apostolis. Sic Eusebius Primus epist. 3. Innocentius Primus epist. 1. ad Decentium cap. 3. Ioannes Tertius in epist. ad Episcopos Germaniæ, citans Damalum, & Leonem. Innocentius Tertius in cap. vnico de Sabra Vnctione §. Penultimus. Eugenius Quartus in Decreto de Sacramentis, §. Secundum sacramentum est confirmati. Concilium Moguntinum sub Paulo 3. c. p. 7. Senouente in Decretis fidel. cap. 10. Et in Decretis morum cap. 38. Et ex Patribus S. Cyprianus epist. 73. S. Hieronymus Dialogo 3. contra Iuliferianos. S. Chrysost. Actorum 8. S. Augustinus lib. 1. §. de Trinitate c. 26. S. Damascenus lib. 4. de fide capite 10. & passim alij.

11 Solet adduci illud 2. ad Corinth. 1. Qui autem confirmat vos in Christo, & qui vixit vos Deus, qui & signauit nos Deus, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Et illud ad Ephes. 1. Credentes signati estis Spiritu promissionis Sancti, qui est pignus hereditatis nostræ. Et cap. 4. Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis. Item illa verba 1. Ioan. 2. Sed vos vntionem habetis à Sancto, & nobis omnia de Vnctione Confirmationis, quæ immediate dabatur per Baptismum, intelligunt S. Cyrillus Hieros. Catechisi 3. Et S. Athanasius in epist. ad Serapionem. Et Acumenius. Has expositiones admittit Basilius esse probabiles; sed non concludentes; quia alij Patres, & Interpretes aliter exponunt.

12 Sed hinc assurgere possumus, vt idem dicamus de locis, in quibus ipse vim facit, & asseramus probabiliter sic intelligi; sed non ita manifeste vt aliter non possint intelligi. Imo retorquemus argumentum. Nam in Concilio Florentino Eugenius Quartus loco citato, ait. Loco autem illius in d. impositionis datur in Ecclesia Confirmatio. Et autem loco cuius aliquid datur, distinctum est ab illo: ac profinde illa manus impositio non fuit sacramentum Confirmationis; sed per quæ effectus Confirmationis sine sacramento dabatur, vt docet D. Thomas art. 2. ad 1. Et artic. 4. ad 1. de quo iterum infra. Id autem sufficiebat vt Patres, & Pontifices illa ratione vterentur. Quia in hoc puncto tota ratio est institutio: ea autem supponitur, si illa manus impositio fiebat ab Apostolis, cui successerunt Episcopi, cum Confirmatio sit modo loco illius impositionis manuum, congruum est vt fiat à ministris, qui Apostolis succedunt

vt sit correspondentia, non solum Baptismi ad ceremoniam, sed ministrorum illius ad ministros illius. De quo ipse Basilius parte 11. cap. 6. n. 16.

13 Vnde excessit Basilius in censuranda opinione Scoti. Melius Sorò, qui non est Scotista, sed celebratissimus, & egregius Thomista; item dirimit in 4. dist. 7. q. vnica artic. 1. ita dicens. Quod si scisciteris, vtrum veritas hæc in sacris litteris habeat fundamentum? Respondetur, quod S. Augustinus libro 2. contra Iulianum Petilianum cap. 104. illud Psalmi 132. sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam; barbam Aaron; ait posse interpretari de sacramento Chriſtatis. Et lib. 3. contra Donatistas cap. 16. illud ad Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum; qui datus est nobis; eidem attribuit sacramentum. Et S. Ambrosius illud ad Ephesios 1. Spiritum Sanctum in quo signati estis. Verum tamen nisi auctoritas Ecclesiæ catholice, Spiritu Sancto illustrata; interpres nobis adesset; testimonia hæc non vsque adeo rem demonstrarent. Hæc ibi. Probabiliter ergo ex sola Scriptura veritas hæc possit colligi; sed certo non nisi ex traditione Apostolica, de qua testantur Concilia, Pontifices, & Patres. Ideoque; nec D. Thomas hic articulo 1. probat conclusionem ex Sacra Scriptura; sed ex Mechiade Papa. Imò in 4. dist. 7. q. 1. art. 1. q. 1. ad 1. ait. Neque obstat quod in Evangelio; vel in Actibus Apostolorum; non sit mentio de materia; vel forma huius Sacramenti; quia forma sacramentalis; & alia quæ in sacramentis exiguntur; occultanda erant in primitiua Ecclesia propter irrisiones Gentilium; vt S. Dionys. dicit. Vnde etiam in fine Eccles. hier. excusasse a determinatione formarum sacramentalium. Secus autem est de Baptismo, quod erat sacramentum necessitatis, & statim cuiuslibet offerrebat in principio.

§. III.

Congruentia institutionis.

14 Ratio autem congruentiæ diuinae institutionis assignatur ad Thom. art. 1. Nam sacramenta nouæ legis ordinantur ad speciales gratiæ effectus; & ideo vbi occurrit aliquis specialis effectus gratiæ, ibi ordinatur speciale sacramentum. Quia vero sensibilia, & corporalia gerunt spiritualium, & intelligibilium similitudinem, ex his, quæ in vita corporali aguntur, percipere possumus, quid in spirituali vita gratiæ speciale existat. Manifestum autem est, quod

quod in vita corporali specialis quædam perfectio est, quod homo ad perfectam ætatem perueniat, & perfectas actiones hominis agere possit. Vnde & Apostolus dicit 1. ad Corinth. 13. *Cum autem factus sum vir, evacuata sunt quæ erant parvuli.* Et inde est etiam, quod præter motum generationis, quo aliquis accipit vitam corporalem, est motus augmenti, quo aliquis perducitur ad perfectam ætatem. Sic igitur, & vitam spiritualem homo accipit per Baptismum, qui est spiritualis regeneratio. In Confirmatione autem homo accipit quasi quandam perfectam ætatem spiritualis vitæ. Vnde Melchisedes Papa in epist. ad Hispaniarum Episc. dicit. *Spiritus Sanctus, qui super aquam Baptismi salutifero descendit lapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam; in Baptismo regeneramur ad vitam; post Baptismum confirmamur ad pugnam; in Baptismo ablui, in Confirmatione roboramur.* Et ideo manifestum est, quod Confirmatio est speciale sacramentum. Hæc ratio exponitur ab ipso D. Thoma supra q. 65. art. 1. & habetur ex Concilio Florentino in Decreto Eugenij Quarti.

15. Aliam rationem adijcit Soto in 4. dist. 7. q. unica art. 1. §. *Vnde præter rationem.* Ita dicens. Vbi in vita spirituali nova afferitur difficultas, novum requiritur sacramentum: sed præter difficultatem credendi, cui nobis per gratiâ baptismalem succurritur, succedit nova in consistendo eandem fidem coram tyranno, eius persecutore, mortis periculum offerente: ergo cum illic sit necessaria confessio (vt enim ait Paulus ad Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*) fit vt adhuc effectum opus sit nobis singulari auxilio, atque adeo singulari sacramento. Qualiter autem virtutes, quæ in Baptismo infunduntur, ad id non sufficiant, rebus vt nunc, art. 7. exponetur.

16. Eadem fidei veritas sancitur de Consecratione dist. 5. multis Sanctorum Pontificum decretis, vt can. *de his*, ex Melchisede Papa, can. *Manus*. Ex Eusebio Papa. Et can. *Novissimus*. Ex Rabano. Et can. *Vt ieiuni*, ex Concilio Aurelianensi, & multis subsequentibus. Extat, & decretum Concilij Laodiceni capite 48. Et Concilij Florentini, & Tridentini vbi supra. Vnde cum in cap. *Sancta Romana*. De celebrat. *Missæ* hereticus declaretur quicquid de sacramentis aliter, quam Ecclesia Romana senserit, fit, vt qui Confirmationem negat esse sacramentum, hæreticus sit pronuncians.

aus.

§ IV.

A quo, & quando fuerit institutum Sacramentum Confirmationis.

17. Sed circa eius institutionem refert D. S. Thomas art. 1. ad 1. quod quidam dixerunt, quod hoc Sacramentum non fuit institutum, nec à Christo, nec ab Apostolis, sed postea procedu temporis in quodam Concilio. Alij vero dixerunt, quod fuit institutum ab Apostolis. Prioris sententiæ Authores fuerunt Magister, & S. Bonaventura, & Alexāder Avenus 4. p. q. 24. memb. 1. & in noua editione q. 9. membro 2. docens, quod neque à Christo, neque ab Apostolis sub hac materia, & forma, quas habet, fuit institutum: quia Apostoli, vt legitur Actuum 8. & 19. non leguntur confirmasse, nisi per manuum impositionem. Sed illis, inquit, defunctis, Spiritus Sancti insinu in Concilio Meldensi quantum ad materiam, & formam institutum est. Quod quidem Concilium refertur de Consecratione distinctione 5. can. *Vt Episcopi*. Alij dicunt, quod in Aurelianensi citato.

18. Sed hoc non potest esse (inquit D. Thomas ad 1.) quia institui non potest sacramentum, pertinet ad potestatem excellentiâ quæ competit soli Christo. Et in 4. dist. 7. q. 1. artic. 1. q. 1. ad 1. ait. *Et hoc videtur valde absurdum, quia secundum hoc Ecclesia hodie posset noua sacramenta institui: quod falsum est, cum ipsi non sint latores legis, sed ministri, & fundamentum cuiuslibet legis in sacramentis consistit. Quod autem, nec Apostoli instituerint, ibi probat dicens. Sed hoc non competit, quia ipsi Apostoli, quamuis erant bases Ecclesiæ: tamen non fuerunt legislatores (legis diuinæ de numero sacramentorum, sed eius promulgatores) vnde ad eos non pertinebat sacramenta institui. Sanctus etiam Cyprianus, serm. de vocatione Chrismatis, docet diuinitus esse institutum.*

19. Generaliter etiam Concilium Tridentinum sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere, ait. *Si quis dixerit, sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Christo instituta, anathema sit.* Quod intelligendum de immediata institutione, & id esse de fide, docent Vazquez disp. 135. cap. 1. Et Basilus Pontius Relectione de Confirmat. parte prima cap. 4. num. 4. Alioquin non magis Christus instituit diceretur sacramenta, quam sacramentalia: & tamen Concilium nunquam diffinit à Christo instituta sacramentalia, sed Eccle-

cie:

lesia dicitur inuenisse, & id constat ex Sess. 7. de Sacramentis in genere can. 13. *Si quis dixerit receptos, & approbatus Ecclesiæ Catholice ritus.* Et Sess. 23. cap. 4. & 8. & can. 7. & 9. Nuno vero q. 72. art. 1. diff. 2. conc. 3. solum dicit temerarium, & proximum errori: Melius tamen Soto in 4. dist. 7. q. unica art. 1. §. *Quod si*, asserit, quod erroneum esset dicere sacramentum hoc non fuisse à Christo institutum. De quo late egimus quæst. 64. dub. 2. §. 4.

20. Specialiter arguunt Suarez disp. 32. sect. 2. & Basilus parte 1. cap. 4. num. 2. & 5. & alij: nam primum Concilium Meldense celebratum est sub Sergio Pontifice, anno 845. Constat autem complures Pontifices antea, & Patres per præcedentes annos eueruntias meminisse Sacramenti Confirmationis. Similiter Pontifices Melchisede antiquiores mentionem fecerunt illius: siquidem ipse solum immediatè antecessit Syluestrum: & tamen ambo antecesserunt Clemens Romanus, Urbanus, Fabianus, Cornelius, & Eusebius. Qui de hoc sacramento iam instituto loquuntur. Nō ergo potuit institui à Melchisede. Ideo Concilium Senonense sub Clemente Septimo, in decretis fidei cap. 10. & in decretis morum cap. 38. dicit Sacramentum Confirmationis à Christo Domino institutum, & ab Apostolis promulgatum: Actorum 9. & 19. Similia dicit Concilium Moguntinum sub Paulo 3. cap. 13. Item S. Clemens Romanus episc. 4. loquendo de hoc Sacramento, & eius effectu, ait. *Vt à Beato Petro accepimus, & ceteri Sancti Apostoli, precipiente Domino, dixerunt.* Et S. Fabianus Papa, & Martyr episc. 2. ad omnes Orientales Episcopos cap. 1. quæ refertur de consecratione dist. 3. can. *Litteris*, non parum fanet, vt postea referemus.

21. Maior difficultas est (& adhuc iudiculis non dum determinata) quando à Christo Domino hæc immediata institutio fuerit facta? D. Thomas in 4. dist. 7. q. 1. art. 1. q. 1. ad 1. ait. *Et ideo probabilior videtur aliorum opinio, qui dicunt hoc sacramentum, sicut & omnia alia, à Christo fuisse instituta.* Quod patet ex hoc, quod ipse etiam Dominus etiam manus pueris imponebat, vt patet Math. 19. Ex quo multi dixerunt Christum instituisse sacramentum Confirmationis Math. 19. cum pueris manus imposuit. Ita Bachonius in 4. dist. 7. q. 1. artic. 1. Canisius tit. de Confirmatione in principio. Sonnius cap. 1. Et Couarruias 1. var. cap. 10. in principio, in prima editione: sed sustulit in vltima. Sequuntur tamē Grafis 2. p. lib. 1. cap. 1. num. 4. folio 11. Lubli-

nus 1. p. Summæ verbo *Confirmatio*, in principio. Imo, & Concilium Senonense in Decretis fidei cap. 10.

22. Sed ipse D. Th. hic art. 1. ad 1. ait. *Et ideo dicendum est, quod Christus instituit hoc Sacramentum, non exhibendo, sed promittendo: secundum illud Ioan. 16. Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos.* Et hoc ideo, quia in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti quæ non erat data ante Christi Resurrectionem, & Ascensionem: secundum illud Ioan. 7. *Nondum erat Spiritus datus: quia Iesus nondum erat glorificatus.*

23. Circa quæ verba notat Nuno. art. 1. diff. 2. ad 3. Suarez, & alij, quod institui aliquod sacramentum promittendo stat dupliciter: primo promittendo ipsam institutionem: sicut Math. 16. dicitur: *Tibi dabo claves Regni caelorum: Vbi promittitur institutio sacramenti Pœnitentiæ, quæ postea adimpletur Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Secundo tradendo statim institutionem, & effectum sacramenti: & hoc modo intelligitur D. Thomas ad 1. Et ideo Christus Dominus immediatè per se ipsum instituit hoc sacramentum, & promissit effectum illius dandū a Spiritu Sancto. Et quia hæc promissio Christi fuit in nocte Cœnæ, ideo verificatur hoc sacramentum institutum in nocte Cœnæ.

24. Adijcit Soto in 4. dist. 7. q. unica art. 1. ad 1. Quod si de institutione Chrismatis interrogando iustiteris, Responder Fabianus Papa, & Martyr episc. 2. ad omnes Orientales Episcopos, quæ refertur de Consec. dist. 3. per hæc verba: *In illa die Dominus Iesus, postquam cenauit cum discipulis suis, & lauit eorum pedes, sicut à Sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, Christum conficere docuit.* Fuit ergo in nocte Cœnæ institutum sacramentum, & quia ibi Christus conficere docuit. Et vno ex his modis, vel vtroque simul, defenditur hæc sententia a Thomistis, & à multis alijs, quos referunt, & sequuntur Henriquez lib. 3. cap. 1. n. 4. & Basilus Pontius in Relect. parte 1. cap. 4. num. 8. & 19.

25. Addit Suarez disp. 32. sect. 2. in fine, institutam esse Confirmationem in nocte Cœnæ, quoad aliquid: quia nullum tempus aptius ad hoc excogitari potest, cum Spiritum Sanctum promissit, & nouum testamentum condiderit: sed tamen institutio potius fuit inchoata, quam completa: quia solum Episcopi habent potestatem hoc sacramentum administrandi. Apostoli autē licet in nocte Cœ-

112

na fuerint ordinati Sacerdotes, non tamen Episcopi, ut probabilis creditur, vique ad Christi Resurrectionem. Confirmata ergo fuit institutio, quando post Resurrectionem dixit Ioan. 20. *Accipite spiritum sanctum*; quia eos fecit Episcopos, & dedit eis potestatem efficiendi hoc sacramentum. Idem sequuntur Filliutius, Reginaldus, Faber, Pitigianus, & Bonacina. Item Leander tract. 3. disp. 1. q. 3. duodecim Authores referens. Sed multi non exprimit hoc ultimum, in quo est dissidium. Tenet Trullench de Confirm. nu. 3. Caltus Palans tract. 20. punct. 1. n. 3. & Gabriel a S. Vincencio disp. 1. q. 1. conc. 3.

26. Imò Agidius Coninch ar. 1. dub. 2. & Layman lib. 5. Summæ tract. 3. cap. 1. potissimè, & præcipuè tunc institutum hoc sacramentum, quando Ioan. 20. Dominus dixit: *Accipite Spiritum Sanctum*. Quod probat Primo à simili, quia Concil. Trid. sess. 14. ca. 1. probat tunc institutum sacramentum Penitentia: quia tunc Apostolis, & eorum successoribus est communicata potestas remittendi peccata post Baptismum commissa. Ergo cum eodem tempore data sit Apostolis potestas administrandi hoc sacramentum, plane efficitur etiam tunc præcipuè institutum Confirmationem. Secundo, quia ut aliquid sit perfecte sacramentum, non sufficit institutum esse signum gratiæ conferendæ; sed debet esse data hominibus potestas per illud gratiā conferendi; alias non esset signum efficax gratiæ, quia nunquam eam conferret. Ergo Confirmatio non fuit perfecte sacramentum ante collatam potestatem Ioan. 20.

27. Merito tamen hanc ultimam sententiam impugnat Basilus Pontifex in Releſione de Confirmatione parte 1. cap. 4. nu. 14. quia licet verum sit tunc solum fuisse illis datam potestatem hoc sacramentum ministrandi: quia tunc solum sunt ordinati Episcopi. Tamen non inde licet inferre non perfecte institutum sacramentum Confirmationis in nocte Cænæ. Quia causa efficiens non pertinet ad essentiam, & constitutionem essentialem alicuius rei, vel artefacti, vel entis naturalis, ut constat. At minister est causa efficiens sacramenti Confirmationis. Ergo non pertinet ad essentiam illius. Cum ergo, ut ostensum est referendo sententiam D. Tho. sacramentum hoc quoad materiam, & formam, & significationem effectus specialis, sit institutum in nocte Cænæ, nihil deest, quo minus dicamus tunc institutum fuisse absolute, & præcipuè sacramentum Confirmationis, siquidem eius essentia consistat materia, & forma cum ratione signi tunc insti-

tutis, & determinatis; non vero efficiente, aut ministro. Quamvis etiam tunc dicatur originem ad causam efficientem possibile; quod satis est.

28. Et confirmatur à simili: quia communia Patrum, & Doctorum sententia docet Baptismum institutum, cum Christus in Iordane baptizatus est, de quo egimus q. 66. At non fuit tunc data Apostolis potestas baptizandi; sed postea: non statim à Baptismo retatus est Christus, ut constat Math. 4. & postea cepit Iesus prædicare, & postea baptizare: non enim ante baptizavit Christus, quam prædicavit; & postea misit Apostolos ad prædicandum, & baptizandum. Ergo pari ratione, quod potestas conferendi Confirmationem, data sit post Resurrectionem, non obstat, quo minus absolute, & potissimè dicatur sacramentum Confirmationis institutum in nocte Cænæ; efficax quidem in actu signato, quamvis in actu exercito non erit, donec designetur, qui ministret.

29. Explicatur etiam à simili de Eucharistia instituta a Christo, cum dixit: *Hoc est corpus meum*; *Hic est sanguis meus*; & tamen tunc non erant Sacerdotes Apostoli; sed post consecrationem a Christo facta: ordinati enim sunt illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*. Ergo quod potestas conferendi Eucharistiæ, data sit postea, non obstat, quo minus antea vere, & absolute instituta dicatur, de quo suo loco. Sic ergo in proposito.

30. Ex dictis cessat secundum argumentum. Primum ex Concilij autoritate dupliciter soluit Basilus n. 15. Primo, quod rectè Concilium dixit tunc præcipuè institutum sacramentum Penitentia: quia antea nullo modo institutum erat, sed tatum promissum. At sacramentum Confirmationis, non solum fuit antea promissum quoad effectum; sed reuera institutum cum determinata materia, & forma in nocte Cænæ: quod non erat in Sacramento Penitentia. Deinde, est longe diuersa ratio Sacramenti Penitentia: & aliorum. Quia sacramentum Penitentia: præcipuè in absolute situm est, ut Patres, & Concilia loquuntur (& suo loco exponemus.) Quæ sine potestate intelligi non potest. Quod non reperitur in alijs. Simili ratione q. 60. & 64. diximus intentionem ministri, quamvis essentialiter requiratur ad sacramenti valorem, non esse eius partem intrinsecam: quia se tenet ex parte efficiens, quæ est causa extrinseca efficiendi.

31. Hac ultima exclusâ sententia, dicit Basilus omnes alias continere aliquid veri, ut etiam dicit Aversa sect. 1. siquidem illa impositio manuum Christi super pueros, fuit

Symbolum, & figura, & umbra quædam huius sacramenti. Vnde Paludanus in 4. dist. 7. q. 1. art. 2. num. 1. ait. Christus quando parvulis manus imponens benedixit; vel sacramentum confirmationis tunc non contulit: quia eius usus ante missionem Spiritus Sancti non conveniebat; sed tunc instituit ipsam figurando. Post pauca autem subiungit. Apostoli autem in die Pentecostes confirmati fuerunt sine Chrismate à Spiritu Sancto descendente in igneis linguis. Nam si Christus, secundum quod homo sacramenti effectum sine materia committere possit, multo magis Spiritus Sanctus, qui tam visibiliter apparuit; quod aliud signum necessarium non fuit. De quo S. Thomas artic. 2. ad 1. & artic. 4. ad 1. Quamvis ergo primariâ institutio Sacramenti Confirmationis non sit facta in die Pentecostes: tamen ibi miraculose manifestatus est effectus huius sacramenti à Christo promissus: siquidem Apostoli tunc fuerunt miraculose extraordinario modo confirmati. Sed quia Christi promissio de adventu Spiritus Sancti toti Ecclesiæ erat facta: ut explicuit Princeps Apostolorum Actuum 2. ver. 39. dicens: *Et accipietis donum Spiritus sancti. Vobis enim est repromissio, & filijs vestris, & omnibus, qui longe sunt; quibus cum quæ aduocauerit Dominus Deus noster. Attulerat verus 17. Prophetam Joel cap. 2. ver. 28. Effundam de Spiritu meo super omnem carnem. Ideo & ad omnes pertinet illa missio Spiritus Sancti. Substantialiter ergo institutio fuit in die Cænæ, in qua Dominus docuit Christum conficere, & effectum promissit, & formam expressit: quamvis hoc non declarent Evangelistæ: quia ut ait D. Thomas art. 4. ad 1. *Multa servabant Apostoli in sacramentorum collatione, quæ in scripturis communiter prepositis non sunt tradita.* Refert verba S. Dionysii 7. c. Eccles. hier. p. 3. & in 4. dist. 7. q. 1. artic. 2. q. 1. ad 1. ait, quod Dominus materiam huius sacramenti per se ipsam instituit; sicut & adventum Spiritus Sancti promissit: sed denunciandam Apostolis dereliquit; quando usus sacramenti competeat, scilicet post plenam Spiritus Sancti missionem. Et ad 2. ait, quod sicut sacramentum Baptismi incepit in Baptismo Christi; ita sacramentum Confirmationis incepit in adventu Spiritus Sancti in Apostolis. Et quia principia verba debent esse notissima; ideo utrobique Spiritus Sanctus apparuit visibiliter. Et Opusculo 22. de forma absolute cap. 4. ad 4. dicit, quod cum Math. 19. oblatus fuit Christo parvulus ut eis manus imponeret benedicens, secundum consuetudinem Iudeorum, ut dicit Remigius.*

32. Admonet autem Sanctus Thomas hic artic. 1. ad 2. quod quia Confirmatio est sacramentum plenitudinis gratiæ, non potuit habere aliquid respondens in veteri testamento: quia nihil ad perfectum adduxit lex; ut dicitur ad Hebræos 7. Loquitur de correspondentia per omnimodam adæquationem; nam in 4. dist. 7. q. 1. a. 1. q. 1. ad 3. subiungit: *Quamvis aliquo modo sit figuratum in vinctione Pontificum; quæ significabat ut vinctio Christi, à quo hæc vinctio derivatur. Quod insinuat Sanctus Cyprianus ser. de vinctione Chriſmaris dicens. A facie non olei desiccata sunt vinctiones antiquæ.*

33. Demum notat D. Thomas ad 4. quod illi, qui Confirmationem accipiunt, quæ est sacramentum plenitudinis gratiæ, Christo conformantur, in quarum ipse à primo instanti suæ conceptionis fuit plenus gratiæ, & veritatis, ut dicitur Ioan. 1. Quæ quidem plenitudo declarata est in Baptismo quando Spiritus Sanctus descendit corporali specie super eum. Vnde & Lucæ 4. dicitur, quod *Iesus plenus Spiritu Sancto, regressus est à Iordane.* Non autem conveniebat dignitati Christi (qui est sacramentorum auctor) ut a Sacramento plenitudinem gratiæ acciperet. De hac ratione iterum D. Thomas ar. 3. Vide ad idque Sanctus Augustinus lib. 1. de Trinitate capit. 26. Solutio ad 3. exponitur infra circa artic. 3.

DVBIVM II.

De materia sacramenti Confirmationis.

§. I.

Chisma est materia Confirmationis.

CVM ostensum sit Confirmationem esse Sacramentum; & diffinierit Concilium Florentinum, relatum quæst. 60. sacramenta novæ legis tribus perfici materia, forma, & ministro; manifestum relinquitur, sacramentum hoc constare materia, & forma: Ideoque omnes Catholici credunt Chisma sacrum esse convenientem huius sacramenti materiam, quidquid blasphemetur Heretici. Chisma autem nomen Græcum est, idem significans, quod unguentum in genere; sed Ecclesiastico usu accommodatum est ad significandum illud, quod ex oleo, & Balsamo conficitur, ut capit. *Vinctio*, de Sacra Vinctio; docet Innocentius 3.

2 Refert autem Aureolus in 4. dist. 7. q. 4. art. unico in explicacione secundæ propositionis, esse opinionem Canonistarum, quod in hoc sacramento nihil unum requiritur vnguentum. Et ipse Aureolus dicit Christum non esse materiam necessariam, sed sufficere manuum impositionem: requiritur tamen ad bene esse, quia ad sacramenti perfectionem, vel Christus instituit, vel Apostoli Spiritu Sancto suggerente. Quia Apostoli confirmabant manuum impositione Actorum 8. & 19. & sacramentum hoc dicitur manuum impositio, ut ait Hugo lib. 2. de Sacramentis parte 7. cap. 2. & S. Cyprianus epist. 73. ait. *Vt baptizatis postea manus imponatur, & infunderetur super eos Spiritus Sanctus. Similia S. Hieronymus contra Luciferianos, & S. Aug. ser. 33. de diuersis, & in Concil. Illiberitano can. 38. & in alijs multis. Et summi Pontifices Eusebius, & Urbanus, quos refert D. Thomas art. 1.*

3 Dicendam tamen est, convenientem materiam Confirmationis esse Christum, quod est compositum ex oleo oliuarum, & Balsamo. Priorem partem esse certam secundum fidem, constat ex Concilio Florentino in decreto Eugenij Quarti, in quo dicitur: *Secundum sacramentum est Confirmatio, cuius materia est Christum, confectum ex oleo, quod nitorem bonæ conscientie, & Balsamo, quod odorem bonæ fame significat, per Episcopum benedicto.* Idem sumitur ex Concilio Tridentino sess. 7. can. 2. de Confirmatione. Et Innocentius Tertius in cap. *Pastoralis, de Sacramentis non iterandis.* Probat Bellarminus libro. 2. de Confirmatione cap. 8. prop. 1. & passim alij ex illo Apostoli 2. ad Corinth. 1. *Qui confirmat nos Deus, & vixit.* Et 1. Ioannis 2. *Vnctionem, quam accepistis, manet in vobis.* Sed S. Hieronymus in cap. 3. Habacuc, & S. Cyrillus orat. ad Presbyteros de alia vnctione hæc verba intelligunt. Priora etiam S. Chrysost. S. Hieronymus, S. Thomas intelligunt de Confirmatione per gratiam, & fidem; sicut & similia verba ad Ephes. 1. & 4. de quo S. Thomas lec. 5. & q. 63. art. 2. Quare quamuis sit probabile posse interpretari de hoc sacramento; inde tamen argumentum conuincens desumi nequit.

4 Rationem convenientiæ diuine institutionis assignat Diuus Thomas artic. 2. Sicut enim dictum est dub. 1. in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur spirituale, quod competit perfectæ ætati. Homo autem cum ad perfectam ætatem peruenit, incipit iam communicare actio-

nes suas ad alios, antea vero quasi singulariter sibi ipsi viuunt. Gratia vero Spiritus S. in oleo designatur: unde Christus dicitur esse vnctus oleo lætitiæ, propter plenitudinem Spiritus Sancti, quam habuit: & Ideo oleum competit materiam huius sacramenti. Admiscetur autem Balsamum propter fragrantiam odoris, quæ redundat ad alios. Vnde Apostolus 2. ad Cor. 2. *Christi bonus odor sumus Deo, &c.* Et licet multa alia sint odorifera: tamen præcipue accipitur Balsamum propter hoc quod habet præcipuum odorem: & quia etiam in corruptionem præstat. Vnde Ecclesi. 24. dicitur. *Quasi Balsamum non mixtum odor meus.*

5 Hinc secundam partem ita certam putat Soto dist. 7. artic. 2. §. *Christum*, quod sententiam primo relatam dicat *erroneam*, propter concordem doctrinam Patrum, & decretum Concilij Florentini. Et vrgentiissime dicit probari: quia materia debet formæ conformari: quare si Christum non esset necessarium, falsa esset forma: *Confirmo te Christum salutis.* Neque vero reperitur Canonista, qui dicant Christum ex Vnguento, & Balsamo compositum, non esse materiam.

6 Imò Suárez disp. 33. lect. 1. con. c. 2. & Basilius parte secunda cap. 1. num. 4. etiam secundam partem conclusionis dicit certam secundum fidem, quia expresse habetur in decreto Eugenij Quarti. Quia licet nomen Christum ex vi significationis suæ tantum significet vnctionem: Tamen ex usu, & accommodatione Ecclesiæ, post institutionem Christi, notam ex Apostolica traditione, significat compositum ex oleo oliuarum, & Balsamo. Vnde Sanctus Fabianus Papa, & Martyr Epistola 2. dixit Christum instituisse, ut Christum ex Oleo, & Balsamo conficeretur. Idem docet Innocentius Tertius in cap. *vnico de Sacra Vnctione.* Et Conc. Bracharense 2. can. 4. dicit Balsamum institutum ad animarum sanctificationem. Et in Concilio Meldensi distinguit ampulla Christum ab ampulla olei infirmorum. Rursum in veteri ordine Romano Feria Quinta in Cæna Domini, vbi fit mentio de benedictione Christum, iubentur tres ampullæ deferri ad Episcopum, vnâ pro Christum, aliam pro oleo infirmorum, & alteram pro oleo cathecumenorum.

7 Sed inquires. Primo, quale oleum requiratur, vtrum exigatur oleum oliuarum, vel sufficiat oleum nucum, aut amygdalatum, aut aliud simile?

Respondet D. Thomas ad 3. quod propria-

tas Dei, quibus significatur Spiritus Sanctus, magis inueniuntur in oleo oliuarum, quàm in quocumque alio oleo. Vnde & ipsa oliua semper fructibus virens, virorem, & misericordiam Spiritus Sancti significat. Hoc etiam oleum proprie dicitur oleum; & maxime habetur in usu, vbi haberi potest. Quilibet autem alius liquor, ex similitudine huius, oleum nominatur. Nec est in usu communi nisi in supplementum apud eos, quibus deest oleum oliuarum. Et Ideo hoc oleum solum assumitur in usum huius, & quorundam aliorum sacramentorum. Idem dicit in 4. dist. 7. q. 1. art. 2. q. 2. ad 4. & 3.

8 Quæ quidem doctrina non solum est communiter recepta, sed Henriquez lib. 3. cap. 2. n. 1. lit. b. dicit, quod de fide esse conueniant omnes, & Patres interdum solius olei mentionem faciunt. S. Dion. cap. 2. par. 2. ad finem, & alij. Suarez sec. 1. conc. 3. & Basilius parte 2. cap. 1. nu. 67. dicit hoc esse de fide: quia nunquam de hoc dubitatum est in Ecclesia. Et alij liquores per similitudinem ad hoc oleum oliuarum olei nomen accipiunt. Addit oleum autem, quod infusione aliquarum herbarum redditur vel melioris odoris, vel saporis, existimo esse idoneam materiam huius sacramenti. Quia per infusionem earum herbarum non est mutata substantia olei oliuarum, sed qualitates participat. Quamuis non sine grati peccato adhiberetur in Sacramento Confirmationis.

9 Rursum inquires, quale Balsamum debeat adhiberi ad Christum conficiendum? Henriquez lib. 3. cap. 2. n. 1. ita ait. Congrua similitudine signi, Christus instituit materiam Confirmationis esse Christum confectum, non solum ex oleo oliuarum, sed mixto cum Balsamo aliquo odorifero, *saltem adulterino, vt Indico.* In coment. lit. e. ait. Sic Pius Quartus concessit Episcopis Indiarum conficere Christum cum quodam Balsamo illius regionis, vbi non reperitur Siriaicum, & fatentur Soto, Martinus Ledesma, & alij. Et Paulus Tertius similiter dispensauit, ait Bellarminus cap. 9. col. 7. Nauar. Conf. in capit. *Vnico de Sacra Vnctione.* Hæc Henriquez. Leander tract. 3. disp. 3. q. 3. ait. Itaque Christum ex oleo, & Balsamo vero, *vel saltem adulterino, confectum, est necessaria materia Confirmationis.* Trullench in Praxi cap. vnico de Confirmatione nu. 6. dicit. Materiam remotam Confirmationis est Christum confectum ex oleo oliuarum, & Balsamo, *saltem adulterino, vt Indico.*

10 Hæc sententia est falsa, & improbabilis: & vt talia reiiciunt Nuño q. 7. art.

3. diff. 1. ad 4. & 5. Suárez disp. 33. sec. 1. §. *Atque in hunc modum.* Coninch dub. 1. n. 4. 1. Castus Palauis trac. 20. punc. 2. nu. 3. in fine. Villalobos trac. 6. diff. 2. n. 2. in fine. Martinus à S. Iosephi tract. 1. de Confirmatione n. 5. & alij dicentes, quod Balsamum, quod oleo misceri debet, non est solum Balsamum Palestinum, seu Siriaicum, sed sufficit Indicum; quia verum Balsamum est: & ita illi Pontifices Priuilegium non concesserunt (quia immutare non poterant ius diuinum, quod est de vero Balsamo adhibendo) sed dubitationem sustulerunt declarando Indicum esse verum Balsamum.

11 Nominatim sententiam Henriquez refert Basil. de Confirm. p. 2. c. 1. n. 10. dicens, *non solum temerariam, sed fere errori proxima.* Temeraria, quia nullus Author, neq; ex antiquis, neque ex recentioribus eam docet. Quod fuscè protequitur probans malè Soto, & auctos pro ea referri. Deinde, in decreto Eugenij a quo fit mentio Olei, ac Balsami: ergo sicut Oleum debet intelligi de vero Oleo oliuarum, ita & Balsamum de vero Balsamo. Sicut vinum vitis est vera materia Calicis, & vera aqua vera materia Baptismi: alias nihil certi haberemus in materijs Sacramentorum in Decreto Eugenij Quarti. Tertio, quia Fabianus Papa in epist. 2. ad Episcopos Orientales præcipit singulis annis Christum conficiendum in die Cæna, & vetus comburendum: sicque obseruari in Ecclesia Romana, Hierosolymitana, & Ephesina à temporibus Apostolorum. Quod necessarium non esset, si Balsamum adulterinum sufficeret pro materia Confirmationis. Verba Basilij, & eius censuram contra priorem sententiam, refert, & omnino sequitur Diana parte duodecima tract. de Consecrat. Episc. Resol. 85.

12 Fortè tamen Authores primæ sententiæ nomine Balsami adulterini, non intelligunt, id quod verba sonant, vt solum habeat apparentiam Balsami, & verum Balsamum non sit (sic enim verè illam censuram mererentur) sed intelligunt balsamum minus perfectum intra species balsami, quale reputant balsamum Indicum: & sic non solum mererentur censuram, sed dicunt id, quod à nullo negatur, & à Pontificibus est declaratum de balsamo Indico; quia parum refert, quod sit Indicum, vel Palestinum, aut Siriaicum: sicut de vino, quod est materia Calicis in Eucharistia, omnes dicunt nihil referre, quod sit Hispanum, vel Græcum, album, vel rubrum: siue differant specie, siue non, siue qualitatibus adeo remissis constet, quod minimum perfecti vini retineat: & comparatiuè

ad vina: saporis acuti, vel austeri, vel prætio-
sa, sit quasi adulterinū, cū verum vinum sit.

13 Admonet autem Basil. n. 15. nihil ob-
stare validitati Sacramēti, si alia aromata cū
Balsamo misceantur, dummodo verè rema-
neat substantia Balsami. Et in Euchologio
Græcorum præcipitur vt multa alia misceā-
tur aromatum genera. Et in instructione pro
Græcis data per Clementem 8. quam asserit
Naldus in Summa verbo *Christianus* n. 1. nō
improbatur ea cōsuetudo: & ideo apud Græ-
cos id licet. Latinis autem non licere sine
gravi peccato aliquam aliam materiam ad-
miscere. Cæterū de hoc pūcto magis ex-
professō agit Lugo libro 1. Responsorum
Moralium dub. 8. vbi refert, quod in Eueho-
logijs recentioribus impressis ritus conficiē-
di Chriſma continet vltra oleum, & Balla-
mum alias trigiata aromatum diuersorum
species: ex quibus fit massa, quæ physicè, &
moraliter videtur diuersa à composito ex
solo oleo, & Balsamo. Quare ipse conclu-
dit, quod si præualeat odor Balsami, & olei
qualitates, non videtur materia illa differre
substantialiter a nostra. Sed quia de antiqui-
tate eius vsus non satis constat, inuestigan-
dum id est: & si est abusus post schisma, vsus
omnino collendus, cum traditio Romana
sit tutior. Addo quod Innocentius Quartus
in epist. ad Episc. Tusculanum super ritibus
Græcorum, quam refert Naldus verbo *Chri-
stianus*, nu. 5. ait. *Singuli quoque Episcopi in suis
Ecclesijs in die Cæne Domini possunt secundum
formam Ecclesiæ Chriſma conficere, ex Balsamo
quidem, & oleo oliuarum: Nam Spiritus Sanctus
donum in Chriſmatis vntione confertur.*

§. II.

Vtrum admixtio Balsami sit de essentia

14 **M**Aior autem difficultas est, vtrum ad-
mixtio Balsami sit de necessitate,
& essentia materiæ Confirmationis, ita vt
vero Balsamo non appposito, non fiat sacra-
mentum? Negat Caietanus 3. p. q. 72. artic.
2. dicens sacramentū Cōfirmationis quoad
substantialia esse completum sine Balsamo:
quamuis sit necessarium necessitate præcep-
ti, non necessitate sacramenti, quod mixtū
ex oleo, & Balsamo sit materia Confirma-
tionis. Et subdit, quod videtur hoc ab Eccle-
sia præcedenti tempore institutum: in pri-
mitiua siquidem Ecclesia non videtur mul-
tum credibile pauperrimos Episcopos ha-
buisse Balsamum: quo forte etiā hodie mul-
ti carent. Accedit ad hæc, quod Chriſmatis

nomen, quod secundum Sanctum Dionysiu,
Apostoli imposuerunt huic sacramento, nō
significat Balsamum; sed vntionem, cui
oleum sufficit.

15 Præcipuum Caietani fundamentū
fuit textus in Capite *Pastoralis, de Sacramētis
non iterandis: vbi Innocentius Tertius sic ait.
Nos consulere voluisti, si Confirmationis sacramen-
tum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit, non
Chriſmate, sed oleo delimitus? Ad quod breuiter
duximus respondendum, quod in talibus non est
aliquid iterandum; sed caute supplendum, quod
incaute fuerat præmissum. Si autem Balsa-
mum fuisset de essentia, & necessitate sacra-
menti, defectu cognito, necesse esset sacra-
mentum iterare, seu verum facere, quod
nullum fuerat.*

16 Soto in 4. dist. 7. q. vnica artic. 2. §.
Intricatus ait. Fateor hanc mihi opinionē
semper placuisse; neque modo displicere
posse. Subdit tamen §. *De hoc autem*, quod
fuit permixtio Balsami institutio Christi, &
ab eo præcepta: non tamen quod vbi reperi-
ri non posset, deberet sacramentum abole-
ri. Probat Soto vrgendo auctoritatem Inno-
centij: nam si nullum fuisset sacramentum,
hoc Papa expressisset dicēs, quod iteraretur.
Dicere autem quod nō iteratur propterea,
quod nullum fuit, profecto ridiculum vide-
tur. Est quippè res notissima, id quod non
est, non iterari: & ideo Pontifex non fuisset
solicitus id admonere. Deinde Papa respon-
det sub eodem tenore de illo casu, & de Dia-
cono, qui fuerat ordinatus sine manuum im-
positione: quam constat non esse de essen-
tia Sacramenti Ordinis. Item, quia si primū
non fuisset sacramentum, nulla obflaret ra-
tio quo minus solemnitates omnes essent
postmodum eum sacramento iterandæ.

17 Accedit ratio non contemnenda,
quod materia necessaria sacramenti debet
esse clara, & apertissima, de qua nemo pos-
sit dubitare: vt est aqua in Baptismo; & pa-
nis, & vinum in Eucharistia. Balsamum au-
tem, vt ait Plinius libro 12. Naturalis histo-
riæ cap. 25. multis modis adulteratur, adeo
vt viri prudentes vix quod ad nos adfertur,
verum esse arbitrentur. Quare dubium esset
an tunc sacramentum sit solidum.

Præterea, materia sacramēti debet esse
communis, quæ vbiq̄ reperiat. Sed Bal-
samum, neque per vecturam, potest vbiq̄
haberi. Arbuscula enim, vt illic Plinius re-
fert, vni terræ Indiæ concessa est: eademque
duobus quodammodo tantummodo hor-
tis. Et si historia, quam nobis Orientales refe-
runt, vera est, iam fere bellorum frequentia
est

est dissipata. Quare in his nostris regionibus
quam rarissimum inuenitur castum Balsa-
mum: sed pro illo substituitur aliud, quod ex
Occidentali nouo Orbe adspertatur: quod
reuerā iudicia non habet iusta veri Balsami.
Neque arbutula ipsa, quæ vt ait Plinius, vi-
ri similior est, quam myrto, illa videtur esse
quæ in illis Occidentalibus partibus nasci-
tur. Quod autem sacramentum Ecclesiæ ex
tam multis periculis pendeat non est con-
cessu facile. Hæc Soto.

18 Idem tenent Victoria in Summa q.
41. Zanardus in Directorio Theol. par. 1. de
Sacram. Confirm. cap. 2. Bartholomæus Le-
desma diff. 3. conc. 2. folio 224. Lubinus
verbo Confirmatio initio. Item Aureolus
in 4. dist. 7. artic. 1. §. *Quod si videatur*. Nauar-
rus in Manuali cap. 22. num. 8. Couarruías
lib. 1. Var. cap. 10. num. 4. Viualdus de Con-
firm. cap. de requisitis num. 3. Moure in exa-
mine parte 3. cap. 3. §. 2. Guillelmus Estius
in 4. dist. 7. §. 8. Angles in 4. de Confirma-
tione art. 12. conc. 2. Hugolinus de Confir-
matione cap. 19. Petantius q. 72. disp. 2. Bar-
bosa de Potestate Episcopi Allegat. 3. n. 3.
Reyna, Carrillo, Filliarcus, Torreblanca, &
Archangelus, apud Diana, & Leadrū vbi
infra. Valentia to. 4. disp. 5. generali q. 1. pū-
cto 2. Dicastillus de Sacramentis to. 1. tract.
3. dub. 3. n. 29. Quamuis enim Diana eum re-
ferat pro sententia media, sed reuera hæc
omnino sequitur iuxta modum dicendi M.
Soto. Et Caramuel in Theol. fundamentali
cap. 7. fundam. 65. nu. 1292 & 2. part. cap.
7. num. 119. & Angelus Maria Verricelli de
Apost. missionibus tit. 7. q. 127. num. 8. & 9.
Gabriel à S. Vincentio Carmelita Dicalcea-
tus disp. 2. q. 1. de Confirmatione.

19 Nihilominus Balsamum requiri de
necessitate vt valeat Sacramentum Con-
firmationis, satis clare significat D. Thomas:
Tum quia artic. 2. eadem necessitate exigit
Balsamum, ac oleum oliuarum: quod nullus
dubitatur requiri de necessitate. Tum quia in
primo argumento ait. *Materia est de necessitate
sacramenti: & in solutione non recurreret
ad dispensationem, & miraculum, si alia via
tam facilem haberet solutionem. Et simili-
ter ad 4. Pariter libro 4. Contragentes cap.
60. & in 4. dist. 7. q. 1. art. 2. q. 1. in secunda
ratione sed cōtra, ait. Si omittatur aliquid, quod
non sit de substantia sacramenti, non impeditur
perceptio sacramenti: sed si omitteret Episcopus
Chriſmatis linitionem, non conferret sacramentū.
Ergo materia est de essentia huius sacramenti. Et
postea quæstioncula 2. docet, quod materia
Confirmationis est oleum Balsamatum. Et in 4.*

ad Anibaldum dist. 7. art. 2. dicit. *Materia Cō-
firmationis componitur ex oleo oliuarum, & Bal-
samo.*

20 Vnde Balsamum esse de essentia ma-
teriæ Confirmationis, & sine illo sacra-
mentum esse nullum, docet Paludanus in 4. dist.
7. q. 1. art. 2. n. 11. & 19. Syluester verbo Cō-
firmatio diuina nu. 2. Petrus Soto lec. 2. de
Confirmatione. Martinus Ledesma. 1. part.
Quarti q. 13. ar. 2. dub. 3. Petrus Ledesma 1.
to. Summe trac. 3. de Confirmatione cap. 2.
conc. 8. Nuño q. 72. artic. 3. diff. 1. con. 1.
Ioannes à Cruce de Confirmatione dub. 2.
conc. 1. Serra 3. p. q. 72. art. 2. dub. vnico. Ex
quibus patet hodie hanc esse Thomistarum
communem. Item est receptissima inter
alios Theologos, vt multis relatis, ostendit
Suarez disp. 33. sec. 1. conc. 4. Basilius Pon-
tius in Relectione de Confirmatione parte
2. cap. 2. n. 4. triginta duos Authores referēs.
Alios referunt, & sequuntur Leander tract.
3. disp. 3. q. 3. Auerta q. 72. sec. 2. Granado
to. 2. in 3. p. controu. 5. tract. 1. disp. 2. nu. 3.
Castrus Palaus trac. 20. pñc. 2. n. 3. & 4. Dia-
na 3. p. trac. 4. resol. 23. & parte duodecima
trac. de Consecratione Episcoporum resol.
84. & parte 8. trac. 1. resol. 11. & Quintana
Ducñas to. 1. trac. 2. singulari 3. & alij innu-
meri.

21 Differunt huius opinionis assertores
inferendo iudicio de opposita. Quidam ita
meridicus huic adhærent, quod dicant esse de
fide. Ita Ochagauia q. 2. n. 4. & 6. Iribarne in
4. dist. 7. disp. 27. lec. 1. & Basilius cap. 2. nu.
23. dicit sibi placere asserere esse de fide, & dif-
finitam in Concilio Florentino, aut cerè maxime
ad fidem accedere (pro quo male refert Sua-
rez) Nam quæ decretis Florentinis, & Tridenti-
nis adhibentur responsiones, fugæ potius sunt, quæ
solutiones. Henriquez lib. 3. cap. 2. nu. 1. lit. I.
ait, quod hæc est sententia omnino sequen-
da in praxi vt certa: quia colligitur ex traditio-
nem Patrum, & Conciliorum, & vsu Ecclesiæ,
præter paucos Authores. Nuño conc. 1. dicit
ita certum vt oppositum sit improbable: sub-
dit tamen conclusionem secundam, quod prima
sententia nec erronea est, nec temeraria.

22 Cæterum præter viginti septem Au-
thores relatos pro prima sententia, qui asser-
tiue eam tuentur. Hanc probabilem dicunt Pe-
lantius, Filliutius, Saa, Cerda, & Gamma-
chæus, & Toletus, quos ipse Basilius refert.
Item vterque Ledesma, Ioannes à Cruce,
Castrus Palaus, Granados nu. 7. & Leander,
& Diana relati. Insuper Bonacina to. 1. disp.
3. de Confirmatione punct. 3. n. 2. in vltima
editione, loquendo de prima opinione, ait.

Et istorum opinionem non putat improbabilem Suarez disp. 33. sec. 1. ad 1. Filliut. tract. 3. c. 1. q. 5. n. 11. Denique Bassæus ver. *Confirmatio*. n. 4. concludit. Verum quia prima opinio est probabilis, si hoc sacramentum ministrretur cum oleo simplici, non est iterandum absolute, sed sub conditione, adhibita materia indubitata, ut dicitur cap. 1. de sacramentis non iterandis. Quod & notauerant, vltra Suarez ad primum, & alios omnes iam relatos, Villalobos tom. 1. trac. 6. diffic. 2. num. 2. Martinus à S. Ioseph de Confirmatione tract. 1. n. 7. Trullench cap. vltimo num. 6. Ninius forsitan alicui videbor, in Authoribus referendis: sed me fecisse non penitet, ut diligens, & prudens lector aduertat, quam inconulate, & inconsiderate (ne dicam imprudenter, & audacter, & imitando Kemotium, de quo refert Bellarminus libro 2. de Confirmatione cap. 9. dixisse ab Eugenio Quarto diffinitum contra Scholasticos: in quo cum Cardinalis reprehendit, aliterens neutram partem ad fidem pertinere) prior sententia tam rigidis feriatur centuris: quia si quadraginta sex Doctorum, ex celebrioribus Scholæ, autoritas eorum centorum licentiam centurandi non cohibet, nec verba mea poterunt cohibere. Secure tamen, & vere nos (omnibus pacaro animo consideratis) possumus affirmare, sicut & de facto dicimus, esse vere probabilem extrinsece, & intrinsece. Sed hanc præferimus vt D. Thomæ, & magis communem, ac proinde probabilior.

§. III.

Quatuor rationes pro opinione probabilior.

23 **Q**uod probatur quatuor argumentis. Primum est: quia si Balsamum non esset de essentia, & necessitate sacramenti, & sine eo sacramentum esset validum, sine eo forma verificaretur: siquidem in sacramentis nouæ legis efficiunt materia, & forma id ipsa, quod significant. Sed non appposito Balsamo, forma Confirmationis non verificaretur: quia non esse Chrisma, quod est compositum ex oleo, & Balsamo: & ita vere dicere non posset: *Confirmo te Chrismate salutis*: ergo appositio Balsami est de necessitate materiae Confirmationis.

24 Respondet Soto, quod Chrisma non significat de se nisi vnguentum: & ita forma verificatur cum solo oleo vngendo. Quare si verbo latino proferretur: *Confirmo te vnguento salutis*: verum esset sacramentum. Atque adeo illo nomine non significatur ratio quæ de necessitate sacramenti Balsamum.

25 Sed contra est, quod in forma Chrisma non debet accipi in significatione, quæ non habet ex vfu Ecclesiæ, sed in significatione, quæ habet ex vfu Ecclesiæ. Sca constat quod ex vfu Ecclesiæ Chrisma significat compositum ex oleo, & Balsamo: hoc enim est quod in die Cænæ pro materia huius sacramenti consecratur: & de quo consecrationes Ecclesiæ verificantur, in quibus fit mentio de oleo, & Balsamo: & Innocentius Tertius, & Eugenius Quartus locis relatis, compositum ex oleo, & Balsamo dicunt Chrismatis nomine significari. Item S. Thomas ad 2. dicit quod hoc sacramentum datur ad consequendam plenitudinem Spiritus Sancti: cuius est multiformis operatio, vt dicitur Sapientia 7. & 1. ad Corinthi. 12. Et idè conuenienter huius sacramenti est materia composita. Si ergo non esset compositum ex oleo, & Balsamo, nec verba verificarentur, nec sacramentum perficeretur.

26 Secundo probant Nuño, Suarez, & alij. Nam ea, quæ in sacramentis, siue ex parte materiae, siue ex parte formæ, sunt ex diuino præcepto, & mandato, & institutione necessaria, sunt necessaria necessitate sacramenti. Sed appositio Balsami in materia Confirmationis est necessaria ex præcepto diuino. Ergo est necessaria necessitate sacramenti. Maior probatur, quia non habemus aliam certioram regulam ad cognoscenda essentialia sacramenti, quam diuinam institutionem: siquidem ab illa habent suum esse, & suam virtutem. Deinde, quia ea, quæ Christus instituit, & præcepit, variari nequeunt ab Ecclesiâ: & tamen salua sacramentorum substantia, & essentia, reliqua omnia variare potest, vt diximus q. 60. & 64. Ergo quæ sunt necessaria necessitate præcepti diuini substantialiter pertinent ad materiam. Primam vero minorem ipse Soto admittit, & probat ex Fabiano Papa epist. 2. docente Dominum Ietum Apostolos Chrisma consecrari docuisse: *Sicut à Sanctis Apostolis Prædecessores nostri acceperunt*. Et Auctor ser. de vntione Chrismatis apud S. Cyprianum, ait, *quod diuinitus est vntio instituta*.

27 Si dicatur hinc solum probari quod Balsamum sit pars integralis materiae huius sacramenti; quamuis non sit essentialis: sicut in sacramento Pœnitentiæ satisfactio est ex institutione, & præcepto Christi: & tamen solum est pars integralis. Similiter verba consecrationis Calicis, quibus vtitur Ecclesia Romana, omnia sunt ex institutione Christi, & maiori ex parte colliguntur ex Evangelio: & tamen multi dicunt non esse omnia essentialia. De quo infra q. 78.

Hæc


28 Hæc solutio mihi videtur valde probabilis conformiter ad dicta q. 60. dub. 13. & iterum q. 78. art. 4. Sed hic instat Suarez contra primam instantiam dicens non esse similem rationem: nam illud est singulare in satisfactio, quia non est pars, quæ actu concurrat ad componendum sacramentum, quæ substantialiter fit: nec ex parte materiae necessario supponitur ad formam: sed eū quippiam postea conueniens. Vnde licet omittatur, sacramentum manet validum. Imò etiam à principio potest nulla iniungi satisfactio: & interdum etiam sine culpa, & nihilominus verum fieri sacramentum. At verò in presenti consecratio ex Balsamo est ita necessaria ex parte materiae, vt præsupponatur ipsi formæ, & simul concurrere debent ad efficiendum sacramentum. Quod nunquam legitur consecratum absque vfu olei, & Balsami. Ergo compositum ex oleo, & Balsamo sicut est necessarium ex præcepto diuino, ita est de necessitate sacramenti.

29 Tertio arguunt Nuño in tertio argumento, & Puteanus, & latè interquirit Basilus à num. 9. vsque ad 13. expendendo canonem secundum Concilij Tridentini sess. 57. de Confirmatione, in quo dicitur. *Siquis dixerit iniuriosum esse Spiritum Sanctum eos, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt, Anathema sit*. In hac forma. Id quod est essentialiter in sacramento, est id quod est causa gratiæ. Sed Chrisma compositum ex oleo, & Balsamo, habet virtutem cauſandi gratiam. Ergo est quid essentialiter in sacramento Confirmationis. Maior est D. Thomæ 3. p. q. 86. artic. 6. dicentis. *Omne sacramentum producit effectum suum, non solum virtute formæ, sed etiam virtute materiae: ex utroque enim est vnum sacramentum*. De quo diximus q. 60. dub. 1. num. 42. & 44. & dub. 10. quod constat inductione in omnibus sacramentis. Et quia sacramenta nouæ legis efficiunt, quod significant: & ideo si sunt vnum in esse signi materia, & forma, sunt vnum in esse causæ. Minor vero probatur: quia sensus diffinitionis Concilij colligitur ex errore, cui opponitur, & quem volebat exterminare. Sed hæretici de ipso sacro Chrismate consueto consecrari in die Cænæ, consecrati ex oleo, & Balsamo, negabant habere virtutem conferendi gratiam. Ergo de eodem composito id affirmat. Deinde, orationes Ecclesiæ, quæ habentur in Pontificali Romano, non maiorem, neque aliam virtutem à Deo postulant, & impetrant à Deo oleo Chrismatis, quam Balsamo: & eandem vim sanctificandi composito ex utro-

que petunt. Ergo compositum ex oleo, & Balsamo habet virtutem conferendi gratiam. Ergo est materia essentialis. Nam id quod accidentale est in materia, vel forma sacramentorum, non habet vim productiuam gratiæ: vt explicari potest exemplo formæ verborum in consecratione panis, & vini: & similiter in alijs formis sacramentorum, in quibus verbis non necessarijs non iacet virtus productiua gratiæ.

30 Etiam hæc ratio, quamuis quoad aparietiam efficax, in veritate solum est probabilis: & satisfieri ei potest in fauore primæ opinionis, distinguendo in sacramentis, sicut, & in alijs compositis naturalibus, & artificialibus, & partes essentielles, quarum qualibet deficiente, deficit totum, & partes substantialiter integrantes, quæ quidem sunt de substantia totius, & qualibet deficiente, totum est substantialiter imperfectum, & non integrum, sicut homo sine digitis, aut sine manibus, & pedibus, non est integer, & perfectus: sed tamen est essentialiter homo constans anima, & corpore. Ita contingit in sacramentis, vt in sacramento Pœnitentiæ, si deficiat satisfactio: & in consecratione Calicis, si deficiant aliqua verba, iuxta sententiam Magistri Soto: & in sacramento Ordinis, iuxta multorum sententiam, si deficiat manus impositio. Sic pariter posset probabiliter respondere Authores primæ opinionis.

31 Vltimo probatur: nam Concilium Florentinum tria numerat requisita ex parte materiae Confirmationis, oleum, Balsamum, & benedictionem Episcopi supra Chrisma: sed primum, & tertium requiruntur essentialiter: ergo pariter, & Balsamum, cum eodem tenore verborum de illo loquatur. Quare Concilium Prouinciale Coloniense, in doctrina de hoc sacramento docet Balsamum esse de essentia, & affirmat oleum non posse sufficere. Sed quia non est æque certa, & indubitata, & sine opinionibus, traditio de necessitate Balsami, ac de necessitate Olei, & benedictionis Episcopi, quamuis omnia sint de præcepto, & in veritate omnia sint de necessitate, quoad Balsamum id est minus indubitatum; quamuis id sit probabilius, & tenendum.



§. IV.

Soluuntur argumenta.

32 **A**D fundamentum Caietani respondet Granados lect. 1. in secunda solutione num. 7. Innocentium credidisse, id quod nos non inficiamur, scilicet esse probabile, Balsamum non esse materiam remotam essentiali sacramenti confirmationis: ac proinde probabiliter exillimare potuisse, verè esse confirmatum illum, qui solo oleo unctus fuerat. Posita autem hac probabilitate, non esse necessarium iterari confirmationem, quæ alioqui non cadit sub præcepto, præsertim cum talis casus raro euenire possit; debuisset tamen suppleri, quod incaute fuit prætermittitum, scilicet, Vnctionem Chrismatis ex Oleo, & Balsamo confecti sine repetitione verborum formæ: quia ea Vnctio cadit sub præceptum diuinum, aut saltem Ecclesiæ, vt omnes fateantur. Confirmat hanc explicationem, quia etiam aduersarij, qui hoc Innocentij testimonio nituntur, non putant Pontificem censuisse, certum esse, quod materia sacramenti Confirmationis essentialiter in sola olei unctioe consistat (id enim videretur absurdum, cum pro contraria sententia sint tot Doctores, & tam firma fundamenta) sed solum indicasse id esse probabile: & cum hac maiori probabilitate non esse cur iteraretur sacramentum in illo casu. Nos ergo idem asserimus iudicasse, quia putauit esse probabile materiam huius sacramenti sine Balsamo posse consistere, licet contrarium sit magis probabile, imò & verum absolute. Hæc Granados. Quod non est improbable, quia sæpe Summi Pontifice consulti de aliquo casu, respondeant iuxta probabilem Doctorum opinionem, quæ sequendo consulentes, omnino sunt securi in conscientia. Et est solutio notatione digna pro probabilitate primæ opinionis. Sed quia sequendo secundam sententiam, hoc videtur succubere difficultati.

33 Ideo Suarez ad 1. & Basilus n. 16. dicunt potius Pontificem itare pro hac secunda sententia. Quod probant. Primo, quia negari non potest quin in eo casu, & in quocumque simili, contingat hominem confirmari cum unctioe solius olei catechumenorum, aut infirmorum, absque mixtione Balsami, debeat iterum confirmari quoad substantia illa huius sacramenti: quia etiam si contraria opinio sit probabilis, nihilominus sacramentum iuxta illam confectum, in re ipsa est incertum: & vt minimum, est valde probabi-

le esse nullum. Ergo non est homo relinquendus in periculo carendi hoc sacramento: ergo iterum dandum est in materia certa: ergo non est verisimile hoc voluisse negare Pontificem. Nec dubitari potest quin, non obstante illo textu, nunc sit licitum in eo casu iterum dari sacramentum. Ergo necessario aliter est explicandus textus ille.

34 Secundo probant, quia Pontifex dicit supplendam esse in eo casu eam unctionem ex Balsamo, quæ incaute fuerat prætermissa. Non potest autem supplere unctio cum solo Balsamo sine oleo: Tum quia talis unctio nunquam fuit adhibenda: & ideo nec prætermissa dici potest, neque supplenda: Tum quia supplere debet unctio ex Balsamo benedicto: Balsamum autem ab Episcopo pisferia quinta in Coena Domini nunquam per se benedicitur separatim ab oleo. Erit ergo supplenda unctio ex toto Chrismate, talis, qualis prætermissa fuerat. Non est autem supplenda sine forma: Tum quia illi unctio debita erat (vt sic dicam) talis informatio: & hæc etiam fuerat prætermissa. Tum etiam quia prior forma caruerat veritate, quia non cecidit in verum Chrisma, vt per illam significatur. Pontifex ergo, cum dixit, *Cauere est supplendum, quod incaute fuerat prætermittitur*; non negat, sed affirmat potius substantialia huius sacramenti esse in eo casu iteranda. Denique, quia si Balsamum esset materia accidentalis huius sacramenti secundum Innocentium: ergo eodem modo se haberet atque aqua respectu consecrationis calicis. At aqua, quia est accidentalis materia, si omisa fuerit à principio, non infunditur calici post peractam consecrationem, sed omnino omittitur. Ergo similiter in isto casu, si Balsamum non esset materia necessaria, non esset postea supplendum. Quamuis Baptismo collato in tempore necessitatis sine solemnitate, postea debeant ex Ecclesiæ præcepto adhiberi. Quod præceptum in Eucharistia, nec in Confirmatione non extat, si accidentale omittitur.

35 Dux ergo sunt communes, & veræ solutiones. Primam tradit ibi Glossa, & Paludanus artic. 2. num. 21. Innocentius Quartus, & Hostiensis ibi, & Adrianus in 4. q. de Confirmatione, & Basilus num. 17. & 19. quod non dicitur iteratum, quod prius actum non fuit. Cum ergo ibi sacramentum fuerit inualidum defectu materiæ, non dicitur iterari; sed nunc de nouo fieri unctionem Chrismatis ex oleo, & Balsamo benedicto cum debita forma: quia hoc complexum antea incaute fuerat prætermittitum. Nec hæc expositio ridet.

ridicula est, aut destruit textum, aut reddit rationem superfluan. Quia enim sacramenta imprimantur characterem non valent iterari in eodem, consulentes erant ancipites, & dubij: & ex vna parte timebant ne homo priuaretur fructu sacramenti, quod erat per factum, & ex alia parte timebant iterare sacramenta initerabilia. Responsio ergo Pontificis præcipit omnia cauere supplere: & sic quod denotant fiant omnia substantialia sacramenti antea inualidi, & reddit eos securos, ne timeant sacrilegium iterationis, quia non iteratur, quod primo non erat factum in veritate, sed solum in apparenia. Simile responsum cum Alexandro 3. assignat Diuus Thomas 3. p. q. 86. artic. 9. ad 4. loquendo de Baptismo dubio repetendo sub conditione. *Non enim videtur iterari, quod nescitur esse factum.* Similiter S. Leo Primus in cap. *Cum itaque, de Consecratione* dist. 4. ait. *Quia non potest in iterationis crimen venire, quod omnino factum esse nescitur.* Et cap. *Si multa eadem dist. In quibus, quod non ostenditur gestum, rito non finit, vt videatur iteratum.*

36 Secundo respondent Nuño, & Serra ad 2. Suarez ad 1. Granados num. 6. Egidius, Faber, Heredia, Cerda, quos refert, & sequitur Basilus nu. 20. & 21. & Henriquez lib. 3. cap. 2. num. 1. lit. l. referens Turrecremata cap. *Literis, de Consecratione* dist. 3. Innocentium Quartum, & Hostiensem in cap. 1. de Sacramento non iterandis, quod quia prior unctio fuerat publice facta, vetat iterari publice propter scandalum: sed tamen supplendum est caute, id est, in occulto est denotum adhibenda unctio olei, & Balsami cum debita forma. Sensus ergo verborum Pontificis est non esse iterandum sacramentum Confirmationis publice, & cum solemnitate: quia hoc modo iam peractum erat, quamuis inualide quoad substantiam. Sed supplendum esse, quod incaute fuerat prætermittitum: Quod est conferri priuatim, & sine solemnitate: quia quod fuerat prætermittitum, nempe unctio Chrismatis, defectu Balsami, est defectus materiæ, ac percipiendus deest veritas formæ, quæ est de necessitate, & essentiali sacramenti.

37 Per quæ patet ad primam replicam M. Soto. Ad secundam respondent Nuño, & Suarez ad 1. & Basilus num. 21. & alij communiter, quod quamuis Pontifex in eo textu vnica responsione duplici quæstioni satisfaciatur; non ideo asserit id quod defuit in vtroque sacramento eiusdem esse rationis, quoad esse accidentale, vel substantiale sacramenti. Sed potius vult suam generalem res-

ponsonem cum proportione esse singulis quæstionibus applicandam; quia in quolibet sacramento, quod defuerit supplendum est, si deerat essentiali, est totum sacramentum faciendum, vt in Confirmatione; si deerat accidentale, vt in Ordine, satis erit id supplere.

38 Rationi respondet D. Thomas art. 2. ad 4. quod *Baptismus est sacramentum absolute necessitatis: ideo eius materia debet inueniri vbi que. Sufficit autem, quod materia huius sacramenti, quod non est tantæ necessitatis, possit de facili ad omnia loca terrarum deferri.* Ad probationes ex testimonio Plinij respondet Suarez sec. 1. ad 3. in primis maiorem esse vim experientia; quia à principio nascentis Ecclesiæ vsque nunc fuit sufficiens copia Balsami ad materiam Confirmationis, vt constat ex S. Fabiano Martyre epist. 2. deinde Plinio non videtur loqui de suo tempore, sed de antiquo: ait enim: *Balsamum vni terrarum Iudææ concessum quondam in duobus tantum hortis.* Iosephus lib. 8. Antiquitatum cap. 2. vel 6. refert Regnam Sabæ plantam Balsami Salomoni attulisse: *Cutus hodie (inquit) ferax est nostra regio; illiusque Regni munificentia acceptam ferri oportet.* Et lib. 15. cap. 5. de agro Hierichuntino ait. *Is Balsamum fert, quod unctorum longe præciosissimum ibi tantum prouenit.* 6. Sanctus Hieronymus ad illa verba Ezeq. 27. *Iudæa & Israel Balsamum, mel, & oleum, & resinam, proposuerunt in mundis tuis:* Et S. Greg. Cantic. 1. dicitur terram Iudææ, seti Palettinæ abundare Balsamo, quod nascitur in vineis Engaddi.

39 Brochatius in descriptione Terræ Sanctæ cap. vltimo ait. *Inter Heliopolim, & Babyloniam ostenduntur ea, in quibus Beata Virgo mansit, cum puero Iesu, & marito Ioseph, cum à facie Herodis fugisset à Iudæa: Est etiam ibi hortus Balsami, qui irrigatur à fonte paruo, uberrime tamen fluit.* Et infra: *Modum colligendi Balsamum hunc mihi Sarraceni ostenderunt: Carpebant folium vnum aspice (adherent enim folia stipiti) & contra radium Solis illud decerpentes, guttam lucidissimam, & supra modum odoris feram elicuerunt: Et is est verus liquor Balsami, qui in phialas vitreas colligitur, & ad diuersas mundi partes mittitur. Tametsi raro sine mixtura ad reges nostras perueniat. Aiunt etiam, si folium contra radium Solis non frangeretur, minime succum illud stilaret.* Hæc ibi. De quo Baronijs tom. 1. Anno Christi 1. numero 46. & Iansenius in capite 11. Concordiæ Evangelij. Paulus Iouius, Genebrardus, & alij, quos refert Maluenda libro 3. de Antichristo capite 16. in editione Lugdunensi anni 1647.

40 In Theatro vitæ humanæ, verbo Balsamum refert Laurentius Beyerlinck, quod Ægyptus quoq; Balsami hortos habet, quorum vnum te videlicet affirmat Bellonius lib. 2. cap. 29. observationum suarum, haud procul a Cayro. Et ad omni auro in foelici Arabia fuit, atque etiam nunc nascitur. Pausanias etiam tradit Balsamum Arabiæ fruticem esse. Strabo prodit in Syria nasci apud lacum Geuzareth, inter montem Libanū, & Antelibanū. Denique magna copia Balsami nunc ex India affertur: quod est verum Balsamum, licet colore differat: quia in fragrantia boni odoris, alijsque proprietatibus habet sufficientem convenientiam cum alio Balsamo Syriaco, vt a Paulo Tertio, & Pio Quarto, pro vero Balsamo sit declaratum.

41 Cum etiam ad conficiendum Chrismata non requiratur magna Balsami quantitas, etiam cum Episcopi erant pauperrimi, ex fidelium elemosynis nunquam Ecclesiæ defuit pro sacramentis ministrandis. Alioquin, nec de hoc præceptum impotisset Christus, vel ipsa Ecclesia: & ita huic difficultati omnes catholici tenentur respondere. Quamuis autem facile adulterari possit, & difficile cognosci quodnam sit omnino purum: non autem deliunt in arte periti, qui deprehendere possint ex accidentibus, quod Balsami etiam retineat.

DVBIVM III.

Vtrum sit de necessitate huius sacramenti, quod Chrisma fuerit prius per Episcopum consecratum?

§. I.

Certum est consecrationem materiam esse de necessitate sacramenti.

1 Hæretici non solum negant, sed irridunt consecrationem. Caluibus libro 4. in lit. cap. 19 §. 8. vocat oleum Diaboli mendacio pollutum. Alij dicunt esse benedictionem superstitiosam, & magicam: & præcipue contemnunt, quod Ecclesia post Chrismatis benedictionem dicat: *Ave sanctum Chrisma*: cum loquutio ad res inanimatas dirigi nequeat.

2 Pro sententia negante requiritur Chrismatis consecrationem, solet referri Paludanus. Sed tamen ipse in 4. dist. 7. q. 1. art. 2. cō-

c. ul. 3. n. 19. sic ait. *Si Confirmatio fiat ab Episcopo prius Chrismate consecratum, non est Confirmatio, siue Sacramentum, sed iterum est conferendum, quia quod sit Chrisma, & quod sit ab ipso consecratum, est de essentia: Nisi, forte Papa dispensante, vt dicitur infra q. vltima.* Hæc ibi. Ex quo patet, quod quoad intentum præsens, tenet sententiam affirmatiuam: vnde male refertur ab Henriquez lib. 3. cap. 2. nu. 2. lit. o. & vbi infra à Basilio pro negatiua. Quæ consequentia in hoc admittat Papæ dispensationem, infra videbitur. Negat tamen Mollesius tract. 4. Summæ cap. 2. nu. 22. docens, quod si quis Chrismate nõ consecrato esset confirmatus, non esset iterum cōfirmandus. Refert pro se Maldonatum.

3 Afferendum tamen est, non solum de necessitate præcepti, sed de necessitate sacramenti esse, quod Chrisma sit ab Episcopo consecratum. Ita S. Thomas art. 3. & in 4. dist. 7. q. 1. art. 2. q. 3. receptus à Theologo, vt restatur Soto in 4. dist. 7. q. vnica art. 3. §. *Quamuis*. Et Suarez disp. 33. sect. 2. Nu. 10 q. 72. art. 3. diff. 2. dicit esse erroneū negare consecrationem Chrismatis esse necessariam ex præcepto diuino: & certum ita vt oppositum sit improbable, quod est necessaria necessitate sacramenti. Et Basilius parte 2. cap. 3. num. 2. dicit ad minus esse temerarium affirmare validum esse sacramentum cum Chrismate non consecrato. Nec rectè Leander tract. 3. disp. 3. q. 4. hanc proponit solum vt longe probabilior. Imò Soto, §. *At ne tot*, dicit, quod *cōstantissimum est, & catholicum* requiri benedictionem, & consecrationem. Ex decreto Fabiani. Et ex solemni consuetudine Ecclesiæ. Et ex decretis, quibus diffinitur materiam Cōfirmationis esse Chrisma ab Episcopo consecratum.

4 Ratio à priori non est alia, quã Christi institutio. Hæc vero probatur ex Concilio Florentino dicente materiam Confirmationis esse *Chrisma consecratum ex Oleo, & Balsamo per Episcopum benedicto*. Et in Concilio 2. Bracharensi cap. 4. vocatur *Balsamum benedictum, quod pro salute animarum per Spiritu Sancti invocationem consecratur*. Ideoque Concilium Tridentinum sess. 7. canone 2. de Cōfirmatione appellat *sacrum Chrisma*. Pariter Concilium Nizænum primum canone 69. & Laodicenum can. 48. Nouem Sumos Patriarchas, & plurimos Sanctos Patres, qui idem docent, referunt Bellarminus, Suarez, Basilius, & alij. Cum autem benedictio aquæ Baptismi sit de necessitate præcepti, de ea nõ ita agunt Concilia. Pontifices, & Patres; sicut summo

summo consensu tractant de consecratione Chrismatis: ergo censent esse de necessitate sacramenti. Specialiter Florentinum æquè ponit esse de necessitate Olei, ac Balsamum, ac vtriusque benedictione: & quoad hanc magis sine opinionibus est à Theologis receptum.

§. II.

Ratio D. Thomæ.

5 Rationem congruentiæ assignat D. Thomas art. 3. nam tota sacramentorum sanctificatio à Christo deriuatur, vt dixerat q. 64 art. 3: Est autem considerandum, quod quibusdam sacramentis habentibus materiam corpoream, Christi est usus, scilicet Baptismo, & etiã Eucharistia: Et idè ex ipso usu Christi materiam horum sacramentorum aptitudinem receperunt ad perfectionem sacramenti. Vnde S. Chrysostomus, relatus de Consec. dist. 4. cap. 10. dicit, quod nõquam aqua Baptismi purgare peccata credentium possent, nisi tactu dominici corporis sanctificata fuissent. Et similiter ipse Dominus accipiens panem, benedixit: similiter autem, & Calicem, vt habetur Matthæi 26. & Lucæ 22. Et propter hoc non est de necessitate horum sacramentorum, quod materia prius benedicatur: quia sufficit benedictio Christi. Si qua vero benedictio adhibeatur, pertinet ad solemnitatem sacramenti; non autem ad necessitatem. Vnctionibus autem visibilibus Christus nõ est usus, ne fieret iniuria invisibili vnctioni, qua est vnctus præconfortibus suis. Et idè tã Christus, quam Oleum sanctum infirmorum prius benedicuntur, quam adhibeantur ad vsu sacramenti.

6 Contra hanc rationem arguit Durandus in 4. dist. 7. q. 2. n. 7. Primo, quia si applicatio materiam ad Christum, reddit eam sanctificatam, videtur, quod non solum non oporteat eam sanctificare ad hoc, quod sit materia Baptismi; sed quod etiam si sanctificetur, quod fiat iniuria priori sanctificationi, si sit eiusdem rationis; vel quod prima fuerit insufficientis, si secunda sit alterius rationis: sicut D. Thomas dixit de vnctione. Item, falsum est, quod Christus non fuit vnctionibus visibilibus: dicitur enim Ioann. 12. quod *Maria accepit libram unguenti nardi pifici, & unxit pedes Iesu*. Et Lucæ 7. dicitur, quod *osculabatur pedes eius, & unguento ungebat*. Et Christo mortuo vnctum est corpus eius per Nicodemum, vt dicitur Ioann.

19. Ergo falsum est, quod Christus non fuerit vnctus visibilibus vnctionibus.

Etiã dicatur, quod Christus non fuerit vnctus visibilibus vnctionibus per modum Sacramenti, vel sacramentalis, sicut fuit vnctus pane, & vino consecratis, & aqua Baptismi Ioannis, tamquam quodam sacramentali. Nõ obstat, quia Christus à sacramentis, vel sacramentalibus nihil virtutis accepit, & si aliquã virtutem dedit ex suo tactu, dedit omnibus, quæ tetigit, & quæ in vsum sacramentorum debebant venire.

7 Nihilominus hæc ratio à Theologo recipitur: & habetur in Cathechismo Pij Quinti. Vt autem notat Soto dist. 7. art. 3. nõ si res esset Ecclesiæ sanctionibus decreta, rationes huiusmodi non conuincerent; quia hæc nõ est alia ratio, quam diuina institutio. Ecclesiæ tamen sanctione supposita, optima est ratio D. Thomæ, quæ etiam est S. Bonaventuræ, Richardi, & Scoti dist. 7.

8 Ad Durandi instantias respondet Paludanus dist. 7. q. 1. nu. 17. Ad primam, quod tunc sit iniuria rei consecrata, quando idè genus consecrationis repetitur; non quando aliud, & aliud: maximè quando vnũ ordinatur ad aliud. Consecratio autem sacramentalis præcedit consecrationem, quæ est sacramentum in eadem materia: sicut post benedictiones multas, super panem, & vinũ proferuntur verba cōsecrationis. Sic in proposito, in materia Chrismatis præcedit consecratio sacramentalis, quæ non est sacramentum. Sic, & sanctificatio, quam Christus contulit materijs aliquibus sacramentorum, cū sit alterius rationis à sanctificationibus sacramentalibus, & verbalibus; nihil prohibet eas illi superuenire: sed bene vnã alteri eiusdem rationis. Sicut in eodem subiecto in naturalibus sunt plura accidentia simul diuersarum rationum; non autem rationis vnus.

9 Ad secundam, quod Christus vnctus, & mortuus vnctus fuit vnctionibus visibilibus; sed non per modum sacramenti: sicut vnctus fuit pane, & vino consecratis, & conuersis, & vnctus est Baptismo Ioannis. Non enim oleo, cum quo vnctus Apostolos, vnctus est, nec perse vnctus aliquem. Hæc Paludanus, & Capreolus, & Soto ibi. Et Caieranus 3. p. quaestione 72. art. 3. in fine dicens, quod de vni constitutio sacramenti est sermo; ita quod sensus est; contactus Christi in constituendo sacramentum, est sanctificatiuus materiam.

Qualiter autem materia corporalis sit gratia instrumentum? Et per quid aptetur, & sic.

eleuetur in actu primo ante usum sacramenti Exponit D. Thomas art. 3. ad 2. & 3. & nos late q. 62. dub. 4. §. 1. duplici via id defendimus.

10 Præterea obijciunt alij: nam Christus Dominus non indiguit Pœnitentiâ; nec recepit Sacramentum Matrimonij, Nec sacramentum Ordinis: & tamē in ijs tribus sacramentis non est necessaria præuia benedictio necessitate sacramenti. Ergo etiam si Christus Dominus non fuerit vltus vactione Chrismatis, præuia eius benedictio non est de necessitate sacramenti.

11 Respondet Basilius in Relect. parte 2. cap. 3. num. 9. quod etiam in materia remota horum trium sacramentorum reperitur sanctificatio. In sacramento quidem Ordinis ipsæ res, quæ traduntur, sunt sacræ, & diuino cultui antea dedicatæ, v.g. Calix, Patena, liber Euangeliorum, cui propter Euangelij verba, etiam patriæ cultus deferri possit. Item alia instrumenta, & templa sacra. Et in sacramento Pœnitentiæ materia remota est ipse pœnitens tubicetus iurisdictioni confessoris. Pœnitens autem sanctificationem habet acceptam per Baptismum, & sacrum signum indelebile, ratione cuius sacra quedam res est. Idem dicendum in Matrimonio: nam cum solū matrimonij fidelium sit sacramentum, corpora, quæ sunt materia remota eius sacramentum, sancta sunt, & replum Dei, vt scribit Paulus, ratione fidei acceptæ in Baptismo, & Characteris. Adde etiam humanitatem ipsam totam sanctificatam centeri ex coniunctione Hypostatica multo magis, quā aqua Baptismi censetur sancta ex contactu Christi. Maxime cum ea coniunctio fuerit Symbolum Matrimonij, vel potius in Matrimonio reperitur significatio, & vniōis Hypostaticæ, & coniunctionis Christi cum Ecclesia. Est ergo iam materia remota eorum sacramentorum sanctificata.

12 Sed contra hoc est. Primo, quia quid quid sit de veritate doctrinæ; non est necessaria ad intentum D. Thomæ, qui expresse dicit se loqui de quibusdam sacramentis habentibus materiam corpoream: & ita non loquitur de Pœnitentiâ, & Matrimonio, qui illa carent. Secundo, inauditum est, quod Pœnitens sit materia remota Confessionis; cum Theologi hucutque in illo sacramento pro materia proxima assignent actus Pœnitentiæ, & aliam remotam materiam non assignent, nisi peccata delenda. Tertio, cum dicimus sacramenta consistere rebus, & verbis, attendimus q. 60. dub. 9. §. 3. ex D. Thomæ,

quod in Matrimonio, & Pœnitentiâ res ipsæ actus sensibiles, qui ita se habent, sicut aqua in Baptismo, & Chrisma in Confirmatione. Cum ergo in Pœnitentiâ, & Matrimonio, ipsi actus sensibiles non prius benedicantur, & sanctificentur, quam in usum sacramenti adducantur; manifestum est de illis non procedere doctrinā D. Thomæ. Quarto, bene notat Paludanus in 4. dist. 7. q. 1. num. 16. quod licet sine exorcismo, & aquæ benedictione potest quis valide baptizari; ita & sine Euangeliorum libro benedictio datur Diaconatus. Ergo potius quoad hoc Ordo assimilatur Baptismo, quam Confirmationi.

13 Melius respondet Suarez in commentario art. 3. dicens, quod ad hoc *facilis est responsio*; sermonem esse de materijs, quæ sunt res sensibiles, & permanentes: nam aliquid quæ consistunt in actionibus humanis, aut verbis, non sunt capaces huiusmodi benedictionis: vt est in Pœnitentiâ Confessio peccatorum: & in Matrimonio expressio consensus, seu mutæ traditionis corporum: in sacramento Ordinis contractus aliquis. Quæ quā in eo sacramento, eo modo, quo ex parte materiæ concurrunt aliquæ res permanentes, ita in eis reperitur præuia aliqua sanctificatio: nam si materia est manuū Impositio; illæ manus sunt Episcopales, & consecratæ: si vero est porrectio alicuius instrumenti, illud instrumentum est aliquomodo sacrum, & religiosum, vt est Calix, & Patena, liber Euangeliorum, &c.

14 Hęc solutio quoad primam partem est ad mentem D. Thomæ in 4. dist. 14. & 3. p. q. 84. vt retulimus q. 60. dub. 9. num. 18. Sed quia est proprius locus de illa agendi in tractatu de Pœnitentiâ, de illa iterum quæstione 84. art. 1. Quoad secundam vero oportet addere ex D. Thomæ in 4. dist. 24. q. 1. art. 1. q. 3. rationem cur in sacramento efficaciam præcipue sit in verbis, quia spiritualis potestas deriuatur ab eo, qui sacramentum dat: eo quod vna potestas est ab alia: at vero in Confirmatione plenitudo Spiritus Sancti est ab extrinseco: & ideo efficacia illius principaliter consistit in materia, quæ virtutem diuinam, & significat, & continet ex sanctificatione per ministerium adhibita.

15 Quod obijcit Basilius num. 7. contra priorem partem solutionis, nullam continet difficultatem; quia non dicimus in Matrimonio, & Pœnitentiâ materiam remotam sanctificari. Sed potius asserimus ibi non opus esse materiam remotam sanctificandam; quia non sunt medicinæ prouenientes ab extrinseco;

secundo: sed consistunt in ipsis actibus sensibilibus, quos Deus eleuauit, vt sine alia materia sint sacramentum. Alias obiectiones proponunt, & solunt Suarez, & Baius, in ipsis videantur.

16 Ad argumentum hæreticorum facile responderetur, quod per figuram Protopopetiam res inanimas alioquimur; & salutamus: vt Danielis 3. in Cautico trium puerorum. Et in Psalm. 148. *Laudate Dominum de Cælis*: Et in hymno Crucis: *O Crux aues spes vntæ*: Et cum duceretur ad Crucem S. Andree, eam salutans dixit: *Salue Crux diu desiderata*. Quæ verba, vel sunt venerationis, vel referuntur ad Dominum pro nobis ea clavis fixum. Sic salutatio chrismatis, vel est venerationis instrumenti notitiam sanctificationis; vel est veneratio Christi in eo significati: nam vt dicit Diuus Thomas in quarto distinctiōne 7. quæst. 1. artic. 2. q. 2. ad 6. hac vactione, vt dicit Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis parte 1. cap. 1. significatur illa vniō, quæ Christus vnicius est, vt Rex, & Sacerdos, vltro latitæ præconfortibus suis. Vnde etiam à Chrismate Christus dicitur, & à Christo Chr. Iuanus. Et propter hoc etiam S. Dionys. de Eccles. hier. cap. 4. parte 3. per Chrisma Christum significari dicit.

§. III.

Vtrum Papa possit tolerare, vel variare benedictionem Chrismatis?

17 Sed restant circa hoc duæ difficultates. Prima, vtrum Papa possit dispensare, quod Confirmatio fiat ex Chrismate non benedicto?

Paludanus in 4. dist. 7. q. 4. num. 34. ait, quod forte ex dispensatione Papæ ex Chrismate non consecrato, & de oleo non benedicto possent facti confirmari, & morientes iungi; & esset eadem materia, quia consecratio illa nil reale addit; sed purā relationem rationis dicit. Vnde Christus materiam instituit; sed sanctificationem Ecclesiæ commisit. Vnde Papa, qui est super totam Ecclesiam, non potest quidem materiam mutare, sed eius consecrationem potest mutare, vel omittere: quia sic Christus instituit, quod oleum, vel Chrisma sit materia: eodem modo quo fuerit per Ecclesiam determinatum. Vnde forte non est idem modus consecrandi apud omnes. Et quia consecratio illa non est sacramentum, sed aliquid sacramentale; ideo videtur esse in dispositione Ecclesiæ.

Hæc Paludanus, & Capreolus in 4. dist. 7. q. 2. ad 1. Probabilemque iudicat Etius in 4. distinctiōne 7. §. 9. in fine. Refertque, & non improbat Diana parte 1. tract. de Consecr. Episcoporum retol. 83. col. 3.

18 In similibus tradiderat parte 8. tractatū 1. de potestate Pontificis ad sacramenta resol. 1. dicens Pontificem posse dispensare vt sacramentum Confirmationis valeat administrari cum solo oleo oliuarum: quia probabilis est sententia Caietani, quod balsamum est solum de necessitate præcepti; & quia vt ait Franciscus Lugo de Sacram. cap. 1. num. 5. deficiente balsamo, melius esset sacramentum probabile ministrare, quā nullum. Videaturque idem debere tenere (si consequenter loquantur) qui dixerunt Christum Dominum non determinasse in specie materias, & formas sacramentorum: sed tantum in genere, vel sub disiunctione: & vltimam determinationem Ecclesiæ reliquisse. Pro quō multos retulimus q. 60. dubio 13. & plures referunt, & sequuntur Diana parte 1. tractatu de Consecratione Episcoporum retol. 78. Et Angelus Maria Virrile. de Apostolicis missionibus, & alij referendi, & referendi tractatu de Ordine.

19 Sed ne ad extranea diuertat oratio; opinionem Paludani, quoad hoc nominatim, impugnat Soto dist. 7. art. 3. §. Atque, & §. *Argentus tamen*. Et Suarez disp. 33. sect. 2. ad 1. §. *Mihi tamen*. Granados cōtrou. 3. tract. 1. disp. 2. sect. 2. num. 11 Henriquez lib. 3. cap. 2. nu. 2. lit. o. & alij communiter. Probatque ex professo Basilius Pontius de Confirmatione parte 2. cap. 3. nu. 12. Quia non reperitur necessitas omittendi eam benedictionem: licet enim non occurrat tam facile, qui benedicat; at sine magno labore commodè comparari potest Chrisma ab Episcopo benedictum. Adeoq; numquam est dispensatum, quod in Chrismate non benedicto conficeretur: Vnde facultates cocellæ à Pontificibus vt Religiosi in India confirmarent; fuerunt datæ ea lege vt vterentur Chrismate per Episcopum benedicto. Secundo, ex commissione Papæ simplex Sacerdos, ideo valet confirmare, quia in Decreto Eugenij Quarti, & in Concilio Tridentino canone tertio, Episcopus dicitur *Oratoribus minister*. At cum Eugenij decretum, & alij Pontifices requirunt, quod Chrisma sit benedictum, nullam apponunt limitationem: ergo est institutio Christi, quod requiritur benedictio: & ideo hoc Papa non valet immutare. Denique Concil. Trident. sess. 21. cap. 2. declarat Ecclesiæ non esse relicta potestata.

testatem circa variationem substantiæ sacramentorum; sed solum circa vsum: cū ergo consecrationem Chrismatis dixerimus ad substantiam pertinere, consequenter ad dicta affirmandum esse essentialem, & omnino non posse ab Ecclesia tolli.

20 Sed hinc confurgit alia difficultas, vtrum Papa possit variare benedictionem Chrismatis?

Respondet Basilius in Relectione de Confirmatione parte 2. cap. 4. num. 11. non esse de iure diuino hanc, vel illam formam consecrationis Chrismatis in particulari. Quod manifestum est ex eo, quod non omnino eadem orationes recitentur modo pro benedictione Chrismatis in Pontificali Romano, cum illis, quæ extant in antiquo ordine Romano. Neque in Ecclesia Græca eadem orationes dicuntur, atque in Latina. Quare dico ex institutione diuina solum requiri vt per invocationem Spiritus Sancti benedicatur Chrisma: Ecclesia autem relicto esse, vt formam benedictionis determinet. Fautent Sancti Patres, qui cum de consecratione Chrismatis loquuntur, appellant illud benedictum. *Per Sancti Spiritus invocationem.* Sic videntur sentire Soto, Suarez, Syluius, Aggidias, & Faber locis citatis, & alij. Item Ioannes Præpositus, Coninch, & Filutius, quos refert, & sequitur Diana parte 6. tract. 8. resolut. 21. Ioannes Petit, & Villalobos, quos refert, & sequitur ipse Diana parte 8. tract. 1. resolut. 7.

21 Cæterum explicatius, & melius id tradit Suarez disp. 33. lect. 2. ad 1. §. *Restat vero*, docens, quod consecratio Chrismatis in communi est de essentia huius sacramenti ex Christi institutione: modus autem consecrationis Ecclesiæ ordinationi est relicto. Quod potest dupliciter intelligi. Primo, vt facta ab Ecclesia determinatione consecrationis, iam non tantum consecratio absolute, sed etiam talis modus consecrationis sit essentialis, & simpliciter necessarius. Et hoc tenet Paludanus in 4. dist. 7. q. 4. num. 34. dicens. *Sicut autem nullum est Matrimonium inter personas, quas Ecclesia reddit illegitimas, si non esset Confirmatio, nec unctio, si fieret de materia contra ritum Ecclesiæ preparata.* Hancq; sententiam dicit probabilem Suarez, & sequuntur Præpositus, & alij. Et in hoc magis inclinatur Serra q. 72. art. 3. dub. unico ad 3. Et Verricelli de Apoll. miss. tit. 7. q. 127. num. 10. quia ex institutione Ecclesiæ potest pendere existentia, seu legitimatio materiæ, seu quod talis reuera sit, qualem Christus postulat.

Secundo potest intelligi Christum solū. instituisse, quod non valeat sacramentum, nisi Chrisma benedicatur; modus autem ab Ecclesia præscriptus solum sit de præcepto Ecclesiæ: vnde si de facto alius adhibeatur, incurritur inobedientia, sed sacramentum tenet. Et ita tenent Soto dist. 7. art. 3. §. *Virginitas tamen.* Nuño q. 72. art. 3. diff. 2. §. *Sed multo melius.* Suarez supra: & omnes, quos refert, & sequitur Basilius num. 11. & 12. & alij, quos citat, & sequitur Diana vtroque loco supra relato: & quindecim Authores, quos citat Verricelli, & eorum sententiam probabilem dicit conc. 1. Nec enim est credibile velle Ecclesiam omnes eos ritus esse tales esse: alioquin si aliquis ritus omittetur (quod facile in tam multis cæremonijs euenire potest) nulla esset benedictio Chrismatis: quod est inconueniens. Quare nec istæ orationes, quæ huc sunt, neq; quod signum Crucis in eâ benedictione adhibeatur, est de necessitate sacramenti, sed solum quod super illam materiam Spiritus Sanctus inuocetur cum intentione eam benedicendi ad vsum sacramenti.

§. IV.

Vtrum solus Episcopus valeat Chrisma benedicere?

22 **T**res difficultates sub isto quæsto implicatur. Prima de potestate Sacerdotis sine commissione speciali Episcopi, vel Papæ. Secunda de potestate eius ex commissione Episcopi. Tertia, quid valeat facere ex speciali Papæ commissione. Quæ difficultates ex quatuor sententijs referendis magis clarescent. Caietanus 3. par. quæstione 72. articulo tertio dicit, quod perspicacius considerando, videtur magis rationi consentaneum, quod si Episcopus confirmaret cum Chrismate consecrato à simplici Sacerdote, sacramentum validum esset: quando quidem nulla est maior consecratio ea, quæ fit in Eucharistia; quam cum possit simplex Sacerdos efficere; omnem aliâ non sacramentalem efficere potest; ita quod facta tenet; quamuis peccet faciendo. *Nihil tamen diffinitive concludo.* Legimus enim etiâ Apostolica Sede dispensante circa ministrum huius sacramenti, inconcussè explicatū fuisse, quod vrantur Chrismate consecrato per Episcopum, vt patet in Conc. Florentino sub Eugenio Quarto. Hæc ibi. Pro eadem sententia refert Leander tract. 3. disp. 3. q. 5. Paludanus.

danum, Victoriam, & Valentiam, & Reginaldum. Sed omnes male; quia loquuntur in casu tertiæ difficultatis, de qua ipse quæstione 6. In hac enim nullus cum Caietano conuenit: & ideo male Leander solum oppositum proponit, vt longe multo probabitur.

23 Quin potius Soto dist. 7. art. 3. §. *At vero* ait. Hæc opinio non est iusta, quoniã sicut solus Episcopus ex officio est minister sacramenti; ita & solus ipse est; qui ex officio materiam potest consecrare. Neque consequentia Caietani vllius est ponderis. Fallit enim regula, quod qui potest maius, possit minus. Minus est consecrare altare, & consecrare minores ordines, quam consecrare hostiã; tamen Sacerdos, qui potest hoc maius, non potest illa minora facere. Hæc Soto. Nuño q. 72. art. 3. diff. 3. dicit primam sententiam improbabilem; & quod sibi videtur temeraria. Suarez disp. 33. lect. 2. ad 2. quod est singularis contra omnes Theologos: Quod & affirmat Petrus Ledesma tract. 3. cap. 2. conc. 9. & Serra q. 72. art. 3. ad 2. & Basilius parte 2. cap. 4. num. 1. Denique Diana parte duodecima tractatu 1. resolut. 83. relatis Præposito, & Amico, dicit, quod videtur planè temeraria; cum in re maximi momenti repugnet communi sensui Ecclesiæ, absque ratione sufficienti. Afferunt Conc. Toletanum 8. & cap. Presbyter. 26. q. 6. dicitur. *Presbyter in consilio Episcopi, Virgines non consecret: Chrisma vero nunquam conficiat.* Sed hi Canones non urgent; quia præcipiunt quidem ne fiat, non tamen explicat, quod aliter factum non teneat.

24 Circa secundum, Martinus Ledesma 1. p. 4. q. 13. art. 3. docet simplicem Sacerdotem ex delegatione, vel commissione Episcopi posse benedicere sacrum Chrisma. Probat ex Concilio Toletano 1. cap. 20. vbi dicitur. *Quamuis pœne vbiq; custodiantur, vt absque Episcopo Chrisma nemo conficiat, tamē quia in aliquibus locis, vel Prouincijs Presbyter dicuntur Chrisma consecrare, placuit ex hac die, nullum alium, nisi Episcopum, Chrisma consecrare. Vbi non dicit id, quod fiebat a Presbyteris, esse irritum; sed solum precipit ne amplius fiat.* Quod & videtur colligi ex Conc. Cart. 2. capite 3. Et Brachar. 1. can. 37. Et ex S. Hieronymo epist. ad Rusticum Narbonensē de septem gradibus.

25 Communiter etiâ hæc sententia reijcitur. Quia consecrare chrisma pertinet ad potestatem Ordinis Episcopalis: quam non habet simplex Sacerdos. Licet autem ex commissione Episcopi possit Sacerdotis iurisdic-

tio extendi. Sed tamen Episcopi non possunt extendere potestatem ordinis ad actus, ad quos character est de se insufficientis.

26 Ad auctoritates respondet Suarez disp. 33. lect. 2. §. *Nec decretum*; quod verba illa prohibentia, iuxta capacitatem materiæ intelligenda sunt; non tanquam de nouo inducencia prohibitionem; sed tanquam declarantia id, quod de se erat prohibitum, atque irritum.

27 Basilius vero parte 2. cap. 4. num. 5. dicit in illo Canone non esse sermonem de consecratione chrismatis ad Confirmationem; sed ad vngendum in vertice eos, qui baptizati iam sunt. Quam consuetudinem primus instituit S. Syluester Papa, vt testatur S. Damianus in Pontificali in eius vita. Huc esse sensum canonis videtur constare ex epistola Montani Archiepiscopi Toletani, qui Concilio Toletano Secundo præfuit: quæ refert Loyola in additionibus ad illud Concilium. Quia tunc neque chrismate in vertice baptizatos licebat vngere sine Episcopi consensu, vt colligitur ex Hugone de S. Victore lib. 2. de Sacram. par. 7. cap. 3. & ex S. Leone Papa epist. 86. aliâ 88. Illam vero epistolam ad Rusticum Narbonensem, non esse S. Hieronymi, omnes fere recentiores notant.

28 Circa tertium, sunt duæ celebres opiniones. Negatiuam sententiam, vt probabilior tradunt Nuño 3. p. 72. art. 3. difficult. 3. conc. 3. Petrus Ledesma de Confirmatione cap. 2. conc. 9. in fine. Bartholomæus Ledesma diff. 3. conc. 6. Ioan. à Cruce de Confirmat. conc. 3. Serra q. 72. art. 3. dub. unico ad 2. Syluius ibi, & in Addit. ad §. 2. Binsfeldij. Item tenent Suarez disp. 33. lect. 2. fine. Henriquez lib. 3. cap. 2. nu. 2. lit. v. & alij nouem Doctores, quos refert, & sequitur Leander tract. 3. disput. 3. q. 6. male pro hac parte referens D. Thomam in 4. distinctione 18. q. 1. & 2; vbi nec verbum de hæc. sed dia. 7. vbi erat locus, de hoc puncto non disputat; sicut nec hic articulo 3. Granados tract. 1. disp. 2. lect. 2. nu. 12. Catrus Palas tract. 20. puncto 2. nu. 7. Bonacina disp. 3. punct. 3. Tullench de Confirmat. num. 6. Auera lect. 2. q. 72. Item Basilius in Relect. de Confirmatione parte 2. cap. 4. n. 3. refert viginti sex Authores (licet fere dimidia eorum pars explicationem admittat) & tandem num. 10. iudicat hanc sententiam incertam, vt oppositam, si non temerariam; at omni probabilitate destitutam censent.

29 Probant potissimè ex decreto Eugenij Quarti in Concilio Florentino: nam si censeret hæc benedictionem Episcopi solum ordinariè deiuuari, & nõ ablutè, adderet eam particulam, ut expreßit, quando loquutus est de ministro sacramenti: & similiter, sicut cum loquitur de forma sacramenti Matrimonij, dixit, *regulariter esse verba*; quia potest per epistolam, vel nutus celebrari. Adderet etiam in præsentia, *regulariter, vel quid simile*.

Secundo, quia numquam hætenus dispensatum est: quia licet Gregorius Tertius decimus concesserit Religiosis vt Indos confirmarent, ob Episcoporum paucitatem, & locorum distantiam, id fuit dummodo vterentur Chrismate per Episcopum benedicto. Denique nulla est dispensationis necessitas, vt nu. 19. dicebatur, cum facile Chrisma ab Episcopo benedictum possit de facili ad omnia loca terrarum deferri, vt de Balsamo diximus cum D. Tho. ar. 2. ad 4.

30 Cæterum Caietanus 3. p. q. 72. ar. 3. ait. De secunda autè quaestione nulla ego video rationem dubitandi, supposita potestate Papæ de mutatione ministri. qui enim potest maius, potest, & minus: maius autem esse constat, quod Presbyter conferat Confirmationis sacramentum, quam cõferat materiam sacramenti, quanto maius est sacramentum sua materia. Et propterea, si Papa potest facere, quod simplex Sacerdos confirmet, potest etiam efficere, quod idem consecret materiam. Hæc Caietanus. Quod antea docuerant Paludanus in 4. dist. 7. q. 4. num. 34. Capreolus ibi q. 2. Poiteaq; sequuti sũt Soto a. 3. §. Restat ergo, concludens, De hac ergo re, quæ ex autoritate Pontificis Maximi pendet, nihil à nobis differendum est. Probabile tamen est, quod possit etiam in hoc dispensare. Assertiue tuentur Victoria de Confirmatione n. 43. Martinus Ledesma 1. p. 4. q. 13. art. 3. Bietas to. 1. in 1. p. fol. 778. Dicuntque probabilem Nauõ, Petrus Ledesma, & alij Thomistæ præsertim opinionem relati, & Suarez vbi supra. Et hanc tenere Sotum in 4. dist. 6. q. 1. n. 8. post alios, dicit ibi Hugo Cabellus: & quod quæ eum referunt pro opinione contraria, eum non legerunt, dicit Martinus a S. Ioseph tract. 1. de Cõfirm. n. 8. Item tuetur Palacios in 4. dist. 7. q. 4. Angles in 4. de Confirm. art. 2. conc. 6. Ludouic. de S. Iuan. dub. 2. conc. 2. fol. 93. Irribarne in 4. dist. 7. disp. 23. sect. 2. conc. 1. Pitigianus q. 1. art. 4. conc. 2. Valentia disp. 5. general. q. 1. punct. 2. in fine. Reginaldus lib. 28. nu. 8. Bauni to. 1. trac. 7. q. 9. circa finem. Amicus to. 7. disp. 13. sect. 2. nu. 46. Puteanus

3. p. q. 72. dub. 5. Hugolinus de Confirm. capite 18. Binsfeldius de Confirm. §. 2. Petrus Cañedo cap. 2. de Confirmat. folio 56. Gabriel à S. Vincentio disp. 2. q. 2. Diana parte 8. trac. 1. de Potestate Pontificis resol. 12. & parte duodecima tract. de Consecrat. Episcoporum resol. 83. referens Bizozzerum de sacramenti parte 3. cap. 4. q. 5. n. 6. Si ergo eruditissimus Basilius, in hoc puncto in euoluendis Auctoribus maiorem adhibuisset diligentiam, plusquam quinquè pro hac opinione reperisset; & eorum auctoritas (si non sublimitas Pontificis Maximi) rigorè centuræ temperasset;

31 Hæc sententiã est præcedente probabilior: quia semper vrget ratio Caietani in illis, quæ sunt eiusdem ordinis: nam si sacramentum ipsum potest committi simplici Sacerdoti, cui non materiæ præparatio: Cum enim collatio sacramenti præstantior sit, quam benedictio materiæ, sicut sacramentum præstantius ipsa materia, consequitur, vt & consecratio chrismatismatis possit simplici Sacerdoti committi. Nec Concilium Florentinum obstat: videtur: nam vt ait Soto, illis quod contingit memoratur: at non prohibetur quin possit vtrumque committi. Quia in re tanta argumentum negatiuum sine alijs aduinculis inefficax est. Præcipue cum de facto adsit congruentia dispensandi in vno, quæ non inuenitur vt dispenseretur in alio.

32 Quod dupliciter solet confirmari. Primo, nam sola facti negatio antequam fuisset in ministro huius sacramenti dispensatũ, non arguebat defectum potestatis in supremo Ecclesiæ capite: sicut neque sola facti negatio in dispensatione consecrationis materiæ arguet in eodem defectum potestatis.

33 Secundo: nam aliæ consecrationes Calicis, vel Altaris, imò & collatio minorũ Ordinum (imò & aliorum, secundũ aliquos, de quo in tractatu de Ordine) possunt à Summo Pontifice simplici Sacerdoti committi: ergo & consecratio chrismatismatis: siquidem vt ait D. Thomas in 4. dist. 7. q. 1. art. 2. q. 3. ad 2. *Illam benedictio vocalis chrismatismatis non est forma sacramenti, sed magis est quedam benedictio sacramentalis, sicut benedictio aquæ, vel altaris.* Et in Concilio Toletano 8. cap. 7. æqualiter dicitur diuinam auctoritatem Episcopali eminentiæ concessisse, quæ cæteris Sacerdotibus exercenda prohibuit, scilicet templorũ Dei sacrationem, chrismatismatis benedictionem, sacrorumque ordinum institutionem: quæ à nullo altero conferri, quam à solis Pontificibus

bus possunt. Sicut ergo alia possunt non potestate ordinaria, sed ex commissione Papæ, ita & Chrisma valebunt benedicere ex eius commissione.

§. V.

Verum de facto sit concessum, quod Sacerdos simplex Chrisma consecret?

34 Validissimum argumentum pro maiori probabilitate huius opinionis desumeretur, si constaret Papam de facto id commississe simplici sacerdoti: ex eo enim, quod de facto summus Papam commississe simplicibus sacerdotibus, quod cõfirmaret, D. Thomas, & iam communiter Theologi defendunt illud sacramentum valide, & licite ex commissione Papæ posse simplicem sacerdotem ministrare. Quod autem de facto summus Pontifex eõcesserit, quod simplex sacerdos Chrisma benedicat, videtur constare: quia Ioannes à Cruce de statu Religionis lib. 2. cap. 5. dub. 9. conc. 2. ait. *Prælati Regularium possunt in suis terris consecrare Chrisma: Ita concessit Urbanus secundus Bulla prima.*

35 Occurrit tamen Alcanius Tamburinus tomo secundo de Iure Abbatum disputatione tertia q. 2. n. 2. dicens, quod Ioannes à Cruce hallucinatus est ex mendosa impressione dicti priuilegij, quod est apud nouam collectionem Bullarum Apostolicarum pro Regularibus factam à Roderico in principio: quando quidem in originali, quod habetur in Monasterio Cauenti Congregationis Montis Casini, nõ est illa particula, *Chrisma consecrare*: sed dicitur: *Sacrorum Ordinum collatione, Basilicarum, & altarium consecratione, ac chrismatismatis consecratione, dumtaxat exceptis.* Ita etiam habetur in eodem priuilegio correcte impressio in tomo primo Bullarij noui Laertij Cherubini. Hæc Tamburinus. Ex quo idem transcripsit Eligius Batæus in Floribus verbo Confirmationis. 5. in tertia editione Antuerpiæ anno 1648.

36 Sed ego in Bullario Laertij Cherubini nouissimæ editionis anni 1655. & in Cõpendio eius filij Flauij Cherubini editionis anni 1624. vnam solam Bullam inuenio Urbani secundi, quæ incipit: *Cum vniuersis edita anno 1090. pro Monachis Vallis Umbrosæ: & ibi §. 3. dicitur. Chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium, siue Basilicarum, ordinationem Clericorum, liceat vobis à quocumque volueritis Catholico Episcopo, Romana Ecclesiæ gratiã, atque communionem obtinente, percipere; qui nos trasultus auctoritate, quæ postulantur, indulgeat.* Vbi non conceditur Monachis auctoritas consecrandi chrisma; sed solum illud accipiendi consecratum ab Episcopo catholi-

co. Et Bulla est expedita Romæ per manus Ioannis S. R. E. Diacon. Cardinalis anno 1090. Indictione 13. octauo idus Aprilis Pontificatus Dñi Urbani Papæ secundi, tertio.

37 Ex quibus maniretum est hanc Bullam esse anteriorem, & omnino diuersam ab ea, quæ refertur in Bullario Emanuëlis Roderici: siquidem illa non est directæ Monachis Vallis Umbrosæ: sed Reuerendissimo Fratri Petro, Cœnobij Cauentis Abbati: & quamuis incipiat: *Cum vniuersis*: sed est data Salerni Decimo Octauo Kalendas Octobris anno 1092. Pontificatus Domini Urbani Papæ Secundi Anno 3. Et ibi numero quarto dicitur. *Cõcedentes, & edicta perpetuo cõfirmantes, vt tam tu, quam successores tui Monasterij, habitas, & habendas libere possis Ecclesiis construere, cum Cruce signare, atque Pontificalia, & spiritualia exercere, sacrorum Ordinum collatione, Basilicarum, & altarium consecratione, & chrismatismatis consecratione, tibi, tuisque successoribus dumtaxat, applicata penitus potestate.* Hæc est prima Bulla totius Bullarij Roderici; quam confictam esse, nec suspicari licet: eamque cum originali concordare, testimonium perhibet Notarius Apostolicus Philippus Salgado subscribens, & suo sigillo muniens Salamantiæ anno 1605.

38 Vereor tamen ne hic non sit sermo de Chrismate pro confirmationis sacramento: sed vel pro consecratione Ecclesiæ; vel pro vnguendis pueris baptizandis, vel baptizatis: quæ concessio erat necessaria: quia, vt inquit Hugo de S. Viet. 3. to. de Sacram. lib. 2. p. 7. cap. 3. *Antequam esset quod prius in portibus omnis vincto, chrismatismatis per solos Pontifices fiebat.*

Solum contra hanc expositionem videntur militare illa verba antecedentia: *Sacrorum Ordinum collatione.* Ex quo & similibus Priuilegijs, quamuis Rodericus to. 1. qq. Regul. q. 18. ar. 3. & 4. Vazq. de Sacram. Ordinis, Henriquez in Priuilegijs Cisterciensium; & ipse Tambur. de Iure Abbatum to. 2. q. 3. n. 3. velint Abbates Cistercienses posse cõferre Ordinem Subdiaconatus, & Diaconatus. Quia tamè in hoc magna latent difficultates, quarum aliquas opponit Egidius Cõinch disp. 20. dub. 9. n. 91: Et expenduntur in tract. de Ordine: ideo in illa sola clausula æquiuoca non possumus rem tantam stabilire, quæ maxime exorbitata iure communi, & consuetudine Romanorum Pontificum.

Igitur quamuis immerito Tamburinus scripserit Ioannem à Cruce fuisse hallucinatum (cum hoc crimen in ipsum posset retorqueri, qui Bullas non legit, vel legens non

percepit evidentem eorūdem distinctionē) tamen non audeo affirmare hoc Privilegiū de facto cōcessum: quia est nimis singulare; & dum clariori instrumento authentico nō probetur, quod nullam exceptionem, vel interpretationē patiatur, nō possumus prudēter credere: qui enim cito credit, levis est corde.

39 Quia etiam hæc Bulla relata à Rodriguez, quæ evidenter est diuerſa ab illa, quæ refertur in Bullario communi Cherubini, videtur eadem cum illa, quæ habetur in Monasterio Cauensi (liquidem ad eius Abbatem fuit directa) Si in Originali habetur, prout refert Tamburinus; omnis difficultas cessat: quia sic legendo, est congruentissim⁹ sensus: quia omnia ibi numerata conceduntur illi Abbati, excipiendo, quod non possit maiores Ordines cōterre, nec Sacrum Chrisma conficere: quia ista pertinent ad Episcopos. Et conferendo hanc Bullam cum aliā data ab eodem Papa duobus annis antecēditibus, videtur omnino ita asserendum. Et ad Rodriguez dicitur, vel ex in curia Amanuēſium, vel simili causa, hoc sicut, & alia menda ibi irrepsit: quod multi aduertunt: & expresse faterur Reuerendissimus Frater Petrus Manero (aunc ad Episcopalem sedem assumptus) cum esset Generalis totius Ordinis Seraphici, in litteris datis Aluernæ die 7. Nouembris 1651. initio enim ait. *Cum in Bullario compilato ab egregio viro Adm. R. Em. Rod. aliquos deprehenderimus defectus, &c.* Iuxta hoc ergo fatendum ibi deesse illam clausulam: *Dumtaxat exceptis*: & sic asserendum de facto non constare, quod aliquando Papa cōmiserit simplici sacerdoti sacrum Chrisma conficere.

40 Quod autem mendum in Bullario Roderici in hoc puncto, non fuerit ex Typographo, sed quia ipse Bullam plumbeam natus est, in qua mendum irrepsit, constat ex additione marginali (cuius authorem se esse profiteretur ipse Emanuel Rodriguez in Prologo, & in epistola dedicatoria) nam ibi lit. b. ait. *Abbatēs modo tantummodo possunt Ordines Minores conferre suis subditis: habes in tom. 1. q. 9. Regularium q. 18. art. 2. & 3. & 4.* Quæ additio necessaria non esset, si in textu esset: *Dumtaxat exceptis*: quia quod à Pōtifice exceptum erat, & non concessum, non erat opus, quod à Concilio Tridentino auferretur. Ioannes à Cruce, qui ad Monasterium Cauense non migrarāt ad videndum Bullam originalem, non fuit hallucinatus legens, & intelligens Bullam eo sensu, quo primus, qui eam typis mandauit, intellexit. Sed iam cum, qui comperto errore editionis

Bullæ, absque alio examine eam ad praxim reuocaret (vt sonat apud Rodriguez) vel in consideratum, vel præcipitem iudicarem. Legendum est ergo. *Aliaque Pontificalia, & Spirituaalia exercere (sacrorum Ordinum collatione, Basilicarum, & Altarium consecratione, & Chrismatis consecutione, dumtaxat exceptis) tibi, tuisque successoribus applicata penitus potestate.* Et sic antecedentia, & subsequētia congruū sensum reddunt.

DVBIVM IV.

De vñctione, quæ est materia proxima Confirmationis.

§. I.

Est materia essentialis vñctio in forma Crucis.

Quidam ex antiquioribus Scholasticis, & nonnulli ex Græcis existimarunt Confirmationem esse aliquid permanens. Sic Gabriel Philadelphienſis de sacramētis, & Nicolaus Cabasilas in expos. Liturgiæ c. 19. & Marc⁹ Ephesius in quodā opusculo.

Cæterum Sanctus Thomas in 4. dist. 7. quæst. 1. artic. 2. quæst. 3. ad 2. id refert, & impugnat his verbis. *Quidam dicunt ipsam Chrisma esse sacramentum. sed hoc falsum apparet in hoc, quod vsus Chrismatis in pluribus est quam sacramentum Confirmationis: sicut patet in baptizato, qui Chrismate in fronte linitur: & de Pontifice, cuius caput Chrismate tangitur. Et ideo dicendum, quod sacramentum Confirmationis non est ipsum Chrisma, sed linitio Chrismatis sub forma præscripta verborum.* Illa autē benedictio vocalis Chrismatis non est forma sacramenti; sed magis est quædam benedictio sacramentalis, sicut benedictio aquæ, vel altaris. Hæc D. Thom.

2 Præterea idem constat ex differentia, quam assignat D. Tho. q. 73. ar. 1. ad 3. inter Eucharistiam, & reliqua sacramēta. Quam postea canonizauit Concilium Tridentinū sel. 13. cap. 3. dicens. *Verum illud in ea (Eucharistia) excellens, & singulare reperitur, quod reliqua sacramenta, tunc primum sanctificanda vim habent, cum quis illis vtitur: at in Eucharistia ipse sanctitatis author ante vsus est.* Et ideo Chrisma ante vsus illius, seu ante vñctionē, quæ cum illo fit, non est sacramentum, nec actus habet vim dandi gratiam. Cum quo comparatur, quod ante vsus, Chrisma consecratū non sit aliquid commune, sed benedictione sacrum, & aptum vt assumatur ad sacramentum, & habeat virtutem instrumentalem in actu primo.

Vnde

Vnde D. Thomas hic art. 3. ad 2. ait, quod sicut instrumentum virtutem instrumentalem acquirit dupliciter, scilicet, quando accipit formam instrumenti; & quando mouetur à principali agente ad effectum: ita etiam materia sacramenti duplici sanctificatione indiget: per quarum vnā fit propria materia sacramenti; per aliā vero applicatur ad effectum. Qua doctrina D. Tho. imprimè intelligatur verba S. Cyrilli Hierosol. catecheū 3. Vñctio ergo cum Chrismate est materia proxima sacramenti Confirmationis: quia super illā immediatē applicatur forma, & ex vtraque fit vñctio sacramentum.

3 Sed inquiri solet, primo, vtrum sit de necessitate sacramēti, quod vñctio sit in forma crucis? Negant Aureolus in 4. dist. 7. q. 1. propè finem. Vivaldus de suscipient. confirm. n. 5. dicens, nullum Authorem contrarium asserere. Pro qua sententiā refert Leander tract. 3. disp. 3. q. 11. Moure 3. p. Examinis cap. 1. §. 7. Sed falso: nam ibi de hoc puncto non agit: sed §. 4. n. 3. vbi contrarium indicat.

4 Asserendum tamen est esse necessariū necessitate sacramenti, quod ipsa vñctio fiat sub figura crucis. Ita S. Tho. artic. 4. ad 3. vbi ait. *Hoc sacramentum non solum ordinatur ad hoc, quod homo sanctificetur in se ipso: sed exponitur cuidam pugne exteriori.* Et ideo non solum fit mentio de interiore sanctificatione, cum dicitur, *Confirmo te Chrismate salutis*: sed etiam consignatur homo exterius quasi vexillo crucis ad pugnam spiritualem; quod significatur, cum dicitur: *Consigno te signo Crucis.* Idem docet in 4. dist. 7. q. 1. artic. 3. q. 2. ad 2. & 3. & ibi Durand. q. 2. n. 9. Soto ar. 4. ad 1. dicens. *Animaduertendū etiā, quod Chrismatio necessaria debet in forma crucis fieri: Alioquin forma esset falsa.* Nunquid q. 7. 2. ar. 4. diff. 2. conc. 2. dicit oppositū improbabile, & non carere temeritate. Hoc esse certum dicit Suarez disp. 33. sec. 3. ex Patribus, quos refert, concludens, quod hæc est institutio, quæ per patriam traditionē ad nos peruenit. Basilus par. 2. c. 5. nu. 4. dicit, quod est omnium Doctorum, ita vt nō sit opus eos enumerare. Vt videas quanta veritate Vivaldus scripserit nullum hoc asserere. Triginta refert Leander: & tercentos possemus referre: sed esset facere iniuriam notissimæ veritati. Constantinus Imperator in suo edicto refert, quod S. Syluester: *Septiformis gratia Sancti Spiritus consignationem adhibuit beati Chrismatis vñctione, & vexillum Sanctæ Crucis in mea fronte linitur; dicens: Signet te Deus, &c.* S. Gregorius Turonensis lib. 2. de gestis Francorum cap.

31. inquit. *Clodoneus delibutus est sacro Chrismate cum signaculo Crucis.*

§. II.


Et quod fiat in fronte.

Præterea asserendum est, quod hæc vñctio debet fieri in fronte: dicit enim banus lib. 1. de institut. Clericorum cap. 31. & refertur de consecratione dist. 5. cap. 5. *Sig. natur. baptizatus Chrismate in summitate capitis per Sacerdotem: per Pontificem vero in fronte.* Idem probat D. Thom. art. 9. nam in hoc sacramēto homo accipit Spiritum sanctum ad robur spiritualis pugne: vt fortiter etiam inter aduersarios fidei Christi fidem constetur. Vnde de conuenienter signatur Chrismate signo crucis in fronte propter duos. Primo quidem, quia insignitur signo crucis, sicut miles signo ducis. Quod quidem debet esse evidens, & manifestum. Inter omnia autem loca corporis humani maximè frons manifesta est, quæ quasi nunquam obtegatur. Et ideo linitur confirmatus Chrismate in fronte, vt in manifesto demonstraret se esse Christianum. Sicut & Apostoli post acceptum Spiritū sanctum se manifestauerunt, qui prius in Coenaculo latebāt. Secundo, quia aliquis impeditur libera cōfessione nominis Christi propter duo, scilicet, propter timorem, & propter verecundiam. Vtriusque autem horum signū maximè manifestatur in fronte, propter duos, scilicet, propter propinquitatē imaginationis: & propter hoc, quod spiritus à corde directē ad frontem ascendunt. Vnde verecundati erubescunt, timētes autē paleſcunt, vt dicitur in 4. Ethicorum cap. vit. Et ideo in fronte signatur chrismate, vt neque propter timorem, neque propter erubescētiā nomen Christi confiteri prætermittat.

6 Sumitur hæc ratio ex Sancto Augustino in Psalmū 141. ad illa verba: *In via hac quæ ambulabam.* Approbaturque in Concilio Florentino dicente. *Idem in fronte, vbi verecundia sedes est, confirmandus ungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat: & præcipue Crucem eius, quæ Iudæis est scandalum, Gentibus autem salutaria, secundum Apostolum: propter quod Crucis signo signatur.*

7 Addunt Victoria de confirmatione num. 51. Quod autem fiat signatio in fronte non videtur esse de essentiali huius sacramenti. Quia in Euangelio non legimus, nisi quod

Tt. 2. impo.



imponerent manus super illos. Idem dicit Martinus Ledesma. 1. p. 4. q. 13. art. 9. Esse que probabilem, ait Filliutius tract. 3. n. 15. Fauetque Martinus à S. Iosepho tract. 1. de confirmatione num. 14. dicens. *Y aduertase, que tambien es precepto de la Iglesia, que la Vnctio se haga en la frente, cap. vnico, de sacra vnctio-*

8. Nihilominus Soto dist. 7. ar. 9. §. *Vnum tamen, rectè docet, esse de essentia sacramenti: nam si fieret in manu, certè non esset sacramentum. Hoc pater ex cap. Nouissimè, de Consecrat. dist. 5. c. Presbyteris, dist. 4.* Item, quia etiam designata sunt membra tanquam de essentia, in quibus fieri debet Extrema vnctio.

9. Nuño q. 72. art. 9. propter comunem usum Ecclesie, & auctoritatem Concilij Florentini, dicit oppositum improbabile, & non carere temeritate. Valde etiam temerarium appellant Suarez disp. 3. §. 3. circa finem, & Granados controu. 5. trac. 1. disp. 2. sec. 2. nu. 14. Imò vteritis progressus Basilius Pontius in Relec. parte 2. cap. 5. n. 5. ait, quod est omnino falsum, & plusquam temeraria: oppositum enim omnino certum existimatur, & forte de fide.

10. Sed manifeste excedunt in censurando; qui a nullis Pontificis, aut Concilij, aut Sancti Patris testimonium proferunt, quod exprimat hoc esse de essentia: & cum verba formæ possent verificari, etiam si vnctio fieret in capite; iusticeret ad auctoritates exponendas asserere esse de præcepto. Quare ego licet secundam sententiam omnino veram existimem, & ad mentem D. Thomæ, & communem: tamen à censura ablineo, sicut abstinent Soto, & alij multi, quos referant; & sequuntur Henriquez lib. 3. cap. 2. n. 3. lit. c. & cap. 5. n. 3. Petrus Ledesma de Confirmatione cap. 2. conc. 4. in fine. Bonacina disp. 3. punc. 3. n. 5. Casirus Palaus trac. 20. punc. 3. n. 3. Leander trac. 3. disp. 3. q. 10. referens viginti octo Authores.

11. Constat etiam non esse de essentia Confirmationis, quod in alijs partibus fiat vnctio, vt patet ex consuetudine Ecclesie Romanæ eas omittentis. Item quod non sit essentialis, quod fiat in sola fronte, sed posse vngi Chrismate alios sensus, probat Basilius parte 2. cap. 5. n. 6. ex recepta consuetudine Ecclesie Græcæ. Quæ comprobatur ex Concilio 2. Generali, quod est Constantinopol. 1. can. 7. & ex S. Cyrillo Hieros. Catechesi 3. & ex Euchologijs Græcorum. Græci etenim quemadmodum in sacro fronte baptizandos in aquam totos immergunt: ita etiam in Confirmatione diuersas corporis partes

inungunt, toties repetita forma. Qui tamè acius ex multis particularibus collectus moraliter loquendo vnus censendus: quamuis in prima vnctio frontis sacramentum Confirmationis perfici, & effectum sortiri, indubitatum esse debeat.

12. Sed cum aliæ vnctiones sint materia proxima, adiunctis formis facerent reiterationem sacrilegam sacramenti initerabilis, si duæ earum super frontem repeterentur, quamuis in paruissima distantia: quia duæ formæ, & duæ materię, à ministro cum debita intentione prolatae, duo sunt sacramenta. Sicut tres mersiones cum tribus formis Baptismi, quamuis moraliter simul factæ, non licent: quia in prima perficeretur sacramentum, & aliæ essent rebaptizationes sacrilegæ; secus cum ad omnes tres mersiones vnica proferatur forma, quia vnicum essent sacramentum, vt de facto est: secus verò in priori casu, vt expresse ait D. Thomas q. 66. art. 8. ad 3. In Confirmatione autem illam consuetudinem iam diu cessasse, cū Bellarmino cap. 9. fine, ait Henriquez lib. 3. cap. 2. num. 3. lit. d. Sed in Ecclesia Græca non cessauit; & in Ecclesia Latina non est per quid probetur in vtu fuisse alias partes inungere in Confirmatione. Imò vnctiones illas, quarum meminit S. Cyrillus, ipse Henriquez cap. 5. nu. 4. lit. i. dicit, quod forte id magis pertinebat ad ritum Baptismi, cum quo statim tolebat adhiberi Confirmatio per Pontificem.

§. III.

Debet fieri pollice confirmantis.

13. Adit Serra ar. 4. in fine. Quod autem hæc vnctio fiat immediatè manu ipsius Episcopi, & non medio aliquo instrumento, non est ita certum esse de necessitate Sacramenti: nam quamuis multi hoc satis probabile esse dicant: alij tamen oppositum docent. Nuño q. 72. ar. 4. diffic. 3. conc. 2. Suarez disp. 3. §. 3. in fine. Et multi alij, quos referunt, & sequuntur Diana 3. p. trac. 4. resol. 22. & 28. & alij octo Authores, quos referunt, & sequuntur Basilius p. 2. c. 5. nu. 7. Trullèchi de Cōfir. n. 7. Casir. Pal. punc. 3. n. 4. & alij multi dicunt valde probabile esse essentialem vt ea vnctio fiat immediatè manu Episcopi, & non pēna, vel aliquo instrumento. Ex praxi Ecclesie in Pontificali Romano assignata. Et quia vnctio nunc est impositio manuum: quod non verificatur medio instrumento.

14. At verò Heredia de Confirm. diffic. 5. punc. 5. dub. vnico nu. 2. Gaspar Hurtado de

de Confirm. diffic. 6. quos refert, & sequitur Leander tract. 3. disp. 3. q. 12. dicunt non esse de necessitate sacramenti, sed solum de præcepto Ecclesie, quod vnctio fiat immediatè ipsa manu, vel digito Episcopi: quia si fiat medio aliquo instrumento verificantur verba formæ: sicut verè scribit, qui calamo scribit. Nec est credibile Christum instituisse, vt ex re non tanti momenti pendeat valor sacramenti Confirmationis.

15. Vtramque sententiam merito iudicant probabilem Nuño, & Suarez, & passim alij. Sed penitus falsum, & improbabile iudico, quod ex hac secunda opinione infert Leander dicens. Vnde tempore pestis licitè potest confirmare Episcopus, medio instrumento aliquo, quidquid renuat Diana concedere. Sed hoc est contra omnes Doctores propter præceptum Ecclesie: siquidem Pontificale Romanum præcipit hanc vnctionem fieri ipso pollice dextræ manus Chrismate intincto. Et hoc videtur perpetuo in Ecclesia seruatum. Quin potius ait Durandus lib. 6. Rationalis cap. 84. pollicem Pontificis ad hoc specialiter in eius consecratione contècrari. Item, quia exponitur periculo nullum faciendi sacramentum, si forte est de essentia, quod immediatè fiat manu: & in sacramento, quod non est tantæ necessitatis sicut Baptismus, & Pœnitentia, non est cur in eorū administratione ad has angustias redigamur, contra id quod huc vique fuit semper in Ecclesia practicum. Et aliter expediret, in Pontificali præscriberetur. Quadrat optime intento ratio Innocentij Tertij cap. 4. de consuetudine, dicens. *Tertius tamen est casus ne periculo ex necessitate, quæ legem non habet, omittitur, quam vt ab ijs, quibus ea conferre non licet, ex temeritate (quæ lege damnatur) non sine graui periculo inaniter conferantur: cum vmbra quædam ostendatur in opere, veritas autem non habeat in effectu.* Quæ ratio paucis mutatis intento valè applicari, vt patet.

16. Concludit Suarez, communiter receptus, illud verò speciale de pollice dextro, quamuis in Pontificali ponatur, & præcipiatur, quia regulariter est aptius, ac decetius, non tamen potest inde colligi, quod sit essentialis: nec video aliquod sufficiens fundamentum ad id asserendum. Subiungitque Nuño art. 4. diffic. 3. conc. 4. quod cum hoc sit certum, si de facto fiat, non est sacramentum iterandum, nec sub conditione.

17. Demum ait. Vtrum autem sic confirmatio sit mortale, vel tantum veniale peccatum? Non est ita certum, quia non constat, vtrum materia grauis, vel leuis sit talis varia

tio. Videtur enim parum referre, quod vnctio fiat indice, vel pollice, quod fiat manu dextra, vel sinistra. Quare quamuis hanc variationem esse peccatum mortale, affirmet Bonacina, Filliutius, Layman, Ochaguaia, & alij. Tamen non esse mortale, dicit Diana 3. p. trac. 4. resol. 22. & parte 12. trac. de Consecrat. Episcoporum resol. 60. referens Leander, Martinum à S. Iosepho, Dicastillum, Escobar, & Busebaum. Et Trullèchi de Confirmatione num. 7. Granado etiam disp. 2. sec. 2. num. 16. dicit esse peccatum, sed non explicat esse mortale. Neutrumque potest euidenter ostendi. Sed est difficile, quod nulla existente ratione, vel infirmitate, in re tanta discedendo à ritu Ecclesie, non adsit scandalum, vel virtualis contemptus: quæ non sunt sine peccato mortali.

§. IV.

Vtrum alia manus impositio, distincta ab vnctione, essentialiter requiratur?

18. Contra doctrinam hucusque traditam, quod sacra vnctio Chrismatis est materia necessaria sacramenti Confirmationis, duas difficultates sibi obiecit, & optime diluit Sanctus Thomas: & quia argumentis iterum vtritur Kemnitius, & alij Hæretici, & solutiones D. Thomæ non omnes admittunt Catholici: ideo oportet iterum proponere, & diligenter exponere. Prima difficultas est: quia hoc sacramentum, sicut dictum est dub. 1. institutum est à Christo promittente discipulis Spiritum Sanctum in nocte Cænaræ. Sed ipse misit eis Spiritum sanctum ab quo omni Chrismatis in vnctione, vt patet Actuum 2. in die Pentecostes. Ergo in vnctio Chrismatis non est de necessitate sacramenti.

19. Facile respondet D. Tho. ar. 2. ad 1. quod Christus ex potestate excellentiæ, quæ habet in sacramentis, contulit Apostolis re huius sacramenti, id est, plenitudinem Spiritus Sancti sine sacramento: eo quod ipsi primitias Spiritus acceperunt; sicut dicitur ad Rom. 8. Nihilominus tamen aliquid conforme materia huius sacramenti exhibitum fuit Apostolis sensibilibiter in collatione Spiritus Sancti. Quod enim, sensibilibiter Spiritus Sanctus super eos descendit in specie ignis, ad eandem significationem refertur, ad quæ refertur oleum: nisi quod ignis habet vim actiuam; oleum autem habet vim passiuam, in quantum est materia, & fomentum ignis. Et hoc satis competebat: nā per Apostolos gratia Spiritus Sancti erat ad alios deriuanda. Super Apostolos etiam Spiritus Sanctus descendit.

descendit in figura linguæ: quod ad idem significandum refertur, quod significat Balsamum. Nisi quod lingua per locutionem est com nunciatiua ad alterum; Balsamum vero per odorem: quia scilicet Apostoli replebantur Spiritu Sancto, vt fidei Doctores: alij autem fideles, vt operatores eorum, quæ pertinent ad ædificationem fidelium.

20 Maior est secunda difficultas, quæ sibi tangitur à D. Thomâ: nam ipsi Apostoli hoc sacramentum conferebant per solam manus impositionem absque Chrismate: dicitur enim Actorum 8. quod *Apostoli imponebant manus super baptizatos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Ergo Chrisma non est materia huius sacramenti: quia materia est de necessitate sacramenti.

21 Respondet D. Thomas artic. 2. ad 1. in fine dicens. Similiter etiam ad impositionem manus Apostolorum, & etiam ad eorû prædicationem, descendebat plenitudo Spiritus Sancti super fideles sub visibilibus signis, sicut & à principio descenderat super Apostolos: Vnde Petrus dicit Actorum 1. *Cum cœpissẽm loqui cecidit Spiritus Sanctus super eos, sicut & in nos in initio.* Et ideo nõ erat necessaria sensibilis materia sacramentalis, vbi sensibilia signa miraculose exhibebantur diuinitus. Vtebantur tamen Apostoli communiter Chrismate in exhibitione sacramenti, quando huiusmodi visibilia signa non exhibebantur: dicit enim Dionysius 4. cap. Ecclesiæ hier. Est quædam perfectiua operatio, quæ duces nostris (id est, Apostoli) Chrismatis hostiam nominant. Idem docet D. Thomas artic. 4. ad 1. & in 4. dist. 7. q. 1. artic. 2. q. 1. ad 3. & artic. 3. q. 1. ad 2.

22 Pro cuius intelligentia notandum tres in hoc puncto esse opiniones Theologorum. Quidam dicunt, quod Apostoli, propter dignitatem, & auctoritatem ipsorum, confirmabant sine materia, & forma per solam manus impositionem. Ita Alexander Aletis 4. p. q. 9. membro 2. S. Bonaventura in 4. dist. 7. artic. 1. q. 1. & 2. Richardus ibi artic. 1. q. 1. ad 2. & inclinatur Scotus q. 1. ad 1. Gabriel q. vnica artic. 1. Petigianus q. 1. artic. 1. Indicareque videtur Toletus lib. 2. cap. 24. num. 3. in fine. Esseque probabilem, fatentur Suarez, & Nuño vbi infra. Et expresse Castus Palaus trac. 20. punc. 4. num. 2. quia veresimile est Christum Dominum hanc illis potestatem tradidisse. Tum vt faciliiori modo possent baptizatos confirmare in fide. Tũ vt Apostolica dignitas fidei efficacius commendaretur. Ob quam causam specie visibili, & pluriam donorum com-

municatione Spiritus Sanctus concedebatur.

23 Hanc tamen opinionem impugnat D. Thomas in 4. dist. 7. q. 1. ar. 2. q. 1. ad 3. dicens. *sed hoc non videtur benedictum, quia quantumque ipsi essent magnæ auctoritatis, tamen potestatem excellentiæ in sacramentis dispensandis non habebant.* Similiter Vualdensis to. 2. de sacramentis cap. 1. 13. ait. *Nemo igitur dicat, qui vult esse fidelis, quod sacramentum Confirmationis fiebat sine unctione per solam manus impositionem à Christo, & Apostolis: non enim minus manus imponit, qui unguendo imponit.* Et antea dixerat. *Non recte ergo colligunt dicentes, in Confirmatione non fuisse oleum unctionis, vel Chrismatis in primitiua Ecclesiâ, sed ad acceptationem Spiritus Sancti fuisse tantum impositas.* Quod potissimum confirmat testimonio S. Bedæ lib. 6. super Lucam capit. 6. & quod Apostoli Chrismate vterentur, vt inquit Soto in 4. dist. 7. artic. 2. ad 1. plane comprobatur decretum illud Fabiani Papæ, ex epistola secunda, sæpè relatum.

24 Propter hæc, & alia huiusmodi est alia opinio extrema, huic è diametro opposita, quam his verbis tradit Bellarminus lib. 2. cap. 9. ad 1. hæc scribens. Est tamen alia solutio, quæ longè mihi probabilior videretur, Thomæ Vualdensis tom. 2. de Sacramentis cap. 1. 13. & Hugonis de S. Victore lib. 2. de sacram. parte 7. cap. 2. qui dicunt idem esse unctionem Chrismatis, & manus impositionem; qui enim ungit, manus imponit: & idcirco vtrumque significari, etiam si alterum tantum exprimi videatur. Hæc solutio probabilior est. Nam constat Apostolos in Confirmatione vfos esse Chrismate; cum id asserant Dionysius, & Clemens. Et præterea unctionis meminerint antiquissimi Auctores, Theophilus Anthiochenus, Tertullianus, Cyprianus, Cornelius, Origenes, & alij; ante quos non fuit vllum Concilium Oecumenicum, in quo id institui potuerit.

Constat etiam optandum esse, vt possit defendi, Apostolos semper eadem materia vfos, & non modo vna, modo altera: id enim tutius, & expeditius est. At cur quæso, id non potest defendi? Quia (inquiunt) Lucas meminit impositionis manuum, & non meminit Chrismatis. Sed nec vsquam Lucas, aut alia Scriptura, aut etiam vllus veterum dicit, Apostolos vario modo hoc sacramentum ministrasse. Et præterea in verbis Lucæ posse intelligi etiam Chrisma, multis modis probare possumus: Apostolos autem mutasse materiam, nescio an vllò modo probari possit, nisi recentiorum auctoritate.

Primo


25 Primo igitur sic probatur, Apostolos semper manus imponendo signasse Chrismate; ac proinde Lucam ritum illum comprehendio perstrinxisse, & ex vna parte rem totam intellexisse. Nam Patres, qui vno in loco dicunt per impositionem manus dari Spiritum Sanctum; idem in alio loco dicunt dari per unctionem Chrismatis; & aliquando vtrumque simul coniungunt: ex quo apparet vtrumque ad ritum hunc pertinere; & illis perinde esse, siue vnum, siue alterum expriment. Tertullianus libro de Resurrectione carnis, tractans hunc ritum; dicit *carne ungi, signari, & manus impositione abumbrari:* tamen in libro de Præscriptionibus; solum exprimit signari in fronte; & libro primo in Marcionem, solum exprimit unctionem; & manus impositionem. Ita videmus vnum Auctorem modo vnam partem; modo duas; modo tres eiusdem ritus exprimere; & tamen semper eandem rem significare. Cyprianus libro primo epistola vltima, solum meminit unctionis; libro secundo epist. 1. solum meminit manus impositionis; cum de vna re, eadem loquatur: in epistola vero ad Iubaianum, cum manus impositionem addit *signaculum dominicum;* de quo nihil dixerat in prioribus duabus epistolis. Sic etiam Concilium Primum Arelatense canone octauo tantum nominat *manus impositionem;* & tamen Concilium Secundum Arelatense, paulo post celebratum, & eandem rem tractans can. 17. nominat *unctionem Chrismatis.* Damasus, & Leo supra citati dicunt; *non licere Chærepiſcopis ungeri frontem baptizatorum Chrismate;* & tamen Ioannes Tertius hoc ipsum decretum citans, & nominatim allegans Damasum, & Leonem, ne semel quidem meminit Chrismatis, aut frontis; sed perpetuo hunc ritum vocat *manus impositionem.* Ac huiusmodi exempla plurima possent adferri. Quid igitur mirum si S. Lucas ex vna parte totum ritum significari?

26 Secundo idem probatur alia ratione: Nam Patres quando dicunt *solos Episcopos, per unctionem Chrismatis, dare Spiritum Sanctum;* semper allegant verba Lucæ Actorum 8. vt patet ex Innocentio epist. 1. Damaso epist. 4. Leone epist. 88. Cypriano ad Iubaianum, Augustino lib. 15. de Trin. cap. 26. & ex alijs supra citatis. Ergo aut Apostoli Actorum 8. manus imponendo ungebant Chrismate; aut isti omnes Patres male argumentantur. Dices, bene illi argumentantur: quia licet Apostoli Actorum 8. non vterentur Chrismate; tamen Chrisma successit in locum manus impositionis, qua illi utebantur. Sed con-

tra: nam si ita esset, saltem aliquis Patrum aliquando id significasset, vt intelligeremus vim argumenti ipsorum.

27 Tertio idem probatur ex alijs similibus Scripturæ locis, vbi breuissime aliquid comprehenditur; & tamen necesse est plura intelligere. Exemplum esse potest, quod Paulus in epistolis ad Timotheum, & ad Titum, semper ordinationem vocat manus impositionem. Exemplum adfert Augustinus libro de fide, & operibus cap. 9. ex capite 8. Actorum. Ibidem enim legimus Eunuchum à Philippo baptizatum, cum dixisset: *Credo Filium Deum esse Iesum.* Augustinus autem rectè notat Lucam per compendium rem artigit; sed omnino credendum esse de multis alijs interrogatum Eunuchum, & multas alias ceremonias adhibitas in illo Baptismo. Alterum exemplum esse potest, id quod Lucas ait, Apostolos baptizasse in nomine Christi Actorum 8. & 19. & alibi. Nam vt supra ostendimus, Apostoli baptizabant, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; sed Lucas id per compendium dicere maluit; sciens rem esse notissimam. Aliud exemplum esse potest in eo, quod Paulus ait ad Titum tertio, nos saluari *per lauacrum regenerationis:* vbi nihil dixit de verbo; & tamen intellexit sine vllò dubio lauacrum cum verbo, vt ipse idem alibi expressit ad Ephes. 5. Et multa sunt huiusmodi, quæ longum esset recensere. Hæc Bellarminus.

28 Idem docent Salmeron tract. 26. in Acta cap. 8. & ibi Cornelius. Egidius hic artic. 3. dub. 3. conc. 2. Layman trac. 3. cap. 2. n. 5. Puteanus dub. 3. & 4. Granados Controu. 5. trac. 1. disp. 2. sec. 3. num. 19. dicens. Ego quidem à Sancto Thoma non discedere in rebus Theologicis apud me statui: sed quoniam hæc quæstio potius pertinet ad explicationem locorum Sacræ Scripturæ, in quibus de impositione manuum sermo est; salua reuerentia debita tanto Doctori; mihi omnino persuadeo; quoties dicitur Apostoli manus imposuisse, & Spiritum Sanctum dedisse, vere vfos fuisse unctione Chrismatis, sub ea forma verborum, qua nunc vtitur Ecclesia. Hæc excusatione præmissa, nullum nouum affert argumentum, quod iam non esset solutum à Thomistis, & à reliquis sectatoribus Diui Thomæ.



§. V.

Sententia D. Thomæ communis,
& vera.

Tertia ergo sententia, communior, & probabilior, est D. Thomæ, inter utrâque media, quæ cum prima tenet Apostolos sæpè contulisse Spiritum sanctum sola manus impositione absque vñctione Chrismatis, & prolatione verborum: quia miraculosè dabant effectum sacramenti sine sacramento, & erant externa signa miraculosa, quod tunc dabatur Spiritus sanctus. Sæpissime autem utebantur vñctione Chrismatis, & forma verborum, & ita materia, & forma sacramenti à Christo instituti, & ab ipsis promulgati, & in exercitio collati. Ita D. Thomas art. 2. ad 1. & artic. 4. ad 1. vbi ait, quod sicut supra dictum est, per ministerium Apostolorum quandoque dabatur effectus huius sacramenti, scilicet plenitudo Spiritus sancti, qui habetiam visibilibus signis miraculosè a Deo effectus, qui potest effectum sacramenti sine sacramento conferre. Et tunc non erat necessaria nec materia, nec forma huius sacramenti. Quandoque autem tamquam minister sacramentorum, hoc sacramentum præbebant: & tunc sicut materia, ita & forma ex mandato Christi utebantur. Multa enim seruabant Apostoli in sacramentorum collatione, quæ in Scripturis communiter propositis non sunt tradita. Vnde Dionys. capit. 7. Eccles. hierar. part. 3. dicit. *Consummativas inuocationes, id est, verba quibus perficiuntur sacramenta, non est iustum Scripturas interpretantibus, neque mysticum earum, aut in ipsis operantibus, ex Deo virtutes, ex occulto ad commune adducere. Sed nostra sacra traditio, sine pompa, id est, occulte, eas docet.* Vnde & Apostolus dicit, loquens de celebratione Eucharistiæ. 1. ad Corinthi. 11. *Cetera, cum venero, disponam.* Hæc Sanctus Thomas.

30 Quem sequuntur Thomistæ communiter. Paludanus in 4. dist. 7. quaest. 2. art. 2. num. 12. & art. 3. num. 24. Soto art. 2. ad 1. Martinus Ledesma ibi q. 13. artic. 2. dub. 3. Nuño q. 72. art. 3. diffic. 1. ad ult. folio 480. Serra q. 72. art. 2. ad 1. Syluius, & alij. Item S. Bona uentura in 4. dist. 7. ar. 1. q. 2. Scotus ibi §. *Circa istam distinctionem.* Durandus q. 2. ad 1. n. 11. Gabriel q. vnica ar. 2. Richardus, & Marsilius q. 5. art. 1. Ruardus Taper artic. 12. Henriquez lib. 3. cap. 1. nu. 3. lit. l. Suarez disp. 33. sec. 4. concludit. Difficile est ferre iudicium, quia res est valde ambigua, & dubia: placet tamen non discedere à D. Thomæ sententia.

Præsertim, quia etiam Concilium Florentinum in eam inclinasse videtur. Et columna anteceddenti retulerat, quod hanc opinionem secuta sunt duo recentiora Prouincialia Concilia. Moguntinū in doctrina fidei cap. 18. & Concilium Colonienſe in doctrina de hoc sacramento. Item Filliutius to. 1. tract. 3. cap. 1. n. 18. Bonacina to. 1. disp. 3. punct. 3. n. 6. Casirus Palaus tract. 20. punct. 4. n. 4. Demum, Aureolus, Adrianus, Basilis, Irribarne, Faber, Æstius, Gamachus, Heredia, & Lorinus, quos, cum alijs, refert, & sequitur Basilius Pontius de Confirmatione parte secunda cap. 6. à nu. 3. vsque ad 20.

31 Et quia secunda pars huius sententiæ, in qua cõuenit cum secunda opinione, satis in illa est firmata; solum restat probare primam partem, quod videlicet Apostoli sæpè dederint effectum confirmationis, nempe Spiritus sancti plenitudinē, sine Chrismatis vñctione, & sine verbis. Quod probatur ex illis locis Actorum 8. & 19. tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Nullum est fundamentum, quod ibi fuerit vñctio Chrismatis, & consueta forma verborum. Imò est fundamentum ad omnino affirmandum contrarium: quia Ecclesia declarauit illam manuum impositionem fuisse diuersam ab vñctione Chrismatis, quæ est materia proxima sacramenti Confirmationis. Quod probatur ex Innocentio Tertio in cap. Vnico, de sacra Vñctione, §. finali, dicente. *Per frontis Chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio.* Concilium Florentinum, in Decreto Eugenij, cum adduxisset locum ex cap. 8. Actorum, in quo Apostoli per impositionem manuum dederunt Spiritum Sanctum, inquit. *Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia Confirmatio.* Ergo illa manuum impositio, qua Apostoli utebantur, non fuit Chrismatio, neque Confirmatio.

32 Occurrit Bellarminus illo cap. 9. dicens. Respondeo; in primis non omnia, quæ habentur in Decretis, aut Concilijs, ad fidem pertinere; sed solum ea, quæ definiuntur: hoc autem, de quo agimus, non definitur; sed tantum obiter dicitur ad rem explicandam.

Dico tamen secundo, & melius, actutius. Innocentium, & Concilium non velle dicere, Chrisma esse loco impositionis manuum, quasi Apostoli non uterentur Chrismate, & nos non utamur impositione manus. Sed velle dicere, id ipsum, quod Apostoli faciebant, cum dicebantur imponere manus, facere nunc Episcopos, cum dicuntur Con-

Confirmare, vel Chrismare. Distinguitur enim in his locis, non ritus à ritu; sed modus loquendi à modo loquendi; & persone à personis; & denique illa particularis impositio manuum ab illa; quæ modo est: siquidē tunc communiter dicebatur hoc sacramentum impositio manus; nunc dicitur Confirmatio; præterea illam dabant Apostoli, illa Episcopis; denique illa erat efficacior; quia cū effectu intereo, dabat etiam externum, & cum gratia gratum faciente dabat etiā donagratia datæ linguarum, & miraculorum, &c. Hæc ergo ratione dici potest id, quod nunc fit, esse loco eius, quod tunc fiebat; licet sit iuxta quoad substantiam.

Et quod hic sit sensus illorum locorum, probatur dupliciter. Primo, quia Concilium, & Innocentius non dicunt chrisma esse loco impositionis manuum. At certe Apostoli, omnium consensu, dabant sacramentum Confirmationis, siue adhibuerint chrisma, siue non. Secundo, quia Concilium, & Innocentius ibidem dicunt Episcopos esse in Ecclesia loco, seu vice Apostolorum. At certe Apostoli veri Episcopi erant; licet aliquid etiam amplius haberent. Hæc ibi.

33 Priorem solutionem impugnat Serra folio 251. col. 1. dicens. Respondent quidam verba Concilij non esse illius diffinitio nem, quæ ad fidem pertineat; sed tantum obiter dici ad rem explicandam. Sed nūquid propterea vera non sunt? Quis certissima esse negabit? Aut cur timent diffinitionem esse fatentem? Num metuunt ne eorum sententia damnetur ex illis deducta? Hactenus ibi. Nos nolumus sententiam D. Thomæ vllatenus esse de fide: vnde ipse D. Thomas in 4. dist. 7. q. 1. art. 2. q. 1. ad 3. dubitanter loquitur. Ibi. *Non forte, &c.* Sed solum probabiliorē: ad quod sufficit, vel obiter in Decreto Concilij insinuatam. Præcipuè in Concilio vniuersali, in Decretis fidei, à papa cum Concilio diffinitis.

34 Secundam solutionem idem Serra ibi impugnat: nam paulo post verba citata, Concilium titum Confirmationis his verbis exponit. *In fronte confirmandus ungitur, signo Crucis signatur.* Hocque fit ab Episcopo summitate pollicis dextræ manus Chrismate intincta, vt patet ex Pontificali Romano: sed hic ritus longè diuersus est ab illa impositione manus, per quam Apostoli Spiritum Sanctum dabant: nam impositio non solum erat vnius manus; nec vnius digiti tactus in fronte; sed duarum manuum super capita fidelium. Ergo non solum nomen, & modum loquendi distinguit Concilium; sed etiā re-

à re, & ritum à ritu.

35 Contra eandem solutionem Basilius Pontius cap. 6. num. 10. ait. *Hæc tamē solutio ridicula est, si verba Pontificij attendamus.* Innocentius enim inquit per frontis chrismationem, manus impositionem designari. Inter signans, & signatum diuersitas intercedat necesse est. Frontis chrismatio designat manus impositionem. Ergo non est manus impositio. Neque Innocentius intelligi potest de nominibus tantum; quia vnū nomen istorum non significat aliud nomē. Loquitur ergo de rebus ipsis. Pariter Eugenius non dicit nominari, sed dari, nunc in Ecclesia Confirmatione in loco illius impositio nis manuum: non autem locum alicuius aliquid suppleri dicitur, vel in locum alicuius succedere, quod idem omnino est. Sicut quia olim Eucharistia vocabatur *fractio panis*; nactumque erat nomen diuersitas cum identitate rei, non posset quis rectè dicere loco *fractio panis*, qua utebatur Apostoli, successisse nunc, vel dari nunc Eucharistiam.

36 Præterea vrgent valdè verba Innocentij Quarti in epistola ad Episc. Titulicolum Apostolicæ Sedis legatum in Regno Cypri, super ritibus Græcorum, quam refert Naldus, verbo *Chrismatus* nu. 1. ibi sic ait. *Soli Episcopi consignent Chrismate in frontibus baptizatos, quia huiusmodi vñctio non debet, nisi per Episcopos exhiberi: quoniam soli Apostoli, cuius vices gerunt Episcopi, per manus impositionem, quam Confirmatio, vel frontis Chrismatio representat, Spiritum Sanctum tribuisse leguntur.* Ergo res significata per Confirmationem, vel Chrismationem representat rem significatam per manus impositionem. Ergo sunt res inter se diuersæ. Ergo Apostoli, quos dicit Pontifex, per manus impositionem contulisse Spiritum Sanctum, non sunt vsu Confirmatione, neque chrismatione: alias, quod nos vocamus Confirmationem, & Chrismationem, non representaret illam impositionem manuum; sed esset omnino idem.

37 Vnde colligitur falso dixisse Bellarminum, quod Apostoli omnium consensu, dabant sacramentum Confirmationis, siue adhibuerint Chrisma, siue non. Oppositum enim expresse docet Diuus Thomas verbis relatis numero 29. qui dicit Apostolos per manus impositionem dedisse effectum sacramenti sine sacramento: & tunc non erat necessaria materia, nec forma sacramenti: quia non erat exercitum sacramentum; sed sine illo dabat Deus effectum. Et ipse Diuus Thomas hac q. 72. art. 6. ad 3. ait, quod audiē

tes per adicationem Petri, acceperunt effectum Confirmationis miraculose, non tamen Confirmationis Sacramentum. Quod & docet omnes pro D. Thoma relati. Tenereque omnes Authores primæ, & tertie sententiæ, notat Suarez, quia iuxta eas illa simplex manus impositio, reuera non fuit sacramentum Confirmationis, quod nunc habemus; quia in ritu sensibili valde differebat, & illum ritum Christus non instituit, vt per modum sacramenti in Ecclesia duraret. Specialis ergo dispensatio fuit in miraculosa collatione Spiritus Sancti sine sacramento. Vnde falsum est, quod omni consensu sit verum, quod Apostoli dederint sacramentum Confirmationis, siue adhibuerint Chrisma, siue non. Videatur Basilius num. 11. & 20. Ideoque Castrus Palus tract. 20. puncto 4. nu. 2. cum satis probabilem dixisset primam sententiam, subiungit. Verum esto ita factum fuerit, nullatenus dicendum est sacramentum Confirmationis ministrasse. Hoc enim sacramentum sub chrisma vinctioe ministrandum esse, docuit Christus Dominus, recte Fabiano epist. 2. ad Episcopos Orientis.

38 Solus Nuño, folio 481. frustra laborat in explicando, quod Sacramentum Confirmationis collatum nunc ab Episcopis, & collatum ab Apostolis sola manu impositione, solum differunt numero, non specie; quia ordinabantur ad significandum, & efficiendum eundem effectum, & differentia erat materialis, & in esse rei. Ex quo infert, quod si effectus Baptismi causaretur à Christo media alia forma, & materia, esset nihilominus idem sacramentum formaliter in esse signi, & causæ. Quæ quidem doctrina, licet magna ex parte sit à nobis approbata q. 60. dub. 13. num. 44. Et q. 66. dub. 5. n. 41. Tamen ad intentum præsens male applicatur, quia Apostoli cum dabant Spiritum Sanctum sola manus impositione, non dabant sacramentum Confirmationis, sed effectum sacramenti sine sacramento. Ideoque Soto dist. 7. art. 6. in fine, & Serra artic. 6. notant, quod nihil verabat, vt illi denuo post Baptismum, Sacramentum confirmaretur. Quando autem vt ministri sacramentorum hoc sacramentum conferrebant, vt ebantur eadem materia, & forma, qua modo vtuntur Episcopi: vnde non mirum, quod illa sacramenta solo numero differrent ab eis, quæ nunc sunt in Ecclesia.

39 Secundo sequitur solutio supra posita difficultatis: vt enim notat Suarez in fine lect. 4. dicendum est nullam manus impositionem distinctam ab vinctioe chrisma-

mani Episcopi facta, esse de essentia huius sacramenti: ipsam vero vinctioem esse essentialem: & vtrumque constare ex dictis, & ex vsu Ecclesiæ. Neque huic veritati obstare Apostolicum factum: quia illud non fuit iuxta legem, & institutionem sacramentorum, sed præter illam ex speciali commissione, vel dispensatione: & consequenter signum illud simplicis impositionis manus non fuisse verum sacramentum Confirmationis quoad substantiam, fuisse vero quoad effectum.

40 Tertio sequitur facilis solutio argumentorum Bellarmini, quæ latè videri possunt in Basilio Pontio à num. 12. vsque ad 26. In primis respondet Serra ar. 2. folio 251. Neque huic obstat à Patribus, & in multis Canonibus de Consecratione dist. 5. Sacramentum Confirmationis appellari manuum impositionem: nam non indicant eam, quæ facta fuerat ab Apostolis locis citatis fuisse sacramentum: sed solum in primitiua Ecclesia hoc sacramentum sic fuisse appellatum. Quod esse potuit, quia consecrationi huius sacramenti Confirmationis adiuncta fuit vt cæremonia accidentalis manuum impositio: quæ tamen, quia imitatio erat facti Apostolici, nomen præbere ponit ipsi sacramento. Vnde S. Augustinus tom. 7. lib. 3. de Baptismo cap. 16. ait, *Manus impositio, non fit vt Baptismus, repeti non potest. Quid est enim aliud nisi oratio super hominem?* Si autem esset sacramentum Confirmationis, & non cæremonia illi adiuncta, repeti non posset.

41 Deinde additur, quod quæuis in vinctioe chrismae sit manus impositio: Quare dum Marci 7. rogatus est Christus imponere manus, explicatur, quod digito tetigit, vt ait Vualdensis cap. 113. Tamen è contra non constat, quod impositio manus habeat adiunctam vinctioem chrismae, & prolationem verborum; & ideo quamuis concedamus his fuisse vsos Apostolos; sed hoc quando operabantur vt ministri sacramentorum; non vero ex speciali dispensatione, & miraculo.

42 Ad secundam probationem dicitur illam rationem esse efficacem ex identitate effectus, quia in vtroque casu dabatur Spiritus Sanctus ad roborandum: & etiã ex correspondentia inter signum, & signatum: & quia ex diuina institutione Confirmatio succedit loco impositionis manuum. Sicut si daretur, quod Apostoli ex priuilegio ordinassent Episcopos sine instituta materia, & forma, adhuc rectè diceretur solos Episcopos

pos esse ministros eius ordinationis: quia soli Apostoli eam ordinationem contulerunt; quamuis sine debita materia, & forma ob Christi priuilegium contulerint sacrum Episcopatus Ordinem: Notat tamen Soto in 4. dist. 7. art. 2. ad 1. in fine, quod hoc non est necessarium dicere: nam cum traditio materiam, scilicet, hostiam, calicis, & nunc habeatur, tanquam ordinandis Sacerdotibus necessaria: & tunc nulla fuerit ratio dispensandi, non est cur negetur, tunc etiam cum manus imponebantur, eandem materiam tradi. Chrisma vero non est de essentia sacramenti Ordinis. De quo ibi.

43 Ad tertiam dicimus nos etiam fateri Apostolos vsos vinctioe chrismae, & formam: & hoc Scripturam tacuisse, ne sacramentorum formæ pro tunc manifestarentur Gentilibus. Sed quia nullum est indicium, quod in illa impositione manus fuerit sacramentum quoad substantiam; licet fuerit quoad effectum, nolimus certo asserere, quod probare non possumus, ne ab infidelibus irrideamur. Dicamus ergo cum D. Thomâ in 4. distinctione 7. q. 1. ar. 2. q. 1. ad 2. quod sicut sacramentum Baptismi incepit in Baptismo Christi, ita sacramentum Confirmationis incepit in aduentu Spiritus Sancti in Apostolos. Et quia principia rerum debent esse notissima; ideo vtroque Spiritus Sanctus apparuit visibiliter in Baptismo quidem in specie columbæ, & in confirmatione Apollolorum in igneis linguis: & propter hoc non oportuit esse materiam, in qua Spiritus Sanctus secretius operatur salutem, vt August. tract. 6. super Ioannem dicit. Et ad 3. ait, quod Apostoli non confirmabant sine materia. Nisi forte, quando præter legem communem visibilibus signis Spiritus Sanctus in eos descendebat, quibus per Apostolos manus impositio facta fuerat: tunc enim illa visibilis apparitio supplebat locum elementi visibilis.

DVBIVM V.

De forma Sacramenti Confirmationis.

1 Hoc dubium solebat facile determinari; quia omnes fere Theologi concorditer acceptabant doctrinam D. Thomæ hic art. 4. Sed postquam compertum est Gregos alia longe diuersa forma vt in sacramento Confirmationis, ac sit in vsu Ecclesiæ Latinæ, & propolita est omnibus in Concilio Florentino; dubium est magnum, & fere ind-

terminabile, donec iudicet Apostolica Sedes (cuius iudicio hæc, & cuncta asserta, & scripta nostra libentissimè subijcitur) an forma Græcorum sit reuera sufficiens?

§. I.

Opinio, quod forma Neohæreticorum Græcorum est sufficiens.

2 Mag. Basilius Pontius in erudita Relectione de Confirmatione parte secundâ capite septimo num. 4. ait. Cæterum absque vlla dubitatione tenendum est eam formam Græcorum: Signaculum donationis Spiritus Sancti, Amen: aut aliam æquivalentem, esse formam sufficientem huius sacramenti. Quam sententiã indicare videtur Vazquez tom. 2. in 3. part. disp. 142. cap. 2. num. 22. vbi probat formam Confirmationis, quam in suo edicto Constantinus refert, & illam explicat. Et probatur primo ex Edicto Constantini, quod extat tomo 1. Conciliorum, post vitam S. Syluestri, vbi cum Imperator refert quid egerit S. Syluester, cum ipsum baptizauit, & confirmauit, inquit. *Septi formis gratiæ Spiritus Sancti adhibuit beatus chrismae vinctioem, & vexillum Sanctæ Crucis linuit in meâ fronte, dicens: Signet te Deus sigillo fidei, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti in consignatione fidei. Cuiusque Clerus respondit, Amen. Quod edictum quoad hoc esse incorruptum, & legitimum, ex Bellarmino notat Seuerinus Binnus in noua editione. Cumque ibi minutissima quæque alia recenseat, ex ore Iulii, cathecismi, benedictionem fontis, trinam mentionem, vestem candidam: Confirmationem item, & sanctam vinctioem in forma Crucis in fronte; non est verisimile; quod qui tam minutitas quæque cæremônias refert, non integram formam tetulisset.*

3 Secundo probatur ex Concilio Secundo Generali, seu Constantinopolitano 1. canone 7. vbi cum agitur de modo recipiendi hæreticos redeuntes ad Ecclesiam, dicit: *Er eos signantes dicimus, signaculum domini Spiritus Sancti. Canones autem huius Synodi habent approbationem Ecclesiæ, cap. Quoniam Sancta. 17. Dist. Et cap. Sancta octo. Ibi. Et Leo 4. in cap. de libellis. Dist. 20. Et quod in isto capite statutum erat antea in Conc. Laodic. cap. 7. & Arelatensica. 2. & Arelat. 2. ca. 17. Quæuis videatur in eadem Synodo Generali adscititius, & insertus canon 5. vt conijcit Baronius to. 4. anno 393. n. 14. & quoad hoc reijcitur à S. Greg. lib. 6. epist. 31.*

Tertio probatur ex Græcis: nempe ex S. Asterio Episcopo Amasiæ, sermone de Prodigio. Cardinali Bessarione in tractatu de Eucharistia. Stanislaw Socolobio, Regis Polonæ insigni Theologo in explanatione celsuræ Hieremiæ Constantinopolitani capite 3.

4 Quarto probatur, quia verosimile non est eam verborum formam ex malitia à Græcis immutatam fuisse. In primis, quia nulla unquam de ea re inter Græcos, & Latinos controversia extitit. Deinde, quia in antiquissimis libris, & Euchologijs ante multos annos conscriptis, & quando nondum exortum fuerat schisma Ecclesiæ Orientalis, extat ea forma. Rursus, quia si hæc minima sufficiens fuisset forma, & à Græcis ad inventa, D. Thomas, qui late in quodam Opusculo errores Græcorum prolequutus est, huc etiam enumerasset. Item Innocentius Tertius, & Quartus. Gregorius Decimus in Concilio Lugdunensi, & Eugenius Quartus in Florētino, istud minime racuissent. Imo validum videtur supponere Clemens 8. apud Naldum verbo *Christianus* (est Bulla 34. to. 3. Bullarum fol. 46.) nam in Instructione ad reformandos abusus Græcorum, prohibet ne Presbyteri proferant formam Confirmationis, quæ est in Euchologijs Græcorum: & statuit sacramentum Confirmationis dandum sub conditione, quando non constar datum ab Episcopis Græcis: ergo si constaret ab eis datum, supponit esse validum.

5 Denique probatur: nam ad formam confirmationis tria requirit D. Thom. Sed hæc tria reperiuntur etiam in hac forma Græcorum: quia exprimitur character, cum dicitur, *signaculum*; & non siletur gratia, quæ confertur in verbo *Domini*; nec desideratur in ea forma primarius author: cum additur, *Spiritus sanctus*: cui singulariter attribuitur hæc sanctificatio: in quo ceteræ diuinæ personæ propter unitatem substantiæ comprehenduntur.

6 Rursus num. 15. vt soluat argumentum ait, quod similis modus loquendi sine verbo reperitur apud Lucam in consecratione calicis: *Hic calix nouum testamentum in meo sanguine*: ubi Latinus Interpretes addit verbum, *est*, quod subintelligebatur. Fit allusio ad similia Exodi 24. quæ citat Paulus ad Hebræos 9. sine verbo substantiuo. *Hic sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus*. Huiusmodi etiam loquutiones non pauca sunt apud Latinos, etiam in ritibus, & officijs Ecclesiasticis: quales sunt illæ. *Lumen Christi*. *Gloria in excelsis Deo*. *Gloria Patri*, &c. *Benedictio*, & *clari*

tas, & *sapientia*, &c. *Angelus*, *Archangelus Michael*, *Dei nuntius*, *pro animabus iustis*. De quo tractando de forma consecrationis. Idem etiam de forma Confirmationis dici potest. Explicat num. 16. in hac forma explicari actionem ministri, prout hic, & nunc exercetur: quia formæ sacramentorum sunt orationes practicæ, & est æquiualeter, ac si dicat, per hoc signaculum tibi à me impressum, præbeo Spiritum Sanctum.

7 Demum cap. 8. vt vndique suam stabilitatem sententiam de validitate formæ Græcorum, docet, quod in forma Latina non est necessarium, & essenziale, quod proferatur per modum indicatiui; sed posse proferri per modum impetratiui, & optatiui. Nec esse essenziale, quod exprimat nomē Crucis; nec illa verba *Chrysmate salutis*. Nec esse de essentia distinctam inuocationem Trinitatis: quia in forma Græcorum non exprimitur. Et fatetur 8. n. 9. hoc esse vnicuius fundamentum.

8 Sequitur eandem sententiam Franciscus Amicus to. 7. disp. 13. sect. 3. qui ex Basilio desumpsit, quamuis non nominet; nec nouum afferat fundamentum. Infert tamen cum eodem, quod in forma Latina hoc sacramentum perficitur ante expressionem diuinarum personarum; cum talis expressio in forma huius sacramenti non sit essentialis. Nec est eadem ratio de forma Baptismi: quia cum per Baptismum homo primo renascatur ad fidem, debet ipsius principale mysterium ei explicite proponi vt credendum. Per Confirmationem autem, cum homo iam supponatur ad fidem renatus, & ad religionem Christianam admissus per explicitam diuinarum personarum professionem, non est amplius earundem diuinarum personarum expressio necessaria. Nisi sola necessitate præcepti pro solis Latinis: alioquin Græcis id omittente Papa non permitteret. Post hæc scripta, lego eandem opinionem tenere Angelum Maria Verricelli de Apostolicis Missionibus tit. 11. q. 168. sectione 2. n. 12. & 13. & in Appēdite q. 312. sect. 3. n. 12. ubi & refert Petrum Archadiū lib. 2. c. 5. & 7. Et Escobar to. 2. lib. 12. sec. 2. problem. 19. & Martinon 3. p. disp. 27. sect. 3. Etium in 4. dist. 7. §. 10. & 11. Sed Etium malè citat, cum id non asse-

rat; sed oppositum.

§. II.

Communis sententia præfertur.

9 In contrarium est. Primo, quod Soto in 4. dist. 7. q. unica art. 4. ad 2. loquendo de Edicto Conitanti, ait. *Respondetur autem primo, non omnia, quæ in illo Edicto continentur incorruptæ esse authoritatis, &c. Secundo respondetur, quod in edicto non fuit necessarium omnia referri. Et quod illa pars fuerit illic etiam adhibita, colligitur ex verbis præcedentibus, scilicet, quod Syluester Chrysmatis unctio, vexillum sanctæ Crucis in eius fronte limuit. Quod partim dixerat Caietanus q. 69. art. 8. Sequitur quæ Serra q. 73. art. 8. Et quod in illo Edicto non refertur tota forma, sed historia, ait Henricusquez lib. 3. cap. 2. num. 4. lit. h. Bellarminus lib. 2. cap. 10. Valentia disp. 5. q. 1. punct. 3. Suarez disp. 33. sect. 5. Agidius hic art. 4. Ibi Præpositus, & Galpar Hurtado, & Grados controu. 3. disp. 3. sect. 3. Gamachæus capite 5. Guillelmus Æstius in 4. distinct. 7. §. 10.*

10 Nominatimque Catunyrus in concordia vtriusque Ecclesiæ tract. 1. accus. 7. Et Petrus à S. Ioseph in Idea Theologiæ Sacramentorum cap. 13. resol. 4. ita ait. *Obseruandum quinto, formam illam Græcorum: Signaculum doni Spiritus Sancti: non videri sufficientem; eo quod multa non exprimit, quæ continentur in forma Latinorum, quæque; necessario vt valeat sacramentum, exprimentia esse diximus.*

Nouissimè Gabriel à S. Vincentio Carmelita Discalceatus de Confirmatione disput. 2. q. 2. conc. 6. fol. 37. ita ait. *Vnde non placet sententia Arcudij lib. 2. cap. 6. & 7. sequentem formam, quam dicit esse Græcorum, esse sufficientem, nimirum: Signaculum donationis Spiritus Sancti. Nam in primis nulla fitritium diuinarum personarum merito: cum tamen hoc in omnium sententia Theologorum, sit omnino necessarium. Et post alias res impugnationes, concludit. Nec verum est, quod illa forma fuerit vniuersalis Ecclesiæ Græcæ: Sed aliquarum dumtaxat Ecclesiarum. Propterea Clemens Octauus in Instructione Græcorum aliter ordinauit. Hæc ille:*

11 Præterea Diana parte octaua tract. 1. de potestate Pontificis ad sacramenta resol. 8. & 9. & 10. cum sententias reuulisset. Tandem ait. *Ego iudicium meum, ex dignis rationibus proferre nolo. Cum tamen parte 3. trac. 4. resol. 27. de plano hanc secundam sententiam*

supposuerit cum Nuño, Coninch, & Filliatio, quorum verba refert. Adhuc tamen illa parte 8. resol. 10. refert, quod quidam vir doctissimus, quem non nominat; varijs rationibus probabat; quod in primitiua Ecclesia, etiam apud Græcos, adhiberetur in forma Sacramenti Confirmationis explicita sanctissimæ Trinitatis inuocatio. Quod probat primo ex Sacerdote Patriarcha Alexandrino in Bibliotheca Patrum tom. 7. Secundo, quia Sacerdos Monachus Græcus fidedignus retulit se legisse in Euchologio manuscripto in Albania in collatione huius sacramenti explicitam Trinitatis inuocationem. Tertio, quia in Bibliotheca Vaticana inter libros Syriacos, sub num. 26. in Euchologio, seu ritu Iacobitarum in collatione huius sacramenti similiter habetur explicita Trinitatis inuocatio. Notum est autem Iacobitas ex ritu Græcorum esse.

12 Addit ibidè. Verum post schisma Græcorum a tempore Photij, inter quem, & Nicolaum Papam pro confirmandis Bulgarijs dissensiones intercesserant, non solum in hoc sacramento, sed & in alijs sacramentis, & ritibus plures sunt factæ mutationes in codicibus manuscriptis, & quotidie fiunt Venerijs, vbi imprimuntur eorum Euchologia ad placitum vniuersi cuique.

13 Postea vt dilgat argumenta, notat duplicem fuisse in primitiua Ecclesia vtrumque sacri Chrysmatis apud Græcos; vnum ceremoniale, & reconciliatum Hæreticorum redeuntium ad gratiam Ecclesiæ: alterum sacramentalem in collatione sacramenti Confirmationis. In reconciliatio adhibebantur illa verba: *signaculum doni Spiritu sancti*; de quo in secunda Synodo can. 7. & in Concilio Arausico. 1. canone 2. Quæ verba Neoterici Græci post schisma, existimauerunt esse formam sacramenti. Quod colligit ex Cardinali Bessarione in tractatu de Eucharistia. Et hæc forma reconciliandi, & vnguendi Chrysmate Hæreticos sub iisdem verbis: *Signaculum doni Spiritus Sancti*; habetur in fine Euchologii Græcorum. Igitur, vel continetur Hæreticus in Euchologio, dum reiterat sacramentum Confirmationis: vel dum in forma sacramenti non explicat tres personas. Dicere autè, vt dicit Arcudius lib. 2. cap. 18. quod ritus expressus in Euchologio reconciliandi Hæreticos, sit Methodij Patriarchæ Hæretici; est gratis assertum: quia imò dicit aliquis esse Methodij Catholici Patriarchæ item Constantinopolitani. & Hæreticum non contineri in Euchologio in hac forma reconciliatiua; sed in omissione explicita Trinitatis in

in forma sacramenti Confirmationis. Hæc ibi.

14. Quæ confirmantur primo: nam hæc distinctio manus impositionis; & duplicis usus sacri Chrismatis; nẽpẽ ceremonialis reconciliatiui; & sacramentalis. Hinc maro Rhemenſi libro de varijs capitulis Eccleſiasticis cap. 16. tradunt Severinus Binarius in notis ad epistolam Melchiadis, & Baronius tom. 1. anno Christi 35. a nu. 13. Stephanus Durant. de ritibus lib. 1. cap. 20. nu. 8. Suarez disp. 34. lect. 1. in tertia responsione. Nuño q. 72. art. 5. diffi. vnica ad 4. Caftrus Palaus tract. 20. puncto 6. nu. 4. alios referens. Et late ipſe Baſilius Pontius in Relectione de Confirmatione parte 1. cap. 1. nu. 7. & 8. & 9. Vnde est facile, quod authoritates exponantur de ritu reconciliandi Hæreticos, & non de forma sacramenti Confirmationis.

15. Confirmatur ſecundo: nam Cardinalis Bellarminus libro 4. de Romano Pontifice cap. 11. ad 2. ait. Erat conſuetudo Græcorum fere ordinaria, corrupendi libros. Nam in hæc ipſa ſexta Synodo, Actione 12. & 14. deprehenderunt plurimas corruptiones, ab Hæreticis factas in Quinto Concilio. Et Leo in epist. 83. ad Palæſtinos, conuincitur de Græcis, quod epistolam ſuã ad Flavianum, te adhuc viuente, corruperint. Gregorius lib. 5. epist. 14. ad Narſem, aſſerit, Conſtantinopolitanos corrupiſſe Synodum Chædonenſem; & idem ſe ſuſpicari de Ephetina. Et addit codices Romanorum longe eũe veraciores, quam Græcorum. Quomodo (inquit) Romani, ſicut non acuminati nec impoſuerunt hærent. Denique Nicolaus Primus in epist. ad Michaelem, remittens Imperatorẽ ad epistolam Adriani. Si tamen (inquit) non fuiſſet amore Græcorum ſed ſicut a Sede Apoſtolica miſſa eſt, penes Eccleſiam Conſtantinopolitanam hærent conſeruari. Nec ſine cauſa hoc dixit: nam quæ ipſe allegat in epist. ad Phottium, ex epistola Adriani ad Tharaſiũ, nõ habentur in illa epistola, vt legitur in ſeptima Synodo: Detraherunt enim Græci locũ, quia contra honorem Tharaſij faciebat. Si ergo corruerunt Græci Tertiam, Quartã, Quintã, & Septimã Synodum; quid mirum, ſi etiam Sextã corruerint? Præſertim cum conſtet paulõ poſt ſextã Synodum conſulam, iterum aſcendiſſe Conſtantinopolim multos Episcopos, & edidiſſe Trullanos Canones, quorum Episcoporum non alius ſcopus videtur fuiſſe, quam taxandi, & reprehendendi Romanam Eccleſiam. Hæcenus Bellarminus de conſuetudine Græ-

corum corrupendi libros. Et Franciscus Mendoza in Viridario libro 5. Problema 49. proponit: ſit ne illud verum: *Græcia mendax?* Alia exẽpla videri poſſunt apud Grauiã controu. de Papæ infallibilitate in decretis fidei quæſt. 2. artic. 6. fol. 116.

Imò in hoc ipſo ſacramento, & in eodẽ Euchologio Græcorum, hoc ipſorum vitũ nõ potuit non videre, & notare ipſe Baſilius Pontius in eadem Relectione de Confirmatione parte tertia capite primo nu. 14. vbi ait. Deinde dico valdẽ verofimile eſſe Rubricas in principio huius Ceremoniæ, de vnguendo, & de abluendo cum additione formæ; à poſterioribus Græcis additas fuiſſe, & in eo corruptum Antiquum Rituale. Hæc ibi. Vnde ergo certi reddemur, quod in ipſa forma, hæcenus apud nos inaudita, Rituale idem eſt inuariatum?

16. Quod apud me amplius vrget, eſt quod nõ ſatis probatur à prima ſententiæ Authoribus, antiquitas illius formæ; & verba, quæ referunt illorum trium Patrum Græcorum, non ſunt expreſſa. Quod in re tanta opus eſſet. Et mirum ſilentium apud Latinos Patres, & Theologos, forte ortum habuit: quia temporibus antiquis non discrepabant à forma Latinorum, quæ etiam Armenis, & alijs Græcis fuit propoſita in Concilio Florentino.

17. Specialiterque duo validiora primæ ſententiæ argumẽta in ipſos retorqueo. Nam Imperator Conſtantinus confirmatus eſt ritu Eccleſiæ Latine: ſiquidem confirmatus eſt à Summo Pontifice S. Sylueſtro in ipſa Vrbe Romana, vt in eodem Edicto continetur. Nullus autem Catholicus dubitat, quod Eccleſia Romana vtitur forma diuerſa: & illam eſſe ſaltem de neceſſitate præcepti, cuius prima origo non cognoſcitur ab ipſo Apoſtolorum tempore, eſt de fide: Nec vlla erat neceſſitas, quod in illa ſolemniffima, & celeberrima miniſtratione ſacramenti, omitteretur à ſanctiffimo Pontifice. Ergo vel dicendum eſt malè Concilium Florentinum, formam huius ſacramenti aſſignaffe; vel in illo Edicto non formam ſacramenti, ſed hiftoriam refferri.

18. Vrgentiufque ſecundo retorquetur: nam in primo tomo Conciliorum, & in omnibus, qui referunt Edictum Conſtantini: Imò ab ipſis contrarijs Baſilio Pontio, & Franciſco Amico, refertur, quod Sylueſter confirmauit Conſtantinum cum inuocatione trium Perſonarum expreſſa: ſiquidẽ referunt dixiſſe: *Signet te Deus ſigillo fidei, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti in conſignatione fidei.*

Et tamen hoc Edictum afferunt ad probandum, quod in formã Confirmationis Græcorum, nec neceſſitate ſacramenti, nec neceſſitate præcepti, eſt neceſſaria expreſſa inuocatio trium Perſonarum. Cum tamen, qui legere ſciunt, poſſent aduertere ex illa authoritate; & ex illo facto potius probari oppoſitum: Alioquin quis poſſet arguere: Chriſtus dixit Mathæi vltimo: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti:* Ergo expreſſa inuocatio trium Perſonarum in Baptiſmo, nec eſt neceſſaria neceſſitate præcepti, nec neceſſitate ſacramenti. Cum ergo hoc nullus Catholicus admittat; ita nullus Theologus ex illo edicto Conſtantini, prout iacet in omnibus libris impreſſis, poteſt defendere formam illam modernam Græcorum ſine inuocatione expreſſa Trium diuinarum perſonarum. Quod ſi admittatur quoad hoc eſſe Euchologium deprauatum, in alijs planum eſt paucam fidem ſibi mereri.

18. Demum retorqueo argumentum ex authoritate Clementis Octauij: nam in Inſtructione illa contra abuſus Græcorum, relata à Naldo, verbo *Chriſtianus*, loquẽdo de ſacramento Confirmationis, ſic præcipit. *Latini Episcopi inſantes, ſeu alios baptizatos à Presbyteris Græcis, de facto Chriſmate in fronte conſignatos confirmet: & tutius videtur, vt cum cautela, & ſub conditione id faciant, videlicet, ſi es confirmatus, &c. Præſertim vero cum veriſimiliter dubitari poteſt, quod ab Episcopis Græcis fuerint baptizati.* Iterumque poſtea loquendo de Sacramento Ordinis, ait. *Si Episcopus Latinus Græcum aliquem ordinare voluerit, qui à Presbytero Græco in Baptiſmo Chriſmate in fronte de facto fuerit conſignatus, debet illum antea confirmare, ſaltem ſub conditione, videlicet, Niſi es confirmatus, &c. vt ſupra.* Vbi non ſtatuit Summus Pontifex (vt ei imponit Baſilius) quod ſi conſtaret Confirmationem datam ab Episcopo Græco, non eſſet dãda, nec ſub conditione; ſed potius præcipit dandam, ſaltem ſub conditione in vtroque caſu, & cum eſt ſignatus Chriſmate in fronte à Presbytero Græco, & cum Baptiſmo, & ſignatio in fronte facta eſt ab Episcopis Græcis. Imò illa particula, *Præſertim*, denotat clarè magis abſque controuerſia ita practicandum in eaſu, quod fuerit miniſter Baptiſmi, & Confirmationis Episcopus Græcus, quam ſi fuerit Presbyter.

Nec parum vrget, quod Severus Græcus Patriarcha Alexandrinus, in libro de ritu baptizandi, qui habetur in Bibliotheca veterum Patrum antiquæ editionis tom. 4. &

in 2. & 3. edit. tom. 6. & modo tom. 7. folio 332. col. 1. lit. d. ait. *Et ſignat eorum membra, eorumque fronte tribus vicibus: & ait: Chriſmate ſancto, ſuauiſſimo odoris Chriſti; Dei ſigillo vera fidei complemento pignoris Spiritus Sancti, obſignatur talis. N. in nomine Patris, Amen: & Filij, Amen: & Spiritus Sancti, ad viuũ ſæculi ſæculorum. Amen.* Floruit autem iuxta Genebrardum, anno 646.

19. Ad hominem contra Baſilium vrgent argumenta. Nam Concilium Florentinum in Decreto Eugenij eandem habet authoritatem definiendi formam ſacramentorum, ac declarandi eorum materias. Sed quãuis in Concilio, loquendo de materia nõ apponatur expreſſe illud verbum *neceſſitate ſacramenti*, ipſe parte 2. cap. 2. num. 24. cenſet eſſe de fide mixtionem Baſami eſſe de neceſſitate ſacramenti contra innumeros Theologos, qui oppoſitum docent eſſe certum, vel admodum probabile. Ergo inconſequentur, cum pro forma Latina extet ſimilis diſſinitio, nullius Theologi authoritate fretus (nam Vazquez id non docet) eam non vult explicare neceſſitatem ſacramenti.

Probatur conſequentia: quia vt inquit Soto diſt. 7. art. 4. quamuis formæ ſacramentorum in Eccleſia more, & uſu, & Antiquitũ ſucceſſione fuerint ſeruatæ: Tamen in Concilio Florentino, vbi vtraque pars Eccleſiæ, tam Orientalis, quam occidentalis fuit congregata, omnes fuerunt explicatæ: inter quas, & illa Confirmationis.

20. Pariter argui poteſt ex his, quæ Baſilio docet c. 3. n. 2. quod eſt traditio Eccleſiæ, quod Chriſma benedictum ſit de neceſſitate ſacramenti. Et tamen pro illa traditione non aſſertur aliquid maius decreto Eugenij. Pariter argui poteſt ex his, quæ docet, cap. 4. de neceſſitate, quod ſit benedictũ ab Episcopo.

Nec video qua conſequentia doctrinæ cap. 5. num. 4. probet eſſe de neceſſitate ſacramenti, quod vnctio Chriſmatis, quæ eſt materia proxima, ſit in forma Crucis, ex veritate formæ, ſigno te ſigno Crucis: & tamẽ poſtea eadem parte ſecunda cap. vltimo num. 4. ait, expreſſionem illam Crucis non eſſe eſſentialem: ſed valere, ſi dicatur: *Signote, & Conſirmote.* Quia in forma Græcorũ, in qua certum eſt omnia eſſentialia contineri, nõ exprimitur ſignum Crucis. Sed vnde certum; cum omnes, & tu ipſe affirmaueris contrarium?

21. Igitur nullatenus recedendum ab hac communi ſententia, quæ habetur in Ca-

techismo Pij Quinti: & est D. Thomæ hic art. 4. ad 2. & 3. ut patet conferenti solutiones cum argumento. Et 3. p. q. 84. art. 3. Et Opusc. 22. cap. 1. & in 4. ad Anib. dist. 7. art. 3. ad 1. Et in 4. dist. 7. q. 1. ar. 3. q. 1. ad 3. ait; quod variatio formæ in his, quæ non sunt de eisdem formis; potest tolerari secundum diuersas Ecclesiarum consuetudines; dummodo substantia formæ apud omnes seruetur. Hoc autem; quod à quibusdam dicitur; *Chrismate salutis, vel sanctificationis, quasi in vnum reddit*; & ideo per hoc non remouetur; quin hoc sacramentum habeat determinatam formam. Ecce, quod D. T. negat posse tolerari consuetudinem Ecclesiarum, quæ non vtantur forma æquivalenti formæ, qua vitur Ecclesia Romana; & posse tolerari consuetudinem dicentium *Chrismate sanctificationis*, quia æquualet formæ nostræ; si enim non æquualet, non haberet essentialia formæ: & ideo non perficeretur sacramentum. Hæc igitur sunt, quæ apud me probant hanc communem sententiam esse veram; nec posse defendi oppositam, eo modo, quo à relatis Authoribus explicatur. Admitto tamen alia via posse probabiliter sustineri (ne tantâ multitudinē à grāmio Catholicæ Ecclesiæ in formis sacramentorum separemus imprudenter) quam post explicatam formam Ecclesiæ Romanæ, commodius proponemus infra n. 30. & 49.

§. III.

Vtrum omnia verba, quibus vitur Ecclesiæ Romana, sint de essentiali formæ?

22. **C**ertum est secundum fidem Catholicam, quod hæc est conueniens forma sacramenti Confirmationis: *Consignate signo Crucis, & confirmate Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.* Probat Diuus Thomas articulo 4. auctoritate Ecclesiæ, quæ hac forma communiter vitur. Vnde postea in Concilio Florentino in Decreto Eugenij Quarti, dicitur: *Forma autem est consignate, &c.* Et ratione: nam sicut forma rei naturalis dat ei speciem; ita forma sacramenti continere debet quid quod pertinet ad speciem sacramenti. Sicut autem ex supra dictis dub. 1. patet in hoc sacramento datur Spiritus Sanctus ad robur spiritalis pugne. Et ideo in hoc sacramento tria sunt necessaria, quæ continentur in forma prædicta. Quorum primum est causa conferens plenitudinem roboris spiritalis,

quæ est Sancta Trinitas: quæ exprimitur, cum dicitur: *In nomine Patris, &c.* Secundum est ipsum robur spirituale, quod homini confertur per sacramentum materię visibilis ad salutem. Quod quidem tangitur, cum dicitur: *Confirmate Chrismate salutis.* Tertium est signum, quod pugnatore datur: sicut & in pugna corporali milites insignijs ducum insigniuntur. Et quantum ad hoc dicitur: *Consignate signo Crucis*: in quo scilicet Rex noster triumphauit; ut dicitur ad Col. 2. Et ideo prædicta forma est conueniens huic sacramento.

23. Alia via idem explicat D. Thomas in 4. dist. 7. q. 1. art. 3. q. 2. dicens, quod sicut definitio debet indicare totum esse rei, si sit perfecta; ita per formam sacramenti debet innotescere totum, quod ad sacramentum pertinet. Sacramentum autem, & est ad aliquem finem ordinatum, & ab aliqua causa principali efficaciam habet. Et ideo tria ponuntur in forma huius sacramenti: quorum primum pertinet ad finem, ad quæ institutum est hoc sacramentum; quod est confessio fidei Christianæ; cuius tota summa consistit in passione Christi. Vnde Apostolus 1. ad Cor. 2. *Non enim iudicauit me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum Crucifixum.* Et ita huius articuli confessio maiorem habet difficultatem: quia sicut dicitur in eadē epistola 1. ad Cor. 1. *Nos autem predicamus Christum Crucifixum; Iudeis quidem scandalum; Gentibus autem stultitiam.* Et ad hoc pertinet, cum dicitur: *Consignate signo Sanctæ Crucis*, ut Crucis verbum non erubescat, sed publicè confiteatur. Secundo ponitur ipse sacramentalis actus, cum sua materia, & effectu: ut sic tagatur; & id quod est sacramentum tantum; in hoc quod dicitur: *Chrismate*; & id quod est res, & sacramentum; in hoc quod dicitur: *Confirmate*, id est; sacramentum Confirmationis præbeo; & id quod est res, & non sacramentum; in hoc quod dicitur: *Salutis.* Sed causa agens principalis, vnde Sacramentum effectu habet, tangitur in hoc, quod dicitur: *In nomine Patris, &c.*

24. Sed difficultas est, an tota hæc forma sit essentialis, & necessitate sacramenti?

Respondet Suarez disp. 33. sect. 5. conc. 2. dicens esse de fide, hæc verba continere formam necessariam, & essentialem constitutam huius sacramenti: nullamque aliã posse esse sufficientem, quæ huic non æquualet, saltem in sensu, & significatione substantiali. Idem docet Castrus Palauus tract. 20. p. 1. tit. 3. num. 3. referens Henriquez, Ægidiū, Bonacina,

Pesantium, & Layman; sed tres primi conclusionem docent, sed non dicunt eam esse de fide: alios duos ad manum non habui, & ideo videre non potui. Nūno vero q. 72. artic. 4. diff. 1. dicit oppositum huius saltem esse temerarium, & proximum errorem.

25. Probat Suárez primo: nam Concilium Florentinum assignans materias, & formas sacramentorum; præsertim quando in particulari eas præscribit; solum determinat eas, quæ necessariae, & essentialia sunt. Imò hoc videtur esse de ratione formæ: quia cum constituat speciem, debet in indiuisibili consistere. Vnde Theologi omnes dicunt mutationem; quæ variat sensum formæ; illam prorsus destruire. Tertio probatur, quia sacramentum Confirmationis vnum; & idem est in vniuersa Ecclesiâ; quia sacramenta debent esse eadem apud omnes, saltem essentialiter: ergo nulla alia forma potest sufficere præter dictam; nisi ei in sensu, & significatione æquualet.

Vltimo tandem ita declaratur: quia necesse est in hoc sacramento interuenire aliquam præscriptam verborum formam: hoc enim est de ratione sacramentorum noue legis, ut supra vltimè est: ergo necesse est talē formam esse à Christo Domino immediate institutam, à quo totum sacramentum immediate institutum esse ostendimus. Ergo necesse est illam formam esse vnam, & eandem: quia institutio Christi vnica tantum fuit, & mutationem non recipit: ergo si hæc forma est sufficiens, est etiam necessaria; & vnica: neque vllā aliã potest sufficere; nisi quatenus eadem est cum ista in sensu, & significatione. Quo fit, sicut in omni loco, ita & in omni tempore esse; semperque fuisse hanc formam necessariam. Et sicut nunquã defuit in Ecclesiâ vsus huius sacramenti; ita neque vltimè huius formæ defuisse. Quod si aliqua varietas inueniatur, mutatio erit accidentalis, non substantialis.

26. Cæterum ego nulla censura dignum iudicarem eum, qui fateatur hanc formam esse quidem conuenientissimam, & necessariam necessitate præcepti; non tamen essentialem, ita ut parte illius ommissa non perficeretur sacramentum. Quod constat primo: nam forma, qua nunc vtuntur Græci, nec in sensu, æquualet isti: & tamen non est de fide, quod non sit valida. Nec vlli in mentem venit censurare opinionem Basilij Pontij, Francisci Amici, & aliorum. ¶ Secundo: non est de fide, quod Christus non reliquit Ecclesiæ potestatem determinandi, & variã

di in specie formas sacramentorum, quorū determinatio non colligitur ex Scriptura: sicut hic contingere, fateatur D. Thomas ad 1. Imò innumeris Neotericis, quos reuultimus q. 60. dub. 13. hanc viam iudicant facilem, & expeditam ad Conciliã Ecclesiã Græcam cum Latina in materia; & formis sacramentorum. Quod tamen Hæreticum esset, si esset de fide huius, & omnium sacramentorum formas esse in specie determinatas à Christo Domino.

27. Tertio, quia magis est determinata à Christo forma consecrationis Calicis in Eucharistia; quam forma huius sacramenti: cum illam fere totam habeamus ex Sacra Scriptura, & Patribus: hanc vero solum ex vsu Ecclesiæ. Et hoc non obstante, non solum non est de fide totam formam, qua vitur Ecclesia Romana; esse essentialem: quin potius ipse Suárez q. 78. assertiue tuetur partem negatiuam, & vix vult relinquere probabilitatem in sententia affirmatiua; solum quia à nostra formã dissentiant ibi Græci: Ergo cum etiam multo in pluribus dissentiant Græci à Latinis in formã huius sacramenti, nõ esset latis consulte scriptum asserere eorum praxim in hoc puncto esse contra fidem.

28. Quarto, de facto innumeris Theologis, postea referendi; opinantur plura verba formæ, quæ est in Concilio Florentino, non esse essentialia: quorum sententiam probabilem; dicunt Henriquez lib. 3. cap. 2. nu. 5. lit. l. Bellarminus cap. 10. Ægidius in hoc art. 4. n. 65. Filliutiustrac. 3. cap. 1. n. 20. Diana 3. p. trac. 4. resol. 27. Guillelmus Æstius in 4. dist. 7. §. 10. Leander tract. 3. disput. 3. q. 16. Assertiueque tuetur Basilius in Relectione parte secunda toto capite octauo. Ergo in causã erit censura in hac parte. Et hæc de censura opinionis. Videndum quid sit tenendum.

29. Quatum vero attinet ad rem ipsam; mihi videtur esse sententiam D. Thomæ in verbis supra relatis, & communem, non solum Thomistarum, sed & omnium Theologorum; & veram; totam hanc formam, vel aliam in sensu substantiali ei equiualem, esse de essentia: ita quod si aliquid varians sensum substantialem, ei desit, non perficiatur sacramentum. Quod verum esse constat, ex dictis à simili de formã Baptismi: & ex dictis de essentialiter requisitis ex parte materię; quia æque certa est traditio Ecclesiæ de forma hac à Christo instituta, ac est traditio materię: & auctoritas Papæ, & Concilij eadem est; & similibus verbis expressa.

30 Adhuc tamen videtur probabile asserere in hac forma debere, seu posse distingui partes essentielles, & partes substantialiter integrantes, & partes accidentales. Sicut est probabile distinguendum esse in forma Consecrationis Calicis, ut dicitur q. 78. & est certum has partes distinguere in sacramento Pœnitentiæ. Et est indubitatum, & ratione, & experientia manifestum, has partes distinguere in alijs compositis naturalibus, & artificialibus. Deseruique hæc distinctio ut facile intelligatur, quod Græci quidem substantialiter differunt in partibus significatiuis formæ; sed non differunt in significatione essentiali, magis, vel minus explicata eorum, quæ Christus pro forma essentiali instituit. Atque ita Latinos omittentes substantiam suæ formæ, peccare mortaliter, quia Christus Ecclesiæ commisit determinare partes, quæ debent integrare formas, & materias sacramentorum. Sed Græcos validum perficere sacramentum, quia utuntur forma essentialiter eadē, quia ad idem significandum ex parte causæ, & ex parte effectus, & cum eadem significatione: quæ sunt tria essentialia nostræ formæ. Sed non eadem expressione, & significatione integrant. Sicut ergo est probabile hac via concordari vtriusque Ecclesiæ formam Sacramenti Ordinis, ut vidimus q. 60. dub. 13. ita eadem probabilitate possunt nunc simili concordia adunari.

31 Verum est, quod ibi est magis necessarium ad illam concordiam recurrere, ne dicamus illos carere Sacerdotibus, & Episcopis, qui sine valido Sacramento Ordinis sacrari nequeunt de lege ordinaria: hoc autem sacramentum ita necessarium non est. Ibi que habemus Bullam Pontificiam, & communem Doctorum consensum de validitate Sacramenti Ordinis in forma Græcorum: Nunc vero vtrumque desideramus, & quod Apostolica sedes declaret iuxta formam, quæ est in eorum Euchologijs, valere sacramentum Confirmationis: & quod inter antiquorum Patrum testimonijs probent Græci hanc formam eos habere ex Apostolorum traditione: & sic difficultates cessabunt magna ex parte.

§. IV.

In speciali exponitur, quæ verba sint essentialia

32 Sed quia sermones morales applicati ad particularia vtiliores sunt, videam

de singulis particulis. In primis D. Thomæ artic. 4. ad 2. ait, quod sanctitas est salutis causa, & ideo in idem redit, quod dicitur Chrysmate salutis, & sanctificationis. Hæc D. Thomas communiter receptus: quare absque vilo fundamento authoritatis, aut rationis id negat Leander disputatione tertia questione 18.

33 Præterea notat Nuño q. 72. artic. 4. diff. 1. §. Illud tamen, certum esse, quod licet non sit necessarium exprimere personam ministrum formaliter, necessarium tamen est illam exprimere virtualiter. Itaque mortale peccatum esset confirmare sub hac forma: *Consignetur seruus Christi, &c.* Patet ex usu vniuersali totius Ecclesiæ, tam Latinæ, quam Græcæ. Licet enim concessa fuerit facultas Græcis baptizandi sub hac forma: *Baptizetur, vel Baptizatur seruus Christi, &c.* Non tamen est illis concessa similis facultas in sacramento Confirmationis. Idem notant Petrus Ledesma de Confirmatione cap. 3. in fine. Serra q. 72. art. 4. Henriquez lib. 3. cap. 2. n. 5. Diana 3. p. trac. 4. resol. 27. in fine. Auersa sec. 3. §. 2. Suarez, Reginaldus, quos refert, & sequitur Leander q. 19. referens, quod Philippus à Cruce de Confirmatione folio 144. negat formam hanc esse validam.

34 Addit Suarez disput. 33. sect. 5. ad 4. quod non sufficit proprie formam per modum deprecationis, sed esse debet per modum indicatiui, aut saltem imperatiui, ut significetur efficacia sacramenti, & ut idem sensus formæ retineatur. Idem docet Vazquez to. 4. in 3. p. q. 84. art. 3. dub. 3. num. 10. quia minister habet rationem superioris destinantis militem ad bellum pro fide: superioritas autem non explicatur oratione deprecatoria. Castrus Palauus puncto 5. num. 6. in fine dicit certissimum, quod si formam huius sacramenti deprecativè proferres, omnino sensum, & significationem illius mutares, ut pote, qui non significares huius sacramenti effectum ut à te operatum. Bonacina disput. 3. puncto 3. num. 9. in fine ait: Verum hæc forma non est tuta, cum dubium sit an contineat mutationem substantialem. Sequitur Trullench capite unico de Confirmatione n. 8.

35 Cæterum Soto dist. 7. art. 4. ad 2. dicit, quod valeret, si fieret per tertiam personam, ut in Decreto Constantini ipse legitur confirmatus, sub hac forma: *Signet te Deus sigillo fidei suæ.* Idem enim est, quod signo Crucis. Sequitur Serra art. 4. & Auersa sec. 3. Valereque illam formam *Confermet te Deus,* dicit

Et Henriquez lib. 3. cap. 2. nu. 5. Et expresse Vazquez sibi contrarius, to. 2. in 3. p. disp. 142. c. 2. ut notat, & sequitur Basilius Pontius p. 2. c. 7. n. 17. & c. 8. n. 2. & 3. quia supposita institutione Christi, idem est dicere *Consignet te Deus,* ac in praxi dicere: *authoritate Dei,* & potestate ab illo accepta, te confirmo, & consigno.

36 Sed inquires primo, vtrum illa geminatio verborum, *Signo, & confirmo,* sit de essentiali?

Negant Bellarminus lib. 2. c. 10. & Henriquez lib. 3. c. 2. nu. 5. in textu, quamvis in Glossa lit. l. & in textu nu. 6. dicat esse formam dubiam, vel nullam sine geminatione: Tenent tamen Layman tract. 3. c. 3. & Gamachus, quem refert, & sequitur Basilius p. 2. cap. 8. nu. 7. Probat primo, quia in forma Græcorum tantum habetur vox *signaculi* sine verbo Confirmationis. Præterea, quia in eadem forma, quam refert Constantinus in suo Edicto, tantum habetur verbum signandi, *signet te Deus sigillo fidei, &c.* Et denique, quia in libro, qui inscribitur Ordo Romanus, & antiquissimus est, in quo ponuntur omnes ceremoniæ, & ritus seruandi in officijs Ecclesiasticis, & administratione sacramentorum, cum de hoc sacramento agitur, hæc tantum habentur pro forma: *Confermo te, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Ergo non est necessaria illa expressa geminatio verbi, sed vnum in altero includitur.

37 Sed respondet Suarez in oratione pro confirmandis ante verba citata dici ab Episcopo: *Consigna eos Domine signo Crucis:* quæ verba pertinent ad formam, & non immutant substantialiter illam, quam assignat Concilium Florentinum. Sed hæc solutio nulli ab homine, qui non legit locum ex veteri Ordine Romano, vbi hæc habentur. Primo Pontifex post ministratum Baptismum, venit ad infantes, & Archidiaconus tenet Chrysmata, & Pontifex eleuata manu super capita omnium, dicit orationem, cum invocatione septi formis gratiæ Spiritus Sancti. Cuius orationis vltima verba hæc sunt: *Adimple eos spiritu timoris tui: Amen. Consigna eos signo Crucis Christi, in vitam propitius æternam: Amen.* Et statim subiungitur in eodem Rituali: *Oratione expleta, interrogantibus Diaconibus nomina singulorum, Pontifex tincto pollice in Chrysmate, facit Crucem in frontibus singulorum; ita dicendo: Confermo te, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Hæc ibi. Ex quibus aperte constat hæc vltima verba Orationis nullo modo pertinere ad formam Confirmationis.

nis. Tum quia super omnes confirmandos simul dicuntur, & semel, neque repetuntur pro singulis: forma autem toties repetitur, quoties applicatur materia. Tum etiã, quia cum illa orationis verba proferuntur, nihil materiæ applicatur: at formam sacramenti in Ecclesiâ usu semper coniungitur cum applicatione materiæ. Verba ergo præcite pertinentia ad formam, sunt illa, *Confermo te.* Hæc Basilius.

38 In contrarium est primo auctoritas Decreti Concilij Florentini, in quo illa geminatio clare ponitur ut de substantia, & essentia formæ: siquidem dicitur: *Forma autem est: signo te signo Crucis: & confermo te Chrysmate salutis, in nomine, &c.* Ex quo formatur argumentum. Quia Concilium ex parte materiæ ponit requiri, Oleum, Balsamum, & benedictionem Episcopi, Authores oppositi dicunt, quolibet illorum trium deficiente, non perficitur sacramentum. Sed ex parte formæ tres alias partes principales ponit, signationem Crucis, Confirmationem Chrysmatis, invocationem expressam Trinitatis, & hæc tria exprimi vocibus formæ. Ergo illæ duæ voces, sicut & actiones, non possunt in vnâ confundi: nec vna voce significari: alias forma non sortietur effectum.

39 Secundo rationem optimam assignat D. Tho. art. 4. ad 2. nam Baptismus est re generatio in spiritualem vitam, qua homo viuit in se ipso: & ideo non ponitur in forma Baptismi nisi vnus actus ad ipsam hominem sanctificandum pertinens. Sed hoc sacramentum non solum ordinatur ad hoc quod homo sanctificetur in se ipso, sed exponitur cuidam pugnae exteriori. Et ideo non solum fit mentio de interiori sanctificatione, cum dicitur, *Confermo te Chrysmate salutis:* Sed etiã consignatur homo exterius quasi vexillo Crucis ad pugnam spiritualem: quod significatur cum dicitur: *Consigno te signo Crucis.* Hæc S. Tho. Qui idem docet in 4. dist. 7. q. 1. art. 3. q. 2. ad 2. & 3.

40 Quare, quod geminatio verborum, *Consigno, & Confermo,* sunt de substantia, & necessitate sacramenti, est communis Theologorum doctrina, ut dicit Henriquez lib. 3. c. 2. nu. 6. lit. o. referens Sotum, Martinum Ledesma, Alexandrum, Paludanum, Scotum, Gabrielem, S. Bonaventuram, & Richardum. Et significat S. Ambrosius de ijs, qui mysterijs initiantur cap. 7. & vtrumque verbum ponit Concilium Florentinum: & Pontificale nouum. Idem probat Suarez disp. 33. sec. 5. dub. 1. Granados trac. 1. disp. 3. n. 3. Agidiæ art. 4. Castrus Palauus puncto 5. nu. 5. & alij, quos refert.

Vu 2 fert,

fert, & sequitur Leander q. 18. Quia verbū *Confirmo* de se est indifferens, & indiget alio verbo, seu nomine, quod eius indifferentiā determinet. Nec *Confirmo*, & *Consigno* æquivalent.

41 Vnde Auerſa ſect. 3. §. 2. ait. Communis tamen loquendi modus apud Theologos indicat, omnem hanc diſtinctionem verborum eſſe neceſſariam: quia omnia habent ſuam peculiarem ſignificationē, & expreſſionem: quæ alio modo non ſatis æquiuale ſaluetur. Et ad minus conſtat, quod redderetur ſacramētū valde dubium: eſſetque ſub conditione iterandum. Et cōmittetur magnum ſacrilegium. Cæterum Nūñō q. 72. art. 4. diſſic. 1. ad 4. in ſine ait. Vnde credo ita eſſe neceſſaria hæc duo verba: ad conſciendum hoc ſacramētum, vt ſiquis vnicō tantum verbo vteretur, quomōdō quæ componeret formam, ſacramētū eſſet nullum; ita certo vt eſſet iterandum etiam ſine cōditione.

42 Argumentum contrarium diluit Palauſ n. 6. dicens. Ad teſtimonium adductum ex libro, qui inſcribitur, *Ordo Romanus* (ſi forte ſic te habet) reſpondeo, ibi non exprimi totam formam; ſed ſub verbis conciſis Cōfirmationem declarari. Sicuti idem eſt dicendum de Edicto Conſtantini. Granados autē cum Bellarmino, & Suarez, ait non fore mutationem eſſentialem, ſi prius dicat Episcopopus, *ſigna eos domine*: & ſubdat, & *confirmo te Chriſmate*, vt habetur in illo libro: nam cum Deus ſit principalis cauſa ſacramentorum, nō eſt mutatio eſſentialis vt deprecatione.

43 Nec cordatus Theologus debet cogitare Decreta Concilij Vniuerſalis totius Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ ad normam veruſti Codicis (forſan incuria tranſcribentium viciati) ſed potius illum librum, & omnia poſtponere, & cōtemnere, ſi opponatur traditioni Apoſtolicæ, & conſuetudini vniuerſalis Eccleſiæ. Vnde in Catechiſmo Pij Quinti, loquendo de forma Confirmationis, dicitur. *Quamquam, ſi etiam ratione aliqua probari non poſſit, hanc eſſe huius ſacramenti veram, & abſolutam formam, Eccleſiæ Catholicæ auctoritas, cuius magiſterio ita ſemper edocti fuimus, non patitur nos ea de re quidquam dubitare.*

44 Rurſum inquires, vtrum expreſſio Crucis in verbis formæ, ſit de eius neceſſitate?

Negant Guillelmus Aëtius in 4. diſt. 7. §. 10. & fauet Gamachæus hic cap. 5. prout reſert; & ſequitur Baſilius Pontius parte 2. cap. 8. n. 4. quia ſufficit forma ſignificari auctoritate miniſtri, & opere ipſo Crucem

efformare: eo enim ipſo verbum illud ſignam di determinatur ad ſignum in forma Crucis formatum.

45 Cōtrarium merito docet Soto diſt. 7. art. 4. §. *Animaduertendum*: & cōmuniter Thomiſtæ. Item Suarez, & Aegidius, quos reſert, & ſequitur Palauſ punc. 5. n. 4. & alij frequenter. Primo, quia cōmuniter Theologi, & cum eis Baſilius p. 2. c. 3. n. 4. probat eſſe de neceſſitate materiæ proximæ, quod vñctio fiat in forma Crucis, ne falſificetur forma, in qua hoc dicitur. Si autem hoc in forma eſſet accidentale, poſſet omitti: & ita ſine formatione Crucis poſſet verū ſenſum habere. Secundo, in Baptiſmo non ſufficit in exercitio lauare in nomine Patris: niſi in verbis formæ ipſa ablutio exprimat: ergo non ſufficit in exercitio materiæ formare Crucem, niſi ſignificatio materiæ verbis formæ determinetur, & ſpecificetur. Tertio eſt ratio S. Tho. quæ non ſolū probat, quod eſt eſſentiale formæ, quod in illa explicetur conſignatio, ſed etiam quod explicetur determinate, quæ ſit hæc conſignatio: nā in hoc ſacramēto Episcopopus, vt duces belli ſpirituales, armant Chriſtianos vt milites ad pugnam ſpiritualem: & idē debet exprimi ſignum, quod pugnatōri datur, ſcilicet ſignum Crucis, in quo Rex noſter pugnavit.

46 Vltimo inquires, vtrū explicita in vōcatio trium perſonarum, ſit de eſſentia huius formæ. Negat Baſilius Pontius parte ſecunda cap. 8. a nu. 9. referens Eſtium in 4. diſt. 7. §. 10. Sed Leander à Sanctiſſimo Sacramētō trāc. 3. diſp. 3. q. 17. nō reſert, quod hoc tenet Eſtius, ſed alij apud Eſtium. Sed reuera Eſtius in id inclināt vt probabile. Tenentque Scobar to. 2. lib. 12. ſec. 2. problem. 19. & 20. & Verriceli in appēdice de Apoſt. miſ. q. 3. 12. ſec. 3. n. 13. Et id inſinuat Aureolus in 4. diſt. 7. q. 2.

47 Sed explicitam trium perſonarum inuocationē eſſe de neceſſitate huius ſacramenti, tenent omnes Doctorēs cōmuniter. Plurimos reſerunt Bonacina diſp. 3. punc. 3. n. 8. & Leander q. 17. dicēs certiffimum. Imō Soto diſt. 7. q. vñca art. 4. §. *At vero*, relata priori ſententia, ait. *Verumtamen opinatio hæc non eſſet tuta.* Imō poſtquam Concilium eodem tenore, quo in Baptiſmo, illam ponit: atque illa inuolubiliter Eccleſia vtitur, proculdubio tenenda eſt tamquam de eſſentia. Nec tam facile Theologi cōcordaſſent, ſi hanc vt diuinam traditionem, in Cōcilio explicatam, non agnoſcerent.

48 Accedunt congruentiā D. Tho. quia debet in Confirmatione explicari cauſa cōferens

ferens plenitudinem robōris ſpirituallis, quæ eſt Sancta Trinitas: nec in operibus ad extra eſt aliqua operatio Spiritus Sancti, quæ non ſit Deitatis in tribus perſonis. Et quia Confirmatio debet confirmari Baptiſmo, ſicut per ſectio perfeſtibili: ſicut ergo ibi explicita in vōcatio trium diuinarum Perſonarū eſt de eſſentia ex Chriſti inſtitutione, quæ ex verbis eius colligitur; ita hic eandem fuit inſtitutionē certificamur ex Eccleſiæ traditione.

49 Ex quibus omnibus colligens, quod ea, quæ doctiſſimus Baſilius in hoc puncto propoſuit, vt defendat formā Neothericorum Græcorū, è diametro opponuntur multis ſctētijs indubitatis apud Theologos omnes antiquos, & recentiores. Vnde non ſine riguroſo examine debent introduci. Et niſi euidenter conſtat de antiquitate, & vniuerſalitate illius formæ, & quod ſciente, & approbante Papa, ſacramentum Confirmationis ab Eccleſia iudicatur validum: ergo non tranſgredere terminos, quos poſuerunt Patres noſtri quia ſapientiam antiquorum exquiret ſapiēs. Et ſer. 6. *Stare ſuper vias bonas, & interrogate de ſemitis antiquis.* Item Job 12. *Sapientia in antiquis habitat.* Illum autem modum dicēdi, quem vt probabilem propoſui n. 30. ſapientioribus iudicandum cōmitto; vt promptum, & facilem pro tam ſpinofis difficultatibus, & periculofis an fractibus, nō poſſum nō in ſua probabilitate relinquere: dū probabilior non occurrit.

DVBIVM VI.

Vtrum ſacramentum Confirmationis imprimat characterem?

§. I.

De characterē indelebili.

EX Græcis Gabriel Philadelphienſis dicit Baptiſmum tātum, & Sacerdotiū imprimere characterem; ſententiam autem Latinorum, quod Confirmatio imprimat characterē, dicit pie, recte aſſeri, ſeu admitte eam ſolum vt opinionem probabilem, & piam. Alij vero admittunt imprimere characterem: ſed errant dicentes peccato Hæreſis deſeri; & idē Hæreticos ad grāmiam Eccleſiæ reuertentes, denuo confirmant. Ita olim in Aſia docuit Firmilianus Archiepiscopopus Neocæſarienſis: vel quia cum Agrippino Episcopopo Carthagenſi negabat Hæreticos valide baptizare, aut poſſe cōferret gratiam, qua ipſi carent, vel quia quamuis Baptiſmum non admitteret poſſe iterari, id doceret de Confirmatione. Vnde poſteriores Græci id in more habēt, vt quocumque

hæreticos, ſive in hæreſi natos, ſive poſtea in hæreſim lapſos, per ſacramētum Confirmationis reconcilient; etiam ſi antea ſint cōfirmati. Ita Harmenopolus in Compēdio, Canonē 47. Apoſtolorum. Iob Monachus trāc. de Sacramētis Græcorum. Nicolaus Cabafilas in ſecunda oratione, & alij.

2 Probat ex can. 7. conc. 2. Generalis, in quo hæretici conuerſi ad fidem, iubentur reconcilari per Confirmationē, & non per Baptiſmū. Idemque docet S. Baſilius epiſt. ad Amphilochiū can. 1. & 47. Idemque præcipitur in Euchologio, ſeu Rituali Græcorū, per totam Græciam ab omnibus recepti.

3 Præterea idem videtur probare celebriſſimus locus D. Auguſti tom. 7. lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 16. dicentis. *Manus autem impositio, non sicut Baptismus, repeti non potest: quid est enim aliud, nisi oratio super hominem?* Loquitur autem de ſacramēto Cōfirmationis, vt cōſtat ex initio illius capituli, vbi dicit. *Spiritus Sanctus in ſola Catholica Eccleſia per manus impositiōne datur.* Et infra aduertit: *Neminē temporalibus, & ſenſibilibus miraculis atteſtariſſibus per manus impositiōnem modo datur Spiritus Sanctus, ſicut antea dabatur ad cōmendationem fidei, & Eccleſiæ primordia dilatanda. Quis enim hoc nūc expeſtat, vt ij, quibus manus ad accipiendum Spiritum Sanctū imponitur, repente incipiant linguis loqui? Sed inuifibiliter, & latenter intelligitur per vinculum pacis diuina Charitas eorum cordibus inſpirari, vt poſſint dicere: quoniam Charitas Dei diſſuſa eſt in cordibus noſtris.* Conſtat autem Spiritum Sanctū non dari in Eccleſia à miniſtris, niſi per ſacramētum Confirmationis.

4 Dico primo, in ſacramēto Confirmationis imprimatur character. Vt notat Soto diſt. 7. ar. 3. conſuſio hæc aſſertio eſt catholica: habetur in cap. *Dicendum eſt, de Conſecratione* diſt. 5. ex Cōcilio Tarraconēſi. Et in cap. *de homine*, ibidem ex Gregorio Tertio. Et in Concilio Toletano 8. c. 7. & in Cōcilio Florentino, vbi hoc ſacramētū inter imprimētia characterē cōnumeratur. Habetur in Cōcilio Cabilonēſi ſecūdo can. 22. & ex S. Gregorio epiſt. 31. & ex Innocentio Tertio in cap. *Pæſtoralis, de Sacramētis nō iterandis.* Et ex S. Clemente Romano lib. 3. Conſtit. Apoſt. cap. 16. Tandēque diſſinitur in Cōcilio Tridentino ſeſ. 7. de Sacramētis in genere can. 9. Cuius verba iam retulimus q. 63. dub.

5 Sanctorum Patrum auctoritates reſerunt Bellarminus lib. 2. capit. 11. & Baſilius Pontius in Relectione parte tertia cap. 1. n. 9. Vbi & reſerunt Patres, qui ad intentum expendunt verba Apoſtoli ad Hebræos 6.

Præterea auctor sermonis de ablutione pedum apud S. Cyprianum, & Magister in 4. dist. 7. in probant ratione, quam prosequente conclusionem proponemus.

5. Dicitur Thomas artic. 3. sic probat. Sicut dictum est q. 63. art. 2. Character est quædam spiritualis potentia ad aliquas sacras actiones ordinata. Dictum est autem artic. 1. quod sicut Baptismus est quædam spiritualis regeneratio in vitam Christianam, ita etiam Confirmatio est quodammodo spirituale augmentum promouens hominem in spiritualitatem perfectam. Manifestum est autem ex similitudine corporalis vite, quod alia est actio hominis natum, & alia actio, quæ competit ei cum ad perfectam ætatem peruenit. Et ideo per sacramentum Confirmationis datur homini potentia spiritualis ad quædam alias actiones sacras, præter illas, ad quas datur ei potentia in Baptismo. Nam in Baptismo accipit homo potentiam ad ea agenda, quæ ad propriam pertinent salutem, prout scilicet, recurrendum est ipsum viuit. Sed in Confirmatione accipit homo potentiam ad agenda ea, quæ pertinent ad pugnam spirituales contra hostes fid. i. Sicut patet in exemplo Apostolorum, qui antequam plenitudinem Spiritus Sancti acciperent, erant in Cænaculo perueherantes in oratione: postmodum vero egressi, non verebantur publice fidem fateri, etiam coram inimicis fidei Christianæ. Et ideo manifestum est, quod in sacramento Confirmationis imprimitur character.

7. Admonet autem Dicitur Thomas ad 1. quod pugna spiritualis contra hostes invisibiles, omnibus competit. Sed contra hostes visibiles, id est, contra persecutores fidei pugnare, nomen Christi publice confitendo, est confirmatorum: qui iam sunt perducti spiritualiter ad virilem ætatem: secundum quod dicitur. 1. Ioan. 2. *Scribo vobis inuenies quoniam fortes eritis, & verbum Dei in vobis manet, & ut estis malignum.* Et ideo character Confirmationis est signum distinctiuum, non in fidelium a fidelibus; sed spiritualiter provectorum, ab his, quibus dicitur: *sicut modo genti infantes.*

8. Qualiter autem character confirmationis, non solum sit signum, ut in hac solutione ad primum præmittitur; sed etiam sit in genere potentia incompletæ, & instrumentalis, ut generaliter de omni characterem sacramentali docuerat D. Thomas q. 63. art. 2. exponit ipse D. Thomas hic ad 2. dicens, quod omnia sacramenta sunt fidei protestationes. Sicut igitur baptizatus accipit pote-

statem spirituales ad protestandam fidem per susceptionem aliorum sacramentorum: *Ita confirmatus accipit potentiam publice fidem Christi verbis protestandi, quasi ex officio.*

9. Quod exponit Nuño q. 72. artic. 3. dist. 1. conc. 4. docet, quod character Confirmationis, neque est potentia pure actiua, neque pure passiva; sed est potentia quodammodo passiva; & quodammodo actiua. Si quidem character Ordinis est potentia pure actiua, quia datur ad conficienda sacramenta, & non ad recipiendum: character Baptismi est potentia pure passiva, ad recipienda sacramenta, & non ad illa conficienda: character autem Confirmationis dicitur potentia quodammodo actiua, & quodammodo passiva: quia ponitur ad firmius protestandam fidem, quam operationem, & producit, & etiam in se ipso recipit.

10. Cæterum iam q. 63. dub. 2. n. 14. diximus characterem Confirmationis solum esse, vel reduci ad potentiam instrumentalem actiuam. Quod inuenio docuisse D. Thomam in 4. dist. 7. q. 2. ar. 1. q. 1. ad 3. ubi ait; *quod potestatis characteris huius est potestas actiua, non ad conferendum spiritualia, quod est Ordinis; sed magis ad confitendum publice.* Nec potentia extrahitur à genere actiuarum per hoc; quod recipiant actus, quos eliciunt; siquidem hoc est commune omni operanti actione immanente; sed debet attendi natura actus, vel exercitij ad quod per se primo datur; & hæc per se primo datur ad confitendum publice coram inimicis fidei, non erubescendo Evangelium; & ideo signantur in fronte; & hæc de causa est potentia actiua. Quare nec audiendus est Henriquez lib. 3. cap. 4. in 3. dicens, quod hic character est potentia potius passiva. est enim impressus à Deo tamquam signaculum spirituale, ut sit miles ad pugnam designatus; & tamen dicitur actiua potestas in ordine ad suos actus. Constat enim quod qualitates etiã actiua à Deo imprimuntur; sicut patet in characterem Ordinis.

11. Dico secundo, character Confirmationis est indelebilis etiam peccato infidelitatis; & in eodem iterari nequit. Hanc conclusionem etiam esse de fide, notant Suarez disp. 34. sec. 1. Nuño diff. 1. conc. 2. & alij communiter. Quia definitur in Concilio Florentino, & Tridentino locis citatis. Eandemque tradit Greg. 3. relatus in cap. de homine de Consecratione, dist. 5. & à D. Thom. hic art. 5. De homine (inquit) qui à Pontifice confirmatus fuerit, denuo talis iteratio prohibenda est. Probat etiam S. Thomas in 4. dist. 7. quæst. 3. art. 3. quæst. 3. nam sacramentum, quod habet

habet effectum semper permanentem, non potest iterari sine iniuria sacramenti; & ideo quia in Confirmatione imprimitur character, qui est indelebilis; ideo non debet iterari.

12. Rationem etiam, qua probat S. Augustinus contra epistolam Parmeniani cap. 12. quod Baptismus, & Ordo non iterantur, quia cum quadam consecratione dantur, etiam habere locum in presenti, notat Magister in 4. dist. 7. & notauerat Auctor sermonis de ablutione pedum, apud S. Cyprianum. Et Concilium Toletanum 8. cap. 7. ait. *Nequaquam ergo aliquando poterit profanari, quod diuina iustione, si mulque Apostolice iustione auctoritate noscitur exstitisse. Verum, sicut sanctum Chrisma collatum, & altaris honor euelli non queunt: ita quoque Sanctorum decus honorum, quod his comparatur, & socium, qualibet fuerit occasione perceptum, manebit omnibus modis inconuulsum.* Hæc ratio est eadem cum ratione D. Thomæ & Concilii Tridentini, ex eo, quod illa tria sacramenta characterem imprimant; ideo repeti non posse definitis.

13. Ad fundamenta Græcorum bene respondet Basilius Pontius parte tertia cap. 1. n. 12. & 13. & 14. nihil probari ex eo Canone, quia ibi non iubetur repeti Confirmationem: sed heretici ibi nominati ideo per sacramentum Confirmationis reconciliantur, quia Baptismus ab illis collatus censebatur validus, & ideo non repetendus; sacramentum autem Confirmationis aspernabantur, ut de Nouarianis constat; quorum ibi mentio fit. Igitur ideo Hæretici per Confirmationem recipiebantur: vel quia sacramentum à non idoneis ministris collatum fuerat, vel à Presbyteris, qui nequeunt esse ministri Confirmationis, nisi ex dispensatione Pontificis: vel ab his, qui non erant legitime ordinati Episcopi; & ideo Episcopali potestate carebant; atque adeo sacramentum fuerat nullum. Cum statutum illius can. 7. habeatur in multis alijs Pontificibus, & Concilijs: quæ repetitionem Confirmationis prohibent.

Vel potest responderi sicut ad auctoritatem S. Augustini, quod ibi non est sermo de Confirmationis sacramento, sed de victione ceremoniali, reconciliatiua. Et vtraque solutio potest adaptari auctoritati Sancti Basiliij.

14. Ad Rituale Græcum respondet Pontius nu. 14. in primis non constare quisnam fuerit ille Methodius: an primus Sanctus Confessor, qui proximè antecessit sanctissimum Ignatium: An alter Methodius Schismaticus prope annum 1240. & quicunque

fuerint, non possunt prevalere traditioni, & consuetudini vniuersali totius Ecclesiæ per mille sexcentos annos ubique obseruata. Secundo dicit valde vero simile illas caeremonias à posterioribus Græcis additas fuisse: hæc viri Græci valde docti asserunt eorum in manuscriptis antiquis minime haberi. Denique ait sibi maxime placere obsequium, si se adhiberent vnguentum nisi solum, hæretici non confirmatis; vel adhiberent solum materialiter, & extra sacramentum (ad 68. indicatum ab eis ibi non contineri formam sacramenti, ut supra dicebamus) & ideo vniuersale Chrismatum non erat ministratio sacramenti Confirmationis; sed caeremonia quædam ad solemnitatem reconciliationis, ut constat ex tertia oratione ante unctionem.

15. Testimonium D. Augustini late exponunt Suarez, & Nuño ad 4. & alij communiter cum Vasconio to. 2. de Sacramentis cap. 135. quia ipse S. Augustinus libro 2. contra Litteras Petilianæ cap. 104. docet sacramentum Chrismatum posse esse in hominibus peccatis. Dicunt ergo esse multiplicem manus impositionem, aliam curatiuam in firmatum, aliam in collatione Ordinis; aliam in sacramento Confirmationis. Alia est manus impositio ceremonialis ad Baptismum: Alia est manus impositio reconciliatiua: de qua in Concilio Aureliano 1. cap. 3. & Arrelat. 2. cap. 17. & in Can. 7. Secundi Concilij Generalis. S. ergo Augustinus in prædicto testimonio solum loquitur de manus impositione reconciliatiua, quæ simul erat deprecativa, quam à sacramento Confirmationis distinguit: quia solum fiebat in signum Ecclesiasticæ vniõnis.

¶ II. *Duabus difficultatibus respondetur.*

16. Sed inquires primo, vtrum iterans Confirmationem incurrat Irregularitatem?

Affirmarunt ex Theologis Richardus in 4. dist. 7. artic. 6. quæst. 1. Maior in fine dist. 7. Sanctus Antonius 3. part. tit. 28. capit. 6. §. 3. Ex Iurisperitis Glossa capit. *Dictum est de Consecratione* dist. 5. Archidiaconus, & alij ibi. Et Navarrus in Manuali capit. 27. num. 247. Probatur: nam si qui iterato suscipit Baptismum, sit irregularis; cur non etiam ille, qui secundo confirmatur, vel confirmat?

17. Merito tamē iam communiter Theologi negant. Ita Scorius, & Paludanus, quos refert, & sequitur Soto dist. 7. 2. §. 9. At vno. Quia

Quia privilegia amplanda sunt, pœne vero retrahendæ. Quare cum in iure non decernatur irregularitatis pœna, nisi iterantibus Baptismum, non est ad iterantes Confirmationes extendenda. Et in prædicto canone *ditum est*, pluries confirmatis non alia iniungitur pœna, nisi vt in habitu Clericali religiosè sanplètur: & si alia esset, certè illis imponeretur. In Baptismo pœna irregularitatis in odium Donatistarum fuit rebaptizantibus imposita, quippe qui illam sustinebant hæresim, quod baptizati ab hæreticis essent rebaptizandi: quæ quidem ratio de Confirmatione non militat.

18 Nuño q. 72. art. 3. diffic. 1. conc. 3. dicit *communem Theologorum*, & certissimam: quia Bonifacius 8. cap. 15. qui, de *Sententia ex communicationis*. Dicit Irregularitatem non incurri nisi in casibus in iure expressis. Suarez vero disp. 38. sec. 1. solum dicit *probabilior*, & refert Gabrielè, Castrum, Turcremata, & Covarruias. Et solum vt *probabilior* proponit Leander trac. 3. disp. 4. q. 11. citans quindecim Authores. Et tomo quinto trac. 2. disp. 1. 8. q. 15. alios septem referens Authores. Sed iam est omnium *communis*, vt notat etiam Auerfa sec. 3. & idè non iudico necessarium eos referre. Notant autem Bonacina q. 2. punc. 4. n. 10. Auerfa, & alij, quod si dubitatur an aliquis sit confirmatus, confirmari debet sub conditione, vel mente retenta, vel verbis expressa, iuxta dicta de Baptismo.

19 Secundo inquires, an Character Cōfirmationis distinguatur realiter à Character Baptismi?

Ex Græcis Simeon Archiepiscopus Thealonicensis initio sui operis, non videtur distinguere Characterem Confirmationis à Character Baptismi; imò videtur docere Baptismum sine Confirmatione non conferre characterem, neque gratiam. Altiſiodorensis autem lib. 4. Summæ trac. 4. cap. 2. dicit differre secundum rationem, quod quidam interpretantur de distinctione ex natura rei, vel modalis.

20 Nihilominus Nuño q. 72. a. 6. diffic. 1. conc. 1. & 2. dicit esse *de fide*, quod Character Confirmationis distinguitur à Character Baptismi: & quod est *errori proximum* negare, quod distinguantur ex natura rei. Pariterque Suarez disp. 34. sec. 1. initio & Basiliius patre tertia cap. 2. nu. 4. dicunt alias saluari non posse definitiones Conciliorum. Quod vero distinguantur realiter, & specificè, potest negari sine censura, sed non vere: quia frequenter Theologi antiqui, & recen-

tiores dicunt distinguuntur realiter, & formaliter specificè.

21 Quod supponit D. Thomas hic art. 5. & 6. & in terminis id ex professo probat in 4. dist. 7. q. 2. art. 1. q. 2. dicens. Quod que libet potentia de sui ratione importat ordinem ad aliquid: & idè oportet potentiam proportionatam esse actui ad quem est, quia proprius actus non fit nisi in propria materia, secundum Philosophum in 2. de Anima textu 24. & 33. & idè oportet, quod potentia distinguantur per distinctionem actuum, ad quos ordinantur, siue sint potentia actiua, siue passiva: & quia Character est potentia spiritualis: idè cum Character baptismalis non ad idem ordinetur cum Character Confirmationis, vt ex dictis patet, planum est, quod non est idem vterque Character. Hæc D. Thomas.

22 Deinde Concilia eodè modo distinguunt Characterem Ordinis ab alijs ductibus, ac istos distinguunt inter se. Sed Character Ordinis distinguitur, & entitatiuè, & separabiliter ab alijs: liquidem qui illo carent, nullo modo valent exercere ea, quæ faciunt Sacerdotes, & Episcopi: ergo & Character Confirmationis distinguitur realiter entitatiuè à Character Baptismi.

Idem exponit ipse D. Th. ibi ad 3. & quæst. 1. ad 1. dicens, quod pugna spiritualis, qua quis pugnat contra impediens salutem sui ipsius, omnibus indicitur: sed ad hoc non datur sacramentum Confirmationis; sed ad persistendum fortiter in pugna, qua quis nomen Christi impugnat, & vt inuidius Confessor Christi permaneat: & huic pugnae non omnes exponuntur; sed solum confirmati.

§. III.

Vtrum non baptizatus sit capax Confirmationis?

23 Tertio inquires, vtrum Character Cōfirmationis præsupponat Characterem baptismalem? Respondetur cum D. Thoma hic art. 6. quod Character Cōfirmationis ex necessitate præsupponit Characterem baptismalem, ita scilicet, quod si aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet; sed oporteret iterato ipsum confirmari post Baptismum. Cuius ratio est: quia sicut se habet Cōfirmatio ad Baptismum, ita augmētū ad generationem, vt constat ex dictis art. & dub. 1. Manifestū est autē, quod nullus potest promoveri in ætatē perfectā, nisi primo fuerit natus. Et similiter nisi primo aliquis fuerit baptizatus, non potest sacramentum Confirmationis accipere. Vt etiā dicit Rabanus lib. 1. de instit.

in *Mr. Clericorum* cap. 3. 1. & habetur de Cōsecrat. dist. 5. cap. 5. Quod & acceptant omnes Theologi: siue hæc dependentia aliorum sacramentorum à Baptismo, vt ex speciali voluntate diuina ad placitum: siue ex natura rei, supposita institutione, & natura horum sacramentorum: vt indicat ratio D. Thom. & probabilius iudicat Nuño q. 72. ar. 6. diffic. 3.

24 Afferit etiam ad idem intentum D. Thomas in 4. dist. 7. q. 2. art. 1. q. 2. S. Dionysium 2. ca. 1. Eccles. hier. dicentem, quod *in hoc die mundus traditorum operari potest, qui non est regeneratus per Baptismum*. Ibidemque dicit, *Baptismus esse principium spiritualis vite*. Quod & docet S. Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 10. Indeque formatur talè rationē. Nihil potest participare actionem, vel proprietatem alicuius naturæ, nisi prius habeat substantiam in natura illa: vnde cum per Baptismum, qui est spiritualis regeneratio, homo acquirat substantiam in vita spirituali Christianæ Religionis, non potest non baptizatus aliquid eorum, quæ ad hanc spiritualem vitam pertinent, participare: & idè non potest percipere Confirmationis Characterem. Et hanc rationem S. Dionys. assignat in 2. cap. Eccles. hier.

25 Conclusionem hanc iam esse de fide, notant Soto in 4. dist. 7. art. 6. Et Nuño q. 72. art. 6. diffic. 1. conc. 1. Et Quintana aduenas tom. 1. tract. 1. singulari decimo num. 1. quia in Florentino de Baptismo dicitur *primū omnium Sacramentorum locum tenet, quod vitæ spiritualis ianua est: per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficiuntur Ecclesie*. Et Gabriel à S. Vincentio de Confirmat. disp. 3. q. 2. Quia vero fides Catholica est, vt Baptizatus non solum Cōfirmationem, verum, & omnia sacramenta debeat de necessitate percipere, alias nullum esset sacramentum. Eit enim *Sacramentorum ianua*, vt in fine cap. præter hoc. Dist. 3. 2. Et in Conc. Florent. definitum est. Quare cap. 1. De Presbytero non baptizato, iubetur vt ille, qui ante Baptismum ordines susceperat, iterum post Baptismum ordinetur. Quod licet ordinatū sit in Concilio apud Compendium, tamen refertur, & approbatur ab Innocentio Tertio cap. tertio eodem titulo; De Presbytero non baptizato.

26 Sed contra gradum certitudinis huius veræ, & communis doctrinæ, occurrit difficultas non contemnenda; quamuis frequenter videatur à Theologis intacta: nam Innocentius Tertius illo capite Tertio hæc veritatem non definit, sed solum quia spe-

culatiue est probabilior, & tutior, & in praxi mandatum erat in illo Concilio apud Compendium, quod ita practicaretur; ipse consultus respondit, quod tutius est hanc viam sequi: de ipsa autem quæstione speculatiua non erat consultus, & ita non tenebatur ad illam respondere: & deinde ipse ibidem non se habet vt Canones condens, & anathema dicens in contrarium sentientes: sed potius refert tunc inter Doctores de hoc fuisse disputatum, extitisse duas opiniones contrarias; & vtriusque fundamenta refert. & nullam diffinit; sed consultit, & præcipit secundam sequendam vt tutiorem. Quod patet ex contextu: nam relato calu, subiungit. *Cumque super Ordinibus fuisset diutius disputatum; quidam in eam declinauerunt sententiam; vt cum Baptismus sit fundamentum omnium sacramentorum, & ante susceptionem Baptismi non suscipiatur aliud sacramentum; quoniam vbi fundamentum non est, super edificari non potest. Illis verbis non continetur decisio Papæ, vt perperam refert Quintana aduenas: & fallum esse sola lectioe textus constat: quia ibi refertur fundamentum primæ sententiæ, quæ est communis Theologorum. Postea proponit duo argumenta, quæ contrarium videntur suadere; & incipiunt ab illis verbis: *Porro è contra videri posse*. Postea rationibus dubitandi ommissis, in praxi præcipit obseruandum decretum Concilij apud Compendium: quod habetur eodem titulo de Presbytero non baptizato capite primo. Tandem Pontificis conclusio habetur illis verbis: *Nos circa latorem presentium in hoc dubitabili casu, quod tutius est sequentes, mandamus, quatenus ipsum per singulos Ordines, usque ad Sacerdotis promouere procures, & permittas eum in Sacerdotio ministrare*. In quibus verbis, sincere perpensis, manifestum est non contineri Canonem credendum, sed præceptum obseruandum. Nec hoc proponit vt traditum, vel reuelatum: sed potius casum habere dubitationem ad vtramque partem affirmat: & hanc viam communem solum præfert, quia tutiorem; & quia antea sic erat præceptum vt practicaretur. Cum quo præcepto posset stare, quod circa validitatem Ordinum sine Baptismo permitterentur opinantes in suo sensu abundare. Ergo ex vi huius Canonis conclusio communis non est de fide.*

27 Videtur præterea, quod argumenta, quæ ibi refert Pontifex in fauorem sententiæ contrariæ, quamuis non conuincant eam esse veram, tamen conuincunt eam esse liberandam à censura hæresis. Referam ea verbis ipsius Innocentij Tertij, quæ talia sunt.

sunt. Porro è contra videri posset. Nam cū quis non solum per sacramentum fidei, sed per fidem etiam sacramenti efficiatur proculdubio membrum Christi; & qui Christū habet per fidē, etiā si Baptismū nō habeat, habet utique fundamentū, præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus. 1. ad Cor. 3. superedificare posse videretur, sicut & salutifera opera, sic & qualibet Ecclesiastica sacramenta. Cum illud non sit generaliter verum, neque de nouis, neque de veteribus sacramentis, quod Baptismus sit fundamentum illorum; quoniam & sacramentum cōiugij, & Eucharistiæ à non baptizatis recipi potest. Præterea, sacramentum Ordinis, nō solum Pōtificialis, sed sacerdotialis etiam, & leuitici ex institutione sua præcessit Baptismū. Per quod forsitan videtur, quod ante Baptismum huiusmodi ordines possent rite conferri: maxime his, qui baptizati creduntur. Hæc ibi refert Summus Pōtifex; & non impugnat, nec soluit.

28 Confirmantur hæc argumenta; nā secundum communem Patrum doctrinam, quam approbat D. Thomas q. 66. art. 1. 1. & 12. & q. 68. art. 2. & q. 69. art. 4. per contritionem, quæ includit votum Baptismi, vel explicitum, vel implicitum, potest quis iustificari; & in Christo renasci; & potest in fide, & charitate crescere; ergo & potest confirmari, vel rationes D. Thomæ relatæ n. 23. & 24. nil probant.

29 Confirmatur secundo: nam sicut Character Baptismi est potentia passiva ad characterem Confirmationis, & Ordinis; & ideo non possunt isti recipi illo non recepto; ita gratia regeneratiua est fundamentum gratiæ corroboratiuæ, & nutritiuæ, & aliarum gratiarum, quæ conferunt alia sacramenta. Sed prima gratia potest haberi ante ipsam Confirmationem (imò diximus q. 62. dub. 6. quod ipsa Confirmatio potest aliquid dare primam gratiam;) ergo si contingat non baptizatum Eucharistiam recipere, cum est per contritionem iustificatus, erit capax ut eius gratia ex opere operato nutriatur: sicut gratia Cathecumeni adorantis Eucharistiā, fide, & religione per dilectionem operante, absque dubio ex opere operantis augebitur.

30 Quod tandem confirmatur: nam qui quoad notitiam extrinsecam, & cognitionem humanam, est membrum Christi, & de corpore Ecclesiæ, quia est Christianus, fruatur influxu Christi capitis interno, & gratijs, & priuilegijs fidelium externis. Ergo qui in veritate in oculis Dei est adopta-

tus ab eo per gratiam, & per desiderium Baptismi est Christianus, cum iure ad gloriam Christianorum (quamuis sine eorum characterem baptismali) si non habeat opportunitatem recipiendi Baptismum, quia non est aqua, & possit recipere Eucharistiam, hoc sacramentum dabit ei gratiæ incrementum ex opere operato.

31 Propter hæc argumenta, & alia plurima, quæ occurrunt (& non propono ne ad extranea huius tractatū diuertamur) ego rigorem censuræ temperandum censeo. Et claritatis gratia tria dicerem (sub censura sapientius, & prudentius iudicantium.) Primo, qui ad praxim vellet deducere, quod non baptizatus in veritate, sed solum in falsa apparenzia, & existimata credulitate humana, validè, aut licite reciperet alia sacramenta, siue imprimenzia characterem, siue non; tunc nō procederet, sed præcipitanter, & præsumptuosè, & cum inobedientia ad mandata Sedis Apostolicæ. Hoc patet ex Cōcilio Florentino, & ex capite primo, & tertio de Presbytero non baptizato: nam dato, quod hæc iura non sint definitiua: sunt præceptiua, & resolutiua dubij, de quo consultata Sedes Apostolica, respondit quid esset practicandum: & ipse non vult Patris Parræ sequi mandatum; nec acquiescere consilio eius, qui vicem Christi gerit in terris: cū tamen in antiqua lege Deuteronomij 17. ver. 10. Dominus præceperit. *Et facias quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docerit te iuxta legem eius: sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram.* Quamuis enim quando consulti Pontifices, consulunt opiniones solum probabiles; quandoque liceat oppositas etiam probabiliter praticare: Id non licet, quando respondent iuxta concordem Theologorum sententiam; & quando imponunt præceptum, vel confirmant iam impositum, de vna sola sententia praticanda; ut hic contingere, est manifestum ex contextu.

32 Secundo dico, ad minus temerarius esset, qui non baptizatum in veritate, sed solum in apparenzia humana externa, diceret capax de lege ordinaria recipiendi aliquod validum sacramentum, siue ex initerabilibus, siue ex iterabilibus. Constat ex dictis, quia in re grauissimè opponeretur concordæ Patrum, & Theologorum sententiæ. De qua iterum D. Thomas in 4. distinct. 24. q. 1. ar. 2. q. 3. dicens. *Nihil potest aliquid recipere, cuius receptiuam potentiam non habet. Per characterem autē baptismalem efficitur homo*

homo receptiuus aliorum sacramentorum; unde, qui characterem baptismalem non habet, nullum alterum sacramentum suscipere potest: & sic Character Ordinis baptismalem characterem præsupponit. Idem docet ad 2. dicens. Unde secundum Canones debet baptizari iterato; & ordinari. Et quæstiuncula 4. idem docet.

33 Dico tertio, non est hæreticū, nec forte erroneum, adterere, quod qui inuincibili ignorantia existimatur baptizatus, & recipit alia sacramenta, valida ea recipit; quamuis si defectum Baptismi prærequiriti cognosceret, id non posset licite facere, quia operaretur contra præceptum Ecclesiæ. Hæc probatur argumentis propositis a num. 26. vsque ad 30. Qualiter autem non opponatur veræ, & communi doctrinæ propositæ num. 23. & 24. & 32. iam pergitur explānare.

§. IV.

Utrum non baptizatus sit capax effectus Confirmationis?

34 PRO sententia affirmante effectū Cōfirmationis non necessario requirere præsum effectum Baptismi, solent referri Vualdenſis lib. 2. de Sacramentis capite 103. Guillelmus Etilius in 4. dist. 7. §. 17. Videturq; satis efficaciter probari quatuor argumentis, quæ sibi obiecit D. Tho. Triahic art. 6. & aliud in Quarto Sententiarum: Primo arguitur, Sacramentum Confirmationis ordinatur ad confitendum publicè fidem Christi. Sed multi etiam ante Baptismum, sunt fidem Christi publicè confessi; sanguinem fundentes pro fide. Ergo character Confirmationis non præsupponit characterem baptismalem ex parte effectus.

Secundo. De Apostolis non legitur, quod fuerint baptizati (præsertim cum dicatur Ioan. 4. quod ipse Christus non baptizabat, sed discipuli eius) & tamen postea fuerunt confirmati per aduentum Spiritus Sancti: ergo fuerunt capaces effectus Cōfirmationis sine præuio Baptismo.

35 Tertio. Actorum 10. dicitur, quod adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus Sanctus super eos, qui audiebant verbum, & audiebant eos loquentes lingua. Et postea Petrus iussit eos baptizari. Ergo receperunt gratiam Spiritus Sancti, antequam baptizarentur.

Ultimo sibi opponit D. Thomas in 4. Sententiarum. Nam sicut Baptismus naturaliter præcedit Confirmationem; ita vnus Ordo naturaliter præcedit alium. Sed si ali-

quis accipit Ordinis consequentis characterem, qui non accepit characterem præcedentis; tamen non reordinatur; ita quod ueterat, suppletur. Ergo & characterem Confirmationis potest homo accipere sine characterem baptismali.

36 In hac difficultate duo asserenda sunt, in quibus videntur multi conuenire, licet explicite nō propotuerint. Primo, quod per se loquendo, effectus Baptismi præcedit effectum Confirmationis: nec dantur effectus Confirmationis nisi baptizato. Ita S. Thomas art. 6. ad 3. dicens. *sicut enim effectus Confirmationis, qui est robur spirituale, præsupponit effectum Baptismi, qui est iustificatio; ita sacramentum Confirmationis præsupponit sacramentum Baptismi.* Eiusque ratio est manifesta ex dictis, quia prius est nasci, quam roborari: ergo prior est gratia Baptismi, qua regeneramur, quam gratia Confirmationis, qua roboramur.

Secundo, prius est credere, & fieri Christianus, & insigniri characterem Christi, quod est capax sacramentorum Christi, quam ex officio pugnare pro fide, & publice protestari fidem; sed primum habetur characterem Baptismi, & secundum characterem Confirmationis: ergo tam ex parte gratiæ, quæ ex parte characteris, effectus baptismi præcedunt effectus Confirmationis.

37 Secundo asserendum, quod miraculose, & ex varijs alijs euentibus, potest dari effectus Confirmationis sine effectu Baptismi. Priorem partem docet D. Thomas probari primo; & tertio argumento, ut in eorum solutionibus sigillatim videbitur. Secundam vero exprimit Basilus Pōtius in Relect. parte 3. cap. 2. num. 13. dicens. Ex dictis colligitur, quod si effectus sacramenti Confirmationis compareretur cum characterem Baptismi, posse haberi effectum huius sacramenti sine tali characterem. Nam characterem Baptismi nō infunditur sine eius reali susceptione. At potest effectus Confirmationis haberi sine Baptismo recepto; ut in illo qui contritione iustificatur, suppleto Baptismo flaminis Baptismi aqua crectum, & strenue, & publice confitente fidem coram Tyrano. Ergo & sine characterem Baptismi præuio. Rursum colligitur characterem Confirmationis haberi posse sine effectu Baptismi: ut si quis fide accedat ad Baptismum, accipiet quidem characterem baptismi; uo tamen effectum gratiæ: & si confirmetur statim non recedente fictione, accipiet characterem Cōfirmationis, nōdū recepto effectu Baptismi, quia nondum cessauit fictio.

Ad

38 Ad primum argumentum respondet D. Thomas art. 6. ad 1. quod virtus diuina non est alligata sacramentis. Vnde potest conferre homini spirituale robur ad confitendum publicè fidem Christi absque sacramento Confirmationis: sicut etiam potest conferre remissionem peccatorum sine baptismo. Sicut tamen nullus consequitur effectum Baptismi sine Baptismo: ita nullus consequitur effectum Confirmationis sine voto ipsius, quod potest haberi etiam ante susceptionem Baptismi.

39 Hęc solutio, quoad primam partem, est sufficiens, & facilis: & communiter recipitur. Quoad vltimam partem, cum loquatur de effectu gratiæ sacramentalis (quia votum sacramenti non sufficit vt imprimatur character: alioquin, qui desiderabit Baptismum, esset impeditus ad eum recipiendum) videtur difficilis eius assertio; quia sacramentum Confirmationis non est medium simpliciter necessarium ad prædictum effectum: Tum, quia oratio ex Fide, & Charitate facta, potest esse medium sufficiens ad obtinendum à Deo illud auxilium ex merito operantis: Tum etiam, quia sacramentum Confirmationis absolutè non est in præcepto: potest ergo homo habere animum numquam suscipiendi hoc sacramentum absque peccato; & nihilominus cum diuina gratia publicè confiteri fidem. Ergo ille consequitur prædictum effectum absque voto huius sacramenti: quia propositum non recipiendi sacramentum directè pugnat cum voto eius.

40 Respondet Suarez q. 72. in commẽtario art. 6. his verbis. Dico ergo, aut Diuum Thomam interpretandum esse de voto quoddam metaphoricè, & in proprio, quod in Baptismo, vel Baptismi voto includi dicitur, vt latius infra de Eucharistia. Quod in hoc solum consistit, quod qui habet Baptismum, consequenter habet ius quoddam ad Sacramentum Confirmationis, Eucharistiæ, & alia: & sicut perfectibile appetit suam perfectionem; ita Baptismo initiatus Confirmationem, quæ naturalis appetitu potius, quàm elicitio. Vel, si hæc expositio nimis violenta videtur, planè confitendum est, per se loquendo, necessarium esse fideli, saltem ex necessitate præcepti, recipere Sacramentum Confirmationis, si commode potest: saltem in eo articulo, in quo vrget necessitas publicè confitendi fidem coram Tyrano: nam si ne hoc præcepto non potest intelligi necessitas illius voti, quod D. Thomas requirit. Illo autem posito, idest facile: quia non obti-

nebit illud auxilium, si nõ sit in gratia, & habeat animũ seruandi omnia præcepta. Hęc secundam explicationem sequitur Basilius Pontius de Confirmatione parte 5. cap. 2. n. 4. Quamvis nu. 10. aduertat Suarez non procedere consequenter.

41 Communiter tamen ambæ euasiones rejiciuntur: & merito. Prima quidem secum affert impugnationem: quia doctrinã Doctoris Angelici, scholasticè disputantis, reducit ad sententias metaphoricè, quæ licentia interpretandi si semel admittatur, red-detur doctrina S. Thomæ solũ apta pro Pœtibus, vel Oratoribus, quibus istæ tropicæ figuræ sunt familiares; inepta vero pro dogmatibus fidei de clarandis, & parum, vel nil deserviret ad severam methodum arguendi consuetam in Theologorum Scholis.

Secunda vero tecum pugnat, & cum veritate. Secum quidem, quia ipse Suarez infra disp. 38. sect. 1. in quarta opinione, dicit esse sententiam D. Thomæ, & veram, quod non est præceptum de suscipienda Confirmatione, nec diuinum, nec humanum; nec cum instat occasio publicè confitendi fidem coram Tyrano. Cum quo non potest stare, vt patet, veritas solutionis. Deinde tale præceptum non extare, infra dicemus: & sine illo verba D. Tho. congruum habere sensum, pergitur explanare.

42 Aliter Nuño q. 72. art. 6. diff. 4. late docet, quod existens in gratia, & efficaciter desiderans confirmari, recipit gratiam æqualem contritionis; sed cum quodam firmitatis modo ad profitendam fidem: quia effectus sacramenti datur habentibus expressum votum talis sacramenti. Quamuis iste modus gratiæ receptus cum hac imperfectione, non sit effectus sacramenti ex opere operato: sed solum correspondet operi operantis.

43 Hanc solutionem impugnat Serra q. 72. art. 6. dicens. Sed hæc explicatio non videtur conformis D. Thomæ. Tum, quia non constat illos, de quibus loquitur primũ argumentum, qui scilicet ante Baptismũ sunt fidem Christi publicè confessi, & pro illa sanguinem fuderunt, habuisse omnes explicitam notitiam Confirmationis: atque adeo votum explicitum illius. Tum etiam, quia vt indicat D. Thomas in solutione illius argumenti, effectus Confirmationis sine Sacramento nõ confertur nisi miraculosè, & ex speciali gratia: ergo non infallibiliter omnibus habentibus votum explicitum Confirmationis.

44 Soto in 4. dist. 7. q. vnica art. 6. ad 1. ait

1. ait ad intentum. Non autem intelligas specialem votum: nam votum Baptismi, in quo includitur generaliter recipere postea sacramenta luxuriam Ecclesiæ sufficit. Quam expositionem, licet rejiciant Suarez, & Nuño, eam præfert Serra dicens. Vnde melior est expositio M. Soto: vbi supra, hoc non esse intelligendum de voto speciali; sed sufficere votum Baptismi, in quo implicite includitur votum Confirmationis: nam quamuis hæc non sit in præcepto; in voto tamen baptismi, non solum includitur voluntas adimplendi ea, quæ sunt in præcepto; sed etiam faciendi ea, quæ communiter in Ecclesiâ fiunt à fidelibus, maxime vt prouecti fiat, qualis est Confirmatio. Et quamuis non omnibus habentibus hoc votum implicitum Confirmationis, detur effectus Confirmationis sine Sacramento, nullus tamen consequitur talem effectum sine tali voto implicito.

45 Ad idem videtur pertinere, quod ait Granados controu. 5. de confirmat. tractatu 3. num. 10. dicens. Ego breuiter respondeo verum esse, quoties prædicta auxilia conferuntur non confirmatis, conferri in voto Confirmationis; non quidem ea rigorosa acceptione, qua in voto Baptismi remittuntur peccata non baptizato: sed alia minus propria, quatenus nimirum nulli nimirum tribuantur prædicta auxilia, nisi habito respectu ad confirmationem, vt ad præcipuum medium, quo Deus vtitur ad roborandum Christianũ; & eo sine, vt melius dispositus sit ad recipiendum sacramentum Confirmationis, si illud voluerit postea recipere. Sic enim dicemus in materia de Eucharistia, quoties alicui datur gratia ante huius sacramenti susceptionem, dari in voto illius: quia semper datur respiciendo Eucharistiam, vt sine, & coronam sacramentorum, de quo lococirato. Hęc ibi.

46 Hanc solutionem examinandam reseruamus q. 73. Pro solutione M. Soto in simili q. 69. art. 4. ad 2. D. Th. distinguit votum Baptismi explicitum, vel implicitum. Doctrinamque D. Thomæ hic art. 6. ad 1. melius verificatur, quod generaliter de Sacramentis dixit Concilium Tridentinum Sessione septima in Decreto de Sacramentis, quod per illa omnia vera iustitia, vel incipit, vel cepta augetur, vel amissa reparatur: Quod nõ est ita vniuersaliter verum, si sine sacramentis in re, vel in voto, explicito, vel implicito, hæc auxilia gratiæ de lege ordinaria conferuntur.

47 Ad secundum respondetur cũ Diuo Thoma ad 2. quod sicut S. Augustinus di-


xit epist. 108. ad Seleucianum, ex hoc, quod Dominus dicit Ioann. 13. Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet; intelligimus Petrum, & alios Christi discipulos fuisse baptizatos, siue Baptismo Ioannis (sicut nonnulli arbitrantur) siue quod magis credibile est, Baptismo Christi: neque enim renuit ministerium baptizandi, vt haberet, & baptizatos seruos, per quos ceteros baptizaret.

48 Pariter respondet ad tertium, sicut ad primum, quod audientes prædicationem Petri, acceperunt effectum Confirmationis miraculosè: non tamen confirmationis Sacramentum. Dicitur enim, quod effectus Confirmationis potest alicui conferri ante Baptismum, non autem sacramentum Confirmationis. Addit Soto art. 6. in fine, & ibi Serra: Quæ nihil verabat vt illi denique post Baptismum Sacramento confirmarentur.

49 Secundo respondet Suarez disp. 35. sect. 1. quod quia probabile est eos, ad quos Spiritus Sanctus illo modo mittebatur, non fuisse amplius confirmatos, & extraordinario modo recepisse etiam huius sacramenti characterem. Ideo respondetur aliter illud factum fuisse præter legem, in testimonium fidei gentium, vt ait Sanctus Beda in eũ locum. Vnde Sanctus Gregorius Nazianz. orat. 24. dicit, illo facto ostendisse Spiritum Sanctum se esse Deum, & gratiæ Dominũ, qui in quos, & quando, & quantum vult, spirat.

50 Ad vltimum respondetur cum Diuo Thoma in 4. dist. 7. q. 2. art. 1. q. 3. ad 3. quod ordo potentiæ passiuæ ad actiuam, est ordo necessitatis; quia qui non habet potentiam passiuam ad aliquid recipiendum, nihil recipit: Nisi miraculosè. Sed ordo potentiæ inferioris actiuæ ad superiorem, est tantummodo congruitatis. Et ideo carens baptismali characterem, qui est potentia passiuam recipiendi spiritualia; nihil potest recipere de alijs spiritualibus. Carens autem characterem inferioris Ordinis, qui est potentia actiuam, potest recipere characterem superioris Ordinis. Hęc

Diuus Thomas.



DVBIVM VII.

Vtrum per sacramentum Confirmationis conferatur gratia gratum faciens?

§. I.

De gratia sanctificante:

1 Certum est secundum fidem Catholicam Sacramentum Confirmationis gratiam conferre. In primis, quia est de fide esse sacramentum nouæ legis: & de omnibus sacramentis nouæ legis diximus quæstione 62. esse de fide, quod conferunt gratiam non ponentibus obicem: Specialiter id probat D. Thomas artic. 7. ex Melchiade Papa in Epist. ad Hispaniarum Episcopos a medio illius, habetur tom. 1. Conc. dicente: Spiritus Sanctus in fonte Baptismi plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Item, quia in hoc sacramento, sicut dictum est tribus primis articulis, datur baptizato Spiritus Sanctus ad robur, sicut Apollolis datus est in die Pentecostes, ut legitur Actuum 2. & sicut dabatur baptizatis per impositionem manus Apostolorum, ut dicitur Actuum 8. Ostensum est autem in Prima parte q. 43. art. 3. quod missio, seu datio Spiritus Sancti non est, nisi cum gratia gratum faciente. Vnde manifestum est, quod gratia gratum faciens confertur in hoc sacramento.

2 Tertio est alius specialis titulus cui in hoc sacramento datur gratia gratum faciens: nam iste est ordo diuinæ prouidentie, quod quoties dat alicui potestatem, & sacrationem ad ea, quæ sunt diuini cultus, quod fit imprimendo characterem, simul, nisi ipse obicem ponat, dat gratiam ut ea, quæ per potestatem absolute valet facere, faciat idonee per gratiam, ut patet in Baptismo, & in Ordine, in quibus datur Spiritus S. ad rite faciendâ opera Christiani, & Sacerdotis. Ergo pariter, & in hoc sacramento. Vnde D. Thomas in 4. dist. 7. q. 2. art. 2. q. 1. ait. In omni sacramento nouæ legis gratia gratum faciens confertur. Similiter accedens ad sacramenta non est licitus immundis; neq; aliquis ab immunditia liberari potest nisi per gratiam; nec effici idoneus ad sacramenta ministranda, vel percipienda. Et ideo oportet, quod in sacramentis, quæ characterem imprimunt, gratia gratum faciens imprimatur. Cum ergo Confirmatio sit sacramentum

nouæ legis characterem imprimens, ex duplici parte necessarium est, quod gratia gratum facientem conferat.

3 Sed obijcies. Ad id quod potest fieri in mortali peccato, non requiritur gratia gratum faciens: sed aliqui in peccato mortali existentes, possunt nomen Christi fortiter confiteri. Ergo, cum Confirmatio sit sacramentum confessionis Christi, videtur, quod non detur ibi gratia gratum faciens.

Respondetur cum D. Thoma in 4. Sententiarum ad 3. quod quamuis aliquis possit constare, etiam si sit in mortali peccato, fidem Christi confiteri: non tamen est idonea illa confessio; quia non est speciosa laus in ore peccatoris: nec iterum est misericordia ad salutem. Sacramentum autem ordinatur, non solum ad hoc, quod aliquid fiat qualitercunque; sed ad hoc, quod aliquid idonee fiat; nisi sit defectus ex parte recipientis sacramentum.

4 Secundo est certum secundum fidem, hoc sacramentum directe non ordinari ad delendum originale peccatum; nec ad remittenda mortalia actualia: & ita peccaret mortaliter, qui cum conscientia mortalis accederet ad hoc sacramentum. Docet hoc D. Thomas artic. 7. ad 2. dicens, quod, sicut ex ipso nomine apparet, hoc sacramentum datur ad confirmandum, quod prius inuenierit: & ideo non debet dari his, qui non habent gratiam. Et propter hoc, sicut non datur non baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per Penitentiam reparatis. Vnde dicitur in Aurelianensi Concilio, relato de Consecratione dist. 5. Ut reuerti ad Confirmationem veniant, ut moneantur confessionem facere prius, ut mundi donum Spiritus Sancti valeant accipere.

5 Contra hanc Catholicam veritatem errauit Raymundus Lullus: nam ut refert M. Nicolaus Eymericus in Directorio Inquisitorum Secunda parte q. 9. inter centum eius errores, octuagesimus nonus erat, quod infanti, qui non vult assentiri Sacramento Confirmationis, non valet sacramentum baptismatis. Et nonagesimus error erat: Quod si homo non est confirmatus, & credit se esse confirmatum, est a peccato originali mundatus ratione bonæ intentionis, quæ consumit culpam, & peccatum. Vbi dat intelligere (ut notat ibi Eymericus) quod peccatum originale non mundatur in Baptismate; sed in Confirmatione. Eodem modo hos Raymundi errores refert Suarez disp. 34. sect. 2. Sed illos damnauit Gregorius Vndecimus, cuius Bulla verbatim refertur

tur ab Eymérico 2. parte q. 26. & à Mag. Abraham Bzouio tomo 14. Annalium, Anno Christi 1372. a cap. 9. vique ad 30. Et Iacobus Gualteri Societatis Iesu in Tabula Chronographica, dicit, quod anno circiter 1260. in medium prodijt hic histrio, Raymundus Lullus, multos spargens libellos; ac dicitur, Iesum Christum sibi in Crucifixi forma apparuisse, seque ex eius ore doctrinam suam accepisse: Quamvis ut verum fatear, libelli eius magis permixti, & plus quam quingentis erroribus contaminati reperti sunt. Similia Genebrardus, Præcolus, & alij. Ideoque in Indice librorum prohibitorum Pauli Quarti opera Raymundi Lullii prohibentur.

6 Veritas autem doctrinæ nostræ constat ex Concilio Florentino, & Tridentino: nam solus Baptismus, & Penitentia directe ordinantur ad dandam primam gratiam: eo quod Baptismus est in remedium contra originale, Penitentia vero ad delenda actualia: & ideo dicuntur sacramenta mortuorum; quinque vero reliqua sacramenta dantur ad gratiam, quam supponunt, augendam: & dicuntur viuorum sacramenta.

7 Ex quo infertur recentè baptizatum, qui baptismalem gratiam non amittit, sufficienter esse dispositum ut in gratia confirmetur. Si vero mortaliter peccauit, tenetur præmittere contritionem, ut confirmetur; quæ quia non facile habetur, ei consulitur in prædicto Conc. Aurel. quod confiteatur. Imò culpam esse venialem; Confessionem non præmittere, docet Soto dist. 7. artic. 8. De confessione autem, dicens culpam esse tunc sine Confessione accedere; non tamen ut arbitror, mortalem: sed sufficit contritio vera, vel exilimata: quoniam ad alia sacramenta suscipienda non requiritur tanta reuerentia; & exatimatio, quanta ad Eucharistiâ. Quare in dicto Canone solum habetur, quod admoneatur confitenti, non quod iubeantur. Idem sequuntur Scrutinium Sacerd. Ludou. de S. Iuan; & Bonacina puncto 4. num. 7. referens alios, qui solum à mortali excusant: & videntur supponere peccatum veniale.

Cæterum Nuño artic. 7. conc. 6. Suarez disput. 34. sect. 2. §. Sed quæres. Et alij quatuor, quos refert, & sequitur Leander tract. 3. disput. 4. q. 8. dicunt ad Confessionem non teneri adhuc sub peccato veniali, quia nulum adeit præceptum ad hoc obligans. Nam consilia, nec sub veniali, tenemur amplecti. Quod verum est, per se loquendo; sed quia rari peccatores conteruntur: & non facile quis cum fundamento de se potest iudicare

esse contritum: tutius est confiteri. Imò si nolit conari ad veram contritionem, tenetur ad confessionem præmittendam.

8 Addit S. Thomas artic. 7. ad 2. quod si aliquis adultus in peccato existens, cuius conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non scilicet accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento, consequetur remissionem peccatorum. Quare in his casibus confirmationem dare primam gratiam, iam diximus q. 62. dub. 6. Et hic notant, non solum Thomistæ communiter, sed etiam Suarez, Layman, & Bonacina, quos refert, & sequitur Castrus Palaustraci. 18. puncto 7. & tractatu 20. puncto 6. num. 2. Granados tractatu 3. nu. 7. Auera q. 72. sect. 4. §. 4. Batilius parte 3. cap. 3. nu. 3. Gaspar Hurrado de Sacramentis disp. 3. diffic. 4. dicens ita tenerè Suarez, Coninch, Reginaldum, & plures alios. Vnde merito Gauriel à S. Vincentio acriter intehitur in Meratiuin; qui falso, & parum reuerenter scripsit, de Confirmatione disp. 6. num. 8. Fateor nos aduersari D. Thoma, sed in eo, in quo omnes ei aduersatur. Quod optime verificaret, si ipse pro omnibus reputetur. Sed doctis non persuadet. Similiter, quod recedente fictione conferat iuum effectum, relati authores docent: & multis relatis Auera §. 5. de quo iam egimus q. 69. dubio 6.

§. II.

De gratia sacramentali.

9 Probat etiam D. Thomas in 4. distinctione 7. q. 2. art. 2. q. 2. distingui gratiam Confirmationis à gratia Baptismi. Nam videmus in virtutibus moralibus, quod ubi est specialis difficultas, requiritur specialis virtus. Vnde alia est virtus, quæ dirigit in magnis sumptibus secundum magnificentiam, ab ea, quæ communibus donis, & sumptibus perficit, scilicet, liberalitate. Et quia gratia baptismalis datur ad perficiendum in his, quæ pertinent ad communem statum vitæ Christianæ; gratia autem Confirmationis ad perficiendum in his, quæ sunt difficilima in isto statu, scilicet confiteri nomen Christi contra persecutores: ideo specialis gratia ad hoc indiget: & propter hoc alia est gratia Confirmationis à gratia Baptismi. Et contra alium defectum datur. Gratia enim Baptismi datur contra defectum, qui impedit omnem statum iustitiæ in vita Christiana, scilicet, contra peccatum originale; & actuale. Gratia autem Confirmationis contra

tra defectum oppositum robori, quod exigitur in Confessoribus nominis Christi, scilicet infirmitati. Addit ad primum, quod gratia Confirmationis, & Baptismi non sunt eiusdem speciei, ut dictum est: & ideo nihil prohibet, quod in eodem indivisibili sunt. Et hic art. 7. ad 3. magis id explicat, & concludit, quod si consideretur quantum ad illud speciale, quod superadditur, sic non est eiusdem speciei cum ipsa. De quo iam egimus q. 62. dub. 5.

10 Sed inquires, utrum gratia, quæ datur in Confirmatione, sit maior gratia baptismali?

De hoc puncto iam egimus q. 65. dubio 3. Quidam dicunt effectum Confirmationis dici perfectiorem, quia supponit effectum Baptismi, & aliquid aliud addit: non tamen, quia id quod addit, præcisè comparatum ad id quod supponit, sit maius. Ita videtur tenere S. Bonaventura in 4. dist. 7. art. 2. q. 3. Marfilius in 4. q. 5. art. 4. in fine. Quia Baptismus confert primam gratiam remissionem peccati originalis: & dat initium vitæ spiritualis.

11 Afferendum tamen est gratiam collatam in Confirmatione de se esse perfectiorem gratia baptismali. Ita D. Tho. in 4. dist. 7. q. 2. art. 2. q. 3. probans ex S. Dionysio de Ecclesiast. hier. cap. 5. parte 1. dicente, quod baptismus est illuminatio, christiana autem perfectio. Deinde ratione, quia gratia Confirmationis dicitur perficere ipsum baptizatum ad aliquid altius, quam gratia baptismalis: & per consequens habet esse perfectius, & nobilissimum, quam ipsa gratia baptismalis. Sicut & anima sensibilis est perfectior adiuncta rationali, & virtus adiuncta dono, & liberalitas adiuncta magnificentia. Idem docet hæc 3. p. q. 65. art. 3. & q. 72. art. 1. relatis verbis Melchiodis Papa, & art. 11. ad 3. relatis verbis Rabani lib. 1. de instit. Clericorum c. 31. Sequuntur eandem sententiam frequenter Theologi, & Suarez disp. 34. sec. 2. dub. 3. dicit. *Opinionem satis probabilem: quamvis incertam.*

12 Rectè tamen admonet Basilius Pontifex par. 3. c. 3. n. 8. quod cum vera doctrina de sacramentis, & eorum effectibus potissimum traditione, & Patrum doctrina cõstet: hæc quidem omnino fauet D. Tho. Tū, quia S. Dionysius supra, & Melchiodes Papa, & Concilium Illiberitanum can. 77. appellant Confirmationem, perfectionem, & consummationem baptismi. Tum, quia Patres dicunt hic conferri leptiformem gratiam Spiritus Sancti, & eius plenitudinem. Ut constat ex Clemente, Urbano, Cypriano, Ambrosio, & a-

lijis. Tum, quia Melchiodes Papa, & Urbanus relatus à D. Thoma art. 11. a posteriori probant maiorem excellentiam Confirmationis ex maiori excellentia ministri: quia reseruetur Episcopis, qui obtinent supremum gradum in Ecclesia. Et quia correspondet collationi Spiritus Sancti in die Pentecostes, ubi Apostoli primitias Spiritus acceperunt.

13 Rationi contrariæ respondet Divus Thomas q. 65. art. 3. ad 4. quod nihil prohibet aliquid esse secundum quid dignius, quod tamen non est dignius simpliciter. Fatemur ergo quod secundum quid, & ex parte necessitatis, baptismus est potissimum sacramentum. Quamvis Eucharistia sit omnibus dignius, & Confirmatio excedat Baptismum. Imò Seneca libro 3. de Beneficijs cap. 29. docet, quod quædam initium ab alijs trahunt, & tamen initijs maiora sunt. Ut constat in seminibus, radicibus, & fundamentis, & in alijs: & concludit. *Principia sua semper sequens magnitudo obruit.* Præterquam quod etiam respondet D. Thomas hic art. 11. ad 2. quod sacramentum Baptismi est efficacius, quam hoc sacramentum, quantum ad remotionem malitiae: quod est spiritualis generatio, quæ est nutritio de non esse in esse. Hoc autem sacramentum est efficacius ad proficiendum in bono: quia est quoddam spirituale augmentum de esse imperfecto ad esse perfectum. Et ideo hoc sacramentum digniori ministro committitur.

14 Secundo inquires, quam gratiam sacramentalem Confirmatio præstet?

Respondet Suarez disp. 34. sect. 2. cõc. ultima, conferre hoc sacramentum propriam gratiam sacramentalem, id est, specialem Spiritus Sancti protectionem, & auxilium ad fidem vitam constantem tenendam, & profitendam. Putat esse sententiam D. Th. & Theologorum. Sed falli aperte, dicenda monstrabunt.

15 Dicendum est ergo proprium, & peculiarem effectum huius sacramenti esse gratiam, qua roboratur animus ut persistat in fide in pugna contra persecutores Ecclesiæ, & eius impugnatores. Probat Basilius Pontifex in Relect. de Confirmat. parte 3. cap. 3. num. 6. relatis tredecim Pontificum, & Patrum auctoritatibus. Singulariter Melchiodes Papa in sæpè relata epist. ad Episcopos Hispaniæ, tribuit Confirmationem, quod augmentum tribuat ad gratiam, quod ad pugnam roborat, & confirmat, quod ad agones, & prælia huius mundi armet, & instruat: sumpto argumento ex his, quæ Spiritus Sanctus operatus est in

in Apostolis in die Pentecostes. Et Innocentius Tertius in cap. unico, de Sacra unctio, ait. *Confirmatio dicitur, quia per eam Spiritus Sanctus ad augmentum datur, & robor.* Quæ verificantur optime de gratia sacramentali.

16 In particulari sententiam Suarez impugnat n. 7. Nam ad muniendum contra temptationes alias huius vitæ, siue interiores, siue exteriores, non datur hoc sacramentum: neque hic finis est eius institutionis, cum alijs medijs hoc impetretur: nec hoc vultus Patrum, aut antiquorum Theologorum ei tribuar. Imò D. Thomas art. 5. ad 1. ait, quod pugna spiritualis contra hostes invisibiles, omnibus competit. Sed contra hostes visibiles, id est, contra persecutores fidei, pugnare, nomen Christi publice confitendo, est confirmatorum. Et art. 6. ad 1. & art. 7. in corp. & art. 9. probat, quod hac de causa signatur in fronte: de quo ibi ad 3. & in 4. Sent. dist. 7. q. 2. art. 1. q. 1. in cor. & expressè ad 1. ait, quod pugna spiritualis, qua quis pugnat contra impediens salutem sui ipsius, omnibus indicitur. Sed ad hoc non datur sacramentum Confirmationis. Sed ad persistendum fortiter in pugna, qua quis nomen Christi impugnat, & ut inuisibilis Confessor Christi permaneat: & huius pugnae non omnes exponuntur, sed solum confirmati. Et q. 2. ad 3. & art. 2. q. 2. in cor. & ad 3. Quare dubitandum non est hunc esse proprium, & peculiarem effectum huius sacramenti publice protestari fidem coram tyranno.

17 Multa de hac gratia sacramentali subtiliter discutit Nuño q. 72. ar. 7. à folio 507. usque 510. quæ examinare non vacat; legat, qui voluerit Scholæ subtilitatibus non admodum necessarijs præpediri.

DVBIVM VIII.

De diffinitione, & varijs nominibus huius Sacramenti.

1 **E**X Magistro in 4. dist. 7. talis solet afferri diffinitio. *Est sacramentum confirmatum in fide.* Nauarrus in Manuali cap. 12. n. 8. & Henriquez lib. 3. cap. 1. §. 6. sic diffiniunt. *Confirmatio est sacramentum, quo baptizatus, in fronte, ab Episcopo ungitur, sub prescripta verborum forma.* Idem dicit Trullench de Confirm. cap. unico n. 4. Has duas, & quædam aliam diffinitionem, ut S. Thomæ, & communem Doctorum, refert, & approbat Leander Trac. 3. disp. 1. q. 4. referens Divum Thomam, Caietanum, Fillium, Vivaldum, Hurtadum, & Reginaldum: præter Nauarrum, Henriquez, & Reginaldum.

2 Sed præter istos ultimos, in D. Tho. Caiet. & antiquis, tales diffinitiones non repe-

riuntur. Et merito quidem: quia prima est diminuta, non explicans ultimam differentiam; nec proprium finem institutionis istius sacramenti.

3 De secunda inquit Granada Controvers. 5. trac. 1. disp. 4. n. 1. Sed non videtur omnino exacta diffinitio. Tū quia non exprimitur unctio fieri debere in modum Crucis; & immediate per manum ministri: cum tamen utrumque, iuxta supra dicta, sit essentialle. Tum etiam, quia licet Episcopus sit ordinarius minister huius sacramenti, potest aliquando confirmare simplex sacerdos, ut infra dicitur: tunc autem non verificaretur illa particula diffinitionis: *Ab Episcopo ungitur.*

4 Quare ipse Granada disp. 4. nu. 2. ait: Aptius ergo potest sacramentum hoc defini ri dupliciter; scilicet, aut per partes quasi physicas; nempe materiam, & formam: aut per partes metaphisicas, nempe genus, & differentiam. Priori modo definiendo, hæc videtur apta diffinitio. *Confirmatio est sacramentum constans, ex unctioe Chrysmatis, facta in modum Crucis, in fronte baptizati, per manus legitimi ministri, tamquam ex materia; & ex illis verbis: Signo te, &c. Tamquam ex forma materia ipsi unita.* Posteriori autem modo sic defini ri potest. *Confirmatio est sacramentum non legis, potens conferre gratiam baptizato, ad profitendam fidem coram tyranno.* In priori parte tãquam in genere convenit cum cæteris sacramentis legis gratiæ; in posteriori differt, quia ad id specialiter instituta est Confirmatio, ut prædictam gratiam, & ad eum finem conferat, ut infra declarabitur. Hæc Granada.

5 Sed prior diffinitio brevior posset esse, & committere aliqua apponere in diffinitione, de quibus an sint essentialia, sunt opiniones: cum diffinitio debeat esse communis animi conceptio. Et illa particula: *Materia ipsi unita:* superfluit, quia aliæ formæ, & materiæ sacramentorum etiam voluntur: & hoc exprime in diffinitione, Theologi non iudicant necessarium cum satis intelligatur eo ipso, quod se habent ut materia, & forma. His dèptis, posset saluari: & melior est secunda.

6 De varijs nominibus, quibus in Patribus, & Concilijs, solet hoc sacramentum significari, agunt Valentia to. 4. disp. 5. q. 1. puncto 1. sub initium, & ex ipso Reginaldus lib. 28. n. 3. & Leander q. 4. Sed vberius, eruditio ne illi familiari, Basilius Pontifex in Relectione de Confirmatione parte prima toto capite primo. In primis ut notat D. Thom. ar. 7. ad 2. *Sicut ex ipso nomine apparet, hoc sacramentum datur ad confirmandum, quod prius invene-*

vit. Vnde nomē *Confirmatio* inditum est huic sacramento ab effectu confirmandi, & roborandi. Vnde Melchias Papa in epist. ad Episcopos Hispaniæ, ait. *Confirmatio armat, & instruit nos ad agonem vitæ istius.* Idem docet Innocentius 3. in cap. vñico, de *sacra Vñctione*, & Eugenius Quartus in Concilio Flōrentino: & passim alij. Et habuit hoc nomen aliquale initium ex illo 2. ad Corinth. 1. *Qui confirmat nos Deus.* Et est apud Clemenem lib. 3. Constitut. Apost. c. 17. dicentem: *Vnguentum est Confirmatio, confessionis, seu professionis, scilicet fidei.* Vocatur etiam *Chrisma* à materia remota, vt constat ex S. August. lib. 2. contra Petilianum cap. 104. & *Oleum sanctificatum*, vocatur ab eodem lib. 5. contra Donatistas cap. 20. & S. Cyprianus lib. 1. vocat *sacrum vnguentum*. Et à materia proxima dicitur à S. Dionysio de Eccles. hier. cap. 4. *perfeclrix vñctio*. Et in Cōcilio Laodiceno can. 48. vñctio supercelestis Chrimatis: vel vt alia editio nes: *Regni celestis participatio*. Quia fit in frōte per signum Crucis, dici solet obsignatio, seu sigillum, apud S. Clemētem Romanum epist. 4. & à S. Dionysio de Eccles. hier. cap. 2. & habetur in cap. *Novissimè*, de consecr. dist. 5. A benedictione Episcopi etiam vocatur *benedictio*, vt in Conc. Illiberitano cap. 77. Dicitur etiam manus impositio, vel quia correspondet illi impositioni manuum, quā faciebat Apostoli, vt ex Eugenio Quarto, Innocentio tertio, & D. Thoma diximus supra. Vel à cæremonia, & ritu: de quo videantur Patres, & alij relati à Basilio à num. 6. vsque ad 9.

DVBIVM IX.

Vtrum hoc sacramentum sit omnibus exhibendum?

Tres præcipuæ difficultates sub hoc quæsto proponuntur examinandæ. Prima, vtrum omnes baptizati sint capaces vt hoc sacramentum, & effectum eius recipiant? Nam non baptizatos iam exclusim cum D. Tho. art. 6. Secunda, vtrum omnes teneantur sub præcepto illud recipere; siue sit præceptum diuinum, siue Ecclesiasticū; siue obliget sub mortali; siue sub veniali? Tertia, an expediat, quod indifferenter conferatur omnibus cuiuscumque sexus, ætatis, conditionis, & status? De prima, & vltima difficultate agit D. Thomas art. 8. & de secunda iam egerat art. 1. ad tertium.

§. I.

Omnes baptizati sunt capaces Confirmationis.

Pro sētētia negāte paruulos, qui omnino carent vsu rationis, esse capaces Cōfirmationis, refert Leander tract. 3. disp. 4. q. 1. Durandum in 4. dist. 25. q. 2. n. 8. Sed ibi Durandus loquitur de pueris ordinatis ante vsu rationis: quia sacramentum Ordinis constituit in statu, & dignitate: cui non censentur paruuli consentire voluntate parentum. Et ideo possit assignare disparitatem inter Sacramentum Confirmationis, & Ordinis. Et vt aduertit Nuño q. 72. art. 8. dub. 1. conc. 2. in fine, Durandus non satis se exponit.

Refert etiam Leander Saa ver. Confirmatio. n. 5. qui docet, nec perpetuo amentes, nec infantes ante septēnium confirmari posse. Sed cum non dicat sacramentum esse inualidum, non bene ad intentum referatur.

3 Dico tamen primo, omnes baptizati sunt capaces huius sacramenti. Ita D. Thomas artic. 8. & communiter Theologi: & specialiter multis exornant Soto dist. 7. art. 8. §. Inter has. Suarez dist. 35. sect. 1. conc. 1. dicit omnino certam ex traditione Ecclesiæ. Et quia Urbanus Papa, de consecratione dist. 5. cap. 1. inquit. *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum Sanctum post Baptismum accipere debent, vt plene Christiani inueniantur.* Nuño etiam art. 8. dubio 1. conc. 1. & 2. dicit oppositum esse erroneum, vel proximum errori: quia illi teneantur asserere, quod Ecclesia vniuersalis cœrauerit à principio in re tam graui.

4 Optimæ sunt duæ congruentiæ Diui Thomæ: nam ratio à priori non est alia, nisi quia ex institutione colligitur, quod omnis natus capax est vt roboretur: & ideo capax effectus sacramenti: ac proinde ipsius sacramenti. Quod sic factum sit probat Diuus Thomas articulo octauo, nam Actorum secundo dicitur, quod Spiritus Sanctus adueniens, repleuit totam domum (per quam significatur Ecclesia) & postea subditur: *quod repleti sunt omnes Spiritu Sancto.* Sed ad illam plenitudinem consequendam hoc sacramentum datur. Ergo omnes, qui sunt in Ecclesia, sunt illius capaces: & omnibus potest exhiberi.

5 Præterea: nam per hoc sacramentum promouetur homo spiritualiter in ætatem per-

perfectam. Hoc autem est de intentione naturæ, vt omnis, qui corporaliter nascitur, ad perfectam ætatem perueniat: sed hoc quandoque impeditur propter corruptibilitatē corporis, quod morte præuenitur. Multo autem magis de intentione Dei est omnia ad perfectionem producere: ex cuius imitatione hoc naturā participat: vnde & Deuter. 32. dicitur: *Dei perfectia sunt opera.* Anima autem, ad quam pertinet spiritualis natiuitas, & spiritualis ætatis perfectio, immortalis est, & potest, sicut tempore senectutis spirituales natiuitatem consequi; ita tempore iuuentutis, vel pueritiæ consequi perfectam ætatem: quia huiusmodi corporales ætates animæ non præiudicant. Et ideo omnes sunt capaces huius sacramenti, & eius effectus.

6 Tertio specialiter id probat D. Thomas in solutionibus argumentorum exponēdo, quod nullus sexus, nulla ætas, nullus status reddit incapacem recipiendi hoc sacramentum. In primis de pueris dicit ad 2. quod ætas corporalis non præiudicat animæ. Vnde etiā in puerili ætate homo potest consequi perfectionem spiritualis ætatis: de qua dicitur Sapientiæ 4. *Senectus venerabilis est; non diuturna; neque numero annorum computata.* Et in de est quod multi in puerili ætate, propter robur Spiritus Sancti perceptum vsque ad sanguinem fortiter certauerunt pro Christo.

7 Præterea; vt colligitur ex S. Dionysio 2. capit. Eccles. hier. & norant Vualdensis de Sacramentali. capit. 55. & capit. 140. & Soto dist. 7. art. 8. §. Inter has; pueri in primitiua Ecclesia statim post Baptismum confirmabantur. Quod constat ex Innocentio primo epist. ad Decentium capit. 3. & ex Gregorio Primo lib. 3. epist. 9. apud Gratianum cap. *Si qui de consecratione*, dist. 4. & ex Clemēte Romano lib. 6. cōst. c. 7. & 23. Et ex Tertul. lib. de Baptismo c. 7. & 8. Origēne lib. 1. Periat. c. S. Hier. Dial. aduersus Luciferi. S. Cypriano epist. 73. ad Iubaianum. S. Beda Actorū 19. S. Iudoro lib. 2. de Eccles. offic. c. 26. Strabone de rebus Ecclesiæ cap. 26. Quæ contuetudo, quæ ab Apostolis incepit, durauit per multa sæcula. Vnde Cardinalis Iacobus Vitriacus in historia Occidentali. c. 37. ait. *Hoc Confirmationis sacramentum, quidam ita coniungunt Baptismo, vt statim veliat ipsum post Baptismum debere conferri: quoniam per hoc confirmatur fides; quæ in Baptismo suscipitur. Quæ consuetudo satis approbata est, vbi haberi potest copia, seu presentia maioris Sacerdotis.* Hæc ibi. Loquitur de Episcopo. Imò norat Basilius Pontius in Relect. p. 5. c. 1. n. 6. quod in Oriente, & præcipue in Græcia, & Atyopia vetus consuetudo

perseuerat; sicut ex verbis Hieremiæ Constantinopol. Patriarchæ respōs. 1. c. 2. colligi potest: & ex ordine Baptismi secundū vsū Atyopum. Quid autem sit faciendum nunc in Ecclesia Romana, postea dicetur.

8 Quantum verò attinet ad sexū formi neum, D. Tho. ad 3. ait, quod sicut S. Chrostostus dicit in hom. de Machab. quæ habetur to. 1. in fine illius. *In mundanis agonibus, ætatis, ac formæ generisq; dignitas requiritur: & ideo seruus; ac mulieribus; & senibus, ac pueris, ad eos aditus denegatur.* In celestibus autem omni personæ, & ætatis, ac sexui, indiscreta facultate stadium patet. Et in homilia de militiā spirituali dicit. *Apud Deum femineus etiam militat sexus. Multæ namque femine animo virili spirituales militiam gesserunt; quædam enim interioris hominis virtute viros æquauerunt in agonibus Martyrum: quædam etiam fortiores viros extiterunt.* Et ideo etiam mulieribus hoc sacramentum conferendum est.

9 Solum habet difficultatem id quod de statim morituris scripsit Melchias Papa, in epist. ad Episc. Hisp. dicens, quod quamuis continuo transiurus sufficiens regenerationis beneficium; victuris tamen confirmationis auxilia necessaria sunt; quia Confirmatio armat, & instruit ad agones mundi huius; & prælia reseruados. Quæ autem post Baptismum cum acquisita innocentia immaculatus peruenerit ad mortē; confirmatur morte: quia iam non potest peccare post mortem. Vbi videtur docere, quod statim morituri nō debent confirmari.

Respondet D. Thomas ad 4. quod ex hac authoritate solum habetur, quod morituris non est necessarium hoc sacramentum propter periculum pugne præsentis: sicut est necessarium alijs, qui confirmantur ad agones mundi huius, & ad prælia contra Tyrannos fidei persecutores. Cum quo tamen stat, quod sit melius quod confirmantur statim morituri; quia plus recipiēt gloriæ propter gratiam vtriusque sacramenti: nam anima, ad quam pertinet spiritualis ætas, immortalis est. Et ideo etiam morituris hoc sacramentum dandum est; vt in resurrectione perfecti appareant: secundū illud ad Ephesios 4. *Non occurrāmus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Et ideo Hugo de S. Victore lib. 2. de sacramentis par. 7. cap. 3. dicit. *Omnino periculosum esset, si ab hac vita sine Confirmatione migrare contingeret: non quia damnaretur nisi forte propter contemptum; sed quia detrimentum perfectionis pateretur.*

Idem docent S. Clemens Romanus epist. ad Corinthios 1. lib. 5. c. 33. &

Concilium Illiberitanum can. 39. Vnde etiã pueri confirmati decedentes, maiorem gloriam consequuntur; sicut & hic maiorẽ obriuent gratiam. Addunt Vivaldus de Extr. vñt. n. 4. 1. & Ioannes Sañch. disp. 4. nu. 4. & Quintana Dueñas trac. 2. singul. 2. expedire, quod detur capitaliter dñatis: quod si hoc præstet Episcopus, opus maximè Charitatis exercebit. Imò addit n. 5. quod si suspendendus id perat, Episcopus proprius tenebitur sub mortali ministrare. Sed id est falsum, & in hac casu à nullo assertum.

§. II.

Vtrum sit præceptum recipiendi hoc sacramentum?

Multi affirmant hoc sacramentum esse de necessitate salutis: licet non vna via id defendant. Quidam videntur affirmare extare diuinum præceptum positum à Christo Domino impositum, obligans omnes baptizatos vt congruo tempore confirmentur. Videntur tenere Scotus in 4. dist. 7. q. 2. Richardus art. 3. q. 1. Item Vualdus tom. 2. de Sacramentis capit. 111. & Petrus Soto lec. 2. de Confirm. & Pamelius in notis ad lib. Tert. de Baptismo cap. 8. & Bellarminus lib. 1. de Sacramentis cap. 22.

11 Eiusdem fere sententiæ sunt alij, qui præceptum diuinum agnoscunt: sed eius obligationem restringunt solum ad casum determinatum; quando potest commode recipi, & instat occasio publice confitendi fidem coram Tyrano. Ita Durandus in 4. dist. 7. q. 1. Gabriel sibi dub. 3. Marilius q. 3. art. 4. Fillucius trac. 3. n. 40. Basilius Pontius in Relec. de Confirmatione parte quinta cap. 2. n. 10. referens Estitum (que in tamen pro contraria sententiã citat Raphael Auerfa q. 72. sec. 6. §. quinto) & addens sibi esse indubitatum hac esse sententiã D. Thomæ art. 1. ad 3. & art. 2. ad 4. & art. 8. ad 4.

12 Ratione arguit Basilius n. 11. Primo, quia hæc ordinatio Confirmationis ad perfectionem Baptismi, tacitam quandam obligationem videtur inducere; eamque grauẽ in his, quibus commoditas est suscipiendi Baptismum; imminetque occasio confitendi fidem coram tyranno. Tum etiam quia ea occasione instante, certum medium est impetrandi robur sacramentum Confirmationis, cum illud cõferat ex opere operato: quare certius medium est, quam orationes, & alia opera meritoria. Ergo esset magna prodigalitas salutis spiritualis, neglecto certiori medio, ad alia minus certa recurrere inminente periectionis periculo: vt enim

ait S. Cyprianus epist. 54. *Contra rationem est, sine armis ad pugnam accedere.*

13 Fauent etiam huic sententiã Patrum testimonia, quæ vtuntur verbis necessitate significantibus. S. Cyprianus epist. 70. *Vngi quoque necesse est eum, qui baptizatus est, vt acceperit Chrismate, id est, vñctione, esse vñctus Dei, & habere in se gratiam Christi pepsit.* Quem locum de sacramento Confirmationis accipi, docent ibi Pamelius: & indubiatum videtur consideranti phrasim, & modum loquendi. Et Concilium Aragonicum Primum, canone 1. eandem necessitatem indicat ibi. *Sed & necessaria habeatur Chrismatio reposita.* Melchades Papa epist. ad Episcopos Hispaniæ, verbis relatis à D. Thoma hic art. 8. in 4. arg. Urbanus. 1. epist. ad omnes Christianos, habetur de Consecratione dist. 5. cap. *Omnes fideles.* Et refertur à D. Th. a. 1. ita ait. *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum Sanctum post Baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur.* Concilium Illiberitanum canone 38. & Laodicenum can. 48. ita loquuntur vt obligationem significare videantur. Et illud quidem expendendum est, in his Concilijs, Pontificum, & Patrum dictis, quod in illis non tam conditur nouum aliquod ius, quam refertur antiquum; & ab ipso Christo institutum, & traditum: eamque necessitatem declarasse, quam Confirmatio ex se, & ratione sui finis, & effectus habet.

14 Tertia sententiã, quæ in aliquo cum ista conuenit, nempe in agnoscendo præcepto; sed in alio ab ea differt; quia negat esse diuinum, & solum dicit extare præceptum Ecclesiæ de recipiendo hoc sacramento: sicut tribus antiquis Doctoribus: nempe Alexandro Alens. 4. p. q. 25. memb. 2. S. Bonavent. in 4. dist. 7. ar. 3. q. 2. Palud. q. 1. S. Antoni. 3. p. tit. 14. c. 14. §. 5. Syluest. ver. Confirmatio n. 2. Gamachæo hac q. 72. c. 9. Item Basilius Pontius p. 5. c. 3. n. 2. ait. *Mihi videtur in primis aliquod præceptum Ecclesiasticum circa susceptionem Confirmationis extitisse olim, quod nunc contraria consuetudine cessauit: scilicet suscipiendi Confirmationem simul cū Baptismo. n. 3. ait. Esse præceptum Ecclesiæ, & adhuc extare de suscipienda Confirmatione post septenium. Quod probat, quia illud verbu Urbani Papæ, debent, indicat præceptu: & cū de nouo nõ cõdat, supponit iam latu. Extareque nunc præceptu suscipiendi Confirmationem, constat ex Concil. Mediol. 4. sub S. Carol. Borrom. in cap. De ijs, quæ ad Confirmationem pertinent, vbi statuitur, vt is qui determinato tempore non suscipit Confirmationem, canonicis subiiciatur disciplinis.*

Nihil.

15 Nihilominus asserendum est nullum dari præceptum, neque diuinum, neque humanum recipiendi Confirmationem. Ita sumitur ex D. Th. q. 85. ar. 4. ad 3. & q. 72. art. 1. ad 3. vbi ait, quod, *sicut supra dictu est omnia sacramenta sunt aliquantulum necessaria ad salutem: sed quedam sine quibus non est salus; quedam vero sunt, quæ cooperantur ad perfectionem salutis.* Et hoc modo confirmatio est de necessitate salutis; quamuis sine ea possit esse salus, dum tamen non prætermittatur vt ex contemptu sacramenti. Item art. 8. ad 4. refert, & approbat, quod ait Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis p. 7. c. 3. *Omni periculum esset, si ab hac vita sine Confirmatione migrare contingeret; non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum; sed quia detrimentum perfectionis pateretur.* Id autem sine quo potest esse salus: & quo omisso, quis non damnaretur; non est præceptum: quia nulli est salus, nec liberatur à damnatione; qui transgrediendo præcepta moritur. Ergo Confirmatio non est de necessitate præcepti: sed solum est necessaria ad melius ad augmentum perfectionis: & simpliciter est necessarium ne contemnat. Idem ex professo docet in 4. dist. 7. q. 1. art. 1. q. 2. vbi Baptismum, & Poenitentiam dicit esse sacramenta necessaria simpliciter ad delendum originale, & actualia mortalia: Reliqua vero sacramenta dicit requiri *ad bene esse spiritualis vite: & hoc modo Confirmatio, & omnia alia sunt necessaria. Verum tamen contemptus cuiuslibet sacramenti est periculosus.*

16 Idem docet; & quinque rationibus probat Soto in 4. dist. 7. quæst. vñca artic. 8. §. *Contrarium autem.* Nam quæst. 72. artic. 8. dist. 2. Serra dubio vñco conc. 2. dicens *communem Theologorum.* Suarez disput. 38. sect. 1. nouem Authores referens. Et alios sex refert, & sequitur Castrus Palud tract. 20. puncto 8. num. 5. Alios decem refert, & sequitur Auerfa quæst. 72. sec. 6. conc. 5. Tringinta Authores refert Leander trac. 3. disp. 1. q. 5. & 6. & alij communiter.

17 Fundamentum huius sententiæ bene proponit Suarez: quia præceptum obligans sub mortali, non est asserendum sine cogente fundamento: hic autem nullum est, non solum cogens, verum neque admodum vrgens. Quia nec in Scriptura habemus hoc præceptum; neque ex traditione: nam omnes Sancti, & Pontifices, qui de hoc Sacramento loquuntur, explicant quidem vim, efficaciam, & vtilitatem maximam (quam quodammodo necessitatem appellant) huius sacramenti: nihil tamen dicunt, quod sufficenter indicet præceptum. Nam quod aiunt re-

quiri hoc sacramentum ad plenitudinem, vel perfectionem hominis Christiani; vel etiam vt simpliciter Christianus dici possit; non potest intelligi de his, quæ sunt de substantia (vt sic dicam) hominis Christiani: nec de plenitudine sufficientiæ (vt rectè dixit Alensis) sed de plenitudine abundantia; & de Christiano milite congnato, quæ non oportet esse simpliciter necessaria, vel præcepta. Atque hoc modo dixit Clemens epistola prima, qui ob incuriam omittit hoc sacramentum, nõ fore perfectum Christianum.

Neque etiam colligitur hoc præceptum ex ipso vtu, vel traditione. Tum quia fidelis communiter non inducuntur ad recipiendum hoc sacramentum tanquam ex necessitate obligati: sed tanquam invitati ad id, quod per se bonum, & vtile est. Vnde nullis censuris adstringi solent: neque alijs medijs, quæ necessitatem indicent. Tum etiam, quia si hoc sacramentum esset iure diuino præceptum, daretur omnibus adultis in articulo mortis: quod tamen vñs Ecclesiæ non habet.

Tandem non colligitur ex sola ratione, etiam supposita institutione, ac fine, ac effectu huius sacramenti: quia ex his omnibus solum colligitur hoc sacramentum esse valde vtile ad perseverandum in fide: non tamen necessarium: atque adeo neque præceptum propter hanc causam: quia sunt alia media sufficientia ad eum finem consequendum: quæ sunt, oratio, meritum, virtutis exercitium, & similia.

18 Quod autem de iure Ecclesiastico, seu Pontificio id non sit præceptum, probat Soto §. *Si autem.* Nam Ecclesia circa sacramentorum necessitatem nihil alterare consuevit (imò forsitan nec potest) nisi id quod iuris diuini est determinando. Sicut, quia de Eucharistia, & Poenitentia Sacramentis præceptum diuinum est, determinauit tanquam necessarium annuale tempus. Si autem de Confirmatione non est tale præceptum diuinum, certe neque Ecclesia credenda est illud adiecit. Deinde, si Ecclesia hoc tanquam præceptum iussit, profecto cum sit præceptum affirmatiuum, debuisset tempus constituere: sicut ieiuniorum tempus constituit Quadragesimam.

19 Per accidens autem posse interuenire peccatum mortale, si adit contemptus sacramenti, iam diximus cum D. Thoma. Addit aut Syluester, cum Paludano, ver. *Confirmatio* q. 2. tunc esse aliquem contemptorẽ huius sacramenti, *quando habita sufficienti oportunitate, sine rationabili causa illud nõ suscipit.*

Sed contra hoc est doctrina D. Tho. 3. p. q. 65. ar. 4. ad 3. dicentis, quod licet omnium sacramentorum contemptus sit saluti contrarius: Nō tamen est contemptus sacramenti, ex hoc quod aliquis non curat accipere sacramentum, quod non est de necessitate salutis: alioquin omnes, qui non accipiunt Ordinem, & qui non contrahunt Matrimonium, contemnerent huiusmodi Sacramenta. Merito ergo Soto artic. 8. §. Et ideo, ait, quod isti Authores principium petunt: quoniam negligentia nunquam est crassa, nec culpabilis, nisi quando homo tenetur aliquid facere. Deberent ergo prius constabilire esse præceptum, quā negligentia ostenderent esse culpam. Nam quacumque quis negligentia in die profesto nō audiat sacra, non est illi peccatum, quia nec tenetur.

20 Explicat ergo ipse Soto in fine ar. 8. quid sit peccare ex contemptu, citra hæresim, & odium sacramenti, dicens, quod cōtemp-tus, ut nomen sonat, idē est, quod rem nihil pēdere, & perinde abijcere, ac si nihil esset. Et ideo si quis Confirmationem omitteret, non quidem ob negligentiam; quia sacramentum potest, & sine diligentia, & labore, & pretio suscipere: sed quod eo illud beneficium despiciatur, quod illud nihil æstimat; ille esset contemptus, & mortalis, ut art. 1. & 8. ad monet D. Thomas. Hancque expositionem iam communiter Theologi amplectuntur.

21 Duos alios casus proponit Suar. sec. 1. §. Que circa, in quibus per accidens potest esse peccatum mortale non recipere Confirmationem. Videlicet ratione scandali, si ita se publice gerat, ut speciem cōtemptus alijs præbeat. Tertio ratione cōscientiæ, & Charitatis propriæ, ut si practicè quis sibi persuadeat, sine hoc medio non posse tentationes contra fidem vincere. Aut esse in morali periculo ut in tormentis superetur, & vincatur. Alium casum proponit ibi de illo, qui esset in mortali, & Episcopus nollet eius Confessionē audire ex aliquo timore, aut pravo errore, & vellet eum confirmare: quia videtur teneri ad recipiendum, ut si forte tantum esset attritus, virtute illi fieret cōtritus. De quo Nuño dubio 2. conc. 6. & Ochagavia q. 12. n. 4. Quamvis Suarez, & Auerla sec. 6. ad uertant, quod hoc moraliter non continget: nam qui potest confirmare, potest absolueret.

22 Aduertunt autem Caietanus in Summa ver. Confirmatio, & Soto art. 8. sine §. Sed arguunt, quod ubi quis commode confirmari posset, esset culpabile illud Dei beneficium non recipere: non tamen esset peccatum mortale, sed veniale. Hoc communiter ab omnibus concedi, dixit Valeria disp. 5. q. 2.

punc. 3. & tenent alij, quos refert, & sequitur Leander trac. 3. disp. 1. q. 7. Auerla sec. 6. conc. 5. sine, & alij: quia est spiritualis prodigalitas se priuare tam magno fructu huius sacramenti; quādo cōmodè percipere potest.

Nuño vero art. 8. diffic. 2. conc. 4. dicit, quod per se loquēdo non est peccatum, etiā veniale; non velle suscipere sacramentum: quia ubi non est lex, nec præuaricatio. Quod & docent Petrus Ledesma c. 8. cōc. 2. Gran. trac. 4. disp. 1. n. 4. & Serra art. 8. §. Hinc sequitur, dicit quod, per se loquendo; nullum est peccatum etiam veniale, nolle confirmari: nam ubi nullum est præceptum, nullum potest esse peccatum.

23 Bene tamen consideranti apparet, quod inter has sententias non est diuersitas nisi in modo loquēdi: nam isti explicant id, quod per se, & abstracte cōsiderando, potest euenire: primi vero dicunt id, quod regulariter contingit. Et quidam eorum vtrumque simul docēt. Vnde Nuño conc. 6. ait. Regulariter loquendo, de facto, & in individuo, non velle suscipere hoc sacramentum, est veniale peccatum, & graue nimis. Quia est magna prodigalitas bonorum spiritualium, cū in hoc sacramento conferatur copiosa gratia. Idem dicunt Suar. disp. 3. §. 1. & alij.

24 Specialem ingerūt difficultatem verba Concilij Tridentini ses. 23. cap. 4. de reformatione dicentis: *Prima tonsura non initiatur, qui sacramentum Confirmationis non susceperint.* Propter quæ verba Nuño q. 72. art. 8. diffic. 2. conc. 7. dicit, quod suscipere ordinē sacerdotalem ante Confirmationem, est peccatum mortale. Quoniam sacerdotes sūt in Ecclesia duces principales; & magnam inde certiam importat, quod principaliōres duces non habeāt proprium signum ducis Ecclesiæ scilicet. Vnde multo magis certū erit, quod est peccatum mortale cōsecrari in Episcopū eū, qui nō est cōfirmatus: quia tenetur alios confirmare: & peccatum mortale est, & magna indecētia, quod nō confirmatus alios confirmet. Idem docet to. 2. q. 35. art. 4. Hinojosa in directorio verbo *Confirmatio* folio 115. & Lublinus nu. 8. Bonacina de Sacram. disp. 8. punc. 5. n. 10. & de Confirm. q. 2. punc. 4. n. 8. & de Ordine q. 1. punc. 5. nu. 10. Toletus, Fornarius, & Maiolus, quos refert, & sequitur Auerla q. 72. sec. 6. conc. 6. Tānerus q. 4. dub. 2. latē Basilius Pōtius in Relec. p. 5. c. 3. n. 5. & 6. Quia verba imperandi in actu exercito habēt sufficētē vim ad legē cōstituendā, ut cū cōmuni docet Suarez lib. 3. de legibus c. 15. n. 8. Concilium autē loquitur verbo imperandi. Ea ergo est lex, & præceptum. Deinde,

25 Deinde, si ea cum quibus adiungitur, & quibus inseritur, attendantur, manifestū erit esse præceptum: quia præceptū est quod non iniuriatur, qui fidei rudimenta ignorat, & legere, & scribere nesciat. Si similiter præceptum decretum est illud nō iniuriatur, qui secularis iudicij fugiendi causa eum statū eligit. Quod esse peccatum mortale, dicunt Bāñez, Aragon, Ledesma, Rodríguez, & alij: quia fraudat Ecclesiam in re graui. Ergo etiam est peccatum mortale non confirmatum ad statum Clericalem ascendere, ordinis enim defectus grauis est. Omniaque ista eodem tenore verborum præcipiuntur a Concilio.

26 Cæterum Soto dist. 7. art. 8. prop. 3. ait. Addiderim autem quod sacros ordines conferre nullus debet Episcopus, nisi confirmatus: nam cum per Confirmationem homo fiat miles fidei, & per sacros ordines dux; & indignum sit ducem nisi ex militibus creare, res esset indigna non confirmatos sacris initiare. Quamquam si oppositum fieret, assenerare non auderem esse peccatum mortale. Pariter Victoria q. 48. & de ordine q. 23. 2. Similiter Nauarrus capit. 2. nu. 9. & Suarez disp. 3. §. 1. in fine dicunt in Concilio non esse peccatum mortale, nec in illo, qui ordinatur non confirmatus, nec in illo, qui cōfert Ordinem, vel Confirmationem, cum ipse confirmatus non sit. Tenētque viginti Authores, quos refert, & sequitur Leander trac. 3. disp. 1. q. 8. Idem dicit Serra art. 8. ad 3. Denique Castrus Palaus trac. 20. punc. 8. nu. 6. in fine ait. Verius esse in illis verbis præceptū contineri: eaque de causa est graue peccatum veniale, ut ait Layman, suscipere Ordines, non præmissa Confirmatione. At non erit mortale, vel quia seuis est materia; vel quia consuetudine sic præceptum temperatum est. Quæ omnia probant in hoc puncto quemlibet posse in tuo sensu abundare.

§. III.

Vtrum expediat, quod omnibus conferatur?

27 **D**iaus Thomas in 4. dist. 7. q. 3. artic. 2. quæst. 2. docet expedire, quod pueris hoc sacramentum conferatur. Nam perfectio qua quis in se ipso perficitur, non preexigit aliam perfectionem; sed ipsa perfectione quis idoneus redditur. Nec ex hoc aliquid periculum imminere potest. & ideo Confirmatio potest puero tradi: & conuenienter traditur; quia infantilis ætas non patitur fictionē, qua effectus sacramenti in traditione impediatur. Idem indicat hic art. 8.

ad 2. Docentque S. Bonati in 4. dist. 7. art. 3. q. 1. ibi Richardus, & Gabriel, & Alensis 4. p. q. 28. membro 2. & 3. Petrus Soto lect. 2. de Confirm. Martinus, & Bartolomeus Ledesma. Viualdus, Vitriacus, Angles, & Graffius, quos refert, & sequitur Leander trac. 3. disp. 4. q. 3. dicens ita obseruari in Archiepiscopatu Tarraconēsi, & alibi intra Hispaniā. Antoni Quintana Dueñas trac. 2. singulari primo n. 2.

28 Fauetque antiquus vsus Ecclesiæ cōconferentis Confirmationem statim post Baptismum receptum, cuius vsus meminit Alcuinus cap. de Sabatho Sancto, & alij relati n. 7. Deinde, si pueri baptizati confirmati decedant, habebūt multo maiorem gratiā, quam si solum essent baptizati; quia carerēt gratia collata in Confirm. Vnde D. Tho. ar. 8. ad 4. ait, quod *pueri confirmati decedentes, maiorem gloriam consequuntur: sicut & hic maiorem obtinent gratiam.* Sed sepe moriuntur ante vsum rationis. Ergo ne hac æterna gloria priuentur, expedit, quod recenter baptizati confirmentur.

29 Partim fauet huic sententiæ Antonius Genensis in praxi cap. 54. n. 3. quem refert, & non improbat Barbola in Pastoral. Alleg. 30 n. 17. affirmans puerum triū annorū hodie cōfirmari posse: quia malitia multum creuit; & quia diligenter nomina confirmatorum describuntur.

30 Oppositam sententiam defendunt Paludanus in 4. dist. 7. q. 4. & Soto ibi q. vnica ar. 8. propof. 2. dicētes, quod non expedit pueros ante vsum rationis confirmare. Quā probat ex vsu Ecclesiæ, quæ sicut summionē Eucharistiæ interdixit infantibus; sic non habet in vtu eos, antequā aliqua rationis luce fungantur, confirmare. Quod & docent Dyntester verbo Cōfirm. n. 4. & Nuño q. 72. ar. 8. diffic. 1. conc. 3. dicēs, quod D. Tho. intelligitur secundū cōiuetudinē sui temporis. Et Serra post. 1. conc. Petrus Ledesma de Confirm. c. 7. conc. 5. & alij, quos referunt, & sequitur Barbola Alleg. 30. nu. 17. Bonacina punc. 4. n. 5. Egidius, & Layman, quos refert, & sequitur Castrus Palaus trac. 20. punc. 7. n. 4. Basilius in Relec. p. 5. c. 1. n. 7. ¶ Probat ex Catechismo Pij Quinti 2. p. c. 3. n. 14. fol. mihi 198. vbi dicitur. Illud obseruandum est, omnibus quidem post Baptismum Confirmationis sacramentum posse administrari: sed minus tamen expedire hoc fieri antequā pueri rationis vsum habuerint. Quare si duo decimus annus non expectandus videatur; vsque ad septimum certe hoc sacramentum differre, maximè conuenit. Neque enim

Confirmatio ad salutis necessitatem instituta est; sed ut eius virtute optime instructi, & parati inueniremur, cum nobis pro Christi fide pugnandum esset. Ad quod sane pugnae genus pueros, qui adhuc usu rationis carent, nemo aptos esse iudicabit. Hæc ibi.

31 Item in Concilio Laodicensi sub Joanne Episcopo per Nicolaum Papani approbato, statutum est ne quis ante septennium confirmetur. Sic in Concilio Colonensi sub Paulo Tertio par. 7. cap. 9. & Mediolanensi primo, de Confirm. parte 2. & in Archiepiscopi Bononiensi per Cardinalem Paleotum parte 3. & in Synodo Cameracensi. Præter rationem Catechismi sunt alia duæ. Et ut sacramentum hoc maiori cum reuerentia suscipiatur. Et ut receptionis sacramenti recordari possit confirmatus.

32 Adicit Basilius n. 8. Sed & ante septennium posse ministrari, statuit Concilium Mediolanense supra, si iusta causa Episcopo adesse videatur. Ea autem potest esse, vel si malitia suppleat ætatem; cum iam sit tempus periculi, & luctus. Vel si alieni ea conuictio viget. Vel si puer est in mortis periculo constitutus, & est commoda occasio ministrandi; nam etiam in minoribus annis constitutis sacramentum Confirmationis ministrari potest, quod prosequuntur Aueria sec. 6. conc. 3. & alij, quos refert, & sequitur Casirus Palatus punc. 7. n. 5. vbi cum Suares concedit, quod si Episcopus ob beneuolentiam, aliam ve similem causam, puerum ante rationis usum confirmaret, grauius non peccaret, secluso scandalo: quia consuetudo expectandi rationis usum, non videtur eo rigore introducta esse.

33 De his sententijs prudens iudicium præfert Suarez disp. 35. sec. 2. dicens. Vtraque ex his opinionibus probabilis est. Vnde existimo, per se loquendo, & seclusa speciali Ecclesie ordinatione, aut consuetudine, re esse indifferentem: nam pro vtraque parte sunt honestæ causæ, & nulla est, quæ in alteram partem urgeat. Vnde olim potuit esse pia, & illis temporibus accommodata consuetudo confirmandi infantes. Iam vero regulariter, & per se loquendo, considerata Ecclesie consuetudine, magis expedit non confirmare infantes ante usum rationis. Quæ rationis usu illucescente, etiam expedit non admodum illam differre; sed præuenire infantem innocentem, prius quam peccare incipiat. Et hoc modo conciliabuntur facile omnes congruentiæ adductæ.

34 Adde non solum diuersis temporibus pie in Ecclesia in hoc puncto diuersas ob-

seruatas consuetudines. Sed etiam modo in diuersis Ecclesijs non eadem consuetudine retineri: non solum, quia Ecclesia Græca confirmat infantes immediate post Baptismum: sed etiam quia in Ecclesia Latine, & in ipsa Hispania, vt referunt Authores primæ sententiæ, in aliquibus Episcopatibus prima sententiæ prædicatur: quare vbi ea viget consuetudo, improbanda non est. Quamuis in locis nobis notis secunda omnino obseruatur. Nisi in casibus exceptis n. 32.

35 De mutis autem notat D. Thomas in 4. dist. 7. q. 3. ar. 2. q. 3. ad 3. quod quamuis muti non possint confiteri ore, possunt confiteri nutibus; & possunt habere voluntatem, & propositum confitendi: & ideo eis non debet denegari hoc sacramentum.

36 De amentibus autem, qui lucidis interuallis gaudent, notat Soto dist. 7. ar. 8. §. Enascitur, quod absque dubio confirmari possunt; non solum dum lucine rationis fruuntur, verum etiam in amentia, nisi antea contraxissent; quia expectatur vt possint etiam pro fide pugnare. Si autem sint nati perpetuo amentes, Marcellus in 4. q. 5. ar. 4. & Suarez. *Confirmatio* nu. 5. dicit non esse confirmandos, quia nunquam possunt gratia confirmationis in fidei confessione fungi.

Soto vero ait, Responderetur, quod sicut de infantibus dicebamus, quod si confirmantur, legitimum erit sacramentum. Ceterum postquam iam usus Ecclesie habet non confirmare infantes vsque ad usum rationis, sic vt neque possit idem sacramentum amentibus dispensari: nempe, conuenienter, & licite; quamuis ministratum esset validum. Ad sequuntur Petrus Ledesma de Confirmatione cap. 7. in fine. Valentia disp. 3. q. 2. punct. 2. in fine. Ludouicus à S. Ioan. q. 1. ar. 3. dub. 2. folio 97. Petrus Casado cap. 3. folio 59. Chameroia trac. 3. cap. 6. dub. 3.

37 Oppositum videtur insinuarè Dionis Thomas art. 8. ad 2. & 4. Teneturque ibi. *Non* diff. 1. conc. 7. Suarez disput. 35. lect. 2. dub. 2. Villaiobos ro. 1. trac. 6. dist. 6. n. 2. & alij, quos referunt, & sequuntur Diana 3. p. trac. 4. resol. 20. & Leander trac. 3. disp. 1. q. 5. referens sexdecim Authores, & dicens esse communem. Casirus Palatus punc. 7. nu. 8. Barbosa Alleg. 30. num. 21. Aueria sec. 6. concl. 4. Quia ijs vtile valde est recipere augmentum gratiæ. Et per accidens est, quod non sint in statu in quo valeant pugnare pro fide Christi. Infantibus autem hoc sacramentum non ministratur, quia creduntur postea rationis usum habituri: quæ spes cessat in perpetuo amentibus. Adicit

Lay.

Layman lib. 3. tract. 3. c. 5. q. 2. & Casirus Palatus punc. 7. nu. 8. in fine, & Basilius Porius parte 5. cap. 1. n. 11. quod si in aliqua Dioecesi consuetudo non fuerit confirmandi perpetuo amentes, & Episcopos probans oppositam sententiam, noluerit eos confirmare, excusatur tutores, & curatores, si eos non deserant ad confirmandum.

38 Denique de energumetis placet proponere, quæ scribit Basilius ibi numero 12. dicens. In tractatu de Eucharistia dicebatur in Concilio Arausicano can. 24. Energumetis nos non repellit à sacra communione: imò & præcipi idque vsuratum in Ecclesia Dei fuisse, constat ex S. Prospero lib. 4. de præd. cap. 6. & latius ex Ioanne Casiano lib. 7. capite 29. & 30. Quod qui cognouerit, non mirabitur Energumetis datum esse sacramentum Confirmationis, quo à Demone purgantur, cum in eo sit plenitudo Spiritus Sancti. Sæpe quidem in historijs legimus Energumetis in susceptione huius sacramenti à Demone fuisse liberatos; id testatur S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Iulianum, Lacrantius lib. 4. Diuinarum Institut. cap. 27. S. Prudentius in Apotheosi. Quin & S. Bernardus in vita S. Malachie, sic scribit de eius præceptore Malcho Episcopo: *Puerum mente captum, ex his, quos lunaticos vocant, inter confirmandum sacra vnctio curauit, vt retuli supra parte 4. cap. 2. num. 27. Quid mirandum, si confirmatus, & vnctus sacro christmate curaretur, siquidem Artes Magicas per præsentiam cuiusdam Christiani, qui christmate confirmatus fuerat, fuisse victas, & discussas, narrat S. Gregorius Turonensis lib. 1. de gloria Martyrum cap. 41. Ex aduerso Nouatum reijcientem hoc sacramentum à Demone fuisse correptum, narrat Eusebius lib. 6. Historiæ cap. 35. alijs 33. Causa cur illis denegatur nulla est, sicut de perpetuo amentibus etiam dicemus. Hæc ibi.*

39 Quæ vera sunt, & conformia D. Th. qui 3. p. q. 80. art. 9. ad 2. docet, quod de baptizatis, qui corporaliter ab immundis spiritibus vexantur, est eadem ratio, & de alijs amentibus. Vnde Casianus dicit, *Eis qui ab immundis vexantur spiritibus, communionem sacrosanctam à senioribus nostris nunquam meminimus interdici. A fortiori ergo potest, & debet eis Confirmatio dari.*

40 De statim morituris videantur, quæ diximus num. 9. & S. Thomas in 4. dist. 7. q. 3. art. 2. q. 2. ad 4. ait, quod quamuis morientes abstrahantur à pugna, tamen vadunt ad locum præmij; in quo secundum mensuram gratiæ datur mensura gloriæ; & ideo indigent plenitudi-

ne gratiæ, quæ in pugna perficitur, propter sine pugna consequendum. Hac de causa S. Carolus Borromæus cap. 27. decre. Mediol. decreuit. *Si quis cum periculose agrotat, se Christum sacramentum confirmatum non esse meminerit, ac propterea id sibi ministrari petat, tunc Episcopus, si eo loci est, vbi ille agrotat, vt ne sine hoc Sacramento decedat, cum charitate paterna inuisit, & confirmet.* Quod (præterquam quod non obligat extra illam Prouinciã) non est decretum præceptiuum, sed consultiuum. Nec vllus Episcoporum se agnoscit obligatum sub reatu mortalis culpæ ad singulos suæ Ciuitatis periculosè agrotantes confirmandos; quia sacramentum non est simpliciter necessarium ad vitam; & suæ antecedenti negligentia infirmi deputare debent; quod sine illo moriantur.

DVBIVM X.

Vtrum ille, qui confirmatur, debeat tenei ab alio?

1 Partem affirmantem probat D. Thomas art. 10. ex Innocentio ad Exuperium Toletanum Episcopum, reiatum 30. q. 4. cap. *Si quis*, dicente. *Si quis ex coniugio filium, aut filiam alterius de sacro fonte suscepit, aut ad Christum tenuerit, &c.* Ergo sicut requiritur quod aliquis baptizatus de sacro fonte leuet, ita debet aliquis teneri ad sacramentum Confirmationis accipiendum. Itæ ratione. Nam hoc sacramentum exhibetur homini ad robur pugnae spiritualis. Sicut autem aliquis de nouo natus indiget instructore in his, quæ pertinent ad conseruationem vitæ (secundum illum ad Hebræos 12. *Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, & reuerentur eos*) ita illi, qui assumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus, à quibus instruuntur de his, quæ pertinent ad modum certaminis. Et ideo in bellis materialibus constituntur Duces, & Centuriones, per quos alij gubernentur. Et propter hoc etiam ille, qui accipit hoc sacramentum, ab alio tenetur, quasi per alium in pugna spirituali erudiendus. Similiter etiam, quia per hoc sacramentum confertur homini perfectio spiritualis ætatis; ideo ille, qui ad hoc sacramentum accedit, suscipitur, quasi adhuc imbecillis, & puer. Quamuis enim ille sæpe, qui confirmatur sit adultus corporaliter, nondum tamen est adultus spiritualiter.

2 Sed obijcies: nam ille, qui iam est de Ecclesia, liberum habet accessum ad Ecclesiam Principem, qui est Episcopus. Sed hoc sa-

GRA.

cramentum nõ exhibetur, nisi baptizato, qui iam est membrum Ecclesiæ. Videtur ergo, quod non debeat per alium exhiberi Episcopo, ad hoc sacramentum recipiendum.

Respondetur cum D. Thoma ad 2. quod licet baptizatus sit effectus membrum Ecclesiæ, nondum tamen est adscriptus militiæ Christianæ. Et ideo Episcopo tanquam duci exercitus, per alium exhibetur iam militiæ Christianæ adscriptum. Non enim debent alium ad Confirmationem tenere, qui nõdum est confirmatus.

3 Quamquam cæremonia ista nõ sit essentialis sacramentis, & sine illa sit validum. Nec sit de iure diuino, sed de solo iure Ecclesiastico. Tamen omitti non potest licite, quia de adhibendo susceptore, est valde antiqua Ecclesiæ traditio, & consuetudo, de qua Iginus Papa, cap. in *Catechismo, de Consecratione*, dist. 4. Et ex Leone Papa cap. seq. & ex Conc. Moguntino. Imò esse peccatũ mortale illam omittere, notat Nuño art. 11. notabili secundo, eo quod est cæremonia grauis; & in Ecclesiã antiqua. Quod & dicit Ledesma cap. 8. & Granados tract. 4. disp. 3. n. 1.

4 Sed inquires primo, vtrum patrinus teneatur confirmatum instruere?

Affirmat Nuño art. 11. notabili tertio, quod si sit necessitas, vel quia non sunt alij, qui instruant; vel quia sunt negligentes, cũ tenebitur patrinus sacramenti Confirmationis docere confirmatum de pertinentibus ad salutem; quia iste appellatur pater in iure; & proprium officium patris est docere filium in vita spirituali. Idem docent Ludouicus de S. Ioanne q. 1. ar. 9. diff. 2. folio 102. Syluius art. 10. Granados controu. 5. tractatu 4. disp. 3. num. 4. Quia in Pontificali Romano dicitur susceptorem obligari ad bene informandum eum, qui confirmatur. Et cum idem Pontificale præcipiat, vt nemo se ingerat ad recipiendum hoc sacramentũ, nisi sit edoctus Christianæ fidei rudimentis, perspicuum videtur à susceptore doceri debere, si alius non sit.

5 Contrarium tamen docent Suarez ar. 10. §. *Dubium autem*. Henriquez, Agidius, Layman, & Filliurius, Bonacina, Ochagavia, & Diana, quos refert, & sequitur Leander tract. 3. disp. 5. q. 7. Castrus Palaus tractatu 20. puncto 10. num. 2. Auersa q. 72. sectio 5. in fine. Eo quod neque iure statuta, neque vlti introducta sit talis obligatio. Et potius ad solennitatem sacramenti, & significationem humanæ imbecillitatis instituta sit hæc cæremonia in Confirmatione, quam

ad necessitatem, & obligationem instructio nis. Et iam ab alijs ministris adimpleta imponitur hæc obligatio. Videtur hæc doctrina vera, & expressa D. Thomæ in 4. distinctione 7. q. 3. ar. 3. q. 1. ad 1. vbi ait, quod ille, qui est mediator in hoc sacramento, non habet officium representandi, quasi extraneũ, sicut est in baptismo: *Neque suscipiendi quasi impuendum, sed solum tenendi, quasi infirmum.*

6 Secundo inquires, vtrum possint esse duo patrini in Confirmatione?

Affirmant Toletus lib. 2. cap. 24. num. 6. Sanchez lib. 7. de Matrimonio disp. 57. n. 9. & alij; quia Concilium Tridentinum sessione 24. cap. 2. de reformatione id permittit pro Baptismo. Et Granados tract. 4. disp. 3. num. 2. dicit eandem esse rationem de Confirmatione. Quare ita tenent Archangelus dist. 7. folio 68. & Quintanaduẽnas tractatu 2. singulari vltimo numero tertio circa finem.

7 Merito contrarium docent Barbosa in Pastor. Allegat. 30. num. 43. Bonacina de Matrimonio q. 3. puncto 3. §. 2. nu. 31. Rebellus de iust. 2. p. lib. 3. q. 6. num. 6. Castrus Palaus tract. 20. puncto 10. num. 2. Imò Sorro, Ledesma, & alij quatuor, quos refert, & sequitur Leander tract. 3. disp. 5. q. 2. Quia in hac parte Concilium Tridentinum Confirmationis non meminit. Iure autem antiquo in Confirmatione vnus tantum patrinus esse debet, cap. *ultimo, de cognat. spirituali* 6. Iuris autem antiqui absque graui fundamento correctio admittenda non est. Et Concilium Tridentinum nõ vult extendere, sed potius restringere impedimentum cognationis spiritualis, vt constat ex præcepto illius capituli secundi.

8 Tertio inquires, vtrum in Confirmatione possit esse idem patrinus, qui fuit in Baptismo?

Syluenter verbo *Confirmatio* num. 4. affirmat hoc fieri posse sine peccato, quia sic est in vlti. Idem docent Agidius ar. 10. n. 84. Gaspar Hurtado diff. 14. Et Quintanaduẽnas tract. 2. singul. 14. n. 2.

9 Cæterum patrinus Confirmationis debere esse distinctum à patrino Baptismi, nisi necessitas urgeat, habetur cap. in *Catechismo, de Consecrat. dist. 4.* Et notant Barbosa Alleg. 30. num. 51. Bonacina disp. 3. punct. 4. in fine. Et alij, quos referunt, & sequuntur Diana 3. p. tract. 4. resol. 21. Leander disputatione 5. q. 3. Qui tamen cum Bartholomæo ab Angelis dicit non peccaturũ mortali ter, qui aliter, etiã extra necessitatẽ, id faceret.

Addit

10 Addit Castrus Palaus puncto 10. n. 2. in fine, vna die neminem esse posse conuenienter patrinum, nisi duorum tantum, quia ita cauetur in Pontificali. At si vir probus sit, & maxime Ecclesiasticus, in quo nulla adsit malitiæ præsumptio, poterit eodẽ die plurius esse patrinus, vt dicit Genuensis in Man. cap. 54. num. 6. quem refert, & sequitur Barbosa 2. p. Allegat. 30. num. 52. Et Quintanaduẽnas tractatu 2. singulari vltimo num. 3. quia nec ratio, nec lex vlla prohibet; sicut potest diuersis diebus. Sic etiam idem baptizatus, & confirmatus plures eodẽ vespere, vel mane. Nec obstat id, quod in Pontificali Romano dicitur: *Nullus præsentet nisi vnum, aut duos, non plures.* Tum, quia non est præceptum, nec lex, sed directio. Tum, quia non est in vlti, & ita non obligat. Sicut alia, quæ ibi habeatur, v. g. *Confirmandi debent esse ieiuni.* Neque masculi feminis Patrini; neque femina masculis Patrini esse debent. Hæc enim pro decentia requirebantur; nam vt dicit D. Thomas ad 3. *Sicut dicitur ad Collos. 3. in Christo Iesu non est masculus, & femina. Et ideo non differit virum masculus, vel feminam teneat aliquem in Confirmatione.*

11 Item nequit esse monachus patrinus Confirmationis ex cap. *Placuit* 6. q. 1. capite. *Non licet. cap. Monachi. De Consecrat. Distinct. 4.* Hanc prohibitionem solum comprehendere Monachos solitariam vitam agentes, non vero alios Religiosos Mendicantes, docent Agidius hic, & Gaspar Hurtado disp. 2. diff. 9. Chamerota tract. 2. cap. 4. dubio 8. Et Leander tract. 3. disp. 5. q. 8. Imò Quintanaduẽnas tract. 1. singulari 25. & tractatu 2. singulari 8. num. 3. ait; quod sine vlla causa, & culpa, ac sine Ordinariorum, ac Prælatorum licentia (ni id sit in sua Religione expressè interdictum) potest quilibet Regularis (saltem ex Ordinibus non Monachalibus, & ex his etiam, meo iudicio) in Confirmatione esse patrinus. Nec vlla huius in Pontificali Clemẽtis Octauii, Rituali Pauli Quinti, & Catechismo Pij Quinti, vel leuis prohibitio extat. Et si causa expolcatur, etiam pro Monachis, petitio, aut deuotio parentum sufficeret. Nostrum de his iudicium, in simili de Baptismo, habetur q. 67. dub. 3. à n. 17. vsque ad 20.

Bene tamen excipit Castrus Palaus tractatu 20. puncto 10. num. 2. nisi confirmandus Religiosus esset, quia eo casu optimè potest monachus esse illius patrinus. Sic docuit Barbosa in Pastor. Allegat. 30. numero 13.

12 Virum etiam in necessitate posse

esse patrinum vxoris suæ, affirmat Saa, ver. *Confirmatio* num. 16. Quod tamen merito reijciunt Victoria q. vlt. de Confirmat. & Soto dist. 42. art. 10. & alij; quia prohibitiones iuris vniuersales sunt, nec vllò iure, aut effici ratione exceptio probatur. In necessitate tamen licitum esse fratris suscipere fratrem, cum eodem Saa, verbo *Confirmatio* num. 14. & 16. tenent Bonacina disp. 3. puncto 4. num. 12. & Leander tract. 3. disp. 5. q. 3. & 9. Licet id non admittant Toletus li. 2. cap. 23. n. 4. & alij.

13 De cognatione spirituali, quam patrinus contrahit cum confirmato, & eius parentibus, vt habetur in Concilio Tridentino (eil. 24. de reformatione Matrimonij) capite 2. quia impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit iam contractum, vt habetur can. *Si quis ex coniugio* 30. q. 4. & can. *Si quis filiastrum* 30. q. 1. Et can. *Nedi, de cognatione spirituali*: dicemus expresse vbi de impedimentis dirimentibus Matrimonium.

DVBIVM XI.

Vtrum solus Episcopus hoc sacramentum conferre possit?

§. I.

Sententiæ Doctorum.

DE ministro sacramenti Confirmationis grauis controuersia est Catholicorum cum Hæreticis, Græcorum cũ Latinis, & Latinorum inter se, propter diuersas opiniones inter Scholasticos Doctores. Singulas fideliter, breuiter, & clarè referre conabor.

Photius Patriarcha Constantinopolitanus, existimauit, non solum Episcopum, sed etiam quemuis alium Presbyterum esse ministrum ordinariũ Confirmationis. Occasio erroris agnosci valet ex epistola Nicolai primi, ad Hincmarum, qua integra refertur à Baronio agendo de hoc Pontifice, anno 867. §. 50. Eundem errorem sequutus est Ioannes Vuicel: nam vigesimus octauus inter eius errores, vt constat ex Constantiensis sess. 8. asserit Presbyterum esse ministrum ordinariũ Confirmationis: adiciens reiterationem Confirmationis factam Pontifici, & solis Episcopis fuisse ex auaritia, & amore lucri. Tenuit eundem errorem Archanus de quæstionibus Armenorum li. 11. cap.

cap. 4. id extendens ad Diaconos. Ne quæro; inquit, qualia sunt decreta Ecclesiæ; sed quid potest ex sacra pagina elici. Perspice, ait Soto distinct. 7. art. 1. In initio, impiam hominis impudentiam. Fatemur enim decretis Ecclesiæ definitum esse contrarium: nihilominus errorem suum ex sacra pagina colligi. Eundem errorem tribuit Suarez disp. 36. sectione 1. Durando, & Scoto: sed immerito, ut dicenda monstrabunt. Nec hoc est, quod dicunt esse probabile, ut male Leander disp. 2. q. 1. Sed aliam sententiam infra referendam.

2 Secundo alij Catholici dixerunt ministerium quidem ordinarium ex institutione diuina esse solum Episcopum; cum quo stat, quod simplex Sacerdos ex eadem institutione sit minister, non ordinarius, sed ex consensu, & venia Episcopi; quod si absit, peccet quidem sacerdos confirmans (quia non est minister ordinarius aut licite ministrandus, ut errant Hæretici) sed factum teneat. Hanc tribuit Suarez Caetano hic, & Actorum 8. Pro eademque citat Basilium Pontius in Relect. par. 4. cap. 2. num. 2. Ferrarâ 4. Contragentes cap. 66. Paper art. 12. contra Lutherum. Salmeron tom. 12. in Acta Apost. disp. 26. §. Alia sententia, & quidem probabilis. Durandum in 4. dist. 7. q. 3. n. 11. Scotum q. 1.

3 Cæterum Caletanus hic art. 11. ex-pretie ait. Sed ultra hoc credimus etiam Episcopum ita esse proprium ministrum huius sacramenti, quod si per simplicem sacerdotem detur, irritum est, & inane. Et hoc tenetur autoritate Melchiadis Papæ, in cap. de his. Et Eusebii Papæ, in cap. Manus. De consecratione dist. 5. Hæc Caletanus: quæ ediametro opponitur huic sententiæ.

Ferrara illo cap. 66. non agit de Confirmatione, sed de Eucharistia: cap. 60. conc. 3. loquitur de hoc sacramento. Sed tamen solum ait, quod non requiritur essentialiter quod minister sit Episcopus: alioquin Papa id non posset committere simplici sacerdoti: sed essentialis minister abstrahitur: siquidem ex officio est Episcopus, & ex commissione Papæ sacerdos. Quid autem esset dicendum de Presbytero confirmante sine Papæ commissione, ibi non disputat.

4 Durandus etiam illa q. 3. loquitur de Sacerdote confirmante in casu necessitatis ex Papæ commissione, ut patet à nu. 5. Ipsoque num. 11. fatetur quod quædam capitula Canonici expresse dicunt, quod à solis Episcopis conferendum sit: & si ab alijs conferatur, irritum est, nec inter Ecclesiastica sacramen-

ta computatur. Nec hoc sub dubio relinquit, sed an ex Papæ commissione Presbyteri valeant confirmare? Propter factum S. Gregorii relatam cap. Peruenit, distinct. 95. de quo ipse Durandus ibi tota q. 4. quæ est alia sententia max referenda. Vnde refertur pro ista sine causa.

5 Scotus etiam illa q. 1. ad 3. solum ait, quod alij possunt esse duo modi dicendi probabiles. Vnus quod in primitiua Ecclesia non erat differentia inter Sacerdotes, & Episcopos: De quo ad utramque partem late disputat. Et subiungit. Et si istud est verum; tunc Sacerdoti ex officio potuit competere confirmare, sicut & Episcopo: quia ex prima institutione non erat alius gradus in Ecclesia, &c. Postea vltimo loco proponit ut probabilem etiam sententiam D. Thomæ: & communem. Vnde patet in puncto præsentiale citari Scotum.

6 Tertio, alij dixerunt, quod ut Presbyteri possint esse ministri Confirmationis, sufficit dispensatio Episcopi, & non exigatur dispensatio Summi Pontificis. Ita Martinus Ledesma 1. p. Quarti dist. 7. q. 1. art. 1. Et ut probabilem dicendi modum proponit Nuñõ q. 72. ar. 7. diff. 2. ad 3. Et Alphonsus Salmeron tom. 12. in Acta Apostolorum tract. 26. §. An vero Episcopi ubi ait. An vero Episcopi ex se ipsis, & propria autoritate hanc facultatem conferrent Cruce signandi in fronte simplici sacerdoti; an ex Pontificia autoritate, & delegata? Certum non habeo, cum hæc decreta ex autoritate Pontificia, vel prodierint, vel confirmata sint. Probabilius tamen videtur, quod Episcopus hac autoritate fungatur, nisi à Summo Pontifice restringatur. Quod ex eo firmatur, quia Episcopi habent plenam autoritatem in suam Ecclesiam, siue Diocesim, perinde ac Pontifex in Ecclesiam vniuersalem, nisi Episcopis ob aliquam iustam causam restringatur hæc potestas. Deinde hæc potestas competit Pontifici ratione consecrationis: non autem iurisdictionis. Cum autem eadem sit in quouis Episcopo, quæ in Papa, potestas Ordinis, poterit illam autoritatem in Sacerdotes conferre, ut videtur dicere Paludanus. Tamen si restricti sint Episcopi, non sunt excusandi Sacerdotes id attentantes. Hæc Salmeron. Idem late sequitur Basilium Pontius in Relectione de Confirmatione p. 4. c. 4. à n. 4. vsque ad 15. Pro se citat Layman lib. 1. tract. 4. cap. 7. §. 2. num. 5. vers. Ex his. Huius sententiæ fundamenta adeo expresso proponit, & contraria diluit Angelus Maria Verricelli de Apostolicis Missionibus

nibustom. 1. tit. 7. q. 130. sect. 2. ut iudicares ei subscibere, nisi postea sect. 3. contrariam diceret certam; vnde pro ista citari nequit in foro exteriori. Male autem Salmeron pro se referre Paludanum, legenti erit manifestum: nam contrarium expresse docet in 4. dist. 7. q. 4. num. 20. dicens non tenet. Item inferior Papa non posset committere Sacerdoti Confirmationem; quia ipse non habet plenitudinem potestatis.

7 Per aliud extremum alij, nec ex commissione Papæ, existimant licite, aut valide posse Presbyterum confirmare. Ita Durandus in 4. dist. 7. q. 3. & 4. Ioannes Maior ibi q. vnica. Fauetque Gabriel q. vnica art. 2. in fine. Tenentque Castro aduersus hæreticos ver. Confirmatio, & de iusta hæreticorum punitione lib. 2. cap. 21. & 22. Adrianus in 4. de Confirmatione art. 3. Guillelmus Eadus in 4. dist. 7. §. 21. Ioannes Baptista Catunlyricus in Concordia sacramentorum vtriusque Ecclesiæ tract. 1. atcutatione 12. dicens oppositum esse hæreticum. Solet pro ista sententia referri M. Petrus Soto lect. 2. de Confirmatione. Sed ibi solum lego, loquendo de dispensatione facta à S. Gregorio; ut Presbyteri confirmarent. Hæc tamen tantum Pontificis dispensatio, nec trahenda est in exemplum; nec facile improbanda. Certe alij, & plures quidem, aliter egerunt; idque receptum est magis in Ecclesia. Nec in his, quæ non tam certo constituta sunt, debent pigrescere, quasi ideo minus constet nostra religio. Apostoli sequuti sunt, quod dictum est. Quod Gregorius putauit in illo casu se posse dispensare; credendum est Deo non fuisse ingratum; Cæterum sequi debemus, quod magis regulare est. Adducto autem testimonio Concilij Florentini, docet non æque definisse hanc questionem de ministro, ac materiam, & formam. De ministro vero, quod specialiter quandoque factum est, sicut & alia, quæ inquiri possunt, melius est relinquere Deo, & Ecclesiæ, si quando illa videat opus esse ampliori explicatione, & eam legitima autoritate, ac debita inquisitione tradidit. Vbi sententiam non docet, quamuis omnimodam certitudinem oppositæ negat.

8 Quinto, ut ab ista sententia alij longissime distarent, dixerunt, non solum Presbyteros, sed etiam Diaconos, ex commissione Papæ, posse licite, & valide confirmare: quia ex mandato Papæ, quilibet Clericus potest conferre alteri Ordinem, & sacramentum, quod habet. Ita Glossa in cap. Manus. De consecratione dist. 5. Abbas, & Innocentius Quartus in cap. Quando, de Consuetudine. Angelus verbo Confirmatio n. 2.

9 Sententia D. Thomæ est Doctorum communis, & verissima; sed quia non est quoad omnes partes æque certa, articulatim in sequentibus est explicanda.

§. II.

Solus Episcopus est minister Confirmationis ordinarius; & aliter non valet sacramentum.

10 Dico primo, secundum fidem Catholicam est certum, quod solus Episcopus est minister ordinarius sacramenti Confirmationis. Ita habetur in Concilio Florentino in Decreto Eugenij, cum dicitur. Ordinarius minister est Episcopus. Et in Concilio Tridentino sess. 7. can. 3. de Confirmatione diffinitur. Si quis dixerit, Sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solū Episcopum, sed quemuis simplicem sacerdotem; Anathema sit.

11 Probat D. Thomas art. 11. ex Eusebio Papa in epist. 3. ad Episcopos Tusciæ, & Campaniæ, qui refertur de Consecrat. dist. 5. cap. Manus quoque dicente: Manus impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab alijs perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus; nec tempore Apostolorum ab alijs, quam ab ipsis. Apostolis legitur, aut scitur peractum esse; nec ab alijs, quam qui eorum locum tenent unquam perfici potest, aut fieri debet: nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur, & vacuum; nec inter Ecclesiastica unquam reputabitur sacramenta. Est igitur de necessitate huius sacramenti, quod dicitur sacramentum manus impositionis, quod ab Episcopo tradatur.

12 Ratio congruentiæ diuinæ institutionis ab eodem D. Thoma assignatur. Nam in quolibet opere vltima consumatio supremæ arti, aut virtuti referatur; sicut præparatio materiæ pertinet ad inferiores artifices, superior autem dat formam, supremus autem eil ad quem pertinet vsus, qui est finis artificiatorum. Et epistola, quæ à Notario scribitur, à Domino Papa signatur. Fideles autem Christi sunt quoddam diuinum opus (secundum illud 1. ad Cor. 3. Dei edificatio estis.) Sunt etiam quasi quædam epistola, spiritu Dei scriptæ; sicut dicitur 2. ad Corinth. 3. Hoc autem Confirmationis sacramentum est quasi vltima consumatio sacramenti Baptismi; ita scilicet, quod per Baptismum edificatur homo in domum spirituales, & conscribitur quasi quædam spiritualis epistola. Sed per sacramentum Confirmationis firmatur.

firmationis quæstionibus ædificata dedicatur in templum Spiritus Sancti, & quasi epistola conscripta signatur signo Crucis. Et ideo collatio huius sacramenti Episcopis referuatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia. Sicut & in primitiua Ecclesia per impositionem manus Apostolorum, quorum vicem gerunt Episcopi, plenitudo Spiritus Sancti dabatur, ut habetur Actorum 8. Vnde Urbanus Primus episcopus ad omnes Christianos de Consecrat. dist. 5. relatus capite, Omnes fideles, dicit. Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum Sanctum post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inueniantur.

13 Sed obijcies Summitas capitis, vbi secundum medicos, est locus rationis, scilicet, particularis (quæ dicitur virtus cogitativa) est nobilior fronte; vbi est locus imaginativæ virtutis. Sed simplex sacerdos potest baptizatos ungeri Chrismate in vertice. Ergo multo magis potest eos Chrismate signare in fronte, quod pertinet ad hoc sacramentum.

14 Respondetur, quod ut dicit Hugo de S. Victore to. 3. de Sacram. li. 2. part. 7. c. 8. Manifestum est, quod primis temporibus omnis unctio Crismatis per solos Pontifices fiebat. Sed postea, quam institutum est, ut baptizati sacerdotes in vertice liniat, consignatio tamen frontis solis Pontificibus referuatur. Solus enim Pontifex frontem consignare, & linire potest, & Spiritum Sanctum tradere. Quamvis autem multi dicant S. Clementem instituisse, ut Sacerdos baptizatum in vertice liniat, ut auctor Gemma animæ lib. 3. cap. 106. Guillelmus Durandus in Ration. lib. 6. cap. 84. Sed falso id asserunt, cum S. Clemens solum unctionem ante Baptismum, oleo, quod Cathæcumenorum vocatur, ab Apostolis institutam suo decreto confirmavit. Cæterum unctionem in vertice post Baptismum fieri à Presbyteris primus S. Syluester Papa instituit. Vnde in Pontificali S. Damiani de Syluestro dicitur. Constituit ut baptizatum liniat Presbyter leuatum de aqua, propter occasionem transit mori. Idem dicit Fortunatus lib. 1. de diuinis officijs cap. 27. & Strabo de rebus Eccles. capite 26. Rupertus lib. 3. de diuinis officijs cap. 16. Et Basilius in Relect. par. 4. cap. 2. n. 22. & Vericelli de Apoll. Missionibus tit. 7. q. 130. lect. 3. num. 26. Post tempora Syluestri, neque presente Episcopo, nisi de Episcopi licentia, poterat Presbyter linire Chrismate verticem baptizati: & de hac unctione ceremoniali in vertice exponitur decretum Toletani Concilij Primi can. 20. a Scuerino

Binio in notis. Quod Concilium fuit celebratum anno 400. Sed paulo post anno 402. Innocentius primus episcopus. 1. cap. 3. ampliorē dedit facultatē Presbyteris, ut siue extra Episcopum, siue presente Episcopo baptizent, possint verticem baptizati linire; frontem tamen solis reseruare Episcopis.

15 Ad argumentum ergo respondet D. Thomas art. 11. ad 3. quod sicut Rabanus dicit lib. 1. de institut. Clericor. cap. 31. relatus de Consecratione dist. 3. cap. 5. Signatur baptizatus Chrismate in summitate capitis per sacerdotem; per Pontificem vero in fronte, ut in priori unctione significetur super ipsum Spiritus Sancti descensio ad habitationem Deo consecrandam; in secunda quoque ut eiusdem Spiritus Sancti septiformis gratia, cum omni plenitudine sanctitatis, & scientiæ, & virtutis, venire in hominem declaretur. Nō ergo propter digniorem partē, sed propter potiorē effectum, hæc unctio Episcopis referuatur.

16 Dico secundo, quod Episcopus sit Confirmationis ordinarius minister, est de iure diuino, & ex necessitate sacramenti; ita ut si Presbyter propria auctoritate, illud tēter conficere, sit omnino irritum, & nullū. Hanc esse immediatē de fide, dicit Suarez disputatione 36. sect. 1. conc. 2. Aversa lect. 5. conc. 2. Soto vero dist. 7. art. 11. conc. 1. cum Vualdensi, dicit oppositum esse erroneum. Nūno autem art. 11. dub. 1. conc. 2. asserit oppositum esse temerarium, & proximum erroris, si non est error.

17 Probat Soto in primis ex Pontificibus Urbano, & Eusebio; verbis relatis a Diuo Thoma. Ibi. Nam si aliter presumptum fuerit, irritum habeatur, & vacuum; nec inter ecclesiastica unquam reputabitur sacramenta. Et de Consecrat. dist. 4. c. Presbyteris. Et cap. Presbyteri. Et 68. dist. can. Presbyteri, & can. Quæuis. Idem habetur. Et Innocentius Magnus Papa Primus cap. 4. suorum Decretorum, dicit non solum haberi ex traditione Ecclesiæ; sed etiam ex historia sacra Actorum 8. nam baptizati à Philippo confirmati sunt ab Apostolis. Quo testimonio vtitur Author quæstionum veteris, & noui testamenti apud S. August. q. 101. Et S. Damascus Papa episcopus ad Leonem, & S. Leo episcopus 66. Et Ioannes Papa in Decreto ad vniuersos Episcopos Germaniæ, & Galliæ, eodem sacro testimonio eandem veritatem corroborat. Et Innocentius Tertius in c. Quanto, de Consuetudine, ait quod si Presbyter confirmat, inuoluntate id facit, & sine veritate in effectu. Idemque ait capite unico de sacra unctione. Et S. Iudorus libro 2. de origine officiorum. Et Hugo de S. Victo;

Victore libro 2. de Sacramentis par. 7. cap. 2.

18 Nec quidquam tollitur efficaciam huic probationi ex eo, quod iam diximus Apostolos illo loco Actorum 8. non ministrasse Confirmationis sacramentum, quia nec eius materia, aut forma vili leguntur; sed potius dedisse effectum sacramenti sine sacramento. Quia ut bene notat Suarez conc. 2. quidquid sit de signo externo, quoad effectum, & vsum, certum est illam impositionem manus Apostolorum habuisse vicem huius sacramenti. Vnde potius sumitur a fortiori argumentum: nam licet in vtu Chrismatis aliquid forte tunc sit dispensatum, nō tamen in ministro, seu conditione, & dignitate requisita in persona illius.

19 Basilius Pontius parte 4. cap. 2. numero 6. asserit; quod sententia asserens Presbyteros validè confirmare; sed illicitè; distaret ab errore Hæreticorum, qui æquè validè, & licitè, nulla petita Episcopi licentia, dicunt Presbyteros confirmare, ac posse consecrare corpus Christi. At vero hæc sententia exigit consensum Episcopi, ut licitè Presbyter confirmet ex diuina institutione; non tamen id exigitur ut valeat Confirmatio. Quæ valde distat ab errore damnato in Concilio Constantiensi.

20 Secundo asserit num. 7. quod ea sententia non videtur tuta. Quod probat primo ex antiqua, & perpetua Ecclesiæ traditione. Ad quam comprobendam expendit verba S. Clemens Romani lib. 3. Const. Apost. cap. 16. Et Canonem 38. & 77. Concilij Illiberitani, & Melchiadis Papæ in epist. ad Episc. Hispaniæ, & Eusebij Papæ episcopus 3. Et S. Damasi episcopus de Chorepiscopis, qui Presbyteri tantum erant. Et S. Leonis Primi episcopus 88. de eisdem. Innocentij Primi episcopus ad Decentium cap. 3. cuius verba refert S. Iudorus lib. 2. de Officijs Eccles. cap. 24. Et Ioannis Tertij in epist. 1.

21 Afferit etiam testimonia Conciliorum; nempe Hispalensis 2. can. 7. Et Parisiēsis sub Ludouico, & Lothario cap. 27. Concilium etiam Florentinum, docet aliquando ex Sedis Apostolicæ dispensatione id concessum Presbyteris exurgenti causa. Sed quod ex dispensatione fit, absque ea fieri non poterat. Ergo Presbyteri, tecluta dispensatione, potestatem non habent consignandi baptizatos in fronte. Concilium etiam Tridentinū sess. 7. can. 3. de Confirmatione, ait. Si quis dixerit, Sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum, non esse solum Episcopum, sed quemuis simplicem Sacerdotem, Anathema sit. Quod ma-

gis declarat Sess. 23. cap. 4. docēs Episcopos Presbyteris superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare; atque alia pleraque ipsos posse peragere: quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent. Sed non solum est illicita, sed inualida ordinatio sacra; quæ fieret à Presbyteris sine Papæ commissione; ergo non solum est illicita, sed inualida Confirmatio facta à Presbytero. Vnde & can. 7. de Sacramento Ordinis, ait Tridentinū illa sess. 23. vtrumque coniunxit dicens. Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem, &c. Anathema sit. Carent ergo Presbyteri potestate validè confirmandi.

22 Quod & docent SS. PP. Cyprianus episcopus 73. ad lubianum. Augustinus lib. 15. de Trinitate c. 26. Chrysost. hom. 18. in Acta. Epiphanius hæres. 21. initio. Beda Actorum 18. Iudorus lib. 2. cap. 24. Rupertus Abbas libro 3. de diu. offic. cap. 16. Hugo de S. Victore Miscell. lib. 5. cap. 37. Et lib. 2. de sacramentis par. 7. c. 2. Quorum verba refert Basilius cap. 2. n. 19.

23 Sed contra primam conclusionem arguitur ex Sacra Scriptura: nam i. ad Timotheum 4. dicit Apostolus ver. 14. Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyteri. Quasi manus Presbyteri sit manus impositio, quæ dicitur Confirmatio.

Actorum etiam nono Ananias, qui non erat Episcopus, sed vel Diaconus, vel Presbyter, mittitur ad confirmandum Paulum, cui dixit, imponens ei manus. Dominus misit me, ut videas, & implearis Spiritu Sancto.

Tertio obijciuntur S. Ignatij episcopi 13. & S. Ambrosij lib. 3. de sacramentis capite 2. qui dicunt: Spirituale signaculum, & septiformem Spiritum Sanctum dari ad inuocationem Sacerdotis. Et S. Hieronymus Dial. contra Luciferianos ait, baptizatos per manuum Episcopi impositionem accipere Spiritum Sanctum: Quam obseruationem dicit ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit, & multis in locis ita factum reperitur ad honorem potius Sacerdotis, quam legis necessitate. Ergo non est de legis necessitate, quod minister Confirmationis sit Episcopus.

24 Ad primum respondetur, quod ut notat D. Thomas ibi lect. 3. alia littera habet. Manuum presbyterij. Et hæc lectio sola nunc habetur in Biblijs correctis iussu Clementis octauj. Vnde illa particula non designa-

signat ministrum, sed modum, seu specie illius manus impositionis, quæ non fuit sacramentum Confirmationis, sed Ordinis.

25 Retinendo aliam lectionem, respōdet D. Thomas ibi cap. 3. lec. 1. initio, quod Presbyteri intelliguntur cum Episcopis: nō quod sit indistinctio inter Ordines, quantum ad rem, sed quantum ad nomina: quia Presbyter idem est, quod senior: & Episcopus superintendens. Et ideo Presbyteri, & Episcopi quantum ad nomen vocabantur, & Episcopi; & Presbyteri. Idem dicit ibi c. 4. & lec. 3. Et ad Phil. 1. lect. 1. initio. Et Quodl. 3. ar. 17. ad 1. & 2. 2. q. 184. ar. 6. ad 1.

26 Ad 2. responderet Soto disp. 7. ar. 11. §. Secundo adducit, quod illa manu impositione nullo modo fuit Confirmatio: nā præcelsit Baptismum Pauli: & ante Baptismum nullum recipitur sacramentum (nec habemus fundamentum ad affirmandum Deum pro illa vice in hoc dispensasse) sed fuit sanatio caritatis: iuxta verbum Evangelicum: Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Unde quod ait: *Vt videas; refertur ad salutem corporalem, quam illi contulit: Et impletis Spiritu Sancto ad Baptismum, quem subinde erat recepturus. Et forte curatio illa fuit per modum Exorcismi, qui super Energumenos præcedit Baptismum. Præterquam quod Ananias fortan erat Episcopus. Quia S. Augustinus q. 4. 2. de decem leprosis, ait. Paulum ad eum fuisse missum, ut illo Sacerdotio, quod in Ecclesia constitutum erat, sacramentum doctrinæ; si deique reciperet. Vbi Episcopale insinuat Sacerdotium.*

27 Patrum autoritates exponit Basilii Pontius cap. 1. nu. 6. & 10. dicens, quod nomine Sacerdotis intelligunt Episcopum. Et de S. Ignatio satis constat, quia de Episcopo expressè loquebatur. Nomen enim Sacerdotis olim specialiter accommodatum Episcopis: ut passim videre est in multis Concilijs Toletanis, & in S. Sidonio Appollinari lib. 9. epist. 3. ad Faustū. S. autem Hieronymus tantum indicat sacramentum Confirmationis non esse simpliciter necessarium, & ideo neque passim ab omnibus conferri; sed institutum ad honorem Sacerdotis: eo quod Episcopus, qui principem locum inter Sacerdotes tenet, honoratur, cum illud sacramentum confert baptizatis, veluti quidam Dux Christianæ militiæ. Quod autem alicubi hoc faciant Presbyteri, intelligendum ex dispensatione Papæ.

28 Contra secundam conclusionem obijcitur, quod cap. Presbyter, dist. 95. & c. Omni tempore, de Consecr. dist. 4. (qui sunt Cano-

nes collecti à Martino Bracharensi Episcopo) dicitur. *Presbyter, presente Episcopo non signet infantes; nisi forte ab Episcopo fuerit illi præceptum.* Idem docet Innocentius 1. epist. 1. cap. 6. loquendo de Energumenis, asserens, quod si non possint ad Episcopum referri, potest Episcopus præcipere presbytero, ut eos confirmet. Item in Concilio Arausicano 1. can. 2. dicitur. *Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderent, si desit Episcopus, à Presbyteris, cum Chrismate consignari placet.* In Concilio Toletano primo, c. 20. statutum est, *Diaconum non Chrismate, sed presbyterum, absente Episcopo, presente vero, non, nisi ubi ipso fuerit præceptum.* S. Ambrosius ad Eph. 4. ad illa verba: *Dedit quosdā pastores, & c. ait. Quod apud Ægyptios illa inuoluerit consuetudo, ut absente Episcopo, presbyter consignaret.* Et Author qq. veteris, & noui testamenti apud S. August. q. 101. ait. *In Alexandria, & per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consignat Presbyter.* Ergo non est de necessitate sacramenti Confirmationis, quod minister ordinarius sit Episcopus.

29 Respondet Soto ar. 11. §. Duo autem, hæc intelligi de signatione, quæ Sacerdotes faciunt in vertice: nā in primitiua Ecclesia, neq; illa erat licita presbyteris in præsentia Episcopi, ut habetur in epist. 86. S. Leonis Papæ, & in epist. S. Damasi. Sed Syluester illam concessit, ut ait Hugo de Sacram. li. 2. p. 7. c. 3. *Ne forte, inquit, per absentiam Episcopi, sine manus impositione baptizatum ab hac vita migrare contingeret. Quo verbo nemo fallatur intelligens Hugonem, velle illam vntionem valere pro sacramento Confirmationis: quando quidem capite præcedenti dixerat solis Episcopis, Apostolorum Vicarijs, illud sacramentum comperere. Sed voluit dicere illud esse permissum, ne sine baptizatus absque vilo Chrismatis signaculo decederet.* Hæc Soto. Eandem solutionem tradit Suarez disp. 33. sect. 1. in fine, & multis exornat Basilii p. 4. c. 2. à n. 20. vsq; 28. *Quamuis enim vntio ceremonialis à S. Syluestro presbyteris concessa fuerit; non tamē vt liceret in præsentia Episcopi, nisi de ipsius licentia.* Unde S. Leo illa epist. 86. alias 88. ait. *Sed neque coram Episcopo, licet presbyteris in Baptisterium introire; nec presente Antistite, infantē signare, aut signare.* Applicatio doctrinæ ad singulas autoritates, apud Basilium videri potest.

**

§. III.

Ex commissione Papæ simplex Sacerdos licet confirmat.

30 Dico tertio, ex dispensatione, & commissione Papæ, simplices Sacerdotes valide, & licet possunt confirmare. Ita S. Thomas art. 11. ad 1. dicens, quod Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis; ex qua potest quædam, quæ sunt superiorū ordinum, committere quibusdam inferioribus; sicut quibusdam Presbyteris concessit conferre minores Ordines; quod pertinet ad potestatem Episcopalem. Ex hac plenitudine potestatis concessit Beatus Gregorius Papa lib. 3. Epist. 20. in fine, quod simplices Sacerdotes hoc sacramentum conferrent, quam diu scādalū tolleretur. Attulerat verba D. Gregorij, quæ habentur cap. *Pervenit; dist. 93. Pervenit quoque ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyteros tangere Chrismate eos, qui baptizati sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum veterem usum Ecclesiæ nostræ facimus. Sed si omnino de hac re aliquid contristatur; ubi Episcopi desunt, vt Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant, concedimus.* Idem docet S. Thomas in 4. dist. 7. q. 3. ar. 1. q. 3. & dist. 25. q. 1. ar. 1. ad 3. & Quodlib. vndecimo art. 7.

31 Est Theologorum cōmunis. Triginta, & quatuor refert; & sequitur Leander tract. 3. disp. 2. q. 2. & Angelus Maria Verricelli tract. de Apost. Missionib. tit. 7. q. 129. refert Authores quinquaginta sex. Sed non opus est singulos referre, quādo constat apud eos esse cōmunem. Imò Soto dist. 7. art. 11. §. *At profecto, ait, quod, qui de hoc ita modo hæsitaret, Ecclesiasticis sanctionibus aduersaretur.* Molseus to. 1. Summæ trac. 4. c. 2. n. 27. dicit hoc esse de fide. Quod etiam docet, & ex professo probat Basilii Pontius in Relec. p. 4. c. 3. n. 11. Quia Eugenius Quartus loquutus est definiendo: quia instructio Armenis fuit post magnam disputationem Patrum data. Et in illa continetur compendium orthodoxæ fidei, quam Romana tenet Ecclesia. Et hoc fuit traditum sacro approbante Concilio Florentino: quæ omnia testatur ibi Summus Pontifex. ¶ Nuño vero q. 72. art. 11. dist. 2. conc. 1. dicit oppositum esse temerarium. Et Henriquez lib. 3. c. 6. n. 4. dicit, quod post Concilium Florentinum, non caret temeritate, & est cōtra receptam sententiā Theologorum, & praxim. Et in comm. lit. n. ait. Sana sententiā, & certa in praxi est Papam Gregorium rite dispensasse. Quare temerarium

est rejicere dispensationem Gregorij Papæ in integro regno, quasi deceptum fuerit a prudentissimo Pontifice. Et quod opposita opinio hodie sit temeraria, ait Suar. disp. 36. lec. 2. in fine, & Verricelli n. 2.

32 Ratio à priori non est alia, quam voluntas Dei, & Christi instituentis. Quæ Ecclesiæ innotuit ex Apostolica traditione, de qua certificamur ex S. Clemente Apostol. Constit. lib. 7. c. 23. & S. Dionysio de Ecclesiæ hierar. cap. 5. & quia Concilium Florentinum factum S. Gregorij refert, & approbat: Cum enim dixisset ministrum Sacramenti Confirmationis fuisse Episcopum; subdit. *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili, & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem, Chrismate per Episcopum confecto; hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.* Significauit idem Concilium Tridentinum sess. 7. can. 7. de Confirmatione: nulla enim alia de causa dixit ministrum ordinum Confirmationis esse Episcopum, vt insinuat; quod extraordinarie, ex dispensatione Papæ potest Sacerdos esse minister.

33 Evaluationes, quæ adhiberi solent argumento desumpto ex facto D. Gregorij relato in cap. *Pervenit*, optime, & breuiter præcludit Soto illo art. 11. & ideo placet transcribere. Ait namque. Ad hoc vero Durandus aliter respondere nō potuit, quam quod D. Gregorius, cum homo esset, & non Deus, errare potuerit: cui, & Adrianus applaudit. Hoc autem profecto viris Catholicis, vt isti fuere, nā unum impingit. ¶ Sectus alia duo cōminiscitur globemata. Primum scilicet, quod fortan in primitiua Ecclesia non erat differentia inter Episcopum, & simplicem Sacerdotem: Attamen licet hoc Ambrosius super prætitatus, & Hieronymus super epistolam ad Titum dixerit, & refertur Can. *Oliv.* dist. 95. Nihilominus ante tempus Gregorij iam erat distinctio. Item, quia Gregorius in dicto cap. *Pervenit*; eandem insinuat distinctionem, dicens, quod ubi Episcopi defuerint, Presbyteri confirmate possint. ¶ Secunda eius Glotta est, quod creauit illos Presbyteros Episcopos ad illum effectum. Sed in hoc minus probabilitatis est. Primo, quia Papa non posset Episcopos ordinare absentes. Secundo, quia non potest eos ordinare ad vñ effectum, & non ad omnes: qui enim Episcopus est, omnibus fungitur episcopalibus functionibus. Tertio, quia nō solum illis singulariter id concessit; sed & alijs, ait, illis pro tempore succedentibus.

34 Adrianus ait, quod forsā non cōmissit illis sacramentum Confirmationis, sed sim-

Xy plla

placē vnctionē. At vero nec solutio hæc sustineri potest: nā cum permiserit chrismare in frōte, id ipsum est cōfirmare: aliās nō permisset nisi in vertice capitis. Præsertim, quod permittit id ipsū, quod antea prohibuerat, scilicet, Confirmationē. ¶ Alij dicunt, quod id tantū permittit tāquā impunitū ad videndum scandalū, vt meretricium. Sed neque hoc vllā habet veritatis effigiē: nā tunc illos fefelisset. Quare certissimum est id fecisse ex plenitudine potestatis. ¶ Sed vt rē cōcludamus, litē iam synodus Florentina diremit, approbā authoritate Apostolicæ Sedis, posse lacramētum hoc simplici sacerdoti cōmitti. Qua propter licet Scotus, & Durandus, & alij, qui prædictam Synodum antecēserunt, illam vt cumque opinionē defendere potuerint; mirandū tamen est de Adriano quomodo Decretū illud non legerit. Est ergo iam, nō solum opinio; verū & Ecclesię sanctio. Hæc Soto. Videatur Suarez lect. 2. conc. 1.

35 Nec solus S. Gregorius, sed alij Pontifices post ipsum, eadem potestatis plenitudine hoc ipsum concesserunt. Siquidē Leo Decimus in Bulla tertia apud Rodericum, concedit Fratri Ioāni Clapio, & Fratri Francisco de Angelis, in terris Infidelium in casu necessitatis (Episcopis in Prouincia non existentibus) cōfirmationis sacramentum, & ordinationes, vtque ad Minores Ordines ministrare. Et Adrianus 6. in Bulla prima, apud Rodriguez tomo secundo, ad Carolum Quintum Romanorum, & Hispanorum Regē, pro cōuersione Indorū, Prælati Fratrum Minorum amplissimā concedit auctoritatem: & n. 9. exprimit, quod præfata auctoritas extendatur etiam quoad omnes actus Episcopales exercendos, qui non requirunt ordinem Episcopalem: donec per Sedem Apostolicam aliud fuerit ordinatum. Similia concessisse Gregorium Tertiumdecimum pro Indijs testantur Henriquez lib. 3. c. 6. n. 4. lit. n. & Suarez to. 3. in 3. p. disp. 36. sec. 2. §. Hæc vero expositio. Petigianus in 4. dist. 7. q. 1. art. 13. Vincentius Candidus Apostolici Palatii Magister to. 3. disp. 1. ar. 10. dub. 5. Item idē Greg. 13. ex sententia Sacræ Congregationis concessit vt Abbates, qui asserunt se habere priuilegium confirmandi à Sede Apostolica, id agant cum consensu Ordinarij, vt testantur ex Armendariz, Barbosa de potestate Episcopi Allegat. 30. n. 5. & Verricelli q. 129. nu. 6. qui, & norat, quod Concilium Senonenſe in Decretis morum c. 38. supponit Abbates posse confirmare ex priuilegio Sedis Apostolicæ. Auersa etiam q. 72. sec. 5. conc. 3. docet, quod in Italia Abbas Sanctæ

Barbaræ Mātuanus facultatē à Sede Apostolica habere dicitur hoc sacramentū administrandi. Et Sacra Congregatio Cardinaliū Interpretum Concilij Tridentini circa se. 7. declarauit, posse ex Priuilegio Summi Pontificis hoc sacramentum etiam ab Abbatibus quibusdā ministrari. Admonet tamen Azor to. 2. lib. 5. c. 1. q. 6. n. 6. debere, nec solere Pontifices in hoc facite dispensare, sed solum pro Regionibus Infidelium, in quibus rari sunt Episcopi.

36 Hinc deducunt Cardinalis de Lugo lib. 1. responsorum Moralium dub. 6. & Verricelli dicto trac. de Missionibus tit. 7. q. 129. n. 10. quod licite, & conuenienter possit Summus Pontifex cōcedere, vt in quibusdā Prouincijs Indiarum, in quibus Episcopi non inueniuntur, sacerdos confirmet; adhibito tamen Chrismare ab Episcopo benedicto. Et præsertim quoad Iapones id rogant, & iuuant Manuel Sarmiento, & Mendoza tract. de Militia Euangelica c. 20. & seq. & Solorganus de Gubern. Indiarum to. 2. lib. 3. c. 18. n. 32. & 35. Quia ad conuenientiam talis cōcessionis non requiritur necessitas simpliciter, & absolute huius lacramenti; cū eius susceptio non sit de necessitate salutis: sed sufficit, quod talis cōcessio necessaria existimetur, vt incolæ alicuius Prouinciæ non careant hoc lacramento ex defectu ministri. Præsertim, quod simili causa, imò & maiori cū necessitate, id concesserint Pontifices numero præcedenti relati. Et in Neophitis, urgente persecutione, & consortio Infidelium, est specialis indigētia ad perseverādum in fide suscepta: quia vt ait Melchisedes Papa epist. ad Episc. Hispaniæ. In Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismū cōfirmamur ad pugnam; in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur.

37 Sed arguit Durand. illa q. 4. à n. 10. vtque ad 21. quia ex institutione Christi solus Episcopus est minister Cōfirmationis: ergo nullo modo simplex sacerdos ex commissione Papæ potest hoc sacramentum conferre. Antecedens constat, quia si Christus id non instituisset, quāuis Ecclesia id prohibuisset, aliter factum teneret, quamuis facies peccaret. Consequentia vero probatur: quia de integritate cuiuslibet sacramenti sunt materia, & forma, & minister. Sed Papa nil potest mutare circa formam sacramentorum, vel circa materiam: ergo nec circa ministrū. Igitur aut simplex sacerdos ex diuina institutione est minister Cōfirmationis; & tunc absque cōmissione Papæ potest eā cōferre: aut non est minister, sed solus Episcopus: & tunc ex quacumque cōmissione nihil potest. Secundo,

quando, Papa nequit facere, quod non sacerdos consecret corpus Christi, aut à peccatis absoluat, quia solis Presbyteris hoc Christus facere concessit: ergo si solis Episcopis concessit confirmare, etiam ex cōmissione Papæ alij non valent confirmare.

38 Secundo, dispensare illa sacramenta; quorum actus respiciunt corpus mysticum, aut conuenit Papæ, & Episcopis ratione iurisdictionis; aut ratione consecrationis: Nō ratione iurisdictionis: quia cum Papa electus; & Episcopus confirmatus habeant plenā iurisdictionem antequam sint consecrati, possent tunc hæc sacramenta dispensare; seu cōferre: quod falsum est. Ergo non conuenit eis ratione iurisdictionis, sed cōsecrationis. Sed ea, quæ consecrationem recipiunt, non consecrato committi non possunt, vt habetur cap. Aqua, quod est penultimum, de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris. Ergo Papa, vel Episcopus non possunt cōmittere non Episcopo, quod possit talia sacramenta conferre.

Tertio. Sicut in Baptismo confertur potestas suscipiendi sacramenta; sic in Ordine confertur potestas dispensandi ea. Sed Papa non potest facere, quod non baptizatus suscipiat sacramentum verum. Ergo non potest facere, quod non ordinatus illa ordinatione, qua quis accipit potestatem dispensationis Confirmationis, vel Ordinis, possit hoc sacramentum conferre. Mirum enim esset, si aliquis posset in actu respectu cuius non habet potentiam. Secundum autem D. Thomam art. 5. & 6. Character Ordinis, & Baptismi sunt potestates suscipiendi, vel cōferendi sacramenta. Ergo sicut sine potentia passiva collata per Baptismum, non valent alia sacramenta, ita sine potentia actiua data per consecrationem Episcopalem valent ministrare sacramenta, quæ hanc consecrationem exigunt.

39 Hæc, & alia Durandi argumenta sigillatim diluit Paludanus q. 4. à n. 33. vtque 50. sed præcipue n. 36. & Soto art. 11. §. Respondetur ergo docent, quod non eadem est determinatio, à Christo facta, sicut nec in materia, & forma, ita nec in ministris sacramentorum. Ex traditione ergo diuina, vsu Ecclesiæ, factis Pontificum, & communi doctrina Theologorum, nobis nota, asserimus Christum pro ministro essentiali huius sacramenti instituisse Sacerdotes abstrahendo, quod sint Episcopi, vel simplices Sacerdotes; pro ministris ordinarijs, instituit Episcopos, pro ministris ex cōmissione Papæ, simplices Sacerdotes. Pro suscipiendis autem alijs sacramentis, non dedit potestatem nisi baptiza-

tis; nec potestatem consecrandi, & absoluedi, nisi Sacerdotibus: quod ex Sacra Scriptura, & traditione suo loco ostenditur. Vnde in his, quæ ex voluntate libera Dei pendent, non probata simili institutione, non bene deducitur similis facultas. Per quæ facile omnia argumenta euanescent. ¶ Alio modo Basilius p. 4. c. 6. n. 6. explicat Christi institutionem, dicens, quod instituit Christus, vt ex vi ordinationis, & consecrationis, Episcopus in actu primo, proximè esset minister necessarius huius sacramenti, à nullius dispensatione, vel licentia dependens: At Presbyter est ex eadē institutione in potentia quadam remota ad confirmandum, ex vi suæ ordinationis, & in potentia proxima constituitur per dispensationem superioris legitimi. Et ideo nullo modo pertinet ad potestatem iurisdictionis, vt male asseruit Philippus Faber in 4. dist. 7. disp. 27. cap. 3. n. 32.

40 Addit Soto sol. ad 5. negandum esse eadem ratione posse Episcopum functionē Confirmationis suo Presbytero cōmittere: nam hoc pertinet ad plenissimam potestatem iurisdictionis vniuersalis Ecclesiæ, cui soli Christus rem tanti momenti commisit. Papa autem, sicut & generale Concilium eius auctoritate inditum; eadem vniuersalem Ecclesiam repræsentat. Ex quo fit, vt Papa electus antequam sit in Sacerdorem ordinatus, licet nequeat confirmare, posset tamen eandem functionem simplici Sacerdoti cōmittere. Quod, & cōmuniter notat nostræ sententiæ Authores. Vnde Nuño, & Serra ad 3. ait, quod Papa rite electus, antequam sit sacerdos, licet non possit cōfirmare, quia confirmatio est actus Ordinis; potest tamen potestatem confirmandi simplici sacerdoti cōmittere: quia ista cōmissio est solum actus iurisdictionis. Sicut Episcopus electus, & confirmatus à Papa, nondū tamen ordinatus sacerdos, potest Sacerdoti dare facultatem audiendi Cōfessiones, quas ipse audire nequit.

§. IV.

Nec Papa Diacono; nec Episcopus Presbytero, potest cōmittere vt valide cōfirmer.

41 **D**Ico quarto, nullus non Sacerdos, etiam Diaconus Cardinalis, etiam ex commissione Papæ, validè potest sacramentum confirmationis ministrare. A fortiori hoc docent cap. Quando, de Consuetudine: & Eusebius Papa epist. 3. ad Episcopos Tusciæ, relatus cap. Manus quoque, de Consecr. dist. 5. Docetq; D. Th. in 4. dist. 7. q. 3. ar. 1. q. 3. dicens, quod promouere ad illas perfectiones, quæ non respiciunt corpus Domini verum, sed solum corpus mysticum, potest à Papa, qui habet plenitudinē potestatis Pontificis.

rificialis, committi Sacerdoti, qui habet actū summū super corpus Domini verum: Non autē Diacono, vel alicui inferiori, qui non habet perficere corpus Dñi veri: sicut nec absolueret in foro pœnitentiæ.

42 Suarez disp. 36. lec. 2. conc. 2. dicit rem esse certam: quia ex Christi institutione agnoscimus Confirmationis ministrum ordinariū esse Episcopum, vt Concilia definiūt: & quod solus Sacerdos est in potentia vt ei possit committi hoc ministerium per Pontificem summum: hæc enim sola exceptio constat nobis traditione: quæ non potest firma, aut probabili autoritate ad inferiores extendi.

43 Idē probat Nuño art. 11. diffic. 2. cōcl. vlt. quia nunquā fuit facta talis dispensatio in Ecclesia. Vnde hæc est cōmunis sententia inter omnes Doctores Scholasticos. Cōgruētiæque D. Th. optima est: quia non expedit vt ille, qui non habet potestatem supra corpus Christi verum, habeat potestatem supra corpus Christi mysticum; eo quod omnis potestas, quæ est supra corpus Christi mysticū, oritur ex potestate, quæ est supra corpus Christi verum. Et ideo, qui nō est sacerdos, nullū sacramentum potest conficere (excepto Matrimonio, quod contrahentes habet per ministris: & Baptismo, propter eius maximā necessitatē.) Cū igitur Confirmatio sit sacramentū, & valde perfectum, non fuit conueniens, quod perficeretur à nō sacerdote. Omnesque congruētiæ assignatæ propter quas collatio huius sacramenti ordinariē referuatur Episcopis ob summam potestatem, à fortiori ostendunt, quod extraordinarie, & dispensatiue, nō nisi Presbyteris committi valet.

44 Dico quinto, Episcopi non possunt committere Presbyteris vt confirmant, non solū quia id est, à summo Pontifice sibi referuatum; sed quia iure diuino id est irritū, & inane, nisi Presbyteri confirmant ex cōmissione Papæ. Planè sumitur ex D. Thom. locis citatis numero 30. quia vt probet hoc posse concedere Papam, recurrit ad plenitudinem, & eminentiam potestatis: quæ est in solo Romano Pontifice Christi Vicario. Quare ita tenent Paludanus in 4. dist. 7. q. 4. n. 20. & Soto art. 73. ad 5. Victoria. n. 49. Candidus to. 3. disp. 1. ar. 1. sub. 10. & Authores cōmuniter, vt multis relatis, ostendunt Diana p. 8. tract. 1. resol. 5. Verricelli de Mission. tit. 7. q. 130. referens triginta sex Authores. Bonacina disput. 3. punct. 2. n. 8. Leander tract. 3. disp. 2. q. 3. Imò Valentia to. 4. disp. 5. q. 2. punct. 1. oppositam sententiam vocat *singularem, & remouendam*. Licet id dictum esse sine fundamento, cōtendat Basilius parte 4. cap. 4. n. 4.

45 Probat in primis, quia in Decreto Eugenij Quarti, vt specialis prerogatiua Sedis Apostolicæ refertur, quod per eius dispensationem aliquādo simplices sacerdotes confirmarent, clarè insinuans, nec concessū fuisse id ab alijs Episcopis, nec si concederetur, factum teneret. Secundo, ideo ipsi fatentur, quod benedicere, & consecrare Chrisma, solis competit Episcopis, quia traditione habemus nunquam alijs fuisse concessum. Ergo cum nunquam legatur Presbyteros ex Episcopis iurisdictione confirmasse; sed tantum ex sedis Apostolicæ dispensatione; signū est, quod ex Christi institutione habetur, quod solus summus Pontifex, ob tuam plenitudinem potestatis, possit constituere Presbyterum ministrum extraordinarium Confirmationis. Sicut solus summus Pontifex, non verò alij Episcopi, potest committere Presbytero vt conferat minores Ordines.

46 Tertio probatur ex Innocentio Tertio, cap. Quanto, de Consuetudine, vbi expresse prohibet presbyteris Constantinopolitanis (non assignat, quoad hoc, discrimē inter Græcos, & Latinos) sacramentum Confirmationis ministrare: quamuis se antiqua consuetudine defenderent: quam esse erroris fundamentum, & ad excusandas excusationes in peccatis, & ea diuturna consuetudine, ait peccatum non minui, sed auferri. Cōstat autem, quod non allegabant consuetudinem, quod Presbyteri Latini confirmarent: quia talis consuetudo, vel non erat; vel non erat diuturna. Ergo adhuc loquendo de Presbyteris Græcis, reprobatur, quod confirmant.

47 Item Innocentius Quartus in Epist. ad Episc. Tusculanum, Apostolicæ Sedis Legatum in Regno Cyprī, quam affert Quaranta verbo *Græcorum ritus*, in §. 4. ait. *Soli autē Episcopi consignent Chrismate in frontibus baptizatos: quia huius ritus nō debet, nisi per Episcopos exhiberi: quoniam soli Apostoli, quorum vires gerunt Episcopi, per manus impositionem, quæ Confirmatio, vel frontis Chrimate representat, Spiritum Sanctū tribuisse leguntur*. Loquiturque de Episcopis, & Presbyteris Græcis in Regno Cyprī commorantibus. Quare nullam admittit expositionem. Dicere autem Apostolicæ Sedis Legatum Decretum hoc non publicasse (vt responderet Basilius p. 4. c. 5. n. 14.) qua facilitate dicitur, reijcitur: quia Naldus, & Quaranta, Bullam non referrent, nisi esset publicata. Nec ponitur Bulla in Bullario cōmuni, vbi nulla Bulla non publicata refertur. Constat autē hanc Bullam Innocentij Quarti, haberi to. 1. & est 14. huius Pontificis in editione Lugd. anni 1655. fol. 126.

Clemens

48 Clemens etiam Octauus in Constitutione 34. quæ habetur to. 3. Bullarj folio 46. statuit, quod *Presbyteri Græci baptizatos Chrismate in fronte non consignent*. Et §. 1. ait. *Episcopi Latini, infantes, seu alios baptizatos à Presbyteris Græcis, de facto Chrismate in fronte consignatos, confirmant, &c.* Et §. 4. in fine. *Si Episcopus Latinus Græcum aliquem ordinare voluerit, qui à Presbytero Græco in Baptismo Chrismate in fronte de facto fuerit consignatus, debet illi antea confirmare, saltem sub conditione, &c.* Si autem Episcopi possent committere Presbyteris vt valide confirmarent, non præcipere Summus Pontifex iterum confirmare; sed pronūciasset dumtaxat, ne in futurum à Presbyteris confirmarentur.

Præterea Patres Concilij Florentini in Sess. 25. supponebant, tamquam certum, non posse Presbyteros ex sola cōmissione Episcopi confirmare; alioquin nō proposuissent Græcis eam questionem: *Cur non Episcopi, sed Sacerdotes, in vngant Sacro Oleo?*

§. V.

Soluuntur argumenta: quæ exponitur, an Presbyteri Græci valide confirmant?

49 Sed obiecit Martinus Ledesma. Nam quidquid potest Papa in tota Ecclesia, potest Episcopus in sua Diocesi; dummodo non expectet ad diffinitionem dogmatum fidei; neque ad vniuersale regimē Ecclesiæ; nec ut potestas Episcopi lege vniuersali, aut decreto Papæ coarctata. Ergo seclusa Pontificis prohibitione, & solo iure diuino attentato, potest Episcopus committere Presbytero vt confirmet. Quia, quod raro id fiat in hac necessitate occurrente, non expectat ad vniuersale regimē totius Ecclesiæ.

Respondet Valentia assumptum esse falsum; alioquin Episcopi possent dogmata fidei diffinire. Vel solum est vera, si intelligatur esse vera de his, quæ potest Pontifex in tota Ecclesia per vnum Ordinis; & Consecrationis Episcopalis, quam cum alijs Episcopis communem habet. Suarez, etiam disp. 36. lec. 2. §. *Secunda pars*. Dicit hoc fundamentum esse nimis falsum, & improbabile.

50 Bene tamen id reijcit Basilius p. 4. cap. 4. du. 6. & 7. Quia illam propositionem tradit lex iuris interpretes, & septē Theologi, quos ibi refert. Eoratio videtur manifestata: quia Episcopus est pastor Ordinarius in sua Diocesi, vt Pontifex in toto Orbe; quamuis illi subiectus Ergo in his, in quibus Pontifex non limitat eius iurisdictionem, habet potestatem ordinariam. Quæ est cōmu-

nis doctrina Authorū, quos retuli, & sequutus sum c. 4. Theol. Mor. q. 3. n. 11. Quamuis dixerim excipiedas res arduas; & eas quæ ad cōmunem gubernationē Ecclesiæ expectant.

51 Deinde, dispensatio in votis non pertinet ad consecrationē, sed ad iurisdictionē: siquidem competit ante consecrationē. Et tamen potest Episcopus in omni voto dispensare, nisi referretur aliquod votū. Item Episcopi olim varia impedimenta Matrimonij constituerunt, iuxta Victoriam, & Basiliū vbi in pra. Et lib. 6. de Matr. c. 1. n. 12. Olimque potest Episcopi in suis Diocētibz Religiones approbare, de quo ipse lib. 7. de Matr. c. 1. n. 21.

52 Alter ergo respondetur quod Episcopi in sua Diocesi non possunt res arduas, quia res difficiles, & negotia ardua Christi Vicario sunt referuata. Item, quæ expectant ad regimē totius Ecclesiæ, iuxta Pastorem totius Ecclesiæ referuantur. Ritus autem sacramentorum, præcipue circa ministrū, qui ex Christi institutione essentialiter exigitur ad sacramentū, pertinet ad regimē vniuersale. Et ideo nullius Episcopi autoritate variari potest: quia est contra ius diuinū; & contra vniuersalem Ecclesiæ consuetudinē; & contra statutū Concilij Tridentini Sess. 7. de Sacramētis in genere can. 13. vbi dicitur. *Siquis dixerit receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemnibus sacramentorum administratione, adhiberi consuetos, aut cōtēnēntes, aut sine peccato à ministris, prohibito, committi; aut in nouos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, Anathema sit*.

53 Secundo opponunt Armachanus, Ledesma; & Basilius, morem Armenorum, & Græcorum apud quos Presbyteri sacramentum Confirmationis exhibent. Respondet Vualdensis to. 1. c. 104. & Franciscus Turtianus lib. 3. Cōst. S. Clem. c. 16. & Stephanus Durandus lib. 1. de rit. Eccl. c. 20. n. 12. & Sotodist. 7. art. 11. §. *Postremo Armachanus*, non bene huc citari morem: nam Guido Carmelita inrer errores Armenorum, Vicesimū primū eū cōmemorat; quod sacramentū Confirmationis, & Extremæ Vnctionis negant.

54 Secundo respondet Soto, quod si talem habet morem, vt August. & Ambrosius de Aegyptijs referūt, non perficiunt sacramentum. Neque hoc mirū est, cū alijs multis sint erroribus complicati. Eorum enim abulum notauit Gregorius cap. *Peruenit*, ad Ianuariū Episcopum Constantinopolitanum: cū quibus ad euitandū scandalum dispensauit. *Quæ quidem forsā dispensatione hucusque contra Romanam manum decretum videntur*. Hæc Soto.

Xy 3

Quæ

55 Quæ videntur consona relatis Decretis Innocentij Tertij, & Innocentij Quarti, & Clementis Octauj. Item Gregorius Tertius decimus, vt refert Thomas à Iesu de conuersione omnium gentium lib. 7. cap. 7. tit. de Confirmatione, in Synodo Romæ celebrata, respōdit Maronitas, qui Ecclesiæ Hierosolimitanæ subsunt, iterum debere confirmari, si à Presbyteris sint confirmati.

Imò Suarez disp. 36. sect. 2. contendit, quod nunquam in Catholica Ecclesia fuit talis consuetudo, quod Episcopi concederent simplicibus Sacerdotibus facultatem confirmandi.

56 Hæc tamen omnia late impugnat Basilius Pontius in Relect. de Confirmatione parte 4. cap. 4. à num. 8. vsque ad 14. inde curans deducere dispensare posse Episcopos cum Presbyteris vt ministrent Confirmationem, nisi id sibi Papa referuasset. Totoque capite quinto deducere conatur Græcorum consuetudinem esse antiquissimam: quia S. Dionysij autoritate lib. de Eccles. hierarch. cap. 5. constat, quod est introducta, & accepta ab Apostolis. Approbataque in Concilio Florentino sect. 25. nam cum hæc quæstio esset proposta sexto loco. Ibi additur. *Hæc à Latinis obiecta, Mitylinensis canonice omnia, legi rimeque dissoluit: præterquam duas, de quibus Papa significauit Imperatori; cur scilicet, Matrimonia diuuantur, & Patriarcha non eligatur.* Et S. Antoninus, qui Concilio interfuit, refert, quod *Græci in ritibus suis, qui non important Hæreses, licet rationabiliores sint ritus Ecclesiæ Occidentalis, siue Romanæ, fuerunt permisi manere.*

57 Item Petrus Arcudius de sacramentis Ecclesiæ Orientalis lib. 2. cap. 15. §. Non placet. Et Angelus Maria Verricelli de Apostolicis Missionibus to. 1. tit. 7. q. 131. dicunt certum esse hodie Presbyteros Græci ritus, præsertim in Oriente, valide, & licite confirmare posse, ex delegatione expressa, vel tacita Romani Pontificis in Concilio Florentino. Addit tamen, quod Græci Presbyteri in Italia commorantes, non possunt nec licite, nec valide confirmare: quia id illis expresse prohibuit Clemens Octauus 31. Augusti Anni 1595. quam Bullam referunt Arcudius lib. 2. capit. 16. in fine. Et Thomas à Iesu de Conu. omnium gentium lib. 6. parte 2. cap. 7. Imò habetur in Bullario Magno, vt retulimus n. 48. Imò addunt, quod si in aliqua Ciuitate Bulla non fuit publicata, vel non fuit vsu recepta, valide confirmarent: quia ex benigna Summi Pontificis mente præsumendum est, nolle ipsum reuocare facultatem

confirmandi, concessam ab Eugenio Quarto Græcis Presbyteris, donec in Prouincia eius Bulla publicetur, & vsu recipiatur.

58 Cæterum, quia concessio Eugenij Quarti non affertur specialis, & specifica: & alij Summi Pontifices nominatim, & vniuersalissime pro Latinis, & Græcis, vbique degentibus, talem consuetudinem vt abusum, & erroris fomentum, reprobant; ideo ius clarum est, quod nisi adsit consensus Pontificis inualide à Presbyteris sacramentum ministratur. Factum autem est satis dubium, & mihi ignotum, an talis consensus adsit. Nec in dubio facile præsumitur pro Græcis, de quibus S. Bernardus libro tertio de Consideratione. *Ego addo, & de pertinacia Græcorum, qui nobiscum sunt, & non sunt, iuncti fide, pace diuisi. Quamquam & in fide ipsa clauderint à semitis rectis.*

59 Tertio opponunt autoritatem S. Clementis Romani lib. 7. Apost. Const. cap. 23. dicentis. *De Baptismo autem Episcopi, aut Presbyter, iam ante constitutum, ac nunc rursus dicimus: Vnges prius Oleo Sancto, deinde baptizabis aqua, postremo signabis unguento Chrismatis, vt sit oleum unctionis participatio spiritus: aqua symbolum mortis, unguentum Chrismatis, sigillum passionis.* Ergo ad Presbyterum baptizantem pertinet signare Chrismate baptizatum, ei que conferre Confirmationis Sacramentum ex delegatione Episcopi.

Possit responderi sensum esse, quod Presbyter baptizet; Episcopus vero ungat antea oleo Catechumenorum, & deinde baptizatum Chrismate confirmet, prout expresse tradit idem S. Clemens lib. 3. cap. 16. dicens. *Tu igitur Episcopi vnges Oleo Sancto caput eorum, qui baptizantur, siue viri sint, siue mulieres, in typum spiritualis Baptismi. Deinde aut tu Episcopi, aut Presbyter tuis, qui sub potestate tua est, facta super eos nominatim sacra inuocatione Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, baptizauit. Postea Episcopus baptizatos Chrismate ungat.* Vnde Basilius Pontius parte 4. cap. 2. nu. 4. & 8. & nu. 28. dicimus ex tribus actionibus quarum meminit S. Clemens, aliquas pertinere ad Episcopum, & Presbyterum, aliam ad solū Episcopum: & ideo accipiendas esse iuxta distributionem accommodam. Imò perpendum est, quod S. Clemens in prioribus verbis, cum agit de Baptismo, coniungit Episcopum, & Presbyterum; non tamen cum agit de Confirmatione.

Sed contra est, quia, vt ex contextu patet, S. Clemens lib. 7. loquitur quando Presbyter absente Episcopo baptizat: & tunc idem baptizat, & confirmat. Ait enim. *Episcopi*

pe, aut Presbyter, vnges prius Oleo Sancto, deinde baptizabis aqua, postremo signabis. Ergo nisi vis verbis inferatur, tres isti actus ab eadem persona Presbyteri præstandi sunt. At vero lib. 3. aperte loquitur quando Presbyter baptizat præsentem Episcopo, tunc utique Episcopus, qui est ordinarius minister Confirmationis, debet signare.

60 Quinque Expositiones huius autoritatis refert, & impugnat Verricelli de Missionibus tit. 7. q. 130. lect. 2. à nu. 7. vsque ad 13. Et sect. 3. num. 26. respondet, quod cum Presbyter ante S. Syluestrum, neque venticem ceremoniam Chrismatis unctione linire possent, quomodo putandum est S. Clementem Romanum lib. 7. cap. 23. Concilium Toletanum 1. can. 20. dedisse facultatem unguendi frontem, & confirmandi? Ergo S. Clemens Romanus intelligi debet de unctione Chrismatis facienda per Episcopum. Alioquin si S. Clemens id concessisset Presbyteris, non fuisset id primo concessum à S. Syluestro, vt iam supra diximus. Neque Innocentius Primus, Leo Primus, Melchisedes, Urbanus Primus, & Eusebius Papa epist. 3. id seuerè prohibuissent Presbyteris, quibus id concessisset S. Clemens Romanus.

§. VI.

Vtrum Religiosi in Indijs possint confirmari?

61 Sed inquires, vtrum nunc Regulares in nouo Orbe habeant à Sede Apostolica priuilegium confirmandi, in absentia Episcoporum?

Afferunt Ioannes à Cruce lib. 2. de statu Relig. cap. 5. dub. 1. conc. 4. & dub. 9. cœc. 2. Quintanaduenas to. 1. tract. 2. singulari 5. & 6. & Pellizarius in Man. Reg. 2. tract. 8. cap. 4. n. 88. afferunt aliqua ex priuilegijs relatis §. 3. n. 35.

62 Negant tamen Regulares Missionarios habere priuilegium confirmandi; sed quæ concessa sunt priuilegia, afferunt fuisse personalia, atque adeo cum persona extincta, & incommunicabilia, Thomas à Iesu, de conuersione omnium gentium in fine, in Cœpædio priuilegiolorum, verbo *Confirmatio*. Miranda in Manuali Prælatorum to. 1. q. 44. artic. 2. in fine dicens. *Se in nullo compendio Priuilegiolorum aliquod priuilegium quoad Confirmationis sacramentum legisse.* Vide tur colligi ex Arcudio lib. 2. de Sacram. Ecclesiæ Orientalis c. 15. §. *Nec defuerunt.* Suarez to. 3. in 3. p. disp. 36. lect. 2. Sarmiento de

militia Euangelica c. 20. Solozano de Iure Indiarum tom. 2. lib. 3. cap. 18. nu. 31. vt refert; expendit, & sequitur Verricelli de Missionibus tit. 7. q. 132. per totam. Quia non legimus Religiosos, qui in Indijs, & in Iapone plures conuerterunt ad fidem, vsos fuisse huiusmodi priuilegio: quamuis regiones fuerint remotissimæ, & Episcopis multis annis caruerint. Non est autem verisimile, quod tot viri sanctissimi, & doctissimi, si tale priuilegium haberent, eo vsu non fuissent: cum enim hoc sacramentum det vires ad confirmandam fortiter fidem coram tyranno, nulli est maior eius necessitas, quam in ijs locis, vbi frequenter feruet persecutio. Quotidie etiam Sacra Congregatio de propaganda fide, Missionarijs largitur multa priuilegia; præsertim consecrandi altariola, & Calices. At priuilegium confirmandi ferè nunquam. Quod ipse, inquit Verricelli, testari possum, ex multis priuilegijs Missionariorum, quæ sæpè vidi.

63 Nec obstant Priuilegia relata, siquidem omnia fuerunt personalia. Nam Ioannes Vigessimus Secundus solum communicat priuilegia: *ijs, qui cum dictis fratribus transire voluissent.* Quare solum communicat priuilegia illis determinatis socijs eorum fratrum, ad quos litteræ nominatim dirigit. Leo Decimus nominatim priuilegium concedit Fr. Ioanni Clapion, & Fracisco de Angelis, ad eorum vitam, ac aliorum quatuor ab ipsis deputandorum. Quando autem in priuilegio nominatur persona, præsumitur personale; nisi aliæ graues urgeant cõiecturæ. Alexander cons. 86. vol. 1. Ancharanus cons. 327. n. 2. & 7. Personale autem priuilegium vni, vel pluribus Religiosis concessum, non communicatur alijs, neque eiusdem Ordinis Religiosis. Portel de dubijs Regul. verb. *Priuilegium* n. 21. Pellizarius tom. 2. tract. 8. cap. 1. lect. 3. n. 44. Lezana verbo Priuilegiu nu. 4.

64 Bulla etiam Adriani sexti in ea generali concessione, non comprehendit sacramentum Confirmationis: nam in generali concessione non veniunt, quæ sunt specialiter nota digna; nisi fiat de eis specialis mentio. Neque concessio generalis comprehendit in specie prohibita; sicut est prohibita Presbyteris Confirmatio. Neque in generali concessione veniant, quæ difficiliter concedi solent. Crauzza cons. 387. n. 13. Præterquam quod cum verba dubia sint, non poterit Missionarius cum dubia potestate ministrare sacramentum, præsertim non necessarium simpliciter ad salutem. Quare ita omnino

nino practicandum, & consulendum. Expo-
diret ramentum, quod pro aliquibus remotissi-
mis regionibus hæc facultas Religiosis à Se-
de Apostolica concederetur, vt iam diximus.
num. 36.

§. VII.

Quid requiratur vt Episcopi licite ministrent
Confirmationem.

65 Certum est apud omnes, quod Episcopi iure diuino tenentur ad ministrandum sacramentum Confirmationis sibi subditis. Quod notant Syluester verbo Confirmatio num. 2. Et Nuño ar. 8. dub. 3. conuict. Et Suarez disp. 32. sect. 2. & alij, quos refert Leander tract. 3. disp. 2. q. 7. Vnde peccaret mortaliter si longè tempore huius sacramenti ministracionem omitteret, quia priuat oues, quas pascere tenetur, vtilitate maxima; & oportuno, & aptissimo remedio ad conseruandam fidem, & gratiam, & eam augendam.

66 Addunt Barbosa de potestate Episcopi Allegat. 30. n. 10. & Castrus Palaus tractatu 20. puncto 9. num. 1. obligatum esse Episcopum ad loca præcipua suæ Diocesis gratia conferendi Chrismatis accedere: quia si solum in Cathedrali ministraret Confirmationem, plures ex Diocesi sine hoc sacramento remanerent. Præcipue in Episcopatus Hispaniæ, quorum quilibet tot populos, adeo inter se distantes, complectitur. Debet ergo ad loca, saltem præcipua accedere, quo regulariter omnes confluere commode possint. Nec tenentur confirmandi, aut eorum curam gerentes, nec Ecclesiarum rectores ad Episcopi expensas: quia vt huic, & alijs obligationibus pastoralibus Episcopi satisfaciatur, solutione decimarum à populo aluntur.

67 Ex dictis autem de sacramentis in genere q. 64. constat, quod minister huius sacramenti debet esse in gratia, & habere intentionem, saltem virtualem faciendi, quod facit Ecclesia; & obseruare ritus, de quibus sub. 12. Specialiterque tenetur vti Chrismate eo antea consecrato: & sine virginti necessitate antiquo vtens non excusatur à peccato mortali, sicut colligunt Doctores ex Fabiano Papa epist. 2. & ex cap. Si quis de alio, de Consecrat. Dist. 4. & cap. Quoniam, de sententia excommunicationis in 6. Strictiorque hæc est obligatio, quam in ceremoniali vnctione Baptismi, quia diximus vnctionem Chris-

matum esse materiam essentialem confirmationis.

68 Existimarunt autem Magister in 4. dist. 13. c. 4. & dist. 25. Et Glossa in cap. Accedens, dist. 50. quod Episcopi hæretici, degradati, vel excommunicati, non possunt valide confirmare: nam Innocentius Primus epist. 18. cap. 3. de Hæreticis, ait. *Eis solum Baptismum ratiū esse permittimus.*

Merito tamen Doctores communiter affirmant Confirmationem ab eis valde ministrari, eo quod characterem retinent, & ordinem, in quo hititur potestas confirmandi; licet peccent, quia indignè ministrant. De quo latè Nuño ar. 11. dub. 3. Ledesma cap. 9. post 7. cone. Suarez disp. 36. sect. 3. & alij communiter.

69 Quamuis autem Ledesma, & Suarez, & Bonacina puncto 2. n. 1. & alij nulli dicant peccare grauitèr Episcopum, si in aliena, vel propria Diocesi confirmet aliquem non sibi subditum, quia ad licitè ministranda sacramenta requiritur iurisdicctio, quæ respicit proprios subditos.

70 Tamen iam communiter Authores, quos referunt, & sequuntur Diana 2. p. tract. 17. res. 17. & 3. p. tract. 4. res. 24. & 4. p. tract. 4. miscell. res. 50. Et Leander tractatu 3. disp. 2. q. 8. Et Aueria q. 72. sect. 5. §. 5. Et Castrus Palaus puncto 9. n. 7. dicunt hoc solum esse verum, si contradicente, aut non consentiente alio Episcopo id faciat. De facto tamen non peccare, quia proprii Episcopi adest interpretatiuus consensus: qui constat ex praxi rationabili: quia cum hinc sacramentum non detur nisi certis temporibus, & cum magno intervallo, & non sit de necessitate, suis subditis permittunt, vt quoties habeant commoditatem, percipiant. Ideoque si habeant litteras dimissorias ad Ordines, si non sint antea confirmati, censentur dare facultatem vt confirmentur, quia Confirmatio supponi debet ad Ordines.

DVBIVM XII.

Vtrum ritus huius sacramenti sit conueniens?

1 Respondet D. Thomas art. 12. quod Dominus Mathæi 18. fidelibus suis promissit, dicens: *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et ideo firmiter tenendum est, quod ordinationes Ecclesiæ dirigantur secundum sapientiam Christi. Et propter hoc certum esse debet, ritus, quos Ecclesia obseruat in hoc, & in

in alijs sacramentis, esse conuenientes. In his S. Thomæ verbis facile perpendi potest in quanta veneratione habuerit ceremonias, etiam accidentales, ab Ecclesia ordinatas, & quanta asseueratione affirmet in his Ecclesiæ dirigi secundum sapientiam Christi. Ex quo, & hæretici Recentiores confurantur: & fideles instruantur, & eorum excitatur deuotio ad reuerenter, & decenter, non solum sacramenta, sed & sacramentalia exercenda.

2 Ad idem intentum in Concilio Aulianensi relato cap. *Vt ieiuni, de Consecratione, dist. 5.* statutum fuit vt confirmandi ieiunij ad confirmationem veniant. Et in Concilio Meldensi relato ibi cap. *Et vt Episcopi, etiam statutu est vt ministraturi Episcopi non nisi ieiunij, per impositionem manuum Spiritum Sanctum tradant.* Quod exponens D. Tho. ad 2. ait, quod ab illa prohibitione excipiuntur infirmi, & morte periclitantes; sicut in statuto Meldensis Concilij legitur. Et ideo propter multitudinem fidelium, & propter pericula imminetia, sustinetur vt hoc sacramentum (quod non nisi ab Episcopis dari potest) etiam à non ieiunij detur, vel accipiatur: quia vnus Episcopus (præcipue in magna Diocesi) non sufficeret ad tot homines confirmandos, si eis tepus artatur. Vbi tamen congrue obseruari potest, conuenientius est vt à ieiunij detur, & accipiatur.

3 Addit Caietanus, quod circa ieiunium tam confirmatoris, quam confirmandi, seruanda videtur cuiusque Ecclesiæ consuetudo: hoc enim est de iure positiuo. Et in paucis fortè Ecclesijs seruatur, propter rationes D. Thomæ, scilicet, propter multitudinem confirmandorum, quos simul oportet confirmari, & se paratim quandoque propter continuum periculum incertæ mortis, adiuncta maxima incommoditate habendi Episcopum ad votum. Imò Soto art. 12. absolute ait, quod propter multitudinem fidelium, qui non possunt breui tempore confirmari, *Mos ille iam aboleuit, & Confirmatio fit, tam à prandio, quam ante prandium.* Quæ est communis Doctorum sententia, vt redecim relatis, ostendit Leander tract. 3. disp. 2. q. 12.

4 Quantum ad locum, Nuño q. 72. art. 12. circa finem, §. *Secundus ritus*, ait. Michi certum videtur, quod sit mortale peccatum conficere hoc sacramentum extra Ecclesiam, sine magna necessitate. Patet. Excellentius est hoc sacramentum, quam Baptismus, sed peccatum mortale est baptizare aliquem extra Ecclesiam sine necessitate: ergo etiam confirmare. Secundo probatur ex vniuersali consuetudine totius Ecclesiæ:

quæ in re graui obligat sub peccato mortali.

5 Contrarium docent Paludanus in 4. dist. 7. q. 3. ar. 3. Syluester verbo Confirmatio diuina q. 4. cōc. 5. & Suarez disp. 37. sec. 2. §. *Secundo notari*, censet hoc esse probabile, quia nihil inuenitur sub præcepto præscriptum. Quod & refert, & aprobare videtur Granados tract. 4. disp. 2. nu. 3. Vnde non bene Suarez, & Granado pro prima sententia referuntur a Leandro tract. 3. disp. 2. q. 13. vbi hanc dicit probabiliorem, & refert pro ea decem Doctores. Alios referunt, & sequuntur Barbosa de potestate Episcopi Allegat. 30. num. 13. Castrus Palaus de Confirmatione punct. 10. nu. 6. dicentes ministrari posse in loco decenti extra Ecclesiam, scilicet in Oratorio Episcopi. Nec consuetudo confirmandi in Ecclesia est introducta nisi ex maiori decentia.

6 Notat autem Syluester ea q. 4. cōc. 4. quod potest ministrari tempore interdicti, sicut potest dari Baptismus, & Chrisma confici cap. *Cum ex eo*, & cap. *Quoniam, de sententia excommunicationis* in 6. Sermoque est de ministracione solemnij, & ianuis apertis: de quo Nauarrus cap. 27. n. 178. & Barbosa plures referens 2. p. Alleg. 31. n. 23. & 25.

7 De alia consuetudine caremonia, sic ait Soto dist. 7. art. 12. Ceterus autem, qui offertur, nonnulla religio est; sed ramè eius omisso nullum esset peccatum. Sicut neque non dare alapam. Mos enim ille, vt supra diximus, non tam ob id introductus est, vt confirmatus memor sit semper sacramenti: quæ vt admoneatur illud suscipere ad pugnam, vt inde discat contumelias, & plagas pro Christi nomine perferre. Hæc Soto. Et alij frequenter, quos refert, & sequitur Leander tract. 3. disp. 5. q. 12. & 13. Quæuis alijs probetur, quod ait Syluester verbo *Confirmatio diuina* q. 4. conc. 1. quod alapa datur, vt melius paruuli recordentur susceptionis sacramenti: quod nequit iterari. Et Ledesma de Confirmatione cap. vltimo in fine. Saa nu. 10. & Bonacina nu. 19. dicant esse peccatum veniale omittere alapam, vel cereū. Quod, & indicat Palaus punct. 10. nu. 10. Vbi & eū Suarez disp. 37. sec. 2. in fine obseruat, quod carei accensu, nec Pontificale Romanū, neque alij antiqui Authores meminerunt: sed solum consuetudine est introducta.

8 Huius caremonia alia ratio assignatur à Laurentio Beyerlinch in Teatro vitæ humanæ, verbo *Confirmacionis caremonia* num. 5. dicente. *Confirmato Episcopus leuem alapam infligit, dicens, Pax tecum: in signum,*

signum, quod is iam factus Christi miles, debeat incipere pro illius nomine ferre opprobria. Nisi dicamus, quod sicut Princeps, dum aliquem in numerum Equestris Ordinis suscipit, ense cervicem, vel scapulas tangit, insignum, quod caput, & vitam pro sui Principis salute debeat exponere: Sic etiam Ecclesiastici Principes hoc ritu suscipiunt baptismum in numerum Equitum spiritualis militiæ, & ad contumelias pro Christo ferendas aptant.

9 Quod attinet ad benedictionem, seu consecrationem Chrismatis, S. Thomas ar. 12. ad 3. ait, quod sicut ex Concilio (aliàs ex decreto) Martini Papæ, De consecratione dist. 4. cap. *Omni tempore*, habetur, omni tempore licebit Chrisma cōficere. Sed quia solemnis Baptismus, ad quē requiritur vltus Chrismatis, in Vigilia Paschæ celebratur; cōgruè ordinatum est, vt per biduum ante ab Episcopo Chrisma benedicatur, vt possit per Diocesim destinari. Dies etiam ille satis cōgruit ad materias sacramentorum benedicendas, in quo fuit Eucharistiæ sacramentū institutū, ad quē omnia alia sacramenta quodammodo ordinantur, sicut supra dictum est q. 65. ar. 5.

10 Obseruat autem Basilius Pontius in Relezione de Confirmatione par. 6. cap. vnico num. 5. & 6. quod in hoc diuersa Latinorum, & Græcorum consuetudo fuit. Nā apud Græcos, nec cæteri Græcorum Pontifices Chrisma conficiunt eo die: sed dumtaxat Patriarcha Constantinopolitanus; à quo reliqui accipiunt, & suis Presbyteris distribuunt. Quo indicatur eum, à quo Chrisma cæteri acceperint, illis superiorem esse. Atque hac de causa Romana Ecclesia olim, antequam deficeret ab ea Orientalis, mittere Chrisma solita erat Constantinopolitanis. Qua Chrismatis deferendi occasione abusi nonnulli in vtilitatem suam, antiā calumniæ Græcis præbuerūt. Id quod in tractatu aduersus Græcos quidam ex Dominicana Familla, cuius liber manuscriptus extare dicitur in Vaticana Bibliotheca n. 4066. testatur accepisse se, cum de causis dissensionis cum Græcis ageret. Tertia, inquit occasio fuit illa, quam ipse, aliique in familiari colloquio nobis assignauerunt; videlicet, superba nimis exactio Legatorum Papæ. Dicebant namque quod quando Summi Pontificis Capellani, ab ipsa Sede Apostolica, annuatim Constantinopolim Chrisma deferēbant, nisi octuaginta libræ auri à Clero, & populo Urbis, post alia dona, & munuscula,

eisdem impenderentur; non recedebant.

11 Poterat istis peruersis ministris obijci illud S. Bernardi lib. 3. de Consideratione ad Papam Eugenium. *Eunt, & redeunt per medium ulorum; aut transeunt secus. Sed quid boni adhuc cum illis egerint, nec dum audiuimus. Et forsitan audiuissimus, nisi præauro Hispaniæ salus populi viluisset. Tuum est (loquitur cum Summo Pontifice) & plagæ huic remedium providere; &c.*

12 At apud Latinos singuli Episcopi in suis Ecclesijs Chrisma conficiunt; & ab illis Presbyteri eo die Chrisma accipere, cōstat in primis ex Concilio Valentino Gallie Decreto 6. à Seuerino Binnio, ex Decretis Gratiani, & Hugonis, nouissimè adiecto. *Presbyteri, qui Diocessanas Ecclesias regunt, non à quibuslibet Episcopis, sed à suis: non per iuniorum Clericum: sed per se ipsos, aut per illum, qui eiusdem Ordinis sit, ante Paschæ solemnitate Chrisma petant. Concilium Basense secundum cap. 3. Per singula territoria ministri, vel presbyteri ab Episcopis (non prout libitum fuerit) à vicinioribus, sed à suis proprijs, per annos singulos, petant Chrisma; appropinquante solemnitate Paschali. Nec per quemcumque Ecclesiasticum; sed si qua necessitas, aut ministrorum occupatio est, per Subdiaconum: quia inhonorum est inferioribus summa committi. Optimum est autem, vt ipse suscipiat, qui in tradendo usus est. Si quid autem obstat, saltem is, cuius officium est Sacramentum disponere, & sacramenta suscipere. Ex quibus cōstat, nonnumquam ipsum Chrisma ad Presbyterum transmissum. Deinde presbyteros, aut ijs morbo, vel alia causa impeditos, Diaconum, aut Subdiaconum, ad Chrisma accipiendum missos. Hæc ille.*

13 Admonet etiam D. Tho. in 4. dist. 7. q. 3. ar. 3. q. 2. quod cum frons sit locus nudus, & patens; & idè de facili sordes contrahens; cum decens sit vt Chrisma seruetur ab omni inquinamento: idcirco ligatur frons confirmati, quo usque deficcet locus. Et postmodū, etiam secundum Hugonē lib. 2. de Sacram. c. 6. par. 7. debet esse sub quadam disciplina custodiendi Chrisma, nec scilicet, caput lauet usque ad septem dies, propter septē dona Spiritus Sancti: & sicut etiam Ecclesia septem diebus aduentum Spiritus Sancti in discipulos celebrat.

14 Quamuis hæc obseruatio decentissima sit, & congruat significationi, pro praxi tamen obseruandum, quod vitta qua ligatur frons confirmati, tādū sic retinenda est, quandiu fuerit cuiusuis loci cōsuetudo. Ali-

cubi

Heubi tribus diebus, alibi septem iuxta antiquum morem retinetur. Pluribus tamen locis statim post peractam Confirmationem, in fonte Baptismatis per ministros Ecclesiæ frons cōfirmati abluatur, & vitta deponitur, vt notant Suarez disp. 37. lect. 2. num. 7. Nūm. art. 12. circa finem. §. *Quintus ritus*, & alij, quos refert, & sequitur Castrus Palaus tractatu 20. puncto 10. n. 8. Vbi & addit, quod vitta deposita solet alicubi cōburi, & in profuentem mitti. Alibi lota asseruatur, vt in similem vsū n. deseruiat, vt refert Durand. in Rationali lib. 6. c. 84. n. 4. Barbola Alleg. 30. n. 25. Nāquam tamen ad profanos vsus applicari debet, quia sacri Chrismatis contactu quodammodo sacra fuit.

15 Miracula plura circa materiam Confirmationis, & eius effectus spirituales, & corporales, ex grauisimis Authoribus, re-


fert Laurentius Beyerlinch in Theatro vitæ Humanæ tom. 2. verbo Confirmatio à folio 370. Notandaque sunt verba Lactantij firmiani lib. 4. de vera Sapientia cap. 27. de Imperatoribus Gentilibus, sic dicentis. *Cū Dijs suis immolant, si assidet aliquis signatam frontem gerens (nempe Christianus confirmatus) sacra nullo modo litant: nec responsa potest consulte reddere vates. Et hæc sæpè causa præcipua iustitiam persequendi malis Regibus fuit. Cum enim quidam nostrorum sacrificantibus dominis adisterent, imposito frontibus signo, Deos illorum fugauerunt, ne possint inuisceribus hostiarum facu-*

ra depingere, &c. Et hæc de hoc sacramento, ad laudem Domini nostri Iesu Christi, & Deiparæ MARIÆ.

F I N I S.



INDEX



INDEX RERVM

NOTABILIVM PRIMI TOMI DE

SACRAMENTIS R.P.M.Fr.IOANNIS MARTI-
nez de Prado.

*Q. Questionem. D. Dubium. N. Numera-
rum designant.*

A



*D. Am non legitur obtulit
se sacrificium. q. 61. d. 2. n.
19. Qualiter illi loquutus
est Deus? Nu. 64. & 66.*

*Adam fuit caput etiā
ad transfundendam iusti-
tiā. q. 64. d. 3. n. 21. & 23.*

*Accidentia, qualiter definienda? Quæst.
60. dub. 6. num. 5. & d. 11. n. 19.*

*B. Alani de Rupe Ordinis Prædicato-
rum mirabilis visio. q. 64. d. 6. n. 22.*

*Angeli de lege ordinaria non sunt ministri
Sacramentorum. q. 64. d. 6. n. 2. Secus mi-
raculosè. n. 7. Si à bono Angelo ministrare-
tur sacramentum, esset ratum habendum.
n. 12. Quædam templa Angelorum ministe-
rio consecrata. n. 18. & 19. Sæpè Eucharistiā
Angeli ministrarunt. n. 20. Vinum consecra-
runt. n. 21. Scrupulos conscientiæ sedarunt.
n. 22.*

*S. Agustini autoritas exponitur q. 60. d.
2. n. 8. & 9.*

*Authoris intentum in Prologo nu. 7. & in
Dedicatoria.*

*Auxilium efficax non subditur arbitrio
nostro quoad vsum. quæst. 69. d. 3. num. 9.
& 10.*

B

*Balsamum verum an detur? q. 72. d. 2. n.
38. & 39. & 40.*

*Baptismus ianua sacramentorum. q. 66.
n. 1. Omnium Dei beneficiorum præclarissi-
mum. Ibi. Melius diffinitur per ablutionem,
quam per aquam. D. 1. §. 1. Supponit pro a-
blutione. §. 2. Ablutio est motus passivè re-
ceptus in eo, qui baptizatur. num. 16. & 19.
De alijs diffinitionibus Baptismi. §. 4. Baptis-
mus fuit institutus ante Passionem. d. 2. §. 1.
Quando Christus fuit baptizatus. §. 2. Præ-
ceptum fuit impostum post Resurrectio-
nem. §. 4. De fide est ad Baptismum requiri
verā, & naturalē aquā. D. 3. §. 1. Qualitercū-
que trāsmutetur, dum seruet speciem aque,
valet Baptismus. §. 2. Calus in quibus est du-
bium, an sit aqua ad baptizandum. §. 3. Fic-
titium est, quod Stephanus Papa permisit
in vino baptizare nu. 28. In aqua rosacea
non valet Baptismus. nu. 32. Forma Baptis-
mi. Dub. 4. §. 1. De forma Græcorū. §. 2. V-
trum sit necessaria in forma expressio mi-
nistri? §. 3. An debeat exprimi in forma actus
baptizandi? §. 4. An debeat exprimi perso-
na, quæ baptizatur? §. 5. De inuocatione
trium diuinarum personarum. §. 6. Vtrū suf-
ficient nomina æquivalentia? §. 7. Non est
Baptismus, dicendo, in nomine Trinitatis.
D. 5. §. 2. Nec modo valet Baptismus in no-
mine Christi. §. 3. Probabile est, quod num-
quam fuit validum. §. 4. Fuit validum ex spe-
ciali Dei dispensatione. §. 5. Numquam va-
let Baptismus sine verbis. Dub. 6. Immersio
non est de necessitate Baptismi. Dub. 7. §.
1. Trina immersio nõ requiritur, nec de præ-
cepto. §. 2. Vtrum immersioni debeat succe-
dere emerisio? §. 3. Vtrū sufficiat ablutio cu-
iuscumque minimæ partis? §. 4. Vtrum im-
mediatè debeat caro abluī? §. 5. De fide est
Baptismum iterari non posse. D. 8. §. 1. Qua-
ratio;*

*ratione Baptismus sub cōditione iterari pos-
sit? §. 3. Baptizati à laicis nõ sunt denuo bap-
tizandi. D. 8. §. 5. De infantibus expositis. §.
6. De Baptismo ab infidelib⁹ dato, an debeat
iterari. §. 7. Scieñter rebaptizatus, & rebap-
tizans, & ministrans ex officio, fiūt irregu-
lars. D. 9. §. 1. Debet rebaptizatio esse so-
lemnis. §. 2. Possunt exculari ab irregulari-
tate propter ignorantiam. §. 3. Debet rebap-
tizatio esse absoluta. n. 27. De dispensatione
irregularitatis. n. 29. De ritibus Baptismi. d.
10. De tempore, & loco Baptismi. d. 10. §.
2. De solemnitatibus repetendis. §. 3. De va-
ctionib⁹, & veste candida. §. 4. Peccatū est
morræ aqua non benedicta solemniter bap-
tizare. n. 40. Distinguntur tria Baptismata,
cum sacramentum sit vnum. d. 11. §. 1. Bap-
tismus sanguinis est excellentissimus. §. 2.*

*De forma Baptismi Græcorum. q. 60. d.
13. nu. 30. Baptismus dat primam gratiam.
q. 62. d. 6. nu. 2. De puero baptizante: & de
Baptismo Sancti Genesij. q. 64. d. 7. §. 4. Cle-
ricus non Sacerdos ministrans solemniter
Baptismum, peccat mortaliter, & fit irregu-
laris. q. 67. d. 1. n. 9. Probabile est, quod hæc
pœna non extenditur ad laicos. n. 12. & 14.
Sacerdotes sunt ministri Baptismi: sed debet
habere iurisdictionem vt licite faciāt. n. 15.
& 16. Monachi de licentia Parochi possunt
baptizare. nu. 22. & sine illa in India. nu. 23.
De ministro in casu necessitatis. §. 4. Quæ
culpa sit ordinem mutare? §. 5. Valet Baptis-
mus datus à nõ baptizato. §. 6. In nullo euē-
tu valet Baptismus, si vnus abluī, & alter ver-
ba profert. d. 2. §. 1. Plures vnū baptizātes,
vnum tantum faciunt sacramentum. nu. 23.
vsque 31. Baptismus datus a duobus sub illa
forma, nos te baptizamus, est inualidus. nu.
35. In necessitate vnus possit baptizare plu-
res. d. 2. §. 4. In solemnī Baptismo requiri-
tur patrinus. d. 3. §. 1.*

*Sine Baptismo non potest esse salus ho-
minibus. q. 68. d. 1. n. 4. Sanctificati in vtero
debent baptizari. nu. 10. Paruuli sine Bap-
tismo nequeunt saluari. d. 2. Adulti sine Bap-
tismo in re suscepto possunt cōtriti saluari. §.
4. Quale debeat esse votum Baptismi? §. 5.
De præcepto Baptismi. d. 3. Probabilius est
non obligare quam primum. n. 11. De præ-
cepto baptizandi paruulos. §. 4. Illis, qui ha-
bent voluntatem peccandi non est Bap-
tismus conferendus. d. 4. n. 3. Peccatoribus bap-
tizandis non sunt imponenda opera satisfac-
toria. n. 10. Nec debent, nec possunt ante
Baptismum, sacramentaliter absolui. n. 24.
vsque 30. Nec validum, nec licitum est sacra-
mentum Baptismi sine voluntate baptizan-*

*di. d. 5. §. 1. Sine recta fide baptizati valet
Baptismus. §. 2. Sufficit, & requiritur attri-
tio supernaturalis vt adultus iustificetur in
Baptismo. d. 5. §. 4. Infantibus licite mini-
stratur Baptismus. d. 6. §. 1. & 2. Filij infide-
lium non sunt inuitis parentibus baptizan-
di. d. 7. §. 1. & 2. Quando habeant vnum ra-
tionis? §. 5. De mancipijs, quod licite pos-
sint separari, & baptizari. §. 6. Vtrū ad hoc
teneantur fideles? nu. 45. vsque 49. Qualiter
monstrum debeat baptizari. d. 8. §. 1. Vtrū
ante natiuitatem aliquando valet Bap-
tismus? Ibi. §. 2. Furiosi, & amentes, & dormiē-
tes, an debeant baptizari. §. 3.*

*Baptismus delet omne peccatum. q. 69.
d. 1. §. 2. Et liberat ab omni reatu pœnæ. n.
9. Per baptismum non auferuntur pœnalita-
tes vitæ præsentis. §. 3. Per Baptismum con-
feruntur gratia, & virtutes. d. 2. §. 1. Etiam
infunduntur pueris. n. 6. Datur etiam exten-
sio gratiæ cū iure ad specialia auxilia. nu. 11.
Paruuli equalem effectū Baptismi recipiūt
adulti inæqualem iuxta dispositionem. d. 3.
§. 1. Inæqualitas gratiæ in Baptismo solum
ex inæquali dispositione. §. 2. De quantita-
te gratiæ Baptismi. §. 3. Fictio impedit effe-
ctum Baptismi. d. 4. §. 1. Ea ablata, dat suum
effectum. §. 2. & 3. De gradu, & inæqualita-
te gratiæ, quæ confertur. §. 4. Quæ peccata
deleantur per Baptismum recedente fictio-
ne. d. 5. Quæ dispositio requiratur vt Bap-
tismus recte susceptus habeat suū effectum. §.
4. Alia sacramēta, excepta Eucharistiā, cōfe-
runt suū effectū recedēte fictione. d. 6. §. 3.*

*Beati homines possunt sacramenta mini-
strare. q. 64. d. 6. n. 29. In Beatis non sunt sa-
cramēta. q. 60. d. 2. n. 15. & 16.*

C

*Catechismus est idē ac instructio in fide.
q. 71. n. 2. Est duplex n. 6. Debet præce-
dere Baptismum. n. 7.*

*Character vnde dicatur? q. 63. n. 1. & d. 1. n.
2. De fide est aliqua sacramēta characterem
imprimere n. 4. Quamuis non sit expressum
in Sacra Scriptura. §. 2. Expressum in Patri-
bus. §. 3. Antiqua sacramēta non dabant cha-
cterem. §. 5. Nec Regū inuictio. §. 6. Cha-
racter est aliquid reale inherēs. d. 2. §. 2. Nõ
est relatio, sed qualitas. §. 3. Non est habitus.
§. 4. Excluditur à tertia, & quarta specie qua-
litate. §. 5. Character est spiritalis potētia,
instrumentalis, physica. §. 6. Character non
est species representatiua. n. 96. Est signum.
d. 3. §. 1. Est propriè, & specialiter signum
Christi.*

Christi. § 2. Est signum naturale. § 3. Character definitio. § 4. Character non est in corpore, sed in anima. d. 4. § 1. Non immediate in essentia animæ, nec in vtraque potentia. § 2. Sed in solo intellectu. § 3. Est qualitas natura sua incorruptibilis, & signum ex se indelebile. d. 5. n. 4. Etiam post hanc vitam. n. 12. vsque 15. Est in omnibus æqualis. nu. 16. Imprimatur per tria sacramenta. d. 6. § 1. Characteres distinguuntur realiter. n. 12. Et specificè. n. 13. Character imprimatur secundario. d. 6. § 3.

Christus leius Dominus noster etiam pro vno solo paratus mori. q. 60. d. 2. n. 27. Concessit aliquibus effectus sacramentorum sine ipsis. n. 29. Per se ipsum determinavit materias, & formas sacramentorum. q. 60. d. 13. n. 11. Immediate sacramenta instituit. n. 15. Christus, in quantum Deus, sacramentorum institutor. q. 64. d. 2. § 2. Et in quantum homo. § 3. Vtrum sit de fide, quod immediate instituit? § 4. Christus non potuit omnem potestatem suam ministris communicare. q. 64. d. 3. n. 9. Poruit potestatem excellentiæ creaturis communicare. § 3. Vtrum Christus aliquos suis manibus baptizauerit? q. 66. d. 2. n. 7.

Ceremoniarum utilitas. q. 66. d. 10. § 1.

Circumcisione datur infallibiliter gratia. q. 60. d. 3. nu. 23. & q. 62. d. 7. § 3. In Arabia, & Persia mulierum circumcisio, sed non apud Iudæos. q. 61. d. 3. n. 23. Circumcisio fuit sacramentum. q. 61. d. 4. n. 7. Circumcisio tripliciter deficiebat a perfectione Baptismi. q. 62. d. 7. n. 63. Cur Deus dederit Circumcisionis præceptum? q. 70. n. 3. Semper in puero circumcissione adesse Eliam, fabulantur Iudæi. n. 4. Non licet circumcisio simul cum Baptismo. n. 6. Diuina lex non feminas, sed viros præcipiebat circumcidi. n. 8.

Clerici Ordinum minorum peccant mortaliter in mortali ministrando. q. 64. d. 4. n. 88.

Communio sub vtraque specie recte negatur secularibus. q. 60. d. 13. n. 31.

Concionatores non debent vti similitudinibus profanis. q. 60. d. 8. n. 6. & 7.

Confirmatio olim dabatur immediate post Baptismum. q. 72. n. 1. De fide est Confirmatio esse sacramentum. d. 1. § 1. Non est certum id haberi in Sacra Scriptura; nisi ad iungatur traditio Apostolica. § 2. Congruentia institutionis. § 3. Sacramentum Confirmationis immediate fuit institutum à Christo. d. 1. n. 19. Quando? n. 21. vsque 31. Non habuit in veteri lege aliud sacramentum huic correspondens. nu. 32. Christum est materia Confirmationis. d. 2. § 1. Probabilis est, quod

admixtio Balsami sit de essentia Christumatis. § 2. & 3. & 4. Certum est consecrationem materiam esse de necessitate sacramenti. d. 3. § 1. Vtrum Papa possit tolerare, vel variare benedictionem Christumatis? § 3. Vtrum solus Episcopus valeat Christum benedicere? q. 72. d. 3. § 4. Vnctio in forma Crucis est materia essentialis sacramenti Confirmationis. d. 4. § 1. Et quod fiat in fronte. § 2. Debet fieri pollice confirmatis. § 3. Vtrum aliaman? Impositio, distincta ab vnctione, essentialiter requiratur? § 4. Forma, qua vtatur nonnulli Græci in Confirmatione non est sufficiens. d. 5. § 1. & 2. Nisi iuxta modum, qui exponitur ibi. n. 30. & 49. Forma Ecclesiæ Romanæ. § 3 & 4. Confirmatio imprimatur Characterem. d. 6. § 1. & 2. Vtrum non baptizatus sit capax Confirmationis? § 3. Vtrum sit capax effectus Confirmationis? 683. Confirmatio dat gratiam sanctificationem. d. 7. § 1. Et sacramentalem. § 2. Definitiones, & varia nomina Confirmationis. d. 8. Omnes baptizati sunt capaces Confirmationis. d. 9. § 1. Vtrum sit præceptum de illo recipiendo? § 2. Vtrum expediat, quod omnibus detur? § 3. De patris Confirmationis. d. 10. Solus Episcopus est ordinarius minister Confirmationis. d. 11. § 2. Ex commissione Papæ simplex Sacerdos. § 3. Sed non potest committere Diacono. § 4. An Presbyteri Græci valide confirmant. § 5. Vtrum religiosi in Indijs. § 6. Quid requiratur ad licitè confirmandum? § 7. De ritu Confirmationis. d. 12.

Corona non est Ordo. q. 63. d. 1. n. 37.

Constantinus in Baptismo mundatus à lepra. q. 63. d. 3. n. 5.

Conversio perfecta habet annexam remissionem peccati. q. 68. d. 2. § 4.

D

Demones vexant obsessos etiam sine præcedente culpa. q. 71. d. 2. n. 12. V. Angeli.

Diaconi peccant mortaliter, si in mortali solemniter ministrant. q. 64. d. 4. nu. 88. Ad eius officium non pertinet solemniter baptizare. q. 67. d. 1. § 1. Vtrum sine libro Evangeliorum aliquando sint ordinati? q. 60. d. 13. n. 42.

Deus solus est causa principalis interioris effectus sacramenti. q. 64. d. 1. n. 1. Deus solus principalis sacramentorum institutor. q. 64. d. 1. § 1. Vtrum Deus suppleat defectum intentionis? q. 64. d. 7. § 6. Dei potentia absoluta, ordinaria, & ordinata. q. 68. d. 2. n. 23.

Eccle-

E

Ecclesia potest sacramentalia instituere. q. 60. d. 3. nu. 17. Ecclesia Latina verbum retinuit Græcum in forma Baptismi. q. 60. d. 12. n. 16. Non est commissum Ecclesiæ determinare materias, & formas sacramentorum. q. 60. d. 13. n. 11. Nec variare eius partes essentielles. nu. 21. vsque 26. Bene tamen eius partes integrantes. n. 27. Concordia Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ in forma sacramenti Baptismi. q. 60. d. 13. n. 60. & q. 66. d. 4. § 2. Qualiter forma, qua nonnulli Græci vtuntur in Confirmatione, sit valida? q. 72. d. 5. § 1. & 2. Concordia Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ in partibus essentialibus sacramenti Ordinis. q. 60. d. 13. § 6. Qualiter Ecclesia diuini præceptum Baptismi, potuerit determinare? q. 68. d. 3. § 3.

Entia rationis aliqua dicuntur esse, quando est fundamentum. q. 60. d. 2. nu. 4. vsque 44.

Episcopi non debent restringere suam intentionem circa ordinandos. q. 64. d. 8. n. 49.

Erronea propositio quæ dicatur? q. 64. d. 2. n. 29.

Exorcismus debet præcedere Baptismum. q. 71. d. 2. De ceremonijs Exorcismi. nu. 13. & 14. Vtrum ea, quæ aguntur in Exorcismo aliquid efficiant? q. 71. d. 3.

Extrema Vnctionis vnitas. q. 60. d. 10. n. 57.

Eucharistia sacramentum, & sacrificium. q. 60. d. 3. n. 31. Significat gratiam. d. 5. nu. 9. & 19. & 20. Intrinsece constat verbis. q. 60. d. 9. n. 27. vsque 34. De vnitate Eucharistiæ. q. 60. d. 10. n. 55. Conuenientius sit consecratio in Azimæ. q. 60. d. 13. n. 33. Eucharistiæ sacramentum non est in Cælo. q. 61. d. 5. n. 9. Porrigens Eucharistiam, non causat immediate gratiam. q. 64. d. 1. nu. 29. Eucharistiam in mortali ministrare, est mortale. q. 64. d. 4. nu. 78. Eucharistia sacramentorum excellentissimum, etiam in conferendo gratiam. q. 65. d. 3. § 1.

G

Generatio includit duas mutationes. q. 62. d. 2. n. 18.

Genesis qualiter baptizatus? q. 64. d. 7. n. 59. vsque 66.

Gratia non est forma sacramentorum. q. 60. d. 3. § 4. Est principale sacramentorum significatum. d. 5. § 4. Productio gratiæ redu-

citur ad creationem. q. 62. d. 2. § 11. Gratia sacramentalis quid addat supra gratiam iustificanti? q. 62. d. 5. Gratia productio medio sacramento, an sit miraculosa? q. 62. d. 2. n. 107. & 108. & q. 63. d. 2. n. 115.

I

Infernus quando creatus? q. 61. d. 2. nu. 40. & 41. & 43.

Instrumentum qualiter possit agere instans. q. 62. d. 2. § 8. De actione præiudicium instrumenti. q. 62. d. 2. § 10. Non potest dari instrumentum creationis. § 11. Instrumento dupliciter datur virtus, & inchoatiue, & complete. q. 62. d. 4. nu. 2. Instrumentum habet duas actiones. q. 63. d. 2. n. 111.

Intentio non est pars intrinseca sacramenti. q. 60. d. 15. De fide est ad valorem sacramenti exigi intentionem ministri. q. 64. d. 7. § 2. Est mediata de fide exigi intentionem internam. § 3. Vtrum Deus suppleat defectum intentionis? q. 64. d. 7. § 6. Quid sit intendere facere, quod facit Ecclesia? q. 64. d. 8. § 1. Vtrum sufficiat virtualis intentio, & quando sit talis? § 2.

L

Lamas expurgatus à Dominis Inquisitoribus. q. 64. d. 4. n. 16.

Legalia post diuulgationem Euangelij mortifera. q. 61. d. 5. n. 13. & 14. & q. 70. § 2. n. 6. V. Circumcisio.

M

Maria Deigenitrix Virgo, ab ipso Christo baptizata. q. 66. d. 2. n. 7. q. 68. d. 1. n. 10. An precibus Deigenitricis aliqui sint ab Inferno liberati. q. 68. d. 2. n. 20. & 21.

Martyrium Supplet vicem Baptismi. q. 66. d. 12. § 1. Ex opere operato, & ex privilegio Christi § 3. Sed non sine attritione § 4. nu. 41. Quando detur gratia Martyrij? § 5. Infantes pro Christo occisi sunt Martyres. § 6.

Matrimonium qualiter constet rebus, & verbis? q. 60. d. 9. § 3. In statu innocentie an

Zz 2

fuerit

fuert Matrimonium sacramentum? q. 61. d. 2. n. 15. & 27. & 28. & 31. vsque 38. Qui contrahit Matrimonium in mortali, non committit duo peccata. q. 64. d. 4. n. 69. Sed peccat mortaliter, qui in mortali recipit sacramentum. q. 64. dub. 4. n. 70. Cur error personæ irritet Matrimonium, & non alia sacramenta? q. 64. Dub. 8. n. 53. vsque 64.

Minister proximè, & immediatè est causa effectus sacramenti. q. 64. d. 1. n. 17. Etiam si non sit consecratus. n. 26. Ministeri bonitas qualiter conducatur ad effectum sacramenti? q. 64. d. 1. §. 4. Peccat minister consecratus in peccato ministrando sacramenta. q. 64. d. 4. §. 2. & 3. & 4. Nō teneret præmittere confessionem. n. 46. Tot numero peccata committit, quot confessiones excipit in mortali. n. 53. Minister non consecratus non tenetur esse in gratia, cum sacramentum ministrat. n. 57. Ministrare Eucharistiam in mortali, est mortale. q. 64. d. 4. n. 78. Licet petere sacramenta, & recipere à malis ministris toleratis; secusa non toleratis. q. 64. d. 5. §. 1. Quæ conditiones ad hoc exigantur? §. 2. Vtrum fides ministri sit de necessitate sacramenti? q. 64. d. 9.

Monachi de licentia Parochi possunt baptizare. q. 61. d. 1. n. 22. Sine licentia non possunt esse patini. q. 67. d. 3. n. 18.

Monstrum qualiter debeat baptizari? q. 68. d. 8. §. 1.

N

*N*ovitas doctrinæ. Prologo. n. 6. & q. 66. d. 8. n. 67.

O

*O*piniones, quæ ab Authoribus hic relatis, iudicantur improbables. Quod sacramentum pro formali est signum naturale. q. 60. d. 1. n. 1. Quod gratia est forma sacramentorum. q. 60. d. 3. §. 4. Quod Eucharistia non significat gratiam. q. 60. d. 4. num. 9. & 10. & 19. Quod contritio, confessio, & satisfactio nullo modo sunt partes sacramenti. q. 60. d. 9. n. 36. Quod potest Ecclesia variare materias, & formales essentielles sacramentorum. q. 60. dub. 13. num. 2. & 9. & 21. Quod

in lege veteri non fuerunt sacramenta q. 61. d. 4. §. 1. & 2. Quod in cœlo sunt sacramenta. q. 61. d. 5. n. 9. Quod Invenio Regum imprimat characterem. q. 63. dub. 1. §. 6. Quod character sit relatio rationis. d. 2. nu. 3. & 14. vsque 22. Quod character est species impressa. q. 63. d. 2. n. 13. & 96. & d. 4. nu. 7. Quod character sacramentalis non est character Christi. q. 63. d. 3. n. 7. Quod Christus inquam Deus non est immediatus sacramentorum institutor. q. 64. d. 2. §. 2. Quod aliqua sacramenta non immediatè instituit. q. 64. d. 2. n. 29. Quod ministri consecrati non peccant mortaliter in peccato mortali ministrando sacramenta. q. 64. d. 4. §. 1. & 2. & 4. Quod non peccat, qui in mortali recipit sacramentum Matrimonij. n. 70. Quod non requiritur intentio interna ad valorem sacramenti. q. 64. d. 7. n. 7. & §. 3. Quod quilibet præcedens intentio longissimo tempore distans, sufficit ad validum sacramentum. q. 64. d. 8. n. 19. Quod Concilium Tridentinum, nec obiter, dixerit sacramenta dare gratiam iuxta dispositionem. q. 65. d. 3. nu. 21. Quod in casu necessitatis est datus Baptismus in sudore, aut aqua ex rosâ expressâ. q. 66. d. 3. n. 32. Quod in forma Baptismi non est de necessitate expressio personæ, quæ baptizatur. q. 66. d. 4. §. 5. Quod aliquando valet sine verbis. q. 66. d. 6. Quod baptizati à laicis sunt denuo baptizandi. q. 66. d. 8. §. 5. Quod infantes expositi afferentes schedulam Baptismi, semper sunt denuo baptizandi. q. 66. d. 8. §. 6. Quod Martyrium sit sacramentum; aut quod det gratiam physicam. q. 66. d. 12. n. 29. vsque 35. Quod infantes ab Herode occisi non sunt Martyres. q. 66. dub. 12. §. 6. Quod parvuli sine Baptismo re ipsa suscepto possunt salvari. q. 68. d. 2. n. 5. Post impressionem illius dubij, legi tertiam editionem Caraculæ, anni 1657. tam Romanam, quam Lugdunensem; & in ista folio 322. col. 2. dicit nostram sententiam esse de fide tenendam. Unde iam retractat, vel determinat, quod antea indecisum reliquerat.

Quod votum Baptismi adhuc si sit cum contritione peccatorum, nō sufficit in adultis ad salutem. q. 68. d. 2. §. 4. Quod Baptismus recedente fictione non confert suum effectum. q. 69. d. 4. §. 2. Quod liceat Circuncisio simul cum Baptismo. q. 70. §. 2. Quod ad Confirmationem sufficit Balsamum adulterinum. q. 72. d. 2. Quod consecratio Chrilismatis non est de necessitate Confirmationis. q. 72. dub. 3. Quod Sacerdos simplex valet Chrilisma benedicere. §. 4.

Ordnis sacramentum an validum conferatur

ratur sine physico instrumentorum contactu. q. 60. dub. 10. num. 21. & 24. De eius voluntate. n. 56. Concordia Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ in partibus sacramenti Ordinis. q. 60. d. 13. §. 6. Vtrum in eo principaliter conferatur character, quam gratia? q. 63. d. 6. n. 19. V. *Episcopus*.

P

*P*apa an possit dispensare, quod sub vna tantum specie consecratio fiat? q. 60. d. 13. n. 32. Vtrum Papa possit tollere, vel variare benedictionem Chrilismatis. q. 72. d. 3. §. 3. Vtrum dederit facultatem quod simplex Sacerdos Chrilisma consecraret? D. 5. §. 5. Vtrum simplici Sacerdoti valeat committere, quod confirmet? D. 11. §. 3. Sed nō potest committere Diacono. §. 4.

Paradysum cur Deus pro brevissimo tempore solum habitandum creaverit? q. 61. d. 2. n. 21.

Patrinus requiritur in Baptismo. q. 67. d. 3. Quinam possint esse patini in Baptismo? §. 2. De patino Confirmationis. q. 72. dub. 10.

Parvulus iustificandis non fuit in statu legis naturæ determinata cæremonia. q. 61. d. 3. n. 5. Probabilius est, quod tunc sufficiebat interior actus fidei. §. 2. & n. 52. Romani die octavo imponebant nomina parvulis. ibi. In statu legis naturæ salviabantur in fide Ecclesiæ, & implicita Mediatoris. q. 61. d. 3. §. 5. Valebat etiam si extraneus eum Deo offerret. n. 70. & 71. Alia de parvulis in nova lege. v. *Baptismus*, & in lege scripta, v. *Circumcisio*.

Pœnitentia non semper in se recipit formam, vel actum. q. 63. d. 2. n. 100. vsque 106.

Pœnitentia non habet aliam materiam proximam, nisi ipsos actus sensibiles. q. 60. d. 9. §. 3. Intrinsecè cõstat rebus. n. 34. & 38. Pax & consolatio interior non est res, & sacramentum simul in Pœnitentia. q. 60. d. 16. §. 4. Pœnitentia interior res, & sacramentum simul. §. 5. Sacramentum Pœnitentiæ dat primam gratiam. q. 68. d. 5. n. 49. & 54. Ministrare sacramentum Pœnitentiæ in peccato mortali, semper est peccatum mortale. q. 64. d. 4. n. 71. & 74. & imponere satisfactionem. ibi. Vtrum si quis absolueretur a D. Petro, teneretur confiteri? q. 64. d. 6. n. 32. V. *B. A. lant visio*.

Prædicatio potest committi Clerico, qui nō est in sacris. q. 64. d. 4. n. 93. Prædicare in peccato mortali, an sit novum peccatum? q. 64. dub. 4. n. 91. & 92.

S. Proculus Martyr miraculo Missam celebrat. q. 60. d. 6. n. 21.

Profetia cur non est habitus? q. 62. dub. 5. n. 36.

Q

Qualitates aliquæ materiales supernaturalis. q. 60. dub. 2. n. 15. Id quo elevantur sacramenta est qualitas, & motio. quest. 62. dub. 4. §. 3. Est essentialiter spiritalis. §. 4.

Questio magna non potest breviter decidi. Prologo n. 5.

R

Regum vinctio non imprimit characterem. q. 63. dub. 1. §. 6.

Relationes extrinsecus aduenientes. q. 62. d. 2. n. 28.

Religiosi sine licentia non possunt esse patini in Baptismo. q. 67. d. 3. n. 20. V. *Monachi*. Vtrum in confirmatione? q. 72. d. 10. Vtrum Religiosi in Indijs possint confirmare? q. 72. d. 11. §. 6.

S

*S*acra expurgatus. q. 64. d. 4. n. 70.

Sacerdotum qualiter fuerit ante legem scriptam? q. 61. d. 3. n. 30. & 41. & 90.

Sacerdotes rectè dicuntur Principes. q. 67. d. 1. n. 19. & 20.

Sacramenta sunt septem columnæ Ecclesiæ, septem fontes gratiæ, & reliquiæ Incarnationis Verbi Divini. Prologo. n. 1. & 2. Doctrina Sacramentorum necessaria. n. 5. Diversæ acceptiones vocis. q. 60. §. 2. Sacramentum est signum D. 1. n. 3. & 36. & causa gratiæ. n. 9. & 12. Supponit pro actione. q. 60. d. 1. n. 14. & d. 2. n. 40. Sunt signa promissivæ. n. 30. & 31. Qualiter signa practica. n. 29. &

& 32. Causant virtute materia, & formæ. n. 44. Sunt signa ad placitum. D. 2. n. 1. Etia de possibili nequeunt esse signa naturalia. nu. 14. Sant semper duratura. D. 2. n. 19. Pro vno solo iustificando possent à Deo institui à n. 22. vsque 31. Significatio eorum est relatio rationis. n. 35. vsque 39. Sūt tamen in rebus ante operationem intellectus. n. 41. vsque 44. Debēt omnia significare internam sanctitatem D. 3. n. 7. & 13. Omnia conferunt sanctitatem legalein. D. 3. nu. 7. & 21. Distēbant à sacrificijs. d. 3. §. 3. In noua lege Eucharistia sacramentum, & sacrificium. d. 3. n. 31. Gratia non est forma sacramentorum. d. 3. §. 4. Sacramenta vetera, & noua solum analogice conueniunt. d. 4. §. 2. Significant gratiam, & gloriam, & Christum. d. 5. §. 1. Quod est intrinsecum illis, §. 2. Conuenit omnibus, §. 3. Principale eorum significatum est gratia. §. 4. Diffinitio sacramenti. D. 6. Ad sacramenta requiruntur res sensibiles. d. 7. §. 1. Possēt Deus instituire pro sacramento aliquid spirituale. §. 2. Sacramenta nouæ legis constant rebus, & verbis. d. 9. §. 2. Res habent rationem materia, & verba rationem formæ. d. 10. §. 1. Sunt partes sacramenti intrinsecæ. §. 2. Compositio ex rebus, & verbis non est compositio physica; nec omnino impropria; sed verā, artificialis. §. 3. Nō est necesse quod materia, & forma sint physice simul. n. 32. & 33. Verba solum sunt forma partialis. §. 4. Ultima forma sacramenti est indiuisibilis. §. 5. Sacramentum supponit pro materia connotando formam. d. 11. §. 2. Sed significat compositum, & formam totalem. §. 3. In sacramentis iure diuino requiritur determinata forma verborum. q. 60. d. 12. §. 1. Non est determinatio materialis. §. 2. Verba sunt consecratoria, & efficiencia. d. 12. §. 3. Christus per se immediatē determinauit materias, & formas sacramentorum. d. 13. n. 11. Miraculose possunt sacramenta variari; & dari eorum effectus sine illis. §. 5. Concordia Ecclesie Græcæ, & Latine in formis sacramentorum. v. Ecclesia. Essentialis variatio impedit sacramentum; secus vero accidentalis. d. 14. §. 1. Quando sit essentialis variatio? §. 2. De mutatione facta intentione introducēdi nouum ritum. §. 3. De mutatione cum errore, vel dubio, vel opinione falsa. §. 4. Intentio non est pars intrinseca sacramenti. D. 15. §. 2. Nec intrinseca vniū partium. §. 4. In omnibus sacramentis assignatur res, & sacramentum simul. D. 16. per totum.

Sacramenta sunt necessaria vt conueniē-

ter homo reparatur. q. 61. d. 1. n. 2. Quatuor rationes cur sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem. n. 4. vsque ad 9. In statu innocentie nulla fuerunt sacramenta. q. 61. dub. 2. §. 2. Institutio sacramentorum non esset conueniens statui innocentie. §. 3. nu. 49. Nec in potteris Adæ. n. 74. In statu legis nature nō fuit determinata caremonia pro remedio paruulorum. q. 61. d. 3. n. 51. Probabilius est, quod in lege nature sufficiebat interior actus fidelis. q. 51. d. 3. §. 2. Probabilius est, quod nec pro adultis erant sacramenta strictē sumpta. §. 6. n. 88. Post Christū debuerunt esse sacramenta. q. 61. d. 5. In Patria nulla erunt sacramenta. Ibi n. 8. & 9. Noua sacramenta excedunt antiqua. n. 15.

Sacramenta nouæ legis gratiam conferre, est dogma fidei. q. 62. d. 1. n. 3. Eam causant ex opere operato. §. 2. Antiquorū quorundam sententia non bene saluati, quod sacramenta causent gratiam. D. 2. §. 2. Non sunt, proprie, & in rigore loquendo, sacramenta causæ morales gratiæ. §. 3. Quod causant sacramenta instrumentali ter physice gratiam, probatur ex Patribus. §. 4. De mente S. Thomæ. §. 5.

Ex dignitate sacramentorum nouæ legis probatur physice causare. §. 6. Et quia id nō repugnat. §. 7. Qualiter recedente fictione gratiam causent? D. 2. §. 9. Id conuenit omnibus, excepta Eucharistia. q. 69. d. 6. §. 3. Quando causent? q. 62. d. 3. Non conferunt gratiam ex opere operato antequam realiter recipiantur. d. 3. n. 67. vsque 72. Qua virtute eleuentur in actu primo? D. 4. §. 1. Actualis eleuatio fit per virtutem intrinsecā. §. 2. Quæ est motio, & qualitas transiens. §. 3. Sacramentalis gratia quid sit? D. 5. Quinque sacramenta dant gratiæ augmentum; alia duo primam gratiam. q. 62. d. 6. §. 1. Vtrum per se causent gratiæ augmentū? §. 2. Vtrum quinque sacramenta per se causent primam gratiam? D. 6. §. 3. Sacramenta viuorum aliquando conferunt primam gratiā. §. 4. v. Character. v. Deus.

Characterem tria sacramenta imprimere, de fide est. q. 63. dub. 1. §. 1. Sed primario gratiam; & secundo characterem. D. 6. §. 3. Solus Deus est causa principalis effectus sacramenti. q. 64. dub. 1. n. 1. Per modum instrumenti, etiam homo nou. 5. Christus immediatus sacramentorum institutor. q. 64. d. 2. & q. 72. d. 1. n. 19. Purus homo potuit instituire sacramenta. q. 64. d. 3. §. 4. Existens in peccato mortali validum potest conferre sacramentum. q. 64. d. 4. §. 1. Ministri consecrati

crati peccant in mortali ministrando sacramenta. q. 64. d. 4. §. 2. & 3. & 4. Etiam in casu necessitatis. n. 71. v. Minister. v. Angeli. v. Intentio. Voluntarium in causa non sufficit ad validē ministranda sacramenta. q. 64. d. 8. n. 39. vsque 44. Vtrum error circa personam irritet sacramentum? q. 64. d. 8. §. 3.

Septem esse nouæ legis sacramenta, de fide est. q. 65. d. 1. §. 1. De fide est non esse plura. §. 2. De eorum ordine. D. 2. Eucharistia est omnium excellentissimum, etiam in conferendo gratiam. d. 3. §. 1. Sex sacramenta comparantur imperfectione. §. 2. & in efficiencia gratiæ. §. 3. Vtrū omnia sacramenta sint de necessitate salutis? q. 65. d. 5.

Veteris legis sacramenta nō causant physice sanctitatem. q. 60. d. 1. n. 26. & 27. D. 3. n. 8. q. 62. d. 7. n. 57. Nec infallibiliter gratia in eorum exercitio dabatur. q. 60. d. 3. n. 9. vsque 12. Non constabant verbis. q. 60. d. 9. fuerunt in veteri lege plura sacramenta. q. 61. d. 4. à nu. 11. Omnia reducuntur ad quatuor. nu. 13. Tribus sacramentis nouæ legis nulla correspondebant in antiqua. n. 14. Illa fuerunt solis Iudæis præcepta. nu. 15. Antiqua sacramenta non imprimebant characterem. q. 63. d. 1. n. 41.

Sacramentalia possunt ab Ecclesia institui. q. 60. d. 3. n. 17. q. 65. d. 6. v. Exorcismus.

Sacrificia differunt à sacramentis. q. 60. d. 3. §. 3. Essent sacrificia in statu innocentie. q. 61. d. 2. n. 93.

Serpens æneus non erat sacramentum. q. 60. d. 3. n. 25.
Signum, de eius constitutio opinioes. q. 62. d. 2. n. 31.
Stephani Secundi responsū ab aliquibus de prauatum. q. 63. d. 3. n. 28.

T

Templum, vtrum habeat virtutem physicam gratiæ causatiuam? q. 62. d. 4. nu. 7. & 4.

De mente S. Thomæ circa causalitatem physicam sacramentorum. q. 62. d. 2. §. 5. De mente S. Tho. circa intentionem? q. 64. d. 7. §. 5.

V

Virtus completa ad patranda omnia miracula, nequit dari. q. 63. d. 2. n. 12.
Vnum per se multis modis dicitur. q. 60. d. 1. nu. 40. Plura in vno genere, & in alio vnum. q. 60. d. 6. nu. 6. n. 4.
✠

Laus Deo, & Deigenitrici MARIAE.

